R. P. VINCENTII

HOUDRY

E SOCIETATE JESU

BIBLIOTHECA CONCIONATORIA

Ethices Chriſtianæ præcipua continens argumenta; ordine Alphabetico digeſta.

E Gallico ſermone in Latinum translata.

TOMUS SECUNDUS.


E—I





VENETIIS,
EX TYPOGRAPHIA BALLEONIANA.
MDCCXLII.

Superiorum Permiſſu, ac Privilegiis.



INDEX ARGUMENTORUM

Contentorum in hoc Secundo Tomo.

E


F

G

H

JEJU-

I.



BIBLIO-

BIBLIOTHECA CONCIONATORIA.

E C C L E S I A.

Submissio, & Obedientia, quæ debetur Ecclesiæ. Ecclesiæ infallibilitas in materia Fidei: Hæresis, & Hæretici Ecclesiæ rebelles.

M O N I T U M.



O in sensu, in quo istic Ecclesiam accipimus, liquidò innotescit, argumentum hoc prorsus aliud esse a Fide, de qua suo loco dicemus, & ab institutione Religionis Christianæ, de qua jam dictum est. Verum nihilominus est, Fidem, Ecclesiam, Religionemque Christianam nonnunquam nomina esse synonima, & quæcumque inter illas statuatur distinctio, eas tamen ultro citroque sese vicissim continere, & complecti. Admonere tamen sufficiat nihil a nobis allatum iri hoc in loco, quod propriè non spectet ad Ecclesiam, in naturali sensu desumptam; videlicet pro fidelium cætu in eadem fide coalescentium, ac eorumdem Sacramentorum consortium, qui ipsum visibile caput, D. Petri Successorem, & JESU CHRISTI Vicarium agnoscunt.

Cum Ecclesia hoc in sensu intellecta, a Filio Dei instituta, & a Spiritu Sancto gubernata plurimas habeat qualitates, quibus ab aliis schismaticis, hæreticisve societatibus distinguitur; cum videlicet Una sit, Sancta, Catholica, Apostolica, & Romana; necnon perpetua, & nulli errori obnoxia; non prætermittemus ea, quæ sub his titulis magis notatu digna occurrerunt, & apta, seu ad probandum, Ecclesiam hanc veram esse, & ad eos, qui secesserunt ab illa, iterum ad eam compellendos; seu ad eos qui in sinu illius nati, atque instituti sunt, adhortandos, ut corpore adeo sancto se veluti digna membra perhibeant.

Itaque sive controversia instituatur sermo, sive orthodoxa hac in re doctrina supposita, satis sit excitare Auditores, ut tamquam veri Ecclesiæ Filii vitam traducant, non deerit, unde propositum abunde expleri queat argumentum. Verùm cum non possit omnino evitari sermo de illis, qui ab Ecclesia recesserunt, & qui fidem rebelles sunt; ea putavimus addenda, quæ & Hæreticorum pertinaciam, & [illegible] Hæresis gignit, respiciunt.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ Concionum hujus Argumenti Systemata.

I. Uæ propositiones, eæque certissimæ, ac morales, Concioni de Ecclesia, & argumentum suppeditare possunt, & divisionem. Prior est, extra Ecclesiam salutis spem omnem esse interclusam; posterius verò, ad salutem assequendam non sufficere, esse in Ecclesia, nisi vita secundum leges & præcepta, quæ nobis ab illa traduntur, diligentissimè componatur.

Quod ad priorem attinet propositionem: Primo. Liquet sine fide neminem salvari posse, quemadmodum testatur Apostolus: *Sine fide impossibile est placere Deo.* At in Ecclesia tantùm vera fides invenitur; videlicet fides earum veritatum, quas Dei filius hominibus revelavit: per Ecclesiam eas nobis proposuit, & per organum illius eas nobis cognoscendas tradidit, nec non de illis edocuit. Quapropter Hæretici, qui sunt extra Ecclesiam, vel non credunt omnino has veritates, vel eas dividentes earumque unam tantummodo partem credentes evertunt fidei unitatem, ideoque nullam prorsus habent fidem, & ita miserè intereunt. Arcæ Noeticæ comparatur Ecclesia, ubi illi solum aderant, qui ibi fuerant inclusi, & universale diluvium, quo reliqui omnes absorpti fuerunt, evasere. Qua in re divinam erga nos misericordiam benedicere, atque admirari debemus, quod nos in Ecclesiæ suæ sinu voluerit nasci, nosque in hac incluserit Arca, ut si velemus, salus nostra in tutò collocaretur. Non ne in omnes gratiarum actiones nos effundi par est ob tantum hoc beneficium, quod æternæ felicitatis nostræ fons est, ac principium? &c.

Ad Hebr. 11.

2. Extra Ecclesiam uti fides non est; ita neque charitas, neque verus Dei amor, neque gratia sanctificans, quæ nos Dei filios efficiens Cœlestis Regni facit hæredes: quod docet S. Augustinus per hæc verba, quæ in mortalium omnium ore versantur. *Si quis absque Ecclesia inventus fuerit, alienus erit a numero filiorum Dei; nec habebit Deum Patrem, qui Ecclesiam noluerit habere Matrem.*

Tract. de Symbol. cap. 10.

3. Qui extra Ecclesiam est, in via salutis non est, qui ergo extra hanc viam sunt, sperare non debent se beatum hunc terminum, quò fidelibus omnibus contendendum est, assecuturos. Ecclesia nos regit, atque institutis suis, vero Dei verbo, Sacramentis, quæ confert, & quæ totidem sunt gratiæ, salutisque fontes, nec non luminibus, quæ nobis impetrat a Deo, illuc adducit. Qui extra Ecclesiam versantur omnibus his destituuntur auxiliis, cumque extra viam sint, quò progrediuntur magis, eo magis aberrant, ac denique in nullam spem reditus evagantur.

Propositio Altera: Ut salutem nostram operemur, satis non est in vera Ecclesia versari, eamque extrinsecus palam profiteri, nisi leges illius observentur, & nisi hominis Christiani vita huic professioni dignè respondeat. 1. Ut enim salvi fiamus, fides una non sufficit, quod affirmant hæretici, nisi eam charitas, & bona opera comitentur; sine quibus in Ecclesia non sumus, nisi tamquam membra mortua, Spiritu Sancto reliquum vivi-

vivificante corpus non animata; & quamvis ab illa avulsi non simus ut Hæretici, atque Schismatici, participes nequaquam sumus vitæ gratiæ, quam nobis JESUS CHRISTUS promeruit: & si hoc in statu versamur, si Christiano homine, & vero Ecclesiæ filio dignam non ducemus vitam, numquam in Cœlo Regni Filii Dei participes erimus. 2. Quia cum Sancta sit Ecclesia ob eas rationes, quas alibi attulimus, opus est, ut qui componunt illam, ejusque membra, & filii sunt, sint quoque Sancti; ad id enim unicè illam instituit Deus, ut illi Sancti essent; in quem veluti scopum omnia collimant præcepta, omnis, quam præscribit, morum disciplina, omnia, quæ confert Sacramenta, quæ totidem sunt fontes salutis, &c. 3. Nisi enim vitam traducimus eo honore dignam, quem tamquam Ecclesiæ membra obtinemus; hæc nos tamquam rebelles respicit filios in proprio sinu ipsius bellum sibi inferentes; ideoque ingratiores sumus, & nocentiores, quam quos vel ab ipsa nativitate admittere, vel quos numquam ad se evocare dignata est. Ideo in nos severiùs, quam in Ethnicos, & Infideles animadvertetur, & ambigendum non est, quò minùs pro Fidelibus nequam, pro his ingratis, ac perfidis, qui tot, tantaque salutis suæ adminicula contempserunt, qui licet in Arca includerentur, naufragium tamen sunt passi, peculiaris, atque multò gravior sit futurus infernus, *Ah: væ nobis,*
Ad Hebr. 2. *si tantam neglexerimus salutem*, exclamat Apostolus, Quid non exprobrabit illis Dei Filius, cum in sæculorum fine lolium separabit a tritico, & mali Christiani eamdem cum Infidelibus, & Hæreticis sortem consequentur?

II. 1. Ecclesia Dei opus est, cum nemo præter ipsum illius auctor esse possit. Multitudo, ac varietas gentium, ac personarum illam constituentium, præstantia veritatum, quas docet, difficultas, ac repugnantia, quam experiuntur homines mentem suam iis submittendo, quæ rationis fines excedunt, & subjiciendo voluntatem legibus, quibus omnia naturalia illorum studia offenduntur, non sinunt, aliud a nobis ferri judicium. Nulla humana potentia id assequi potuisset, ut tot populos impelleret ad sincerè amplectendam eam fidem, quam tot tyranni, atque hæretici oppugnabant.

2. Ecclesiam Dei Spiritus regit, atque tot sæculis gubernat; alioquin enim portis inferi quæ in illam toties fecerunt, hodieque sævissimos impetus faciunt, minimè restitisset. Itaque falsus Hæreticorum zelus, eorum doli, ac impotentia numquam contra eamdem prævalebunt, ut illam in errorem impellere possint; sed nostrum est illi hærere, atque ab ea numquam divelli.

III. Pro argumento desumi possunt præcipuæ qualitates, vel proprietates Ecclesiæ, uti omnes fere consueverunt Concionatores, & Auctores, qui argumentum hoc pertractarunt. 1. Unitas. Omnia Ecclesiæ membra JESU CHRISTO unita sunt, qui eorum caput est, & cum eo unum tantummodo corpus efficiunt, ut inquit Apostolus: per submissionem unita Pastoribus suis, qui & ipsi uniti sunt cum eodem visibili Capite, Divi Petri Successore, super quem JESUS CHRISTUS suam ædificavit Ecclesiam.

2. Perennitas in legitima Pastorum successione ab Apostolis ipsis petita, quod invictè hanc veram esse Ecclesiam demonstrat.

3. Universalitas, atque latissima extensio, propter quam Catholica appellatur, quod nomen nulla umquam secta ausa est usurpare.

IV. Si latè nimis evagari videatur Sermonis argumentum, ubi tractandæ assumantur tres, vel quatuor Ecclesiæ proprietates, videlicet quod Una sit, Sancta, Universalis, & Apostolica, quemadmodum Nicænum explicuit Concilium, duæ tantum deligi possunt, quæ maximè essentiales videntur, videlicet.

1. Veritas, cum a Spiritu Sancto fuerit inspirata, illam, ubi de fide agitur, errare non posse demonstrat.

2. Sanctitas, quæ in tribus consistit: 1. quod nihil in fide ejus est, quod Deo sit contumeliosum: e contra omnes illius sensus in Dei honorem cedunt, atque sunt præstantiæ ejusdem conformes: 2. quod nullum probat malum, sed potius bonum omne, & probat, & suadet: 3. quod quidquid illa facit, & quidquid corpori illius tribui potest, laude dignum est, atque ad Dei cultum collimat: cum crimina privatorum sint, & nequaquam prohibeant quò minus sanctum sit corpus.

Subsistere etiam licet in sola Ecclesiæ infallibilitate, ubi de Fide agatur, quod præstitit Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta, eaque probare: V.

1. Ex illius Unitate: quia uno dumtaxat Spiritu regitur, qui Spiritus Sanctus est, qui cum sit veritas eadem, nequit permittere, ut illa in errorem labatur. Ad hæc si fides, quam profitetur, ita Una est, ut qui eam dividere, ac partiri velit, eam evertat; cum per Ecclesiam Deus nos fidei veritates edoceat: non esset amplius Una, si hujus Ecclesiæ membra aliter, aliterque in uno eodemque fidei sentirent articulo.

2. Ex illius duratione, ac perpetuitate: Si enim infallibilis non esset, perpetua non esset: quippe statim ac in errorem aliquem cecidisset, jam vera non fuisset Ecclesia.

3. Ex illius Universalitate: Si enim in humanis conformis omnium populorum sententia, omniumque Sapientum consensus sufficit, ut veritas certa, & constans fiat; hoc potius in fide locum habere debet; etenim Sapientiæ Dei, ac fidelitatis promissionum ejusdem est, ut omnis Ecclesia, quam ipse coegit, in errorem non ruat.

Ecclesiæ tria applicari possunt verba, quæ de se VI.
ipso Dei Filius dixit: *Ego sum via, veritas, & vita;* ac inde tres concionis partes fieri. Joan. 14.

1. Una Catholica Ecclesia nos docet viam in cœlum eundi, & tamquam fidelis Dux nos illuc adducit.

2. Una illa habet doctrinæ veritatem, cujus fulcrum, & columen est, ut dicit Apostolus.

3. In una illa vita gratiæ invenitur; quandoquidem illa JESU CHRISTO nos parit, alit, ac servat in hac vita Sacramentis, ac verbo Dei.

1. Nullum subimus discrimen nosmet in omnibus subjicientes Ecclesiæ sententiis. In hoc sequimur solum ducem, quem nobis tradidit Deus; sequimur normam, quam secuti quoque sunt qui majori sanctitatis, & doctrinæ laude floruerunt: & habemus tutissimos actionis hujus nostræ Vades, Pastores videlicet eruditissimos. VII.

2. Omnia in periculum adducimus nosmet iisdem non subjicientes: vel enim privatum sequimur sensum, spiritumque, qui errorum, hæresumque omnium est fons, vel sequimur sententiam eorum, qui sunt in errore, & qui recedentes a veritate, & via, quam ipse Dei Filius nobis præscripsit, non errare non possunt, secumque nos adducere in præceps.

1. In Ecclesia visibili adest S. Petri cathedra, VIII.
ubi sedent, qui gubernant Ecclesiam, ligandi atque solvendi, erudiendi, &c. facultatem habentes.

2. Cathedra hæc una est, quamvis plurimi ibi sedeant propter unionem, quam reliquæ particulares habent cum Sancti Petri cathedra.

3. Qui ibi sedent, etiamsi vitiosi sunt, eamdem tamen habent auctoritatem, & potestatem ac nos illis eamdem reverentiam, atque obedientiam debemus.

1. Ecclesia est JESU CHRISTI Sponsa, cui IX.
Spiritum suum, suam potestatem, atque auctoritatem ligandi, atque solvendi, suamque Sanctitatem, &c. communicavit.

2. Deinde Mater est Fidelium; per illam enim Dei Filius Cælestis ejusdem Sponsus vitam nobis tribuit, eamque semel amissam reddit: cumque

nobis

nobis dederit divinam hanc, supernaturalemque vitam, eam aliis proprii Corporis esca, quam illi reliquit; & verbo, atque Sacramentis quæ eidem commendavit. Unde sequitur illam a nobis tamquam matrem esse colendam, illi nobis esse parendum, ab illa recipienda esse documenta, ejusque sententiis acquiescendum.

X. 1. Ecclesia Sancta est, quia est JESU CHRISTI Sponsa, qui, ut inquit Apostolus, Sanctificavit illam suum pro eadem effundens Sanguinem, ut eam sine ruga, & macula efficeret. Non debemus ergo dedecorare illam vitiis nostris, vitæque nostræ flagitiis.

2. Regitur à Spiritu Sancto, qui eidem inspirat, eamque gubernat; non igitur velle possumus esse ex filiorum ejusdem numero, alium sequentes spiritum, aliosque sensus sensibus ejusdem oppositos amplectentes.

XI. 1. Cur permittat Deus hæreses, quæ tot in Ecclesia dissensiones, ac populationes efficiunt; utilitas, quam hinc pro Electis suis, ac Fidelium perfectione Deus percipit.

2. Ratio eas dignoscendi est sensum Ecclesiæ consulere, ac videre, quid hac in re ab illa fuerit sancitum.

3. Ratio se ab illis tuendi est mordicus Cathedræ S. Petri adhærere.

XII. Assumi denique potest hic S. Augustini locus, quo omnia Ecclesiæ bona continentur.

1. Ecclesia norma est, quam sequi debemus, in veritatibus fidei.

2. Ecclesia norma est vitæ, morumque nostrorum in legibus, quas nobis præscribit.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque unde hauriri copia potest ad propositas Concionum structuras elaborandas.

Sancti Patres. SAnctus Augustinus pluribus in locis de Ecclesia sermonem instituit, quorum præcipui tantùm memorabuntur. Primus est liber integer *de Unitate Ecclesiæ*, ubi inter cætera ostendit ad verum Scripturarum sensum intelligendum confugiendum esse ad Ecclesiam.

Idem *lib.* 2. contra Petilianum probat illum esse Schismaticum, quia cum Fidelibus totius orbis non communicat.

Idem *Epist.* 222. *ad Consentium* docet, hæreticos omnes Scripturis abuti, errores suos probaturos.

Idem *lib. de Utilit. credendi* docet quomodo quærenda sit veritas, & qua ratione ille usus fuerit, ut errorem excuteret.

Idem *contra Epist. Manichæi* declarat, quænam res ipsum Ecclesiæ Romanæ vinctum teneat.

Idem *lib. de Moribus Ecclesiæ c.* 30. moralem disciplinam Ecclesiæ commendat.

Idem *cap.* 34. ejusdem libri docet nemini ab Ecclesiæ doctrina recedendum esse sub prætextu vitiorum, & flagitiosæ eorum vitæ, qui eam vel gubernant, vel sequuntur.

Idem in Psalmum 128. hæc explicans verba: *Sæpe expugnaverunt me a juventute mea*, ostendit quanta mala a fidelibus nequam omnibus seculis perpessa fuerit Ecclesia.

Idem *lib. de catechizandis rudibus*, ostendit in Ecclesia peccatorum, ac iniquorum numero numerum bonorum, & justorum superari.

Idem in Psalmum 23. ea explicans verba: *Ipse super maria fundavit eam, & super flumina præparavit eam*, ostendit Ecclesiam a Deo roboratam, confirmatamque fuisse contra omnes persecutionum, hæresumque procellas.

Apoc. 1. Idem *Homil.* 1. *in Apocal.* in hæc verba: *Et pedes ejus similes aurichalcho*, ostendit Ecclesiam in eo, quod ad mores pertinet sub finem sæculorum longe aliam futuram ab ea, quæ fuit ab initio.

Idem *Sermone* 182. *de Tempore*, docet eum, qui extra Ecclesiam est, non esse verè Christianum; quod ipsum ostendit tractatu tertio *de Symbolo cap.* 11.

Idem *Sermone* 10. *de Tempore* justam instituit comparationem inter Ecclesiam, & Sanctam Virginem Dei Matrem.

Idem in Psalmum 126. ostendit Ecclesiam prodiisse ex aperto latere Filii Dei de cruce pendentis eo modo quo Eva ex latere Adæ fuit educta. Hoc ipsum docet tract. 120. in Joannem.

Idem *Sermone* 49. *de Verbis Domini* ostendit quomodo ex Judæis, & Gentilibus una tantum facta fuerit Ecclesia.

Idem *lib. de Fide, & Symbolo cap.* 10. docet Hæreticos, atque Schismaticos ab Ecclesia esse divulsos, alios quidem, quia ejus fidem abjurant, alios verò, quia illius unitatem discindunt.

Idem *lib. de Vera Relig. cap.* 7. ostendit Romanam Ecclesiam ab omnibus Catholicam haberi, ac unam illam hoc nomine appellari ab iis, qui eam sequuntur, & oderunt; ab Ethnicis, & ab Hæreticis.

Idem *lib. quæst. sup. judic. quæst.* 49. docet Ecclesiam omnibus fuisse ætatibus, omnibusque sæculis, initio ab ipso Adam desumpto.

Idem *in Psalm.* 101. ostendit Ecclesiam perire non posse, eamque semper mansuram, quamquam plurimi ab ea recedant, eamque relinquant.

Idem *in Psalm.* 103. docet Ecclesiam, quippe quæ super JESUM CHRISTUM ædificata est, inconcusso inniti fundamento.

Idem *tract.* 124. *in Joan.* ostendit S. Petri supra reliquos Apostolos principatum; & super hanc petram Ecclesiam fuisse ædificatam.

Idem *lib. de Agone Christiano cap.* 12. ostendit Ecclesiæ firmitatem contra impetum Ethnicorum, atque Hæreticorum.

Idem *lib.* 2. *contra Crescon. cap.* 33. ostendit Ecclesiam in iis, quæ ad fidem spectant, falli non posse.

Idem *lib.* 3. *de Baptismo cap.* 16. ostendit extra Ecclesiam neque Charitatem esse, neque Spiritum Sanctum.

Idem *lib.* 7. *cap.* 51. *ejusdem libri* docet Ecclesiam bonos, malosque complecti, quod ipsum tradit alio in libro, cui titulus: *Parvus libellus de Symbolo.*

Idem *tract.* 18. *in Joan.* ostendit hæreses omnes inde proficisci, quod Scripturis sensus affingitur Ecclesiæ sensui contrarius.

Idem *lib.* 18. *de Civit. cap.* 51. eos esse hæreticos docet, qui mordicus Ecclesiæ decisionibus obluctantur.

Idem *Epist.* 162. *ad Episcop. Donatistas* docet eos omnes, qui in errore versantur, non ideo hæreticos esse, si præsto sint, ut Ecclesiæ sensui acquiescant.

Sanctus Gregorius *Homil.* 15. *in Ezechiel.* loquitur de unitate Ecclesiæ, quæ fuit ab initio mundi, eritque usque in finem.

Idem *in Psalm. Pœnit.* 4. docet Universalem Ecclesiam unam esse sub eodem Capite.

Idem *lib.* 2. *Moral. in Job cap.* 9. ostendit omnia bona hæreticorum opera sine meritis esse, quod ipsum probat *lib.* 7. *Epist. Epist.* 53.

Idem in Psalmum 5. ostendit Ecclesiam usque in sæculorum finem esse mansuram.

Idem *lib.* 26. *Moral. in Job* in prolixo Sermone de Arca Noe colligit, quidquid dici potest de Ecclesia.

Idem *lib.* 3. *in Reges* docet Synagogæ gloriam ad Ecclesiam fuisse translatam.

Sanctus Ambrosius *lib. de Abraham* Ecclesiam Rebeccæ comparat potum Eliezero præbenti, ibique elegantem instituit similitudinem.

Idem *lib. de Fide Orthodoxa contra Arianos* docet quam perniciosi sint Hæretici Ecclesiæ.

Clemens Alexandrinus *lib.* 1. *Pædagog. cap.* 7. Ecclesiam tamquam scholam exhibet, ubi fideles veritatem, solidamque pietatem condiscunt.

Sanctus Hieronymus in hæc Psalmi 39. verba, *Annuntiavi justitiam tuam in Ecclesia Magna*, Deo gratias agit eo quod ad Ecclesiam suam ex omnibus terrarum partibus homines evocaverit, & quod illam in universum terrarum orbem latè protenderit.

Idem *in Dialogo contra Luciferianos* Ecclesiam cum Arca Noe comparat, quæ omnia animantium genera complectebatur, postquam ostendit in Ecclesia tot mortales adeo moribus inter se diffidentes contineri. Hoc ipsum ostendit in caput 11. Isaiæ.

Idem *in cap.* 23. *Jeremiæ* docet Hæreticos esse sine missione, ac perperam Apostolico sese ingerere ministerio.

Idem *lib.* 1. *in cap. 6. Oseæ* in hæc verba; *Væ eis, quoniam recesserunt a me*, flagitiosam Hæreticorum vitam describit.

Origenes *lib.* 1. *in Job* ostendit, quomodo Hæretici insurgunt in Ecclesiam, eamque depopulantur.

Idem *Homil.* 7. *in Ezechielem* tradit, quomodo Hæretici hypocrysi sua, fucatisque virtutibus os populis subliniunt.

Tertullianus *libro de Præscriptionibus cap.* 19. docet, nihil contra Hæreticos Scripturæ auctoritatem proficere; illam enim eludunt, ac pro modulo suo interpretantur; sed Ecclesiæ unius esse verum ejusdem sensum declarare.

Sanctus Chrysostomus Homil. 36. in primam Sancti Pauli ad Corinthios Epistolam, primævæ Ecclesiæ statum ostendit, eumque cum ævi sui Ecclesia comparat.

Idem *Serm.* 6. *in Epist. ad Ephes.* ostendit primos fideles toto cœlo sanctiores, æquioresque fuisse, quam hodierna sint die.

Idem *Homil.* 23. *ex Imperfecto opere in cap.* 8. *Matth.* prolixam instituit comparationem inter Ecclesiam, ac navim mari agitatam.

Idem *Homil.* 48. *ejusdem operis in cap.* 24. *Matth.* ostendit quomodo hæreticorum auctus est numerus.

Idem *Homil.* 19. *in cap.* 7. *Matth.* dolos aperit, quibus utuntur Hæretici, ut fucum populis faciant.

Sanctus Cyprianus egregium edidit librum *de Unitate Ecclesiæ*, ubi plurima, eaque optima hujus habet argumenta, de quo passim etiam in operibus suis verba facit.

Sanctus Basilius *Epist.* 3. docet, quam late Ecclesia ævo suo fines protendisset, licet Ariani eam misere divexarent.

Vincentius Lirinensis *in Comm. cap.* 3. ostendit eas esse Catholicas veritates, quas ubique tradit Ecclesia.

Sanctus Bernardus *in Serm. ad Pastores in Synodo* acriter queritur, quod mali fideles sævius persequuntur, quam tyranni, & hæretici.

Cantic. 2. Idem *Serm.* 65. *in Cantica* hæc explicans verba: *Capite nobis vulpes parvulas*, ad vivum describit mores, ac versutias Hæreticorum.

Apolog. aliique. Sancti Justinus, & Irenæus plura habent notatu digna de Ecclesia, & Hæreticis.

Petrus Canisius *Tom.* 1. *cap.* 1. *de Doctrina Christiana*.

Marchantius *in Horto Pastorum Tract.* 1. *sect.* 6. & 11.

Bellarminus *de Ecclesia*.

Morel libro de Ecclesiæ infallibilitate, cui titulus, *l'Oracle de la Verité*.

P. Guilleminot in libro, qui inscribitur, *la Sagesse Chrestienne* cap. 7.

Tridentini Concilii Catechismus in Symbolum Apostolorum.

Bzovius.

Maimbourg in Tractatibus de Controversiis; Tractatu de vera Ecclesia.

Methodus pacifica ejusdem Auctoris.

P. Thomassinus de Ecclesiæ Unitate.

Pelisson, Tractatu de Ecclesia.

Tractatus de Ecclesiæ Unitate, vel refutatio novi systematis Domini Jurieu.

Infiniti propemodum sunt Controversistæ, ac Theologi Scholastici, qui argumentum hoc pertractarunt, ac inter alios Maranda Tomo 2. Theologi Gallici, amplum edidit de Ecclesia Romana tractatum.

Mathias Faber in Opere Tripartito *Tom.* 2. & 3. *Conc.* 8. & 9. *in Dominicam primam post Pentecosten. Item Conc.* 8. *in Domin. II. & III. post Pentecosten.* Concionatores nuperi.

Molinier, Sermone pro feria sexta post quintam Quadragesimæ Dominicam.

Pater le Jeune, Presbyter Oratorii Sermone de Providentia Dei in Ecclesia contra hæreses.

P. Texier, Sermone pro feria quinta post alteram Quadragesimæ Dominicam de unitate, ac infallibilitate Ecclesiæ.

Joly propositione pro secunda post Pascha Dominica loquitur, de obedientia, quam debemus Ecclesiæ, & in quo hæc obedientia consistat.

Maimbourg Sermone pro feria secunda post secundam Quadragesimæ Dominicam de prærogativis Cathedræ Sancti Petri.

In Christianis lectionibus P. Simonis a Virgine ex familia Carmelitarum Sermo de Ecclesiæ qualitatibus invenitur.

P. Bourdaloue in secundo Panegyricorum tomo, Sermone pro die festo Sancti Petri.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta in Adventu Tomo 1. quemdam habet de Ecclesiæ infallibilitate Sermonem.

Idem in Dominicali Tomo 3. feria 2. Pentecostes Sermonem habet de Ecclesia, ubi ostendit ad eam pertinere Veritatem, & Sanctitatem.

P. Ludovicus Granatensis. *Titulo Ecclesia.* Qui collectanea ediderunt.

Lohner. *Titulo Hæresis.*

Busæus in Panario. } *Titulo Hæretici.*
Labatha. }

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento.

Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Psalm. 2.

Apud te laus mea in Ecclesia magna. Psal. 21.

Deus fundavit eam in æternum. Psalm. 47.

Civitas Regis magni. Psalm. 47.

Mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem. Psal. 67.

Dominabitur a mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terrarum. Psal. 71.

Sæpe expugnaverunt me à juventute mea, etenim non potuerunt mihi. Psalm. 128.

Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Cant. 4.

Terribilis ut castrorum acies ordinata. Cant. 6.

Civitas Dei. Isaiæ 45.

Mons domus Domini in vertice montium. Isaiæ 2.

Selium Domini. Hierem. 3.

Vinea electa. Hierem. 2.

Regnum æternum. Daniel. 2.

Potestas ejus à mari usque ad mare, & à fluminibus usque ad fines terræ. Zach. 9.

Vocabitur Jerusalem civitas veritatis. Zach. 8.

Cavete à falsis Prophetis. Matth. 7.

Venit inimicus homo, & superseminavit zizania. Matth. 13.

Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi; omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate, & facite. Matth. 23.

Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Matth. 18.

Simile est regnum cœlorum grano sinapis, &c. Matth. 13.

Simile est regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampadas suas, exierunt obviam sponso, &c. Matth. 25.

Simile

Simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti. Matth. 13.

Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi. Matth. 28.

Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua. Luc. 22.

Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Matth. 16.

Regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis. Luc. 1.

Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet. Joan. 10.

Erit unum ovile & unus Pastor. Ibidem.

Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. 1. ad Corinth. 3.

Vos estis corpus Christi, & membra de membro. Ibidem cap. 12.

Ut non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris. Ad Ephes. 4.

Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios autem Pastores, & Doctores, ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi. Ibidem.

Ipse est caput Ecclesiæ, qui est principium, &c. Ad Coloss. 1.

Vos estis cives Sanctorum, & domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu. Ad Ephes. 2.

Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea: ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid ejusmodi, sed ut sit sancta, & immaculata. Ad Ephes. 5.

Ecclesia quæ est domus Dei. 1. ad Timoth. 3.

Dedit (Christus) semetipsum pro nobis; ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Ad Titum 2.

Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis. 1. ad Timoth. 3.

Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem devita, sciens quia subversus est, qui ejusmodi est, & delinquit, cùm sit proprio judicio condemnatus. ad Titum 3.

Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci. Ad Hebr. cap. 13.

Maledictionis filii (Hæretici) derelinquentes rectam viam erraverunt. 2. Petri 2.

Arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ, sydera errantia. Epist. Judæ.

Murus civitatis, habens fundamenta duodecim & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni. Apocal. 21.

Exempla, & figuræ ex Veteri Testamento deprompta.

Hæc formatio Ecclesiæ figura.

PRima, eaque vetustissima figura, quæ nobis Sanctam exhibeat Ecclesiam ex Sancti Augustini, aliorumque plurimorum Patrum sententia, Eva est, quæ efformata fuit ex costa Adæ dormientis. Notatu dignum est, Scripturas ad primæ hujus mulieris formationem exprimendam ea uti voce, quæ ad alicujus ædificii substructionem refertur: *Ædificavit Deus costam in mulierem;* Ecclesia enim in sacris literis exhibetur sub nomine ædificii Dei manu constructi, & cujus Salvator ipse & Architectus est, & primus lapis, & fundamentum. Quemadmodum autem Eva educta fuit ex primi hominis latere, ita quoque, Sancti Doctores inquiunt, Ecclesia ex latere Christi morientis educta est, cum ille oculos clauderet mortis somnum edormiturus. Ut propositæ insistamus allegoriæ; Ecclesia hæc JESU CHRISTI Sponsa vocatur, quam ita dilexit, ut vitam suam tradiderit, sanguinemque effuderit ad eam abluendam, eique omnem rugam, labemque, ut loquitur Apostolus, abstergendam. Ab illa omnes fideles spiritualem consecuti sunt nativitatem, per illam facti sunt Filii Dei, qui illam matrem suam vocant, eo quod ipsis gratiæ vitam contulerit; hæc illos nutrit, ac fovet sinu suo; & per hanc vitam æternam consequentur, donec illi subjecti fuerint, obtemperaverint, ac fideliter adhæserint.

Genes. 2.

Alia Ecclesiæ figura est Arca Noe.

Arca Noe alia est Ecclesiæ figura, immo illa, qua Sancti Patres crebrius utuntur indigitaturi extra Ecclesiam nullam sperandam esse salutem. Et profecto figura naturalis est, ac in pluribus rebus consistit. Primum cum illi solum, qui in Arcam hanc sunt ingressi, effugerint ex universali cataclysmo, quo reliqui omnes absorpti fuerunt; ita illi tantum, qui sunt in Ecclesia, eique fideliter hærent, æternam effugiunt calamitatem. Secundò, quemadmodum in Arca & boni simul erant, & mali, videlicet Sem, & Japheth cum fratre Cham, ibique homines cum quolibet ferocissimarum belluarum genere permanebant; ita quoque Ecclesia non ex justis tantum, bonisque viris coalescit, sed etiam ex improbis, ac nequam, qui non separabuntur, nisi cum illos divider Deus. Tertiò, sicuti filii Noe patientes permanere debuerunt in Arca inclusi, donec diluvium debacchatum est, ne aquis submergerentur una cum gigantibus, qui erant super terram; ita etiam fideles debent permanere in Ecclesia usque ad hujus vitæ finem, neque ex hoc asylo pedem proferre, ne cum profugis, atque apostatis pereant, qui ab ea recesserunt, & in nullam reditus spem ad interitum properarunt.

Jacob, & Esau in sinu Rebeccæ figura fuit eorum quæ fiunt in Ecclesia.

Rebecca semper habita fuit veluti Ecclesiæ figura; & pugna duorum filiorum ejusdem Jacob, & Esau in sinu illius, tamquam imago eorum, quæ erant eventura, & quæ eveniunt quotidie in illa: hæc enim Ecclesia sæculorum omnium decursu interiores eas sentiet dilaniationes, quas Rebecca semel tantum experta est. Hæc in se continebit duos populos, quorum alter erit bonorum, piorumque fidelium, alter verò hominum nequam, & corruptorum. Hi populi se se ultro, citroque jugi bello lacessent. Si justi tantum essent in Ecclesia, vel ibi impii solum invenirentur, pauciora ibi fortasse bella occurrerent. Bonis zelus non esset pro malorum conversione; malis nulla cupiditas esset bonos pervertendi, persequendique. Sed bellum, quod illius viscera torquet, ad finem usque mundi vigebit; namque ex eodem Rebeccæ sinu, hoc est ex sinu ejusdem Ecclesiæ carnalis populus egredietur, quem exhibet Esau, & alter spiritualis, qui exhibetur in Jacob, & pertinet ad JESUM CHRISTUM.

Core, Dathan, & Abiron primi præbuerunt exemplum schismatis, hic eorum supplicium.

Væ dilaniatoribus Ecclesiam; participes non erunt promissionum JESU CHRISTI, & ab eo severissima tantùm supplicia debent præstolari. Terra dehiscit sub pedibus eorum, qui unitatem infringunt; illa se ipsam, ut ita dicam, discerpit, ut in abyssum detrudat eos, qui mysticam Redemptoris tunicam lancinant; & Spiritus Sanctus per os David locutus ad capita adeo detestabilis facinoris alludebat, cum dicebat; mortem super illos irruere, & viventes adhuc descendere in infernum, quemadmodum illuc descenderant Core, Dathan, & Abiron, qui primi præbuerunt exemplum impiissimæ successionis; cum defecerunt a Moyse, & usurpare ausi sunt Sacerdotium, quod Deus Aaroni destinaverat.

Synagoga Ecclesiæ figura.

Sinagoga fuit Ecclesiæ figura; & Aaronis Sacerdotium JESU CHRISTI Sacerdotium exhibuit; nec non potestas, & jurisdictio Moysi, ejusque successoribus tradita docendi, explicandique legem Dei imago fuit majoris potestatis, & jurisdictionis toto Cœlo amplioris, quæ deinde Sancto Petro, ejusque successoribus fuit collata. Sacerdotium, jurisdictio, & cathedra Synagogæ initium quidem

nacta sunt in Moyse, & Aarone; finem verò post Salvatoris Ascensionem, & promulgationem Evangelii; quemadmodum enim assurgente sole umbræ evanescunt; ita figuræ quoque dissipatæ sunt, ubi veritas illuxit. Tunc Moysis cathedra, ut Origenes inquit, immutata est in Ecclesiæ Cathedram, quæ cathedra est JESU CHRISTI. *Post adventum Christi sedent Apostoli super Cathedram Ecclesiæ, quæ est Cathedra Christi.*

Tract. 24. in Matth.

Successio Pastorum in Synagoga figura est Successionis, quæ est in Ecclesia.

Donec perstitit Synagoga a Moyse ad JESU CHRISTI adventum numquam defuit legitima Pastorum successio, & cum Pastorum successione vera doctrina, & jurisdictio semper ibi viguit, licet virtus, & sanctitas Moysis, & Aaronis ibidem non perseveraret, & Prophetæ sæpe redarguerent Pontifices Synagogæ avaritiæ nomine, ambitionis, injustitiæ, & negligentiæ, qua gregis sui curam gerebant. Inter morum eorumdem corruptionem, ac vitæ flagitia semper ibi reperimus legitimam Pastorum successionem, quibus auctoritas aderat, & doctrina; cum Divina Providentia numquam permiserit, ut vitia, ac scelera præverterent ordinem a Deo constitutum, & potestas atque doctrina, quæ ab ipso profecta erat, interiret, vel cum moribus corrumperetur; itaut quamvis Pontifices, ac Doctores, ut plurimum essent flagitiosi, Moysis cathedra ubi præerant, & dignitas, quam a Deo obtinebant, non sineret in doctrina aberrare; sed illos quodammodo cogeret bene loqui, etiamsi male viverent, inquit Sanctus Augustinus: *Cathedra Moysis cogebat eos bona dicere, etiam non bona facientes.* Hoc ipsum illis testimonium perhibuit CHRISTUS JESUS, admonens Discipulos, ut doctrinam quidem Scribarum, & Pharisæorum audirent, & sequerentur; verumtamen caverent, ne post eorum abirent exempla, vitamque juxta eorum mores componerent. Hoc ipsum potiori jure de Ecclesia dicendum est; Synagoga enim, cui successit Ecclesia, nequaquam majora, quam hæc, ampliora que habere debuit privilegia.

Exempla, vel probationes ex Novo Testamento.

INutile reor ostendere a JESU CHRISTO Ecclesiam fuisse institutam, vel Ecclesiam illius Regnum esse, hæreditatem, possessionem: ex quo enim Christiani sumus, novam illius sequimur legem, & doctrinam amplectimur; jam credimus unam Ecclesiam, quæ Divino ejusdem Spiritu gubernatur, quam ipse constituit doctrinæ suæ sequestram, & extra quam nemo salutem consequi potest. Quamobrem satis est præcipuas ejusdem proprietates inquirere in novo Testamento ex aliquot factis, vel parabolis, quæ palam, & liquidò easdem indigitent.

Ecclesia Filii Dei ædificata super S. Petrum, qui ejusdem visibile caput, atque fundamentum declaratur.

Nulla in Evangelio veritas clarius expressa invenitur, quam primatus Sancti Petri, quem Dei Filius Ecclesiæ suæ caput per hæc verba constituit: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Verba, quæ illi dicta fuere post gloriosam illam confessionem, qua Petrus palam Magistri sui divinitatem fuerat professus: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Etenim ad remunerandam hujus Discipuli fidem, qui non ex carne, & sanguine, sed per Æterni Patris revelationem didicerat quidquid Messiæ personam respiciebat: Ad remunerandam, inquam, hujus discipuli fidem, Dei Filius illum petram fundamentalem declaravit, super quam ad fidem hanc tuendam Ecclesiam suam erat constituturus. Ob id; testatus deinde est, se pro eo preces fudisse, ne unquam fides illius interiret; *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua:* Ob id illi curam pascendi oves suas commisit postquam charitatis non secus ac fidei illius periculum fecisset: *Simon amas me? Pasce oves meas.* Ob id tradidit illi claves Regni Cœlorum, & ligandi, solvendique facultatem est elargitus. Quam dignitatem Apostoli reliqui numquam in dubium vocarunt; quam primi Ecclesiæ

Luc. 22.

Joan. 21.

Patres in successorum illius persona recognoverunt, velut eam, quæ vinculum, & nodum unitatis Ecclesiæ constituit.

De Ecclesiæ infallibilitate in materia doctrinæ.

Ecclesiam autem nec falli, nec fallere posse in doctrinæ materia satis liquidò ostenditur per hæc verba; *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam;* hæ quippe inferorum portæ non aliæ profectò sunt, quàm error, & vitium. Hoc palam adimpletum est, quia neutrum contra veram prævaluit Ecclesiam, videlicet contra Cathedram Sancti Petri, & Ecclesiam Romanam, quæ nullum docuit errorem, nullumque probavit auctoritate sua vitium; sed e contra a corpore suo omnes avulsit Hæreticos, vitiumque, ubiubi deprehensum fuit acerrimè est persecuta.

Voluit Deus, ut ad Ecclesiam confugeremus de Religionis nostræ veritatibus erudiendi.

Deus, ut hominum saluti consuleret, eos interioribus vocare gratiis consuevit, eorum cor movere, eosque convertere; sed mox illos ad Ecclesiæ Ministros remittere de iis erudiendos, quæ credenda essent, atque facienda. Ita Angelus missus fuit ad Cornelium Centurionem, non ut illum edoceret, sed ut auctor esset, ut ad se Petrum, qui erat in Joppe accerliret. *Hic dicet tibi, quid te oporteat facere.* Nonne hoc brevius fieri potuisset, si Angelus ipse illum edocuisset? Sed sciremus, volebat Deus non ab Angelis, sed ab hominibus nos esse erudiendos. Verum Sancto Augustino magis mirum videtur, quod Sanctus Paulus, qui gentium doctor atque institutor futurus erat, & cui Salvator apparuerat, ut illum converteret, ad Discipulum nomine Ananiam mitteretur; *Surge, & ingredere civitatem, & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere.*

Act. 10.

Act. 9.

Ecclesia bonos, malosque suo sinu complectitur.

Dei Filius pluribus parabolis, ac similitudinibus in Evangelio declaravit, in Regno suo, hoc est in Ecclesia, homines malos sæpe cum bonis permixtos esse, atque confusos. Hoc significat parabola lolii bonis frugibus commixti; similitudo areæ, ubi palea est confusa cum tritico; comparatio retium in mare projectarum ad capiendos pisces, quibus omnia eorum genera intercipiuntur; parabolam Virginum, quarum aliæ, quæ sapientes erant, oleum comparaverant, quo alerent lampades suas, quibus accensis venienti Sponso obviam erant ituræ; aliæ verò, quæ fatuæ, oleum in lampadibus suis non attulerant; quas omnes parabolas, ac similitudines ipse Dei Filius explicat de mixtione bonorum, & nequam, quos aliquando separabit, quemadmodum ipse testatur.

Applicationes.

Ecclesia super solida fundamenta constituta est.

ECclesia, quæ est Domus Dei. *1. ad Timoth. 3.* Admiramur sapientis hujus Architecti peritiam, qui ædificii hujus fundamenta jacere novit, ejusque omnes dimensiones ritè persecutus est. Non ædificavit eam in mobili arena; Etenim furentes procellæ, quæ toties debacchatæ sunt, eam millies, iterumque millies evertissent, sed super vivum lapidem, ubi fluctibus, ac tempestatibus necquiquam concutitur. Hic vir Sapiens est Filius Dei, ipsa videlicet Sapientia, quæ domum hanc non extruxit super mobilem humanarum opinionum arenam, sed super inconcussam fidem illius, cui Petræ nomen attribuit. Desæviere cum maxima sanguinis effusione trecentis annis persecutiones: hæreses secutæ sunt exercitus plurimorum Regum, & Imperatorum, ac pluribus sæculis viguere, sed hæc Domus cum solida jecisset fundamenta, semper tot ictibus restitit, & inconcussa permansit.

Ecclesia immobilis est in sententiis suis, atque doctrina.

Mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus. Apocalyps. 12. Hæc amicta sole mulier sub pedibus lunam habens ex Sanctorum Patrum sententia Ecclesia est. Amicta quidem est sole; quæ metaphora non abludit ab ea ratione, qua loquitur S. Paulus, qui cupit, Fideles JESU CHRISTI indui tamquam vestimento, videlicet, non intrinsecus tantum animari Spiritu illius, sed extrinsecus quoque ejus rei signa præseferre; & si hac

locu-

locutione uti fas est, illius colores gerere, ut ex ejusdem comitatu, & sequela esse cognoscantur. Sed quæ sequuntur verba: *& luna sub pedibus ejus*, cum luna sit inconstantiæ symbolum. Hæc inquam verba innuunt, Ecclesiam nulli esse obnoxiam mutationi, eamdemque semper esse & in sententiis, & in doctrina; cum sectæ aliæ, quæ falsò Ecclesiæ nomen sibi vendicant, indesinenter mutentur, & quid sequantur, ignorent.

Diversitas senten. sarum, & opinionum apud Hæreticos.

Confundamus linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui. Genes. 11. Deus olim ad conterendam eorum superbiam, qui Babylonicam turrim in Cœlum usque attollere moliebantur, eorum linguam dumtaxat confudit, ita ut se se mutuò non intelligerent, neque ultro citroque sibi aperiri possent operis perficiendi consilia. Hoc ipsum permisisse videtur Providentia eo in consilio, quod inierunt hæretici Ecclesiam novam Catholicæ prorsus oppositam constituendi. Lingua eorum confusa est; se ipsos non intelligunt amplius; quotidie mutantur, ac dividuntur; ac tandem magis ipsi sibi, quam Catholicis adversantur. Hoc palam innotescit præteriti sæculi hæreses cogitanti, quæ in plurimas sectas divisæ in diversa abiere.

Ad Ecclesiam est cõfugiendum ut sensus Scripturarum habeatur.

Proteges eos in tabernaculo tuo a contradictione linguarum. Psalm. 30. Quotidie audimus, S. Augustinus ait, Scripturas aliter, aliterque explicari. Arius quidem alia ratione, & Manes alia interpretatur, & ex Sancti Verbi hujus abusu, hæreses diversæ nascuntur; *diversa doctrinæ personant, diversa hæreses oriuntur*. Quid igitur faciendum est, ne decipiamur? cui Sanctus hic Doctor respondet: *Curre ad tabernaculum Dei, id est ad Ecclesiam Catholicam, ibi protegeris a contradictione linguarum*. Hinc igitur sequitur, Sanctum hunc Doctorem censere, Ecclesiam in Scripturarum sensu falli non posse, quandoquidem ad illam remittens, ut harum explicationem percipiamus, nos nulli obnoxios fore mendacio pollicetur.

In Ecclesia tuti sumus a procellis ac naufragiis.

Imperavit ventis, & facta est tranquillitas magna. Matth. 8. Quærunt Sancti Patres quænam sit hæc navicula, in qua Dei Filius discipulos suos a naufragio eripuit, & ubi furentes ventos sedavit. Sanctus Bonaventura inquit, hanc esse Ecclesiam Catholicam, ubi perfecta invenitur malacia: hæreses verò, schismata, errores a vera religione profugos perturbare; hos vehementissimis agitari procellis, eosque funestissimis perire naufragiis, quibus jure objiciuntur, quia a felici hac navicula, in qua tutò perstitissent, recesserunt. Quod ad nos pertinet, tuti sumus a tempestatibus; ac nostrum tantummodo est certam facere salutem nostram, quia sumus in hac fortunata navi, quæ veluti altera Arca nos a diluvio tuebitur.

Quænam sint claves Regni Cœlorum S. Petro, aliisque Apostolis datæ.

Dabo tibi claves Regni Cælorum, &c. Matth. 16. Claves, quas Dei Filius tradidit Ecclesiæ suæ, atque Sacerdotibus in Apostolorum persona commendavit, sunt clavis scientiæ, & clavis potentiæ: clavis scientiæ ad definiendum quod ad fidem, moresque pertinet, quid credendum, quidque faciendum sit: clavis potentiæ ad ligandum, atque solvendum, ad judicandum, & absolvendum; ad Cœlum claudendum, atque aperiendum. Scientia hæc in Ecclesia deesse non potest, neque hæc potentia revocari: non enim propter hominum vitia amittuntur, cum inseparabiliter hæreant ministerio, quod exercent, & caracteri, quo induti sunt.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, ac sententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

N*Obis & hæreticis nec fides, nec Ecclesia communis*. Cyprianus Epist. 73.

Extra Ecclesiam non est salus. Idem.

Ad Petri cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est. Idem, lib. 2. Epist. 3.

Credendum est testimonio Ecclesiæ, quam veracem Christus testatus est. Idem.

Non potest Evangelium ex parte consistere, aut ex parte nutare; aut enim utrumque necesse est ut valeat, aut utrumque vim veritatis amittat. Idem.

Nulla cum talibus, nempe hæreticis, commercia, nulla convivia, nulla colloquia misceantur; simusque ab eis tam separati, quàm sunt ab Ecclesia profugi. Idem, Epist. 55.

Non potest Deum habere Patrem, qui Ecclesiam noluerit habere Matrem. Idem, de unitate Ecclesiæ.

Episcopatus unus atque indivisus est, cujus à singulis Episcopis in solidum pars tenetur. Idem.

Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, & Cathedra una monstretur. Idem.

Numerositas licèt diffusa videatur, unitas tamen servatur in origine. Idem.

Deus unus & Christus unus, & Cathedra tua super Petrum, Domini voce fundata. Idem, lib. 1. Epist. Epist. 8.

Christiana Ecclesia caretis; Christianam ergo charitatem non habetis. Augustin. lib. 2. contra Cresconium.

Etsi pro Christi nomine vivus incendereris, (extra Ecclesiam) æterno supplicio punireris. Idem, ibidem.

Ecclesia aut una aut nulla. Idem.

Ego Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret authoritas. Idem, contra Epist. Manichæi.

Ecce Ecclesia tot manifestissimis Scripturarum testimoniis commendata, prædicta & demonstrata, quid tergiversaris? Idem, contra Donatum.

Simul omnes quibus constat Ecclesia, mater dicitur; singuli autem iidem ipsi filii appellantur. Idem, lib. 2. quæst. Evang. quæst. 18.

Christianus non est, qui in Christi Ecclesia non est. Idem, Serm. 181. de temp.

Sola est, in qua opus bonum fructuosè peragitur. Idem, ibid.

Nec amare Deum, nec diligere quis potest, qui in Ecclesia ejus non est. Id. tr. 3. de Symb. c. 11.

Hæc errantes filios revocat, mortuos graviter dolet, secum perseverantes indeficienter pascit. Idem, ibidem.

Ecclesia & virgo est & parit, Mariam imitatur quæ Dominum peperit. Idem, Ser. 119. de temp.

Duo Parentes qui nos genuerunt ad mortem, Adam & Eva; Parentes qui nos genuerunt ad vitam, Christus est & Ecclesia. Idem, Serm. 109. de temp.

Congruis alimentis Ecclesia pascit, quos portat in utero, ut ad diem partus sui lætos læta perducat. Idem, tract. 4. de Symb.

Tota Ecclesia constans ex omnibus fidelibus, quia fideles omnes membra sunt Christi, habet illud caput in cælestibus. Idem, in Psalm. 56.

Si quis absque Ecclesia inventus fuerit, alienus erit à numero filiorum Dei, nec habebit Deum Patrem, qui Ecclesiam noluerit habere Matrem. Idem, tract. 4. de Symb. cap. 10.

Teneamus unitatem; præter unitatem, qui facit miracula, nihil est. Idem, tract. 13. in Joann.

Latus Christi lancea percussum est, & sacramenta fluxerunt, unde facta est Ecclesia. Idem, in Psalm. 126.

Illa quæ per universam constituuntur Ecclesiam, ab ipsis Apostolis tradita & commemorata creduntur, quamvis in eorum dictis, vel consiliis non reperiantur. Idem, lib. 2. de Bapt. cap. 7. & lib. 5. cap. 23.

Ab Jerusalem cœpit Ecclesia, & pervenit ad omnes gentes. Idem, tract. 2. in Epist. Joannis.

Ecclesiam accipite, fratres, non ii solum qui post Domini adventum & nativitatem esse cœperunt sancti, sed omnes quotquot fuerunt sancti, ad ipsam Ecclesiam pertinent. Idem, Serm. 44. de divers.

In sole posuit tabernaculum suum, id est in

manifeste. Tabernaculum ejus Ecclesia ejus, in sole posita est, quia non in nocte, sed in die. Idem, in Psalm. 18.

Templom Dei sanctum ipsa est Ecclesia sancta, Ecclesia una, Ecclesia vera, Ecclesia Catholica, contra omnes hereses pugnans, pugnare potest, expugnari non potest. Idem, lib. de Symb. cap. 5.

Hoc tenete, ovile Christi esse Catholicam Ecclesiam. Idem, tract. 45. in Joannem.

Ecclesia Catholica sola corpus est Christi, extra hoc corpus neminem vivificat Spiritus Sanctus. Idem, Epist. 50. ad Bonif.

Mater omnium hereticorum est superbia. Idem, lib. contra Epist. Manich.

Non posset error oboriri palliatus nomine Christiano, nisi de Scripturis malè intellectis. Lib. 83. quæst. quæst. 4.

Non ad diabolum pertinet sive quis isto vel illo modo erret; omnes errantes vult quibuslibet erroribus. Idem, lib. 1. de Past.

Hoc omnium hereticorum est, qoi rem manifestissimam in luce omnium gentium constitutam videre non possont. Idem, lib. 2. contra Parmen.

Non ob aliud sont heretici, qui Scripturas catholicas legunt, nisi quòd eas non intelligentes, suas falsas opiniones, contra earum veritatem pertinaciter asseront. Idem, lib. 7. de Genes. cap. 9.

Inter Catholicos malos & hereticos hoc interest, quòd heretici falsa credunt, illi autem vera credentes, non vivunt ita, ut credunt. L. quæst. Evang. secundùm Matth. quæst. 11.

Sub una capite Petro, omnes membra sunt Ecclesia. Idem, lib. 4. Epist.

Si vis vivere de spiritu Christi, esto in corpore Christi. Idem.

Cathedra Moysis cogebat eos (Pharisæos) bona dicere, etiam non bona facientes. Idem, lib. 4. de doctr. Christi.

Quisquis falli metuit hujus obscuritate quæstionis, Ecclesiam de illa consolat. Idem, lib. contra Crescon. cap. 33.

Quid prodest si Dominum, & blasphemas Ecclesiam sponsam, in qoa Christus offenditur? Idem, in Psalm. 88.

Deus judicabit omnes qui sunt extra veritatem, id est extra Ecclesiam. Irenæus, lib. 4. cap. 6. de unitate Eccles.

Si quis in Arca Noe non fuerit, peribit regnante dilovio; quicumque extra hanc domum agnum comederit, prophanos est. Hieronymus Epist. 57. ad Damasum Papam.

Ego portas inferi reor esse hereticorum doctrinas, per qoas illecti homines ducuntur ad tartara. Idem, lib. 3. in Matth.

Quis Hereticorum non in superbiam extollitur? Idem, in cap. 1. Abdiæ.

Heretici in semetipsos sententiam ferunt, arbitrio suo de Ecclesia recedentes; qua recessio propria conscientia videtur esse damnatio. Idem.

Heretici omnes idololatras vincunt impietate. Idem, in Isaiam.

Fateor me nunquam hereticis pepercisse, & omni egisse studio, ut hostes Ecclesiæ mei quoque hostes forent. Idem, lib. 1. contra Pelagianos.

Omnes heretici tument, omnes scientiam pollicentur. Tertull. lib. de præscript.

Si heretici sunt, Christiani esse non possunt, Idem, ibidem.

Facilius est solem extingui, quàm Ecclesiam obscurari. Chrysost. Hom. 4. de verbis Dom.

Viperea hereticorum vitate colloqoia, nihil vobis commune sit cum iis, qui solo sunt nomine Christiani. S. Leo, Serm. 18. de Pass. Dom.

Hereticorum & schismaticorum venena vitate, quemque circa eos odium sectamini; scitis ipsi, quod nullus mihi nec pacificos quidem sermo cum eis unquam fuerit. Ajebat S. Antonius moriens. S. Athanasius in vita S. Anton.

Diversis locis sunt diversa, sed una mater superbia omnes hereses genuit, sicut una mater Ecclesia Catholica omnes Christianos fideles toto orbe diffusos. Augustin. lib. de Pastor. cap. 8.

Ecclesia mater est, quæ nos de Christo peperit, hæc Martyrum sanguine parturivit, hæc in sempiternam vitam peperit, & fidei lacte nutrivit & nutrit. Idem, Epist. 38. ad Læmm.

Perhibet testimonium Christus Ecclesia. August. de unitate Eccles.

Habent illi (alii Pastores) sibi assignatos greges, singuli singulos; tibi universi crediti, uni unus, nec modò ovium, sed & Pastorum omnium unus Pastor. Bernard. ad Eugenium.

Doctrina fidei una est, aliis doctrinæ multa sunt, quia à recto multis modis contingit deviare. Div. Thomas in cap. 2. Epist. ad Hebræos.

Beatitudini tuæ, id est cathedra Petri communione consocior. Ego clamito: si qois cathedra Petri jungitur, meus est. Hieronym. ad Damasum.

Illa sola est credenda veritas, qoa in nullo ab Ecclesiastica traditione discordat. Origenes tract. 29. in Matth.

Non potest abscondi civitas supra montem posita; sed Donatistis operta est, qui audiunt tam lucida & manifesta testimonia, quæ illam toto orbe demonstrant, & malunt clausis oculis offendere montem, quàm in illum ascendere. August. ad Donatistas.

Quid amplius dicturos sum, quàm cæcos, qui tam magnum montem (Ecclesiam) non vident? qui contra locernam in candelabro positam oculos claudunt? Idem tract. 2. in Epist. Joan.

PARAGRAPUS V.

Quid ex Theologia penu depromi potest ad hoc argumentum.

Accurata Ecclesiæ definitio.

ECclesia eo in sensu, in quo illam istic accepimus, est cœtus omnium Fidelium in toto terrarum orbe latè incolentium, qui eamdem profitentur fidem, eadem fulciuntur spe, & ad eumdem finem contendunt, nec non conjuncti sunt in Communione eorumdem Sacramentorum sub eodem visibili capite in terris JESU CHRISTI Vicario. Hanc notionem nobis tribuunt Sancti Patres, quæ in fidei nostræ symbolo his verbis exprimitur: *Credo in unam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam*. Singulæ hujus definitionis partes satis innotescent ex iis, quæ deinceps dicemus.

Unius Ecclesiæ necessitas.

Quamvis Verbum Divinum humanam nequaquam induisset naturam, neque extitisset Homo-Deus Ecclesiæ Caput; semper tamen opus fuisset, ut corpus existeret, quod veri Dei fidem profiteretur; ideoque semper omnibus sæculis ab ipsis usque terrarum primordiis non defuit Ecclesia. Sed hæc veritas multò magis innotuit, postquam misit Deus filium, ut divinitatem suam hominibus traderet cognoscendam. Hoc enim supposito, quod in dubium revocari non potest, JESUM CHRISTUM venisse, ut homines salvos faceret, & edoceret; opus est, ut pro vero Deo agnoscatur, atque habeat adoratores, qui legem, ac doctrinam ipsius sequantur, & servent. Qui autem eum ita colunt, & norunt, vel qui se in illum credere profitentur, verè Ecclesiæ corpus componunt, cujus ille Caput est, Principium, & Finis. Veritas hæc adeo constans est, ut quicumque disputant, quænam sit vera Ecclesia, verè Ecclesiæ necessitatem supponant; & nihil adeo constanter creditur, quàm quidquid ante omnem controversiam creditur; ideoque hic est inter articulos Fidei. *Credo in unam Ecclesiam.*

Duæ præcipuæ significationes nominis Ecclesiæ.

Antequam loquamur de qualitatibus, & proprietatibus essentialibus hujus Ecclesiæ, notandum est inter plures nominis Ecclesiæ significationes duas esse præsertim, quæ ad nostrum pertinent argumentum, & quæ in Scripturis inveniuntur. Nam aliquando nomen hoc usurpatur pro cœtu omnium

fide-

fidelium, qui ab ipsis Mundi incunabulis ad hæc usque tempora extiterunt; nam quemadmodum quovis tempore una extitit vera Religio, opus fuit, unum esse cœtum, atque societatem mortalium, qui eam fuerit, sive in lege naturæ, sive in lege scripta professi. Secundò nomen Ecclesiæ in lege gratiæ in sensu arctiori usurpatur pro cœtu fidelium in eadem fide, eorumdemque Sacramentorum Communione coalescentium. Operæ tamen pretium est scire, quamquam in communi sermone de duplici hac societate verba fiant, tamquam de duabus Ecclesiis; attamen utramque unam tantùm esse, sed sub duplici, varioque statu, cum enim altera sit alterius figura, eædem creduntur veritates, quæ in altera quidem fuere promissæ, in altera verò adimpletæ, ideoque unitatem, quæ Ecclesiæ essentialis est, ibi perfectè servari.

Ecclesia bonos malosque complectitur.

Quandoquidem Ecclesia, de qua verba facimus, est cœtus fidelium, illud primum animadvertendum occurrit, hunc videlicet cœtum ex duplici personarum genere coalescere, ex bonis scilicet, & malis. Mali ii sunt, qui quamvis sint eorumdem Sacramentorum participes, eamdemque fidem habeant, ac boni, ab illis tamen & vita, & moribus discrepant. Boni verò sunt illi, qui simul conjuncti sunt non solum in ejusdem fidei professione, & eorumdem Sacramentorum Communione; verum etiam per Spiritum gratiæ, & per vinculum Charitatis; de quibus Apostolus ait: *Cognovit Dominus, qui sunt ejus*. Quamquam autem ex quibusdam signis conjicere liceat, quinam sunt illi, qui ex numero Sanctorum sunt, hoc tamen certo sciri non potest: ideoque credendum non est, per Ecclesiam, ad quam nos Salvator remittit, & cui nos obtemperare jubet, loqui voluisse de hac Ecclesiæ parte, quam justi, & sancti componunt; eum enim ignota sit, non posset liquere, ad quorum judicium esset confugiendum, & quibus obtemperandum. Itaque Ecclesia bonos, malosque complectitur; sed quamvis Fides Catholica tamquam constantem veritatem putet, utrosque simul pertinere ad Ecclesiam: Fidelibus tamen ostendendum est, eadem fide edoceri, tantum esse discriminis inter duas hasce partes constituentes Ecclesiam, quantam paleam inter, ac triticum, quæ promiscuè in area sunt; & quantum inter sana, & mortua membra, quæ sunt in corpore eodem.

2 ad Tim 2.

Calvinistæ Catholicos arguunt, quod male Ecclesiam definiant.

Calvinistæ injustè, ineptèque Catholicis objiciunt Theologis, quod malè corpus tantum Ecclesiæ definiant, prætermissa charitate, quæ illius veluti anima esse debet. Supprimunt ergo, inquiunt illi, partem immo potissimam partem ejusdem essentiæ, & ex eorum sententia, addunt iidem, haberi tamquam vera Ecclesia potest privata vitæ, & charitatis societas. Quibus ita Bellarminus respondet: Animadvertendum est, Cardinalis hic ait, ex Sancti Augustini sententia Ecclesiam profectò esse corpus vivens, ex anima, & corpore compositum. Ecclesiæ anima consistit in interioribus Spiritus Sancti donis, fide, spe, & charitate; Ecclesiæ verò corpus in exteriore fidei professione, & Communione Sacramentorum. Hinc oritur, nonnullos esse ex anima simul, & corpore Ecclesiæ, ideoque interius, exteriusque conjunctos esse cum JESU CHRISTO, qui est Caput ejusdem; & hi perfectè in Ecclesia sunt, quia sunt veluti viventia membra in corpore. Alii verò participes sunt animæ Ecclesiæ, non autem corporis ejusdem, ut Cathecumeni, si fidem habeant, & charitatem. Alii denique sunt de corpore Ecclesiæ, non autem de anima; si videlicet, quibus nulla interior virtus est, sed qui aliquam ob causam, quæcumque illa sit, fidem profitentur, & sunt Sacramentorum participes sub sacro Pastorum suorum regimine. Definitio igitur, quam de Ecclesia tradunt Theologi, postremam hanc tantum rationem complectitur, qua in Ecclesia aliquis esse potest, & quæ saltem est necessaria, ut aliquis Ecclesiæ visibilis membrum esse possit; quæ quidem ratio ad Ecclesiam pertinendi omnium imperfectissima est, sed sine hac omnino in Ecclesia esse non possumus.

Hæretici male definiunt Ecclesiam.

Qui Reformatæ Religionis assertores se jactant sanè ostendunt, se falsam animo ideam concipere de vera Ecclesia, cum ajunt, & Scripturis suis evulgant, Universalem, Catholicamque Ecclesiam generalem esse eorum omnium cœtum, qui in universo terrarum orbe JESU CHRISTI Evangelium profitentur, hanc verò in plures particulares Ecclesias esse divisam, quarum aliæ puræ sunt, impuræ aliæ; aliæ quidem Hæreticæ, & aliæ Schismaticæ, quæ nihilominus omnes sunt Ecclesia JESU CHRISTI; quemadmodum homo mendax, semper homo est, licet mendax. Præclaram sane similitudinem! Non sentiunt isti, hominis essentiam non esse positam in verbis; & Ecclesiæ quidem essentiam esse docere veritatem, Catholici verò Christiani esse eamdem credere! Nonne hoc est ex mystico JESU CHRISTI corpore corpus monstruosum efficere, ex veritate, & mendacio, ex fide, hæresique compositum? Principium hoc nonne manifestam contradictionem involvit; namque Hæreticum, & Schismaticum esse, sanè est esse extra Ecclesiam. Nonne unitas, infallibilitas, veritas, aliæque omnes essentiales Ecclesiæ JESU CHRISTI veritates hac una opinione evertuntur?

Una tantum est Ecclesia.

Facile flagitiosi homines, Hæreticique sibi persuaderent, Religiones omnes, quæ verum Deum confitentur, bonas esse: si enim hoc verum esset, nemo conscientiæ stimulis torqueri deberet, quamcumque sectam adoptet, & integrum cuicumque esset pro modulo, ac libidine sua Deo servire. Cum Deus sit veritas per essentiam, mendacio coli non potest; ideoque opus est, cultum, qui eidem præbetur, fidei inniti, quæ sit veritati conformis. At veritas perfectè una est; nullas umquam admittere potest contradictiones; nihil æque simplex est, ac ejus essentia, quæ indivisibilis est. Cum igitur unitas adeo sit intrinseca veritati, & a natura ejusdem superari minime possit, quomodo veritas pati posset ingentes illas contradictiones, quæ necessariò in fide duarum Religionum oppositarum, duarumque Ecclesiarum deberent occurrere? Tandem enim, ut duæ fiant Ecclesiæ, duæque Religiones, opus est, ut inter se differant aliqua in re magni momenti, quæ vel ad divina, vel ad morum disciplinam pertineat. Hoc in casu fieri nequit, ut utraque fides vera sit; veritas enim essentialiter adhæret unitati, & varietatem ferre non potest; ideoque fieri nequit, ut utraque Religio sit bona, & utraque Ecclesia sit vera.

Variæ Theologorum sententiæ, ubi nihil decisum est, variæ quidem scholas, non varias constituunt Ecclesias.

Occurrunt profectò apud Catholicos Doctores variæ, oppositæque sententiæ, & quotidie recentes agitantur in scholis quæstiones de gravissimis rebus, ubi eruditissimi Theologi inter se mirum dissentiunt. Hoc nobis passim obtrudunt Hæretici; sed facilè respondemus, Catholicos nulla in re discrepare, ubi aliquid credi jubeat Ecclesia; sed in iis tantum, ubi integrum est cuilibet, quod magis arriserit sentire, ac judicare, quippe, quæ neque Scripturis, neque Conciliis, neque Traditione definita fuere; quorum ubi accesserit decretum, omnes intellectum suum sub Cathedræ Sancti Petri, quæ eadem est, ac JESU CHRISTI, auctoritate captivant.

De Ecclesiæ unitate.

Princeps inter Ecclesiæ proprietates, quemadmodum in Niceno Symbolo memoratur, Unitas est. Hæc autem tanta mortalium multitudo latè in tot locos inter se remotissimos diffusa, Ecclesia vocatur propter rationes, quas in Epistola ad Ephesios affert Apostolus, videlicet: *Unus Dominus, una fides, unum baptisma*, & ab uno tantum invisibili Capite, alteroque visibili Ecclesia gubernata. JESUS CHRISTUS invisibile est caput illius, Pater enim Cœlestis *ipsum dedit Caput supra omnem Ecclesiam*: Caput verò visibile ille est, qui quatenus legitimus Sancti Petri Successor, Ecclesiæ Romanæ obtinet Sedem. Omnes enim Patres consentiunt, opus fuisse, unum dumtaxat esse visibile

Ad Ephes. 4.

Ad Ephes. 1.

Caput

Caput Ecclesiæ, ut ejusdem unitas constitueretur, ac servaretur. Sanctus Irenæus, Sanctus Cyprianus, Optatus Milevitanus, Sanctus Hieronymus, Sanctus Ambrosius, Sanctus Augustinus, Sanctus Basilius, &c. docent hoc ipsum. Itaque cum plures populi subjecti sunt auctoritati alicujus Principis, unum tantummodo imperium, ac unum corpus efficiunt. Ad hæc quemadmodum anima omnia corporis membra animat, ita idem spiritus fidelibus omnibus communicat gratiam. Ita ut sicut corpus humanum ex pluribus membris constat, ac omnia membra anima eadem animantur; sic mysticum JESU CHRISTI corpus, quod est Ecclesia, ex pluribus Fidelibus compositum est, in quo unus, & idem Spiritus operatur omnia, singulis, prout ipsi libuerit, sua dona distribuens. Ita omnes eandem spem habemus, ad quam omnes evocati sumus, quemadmodum idem testatur Apostolus; omnes enim idem speramus, æternam videlicet felicitatem. Denique omnes eamdem fidem sequi, ac tueri profitemur, ut, sicuti idem dicit Apostolus; *non sint schismata in nobis:* Et unum tantum est baptisma, quod Fidei Christianæ signum est, & Sacramentum.

Ad Ephes. 4. 1. ad Corinth. 1.

Ecclesia Sancta est, cur, & quomodo.

Altera Ecclesiæ proprietas Sanctitas est. Veritatem hanc ex Sancto Petro didicimus: *Vos genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta.* Sancta porrò vocatur Ecclesia, quia Dei cultui dicata est, & sanctum dici consuevit quidquid divino cultui destinatum est: & Fideles facti sunt Sancti, quia facti sunt populus Dei, cum se se illi devoverunt suscipientes baptisma, & amplectentes fidem, licet ut plurimum ea non expleant, quæ polliciti sunt: eodem pacto qui artem aliquam profitentur, eo appellantur nomine, quo illi, qui eamdem exercerent, vulgò nuncupantur, quamvis non omnia artis ejusdem præcepta sectentur. Secundò, Sancta vocatur Ecclesia, quia adhæret JESU CHRISTO, tamquam Capiti suo, qui omnis sanctitatis est fons, unde Spiritus Sancti dona, & divitiæ bonitatis Dei in omnem Ecclesiam emanant. Tertiò, Sancta est Ecclesia; hæc enim una verum offert sacrificium, atque eum fructu uti potest Sacramentis, per quæ, tamquam efficacia gratiæ instrumenta Deus veram Sanctitatem communicat; ita ut nemò verè sanctus esse possit, & in hujus Ecclesiæ sinu non esse.

Ecclesia dicitur Catholica, seu Universalis.

Tertia Ecclesiæ proprietas est, Catholicam esse, videlicet Universalem. Hoc autem nomine jure fuit appellata, nam, uti Sanctus Augustinus animadvertit, ab ortu in Occasum usque protenditur, ita ut non solum intra unius Regni, vel nationis fines non contineatur, ut terræ hujus imperia, vel Hæreticorum societates, verùm etiam sinu suo omnes homines complectatur, sive Gentiles sint, sive Judæi, Barbari, & Scythæ, ut inquit Apostolus: denique Fideles omnes, qui ab Adam ad hæc usque tempora extiterunt, atque ad finem usque mundi existent, qui veram fidem professi sunt, ac profitebuntur, ad eamdem spectant Ecclesiam. Hæc autem proprietas tutior nota est, ex qua vera Ecclesia a falsa possit dignosci.

Ad Coloss. 3.

Ecclesia dicitur Apostolica.

Ecclesia hoc appellatur nomine, quia suam ducit originem ab Apostolis, qui prædicarunt Evangelium; Ecclesiæ enim doctrina nupera non est, neque nudius tertius prodire cœpit, sed eadem est, quam docuerunt Apostoli, & quæ eorum ministerio in omnem terram latè se effudit. Ideo Nicenæ Synodi Patres, afflante Deo, cum ostendere vellent quænam esset Catholica Ecclesia, in Symbolo Apostolicæ nomen addidere.

De Ecclesiæ infallibilitate.

Ecclesia non esset amplius Ecclesia JESU CHRISTI; si errasset, vel errare posset in fide; fidei enim, doctrinæque veritas, atque puritas essentialis est Ecclesiæ, quam JESUS CHRISTUS constituit. Hæc illius est definitio, vel ut cum Theologis loquar, est illius forma essentialis. Cum autem Ecclesia semper subsistere debeat, secundum Scripturas; debet quoque in fide inconcussa esse, & infallibilis. Quærenda igitur in terris Ecclesia est, de qua adimpleri valeant hæc JESU CHRISTI verba: *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam;* & altera illa promissio, qua præsidium suum eidem recipit numquam defuturum. Quid factum esset de omnibus hisce promissionibus, si verum esset, quod novatores effutiunt, veram doctrinam defuisse Pastoribus Ecclesiæ ante hoc tempus annos mille, vel etiam ducentos; Doctores ejusdem prædicasse mendacium; Antistites, Concilia, Pontifices errasse, novosque Prophetas, Apostolosque suscitasse intermortuam fidem; veritatem, quæ exulaverat revocasse, Evangelium, quod perperam intelligebatur, explicuisse; extinctum accendisse lumen; diruta fundamenta restituisse, ac denique collapsum Templum eversamque Ecclesiam iterum ædificasse? Ita nonnulli ex eorum Auctoribus loquuntur; verum enim verò ullane dictis eorum species inest veritatis? Hæc si deesset Ecclesiæ infallibilitas, incertiores essemus in iis, quæ ad fidem pertinent, quam Pyrrhonici olim in scientiis humanis. Quis tutò affirmaret Scripturarum libros esse Canonicos, si Ecclesiam, a qua nobis exhibentur, falli posse crederemus? Cum etiam mihi persuasum esset, hoc Dei verbum esse, Sacra Biblia; non tamen satis est illius assequi literam, quandoquidem literam occidere, Div. Paulus testatur, & docet experientia, Hæreticos omnes eidem mordicus inhærere. Sensus igitur tenendus est; quinam verè hunc mihi aperiret, nisi illum mihi traderet Ecclesia, quandoquidem ad illam jubeor confugere, eamque audire? At si hæc Ecclesia in fide me decipere potest, in periculum adducor, ut fallar, cum ad illam consulendam remittor.

Opus erat, ut in Ecclesia Cathedra veritatis adesset.

Opus erat, in Ecclesia Cathedram veritatis adesse, ubi Deus veram pro fide, moribusque sapientiam doceret, ut ad eam, ubi occasio se se offerret, ac urgeret necessitas, consulendam possemus confugere. Dici profectò nequit hæc esse Sacra Scriptura, ut ajunt Hæretici; quia de hujus Scripturæ sensu quæstio est, & quælibet secta hunc pro se stare contendit; alioquin hoc non est disputationem dirimere, sed erroribus omnibus aditum aperire, si cuilibet integrum sit Scripturas in eum, qui sibi magis arriserit, sensum interpretari. Quemadmodum ergo non sufficit, ut in republica optimæ latæ sint leges, sed judices quoque sequiruntur, qui secundum easdem pronuncient, easque judiciis suis explicent illis, qui apud se lite contendunt, quia leges hæ se ipsas non explicant: ita non satis est, adesse in Ecclesia Scripturam certissimam, atque divinam; sed opus est judice per JESUM CHRISTUM constituto qui secundum Scripturæ sensum definiat, & in iis, quæ ad fidem pertinent, omnem dirimat dubitationem. Hoc autem omnium sæculorum consuetudine probatur; semper enim ad Ecclesiam concursum est.

De particulari Hæreticorum Spiritu.

Error, ac insanissima audacia, qua nostrorum temporum Hæretici jactant, Deum sibi verum Scripturæ sensum inspirare, ideoque se omnino certos esse de fidei suæ veritate, & dubitare non posse, quominus viam bonam arripuerint: hic error inquam, vel potius præsumptio, quæ particularis spiritus vocatur, fons est errorum omnium, ac principium, super quo mortalium omnium indoctissimi, atque pertinacissimi, si locum haberent, novam instituere possent Religionem, novamque Ecclesiam fundare illius contemnentes auctoritatem, quæ omnibus temporibus viguit, & rejicientes Conciliorum Canones, jugem Traditionem, ac unanimem Sanctorum omnium Doctorum sententiam: namque Anabaptistæ, Templarii, Sociniani, & ipsi æque affirmare possunt, se Dei Spiritum habere; & si id unum quæritur, ut alicui id altè persuasum sit; hoc illis melius, quòd Calvinistis erit persuasum; & si hoc locum habuerit; jam nulla amplius erit Ecclesia, nullum commune inter fideles vinculum, sed redigemur

omnes

omnes ad turbam hominum qui fanatismo laborant, ac suo se rapi sinunt Enthusiasmo, quorum singuli putabant se Divino Spiritu regi, quin quærant, quo spiritu alii regantur. Nulla inter homines erit amplius ratiocinatio, nulla se se illuminandi ratio; & Sophistarum impudentissimus quilibet perfracto quocumque recti sensus canone, se Dei spiritum habere, nos verò non item affirmabit. Elapsi verò sæculi deformatoribus nihil aliud fere versabatur in ore; verum ob particularem hunc spiritum quem probare nullo poterant argumento adeo acre illis bellum illatum est, ut eorumdem successores hujus puduerit sententiæ: hodie verò ad eamdem non confugiunt, nisi tunc demum, cum ad incitas redacti, quo se se vertant non habent, & quid respondere possint ignorant.

Ecclesia in fide reformari non potest.

Vera Ecclesia assentiri nequit ulli dogmatum suorum de fide reformationi; non enim esset amplius Ecclesia vera, si locum habere posset hæc reformatio. Quod autem ad reformationem abusum in praxi non generalem quidem, sed particularem, numquam hoc se indigere negavit Ecclesia; ideoque sæpe in generalibus Conciliis congregata est, nec non Synodos, & provincialia coegit Concilia, quæ in id indesinenter incumbunt. Cæterum licet hodie non viderentur etiam, ut olim homines, qui caracterem suum actionum infamia, & vitæ turpitudine dedecorarent; hoc præbere non posset ansam alicui obedientiam detrectandi Præsulibus, & Pastoribus, qui regunt Ecclesiam; non enim ideo minus veritas per os illorum se se proderet; quia non eorum inhæret personæ, sed Ecclesiæ, a qua mittuntur, quæ illis auctoritatem impertit, & nos illorum opera erudit.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, & recentioribus Concionatoribus loci hujus argumenti.

Elogium Ecclesiæ, quæ Dei opus est.

SI de Ecclesiæ perfectione judicium ferre velimus ex eo quod est, ex eo, qui illam efformavit, ex pretio, quo stetit, ex ordine, per quem viget, ex divitiis, quas possidet, ex inconcussa firmitate sua, ac tandem ex eorum sanctitate, qui illam componunt, nihil sane adeo magnum, divinum, operosum, completum, optimum, miraculosum, sanctum, ideoque nihil adeo admiratione dignum quam Ecclesiam inveniremus. Qui majori laborant cæcitate in ejusdem raperentur admirationem, atque in ea erumperent verba: *A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris*. Et sanè nihil majus, nihilque divinius est ipsa, quæ est mysticum JESU CHRISTI corpus, & pro membris habet fideles omnes; ipsumque CHRISTUM JESUM pro capite. Nihil est, quod majori steterit unquam impendio, quandoquidem pretium ejusdem fuit Dei sanguis, & vita. Nullum opus fuit tanto labore absolutum, namque ad illud efformandum, eique perfectionem tribuendam, opus fuit, ut Deus sævissimis cruciatibus tortus efflaret animam. Nulla res est, quæ meliorem sortita sit ordinem; Ecclesiæ quippe ordo, Cœli ordo est, ubi ejusdem exemplar versatur. Nihil ea locupletius invenitur, quoniam omnia cælestia bona, omnesque gratiæ hæreditas ejus. Nihil eum ea de vi, atque constantia certare potest, quippe fortior est inferis, omnibusque dæmonum conatibus, qui numquam adversus eam prævalebunt: *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Sarazin tomo 1. adventus Sermone de JESU CHRISTI amore erga Ecclesiam.*

Psalm. 117.

Matt. 16.

Ecclesia regnum Dei est super terram, & quamam felicitas sit eidem esse subjectos.

Inter maxima Dei opera post Filii ejusdem Incarnationem nihil magis elucet, quam mysticum Ecclesiæ corpus, cujus sanctitas ex sanctorum omnium sanctitate coalescit. Quidquid in terræ Imperiis emicuit nihil est, si cum Regno hoc comparetur; quia ejus latitudo nullis unquam finibus coercetur, ejusque diuturnitas æternitatem exæquat; opes verò sunt inextimabiles gratiæ thesauri, & ejus constantia nullis Inferorum conatibus potest labefactari; necnon gloria ejusdem longè plurimas numerat victorias de Atheismo, Idololatria, ac infidelitate relatas. Tantum intercedit discriminis inter hoc Imperium, ac illud Principum terræ, ut toto Cœlo præstet in hoc subditum esse, quam extra illud omnia terræ hujus sceptra obtinere. Verum quidem est satis non esse in Ecclesiæ albo describi, ut felix sis; sed verum quoque est, neminem felicem esse posse, nisi in eo descriptus sit, & ab illis, qui descripti sunt, pendere, ut felices sint; ipsa æterna felicitas in eorum est potestate, divina favente gratia, quæ illis numquam deest; & omnes esse possunt Reges, quorum Deus ipse erit possessio, ac hæreditas sine ulla divisione. *Desumptum ex libro cui titulus: Sapientia Christiana, cap. 7.*

Una est vera Ecclesia.

Nullus dubitandi locus est, quominus Dei Filius supremam obtinens auctoritatem atque potestatem a creatis quibuscumque rebus minimè pendentem, Ecclesiam instituere debuerit, quod Regnum est nulla umquam hominum, immo neque inferorum vi subvertendum. Mortalium regna, atque imperia hostilibus, quibus oppugnantur, viribus evertuntur: At nulla vis est, quæ ullam obtineat potestatem contra infinitam Hominis Dei virtutem, ideoque quidquid ille constituit, atque tuetur omnipotentia sua, inconcussum esse debet, invictum, nulla umquam oppugnatione labefactandum. Ita inexpugnabilem hanc Ecclesiæ suæ firmitatem ille prædixit, & antequam ad Cœlum ascenderet, Discipulis suis Ecclesiam hanc repræsentantibus pollicitus est, futurum ut semper suo illis adesset auxilio, atque ope gratiarum suarum usque ad Mundi consummationem. Veritas hæc adeo constans est, ut quicumque disputant, quænam sit vera Ecclesia, veræ Ecclesiæ necessitatem supponant; & nihil adeo constanter creditur quam quidquid ante omnem controversiam pro vero supponitur; atque ita negari non potest, veram Ecclesiam adesse: ea tantum agitur quæstio, ubi illa sit, & quinam sint caracteres illi ex quibus est dignoscenda. *Idem*.

Una tantum Ecclesia, & una Religio vera esse debet.

Si attentè animo reputaverimus id, quod tamquam basis, ac fundamentum Religioni verè substernendum est, liquidò innotescet, unam tantum esse Religionem posse. Basis enim, & fundamentum est veritas in iis, quæ divina respiciunt; cum enim Deus per essentiam sit veritas, mendacio sanè coli non potest; & necessariò opus est, ut qui eidem præbetur cultus, fidei, quæ conformis sit veritati, innitatur. Verum cum veritas perfectè sit una, nullam admittere potest contradictionem; & ex rebus omnibus, quatum veritas est individua, nulla est, cui magis intima sit, quam veritati. Quomodo ergo veritas simul esse posset, atque cum magnis subsistere contradictionibus, quæ necessariò deberent accedere in fide duarum Religionum, duarumque Ecclesiarum sibi oppositarum? Ut duæ fiant Religiones, Ecclesiæque duæ, differant inter se opus est aliqua in re non ita sanè contemnenda, sive hæc ad rerum divinarum, sive ad moram doctrinam pertineant: quo in casu fieri nequit, ut fides utraque vera sit, quia veritas essentialiter adhæret unitati, ac nullam pati potest diversitatem. *Idem*.

Esse nequeunt duæ veræ Ecclesiæ, vel duæ Religiones.

Quæcumque diversitas oriri possit in facto Religionis, duas veras Ecclesias nequit efficere. Et constat ratio; vel enim hæc diversitas finem Religionis evertit, vel secus; si illum minimè evertit, velati varietas externorum rituum, qui pro temporibus, locisque mutari possunt, hæc non efficiet essentialem distinctionem, & unitatem, quæ a veritate divelli non potest, nequaquam infringet: Sin autem illum evertit aliqua re, quæ sit eidem opposita, eos; qui illum sectabuntur inter hæreticos, & schismaticos, quos Deus probare non potest, amandabit; & non solum veram

Eccle-

Ecclesiam non constituent; verum etiam cum sint veritatis, ac unitatis inimici, necessariò fiunt inimici Dei, ac falsò eumdem se colere profitentes, eidem magis adversantur, quàm qui eum numquam cognoverunt. *Idem*.

Ecclesia necessariò visibilis esse debet, & nota.

Jure quidem Sanctus Joannes Chrysostomus affirmavit futurum potius ut Sol lucere, quam Ecclesia visibilis, atque mortalibus omnibus cognoscibilis esse defineret. Noluit Deus ullam nobis superesse incertitudinem ea in re, quæ saluti nostræ omnino est essentialis. Ejus providentia, quæ latè ad omnes creatarum rerum necessitates se extendit, noluit mortalibus deesse ea in re, quæ saluti ejusdem adeo est necessaria, neque illis ea denegavit lumina, quæ æternæ felicitatis suæ viam patefacerent. Voluit Ecclesiam suam omnibus tradere cognoscendam ex caracteribus ita palam expressis, ut eam modo elato monti, modo urbi in montium verticibus positæ, modò Regno in omnem terrarum orbe latè dominanti, modò lunæ, ac soli, qui in hoc visibili mundo præ cæteris majorem lucem effundunt, comparaverit. Si aliter fecisset Deus, numquid vitio nobis vertendum esset, si remotas secuti fuissemus vias; cumque prudentia nostra non esset satis per se perspicax, ut in tanta varietate justè eligere posset, cum omnia viderentur incerta, numquid essemus redarguendi, si falsum, pro vero fuissemus amplexi? Haud ita sane; nobis columna, quæ Israelitis interdiu viam, quam secuturi erant, indigitabat; & altera ignea, quæ noctu illis prælucebat, erant profectò Ecclesiæ figuræ, quæ visibilis esse debet, ac ita palam connotata, ut nemo, nisi se ultro excæcaverit, illam non cognoscere nequeat. *Idem*.

De Ecclesiæ perpetuitate.

Sanctus Augustinus Donatistis probaturus Romanam Ecclesiam unam esse veram, tamquam invictissimam demonstrationem profert omnium Summorum Pontificum post JESUM CHRISTUM Sanctumque Petrum ad eum usque, qui ævo suo Cathedram obtinebat, successionem. Igitur si trecentorum annorum sine ullo intervallo non intermissa successio, ex Sancti hujus Doctoris sententia, invictum erat argumentum, quo Ecclesiæ veritatem, ex hoc probaret principio, quod vera Eclesia debet esse perpetua; quantò nunc temporis hæc fortior evasit probatio, cum magis hæc pateat Ecclesiæ perennitas, cum ab illius incunabulis mille, ac septingenti, & ultra excesserint anni? Confert modò cæterarum sectarum cum hac diuturnitatem. Illæ tamquam torrentes effluxerunt, qui non ex vivo fonte haurientes originem, eò facilius exarescunt, quò pernicius, atque violentius decurrunt. Ostenderunt se non aliud esse, quam errores, & illusiones, veritas enim semper subsistere debet. Neque tunc solum falsæ apparuerunt, cum esse desiere; sed tunc etiam, cum maximè vigebant, secum damnationis suæ apertissimam notam gestabant, ex eo, quod liquidò patebat, eas non ita pridem ortas fuisse; Satis noscebantur auctores, qui eas invexerant; occasiones, quæ illis locum præbuerant, tempora, quibus errores illi prædicari cœperant; tumultus, quos illæ pepererant, & omnes circumstantiæ, quæ perniciosarum harum novitatum progressibus aliquid contulerant. *Idem*.

De nuperis sectis, quæ subinde contra Ecclesiam insurgunt.

Cum in aere cometes aliquis efformatur, licet non adeo citò evanescat, ut alia quædam meteora, quæ ubi duarum, vel trium horarum spatio aliquem fulgorem emiserint, abeunt, ac dissolvuntur; liquet tamen non esse verum Cœli sydus, non solum quod perniciosissimos gignit effectus, quales sunt aeris intemperies, mortalium cædes, & lues, quæ nonnumquam latè Provincias depopulantur; verum etiam quia paucis ante id tempus diebus, mensibusve est efformatum. Hoc ipsum de sectis illis dicendum est, quas damnat Ecclesia; liquidò cognosci posset illas non esse stellas, quas Dei manus immutabili veritatis firmamento affixerit, non solum ex effectuum earumdem nequitia, quales sunt discordiæ, defectiones contra legitimas Potestates, licentia, atque crudelitas; sed etiam ratione magis peculiari ex inopinata ortus earum nativitate, quà repente, velut in aere, affulgere cœperunt, quin tot elapsis retro sæculis aliquid unquam simile extiterit. Ecclesia vera similis est toti verorum syderum cœtui in firmamento nitentium: omnes illius veritates totidem sunt sydera, & lumina, semper eodem fulgore micantia. Infernus, & quidquid est infensum veritati, illis tenebras offundere conata sunt tot falsis doctrinis; sed nitentium horum syderum lumen semper densam illam caliginem dissipavit. Quis in hoc non admirabitur divinam virtutem, sine qua fulgor inanis, si talis Ecclesiæ nitor fuisset, jampridem evanuisset? Deus unus bonum perpetuum potest efficere; ideoque Ecclesiæ adeo sanctæ perennitas palam ostendit, illius principium Deum esse, hunc eamdem tueri. *Idem*.

Hæreses tantum abest, ut Ecclesiam evertant, quod immo illam magis, magisque confirmat.

Cum Sanctus Paulus ad Corinthios dicebat, opus esse, hæreses esse, si humanitus judicium ferendum esset, videbatur, prædictionem hanc illi obesse posse, qua JESUS CHRISTUS Ecclesiæ suæ perpetuitatem portenderat: cum enim qualibet hæresis semper aliquam totius partem, & maximam sæpe partem deleret, metuendum erat, ne totum hoc tandem ad nihilum redigeretur, ubi tot imminutiones passum fuisset. Quoties enim accidit, ut nationes integræ, & nonnumquam plures simul nationes ab hoc corpore divellerentur? Attamen ejus integritas numquam deleta fuit; e contra verò hoc detrimentum duo ingentia bona semper exceperunt, quæ non nisi effectus providentiæ omnia hominum consilia excedentis esse potuerunt. Primum enim hæ secessiones plurimum contulere, ut vera confirmaretur doctrina, & accenderetur zelus fidelium jam defervescens: quamobrem cum dixisset Apostolus: *Oportet hæreses esse*, addit statim, *ut qui probati sunt, manifesti fiant in vobis*. Secundò, detrimenta, quæ secessiones hujusmodi pepererunt Ecclesiæ recentibus incrementis, sæpe majoribus etiam progressibus reparata fuere. In hujusmodi jacturis illud ipsum accidit, quod in Judæorum obstinatione: *Numquid incredulitas eorum fidem Dei evacuabit? absit*; Sanctus Paulus ait, e contra verò, quod Judæi in JESUM CHRISTUM credere noluerunt, in eorum locum Ethnici vocati sunt, & in Ecclesiam ingressi. Hoc ipsum, inquam, accidit, cum populi, qui in JESUM CHRISTUM eredebant, ab Ecclesia per hæreses, & schismata discesserunt. Deus eodem tempore fidei lumen aliis immisit gentibus, quorum conversio cum uberrimo fructu, damnum eorum secessione illatum reparavit. *Idem*.

1. ad Cor. 11.

Ad Rom. 3.

Hæretici numquam converterunt Infideles.

Quamplurimi eruditi viri animadverterunt, numquam Hæreticis vel hunc zelum, vel hanc fuisse potestatem, ut de infidelibus victoriam ullam reportarent: sed eos tantum prævertere potuisse, qui non satis essent constantes in fide, quam in Ecclesia receperant. Et constat ratio; malum enim, ut Sanctus Dionysius inquit, non aliam habet facultatem, quam diruendi, evertendique, non autem producendi, atque ædificandi; quod boni tantum est, & ejusdem contrario convenire non potest. Nostris hisce diebus in novi orbis, ac tot regnorum ad JESU CHRISTI fidem conversione hoc probavit experientia; hæ enim omnes conversiones factæ sunt, hodieque fiunt ab Ecclesiæ Catholicæ Concionatoribus, quin unquam Hæretici aliquid assequi potuerint, ne unum quidem ex barbaris illis ad fidem suam pertrahentes. *Idem*.

Lib. de divinis nomin. c. 4.

Ecclesia latè sese effudit, licet schismata hæresque adversarentur.

Nonne jure Providentiam laudibus meritis excipere, eamque admirari debemus, quod tot licèt occurrerent obices, omnesque inferorum nisus obluctarentur Ecclesiæ diuturnitati, atque extensioni prospexerit? Namque licet tot conatus obsisterent, Ecclesia ita in omnem terrarum orbem latè effusa est, ut nullum horæ punctum adsit, quo Deo non offerat Filii ipsius sacrificium, ut populos comple-

ctatur,

ctatur, qui sibimet antipodes sunt, ut ipsa una tandem sit corpus, quod omnes hominum linguas loquatur, cum per multiplicationem, atque extensionem suam id habet, quod figuratum erat dono linguarum, quod Spiritus Sanctus Apostolis communicavit, cum alioquin in adeo exiguo personarum numero citra hoc miraculum universalis videri non posset. Quis ergo non admirabitur, non laudibus prosequetur infinitam virtutem, quæ efficaciter adeo adimplevit, quod divinitus fuerat præsignatum? *Idem; Sapientia Christiana.*

Cœtus, & unio tot mortalium diversarum regionum, diversorumque inter se studiorum in eadem Religione, summum est miraculum.

Si eos consideras, qui componunt Ecclesiam, homines sunt carne, & sanguine compacti, ut alii, & inordinatis affectionibus obnoxii, quæ sunt effectus naturæ corruptæ. Ipsi suapte natura leves sunt, & inconstantes; libertatis suæ ad furorem usque zelotypi, atque osores rerum omnium, quæ illis dolorem afferunt, ac tædium: Neque sine difficultate diu pati possunt legitimæ potestatis jugum, nisi metus illos coerceat. Hi homines sunt, quibus insunt studia, vivendi rationes, ac mores magis diversi, quàm climata, ubi versantur, ac sæpe etiam ob politiæ causas irreconciliabiles sunt inimici. Quæro igitur, quomodo nam homines ipsi adeo inconstantes, adeo suæ libertatis amantes, atque rerum novorum cupidi, apti esse possunt efficiendæ Ecclesiæ constanti, atque immutabili, quæ in fidei suæ principiis nullam umquam patitur varietatem? Hi suæ libertatis idololatræ, pro qua tuenda quotidie ineunt certamina, & quam vita ipsa chariorem habent, poterunt ne diu grave Evangelicæ legis jugum ferre? Hæc adeo diversa ingenia; hi populi, quorum consilia, atque affectiones inter se tantopere distant, poterunt ne diu in eadem fide consentire, sub ejusdem Capitis unitate vivere, & in sinu matris ejusdem, in iis, quæ ad Religionem pertinent, versari? Nonne hæc illius est continuatio prodigii, quod generalis diluvii tempore patravit Deus, & quod non aliud erat, quam ejus, de quo nunc verba facimus, figura miraculi, cum bruta ipsa sibi invicem infestissima in una, eademque arca conclusit? *Pater Texier, Sermone pro feria quarta post tertiam Quadragesimæ Dominicam.*

Nullis umquam temporibus defuere hæreses, & hæretici, qui turbarunt Ecclesiam,

Primitivæ Ecclesiæ Fideles Ethnicos in admirationem rapiebant generosa, invictaque patientia, ac vitæ suæ sanctitate; hæretici vero æque in moribus, ac in fide corrupti erant in causa, ut JESU CHRISTI nomen a Gentilibus blasphemaretur, & Ecclesiæ innocentia infinitis calumniis proscinderetur. Ecclesiasticam evolvite historiam, nullum invenietis sæculum, quo Infernus aliquam recentem hæresim non evomuerit, & Dæmon non invenerit viam fallendi alicujus Ecclesiæ membri, ut hoc armaret contra corpus ejusdem. Videbitis nullum esse fidei nostræ articulum, qui impugnatus non fuerit, nullam fidei veritatem, ad quam evertendam detorta non fuerit Scriptura Sancta, ac vis verbi Dei. Fateor equidem, me nihil invenire, ubi Dei virtus, & miraculosa ejusdem protectio magis eluceat, quam conservatione Ecclesiæ, ejusque inter varias hæreses incremento. *Idem.*

Ecclesia numquam defecit tot agitata procellis.

Infinitus hæresum numerus, sexcentæ tempestates agitarunt Ecclesiam; verum tot inter procellas, hæc navis fluctibus tuta in nullos scopulos illisa est, nullumque est passa naufragium. Veritas manet; errores prætereunt. Omnes hæreses istæ eloquentia, doctrina, prudentia, & acumine Auctorum suorum nec non Optimatum, Principumque virorum existimatione, Cæsarumque armis protectæ; hæ omnes, inquam, hæreses plurimum quidem edidere strepitum, & fluctuum suorum impetu secum obripuere eos, quicumque Ecclesiæ fortiter non adhærebant; sed velut torrentes prætetierunt, ut Sanctus Hieronymus inquit: *Feruntur hæreses prono eloquentiæ cursu, quemcumque obvium, & levem invenerint, secum trahunt; sed tamquam torrentes velociter transierunt.* Et constat ratio; torrentes enim sunt originem ducentes ex hominum inventione, non autem ex fluctibus a Deo procedentibus, qui sanctitatis est fons, & origo? *Quia non erant flumina perennia de Deo, veritatis, & sanctitatis fonte. Idem.*

Deus Ecclesiæ tuetur, atque gubernat, licet flagitiosi sint ministrorū mores.

Si Apostoli, Apostolicique viri sanctitate, ac virtute præstantes fuissent non quidem instrumenta Dei, sed proprii Auctores Ecclesiæ, ubi viri illi abiissent, Ecclesia quoque defecisset. Dissimulandum autem non est, quoties vidimus, eos, qui Apostolorum obtinebant locum, virtutis eorum nequaquam hæredes fuisse, sed eam vixisse vitam, quæ ab Apostolica prorsus erat abnormis? Eorum nihilominus vitia numquam errorem invexere in doctrinam, cujus sequestres erant, & oracula; atque morum corruptio numquam illis commissæ Religionis sinceritatem corrupit. Mirum! in reliquis sectis doctrina conformis est moribus docentium; at in Christiana Religione non item. Fatendum igitur est necessariò, illius conservationem ab hominibus non pendere, & secretam adesse virtutem, virtutem divinam, quæ illius sanctitatem tuetur, & per quam illa subsistit inter juges eorum omnium conatus, qui ejus interitum sive intrinsecus sive extrinsecus machinantur. *Idem.*

Prophetæ distinctius locuti sunt de Ecclesia, quam de ipso Christo Jesu.

Prophetas distinctius de Ecclesia, quam de JESU CHRISTO fuisse locutos, Sanctus Augustinus animadvertit: cum enim de Messia verba faciunt, tunc umbris, & figuris, ut plurimum utuntur; de Ecclesia verò apertè loquuntur: *Pene ubique Christus in aliquo Sacramento a Prophetis prædicatur; Ecclesia apertè;* cujus rei exemplum, sanctus hic Doctor ait, in historia Sacrificii Abraham occurrit. JESUS CHRISTUS Crucem bajulans significatur per Isaac ligna, ex quibus pyrrha construenda erat, deferentem; mors verò JESU CHRISTI per arietis sacrificium repræsentatur. Hæ sunt figuræ; sed cum Spiritus Sanctus loquitur de Ecclesia, quæ esse debet posteritas Abrahæ secundum Spiritum, ait, posteritatem hanc in benedictiona futuram, atque ultra numerum stellarum, arenamque maris multiplicandam: *Cum cœpit Spiritus Domini prædicare Ecclesiam, abstulit figuras dicens: benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas Cœli, &c.* Cur autem distinctius de Ecclesia, quam de JESU CHRISTO verba fiunt? Duplici ex causa, Sanctus Augustinus respondet; Primum quidem, quia prævidebant Prophetæ majores de Ecclesia, quam de JESU CHRISTO contentiones futuras: *Illud clarius, & apertius præjudicatum est, unde majores lites futuræ erant.* Secundò, quia sciebat Spiritus Sanctus futurum, ut, si vera de auctoritate, atque infallibilitate Ecclesiæ conciperetur idea, nemo falli posset eam secutus doctrinam, quæ ab eadem de JESU CHRISTO aliisque salutis nostræ mysteriis traderetur. Omnes errores, hæresesque ex Sancti Cypriani sententia inde profectæ sunt, quod Præsulum Ecclesiam componentium doctrinæ acquiescere, & parere detrectatum est. *Idem Sermone pro feria quinta sequenti.*

Spiritus Sanctus regit Ecclesiam.

Quamvis Spiritus Sanctus semel tantum in Apostolos fuerit illapsus, nihilominus semper regit, & animat Ecclesiam: itaque cum hæc filiis suis leges irrogat, hoc non per se ipsam facit, sed tamquam Divini Spiritus luminibus illustrata. *Visum & Spiritui Sancto & nobis*, inquiunt Apostoli in Epistola primi Jerosolymitani Concilii ad Gentilium Ecclesiam conscripta: quam loquendi rationem Patres in Conciliis servarunt omnibus, ut innuerent se non habendos nisi Interpretes Spiritus Sancti, qui per se regens Ecclesiam efficit, ut numquam in errorem impingere, neque everti umquam possit inimicorum vi, vel ipsa inferorum rabie, ac furore. *Abbas de Monmorel. Homil. pro quarta Dominica post Pascha.* *Act. 15.*

Ecclesia judex esse debet litium, quæ in fide possunt oboriri.

Judex, quem tradidit nobis JESUS CHRISTUS ad dubitationes quascumque dirimendas, dissipandasque, Ecclesia est, quæ, ubi aliqua oborta difficultas est, in Conciliis congregata ea, quæ ad fidem pertinebant, vel decidit, vel illustravit:

Eccle-

Ecclesia hæc a Deo Homine ædificata, & Apostolorum, Martyrumque cruore oblita, contra quam portæ Inferi non prævalebunt. Pro visibilis hujus Ecclesiæ capite Salvator oravit, ut fides illius non deficeret. Igitur hujus Ecclesiæ decisionibus fidem non adhibere, & ab illa recedere, est idem, ac esse palmitem de vite Domini amputatum, qui cum nullum inde ultra succum, nullasque vires recipiat, statim exarescit, in ignem dumtaxat mittendus. *Idem Homilia pro Passionis Dominica.*

Luc 22.

Particularis Hæreticorum Spiritus.

Talis est hæreticorum caracter, ex quo error omnis procedit; Scripturæ sensum minimè intelligunt, & quin illum cum fide, & humilitate perquirant, vanitate, ac superbia tumidi volunt, quidlibet spiritus sui luminibus obsequi. Inanis argumentatio, atque ex se ipsa corruens: Salvator enim Scripturam suam tradidit nobis, ut vitæ nostræ esset norma; & si ob dignas Divina Sapientia rationes talis ibi reperitur obscuritas, ut iidem loci varias explicationes admittant, Providentiæ interfuit, supremum statuere Judicem, a quo verus eorum sensus traderetur; alioquin accideret, ut in eadem Religione unius loci fides ab alterius fide differret, & quodam tempore aliter crederetur, ab eo, quod alio creditum fuisset. Hoc inter Hæreticos accidit; cum via, per quam ambulant, tenebris obsepta sit, singulis momentis aberrant, ac nutant, quod quidem apertissimum est erroris indicium: Cum enim una sit veritas, semper eadem subsistere debet. Talis in sola Catholica, Apostolica, Romanaque Religione invenitur. Hodierna fides fides est Apostolorum; quod in Gallia credimus, creditur in Japonia, quin vel temporum successio, vel locorum longinqoitas ullam attulerint articulis fidei nostræ mutationem. *Idem.*

De Primatu S. Petri.

Joan. 6.

Ædificavit Dominus, Sanctus Cyprianus ait, Ecclesiam suam super unum Petrum, & licet similem Apostolis omnibus post resurrectionem suam tradiderit potestatem, dicens illis: *Sicut misit me Pater; ita & ego mitto vos;* nihilominus ad Unitatem ostendendam, auctoritate sua illius constituit originem in una Cathedra, & Unitatem hanc ab uno tantum descendere voluit. Apostoli reliqui idem erant, quod Sanctus Petrus, & cum eo pari facultate, ac honore fruebantur; sed ab Unitate initium ducitur, & primatus Petro confertur, ut una tantum sit Ecclesia, & una Cathedra Episcopalis. Omnes quidem Pastores sunt; sed unus est grex, quem omnes Apostoli communi consensu pascere debent. *Sanctus Cyprianus lib. de Unit. Ecclesiæ apud eumdem.*

De Hæreticis, novisque doctrinis.

Cum per Christianæ Religionis institutionem dæmon vidit, Idola subversi, eorumque deseri templa, hæreses, & schismata invexit, quibus utitur ad delendam fidem, corrumpendam veritatem, & Ecclesiæ Unitatem infringendam. Vultis ne tutò vobis contra hos filios perditionis prospicere? nulla unquam vobis incedat curiositas eorum, quæ nova appellantur: cumque vobis dictum fuerit; Christus hic est, aut illic, nolite credere, & constanter duobus hisce principiis inhærete: Primum est, Ecclesiæ fidem, extra quam nulla salus est, esse invariabilem; quod Apostolorum ævo creditum fuit, hoc hodie credi, & ad finem usque mundi creditum iri. Itaque omnis doctrina recens rejicienda est, & ad eam rite damnandam satis est, eam verè esse recentem. Alterum, cui inniti debemus, fundamentum est, Ecclesiam, in qua sumus esse universalem, unde sequitur, Christum neque in hac secta, neque in illa inveniri; nobismet igitur caveamus, ne particulare aliquod dogma sequamur: fortiter hæreamus Catholicæ Ecclesiæ; cujus fides eamdem cum ipsa jactat vetustatem, eamdemque cum terrarum orbe extensionem. *Idem Homilia pro vigesimaquarta post Pentecosten Dominica.*

Quonam in sensu Ecclesia sit columna, & basis veritatis.

Non inquit Apostolus, Ecclesiam basim esse, & columnam veritatis, ad veritatem fulciendam, quæ cum sit æquè æterna ac ipse Deus, nullo indiget fulcro, quo sustineatur; sed ex se subsistit independenter a creaturis omnibus, omnibusque cœli, terræque potestatibus. Opus est ergo, illum innuere voluisse, Ecclesiam basim esse, & columnam veritatis; quia cognitio, quam habemus de veritate, infallibili Ecclesiæ testimonio debet inniti: hæc est basis immobilis, & inconcussa columna, quæ usque ad sæculorum finem fidem nostram fulcire debet. Certi sumus de veritate, quatenus illam in Ecclesia invenimus, cui eam credidit Deus, & quæ illam fideliter servat, tamquam depositum. Hæc illa columna est, quæ sustinere debet fidei nostræ ædificium; hæc illa basis, super quam tamquam solidum fundamentum tutò potest ædificari; ubicumque extra hanc ædificetur, super arenam, quæ nihil firmum, nihilque constans habet, ædificabitur. *Desumptum ex Neoterico Auctore.*

Aliud infallibilitatis Ecclesiæ in fide argumentum.

Licet verum esset, Deum peculiari quadam cura nequaquam tueri in Ecclesia fidem veram, quam docuerunt Apostoli; licet nihil nobis prodesset testimonium, quod perhibet Apostolus, de Ecclesiæ infallibilitate, quam veritatis basim, & columnam appellat: hoc est, licet fideles non respicerentur nisi tamquam societas mortalium, qui ut reliqui facti sunt, certissimè constat, omnes fidei articulos, de quibus inter ipsos convenit, & quos uniformi credunt consensu, a JESU CHRISTO ad nos usque per Traditionem fluxisse, quin aliquis illis vel conceptus suos, vel particulares opiniones immiscuerit. Fieri nequaquam potest, ut privatus aliquis ubi pro modulo suo somniatus, vel argumentatus fuerit, novitatem hanc in omnes terrarum Ecclesias effundat, eamque illis tamquam articulum fidei obtrudat: quicumque enim hoc auderet conari, obices inveniret, a quibus absterreretur. Quomodo ergo fieri posset, ut infiniti mortales, secuti quisque naturaliter, & sine affectatione vel imaginationem, vel ratiocinationem suam, omnes in eamdem mentem incidissent? Cum testes duo de facto eodem, iisdemque ejus facti circumstantiis perhibent testimonium, nemo in dubium revocat, quominus vera dicant; dummodo inter ipsos nequaquam convenerint, quid sibi testandum sit; namque veritas sola, quæ una est, uniforme efficere potest eorum testimonium. Si quid illi excogitassent, singuli aliquid verisimile proferre studentes; quemadmodum alia fuissent eorum cogitata, necessariò varias protulissent circumstantias, in quibus discrepassent. Quamobrem uniforme testimonium Fidelium omnium qui dogma aliquod, quemadmodum illud a JESU CHRISTO per Apostolorum ministerium accepere, credere profitentur, evidens est argumentum, humanam ibi non commisceri rationem, eamque nihil de suo addidisse, illudque depositum esse, quod fidei simplicitas sine ulla mutatione, atque immixtione servavit; cum Apostolorum discipuli nihil omnino docuerint, nisi quod a Magistro suo didicerant, atque ita deinceps de manu in manum, & de sæculo in sæculum integrè, inviolateque ad nos usque tradiderit. *Idem.*

Obedientia Ecclesiæ Catholicum ab Hæretico distinguit.

Humilitas tantum, & obedientia, quæ præstatur Ecclesiæ, Catholicum ab Hæretico distinguere potest; cætera æquivoca sunt, & illusioni obnoxia. Magnificæ devotiones, Eleemosynæ plenis effusæ manibus, austeritates, jejunia fallere possunt, ac imponere; insignem quidem virtutem indigitant, si ex humili, fidelique corde fuerint profectæ, at fallacem pietatem, hypocrisimque detestabilem, si ex subdolo, & nefario animo proficiscantur. *P. Crasset, Tractatu de Fide.*

Quomodo Hæreses efformentur, & erumpant.

Ubi error aliquis oritur, statim insignis fit fidei declaratio. Hoc est primum veluti antiquæ Traditionis telum, quo novitas, quæ invehenda est, propulsatur. Deinde quoddam veluti secundum tempus subsequitur, quod tentationis appello. Jurgia, seditiones moventur; propriæ utilitatis studia mundum in diversa trahunt; ingentia corpora, magnæ proprietates excitantur; eloquentia simplaces

ces

ces fallit; Dialectica illis struit laqueos; metaphysica spiritus in ignotas regiones traducit; plurimi nesciunt, quod credunt, omnia nullo in discrimine habentes, quio intelligant, quin verum a falso dignoscant, suopte ingenio feruntur, ut in haoc, illamve partem concedant. *Meldensis Episcopus libro Relationis de Quietismo.*

In Ecclesia boni sunt, & mali.

Nisi celeriter in Ecclesiam ingrediamur, saluti nostræ prospicere oon possumus. Immo neque putemus nos in hac Arca sine cootradictione, ac labore esse posse; nos ibi fortasse vivemus uti Noe cum brutis, quæ ibi nobiscum erunt inclusa; sed quæ ubi diluvium desierit, iterum in oemora compellentur, cum interim nos pacatam super terras vitam ducemus. Nos illic persecutiones, doloresque patiemur: cum Saocto Paulo dicere poterimus, nihil nobis occurrere, nisi foris quidem prælia, intus timores. Sed væ tamco egredienti de Arca! hic non nisi ioteritum potest invenire. Ferat societatem eorum, cum quibus versatur, toleret impios, improbos, hæreticos, oisi eos fugere potest: eique sufficiat corde, ac voluntate recedere ab illis, a quibus corpore separari non potest quin charitatem infringat. *In Vitis Patriarcharum. Vita Noe.*

De Ecclesiæ infallibilitate.

Modicus tantum scosus communis usus perquiritur, ut intelligatur, falli non posse, qui Ecclesiæ lumina sequitur; quandoquidem sequitur tantum lumina Spiritus Veritatis, quo semper illustratur Ecclesia. Quis unquam rationabilis spiritus hac de re potest ambigere? Ulla ne credendi suppetit causa, Spiritom Sanctum Ecclesiæ veritatem omnem tradere, si illam in aliquo errore versari permittat. Quænam societas est lumeo inter, & tenebras? Quænam ratio inter JESUM CHRISTUM & Belial? Cur scripsit Sanctus Paulus Dei Viventis Ecclesiam esse veritatis columnam, ac fundamentum? Profectò citra blasphemiam, immo insaniam diu nequit, a Deo nos cogi, ut eam sequamur regulam, quæ nos potest in errorem inducere, occ noo lomiaa, quæ ille super nos elucere facit, ut in divinarum veritatum fide nos erudiat, ideo nobis affulgere, ut nos in errorem inducant. Deus, qui ipsa veritas est, in errorem nos coojiceret, si ulla in re nos fallere posset Ecclesia; quoniam eam a nobis audiri jubet, quio eidem ulla in re obedientiam detrectemus. Fatendum est igitor, illam in fide semper infallibilem esse, atque immutabilem. *Morel, libro cui titulus, Veritatis Oraculum.*

Ejusdem Argumenti.

Sanctus Augustinus ostendit quantum cogitationes suæ ab hæresis insanis erroribus abhorrerent, cum scripsit, se nequaquam crediturum Evangelio, nisi Ecclesiæ auctoritate compelleretur. Ita eximius hic Doctor verbo declaravit, se pro certo credidisse, Ecclesiæ auctoritatem divinam esse, & infallibilem; quoniam ait, se nequaqnam Evangelio eam fidem, quæ Scripturæ Sanctæ debetur, fuisse habiturum. Non ideo tamen innuere voluit, Ecclesiæ auctoritate Evangelium, aliasque Scripturas probari; ex quibus illa potius suam desumit auctoritatem: sed innuit, Ecclesiam ea auctoritate, quam recepit a Deo, nobis infallibiliter declarare, quinam sint libri divinitus inspirati, & qoi tamqoam in depositum sibi traditi fuere ab Apostolis; eamque divina auctoritate nos cogere, ut illos recipiamus. *Idem.*

Testimonia Hæreticorum Ecclesiæ in fide infallibilitatem probantia.

Lutherus qoodam in loco perspicuè ait, Ecclesiam Universalem errare non posse: *Universalis Ecclesia non potest errare. In respons. ad Diat. Syr. Impossibile est illam errare in minimo articulo de servo arbitrio.* Et Calvinus scripsit, cum a Sancto Paulo Ecclesia vocatur colomna, & fundamentum veritatis, indigitari, illam fidelem esse custodem, ne Dei veritas in mundo pereat; eamque unicum esse instrumentum ad veritatem retinendam: *Ne intercedat veritas Dei in Mundo, Ecclesiam esse ejus fidam custodem, quia unicum est instrumentum retinenda veritatis.* Ita infestissimis hostibus Ecclesiæ persuasum erat de veritate, quam impugnare audeot; illi præclarum contra se ipsos perhibent testimonium, fatentes eamdem io articulo fidei errare non posse: Eodem pacto quo Dæmones in Evangelio contra se, JESUM CHRISTUM Dei Filium esse fateri coguntur. *Idem.*

Lib. 4. Instit. cap. 1. §. 10.

In 1. ad Timoth. c. 3.

Ratio cognoscendi veram Ecclesiam.

Facile est dignoscere, quænam sit vera Ecclesia Dei, quæ columna est, & fuodamentum veritatis, qoam omnes inferorum vires concutere nequeunt. Ipse JESUS CHRISTUS edixit futurum ut Ecclesia hæc super Sanctum Petrum ædificaretor; igitur ex hac nota cognosci potest. Satis est intueri; quæoam Ecclesia super Sanctum Petrum fundata, roborataque fuerit, vel quænam fide conjuncta, & communionis vioculo alligata sit Sedi Principis hujus Apostolorum Romæ coostitutæ. Hæc est prima nota, quam nobis Dei filius in Evangelio desigoat ad Ecclesiam suam distinguendam; quoniam juxta illius verbum, atque mentem ædificari, attollique debet super hanc petram, veluti supra immobile fuodamentum, ut invicta fiat contra portas inferi, videlicet contra errores, & hæreses. Quod ita verum est, ut Sanctus Augustinus Donatistas probet in JESU CHRISTI Ecclesiam noo fuisse, quia non adhærebant Sedi Sancti Petri, quæ petra est, cootra quam superbæ inferorum portæ prævalere non possunt: *Ipsa est Petra, quam non vincunt superba inferorum porta. Idem.*

De Patribus Ecclesiæ eorumque scriptis.

Suppooo, quod certum est, & quod ipsi hæreticorum antesignani in dubium revocare non audent; Sanctos primorum Ecclesiæ sæculorum Patres, fidei, & Christianæ Theologiæ dogmata ita servasse, ac retiouisse, quomodo illa ab Apostolis acceperant, & fidei eorum puritatem, quæ in ipsa vitæ sanctitate effulsit, hodierna adhuc die in scriptis illorum, quæ ejusdem sunt monumenta, vigere. Explicitam de hac re Calvini Confessionem habemus in quadam ex ejusdem Epistolis, *Epistola ad Sadolet*; ejusque Sectatores illis detrectare nequeunt gloriam, quod post ipsos Apostolos prima fuerint terrarum orbis lumina, primique fidei patroni; neque possumus æquiorem sententiam amplecti, quam credendo, ipsorum libros quædam esse fidelia specula, nobis puram doctrinam, qualem ab Apostolis acceperunt, referentia: *Quod didicerunt docuerunt; quod a Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt;* inquit S. Augustinus. *Idem.*

Lib. 2. cont. Jul. c. 10.

Hæresis ex morum corruptione profecta.

Per hos infelices gradus Hæresiarchæ proruerunt in præceps: Plerique in JESU CHRISTI Ecclesiam non invexere secessionem, nisi postquam flagiriis suis eidem scandalum intulere. Punivit Deus superbam illorum scientiam turpibus peccatis, & postquam omnem abiecere verecundiam, hæresis vexillum extulere: *Mercedem injustitia recipientes.* Et sanè Ecclesiasticam evolvire historiam, oculos conjicite in Religionis Apostatas, in omnes mendacii Doctores, qui dilaniarunt Ecclesiam, in omnes apertos impios sæculi, ac oullum invenictis, qui fronti inustum non gerat bestiæ signum, & qui dignosci non possit ex triplici hoc, terribilique caractere soperbiæ, impudicitiæ, ac impietatis. Deus, qui ex malo bonum haurire novit, postquam necquiquam omnes gratiæ suæ conatus impendit, ut superbum convertat, permittit, ut pro extrema superbiæ medicina in fædum libidinis scelus ruat, ut se ipsum in turpi intuitus statu, in quem hoc vitio dejectus fuit, pudore suffuodatur ob suam superbiam, dum ipsum pudet impudicitiæ, & ex naturali hac verecundia ad salutarem transeat pœnitentiæ confusionem. *Abbas du Jarry Panegirica Sancti Josephi.*

2. Petr. 2.

Hæreses ex infirmis artæ sunt initiis.

Memoria repetite teouia primordia, mirosque hæreticorum teccotiorum progressus, quorum adhuc humentibus genis calamitatem deflemus. Temeritas non statim illos ad extremum impietatis impulit; ab Ecclesia secedere incæperuot levibus quibusdam irrisionibus, & quorumdam rituum contemptu. Non incæperunt illi quidem nostræ Reli-

gionis

gionis principia negantes, & audacter illius fundamenta subruentes; sed exarserunt tantummoda contra abusus, quos in Ecclesiam obortos fuisse dicebant, & quos reformare meditabantur. Sed ex afferta horum abusuum reformatione brevi usque ad Sanctissimarum legum contemptum progressi sunt, ita ut ex Sacramentorum numero Pœnitentiam, & alia, quæ ab Ecclesia recepta fuerunt, abscinderent; Sub specioso Reformatorum titulo facti sunt illius corruptores, & sub prætextu reparandi cultus, illum impiissimè usurparunt. Primum quidem contra quasdam tantum exteriores cæremonias Ecclesiæ invehi videbantur; sed vix deinde unum JESU CHRISTI præceptum servarunt; affectarunt primum pro Scripturis Sanctis pugnare, atque se Dei voluntatum sequestres esse ostentarunt; sed sibi reservarunt jus pro libidine illas interpretandi, Dei Spiritum ea dicentem induxere, quod ipsis Spiritus mendacii inspiraverat. Denique per funestos hosce gradus eo usque dementiæ ventum est, ut se novos crediderint Apostolos, ac Ministros ad populum Dei in viam salutis revocandum destinatos, quin vocationis suæ alios vades præberent, quàm suum vaniloquium. *Ex manuscripto Sermone.*

Acquiescendum iis, quæ de fide nos docet Ecclesia.

Quodnam solatium in JESU CHRISTI promissionibus, quibus se nobiscum semper futurum recepit, invenire possunt hæretici? Hac fide e contra foventur Catholici, qui putant Ecclesiam nullo umquam errore vinci posse, quantumcumque violenta sit ejus oppugnatio; & qui re ipsa eam semper invictam sunt nacti? Sed quomodonam hujus promissionis fructum sperare potest nova reformatio, cujus primum fundamentum, cum ab Ecclesia discessit, illud erat, quod videlicet eum JESUS CHRISTUS eo usque deseruisset, ut in idololatriam labi permiserit? Sed quamvis hoc verum sit, veritatem in Ecclesia semper permanere; attamen privatis disputando nimium intentis nonnumquam aufugit. Nullus est error adeo gravis, in quem disputationis ardor fervidam mentem non trahat. *Bossuet lib. 2. de Variation.*

Contra hæreticos disputantes nullum gerunt fructum.

Numquam fere aliquid proficiunt illi, qui cum hæreticis disputare contendunt, necquiquam Conciliorum Canones, & Ecclesiæ adhibes fulmina. Illorum superbia his in occasionibus gloriæ sibi vertit victas manus nequaquam dare; nimiumque ipsos puder fateri, se in errorem incidisse; quò magis urges, eò magis contra veritatem insurgunt, obstinatoque animo eam videre non volunt, vel si vident, illam recipere nolunt ea infesta manu, quæ ipsos abjicere arma coegit. Quamobrem cum obstinatis error est auferendus, & ad Ecclesiæ sinum revocandi sunt illi, quos nativitatis infelicitas ab eadem secreverat, omnibus utendum rationibus est, quas zelus, & charitas suggerere possunt, atque erga eosdem illa, quæ fieri potest, adhibenda est lenitas, sapientia, & indulgentia. Non durè obruendi sunt, Sanctus Chrysostomus inquit, sed leniter admonendi; non injuriis lacescendi, sed optimis consiliis juvandi; non impotenter exprobrandi, sed amicè, ac suaviter corrigendi. Multò majus proculdubio luctum referes hac lenitate, quam acri disputationum contentione, cui probra immiscentur, quæ illos exasperat, ac magis avertit; quod si suavibus, lenibusque modis eos revocare contigerit, tunc dici poterunt hæc Evangelii verba:

Matth. 18. *Lucratus eris fratrem tuum. Sermo Manuscriptus.*

In tanta confusione Sectarum, quæ se Christianas esse gloriatæ sunt, Deus numquam defuit Ecclesiæ, eique integrum servavit auctoritatis caracterem, quem sibi vendicare non poterant hæreses. Illa Catholica, & Universalis erat; illa omnia complectebatur tempora, illa in omnes terrarum plagas extendebatur; illa erat Apostolica; successio erat, sedes, cathedra unitatis; primitiva auctoritas ad eam pertinebat; quicumque ab ea recedebant, antea cognoverant illam, & novitatis, ac defectionis suæ caracterem delere non poterant. Ethnici ipsi eam existimabant tamquam radicem, ac totum, ex quo particulæ illæ fuerant avulsæ; radicem semper viventem, quam avulsi rami integram relinquebant. *Bossuet lib. de Historia Universali.*

Ejusdem argumenti.

Mirum! Ethnici ea tantum persequebantur Ecclesiam, quam latè in totum terrarum orbem se se extendere intuebantur, eamque unam pro JESU CHRISTI Ecclesia agnoscebant. Quid refert, utrum aliqui eidem obtruncati sint rami? non ideo bonus ejusdem succus deperibat; alia ex parte germinabat, & superflui ligni amputatio fructus illius meliores efficiebat. Ecclesia hæc semper oppugnata, & numquam victa, perpetuum est miraculum, ac insigne testimonium immutabilitatis consiliorum Dei: inter rerum humanarum agitationes semper invicta persistit, ita ut non intermissa mille & septingentorum annorum serie ab ipso JESU CHRISTO ad nos usque integram pervenisse intueamur. *Idem.*

De hæreticis Ecclesiæ auctoritatem abjicientibus.

Quænam cæcitas; quod Hæreticorum quilibet Religionis sibi confingat ideam juxta proprium sensum, Ecclesiæ sensui detrectans subscribere? Quod quilibet fieri velit æternarum veritatum judex, & arbiter? quod privati sibi cultum, cæremoniasque confingant, ad Dei magnitudinem adorandam, vel irritatam ejusdem justitiam sedandam? quod audeant reformare, interpretari, immo etiam evertere præcepta legis, ac disciplinæ, quam Deus Ecclesiæ suæ revelavit, & quam homines divini nobis in scriptis suis reliquerunt? Hæretici injustitiam hanc intellexere; postquam enim detrectarunt obedientiam legitimo Sancti Petri Successori, pro quo JESUS CHRISTUS oravit, ut fides illius non deficeret; debuere sectarum suarum capita instituere, itaut in Synodis suis, quas sine ullo jure, ac ulla veteri forma cogunt, eamdem inquirant potestatem, quam in Catholica Ecclesia pati non possunt; cumque Augustinos, Ambrosiosque explodendos censuerint, pro institutionibus suis, suæque Religionis interpretibus sibi cooptent rebelles, & Hæresiarchas. *Flechier in vita Commendonis.*

Hæreticorum discordiæ Catholicæ Ecclesiæ probant veritatem.

Jure Sanctus Augustinus inquit, discordiam, jugemque Hæreticorum agitationem non postremum esse fundamentum pacis, & quietis Ecclesiæ. Ne conemur eos simul conciliare; ne obluctemur justitiæ Dei, quæ illos excæcat, & agitat: lites eorum ne componemus, quasi eum ipsis consentiremus; alioquin illos contra Ecclesiam excitaremus, quam oppugnant, & quam evertere toto pectore adnituntur. *Idem.*

Hæreticorum calliditas, & doli.

Visi sunt vi fraudem miscentes gravissimis erroribus veritatis personam inducere; manifestissimis relaxationibus austeritatis, ac reformationis speciem; impudentissimæ defectiuni, obedientiæ, ac submissionis laudem; virulentis scriptis quamdam elegantiæ illecebram appingere; atque hoc pacto in hominum mentes quarumque ratione illabentes, fallere simplices, palpare perspicaces, seducere rudes; lucri avidos proposita spe quæstus allicere, omnes rerum, temporumque occasiones in rem suam vertere, modò callidè sedere, modò pertinaciter insurgere; modò procellis se objicere, modò illas effugere: in mundi lucem prodire, & mundi oculis sese auferre; denique specioso libertatis, conscientiæ, ac Religionis titulo præcipua Regni propugnacula occupare. *Ex Auctore Anonymo.*

Hæreticis in plures sectas discedere.

Quemadmodum lineæ, quæ de centro circuli ducuntur, quò producuntur magis eò magis in infinitum multiplicantur, & a semet dissociantur; ita cum a centro unitatis, quæ est Sancti Petri Cathedra, receditur, fieri nequaquam potest, ut sectæ non multiplicentur, semperque magis distent non solum ab unitate, & veritate, quæ ab hoc centro separari non possunt, sed invicem quoque eorum errorum diversitate, quos conciliare simul non possunt. *Maimbourg, in Historia Luteranismi.*

De Hæresibus, & Hæreticis.

Ecclesiæ Traditiones, Sanctæ Sedis Auctoritas, Sacramentorum nostrorum Sanctitas præcipuæ fuerunt secessionis illorum causæ. Nefaria hæc secta

paula-

paulatim percrebuit, Regna integra eadem commota fuerunt; tenebræ sese in totam Ecclesiæ faciem effuderunt, & fatali exemplo cognitum est, quam facile sit corrumpere cor jam depravatum, & efficere, ut morum corruptionem fidei labes excipiat. *Flechier, Panegirico Sancti Ignatii.*

De visibili Ecclesiæ capite, quod esse Summus Pontifex.

Hanc in rem Sanctus Ambrosius ait, facile responderi posse objicientibus, Ecclesiæ satis esse, JESUM CHRISTUM pro solo Capite, unicoque sponso habere, quin altero indigeat. Quemadmodum enim nos ipsi fatemur, Dei Filium non solum auctorem esse omnium Sacramentorum, sed etiam verum eorumdem Ministrum; propriè enim ipse baptizat, & absolvit, licet voluerit exteriores illorum ministros homines esse; ita fatendum est etiam, quamquam illa secreta sui spiritus inspitatione regat Ecclesiam, voluisse tamen instituere hominem Vicarium suum, supremæque auctoritatis suæ in terris Ministrum. Itaque cum Ecclesia, quæ visibilis esse debebat, visibili indigeret capite, JESUS CHRISTUS Sanctum Petrum instituit fidelium omnium Pastorem, & Caput, cum eidem præcepit, ut oves suas pasceret; & voluit etiam, ut qui ejusdem dignitatis esset successor, eamdem assequeretur, ac ille, potestatem, ut toti præesset Ecclesiæ.

Deus est auctor Ecclesiæ.

Neque enim homines hujus Ecclesiæ anctores fuerunt, sed Deus ipse immortalis, qui eam super firmissimam petram ædificavir, teste Propheta, ipse fundavir eam Altissimus; quam ob causam *Hereditas Dei*, & *Dei populus* appellatur. Nec potestas, quam accepit humana est, sed divino munere tributa. Quare quemadmodum naturæ viribus comparati non potest: ita etiam fide intelligimus in Ecclesia claves Regni Cœlorum esse, eique potestatem peccata remittendi, excommunicandi, verumque Christi corpus conseerandi traditam. *Ex Catechismo Concilii Tridentini articulo nono Symboli Apostolorum.*

Psal. 86.

Ejusdem argumenti.

Ecclesia comparatur ædificio; ædificium habet fundamentum, super quod scitus artifex plures lapides statuit. Eos simul conjungit secundum regulas artis; & hi simul conjuncti lapides ædificium componunt. Fundamentum, super quo ædificata est Ecclesia, est JESUS CHRISTUS. Dei Filius a Sancto Petro vocatur lapis vivus, & Sanctus Paulus addit: *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est JESUS CHRISTUS*. Ipse Dei Filius præcipuus est Architectus, qui Ecclesiam hanc ædificavit. Quamquam omnipotens esset, quamquam hominum ministerio non indigeret, eos accersivit; illis uti voluir; eos in omnes terras dimisit; atque ita suam sapientiam, ac potestatem ostendit. Quomodo enim homines infirmi potuissent ita feliciter ducere opus omnium difficillimum, maximèque necessarium, nisi Omnipotentis Dei illis adfuisset auxilium? JESUS CHRISTUS igitur solidum est fundamentum, super quo Ecclesia ædificata est; illi, quibus uti vult, ut magnum hunc cæptum exequarur, participes fiunt insignis hujus qualitatis, quæ propriè loquendo illi convenit uni. *Lambert Homil. 78. in diem Festum Sancti Petri, & Pauli.*

1. Petr. 2.
1. ad Cor. 3.

De Ecclesia pro omnium fidelium cœtu intellecta.

In Ecclesia instituenda Dei Filius ingens ædificium sibi extruendum proposuit. Fideles sunt lapides ædificium istud componentes; ideoque Sanctus Petrus, ubi air JESUM CHRISTUM esse lapidem vivum, fideles alloquens addit: *Ad quem accedentes lapidem vivum .... & ipsi tamquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis.* Illi sunt lapides vivi, illi spiritualem domum componunt, qui Dei Verbum edocti, illud fideliter explent. Quam admirabile illud est ædificium, ex fidelibus ejusdem fidei vinculis simul conjunctis compositum, & charitatis nexu constructum! Hæc vera est Ecclesia; hæc domus spiritualis; hoc Templum Dei viventis. Quidquid fecit JESUS CHRISTUS ad hujus ædificii conservationem collimat. Ideo ille Sanctum Petrum Ecclesiæ suæ Caput constituit; ideo præcepit Apostolis, ut universum peragrarent orbem; ideo voluit, eam omnium sæculorum decursu ab Episcopis, aliisque Pastoribus gubernari. Illis populorum erudiendorum curam commisir, & mysteriorum, Sacramentorumque suorum credidit dispensationem. Non deerunt unquam Doctores, qui veritatem docebunt, qui impugnabunt errores, qui Divini Verbi pabulo pascent, qui Sacramenta ministrantes confirmabunt. Hoc Dei Filius voluit; quia hæc via est, per quam veros fideles conservat. *Idem.*

1. Petr. c. 2.

Ecclesia usque in sæculorum finem subsistet.

Dei Filius ostendit Ecclesiam numquam interituram, cum Sancto Petro dixit: *Portæ Inferi non prævalebunt adversus eam.* Portæ Inferi; nempe quidquid magis timendum est; licet omnem exerat nequitiam suam dæmon; licet omnes nervos intendat, numquam deleri poterit Ecclesia. Semper quidem illa oppugnabitur; primis ejusdem sæculis ab infidelibus oppugnata fuit, & in præsentiarum ab hæreticis, pravisque Christianis oppugnatur. Sed semper est victrix, quia illam JESUS CHRISTUS tuetur. Semper subsistet Ecclesia, ergo semper aderunt veri fideles; semper veri Pastores; semper Dei Verbum in ipsa puritate sua prædicabitur, semper Ecclesiæ Sacramenta fideliter dispensabuntur. Hæ omnes veritates arcto sibi vinculo cohærent: Pastor veritatem prædicat, Fidelis eam audit; ac pascit animam suam; veritas usque in cor ejus pervadit; & ibi radicem charitas figit. Hunc ordinem JESUS CHRISTUS instituit, ideoque semper vigebit. *Idem.*

Matt. 16.

Sancti Petri primatus supra alios Apostolos.

Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Sanctus Petrus aliis comparatus Apostolis, præcipuum est fundamentum; primus lapis; Caput Ecclesiæ totius. Sed cur voluit JESUS CHRISTUS Caput in Ecclesia reliquis Pastoribus præpositum? Quia Capitis qualitas, atque auctoritas, quæ jugis esse debebat in Ecclesia, & quæ a Sancto Petro ad legitimos illius Successores pertransiit, semper fuit necessaria ad regendam Ecclesiam, ad unitatem, quæ Salvatori hujus mundi tanto est in pretio, servandam; atque ad opem fidelibus ferendam, ut dignoscere possent, quænam sit vera JESU CHRISTI Ecclesia. Cum Ecclesia, quæ per Sanctum Petrum fundata est, & quæ a Successoribus illius gubernatur, omnis conjungi debet Ecclesia propter primæ hujus principisque Ecclesiæ dignitatem. Hæc semper Ecclesiæ Patres a primis usque temporibus docuere. *Idem.*

De Successione Pastorum Ecclesiæ.

Deus, qui nobis Scripturas suas reliquit, eas ad nos usque voluit pervenire de Pastore in Pastorem, de manibus in manus traditas. Sanam doctrinam ab hac successionis catena sejungere, idem est, ac rivulum a fonte dividere; Scripturarum cognitionem jactare, ubi amissa fuerit series Traditionis in Pastoribus, hoc idem est, ac gloriari se aquas servasse, tunc etiam cum earum canales vel fracti sunt, vel in diversa inclinati. Pseudo Pastores illi, qui Ecclesiam se reformasse gloriati sunt, vel qui potius novam effingere voluerunt Ecclesiam, undenam venere? Numquid legitimam ostentare possunt missionem? Ubi eorum vocatio est, ubi eorum miracula, a quo ministerium suum acceperunt? Numquid ab ipso Deo? num Apostolis successerunt? Ubi ipsorum traditio est, cum ipsi ferre nequeant traditionem? Numquid ignotis locuti sunt linguis? prophetarunt? mortuos suscitarunt? aliquod ex his miraculosis donis præ se ferre debebant, ut jus novum invehendi Evangelium proferrent. *Ex libro, cui titulus: Actions Chretiennes tomo 3.*

Nonnisi in Catholica Ecclesia veri Martyres esse possunt.

Docet Sanctus Cyprianus in Ecclesia tantum veros Martyres esse posse. Cum ab illius unitate discessisti, necquicquam sanguinem tuum pro confessione nominis JESU CHRISTI effundis; Schismatis macula sanguine elui non potest, cum nulla sit vera charitas extra Ecclesiam; ideoque quæcumque extra illius sinum tormenta patiaris, ex eorum numero es, de quibus Sanctus Paulus air;

licet tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. *Idem.*

Quid nos Ecclesiæ Romanæ inseparabiliter conjunctos retinere debet. In Ecclesia Romana me retinet divina promissio primo ejusdem Pastori adeo solemniter facta; successio non intermissa Pontificum; fons Sacerdotii in eadem residens; sacrum depositum dogmatum adeo longa sæculorum serie integerrimè asservatum; vox omnis Antiquitatis præclarum de eadem testimonium perhibentis: auctoritas, quam adepta est, miraculis probata, nutrita spe, & charitate confirmata. Cum autem sectæ omnes, quæ ab illa secesserunt ne minimum quidem habeant ex his testimoniis, qua fronte veræ Ecclesiæ nomen sibi audeant vendicare? Nomen hoc illi tantummodo convenit, quæ semper fuit, quæ ab ipsis usque Apostolis sua jactat primordia, & quæ est in omnes terrarum plagas effusa. *Idem.*

De Ecclesiæ Sanctitate. Quæcumque Religio, & Ecclesia sancta non est; non est a Deo; & quæ aliunde fluit, neque vera Religin est, nec vera Ecclesia: nequit enim Deus id probare, quod minimam habet impietatis maculam, multòque minus, quod ejus est causa. Ille Sanctus est in omnibus operibus suis, ideoque mentiri nequit in hoc, cujus forma est sanctitas eadem: ita ut liquidò pateat Ecclesiam fallacem esse, & a Deo originem suam nequaquam deducere, si illi sanctitas deest. E contra verò sanctitas certissimum est argumentum, Religionem, ubi reperitur, veram esse, & a Deo proficisci; non enim alia esse posset causa talis effectus, præter eum, qui sanctus est per essentiam. Verùm ut de Ecclesiæ Sanctitate judicium feramus, nequaquam consideranda est vita, & mores eorum, qui præcipua sunt Ecclesiæ membra; quoniam, uti dictum est, ex bonis, malisque simul est composita, & accidere potest, ut qui eamdem gubernant, nequaquam sint aliis sanctiores; verum perpendenda est diligenter mysteriorum magnitudo, atque majestas, disciplinæ integritas, cultus, quem Deo tribuit, cæteraque omnia habenda sunt tamquam naturæ humanæ infirmitates. *Auctor Anonymus.*

Non satis esse debet in sancta Religione versari, sed quisque semet debet sanctificare. Quotidie in Symbnlo dicimus, Credn Sanctam esse Ecclesiam; at cor nostrum cum verbis consentit? Credimus hanc mysticum esse JESU CHRISTI corpus, & vivimus, quasi Dæmonis membra essemus. Credimus hanc esse Sanctorum cætum; hoc enim nomine Sanctus Paulus illos appellat, a quibus conflatur, nos verò flagitiosam, nefariamque vitam traducimus. Credimus hanc mysticum esse templum divinis factum mysteriis; nos verò illam sceleribus, criminibusque inquinamus. Credere ne possumus nos adhuc esse Regale Sacerdotium, quo nomine Princeps Apostolorum primos fideles vocabat; & qui mores nostros intueatur, dicere ne potest cum Sancto Paulo, Ecclesiam sine ruga esse, ac sine macula, sanctam, & irreprehensibilem? *Actiones Christianæ. Sermone de Ecclesiæ qualitatibus.*

Ejusdem argumenti. Consolare quidem, quod es Filius Ecclesiæ; at simul vide, utrum sanctus sis, ut illa sancta est; vide utrum mores tui illius sanctitati respondeant, & utrum eam sperans felicitatem, quam tibi pollicetur, sedulò præsens sæculum abdicaveris fallacia illius contempturus bona, ejusque scelera, luemque evitaturus. Cum Ecclesiam sanctam vocas, nonne te ipsum condemnas? Improborum numerum augens, nonne Sanctorum Communioni abrenuncias? Verum quidem est te cum Justis, Electisque simul in Ecclesiæ corpore comprehendi; hæc Domini area est, ubi tritico mixtæ sunt paleæ; ibi inveniuntur flagitiosi, profani, intemperantes cum iis confusi, qui Deum metuunt, amant, & colunt; sed quid prodest cum bonis vivere, nisi eorum justitiam imiteris? Cave ne te ipsum fallas: licet tibi persuasum esset de omnibus Cœlestibus veritatibus, hæc una fides te salvum facere nequit; immo te ipsum confundet, nisi eidem opera tua respondeant, eamque concomitentur. *Idem.*

Sine submissione sensibus Ecclesiæ nulla est virtus vera. Licet sanctissimam duceres vitam, & quocumque virtutum tuarum fulgorem optimo exemplo effunderes, hoc minime satis esset, nisi perfectam mentis submissionem sensui Ecclesiæ adderes. Quorsum autem? Quia nulla solida virtus est, nulla sanctitas sine fide, quæ rerum omnium fundamentum est, & sine qua nemo Deo placere potest, juxta illud Sancti Pauli Verbum: *Sine fide impossibile est placere Deo.* Hæc autem mentis rebellio contra ea, quæ ab Ecclesia sancita sunt, per schisma, & hæresim fidem omnino subvertit; per schisma quidem ab unitate recedendo; per hæresim verò impugnando veritatem, quæ duæ sunt proprietates Ecclesiæ, quarum altera ab altera divelli, ac separari non potest. *Maimbourg, Serm. pro feria 3. post secundam Quadragesima Dominicam.*

Infelicitas eorum, qui Ecclesiæ sensui sese submittere detrectant. Quoniam extra Ecclesiam salus nulla potest inveniri, heu! quænam infelicitas meritò eos manet, qui pertinaciter Cathedræ veritatis abrenunciant, ut novos sequantur Evangelistas damnatæ doctrinæ præcones? Quid autem? illine sunt Salvatores vestri? illine vitam suam effuderunt, ut vestram certam facerent in æternitate? illine vos sanguine suo redemerunt, ut vos cogerent relinquendo JESU CHRISTI Vicarium, eumdem relinquere JESUM CHRISTUM privatis adhæsuros hominibus nullam missionem, nullum caracterem, nullam auctoritatem habentibus, & qui famam sola sibi defectione compararunt? *O insensati, quis vos fascinavit non obedire veritati?* *Ad Gal. 3.* O deplorabilem tot hominum alioquin æquitate, ac mentis acumine pollentium cæcitatem! Quo errore decepti rationem ipsam, mentem, atque conscientiam amisistis, ut minimè videretis veritatem tanto fulgore nitentem, & mox ejusdem imperio vosmet minimè subjiceretis? *Idem.*

Ecclesiæ interest de Scripturarum sensu statuere. Non respuit quidem Hæreticus sese Dei verbo submittere; sed respuit huic sese verbo submittere ab Ecclesia explicito: videtur ille quidem rationis suæ lumina verbo Dei sacrificare; Verum optimam sibi hujus sacrificii partem reservat, naturalem curiositatem suam sequens, Scripturarum abyssum penetrare volens, ac se ipsum oraculorum ejus Judicem, atque interpretem faciens. Hic non satis admirari possum Dei Providentiam, quæ cum nos ad fidem evocaverit, nos etiam in unitatis centro figere voluit, quod in una tantum Ecclesia invenitur, quam nobis tradidit in matrem, ac regulam; citra quam quænam confusio, quænam doctrinæ diversitas! Scio equidem Scripturam Sanctam illud oraculum esse, quod est consulendum; verum oraculum istud mutum est, neque eas explicat difficultates, quæ possunt oboriri. Video Scripturæ verba, quæ maximè perspicua sunt, in disputationum, & controversiarum argumenta proponi; & utrinque video rationes, quæ illum probare videntur sensum, quem quisquis eisdem appingit. Partes ipsæ quæ inter se magis oppositæ sunt, iisdem utuntur armis ad eas evertendas; utrobique summos doctores invenio. Quid fideli faciendum, ut in tanta caligine veram doctrinam deprehendat, sine qua nulla salus est? Particularis spiritus dux est certissimè pro fallaci habendus; dictat enim articulos fidei, qui sunt oppositi; non satis constat utrum Lucifer in Angelum lucis transformatus, an Spiritus Veritatis loquatur; sæpe etiam hic Spiritus, ubi consulueris illum, nihil respondet, quod fideles consilii certos efficiat. Quid igitur illi in tanta rerum ambiguitate faciendum? Numquid per te mihi licet, o Deus, istud profari? Multa quidem effecisti pro Ecclesia Sponsa tua, eidem Sanctum Evangeliorum librum, aliasque Scripturas relinquens; hic illi uberrimus est fons luminum; verùm nisi post hæc judicem statuisses, qui plana faceret, quæ sunt obscura, quid in sacro hoc deposito reliquisses præterquam schismatis, scandali, ac licentiæ in credendo occasionem? Minus profectò quieti, unitati, ac fidei Ecclesiæ tuæ consuluisses, quam Legislatorum novis-

simus,

simus, cui non satis est legum volumen proponere, sed præterea judices legitimos statuit, qui de litibus, quæ quotidie circa genuinam legis sententiam oboriuntur, disceptent. Hunc igitur sequentes ducem divinitus inspiratum, ut JESU CHRISTI gregem regat, certissimam quietem possumus invenire. *Essais de Sermons pour l'Avent. Sermone de Fide.*

De Unitate Ecclesiæ.

Unitas, antiquitas, & universalitas Ecclesiæ ex eodem principio proficiscuntur; ex eo scilicet quod in omnibus terrarum plagis, omnique sæculorum decursu eamdem habet doctrinam, quam ab Apostolis accepit, & quam Apostoli receperant a JESU CHRISTO, quemadmodum hic illam a Patre suo acceperat. Si Apostoli vel minimum aliquid immutassent in veritatibus, atque præceptis, quæ illis JESUS CHRISTUS tradiderat; Ecclesiæ, ab illis in omnibus terrarum oris institutæ nequaquam in eadem doctrina consentire potuissent: fuissentque igitur tot Ecclesiæ diversæ, quæ in singulos dies magis magisque invicem discessissent eadem licentia, quam semel sibi vendicassent innovandi, ac secedendi. Post has innovationes quomodo gloriæ sibi vertere potuissent temporis antiquitatem? Hac in re Catholica Ecclesia generatim ab omnibus hæresibus distinguitur, quæ nullam habere possunt vel vetustatem, vel universalitatem, quia fregerunt olim unitatem primæ traditionis, & successionis non intermissæ ejus doctrinæ, quam Apostoli, & JESUS CHRISTUS tradiderunt; quod simul Ecclesiæ antiquitatem, universalitatem, sanctitatem, certitudinemque constituit. *Pater Thomassinus, Tractatu de Ecclesiæ unitate.*

Sectæ, quæ contra Ecclesiam insurrexerût, collapsæ sunt, & evanuerunt.

Sexcentæ sectæ ex Ecclesiæ sinu prodeuntes contra eamdem insurrexerunt; ac si illa has oriri conspexit juxta JESU CHRISTI prædictiones, easdem etiam secundum promissiones ejusdem vidit occumbere. Veri illius filii, ut Sanctus Paulus inquit, hoc tamquam lydio lapide probati sunt; veritas eos magis roboravit, cum magis eam labefactare conarentur inimici; Ecclesia immota permansit; Imperia, ac Principatus magis metuendi variis præsignati figuris sese invicem delere, atque conficere visi sunt unus post alium; nihilque eorum superest præter misera quædam interitus eorumdem vestigia: sed Romana Ecclesia viget adhuc; integrumque fulgorem suum tuetur, & Deo favente, illam latè in plagas omnes sese videmus extendere; atque in singulos dies recentes victorias reportare. Quod ad alias pertinet sectas, quæ Ecclesiæ nomen sibi immeritò vendicant, quod de ævi sui Hæreticis Tertullianus animadvertit, non minus verum est de ætatis hujus hæreticis: eorum conatus, inquit ille, studiumque unum erat non Ethnicos convertere, sed prævertere Catholicos; sibique potiùs gloriæ vertunt, si stantes dejiciant, quam si eos attollant, qui antea repebant. *Actions Chretiennes.*

Affectus sunt hæresum causæ in Ecclesia.

Affectus hæresim gignit, eamque fovet, & nutrit. Superbia, ambitio, invidia, cupiditas, ultio, inordinatus amor, hæc est origo sectarum omnium, quæ latè Ecclesiam depopulantur. Quantumvis affectus personam induat, quantumvis illius causæ dissimulentur, ac alius quilibet illius fons concipiatur; hoc verum est, hæreses omnes ab affectibus gigni. Frustra illas expolite conaris; ortum suum mentiri non possunt; omnes eumdem habent caracterem, & licèt non omnes sint ejusdem ætatis, omnes tamen sub eodem sydere, eodemque in solo nascuntur. Itaque plurimis in rebus sibi similes sunt: omnibus idem finis est, eadem mens, eædem artes; mendacii spiritus, spiritus defectionis, pertinacia, hypocrisis, cordis mentisque licentia, hoc ingenium est, hic hæreticorum omnium caracter. Arius ægerrimè passus sibi præferri Sanctum Alexandrum in Alexandrini Patriarchatus dignitate, negat JESU CHRISTI divinitatem, & ab Ecclesia desciscit, ut hæreticorum Caput habeatur. Nestorius, Eutiches, Pelagius, &c. non alia institerunt via. Mendacii Spiritus violento quopiam affectu agitatus, atque cupiditate incensus hæc parturit monstra. Quam aliam originem habuere illi torrentes iniquitatis, propter quos tandiu viri boni ingemuere, mundationibus suis miserum in modum Domini vineam depopulari? Ex quo alio fonte prodiere hæc genimina viperarum? *P. Croiset tomo secundo Considerationum.*

De factionibus, quæ satis crebrò in Ecclesia oboriuntur.

Hic est caracter factionum, quæ contra Ecclesiæ sensus, atque decisiones insurgunt. Nova hæc mendacii secta non inquirit veritatem; nec qui eamdem amplectuntur, vel eam tuentur, ibi moralis disciplinæ integritatem invenire contendunt; Religio hac in re color est, atque prætextus. Affectus præcipuam gerit personam, illius primæ sunt partes. Dissimulata ambitio, secreta superbia, irritata zelotypia, sexcentaque alia id genus motuum omnium sunt causæ. Utilitatis, atque affectus conformitas statim societatem conjungit; cujus velut anima quædam est odium contra eos omnes, qui in opposita versari sententia creduntur. Omnes inconsultò eosdem sensus adoptant, omnes eadem lingua loquuntur; fædusque simul ineunt, ut adversarios suos in suspicionem trahant, atque partium suarum studiosis existimationem concilient. Sed necquicquam pertinaces sensus suos sub æquitatis, charitatis, reformationis, zelique prætextibus tegere student. Artea hujusmodi jam consenuerunt, & simplicibus tantum fucum facere possunt. Acuant, ut lubet, ingenium; rationes, causasque undequaque emendicent; sanctitatem, exactamque tantummodo morum disciplinam loquantur; quicumque factionis spiritus singularem habet caracterem, qui sese liquidò prodit. Quæcumque nomina sibi sumat, quibuscumque coloribus se imbuat, hæc omnia illum magis, magisque ostentant; & quodcumque admitatur, semper ex aliquo animi affectu profectus, semper cordis illusione enutritur. *Idem.*

Particularis Spiritus pertinacia contra Ecclesiæ sensum obluctans.

Nihil profectò magis mirum est, quam videre, quid possint illusiones spiritus opinioni suæ mordicus inhærentis, ubi aliquo Religionis prætextu probantur. Naturales sensus, rationis lumina, certissimæ decisiones, divina, humanaque jura, omnia cedunt, omnia spiritu particulari litantur, ac misera inversione, quæ necessarius est illusionis effectus, gravissimæ quævis injustitiæ, sævitiæ homine christiano indignissimæ, infensissima odia probantur, & virtutum speciem induere videntur. Videntur viri boni, alioquin acri ingenii vi præditi, quos tamen præventio quædam captivat, per vias vepribus, sentibusque impeditas, atque inter densam tenebrarum caliginem ingredi, quæ efficiunt, ut quotidie magis a recto virtutis tramite secedant. Mentis illusio cæcam hanc parit obstinationem: non solum nos fallit, verùm etiam efficit, ut errorem nostrum diligamus, ac eorum nos misereat, qui in rectam virtutis viam nos revocare conantur. *Idem.*

In Controversiis, quæ in Ecclesia oboriuntur, standum est Sanctæ Sedis, & Conciliorum auctoritati.

Requies, atque securitas, qua Christiani omnes in Catholica Ecclesia perfruuntur, scire est, ipsam a Deo supremam obtinuisse potestatem; ipsam cum certitudine decidere; definitiones ejusdem ab omni errore vacuas esse, & satis esse credere, & cogitare, quemadmodum ipsa credit, & cogitat. Quamobrem cum inter Doctores aliqua oboritur controversia, vel novitas aliqua insurgit, quæ fidelium sententias in diversa trahat, sola ejusdem vox audienda est, atque sequenda. Sed quia crebrò quicumque illam inducit loquentem secundum sensum suum; in hac incertitudine hoc unicè consilium capiendum est, ut fidei, morumque ratio Sanctæ Sedis, Consiliorumque sensui conformetur: quod intelligendum est de iis difficultatibus, quæ pertinent ad Religionem, non autem de illis, quæ ad humanam tantummodo politiam referuntur. *Abbas Trappensis in primo alteroque tomo Christianarum Institutionum.*

ECCLESIASTICUS.

Sanctitas Status Ecclesiastici; Sacerdotium, Vocatio, & hujus Status Officia, Reverentia, quæ debetur Ecclesiasticis; Vitia ab illis evitanda: Beneficia, Ecclesiæ bona, &c.

M O N I T U M.



Cclesiastici nomine istic eos omnes complectimur, qui Deò servitio, ac Altarium ministerio sese devoverunt, cujuscumque ordinis illi sint, & quamcumque in Clero, & Ecclesia dignitatem obtineant; quam ob rem de Religionis statu alio in titulo, verba sumus facturi.

Infinita propemodum supellex est cum veterum, tum novorum Auctorum de Ecclesiastico statu pertractantium; atque de ejusdem efficiis, muneribusque, agentium; nulle enim tempore defuerunt, qui conquererentur de abusibus, qui in illum obrepserunt, de flagitiosis moribus eorum, qui a Deo non vocati in hac transfugere castra voluerunt, deque summa negligentia, qua ministerio sibi credite perfunguntur: quod uberrimam suppeditat Concionatoribus rerum copiam; seu contra vita eorum crimina velint invehere, seu populum hortari malint, ut Ecclesiasticis pareant, eosque revereantur, licèt quanta sint probra illorum, intelligant.

Illud unum monendum occurrit, argumentum hoc cum altero de Ecclesia, de quo supra locuti sumus, nullum habere nexum; hanc enim solum respeximus tamquam mysticum JESU CHRISTI corpus, ex omnibus fidelibus compositum; hic verè verba facimus de Ecclesia Ministris, quibus status eorum officia, & ministerii Sanctitatem ob oculos ponimus, sive Sacerdotes illi sint, Pastores, Beneficiis aucti, sive sacris tantum Ordinibus initiati: Argumentum hoc pertractantibus duo evitandi sunt scopuli; alter videlicet ne nimis de veteris disciplina relaxatione, veterumque Canonum inobservantia, quam restituere in Concionatorum potestate non est, multa dicunt; quamobrem præstat hortari, ut accuratiùs ea serventur instituta, quæ in hodierno Ecclesia usu sunt posita, & quæ ipsa præscribit Ecclesia; alter est ne ita Ecclesiasticorum amplificentur flagitia, ut imminuatur existimatio, quæ de eorum statu est habenda, quod facere Heretici adnisi sunt, hodieque improbi adnituntur, qui hoc utuntur prætextu, ut sua vitia, & crimina imminuant.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ Concionum hujus Argumenti Structura.

1. 

Cclesiasticum statum amplecti est arctiorem, quàm reliqui fideles, sancte, perfecteque vivendi obligationem contrahere; quæ ex tribus desumitur capitibus, quæ simul concionis divisionem possunt efficere. Primum est status, ad quem nos Deus evocavit, qui status est Sanctitatis; ad Deum enim propiùs accedit, qui se illius servituti, Altariumque ejusdem subjicit cultui. Alterum est propter Ordinis caracterem; quoniam per hunc eidem nosmet dicamus, ac devovemus. Tertium ex ministerio, quod ibi exercetur, & muneribus quibus vacandum est. desumitur.

Quod ad primum pertinet: Status, ad quem Deus Ecclesiasticos vocat, per se sanctus est, ideoque sanctos esse jubet, quicumque illum aggrediuntur: Quamobrem illos in veteri lege Deus
Levit. 21. Sanctos appellat. *Sancti erunt Sacerdotes*. Hac de causa eos eligebat ex populo, & a cæteris mortalibus sejungebat, volebatque se illorum partem esse, atque hæreditatem, nec non illos ad se peculiari ratione spectare cupiebat; quod in Lege nova magis verum est, ubi toto Cœlo præstantius est Sacerdotium; cultus, qui Deo exhibetur, longè perfectior, & status Dei ipsius lege institutus, ut cultus hic Domino adhibeatur, est sanctior; ita ut Ecclesiasticus Sanctus sit ex statu suo; quoniam eo in statu positus est, qui sanctitatem requirit, eam publicè profitetur, & per hanc a profanis, hoc est, a ceteris fidelibus distinguitur. Verum illis satis esse non debet hæc sanctitas status; ac affirmo, addendam esse necessariò morum sanctitatem, atque toto pectore adnitendum, ut hanc adipiscantur, in hac quotidie progrediantur, & ad hanc assequendam iis omnibus utantur adminiculis, quæ sibi a statu ipso suppeditantur. Quamobrem antequam huic sese addicant, quàm diligentissimè sua sibi diligenti examine discutienda est vocatio, non solum sedulò explorando, utrum a Deo proficiscatur, ac se ipsos excutiendo, utrum ad id satis ampla virtutis supellex sibi suppetat; verum etiam distinctiùs investigando, quinam suus sit finis, quæ intentio, quod consilium; utrum in hanc mentem inciderint, ut ibi commodiorem vitam traducant, ut honores, redditus & beneficia possideant, potiusquam sanctitati suæ consulant, &c.

Quoad alterum: In Ecclesiasticis sanctitas vitæ requiritur propter Ordinis caracterem, quo ad eam evehuntur dignitatem, quam Sancti Patres terrenis omnibus censent anteferendam. Hic profectò caracter eam confert potestatem, quam neque Angelis ipsis Deus elargitus est; mox verò ferè supremam illis in animas elargitur auctoritatem, quæ sublimissimarum potestatum, immo ipsorum etiam Angelorum reverentiam meretur. Hic autem Ordo, hæc sublimitas, hæc dignitas incomparabilis, quæ illis tantam apud homines reverentiam conciliat, illos simul cogit sanctiorem, perfectioremque vitæ rationem amplecti. Etenim quemadmodum supra ceteros assurgunt, illis exemplum tribuere tenentur, ad quod suos mores, vitamque componant: *forma facti gregis ex animo*. Sin au- 1. Petr. 5. 3.
tem uspiam caracterem suum flagitioso vivendi genere dedecoraverint, præter quam quod scandalum, quod afferunt, longè gravius est, quàm quod aliorum peccata efficere valeant; se ipsos in contemptum adducunt, & ansam præbent, ut flocci fiat hæc Religio, quæ Ministrorum indignitate fœdatur. Itaque eorum scelera graviora sunt, & quemdam infamiæ, ac honoris caracterem præseferunt, qui mortalium omnium illis conflat invidiam, & qui efficiet aliquando, ut Dei Filius gravissimis objurgationibus illos perstringat.

Quoad tertium; Ministerium, cui vacant Ecclesiastici, & officia, quibus illi perfungi debent,

subli-

sublimem in ipsis Sanctitatis gradum exposcunt. Hæc autem officia sunt, pro munere, & gradu suo Altaribus inservire; Domini laudes continere; incruentum sacrificium offerre; divina celebrare mysteria; peccatores cum Deo reconciliare; illis Cœlum aperire; populis prædicare; Dominici gregis curam gerere: & ut verbo me expediam, eadem munera exercere, quæ olim JESUS CHRISTUS exercuit in terra; quandoquidem sunt ejus Ministri: At potest ne aliquis illis vacare, atque ut ita dicam, sese illis mancipare, quin singulari virtute sit præditus, cum ibi plurimus insit labor, & gravissimæ difficultates occurrant? Vel ea negligere potest, quin iis desit, quæ præstare tenetur? Si illis adnitendum pro viribus est, ut dignè suo munere perfungantur, poterunt ne, nisi sancti fuerint, vel ab aliis pro sanctis habiti, poteruntne inquam alios ad sanctitatem adducere? Nonne everrent potiùs, quàm ædificabunt, si opposita iis, quæ dicunt, operari visi fuerint? Præterea hæc ipsa munera nonne adminiculа sunt, quæ ad status sui perfectionem acquirendam illis suppeditat Deus: quæ si negligunt, vel si adimplere detrectant, jam fiunt damnationis ipsorum causa ea, quæ Deus elargitus est tamquam subsidia, ut faciliùs status sui sanctitatem assequerentur!

II. 1. Qui adeo sanctum ingressi sunt statum, summa fide, diligentia, ac zelo pro viribus persungi debent adeo sublimi munere, iisque omnibus, quæ ab ipsis præstolatur Ecclesia,

2. Qui ad hunc statum anhelant, habere debent vocationis suæ indicia moraliter certa; Vires suas scrutari, earumque periculum facere; inquirere, utrum iis præditi sint qualitatibus, quæ sunt necessariæ cœleste implorare lumen; ac sese ad illum bonorum operum, virtutumque exercitationem disponere.

3. Qui illum ingressi sunt non vocati, ac necessariis destituri qualitatibus, vel terrenis, penitusque profanis rationibus ducti, ad pœnitentiam confugere debent, primam intentionem suam expiare, diligentiùs saluti suæ prospicere: alioquin in apertissimo damnationis periculo versantur.

III. 1. Status Ecclesiasticus omnium utilissimus est ad acquirendam sanctitatem; in eo quippe plures inveniuntur causæ, plura adminicula, & auxilia, quibus acti, & adjuti ad illius acquisitionem excitamur, impellimurque.

2. In hoc statu Deo majorem gloriam, proximo verò majorem afferre possumus utilitatem: sed in hoc ipso Deus quidem & Ecclesia majori dedecore, proximi verò graviori detrimento afficiuntur, ubi eodem non satis dignè vita traducitur.

IV. 1. Ut in Ecclesiastico statu vocationi divinæ respondeamus, mundi spiritus omnino abdicandus est, ut induamus JESUM CHRISTUM; videlicet, ut spiritum ejusdem sumamus; ideoque sciendum est quanam in re uterque consistat.

2. Hoc in statu ducenda est vita secreta, Deo dedita, neque in Mundi commercium, atque consuetudinem procedendum est, nisi, ut qua exemplis, qua sermonibus nostris Mundus sanctificetur.

V. 1. Non vocati Ecclesiasticum statum non debemus amplecti. Mala innumera, quæ ex hoc vocationis defectu oboriuntur.

2. Ubi legitima via illum amplexi fuerimus, laboribus parcendum non est, sed cum zelo, ac sedulitate illis vacandum muneribus.

VI. 1. Ut quis Ecclesiasticum statum, præsertim verò Sacerdotium, amplectatur, sese disponere debet earum virtutum exercitatione, quarum præcipuus in eo statu usus est; humilitatis videlicet, orationis, mortificationis, charitatis.

2. Oportet ita Dei vocationem hac in re sequi, ut numquam virtuti nostræ confidamus, sed semper nosmet tanta felicitate indignos arbitremur; ideoque deliberandum est, sui ipsius periculum faciendum, & præstolandum, donec Deus suam voluntatem vel sapientis Directoris consilio, vel alia quapiam ratione nobis aperiat.

3. Cum statum hunc suscepimus, pro virili adnitendum est, ut nosmet eodem dignos præbeamus, ac probemus electionem Dei, & per bona opera certam nostram vocationem, & electionem faciamus, quemadmodum alia in occasione loquitur Sanctus Petrus.

VII. 1. Status Ecclesiasticus prorsus peculiarem Dei vocationem deponit, cujus signa, atque indicia suppetere debent, ut illum ingrediaris.

2. Intemeratam exigit fidem, atque sollicitudinem in iis obeundis muneribus, quæ sunt cum hoc statu conjuncta.

3. Zelum, & Apostolicam libertatem requirit in horum munerum exercitatione, & in ministerio, quod Deus credit illis, quos ad statum adeo sanctum evocavit.

VIII. 1. Pastores Ecclesiæ Summi Pastoris, qui JESUS CHRISTUS est locum tenentes, debent gregem suum Dei verbo, sanaque doctrina enutrire.

2. Eum tueri adversus lupos ovina pelle contectos, hoc est, adversus eos, qui suspectis perniciosisque doctrinis eum conantur in errorem inducere.

3. Illum deducere per tutam viam, salutaribus monitis, optimis præceptis, & assidua vigilantia, qua eorum, qui sibi crediti sunt, mores, ac vivendi rationem inspiciant.

IX. In Pastorali Officio duo evitanda sunt, quæ unum concionis punctum, vel etiam totam concionis partitionem possunt efficere.

1. Ignavia, & negligentia, per quam omnis gregis sui abjicitur cura; vitia, & scelera tolerantur; & id unum quæritur, ut omni labore, ac sollicitudine seposita commoda, & mollis vita in tanto munere ducatur.

2. Severitas, quæ nimis fervido acta zelo nullam infirmorum rationem habendam ducit, nullumque præsefert amorem, qua peccatores ad se protrahat, atque lucretur.

X. De boni Pastoris qualitatibus, quæ potissimum sunt,

1. Scientia, ut gregem suum erudiat, eumque sana imbuat doctrina. *Labia Sacerdotis custodient scientiam.* Malac. 2.

2. Vita ab omni scelere pura, quæ in exemplum proponi possit, ac gregem ædificare: *Forma facti gregis ex animo.* 1. Petr. c. 5.

3. Fervens Charitas ad salutem illius procurandam, nihilque, hoc sibi proposito consilio prætermittendum.

XI. 1. Sacerdotes, omnesque Ecclesiastici aliis sanctiores, perfectioresque esse debent.

2. Fructus, quos ex eorum sanctitate, bonis exemplis, ac zelo recipit Ecclesia.

XII. 1. Quò magis per statum, ordinem, dignitatemque suam supra cæteros Ecclesiasticus eminet, eo magis sese demittere debet.

2. Locum, in quo positus est, satis dignè tueri non potest nisi castissimam, integerrimamque duxerit vitam.

3. Ministerium Ecclesiasticum honor est, cui magna insunt onera, quæ non nisi jugibus laboribus, & curis ferri possunt. *Desumptum ex Lambert Serm. 2. de vita Ecclesiastica.*

XIII. 1. Sacerdotes, & Ecclesiastici in honore habendi sunt, quin pravæ illorum qualitates inspiciantur, quia sunt Ministri Domini.

2. Ministri Domini hoc honore se dignos præstare debent vitæ sanctitate, iisque virtutibus, quæ sunt necessariæ, ut suum honoretur ministerium, uti loquitur Sanctus Paulus. *Auctor Sermonum in omnia Ethica Christiana argumenta. Tomo 1. Argumentorum particularium. Sermone 15.*

XIV. 1. Populi numquam contemnere debent Ecclesiasticos, præsertim verò Sacerdotes, quomodocumque hi sese gesserint.

2. Sacerdotes, & Ecclesiastici ita vitam instituere

ruere debent, ut populorum contemptum nequaquam sibi concilient. *Ex Sermonibus, qui sub P. Bourdaloue nomine circumferuntur. Sermone pro feria tertia hebdomada secunda in Quadragesima.*

XV. 1. Hodierna die de Ecclesiastici status dignitate sermonem suum habiturus, ut veram illius magnitudinem intelligatis primum ex honore, in quo Ministros suos haberi jubet Deus; deinde ex idea, quam de status hujus nobilitate Sancti omnes enncceperunt; tertiò ex maximis facultatibus, quas Ministris suis JESUS CHRISTUS communicavit.

2. Deinde conabor eos vobis inspirare sensus, quos fovere debent Ecclesiastici conditinnis suæ nobilitatem, atque præstantiam animo reputantes. Hoc mihi vobis probandum suscepi in duplici concionis meæ parte. *Lambert Sermone altero de Statu Ecclesiastico.*

XVI. Tria consideranda sunt in Ecclesiastico, præcipuè verò in Sacerdote, D. Thnmas ait; videlicet illius caracter, doctrina, & vita, vel si mavis, potestas, sermo, persona.

1. Propter caracterem, intemerandam semper reverentiam exposcit; hic enim caracter signum est Dei ipsius, eosque in Sacerdotii ejusdem partem extollit.

2. Propter doctrinam humilem, cæcamque petit submissionem; qui doctrina sana, & recta est verbum Dei ipsius, & lex ejus hominibus annuntiata, a quibus summa cum attentione, ac docilitate est recipienda.

3. Prnpter vitæ rationem, neque reverentiam exigit, ut caracter, neque submissionem ut dnctrina; si enim accidat, ut Ministrorum vitæ genus sit flagitiosum, tantum abest illnd in exemplum hominibus proponendum esse, ut horroris, odiique potius esse debeat argumentum. *Ex P. Bourdaloue Sermone de Sacerdotibus.*

XVII. In Pastore tres ministerio suo essentiales qualitates requiruntur.

1. Vita pura, atque integerrima, ut populum exemplis ædificet.

2. Doctrina sana, ut illum institutis, ac præceptis erudiat.

3. Charitas fervens, ut illi indigenti opem ferat. *Flechier Sermone de Sancta Carolo.*

XVIII. Tria sunt, quæ Ecclesiasticorum statui, præsertim verò eorum, qui Pastores sunt, animarumque curam gerunt, inhærent. Primn. Labor procurandæ salutis eorum, qui ipsorum curæ crediti sunt. Secundo. Hujus muneris præstantia. Tertin. Redditus, qnos inde consequntur. Qui redditus tantummodn spectat, atque emolumenta, propter avaritiam nperatur, & est mercenarius. Qui honorem tantum, ac dignitatem inquirit, agit ex ambitinne, & humilitatis statum sibi vertit in superbiam. Ille unns legitima operatur ex causa, qui sibi proponit dumtaxat curam & divinæ gloriæ quærendæ, & proximi utilitati inserviendi. *Ex Patre Segneri.*

XIX. Nullus status est, qui peculiarem nnn exigat vocationem; verum consentiendum est, Ecclesiasticum statum longe majorem præ ceteris, apertioremque flagitare.

1. Propter dignitatem, quæ toto Cœlo ceteris præstat, & quæ eas petit qualitates, atque talenta, quæ in aliis omninn necessaria nnn sunt.

2. Propter muneris difficultatem; propter quam majoribus Cœli subsidiis indiget.

3. Prnpter pericula, quæ ibi majora, magisque terribilia, quam alibi, imminent. *P. Le Valois, Epistola octava de recessu.*

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest ad propositas concionum structuras exornandas.

CUm in tanta Anctorum copia, qui de Ecclesiasticis, deque Sacerdotum, Præsulum, Pastnrumque officiis sermonem habuere, minimè licuerit nmnes indigitare, & perfectam eorum afferre nomenclaturam: eos memnrare satis duxi, qui mihi in manus cecidere, & ex quibus eos deprompsi sensus, & locos, quns attuli

Sanctus Cyprianus *Epist.* 9. docet, Ecclesiasticum sese terrenis negotiis enmmiscere non debere. Sancti Patres.

Sanctus Hierotiymus in prnlixa Epistola *ad Nepotianum*, egregia illi tradit præcepta ad vitam in Ecclesiastico statu, quem fuerat amplexus rite deducendam.

Idem in Epistola *ad Heliodorum*, in adolescentis illius obitu, eum proponit veluti exemplum a Sacerdotibus omnibns imitandum.

Idem in Epistola *ad Oceanum*, eas memorat qualitates, quæ requiruntur in Præsule.

Idem Commentariis *in cap.* 1. *Epist. ad Tit.* inter alia, quæ Ecclesiasticis tradit monita, latè differit de virtutibus, quibus prædiri esse debent Sacerdotes, deque vitiis ab illis evitaodis.

Idem *Epist. ad Fabiolam* ostendit, quænam in Sacerdotibus qualitates requirantur ad veteris Testamenti Sacerdotes alludens.

Idem *lib.* 13. *in cap.* 43. *Ezechielis* loquitur de Sacerdotum vestibus, earumque significatinne.

Idem *in secunda Epist. Petri* iterum nstendit virtutes, quibus Sacerdotes, atque Pastores præditi esse debent.

Sanctus Ambrosius librum edidit de Sacerdotali dignitate, deque sanctitate, quæ in augusto hoc ministerio requiritur.

Idem *lib.* 1. *de Officiis cap. ult. & lib.* 2. *cap.* 21. *&* 24. ostendit Sacerdotes Laicis virtute præstare debere.

Idem *lib.* 1. *Epist. Epistola ad Ireneum Pitagoricum*, docet Ecclesiasticis nnn communem vitam esse ducendam.

Idem *lib.* 1. *de Pœnitentia*, ostendit iis, quibus inter Ecclesiasticos aliis invigilandi cura demandata est, cum suavitate esse imperandum.

Sanctus Hiernnymus præter ea, quæ jam adnotata sunt in capite tertin Isaiæ, hæc Prophetæ explicans verba: *Vos depasti estis vineam meam*, transfert illa ad eos, qui Ecclesiasticis redditibus abutuntur.

Idem hæc verba interpretatus: *Væ Pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos*, nstendit, quam sibi conflent calamitatem, qui bona, & dignitates Ecclesiæ possident, ac vivunt in delictis. Ezechiel. 34.

Idem tractat hoc argumentum *l.* 6. *in* 8. *cap. Amos.*

Idem *lib.* 3. *in cap.* 11. *Zacharia*, contra illos invehitur, qui in Ecclesiasticis dignitatibus suum tantummodo honorem requitunt.

Sanctus Cyprianus librum edidit *de Singularitate Cleric.* ubi inter cætera ostendit quam periculosa Ecclesiasticis sit cum mulieribus consuetudo, & contubernium.

Idem tres edidit Epistolas, primam *ad Rogat. & ceteros Confessores*, ubi de ratione Ecclesiasticam servandi disciplinam verba facit; secundam, ac tertiam *ad Clerum, & Plebem*, nbi eas ostendit conditiones, quæ in Ecclesiæ ministris sunt requirendæ.

Sanctus Gregorius *Homilia* 17. *in Evangelia*, docet perniciosum esse Ecclesiasticorum nequam exemplum.

Idem *lib.* 23. *Moralium cap.* 17. eos, qui hunc amplectuntur statum, ut victui suo consulant, cum iis comparat, qui Salvatorem secuti sunt, eo quod panum multiplicatione fuerant saturati.

Idem *lib.* 5. *in* 1. *Reg. cap.* 3. ostendit, quonam in salutis suæ periculo versentur illi, qui Ecclesiæ sacris non vocati initiantur.

Idem

Idem *in cap. 9. lib. 1. Reg.* invehitur contra pravos mores Cleri temporum suorum.

Sanctus Augustinus *Epist. 148. ad Valerium*, docet, quam operosum sit, ut Sacerdos dignè suo munere perfungatur; ac petit sibi recessum permitti, ut imposito muneri sese disponat.

Idem *Epist. 209. ad Feliciam Virginem*, eam monet, ne scandalum arripiat ex aliquorum Pastorum vita nefaria.

Idem tres edidit tractatus in Sancti Joannis Evangelium, videlicet 45. 46. & 47. ubi in ea verba *cap. 10. Qui non intrat per ostium in ovile*, de Pastoribus, ovibusque loquitur.

Idem duos alios tractatus edidit, qui in nono operum tomo inveniuntur: alterum de Pastoribus, eorumque muneribus; alterum de obedientia, quam oves Pastoribus debent.

Idem duos habet Sermones: *De verbis Domini secundum Joannem*; in quorum altero qui est undequinquagesimus de pastore, & mercenario; in altero verò qui quinquagesimus est de vero Pastore, qui est JESUS CHRISTUS, verba facit.

Idem *in Sermonibus diversis*, duos ejusdem argumenti sermones habet; videlicet de communi vita Ecclesiasticorum.

Idem *lib. quæst. utriusq. Testam.* loquitur de puritate Sacerdotum.

Liber *de Singularitate Clericorum*, quem nonnulli Sancto Augustino adscribunt, atque inter ejusdem opera invenitur, est Sancti Cypriani, sub cujus nomine superius meminimus.

Liber *de Contemptu seculi*, ubi sermo est de terrenis rebus, quas nullo in discrimine habere debent Sacerdotes, & Ecclesiastici; at neque hic liber hujus Doctoris est, non secus ac Sermones *ad Fratres in Eremo*, e quibus 36. 37. 40. 42. & 64. res continent Ecclesiasticis utilissimas.

S. Gregorius Nazianzenus in oratione sua Apologetica refert onera Episcopalis dignitatis, & eas memorat causas propter quas adeo grave pondus effugit.

Idem de iis conqueritur, qui Sacerdotium, curamque animarum, tamquam victus adminicula reputant.

Sanctus Basilius *Homil. 2. de Baptismo*, docet, quam periculosum sit Sacerdoti Sacris operari, antequam sedulo conscientiam suam perpenderit, & peccata per pœnitentiam expiaverit.

Origenes *Homil. 16. in Genes. in exposit. cap. 27.* ostendit quinam esse debent novæ Legis Sacerdotes.

Sanctus Prosper tres edidit hujus argumenti libros, quorum primus agit de contemplativa Sacerdotum vita, alter de vita activa, seu eorum muneribus; tertius de eorum virtutibus, & vitiis.

Idem opusculum scripsit de Sacerdotali dignitate; alterumque de Ecclesiasticarum dignitatum fuga; tertium continet abdicati Episcopatus apologiam; quartum de communi vita Canonicorum; quintum contra Ecclesiasticos aulicos Ecclesiasticas dignitates ambientes; sextum contra Ecclesiasticorum inscitiam, & ignaviam; septimum de cælibatu Sacerdotum; octavum denique contra intemperantes Clericos.

Sanctus Gregorius Magnus præter memoratos locos de Ecclesiasticis loquitur etiam in libro de cura pastorali ad Episcopum Ravennatem; in homilia 14. in Evangelia; in Epist. ad Vigilium Arelatensem.

Sanctus Isidorus in quinque libris Epistolarum sæpe de Ecclesiasticis, eorumque virtutibus, & vitiis verba facit.

Salvianus in libris ad Ecclesiam Catholicam, præsertim in secundo acriter contra Sacerdotum avaritiam invehitur.

Sanctus Leo Papa Epistola ad Anastasium Episcopum scribit neminem ad sacros ordines esse admittendum, qui continentiam servaturum se non spoponderit.

Idem *Epist. 87. ad Episcopos Africanos*, præcipit illis, ut observent Canones, qui ad Ecclesiasticorum regimen spectant.

Sanctus Joannes Chrysostomus præ omnibus aliis Patribus fusius pertractavit in sex libris de Sacerdotio quidquid ad hoc pertinet argumentum.

Idem *homil. 5. in 6. Isaiæ caput*, loquitur de honore, & reverentia, quæ Sacerdotibus debetur, deque incomparabili eorum dignitate.

Idem *homil. 10. in 1. S. Pauli ad Timotheum Epistolam*, ostendit necessarias Episcopi qualitates, & quantum Ecclesiæ detrimentum cedat ex harum qualitatum defectu.

Idem *hom. 3. in Acta Apostol.* ubi de S. Mathiæ in Apostolum electione disseruit, omnes numerat difficultates, atque pericula, quæ in Ecclesiæ dignitatibus, muneribusque inveniuntur.

Idem *hom. 34. in Epist. ad Hebr.* loquitur de Pastorum officiis erga eos, qui ipsorum curæ crediti sunt.

Idem *hom. 4. & 5.* in hæc Isaiæ verba: *In anno, quò mortuus est Rex Ozias*, &c. ex temeritate Oziæ, qui acerræ manu admovere voluit, arripit occasionem de Sacerdotii dignitate verba faciendi.

Idem *homil. 10.* operis imperfecti in Sanctum Matthæum, ostendit quænam esse debeant Sacerdotum virtutes, & officia.

Idem *homil. 40.* operis ejusdem ostendit difficilius ad frugem converti posse Sacerdotes nefarios, quam nequissimos peccatores viventes in sæculo: & *homil. 43.* illos Pharisæis comparat ea præcipientibus, quæ ipsi minime faciunt.

Sanctus Bernardus quoque ex illis fuit, qui optime de Ecclesiasticorum officiis disseruerunt, & acerrime contra illorum flagitia invecti sunt. Hi autem ferme sunt loci præcipui.

In Epistola ad Eugenium Papam post ejus electionem, illius sortem luget, ac se metuere testatur, eum ad formidabilem propter munera inhærentia dignitatem provectum intuitus.

Idem in quinque libris de Consideratione eidem Pontifici dicatis nihil eorum prætermittit, quæ ad Ecclesiasticos pertinent.

Idem singularem edidit tractatum *de moribus, & officio Episcoporum*, tria & viginti continentem capita, ubi nihil omittit eorum, quæ erant in tam amplo argumento dicenda.

Idem alium edidit tractatum, cui titulus: *de Contemptu Mundi*, vel *Declamatio super ecce nos reliquimus omnia*, vel denique *Exhortatio de vita, & moribus Clericorum rectè instruendis*. Hic tractatus continet 22. capita, & omnia singillatim persequitur.

Idem egregium edidit Sermonem de Pastorum officio, inscriptum: *Ad Pastores in Synodo Congregatos*; licet dubitent quidam, utrum hujus sit auctoris nec ne.

Idem ejusdem argumenti Sermonem edidit, *Ad Clerum in Concilio Rhemensi congregatum*.

Idem duas scripsit Epistolas ad Brunonem Archiepiscopum Coloniensem, ubi hujus dignitatis pondus, & hujus honoris onera describit.

Idem Sermone primo de Conversione Sancti Pauli eas deplorat persecutiones, quas a Ministris suis per flagitiosos eorum mores, patitur Ecclesia.

Idem in Apologia *ad Guillelmum Abbatem*, contra plurima Ecclesiasticorum crimina invehitur.

Idem pluribus aliis in locis hoc argumentum attingit, *Serm. 23. & 44. in Cantica. Serm. 6. in Psal.* Qui habitat, &c. *In secunda Epistola* ad Fulconem Canonicum; *in Epist. 152.* ad Innocentium Papam. *In Prologo vitæ S. Malachiæ. In vita ejusdem Sancti cap. 9.* alibique passim.

S. Ephrem librum de Sacerdotio conscripsit.

Hugo a S. Victore Sermonem edidit ad Sacerdotes, quo illos hortatur, ut saluti animarum invigilent.

Sanctus Bonaventura sex edidit perutilia hujus argumenti opera.

Gerson Parisiensis Accademiæ Cancellarius plures ejusdem argumenti sermones, atque tractatus protulit.

Sanctus Thomas in Commentariis in primam ad Timotheum Epistolam.

S. Laurentius Justinianus pulcherrimum edidit opus *de Institutione, & Regimine Prælatorum*.

Bartholomæus de Martyribus, in Speculo Pastorum. Ascetici, aliique.

Sanctus Carolus Boromæus sex habuit Sermones in Conciliis Provincialibus, quæ ipse collegit.

Claudius Jaius e Societate Jesu ex Scripturæ, Canonum, Doctorumque verbis Prælatorum speculum coocinnavit.

Jodocus Clictivæus in lucem edidit libellum de vita, & moribus Sacerdotum.

Bellarminus peculiarem conscripsit librum, cui titulus, *de Clericis*.

Aoronius Molina Carthusianus de Instructione Sacerdotum.

Hierooymus Platus in libro de Cardinalis dignitate loquitur etiam de Prælatorum virtutibus, & officiis.

Alphonsus Tostatus præter ea, quæ passim in commentariis dicit de Pastorum officio, singulare habet Opusculum contra Sacerdotes concubinarios.

Andreas *du Saussai*, Panoplia Sacerdotalis.

Pesse, præteriti sæculi Concionator librum edidit de Sacerdotio.

Nicolaus Lancicius *tomo* 2. *opusc*. 13.

Ludovicus a Ponte tomo tertio de Perfectione.

Abely, Sacerdos Christianus.

Marchantius in horto Pastorum de Virga Aaronis.

Claudius a Cruce, in libro cui titulus, Perfectus Ecclesiasticus, vel instructiooes variæ pro omoibus Clericorum muneribus.

Liber cui titulus, Bonus Sacerdos, Rev. Præsuli de *Xaintes* dicatus, ubi fusius sermo est de vocatione, sanctitate, ac necessariis Sacerdotum, & Ecclesiasticorum virtutibus.

Praxis Curatorum P. Pauli Segneri.

Liber cui titulus, Tria boni Sacerdotis Officia a P. Modesto a S. Amabile ex Carmelitarum Excalceatorum familia, editus.

P. Le Valois in septima de Recessu Epistola, & in octava.

Concionatores Ecclesiastici.

Lambert duo edidit Sermonum volumina de vita Ecclesiastica, ubi tres potissimum hujus sunt argumenti; primus de Vocatione ad Statum Ecclesiasticum, alter de hujus Status præstantia; tertius de Spiritu Ecclesiastico.

Io Christianis Sermonibus in omnes Anni Dominicas, unus est de reverentia, quam populi debent Ecclesiasticis, & bono exemplo, quod populis debent Ecclesiastici.

P. Bourdaloue in Sermonibus, qui ipsius nomine circumferuntur feria tertia post alteram Quadragesimæ Dominicam verba facit de honore, & reverentia, quæ Sacerdotum caracteri debetur.

Molioier Sermone pro feria secunda post quartam Dominicam Quadragesimæ loquitur de Sacerdotum officio, quod in eo positum est, ut populum & verbo ædificent, & exemplo.

In libro cui titulus, *Essais de Sermons* pro omnibus anni Dominicis, Dominica secunda Sermo est de Vocatione ad statum, ac dignitates Ecclesiasticas, deque qualitatibus ad illorum munera explenda oecessariis.

Auctor Sermonum in omoia Ethicæ Christianæ argumenta sermonem habet de Statu Ecclesiastico tomo primo argumentorum particularium.

Idem tomo eodem concionem habet de reverentia Sacerdotibus debita.

Fromeotieres quoque Sermonem habet ejusdem argumenti.

Qui hujus argumenti collectanea ediderunt.

Buizus, *de Statibus*, *de Statu Clericorum*.
Idem, *de Episcoporum statu*.
Idem, *de Prælatorum statu*.
Lohner, Bibliotheca Manualis.
Labatha, aliique. *Titulo Sacerdos*.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento.

Sancti erunt (Sacerdotes) *Deo suo, & non polluent nomen ejus: incensum enim Domini, & panes Dei sui offerunt. Sint ergo sancti, quia & ego sanctus sum, Dominus, qui sanctifico eos.* Levitici 21.

Consecrati sunt Deo suo. Ibidem.

Sacerdotes tui induantur justitiam. Psal. 131.

Suscitabo mihi Sacerdotem fidelem, qui juxta cor meum, & animam meam faciet. 1. Reg. 2.

Peccatori dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Psalm. 49.

Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera: non enim jugiter habebis potestatem. Prov. 27.

Et nunc fratres, quoniam vos estis presbyteri in populo Dei, & ex vobis pendet anima illorum, ad eloquium vestrum corda eorum erigite. Judith. 8.

Presbytero humilia animam tuam. Eccli. 4.

In tota anima tua dilige Dominum, & Sacerdotes illius sanctifica. Eccli. 7.

Constituit coram Arca Domini de Levitis, qui ministrarent, & recordarentur operum ejus, & glorificarent, atque laudarent Dominum Deum Israel. 1. Paralip. cap. 16.

Mundamini, qui fertis vasa Domini. Isaiæ 52.

Dabo vobis pastores juxta cor meum, & pascent vos scientia & doctrina. Jerem. 3.

Sacerdotes non dixerunt: Ubi est Dominus? & tenentes legem nescierunt me, & pastores prævaricati sunt in me. Jerem. 2.

Væ pastoribus, qui disperdunt, & dilacerant greges pascuæ meæ. Jerem. 23.

Hæc dicit Dominus Deus Israel ad pastores, qui pascunt populum meum: Vos dispersistis gregem meum, & ejecistis eos, & non visitastis eos: ecce ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum. Ibidem.

Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos: nonne greges à pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis: gregem autem meum non pascebatis. Ezechiel. 34.

Super omnem faciem terræ dispersi sunt greges mei, & non erat qui requireret. Idem, ibidem.

Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, & cessare faciam eos, ut ultrà non pascant gregem. Idem, cap. 34.

Sacerdotes ejus contempserunt legem meam, & polluerunt sanctuaria mea. Ezech. 22.

Qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates. Daniel. 12.

Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus. Malach. 2.

Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi. Oseæ, cap. 4.

Sacerdotes polluerunt Sanctum ejus. Sophoniæ cap. ult.

Sicut populus, sic Sacerdos: & visitabo super eum vias ejus. Oseæ 4.

O Pastor, & idolum, derelinquens gregem! Zachar. 11.

Vos recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege; irritum fecistis pactum Levi: propter quod & ego dedi vos contemptibiles, & humiles omnibus populis. Malach. 2.

In omni virtute tua dilige eum qui te fecit, & ministros ejus ne derelinquas. Eccli. 7.

Vos estis sal terræ; quod si sal evanuerit, in quo salietur? Matth. 5.

Vos estis lux mundi; non potest abscondi civitas supra montem posita. Ibidem.

Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in Cœlis est. Ibidem.

Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis. Joan. 10.

Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro. Ibidem.

Simon Joannis diligis me plus his? &c. Dicit ei: Pasce agnos meos. Joan. 21.

Atten-

Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. Actor. 20.

Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. 1. ad Corinth. 4.

Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. Ibidem.

Qui alios doces, teipsum non doces. Ad Rom. 2.

Pro Christo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos. 2. ad Corinth. cap. 5.

Nemini dantes offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum. 2. ad Corinth. 6.

In omnibus exhibeamus nosmetipsos, sicut ministros Dei. Ibidem.

Vide ministerium, quod accepisti in Domino, ut illud impleas. Ad Coloss. 4.

Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate .... Hæc meditare. 1. ad Timoth. 4.

Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur: maximè qui laborant in verbo & doctrina. Ibidem cap. 5.

Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, pudicum, hospitalem, &c. 1. ad Timot. 3.

Labora sicut bonus miles Christi. 2. ad Timoth. cap. 2.

Sollicitè cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, rectè tractantem verbum veritatis. Ibidem.

Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus. Ibidem cap. 2.

Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tamquam Aaron. Ad Hebr. cap. 5.

Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis. Ibidem.

Dum venio, attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ. 1. ad Timoth. 4.

Prædica verbum, insta opportunè, importunè: argue, obsecra, increpa in omni patientia; vigila, in omnibus labora; opus fac Evangelistæ; ministerium tuum imple. 2. ad Timoth. 4.

In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, & gravitate. Ad Titum, cap. 2.

Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coactè, sed spontaneè secundùm Deum; neque turpis lucri gratia, sed voluntariè; neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. 1. Petri, cap. 5.

Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit. Luc. 10.

Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi; omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate, & facite: secundùm opera verò eorum nolite facere: dicunt enim, & non faciunt. Mat. 23.

Separavit vos Deus Israel ab omni populo, & junxit sibi, ut serviretis ei in cultu tabernaculi, & ministraretis ei. Num. 16.

Exempla ex Veteri, Novoque Testamento deprompta.

De Sacerdotibus in Lege naturæ.

IN Lege naturæ, quæ mortalibus omnibus communis est, quoad prima principia, illustrium familiarum primogeniti cum ad statam pervenissent ætatem, Sacerdotio initiabantur, cujus jure hoc gaudebant privilegio, quod Sacerdotali tunica induebantur, Sacrificia offerebant, extremam patrum suorum benedictionem recipiebant; aliis benedictionem elargiebantur in conviviis, actionibusque solemnibus, duplicem patriæ hæreditatis partem capiebant, & in fratres suos obtinebant auctoritatem. Sed cum naturæ scripta lex successisset, ejus defectus abstulit; voluitque Deus habere populum cui suam tradidit legem, & bene vivendi formam, instituitque Sacerdotes, quos in honore jussit haberi, præcepitque Moysi, ut sancto huic Ministerio præficeret Aaronem cum quatuor filiis ejus, quibus sacrificaturis ea fieri voluit indumenta, quæ omnem cogitationem pretio superarent. Hoc ad unguem fuit adimpletum, ut populus sublimiorem de Divinis Mysteriis ideam, majoresque erga Sacerdotum personam observantiam conciperet.

Oziæ pœna, quod Sacerdotali defungi voluit officio, 2. Paral. cap. 26.

Oziæ exemplum satis probat, quantum divinæ sit acceptus Majestati honor, qui ejusdem Ministris defertur; & quanam severitate eos percutiat, qui non vocati sese in hoc ministerium student intrudere. Etenim in historia sancta legimus, Oziam sexdecim natum annos regnare incæpisse, plurimas de hostibus victorias reportasse, plurimas urbes, arcesque ædificasse, ac tercenta militum delegisse millia, quæ sibi præsto essent; sed quin Deo tantæ felicitatis auctori ob tot collata dona gratias ageret, haberetque; Sacerdotalibus indui vestimentis, acerræ in Sanctuario Templi manum admovere, Sacerdotum munera sibi vindicare ausum fuisse, illis necquiquam obsistentibus; quod fuit in causa; ut Regem hunc infami lepra percuteret Deus, antequam de loco suo pedem efferret; qua labe toto vitæ suæ spatio laboravit, coactus regnum Joathan filio suo relinquere.

Honor, qui legis antiquæ Sacerdotibus deferebatur.

Dignitas Sacerdotalis tanto apud Judæos in honore habebatur, ut Agrippa Rex ad Romanum scribens Imperatorem affirmet quamplures ex majoribus suis, qui Summi Sacerdotii munere fuerant defuncti pluris Sacerdotalem facerent, quàm Regiam auctoritatem. Ejus afferam verba, & rationem, propter quam hæc dignitas tanti æstimaretur: *Quam illi dignitatem pluris faciebant, quam Regiam, rati, quanto Deus antestat homini, tanto Pontificatum regno excellentiorem esse.*

Moyses primus est, qui ordinatū cultum & Supremam [illegible] Sacerdotas instituerit.

Moyses primus fuit, qui in Dei honorem extruxerit Templum, licet mobile, Aram, Sacerdotes, Sacrificia, verbo ordinatum, statumque cultum, qui nondum fuerat in terris. In hoc autem potissima ejusdem cura fuit, ut & ipse diligentissimè observaret, & æquè ab omnibus Sacerdotibus observandas curaret minimas circumstantias, quæ sibi a Deo fuerant mandatæ. Conceptus, quem de illius magnitudine animo imbiberat, fecit, ut ille cognosceret Deum, non alia ratione meliùs coli posse, quam ea, quam ipse præceperat, neque minimum aliquid in cultu ejusdem impune omitti posse, quod non sine gravi injuria ejusdem accideret.

Aaronis filii Igne absumpti quod in Sanctuario profanum ignem intulerant.

Decimo Levitici capite legimus, cum Aaron Sacerdotalibus indutus ornamentis obtulisset sacrificia, postridie illius diei Nadab, & Abiu filios ejusdem natu majores nimis temère ad thimiamata offerenda accessisse, & quin in acerris suis ignem sacrum afferrent, qui primum Cœlo dilapsus deinceps Sacerdotali cura in Tabernaculo servabatur, alienum, profanumque ignem accepisse, quo thura adolerent. Verum enim verò cum hac Lege, quam rogaverat, vellet Deus eum honorem testari, quo omnibus sæculis persecuturus erat eos potissimum ex Ministris suis, qui coram ipso profano igni incenderentur, videlicet, qui Mundi, noxiarumque voluptatum amore flagrarent, utrumque adolescentulum Sacerdotem subita morte percussit. In illos flammam ejaculatus est, fulminis instar, qua conflagrarunt, quin absumerentur. Igni ultus est eos, qui per ignem peccaverant; ultricium flammarum suarum ardorem ferventi opposuit ardori adolescentiæ horum ministrorum; atque ostendit, ea quæ in populi turba ferenda sunt, non esse in Sacerdote ferenda.

Moysis resistentia, qua respuebat ad Pharaonem proficisci.

Resistentia, qua Moyses Dei mandatis obstitit, præcipientis, ut verbis suis Pharaonem alloqueretur, quosdam Sanctos Patres in dubium vocarunt, utrum ea in occasione potuerit a peccato Moysem excusare, eo magis quod deinde contra ipsum iratus est Deus, mordicus obluctantem, ne divino pareret imperio. Verum cum oculos conjicimus in hominis humilitatem, quæ unica erat oppositionis causa, tantum abest, ut illum ulla vituperatione dignum censeamus, quod immo eum-

dem

dem ad imitandum proponere cupimus, id votis omnibus optantes, ut quibus animarum cura defertur, quin avidius hæc munera consectarentur, non sine quadam obstinationis specie resisterent, ac repulsa humilitatis plenissima in eum statum adducerentur, ut ipsum Deum fere ad iracundiam provocarent.

Levitæ a reliquo populo separati erant.

Cum quæreretur quinam a Deo in Ministros fuissent electi, & quinam ad Leviticam dignitatem erecti, Deus his verbis illos declaravit cum eorum probro, qui per ambitionem ad Sacerdotalem dignitatem attolli cupiebant: *Separavit vos Deus Israel ab omni populo, & junxit sibi, ut serviretis ei in cultu Tabernaculi, & ministraretis ei.* Igitur Ecclesiasticus a Mundo separatus esse debet, & vacare Deo. Hic sibi dicere debet; non sum amplius de hoc Mundo; JESUS CHRISTUS me ab eo separavit; ego illi ultro abrenunciavi cum Sacris Ordinibus initiatus sum. Ordinatio mea simul est, & consecrationis, & separationis Mysterium; ibique caracterem recipio, qui me Deo mancipat; divortium ibi facio, quod me a Mundo divellit, & quemadmodum caracter, quem mihi imprimit Deus, deleri non potest, ita divortium cum Mundo nullum est unquam finem habiturum.

Dei vocatio requiritur in Sacerdotio.

Aaronis exemplum liquidò probat opus esse, ut a Deo ad Ecclesiasticum statum evocemur, ac nefas esse, ultro sese in Sacerdotii ministerium, & hujus status officia inserere sine peculiari vocatione, quam nobis immiserit Deus. Primus ille antiquæ legis Sacerdos explicito Dei jussu fuit consecratus; Moysi enim dixit Deus: *Tolle Aaron cum filiis suis, vestes eorum, & unctionis oleum &c.* Hæc igitur generalis lex est, a qua nemo solutus esse potest; & Sanctus Paulus hoc ipsum adfert exemplum vocationis necessitatem hanc probaturus: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron.*

Levit. 8.

Ad Hebr. 5.

Sacerdotum peccata sunt, quàm aliorum graviora.

In Levitico legimus, Deum, cum in lege veteri plura pro variis peccatorum generibus sacrificia constituisset, quoddam præcepisse, quod publica Victima appellabatur pro totius populi generatim criminibus institutum; ubi illud notandum est, quod sacrificium pro totius populi peccatis institutum, pro uno Sacerdotis unius scelere erat offerendum. Hæc sane consideratio timorem incutere debet iis, qui statum hunc ingressi sunt, videntibus peccata sua in judicio Dei esse adeo gravia, ut in eadem statera unum Sacerdotis peccatum omnibus totius populi flagitiis sit par; ac una ex illorum iniquitatibus in judicio Dei omnibus infinitæ multitudinis sceleribus exæquetur.

Exemplum Jesu Christi.

JESUS CHRISTUS æterna Sapientia Sacerdos erat secundum ordinem Melchisedech, quemadmodum Fides nos edocet.. Hoc inquit Apostolus: *Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret; sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu.* Hujus loci non est de Sacerdotii ipsius præstantia, deque Sacrificio, quod obtulit in cruce, vel de eo, quod pridie quam pateretur, instituit, vel de potestate, quam Apostolis suis, atque in eorum persona Sacerdotibus omnibus tradidit, incruentum Deo sacrificium offerendi, verba facere, neque dignitatem hanc, quæ nemo illi in dubium vocare potest, quod videlicet sit novæ Legis Sacerdos probare. Liquet solum ex Evangelio ipsum quoque qualitatem hanc adeo amplam, atque omni severentia dignam in honore habuisse. Cum primum in Mundi lucem prodiit, Simeonem summum tunc temporis Sacerdotem invisit, & fortasse ejusdem opera fuit circumcisus. Eos, quos a lepra mundabat, ad Sacerdotes mittebat, qui pronunciarent, utrum bene convaluissent; atque ut eam reciperent oblationem, quæ in lege præcipitur. Ipse etiam præcepit, ut eorum dignitas in honore haberetur, quin vitia, & nefarium vivendi genus eorum inspiceretur. *Omnia, quæcumque dixerint vobis, servate, & facite, secundum opera verò eorum nolite facere.* Ipso etiam Passionis suæ tempore nonne debitam caracteri eorum præstitit reverentiam, licet injustè ab illis accusaretur, & damnaretur, semper silentium servans, præterquam quod cum nescio quis illi crimen injecisset, quasi Summo Pontifici negasset reverentiam?

Ad Hebr. cap. 5.

Luc. 2.

Matth. 23.

Sancti Pauli Exemplum.

Sanctus Paulus ejusdem erat sententiæ ac Salvator erga legis antiquæ Sacerdotes; etenim in Apostolorum Actis capite tertio videmus, quod semel accusatus quasi nimis superbè locutus fuisset cum Principe Sacerdotum, neque eam præstitisset reverentiam, quæ tantæ dignitati debetur, statim sese purgasse, atque excusationem attulisse ignorantiæ suæ, quia illius non noverat dignitatem; quibus verbis ostendit, se aliter acturum fuisse, si illum cognovisset, ac simul docuit, quid cum novæ legis Sacerdotibus faciendum sit.

Angeli ipsi in honore habent Sacerdotes.

In Apocalypsi videmus ipsos quoque Angelos in honore eos habere, qui divino hoc caractere sunt insigniti, cum enim eorum quidam Sancto Joanni apparuisset, quemadmodum hic idem enarrat, Apostolus jam jam in genua procumbebat illum veneraturus. Sed hunc Angelus prohibuit dicens; ego Dei famulus sum, ut tu, ac pares sumus in officio, quod variis rationibus exercemus. Quibus addere poterat se & dignitate, & potestate huic Apostolo esse inferiorem.

Vocatio ad hunc statum in lege nova necessaria est.

Necessitas peculiaris vocationis ad Statum Ecclesiasticum in Præsulibus, Pastoribus, & Sacerdotibus non obscurius in lege nova, quam in veteri connotata est; uti videre est in electione Sancti Stephani in Diaconum, Sancti Mathiæ in Sacerdotem, atque Episcopum; cujus dignitas cum amplior esset, major potestas, & augustius ministerium; major etiam adhibita est diligentia, pluresque servatæ sunt cæremoniæ. Licet enim Apostolis explorata esset virtus amborum, qui propositi fuerant, scilicet Joseph, qui Barsabas cognominabatur, & Mathiæ, Domini voluntatem consuluerunt, & sensibile aliquod experierunt indicium illius, qui eligendus esset, ut proditoris Judæ locum obtineret. Miserunt sortes, & divinitus factum est, ut sors feliciter decideret in S. Mathiam, qui a Deo fuit electus.

Aliquot Scripturæ locorum huic Argumento Applicationes.

Sanctitas, quæ in Sacerdotibus, ac Domini Ministris requiritur.

S*Acerdotes sine macula voluntatem habentes in lege Dei. 1. Machab. 4.* Optandum esset, ut Sacerdotes potestatem habentes moraliter in animabus, & realiter in Ara producendi JESUM CHRISTUM eumdem, quem beatissima Virgo omnium Creaturarum purissima in tempore peperit, & quem Pater Cœlestis, qui eadem puritas est, in æternitate produxit, optandum esset inquam, ut similem, prorsusque cœlestem puritatem haberent. Verum si hoc in eorum potestate non est, debent saltem eos imitari Sacerdotes, quos olim Judas Machabæus elegit, ac Sacerdotes esse sine macula, homines divinæ legis amantes, eam deferentes in corde, & religiosè servantes, numquam ab ea recedentes, ac nihil antiquius habentes, quàm eam perfectè, integrèque servare. *Sacerdotes sine macula voluntatem habentes in lege Dei.*

Prava Sacerdotum, & Ecclesiasticorum vita causa est corruptionis morum in populo.

Propter peccata Prophetarum ejus, & iniquitates Sacerdotum ejus, erraverunt cæci in plateis. Thren. 4. Miser populus, inquit Jeremias, in plateis ipsis deerravit, atque in viis planissimis lapsus est; ea secutus est scelera; a quibus maximè abhorrebat; cæcus factus est; nihil amplius videt vel in iis, quæ ad fidem pertinent, de quibus numquam antea dubitaverat, vel in morum disciplina, quæ maximè perspicua erat, atque probata; *Erraverunt cæci in plateis;* quanam de causa! *Propter peccata Prophetarum ejus, & iniquitates Sacerdotum ejus.* Prophetarum scelera, Sacerdotum flagitia, ac vitæ eorum scandala in tantam eum præcipitem dedit infelicitatem. *Idem,*

Audi-

Sacerdotes in judicio Dei rationem reddituri sunt de scandalo, quod afferunt.

Audite hoc Sacerdotes, & attendite: quia vobis judicium est, quoniam laqueus facti estis, & rete expansum super Thabor. Osea 5. Sacerdotes, animo percipite, ac attente meditamini ea, quæ vobis dicturus sum: *Quia vobis judicium est, quoniam laqueus facti estis, & rete expansum super Thabor.* Laqueus facti estis populo Dei; in Thabor, in monte Sancto, in Sacerdotali apice, ac dignitate estis expositi, tamquam laquei, & retia expansa ad capiendos Fideles, ad eos in peccatum, erroremque pertrahendos, ad eos in scelere retinendos, atque perdendos. Ex hac die Deus in universali judicio causam dicturis diem vobis dicit: pro vobis, utique præsertim pro vobis terribilem diem illum præparat. *Vobis judicium est.*

Sacerdotes Sancti esse debent.

Consecrati sunt Sacerdotes Deo suo, & panes propositionis offerunt; sint ergo Sancti, quia & ego Sanctus sum Dominus, qui Sanctifico eos. Levit. 21. Hæc omnia verba peculiarem merentur attentionem, ea verò præsertim: *Consecrati sunt Deo suo.* Præcipit Sacerdotibus Deus, ut Sancti sint, quia sibi sunt peculiariter consecrati. Quod Deo Sacrum est, Sanctum est; in nullum amplius usum convertendum est; immo neque in communi hujus Mundi usu adhibendum; at neque inutile debet esse; servire debet, sed in Dei tantum honorem, ac sanctos usus est impendendum. Vos per ordinationem vestram Deo consecrati estis; debetis ergo sancti esse; non debetis ultra profanis rebus immisceri. Non mentes, non corda, non linguas, non manus vestras in iis adhibere opus est, quæ sancta non sint; Sanctis semper vacare debetis; omnes cogitationes vestræ sanctæ esse debent; omnes affectus, verba, factaque vestra debent redolere sanctitatem, eamque mortalibus omnibus inspirare.

De Pastoribus munus suum non obeuntibus.

O Pastor, & idolum derelinquens gregem! Zacharia 11. Numquam verba hæc recogitabat Sanctus Bernardus, quin terrore expavesceret pro iis omnibus, qui animarum curam suscipiunt. Cur Pastores, & idola sunt? Pastores nomine, & re ipsa idola, quia pedes habent, & non ambulant, manus, & non agunt, oculos, & non vident, aures, & non audiunt, linguas, & non loquuntur; vel potius quia pedes habentes, ut in justitiæ viis ambulent; iniquitatis tantum semitas percurrunt; manus, ut in Ara offerant, & sacris operentur mysteriis, illas in turpibus tantum negotiis usurpant; oculos, ut populorum mores dirigant secundum Evangelii præcepta, ea tantum objecta respiciunt, quæ sensus, affectusque suos possunt allicere; aures, ut Dei vocem audiant, & cupiditatis suæ vocem unicè auscultant; linguas denique, ut alios erudiant, & illis utuntur, ut de fluxis, terrenisque tantum rebus loquantur. *O Pastor, & idolum, derelinquens gregem!*

Ecclesiastici nequicquam Deo, & Mundo simul famulari contendunt.

Nemo potest duobus Dominis servire. Matth. 6. Licet generatim fidelibus omnibus dicatur, duobus simul dominis servitutem præstari non posse, Deo videlicet simul, & Mundo; dici nihilominus potest verba hæc peculiariter ad Ecclesiasticos referri, qui quatenus Ministri Domini, servitio ejusdem specialiter sunt consecrati. Quamobrem cum in Mundi commercium ingrediuntur, & vivunt; ut illi, qui eidem sese penitus devoverunt, dicere possumus, hos duobus servire dominis; quorum alter eos non recipit neque agnoscit; alter verò eos contemnit, & respuit, ita ut neutri penitus serviant. Et profectò credendumne est sæculi spiritum cum spiritu Sacerdotii simul consociari posse, & aliquem simul esse posse & mundi mancipium, & JESU CHRISTI Ministrum? Numquid duobus adeo oppositis dominis potest obtemperari? Numquid simul & calix Domini, & Dæmonum calix potest epotari? Simulque & mensæ Domini, & mensæ Dæmoniorum, ut Sanctus Paulus loquitur, participes fieri?

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

Nemo in Ecclesia amplius nocet, quàm qui perversè agens, nomen vel ordinem sanctitatis tenet: delinquentem namque hunc redarguere nullus præsumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur. Gregor. in Pastor.

Ingrediuntur electi, & Sacerdotum manibus expiati, cælestem patriam; & Sacerdotes Christi per vitam reprobam ad inferni supplicia festinant. Idem, Homil. 27.

Grandis dignitas Sacerdotum, sed grandis ruina, si peccant. Idem, super Ezechiel.

Nullum puto ab aliis majus præjudicium, quàm à Sacerdotibus tolerat Deus; quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit. Idem, Homil. 17. in Evangel.

Nullum facere subdiaconum præsumant Episcopi, nisi qui se victurum castè promiserit. Idem, Epist. 42.

Penset Sacerdos, quòd ad satisfaciendum districte judici, de sua tantummodo anima fortasse vix sufficit, & quot regendis subditis præest, tot, ut ita dicam, animas habet. Idem, in Moralib.

Causa sunt ruinæ populi Sacerdotes mali; quis enim se pro populi peccatis objiciat, si Sacerdos, qui orare debuerat, graviora committat? Idem, in regist. Epist. 64.

Tot occidimus, quot ad mortem ire quotidie tepidi & tacentes videmus. Idem, Homil. 11. super Ezechielem.

Cujus vita despicitur, necesse est, ut ejus prædicatio contemnatur. Idem, Homil. 12. super Evang.

Perit reverentia, adimitur disciplina, si qui culpas debuit emendare, committit. Idem, lib. 7. regist. Epist. 113.

Cum sacerdotalis dignitas aliis videatur dignitatibus eminere, ita quisquis ea ornatus est, cunctis se imitandum debet ostendere. Idem, lib. 7. regist. Epist. 117.

Non est jam dicere, ut populus, sic Sacerdos; quia nec sic populus, ut Sacerdos: heu! heu! Domine Deus! quia ipsi sunt in persecutione tua primi, qui videntur in Ecclesia tua primatum diligere, regere principatum. Idem, in Serm.

Domum Dei convertit in speluncam latronum, qui lucra de religione sectatur, cultusque ejus non tam cultus Dei, quàm negociationis occasio est. Hieronymus super Matth.

Procuratores domorum ac villarum alienarum quomodo possunt esse clerici, qui proprias jubentur contemnere facultates? Idem, in Epist. ad Nepotianum.

Qui Christi servit Ecclesiæ, interpretetur primò vocabulum suum, & nominis definitione prolata, nitatur esse quod dicitur. Idem, ibidem.

Propterea vocantur clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, id est, pars clericorum est. Qui autem vel ipse pars Domini, vel Domini partem habet, talem se exhibere debet, ut ipse possideat Dominum, & possideatur à Domino. Idem, ibidem.

Ignominia Sacerdotum est propriis studere divitiis. Idem, ibidem.

Propter vitia Sacerdotum, non modò Sanctuarium destituitur, sed etiam destruitur. Idem, Epist. ad Sabinianum.

Vita illius laudanda est, qui venerationi habet Sacerdotes Christi, & non detrahit gradui, per quem factus est Christianus. Idem, Epist. 1. ad Heliodorum.

Negotiatorem Clericum, & ex inope divitem, & ex ignobili gloriosum, quasi quandam pestem fuge. Idem, ad Nepotianum.

Si

Si Sacerdos est, sciat legem Domini; si ignorat legem Domini, ipse se arguit non esse Sacerdotem Domini. Idem, io Aggæum.

Absit ut quidquam sinistrum de eis arbitremur, qui Apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt. Idem, Epist. 1. ad Heliodorum.

Regum colla submittuntur genibus Sacerdotum. Ambros. Epist. ad Marcellinam Sororem.

Quid sumus professione, actione potiùs quàm nomine monstremus; ut actio respondeat nomini, & nomen cum operatione concordet. Idem, de Sacerd. dignit. cap. 3.

Quomodo potest à populo observari, qui nil habet secretum à populo, & à multitudine dispar? Quid in te miretur, si tua in se recognoscat, si nil in te aspiciat, quod ultra se inveniat? Idem, lib. 1. Epist. 6.

Non merita personarum consideres, sed officia Sacerdotum. Idem.

Sacerdos Christi Evangelium tenens, & Christi præcepta custodiens, occidi potest, vinci non potest. Cyprianus, Epist. 3.

O Sacerdotes, si anima cujuslibet justi, sedes est Dei, multò magis sedes & templum Dei esse debet mundum & immaculatum. August. in cap. 11. Isaiæ.

Presbyteri, qui bene præsunt vita & doctrina, digni habentur à subditis duplici honore, scilicet, ut spiritualiter eis obediant, & exteriora bona ministrent. Idem, sup. 1. ad Timoth.

Verè veneranda Sacerdotum dignitas, in quorum manibus, Dei filius, velut in utero matris incarnatur. August. Homil. 2. io Psalm. 37.

Altari vacare debent, qui de altari vivunt. Idem, de singul. Cleric.

Evangelicam & Angelicam vitam ducat Sacerdos oportet. Clemens Alexaod.

Non aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur. Cyprian. lib. 1. Epist. Epist. 3.

Custodes animarum (Sacerdotes.) Gregorius Naziaoz. in Orat. ad Sacerd. Coogreg.

Tantum interesse debet inter Sacerdotem & quemlibet virum probum, quantum inter cœlum & terram discriminis est. Isidor. Pelus. lib. 2. Epist. Epist. 205.

Cunctos, qui sacri altaris suggestu eminent, tantum excellere oportet merito, quantum gradu & dignitate. Salviaous, lib. 2. de Eccles. Cathol.

Sacerdotes pro populorum iniquitate damnantur, si eos aut ignorantes non erudiunt, aut peccantes non arguunt. Isidor. de summo bono.

Sacerdotem, virum oportet esse divinum. Syoesius, Epist. 105.

Dignitas in indigno est ornamentum in luto: & ideò qui sacri altaris suggestu eminent, quantùm gradu, tantùm merito excellere debent. Sydonius Apollinaris, lib. 2. de Eccles. Cathol.

Professio vestra vita cœlestis est. Cassiodor. lib. 8. Epist. Epist. 24.

Sacerdos inter Deum & hominem medius constitutus, citra Deum, sed ultra hominem, minor Deo, sed major homine. Ionocentius tertius in cap. 1. Apocal.

Honorate Sacerdotes, ut patres, ut Dominos, ut beneficos, ut bene vivendi authores. S. Clemens de Constit. Apost. lib. 7. cap. 32.

Quos necesse est quotidie sacrosanctis agni carnibus vesci. Cassiaous, lib. 6. cap. 8.

Sacerdos est miraculum stupendum, potestas ineffabilis; cœlum attingit, cum Angelis versatur, cum Deo familiariter agit. S. Ephrem, Serm. de Sacerd.

Sacerdos quasi communis quidam omnium Pater est; dignum est igitur, ut omnium curam agat, omnibusque provideat, sicut & Deus, cujus fungitur vice. Chrysost. Homil. 6. in 1. ad Timoth. c. 2.

Qui in terra versantur, iis commissum est, ut ea quæ in cœlis sunt dispensent; iis datum est, ut potestatem habeant, quam Deus optimus neque Angelis, neque Archangelis datam esse voluit. Idem, lib. 5. de Sacerdotio.

Medius stat Sacerdos inter Deum & humanam naturam: illinc venientia beneficia ad nos deferens, nostras preces illuc perferens, & Dominum iratum reconcilians. Idem, Homil. 5. io Isaiam.

Sacerdotes majore honore, quàm parentes proprios debemus honestare. Idem, lib. 3. de Sacerdot.

Sacerdotes, Christi Vicarii sunt, & qui honorat Sacerdotem Christi, honorat Christum. Idem, Homil. 7. in Matth.

Verè magna confusio Sacerdotum, & omnium Clericorum, quando laici inveniuntur ipsis fideliores & justiores. Idem, in Matth. cap. 25.

Sacerdotium principatus est ipso etiam regno venerabilius ac majus. Chrysost. Homil. 5. in hæc verba Isaiæ: *In anno quo mortuus est Ozias Rex, &c.*

Quænam quæso potestas hac una major esse queat? Pater omnifariam potestatem Filio dedit, cæterùm video ipsam eandem omnifariam potestatem à Filio Sacerdotibus traditam. Idem, de Sacerdotio, lib. 3.

Laici delinquentes facilè emendantur; Clerici autem si semel mali evaserint, inemendabiles fiunt. Idem, sup. Matth.

Consecrasti os tuum Evangelio, nugis igitur jam os aperire illicitum est; assuescere verò nugas loqui, sacrilegum est. Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & ex ore ejus requirunt legem, non nugas & fabulas. Bernardus lib. 2. de Coosiderat.

Inter Sæculares, nugæ sunt nugæ, in ore Sacerdotis blasphemiæ. Idem, ibidem.

Periclitatur Sacerdotis castitas in deliciis, humilitas in honoribus, pietas in negotiis, veritas in multiloquio, & charitas in hoc nequam sæculo. Bernardus, de Conversat. ad Clericos.

Timeant Clerici, timeant ministri Ecclesiæ, qui in terra sanctorum quam possident tam iniqua gerunt, ut stipendiis, quæ sufficere debeant non contenti, superflua, quibus egeni sustentandi forent, impiè sacrilegèque retinent. Idem, Serm. 24. in Cantic.

Quidquid præter necessarium victum, aut simplicem vestitum de altari retinens, tuum non est, rapina est, sacrilegium est. Idem, Epist. 2.

Conceditur tibi, ut si bene deservis, de altario vivas, non autem ut de altario superbias. Idem, ibidem.

Ecce Sacerdos factus es, non alleviasti onus tuum, sed arctiori jam alligatus es vinculo disciplinæ, & ad majorem teneris perfectionem. Lib. 4. de Imitatione Christi, cap. 5.

Sacerdos omnibus virtutibus debet esse ornatus, & aliis bonæ vitæ exemplum præbere. Idem, ibid.

Nihil est quod alios magis ad pietatem & Dei cultum assiduè instruat, quam eorum vita & exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt. Concil. Trident. sess. 22.

Cum à rebus sæculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tanquam speculum, reliqui oculos conjiciunt, ex eisque sumunt quod imitentur. Ibidem.

Sacerdotium est omnium bonorum, quæ sunt in hominibus, apex. Ignatius Mart. Epist. 10.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia penu in hoc argumento depromi possit.

CUm Sacerdotis, Clerique qualitas invicem separari non possint, alterius defioitio necessariò adstruit, cootioetque ideam, ac ootionem alterius. Itaque Sacerdos est Clericus legitimè ordioatus ab Episcopo, ut offerat Deo incruentum Corporis, Sanguioisque JESU CHRISTI Sacrificium, aliaque novæ legis Sacramenta admioistret. In hac definitiooe Clerici nomen, quod latius patet; atque iis omnibus commune est, qui cen- *Sacerdotii, & Clericatus definitio.*

fura

sura insigniti sunt, generis locum obtinet; & potestes Eucharisticum offerendi Sacrificium, aliaque administrandi Sacramenta, quorum nomina in ipsius Ordinatione exprimuntur, locum obtinent differentiæ.

Explicatio nominum Sacerdotis, & Clerici.

Sacerdos est essentialiter Clericus, hoc est secundum hujus nominis vim, & secundum Sanctum Hieronymum in Epistola ad Nepotianum, Deus sors illius est, portio, & hæreditas; hoc erat privilegium, quod olim conferebat Deus legis antiquæ Levitis; vel ipse est hæreditas Dei, quod non minus amplum est, atque gloriosum. Sacerdotis vocabulum Clerici verbo toto Cœlo ampliorem addit potestatem, ac latinum nomen *Sacerdos* ad illum peculiariter pertinet, seu quod sacra doceat, quasi Præceptor erudiens, seu quod sacra det, & administret, secundum nominis Ethymologiam, quæ a nonnullis affertur. Quod ad *Presbyteri* nomen attinet, liquet satis, cum in propria significatione *Seniorem* indigitet, ad eum peculiari ratione referri; quippe illius caracter eumdem meretur honorem, eamdemque reverentiam, quem illi, qui per ætatem habentur in pretio, & senectutis jure apud populos omnes in honore sunt habiti.

Sacerdotes, & Ecclesiastici in duas veluti classes dividuntur.

Ecclesiastici vulgò, & ii præsertim, qui Sacro Presbyteratus Ordine insigniti sunt, vulgò in duas classes distinguuntur, quarum altera Prælatorum est, Curatorum, Pastorum; qui Ecclesiasticis gaudent beneficiis non sine cura animarum; altera verò Simplicium Sacrificulorum, quibus nulla cura est, nullaque in aliquem jurisdictio. Ex his autem notionibus, distinctionibus, ac discriminibus, de quibus operæ nonnumquam est pretium, ut Laici erudiantur, Theologi, præsertim verò Casuistæ, plures hauriunt illationes, quarum aliæ ad Laicos erga Ecclesiasticos pertinent, aliæ verò ad Ecclesiasticos erga Laicos; videlicet plures conscientiæ casus, qui utrosque respiciunt. Verum quin fusius ea persequamur, quæ pertinent ad Beneficia, & particularia cujuscumque Ecclesiastici Officia secundum statum, in quo est, & gradum, quem occupat; ea solum afferam, quæ spectant ad officia, & veritates, quas Concionator Ecclesiasticis, Laicisque debet aperire.

Peculiari opus est vocatione, ut Ecclesiasticum statum amplectatur.

Duo sunt absolutè necessaria ad Ecclesiastica munera exercenda, potestas videlicet, & gratia. Potestas quidem exercendi Ecclesiastica officia per ordinationem confertur; sed gratia necessaria ad munera hæc ritè exercenda non omnibus iis concessa est, qui caractere Ecclesiastico decorantur; sed iis tantùm, qui peculiariter ad statum hunc evocati sunt. Nihil est in omnibus veteris, novique Testamenti Scripturis magis explicitè indigitatum, quam vocationis hujus necessitas, ubi videmus, eos omnes, qui divino cultui, sacrisque ministeriis addicti sunt, hoc ex peculiari Dei mandato fecisse; & si qui ita audaces fuere, ut ultro sese illis immiscere voluerint, hos præsenti temeritatis suæ pœna affectos fuisse. Spiritus Sanctus Ecclesiam formare cæpit hanc veritatem probando in Sancti Mathiæ ad Apostolatum vocatione: Et Sanctus Paulus hanc regulam statuit, tamquam Ecclesiæ lapidem fundamentalem: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron*; quod ipsius JESU CHRISTI exemplo confirmat Apostolus: *Sic & Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: filius meus es tu*. Quamobrem quicumque hunc ingreditur statum non vocatus a Deo, in illum ingreditur contra voluntatem Dei; atque solemnem transgreditur legem, quæ ut ab omnibus oservaretur, Deus etiam, atque etiam semper commendavit. Vulgara vero hujus criminis pœna quænam est? Privatio gratiarum sine quibus Ecclesiastica munera nequeunt cum fructu exerceri.

Ad Hebr. 5.

Ibidem.

Ecclesiastici seriò legis Divinæ studio vacare debet.

Primum Ecclesiastici Officium est seriò Divinæ Legis studio vacare, cum pro se ipso, ut intelligat munera sua, tum pro aliis, ut illis erudiendis se parem efficiat; etenim ex Ecclesiasticorum ignorantia maxima oboriuntur mala, ipsorum quidem flagitiosum vivendi genus, & scelera populorum, quos minimè pascunt, neque instruunt. Et sanè peccata omnia, quæ in mundo grassantur ex una Dei ignorantia, cujus Legis studium contemnitur, proficiscuntur. Ita populi non imbuti salutaribus disciplinis, & Ecclesiastici, quibus eos imbuendi cura demandata est, vel ad hoc faciendum non satis pares, vel potius ceteris quibuscumque rebus abditi, utrique criminosam ducentes vitam intereunt, illi quidem quia a via salutis aberrant ob ducum defectum; hi verò, quia *cæci sunt, & duces cæcorum*, ut inquit Evangelium.

Matth. 15.

Admirabilis Sacerdotum potestas.

Potestas homines maximè commendat eo quod hac una re propius accedunt ad Deum, qui omnipotens est, & cui nihil arduum est, & difficile. Sacerdotes eminenter hoc obtinent privilegium; habent enim Cœli claves in manibus, potestatem videlicet solvendi, atque ligandi nocentes, quæ quidem toto Cœlo exsuperat, ut Sanctus Chrysostomus inquit, omnem terrenarum potestatum auctoritatem, quæ in corpora tantum extenditur. Sed si ullam ob rem Sacerdotes in honore sunt habendi, eam profecto ob causam habendi sunt, quia sunt JESU CHRISTI Vicarii, quemadmodum eos vocat Apostolus, & in terra JESU CHRISTI munere perfunguntur, nec non corpus illius in Ara producunt. Quamobrem Ecclesia, quam semper Spiritus Sanctus regit, & illuminat, præcipit, ut eos vereamur, atque in honore babeamus; qui honor, & reverentia potiori profecto jure illis debetur, quam Legis antiquæ Sacerdotibus, quos coli Deus explicitè jusserat.

Sacerdotes licet flagitiosi colendi sunt.

Maximum profectò malum est in Ecclesia, cum Ecclesiastici, præsertim verò Sacerdotes, atque Pastores inordinatam, & nonnumquam etiam criminosam vitam traducunt; & frequens hæc auditur hominum querela, illos caracterem suum dedecore afficere morum suorum corruptione. Non id agimus istic, ut earum consecrare vitia, atque ullo pacto eadem excusare velimus; verumtamen nihilominus Doctores omnes affirmant, illis semper honorem, ac reverentiam esse adhibendam. Et constat ratio; Sacerdotum enim flagitia caracteris eorum magnitudinem nequaquam imminuunt; eorum scelera nihil de ipsorum potestate decernunt, neque auferunt illis jus Sacramenta validè administrandi, quæ semper ab illis administrantur quantumcumque indigni sint, quibuscumque flagitiis, sordibusque conscientia eorum fuerit coinquinata; quidquid effutierint plures Hæretici, quos damnavit Ecclesia. Deus Sacerdotalem potestatem, atque auctoritatem nequaquam probitati vitæ illorum adjecit, unde mira confusio sequeretur; non enim bonos a malis distinguere possumus; sed potestatem hanc ab eorum caractere, & oneris ipsorum jurisdictione noluit separari.

Caracter ab eo, qui eodem insignitus est neque omnino separandus, neque penitus cum eo confundendus est.

Causa propter quam Sacerdotibus atque Ecclesiasticis non ea, quæ par est, reverentia defertur, immo etiam illi eo contemptu excipiuntur, quem pravum eorum vivendi genus inspirat, vel ea est, quod cum Ministro caracter nimis confunditur; videlicet cum persona, quæ hoc insignita est caractere; propterea quod contemnitur auctoritas, atque potestas, quam hic tribuit caracter, quasi contemptibilis factus esset, quia quodammodo dedecoratur in persona illius, qui gerit eumdem; quæ tunc impietas est, cui locum præbet Ecclesiasticorum nequitia, quod in Scripturis vocatur efficere, ut nomen Dei blasphemetur: Vel quia caracter, potestas, atque auctoritas nimium a persona separatur; nam quemadmodum Sacerdotium separari non potest ab eo, qui hoc insignitus est caractere, neque præcipit Deus, ut populi caracterem hunc generatim colant, sed illum, qui hoc prædirus est, alter contemni, & dedecorari non potest, quin alter quoque contemptu, & dedecore afficiatur. Ex priori principio sequitur;

Sacer-

Sacerdotes semper in honore habendos esse, licet improba sit eorum vita, ita tamen ne eorum sequamur exempla, neque probemus flagitia; ex posteriori verò, numquam personas illorum contemni posse, quin & caracter contemnatur, quod impium est, atque nefarium.

Sacerdotum peccata graviora sunt peccatis populi, & quare.

Criminum species variant pro varietate objecti, aut principii. Ita irrisio contra proximi honorem habita, licet in re alicujus momenti, nomen suum retinet, ac irrisio vocatur cum obtrectatione conjuncta; sed irrisio contra reverentiam, quæ Deo, sacrisque debetur, blasphemia est. Hoc ipsum de principio dicendum est; ille, qui propter statum, professionem, vel caracterem suum, magis tenetur piam, sanctamque vitam ducere, majus committit peccatum, cum caracterem suum dedecorat, ac inquinat professionem suam, uti faciunt Sacerdotes, & Ecclesiastici; & hoc in sensu Sanctus Bernardus ait, quod *nugæ in ore Laici, nugæ sunt, in ore Sacerdotis blasphemiæ*.

Ecclesiastici sæcularibus negotiis sese immiscere non debét.

Quemadmodum status hic a Laicorum statu per peculiarem consecrationem distinctus Ecclesiasticos divino addicit servitio, animarum, pauperumque curæ; hos profectò, ut Sanctus Paulus præcipit, sæcularibus negotiis immisceri minime decet: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus*; videlicet abhorrere debent a mundi hujus negotiis, domesticis curis non impediri, mundi oblectamenta evitare, ac ea effugere omnia, quæ a ministerio suo, & muneribus status sui propriis eos possunt divellere. Ideo Concilia mercaturam illis interdicunt; & quemadmodum Sanctus Chrysostomus interpretatur, prohibent ne aliquid emant, pretio cariori distrahendum, ne mechanicam artem, ac professionem exerceant, quod tamen ad animi remissionem, otiumque vitandum possunt efficere. Ideo Sancti Canones vetant, ne theatrorum spectaculis, choreis, immo etiam venationi intersint, ubi cum canibus, equisque fiat, & apparatu ad eam exercendam necessario: non quod ignorarent Concilia venatum per se criminosum non esse, sed quod eum dedecet statu, qui Dei cultui devotus, & addictus est, & qui simul esse non potest cum spiritus evagatione, quam proculdubio hæc exercitatio produceret.

De Pastoribus mercenariis.

Mercenarii ex definitione, quam tradit Sanctus Augustinus, ii sunt, qui suam quærunt utilitatem in animarum cura; qui non famulantur JESU CHRISTO propter eumdem JESUM CHRISTUM in statu Ecclesiastico, sed qui præsertim temporalem sibi proponunt utilitatem; qui lucri amore possidentur, vel qui bonorum fulgore perstringi patiuntur. Hujusmodi mercenarii eo nocentiores sunt, quia ordinem a Deo institutum prorsus evertunt. Dei Ordo est, ut Ministri sui hoc primum sibi proponant, ut Evangelium ejus annuntient. Permittit illos deinde terræ hujus bonis uti, quia si illis deesset, unde alerentur, ministerium suum exercere non possent. Mercenarii e contra tamquam præcipuum finem utilitatem respiciunt suam, Evangelicum ministerium respiciunt tamquam medium, quo ad turpem sibi propositum finem perveniant.

De bonis Ecclesiasticis.

Bona Ecclesiastica vulgò Fidelium vota, peccatorum pretium, pauperum patrimonium vocantur. Vota fidelium sunt, quia Fideles hæc bona obtulerunt Ecclesiæ, tamquam sanctam oblationem, ut Cœli benedictiones consequerentur. Sunt pretium peccatorum, quippe crediderunt futurum, ut Ecclesiæ bona sua relinquentes, peccatorum suorum veniam obtinerent, & misericordiam nanciscerentur. Sunt pauperum patrimonium; voluerunt quippe, ut certum essent pauperum subsidium; & quia bona Ecclesiastica sunt pauperum patrimonium, inde sequitur, Ecclesiasticum hoc semper animo cogitare debere, quomodo sumptibus parcat, ut possit pauperibus erogare ea, quæ ad pauperes pertinent. Sequitur præterea, eum, qui Ecclesiastica dissipat bona, pauperum obligurire patrimonia; & falli eos, qui sibi licere putant, in quoscumque usus juxta cordis sui desideria Ecclesiasticos redditus impendere.

Qui Ecclesiasticis gaudent beneficiis Ecclesiasticorum redituum sunt Oeconomi.

Inter Theologos hæc agitur quæstio, utrum qui legitimè Ecclesiasticis gaudent beneficiis, domini sint, an œconomi tantùm bonorum, atque redituum illis inhærentium. Quamcumque hac in re partem amplectaris, certum est, sententiam eorum, qui eos esse dominos tenent, hanc esse; ab illis oneroso tantùm possideri titulo, ut post honestum victum, ea, quæ superant, pauperibus erogent. Verum Sancti Patres unanimi voce pronuntiarunt, eos, in quorum manibus sunt Ecclesiastici reditus, se ipsos tamquam œconomos reputare debere; eosque generatim audis in illos invehere, qui Ecclesiasticos redditus obliguriunt, eosque exprobrare, quod eo abutantur bono, quod suum non est, sed ad pauperes pertinet; & scelus eorum, Sanctus Bernardus ait, simplex furtum non est, sed rapina, sed sacrilegium.

Bernard. in Serm. Ecce nos reliquimus; & in Epist. ad Fulconem.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, recentioribusque Concionatoribus loci hujus argumenti.

Præsulum, & Sacerdotum officia, ac virtutes.

SEcundum Divinæ Sapientiæ, atque Providentiæ Ordinem certissima veritas est; dignitates omnes esse ministeria; honorare quidem, sed onerare. Justum est, Sanctus Bernardus inquit, ut qui ibi attolluntur in muneribus suis pondus inveniant, quo deprimantur, & reverentia, quæ illis debetur, labore, qui illis præcipitur, pensetur. Verum quoque est, onera esse honoribus congrua, & Episcopatum, atque Sacerdotium JESU CHRISTI, cum sit magnitudinis, Ecclesiasticæque gloriæ cumulus, majorem etiam requirere curam, gravioraque munera inferre, & vel diligentiores, vel nocentiores efficere. Opus est veritatem nosse, eamque effundere; hominibus Dei misericordiam dispensare, absque quod illius tibi confles indignationem; cum sapientia aliorum animas regere, & suam in patientia possidere; cognitio summa, lumenque requiritur, sollicitus zelus, fervens charitas, rationabilis indulgentia, discreta severitas, jugis Oratio, & non intermissa vigilantia. Tot virtutes partem dumtaxat constituunt earum qualitatum, quæ in fideli Pastore requiruntur; mentes erudiat, opus est, corda alliciat, conscientias scrutetur, doctor sit rudium, consolator mærentium, pauperum procurator, subditorum suorum famulus, omniumque fidelium pater. *Flechier in Sancti Sulpicii Panegyrico.*

Prima Ecclesiastici præsertim verò Præsulis, ac Pastoris qualitas est irreprehensibilem vitam ducere.

Non immeritò Sanctus Paulus Apostolus in Episcopis ad Ecclesiæ Dei regimen evocatis tamquam primam, ac maximè necessariam qualitatem requirit, ut irreprehensibiles sint; & jure Sancti Canones prohibent, ne ad ordines promoveantur illi, qui publico quopiam scelere, vel anteacta flagitiosè vita fratribus scandalo fuerint, quantocumque flagrent desiderio pro aliorum salute, & conversione adlaborandi. Volebant innocentiam gradum esse, per quem ad Episcopatum pateret ascensus; metuebantque, ne cognitio infirmitatum Superiorum aliquid imminueret reverentiæ, quæ illorum dignitati, ac personæ debetur. Credebant, illis integrum omnino non esse, eos redarguere, qui in eadem, quæ ipsi quoque patraverant, scelera cecidissent; ipsisque persuasum erat, Deum nequaquam pati, ut ad aras suas accederet ille, cujus vita impura esset, & deplorata existimatio; atque ut dignè servitus præstaretur Ecclesiæ, antea opus esse, ut quilibet in statu suo illam ædificasset. *Idem in Panegyrico Sancti Caroli.*

Præsulis, & Pastoris integritas.

Pastor omni prorsus debet cupiditate vacare: ille generalis est pauperum tutor; neque pro se ea possidere debet bona, quorum est dispensator. Neque enim possidere debet animam suam, ad quam in singula momenta pro grege suo impen-

den-

dendam debet esse paratus; & cum locum obtineat Summi Sacerdotis, ac Principis Pastorum, qui nos redemit non auro, aut argento, sed pretioso venarum suarum cruore, ejus integritatem, atque paupertatem imitari debet, cujus Sacerdotium repræsentat. Pauperum cura semper habita est non postrema Officii Pastoralis pars, ac nobilissimum Ecclesiasticorum munus, qui Ecclesiæ bona respicere debent veluti hæreditatem filii Dei; & credere, sapientem Pastorem, ubi spiritualem escam populis suis tribuerit, corporalem quoque, cum indigent, illis erogare debere. *Idem, Panegyrico Sancti Sulpicii.*

De Evangelicorum Pastorum officio, & dignitate.

Nihil adeo sanctum, magnumque est in Christianæ Religionis Ordine, quàm Episcoporum, Pastorumque Evangelicorum officium, quos Spiritus Sanctus Ecclesiæ suæ Rectores constituit, atque Novi Testamenti, & Dei cum hominibus reconciliationis Ministros, Sacrorum mysteriorum dispensatores, & lumina, quæ universum terrarum orbem illuminare debent, & inflammare. Vocati sunt, ut perfecti sint, & alios perficiant: non solum Deus illos a peccatoribus separat; sed illos ex ipso etiam communi Fidelium ordine educit, ut sancti sint, atque ad aliorum sanctificationem incumbant; ut sint Dei, eique offerant animas sibi a Divina Providentia concreditas. Sed quamvis Episcopatus gratia semper æqualis sit, dici nihilominus potest affluentius agere in anima eorum omnium, quos destinat, ut veritatem tueantur, vel morum servent disciplinam, ubi difficile aliquod periculum ingruat. Opus tunc est, ut Spiritus divino lumine illustretur, cor terrenis sese expediat affectibus, animus roboretur, ut iniquitati resistat; charitas vivida sit, atque activa, temperantia austera, suavitas dulcis, severitas prudens, & æqua, vita omnis munda, & irreprehensibilis, ita ut a Deo videantur electi, ut sint vitæ ejusdem imagines, ejusque Sacerdotii imitatores. *Idem in Panegyrico Sancti Thomæ Cantuariensis Episcopi.*

De Sacerdotio, & præparatione illi adhibenda.

Nullus status est nobilior, ac dignior, quàm Sacerdotum JESU CHRISTI; & nullus quoque est qui majorem præparationem efflagitet. Deo devoti sunt peculiari consecratione; eidem adhærere debent. Ad Deum accedunt ex caracteris sui privilegio, ideoque mundos esse decet. Deum orant, ac flectunt erga Fideles; debent ergo illum sibi habere propitium. JESUM CHRISTUM repræsentant; illius ergo sensus, spiritumque assequi par est. Sacra mysteria offerunt, atque dispensant; oportet ergo, ut eorum primos fructus recipiant. Sunt vitæ spiritualis magistri; æquum est ergo, ut illam in cordibus suis statuant, eique actionibus suis amorem concilient. Alios reprehendunt; decet igitur ipsos esse irreprehensibiles. Majoribus cumulati fuere beneficiis; requiritur ergo ut major sit eorum gratitudo. Peccata eorum majori in luce sunt posita; ideo sibi quam diligentissimè cavere debent. Illis difficilius est a lapsu resurgere: majori ergo cum sedulitate, ac metu integritatem suam tueri opus est. Hæ cogitationes debent proculdubio illos, quos ad hunc statum evocat Deus, impellere, ut omni cura sese ad eumdem disponant. *Idem Panegyrico Sancti Philippi Nerii.*

Status hic arripiendus non est, nisi a Deo vocatis; ac sedulo prius illum perpendas.

Otium, atque tædium, ut plurimum præcipitem festinationem, ac imprudentiam consequuntur, ut Sanctus Bernardus ait, qui Sacerdotii sui est usurpator, saltem illius possessor inutilis erit. Cum Deum minimè consuluerit, non erit opus Dei; cumque in ipso ingressu gratiis ejusdem intercluserit aditus; non explebit ea munera, quæ sola Dei gratia potest efficere, ut dignè expleantur; Cum e contra puritas vocationis, ut plurimum actionis fervorem pariat, & difficile sit, ut qui omnem curam, & gaudium omne in eo constituerit, ut inter Dei ministros coopteur, omnes diligentiæ, industriæque suæ nervos non intendat, ut eum colat, eique obsequatur. *Flechier.*

Munera statui Ecclesiastico, præcipuè verò Sacerdotio inhærentia.

JESU CHRISTI Sacerdotium non est titulus inanis, ac nomen sine re, sed ministerium cum labore conjunctum, plurima complectens officia essentialia, & difficilia, quæ adimpleantur. *Tu vero vigila, & in omnibus labora*, inquit Apostolus ad Timotheum illum hortatus, ut in sancta, sed laboribus refertissima vocatione sua se ipsum corroboret gratia JESU CHRISTI, atque adlaboret modò *sicut bonus miles Christianus*, quì resistere debet potestatibus tenebrarum; modò tamquam Evangelista, ut annuntiet populo Legem Dei, postquam illam descripserit in corde suo, & vivere eam fecerit in operibus suis: *Opus fac Evangelistæ;* modo tamquam depositarium doctrinæ fidei, quæ integra, & sana servanda est; mysteriorum Domini, quæ prudenter sunt ministranda, & cum metu; nec non secretorum conscientiæ, quæ sunt religiosè custodienda: *Bonum depositum custodi*, ac tandem tamquam servus Dei, qui esse debet *utilis ad docendum*, & paratus ad omnia munera, quæ illi veritas, justitia, & charitas imponunt. *Idem.*

Ecclesiasticus esse debet vir orationis, & mundo mortuus.

Qui orationem, ac recessum non amat, hic statum Ecclesiasticum non debet complecti, neque Ordinibus Sacris initiari; quia qui ad hoc vitæ genus vocatur, non potest amplius terrenis sese commiscere negotiis; non potest mundum diligere; non debet mundi hujus consectari oblectamenta; mundo mortuus esse debet; vita illius esse debet orare, & voluptas gemere in recessu inter vestibulum, & altare: *Inter vestibulum, & altare plorabunt Sacerdotes Ministri Domini.* (Joel. 2.) Hic locus est ubi manere debet; hoc illius munus est: *Applicabis Levitas coram tabernaculo fœderis.* (Num. 8.) Moyses, inquit Deus, Levitas ante Arcam fœderis statues ad pedes tabernaculi, ibique orationi vacabunt, quotiescumque vel necessitas, vel charitas, eos aliis exercitationibus operam navare non coget. *Desumptum ex Christianis Epistolis de necessitate Recessus, a P. Le Valois editis. Epistola prima ad quemdam Sacerdotem.*

Ecclesiasticorum nonnullorum amantium vita.

Fateor equidem hoc Ecclesiasticis turpe esse; sed satis multi videntur, qui adhuc diligunt mundum, quem horrere deberent; qui illum conquirunt, quem deberent effugere, qui illum magis, quam ipsi Laici depereunt, quì in singulos dies magis, magisque sese illi commiscent sexcentis negotiis, infinito inutilium epistolarum commercio, jugibus visitationibus, quæ urbanitatis dicuntur, & quæ profectò vanitatis sunt, cupiditatis, otii, voluptatis, peccati; visitationibus inquam, ubi id quæritur unum, quomodo discantur, ac venditentur rumores publici secreti, turpes; visitationibus præcipuè nobilium virorum, eorum qui mundum scire, ejusque spiritum habere creduntur, eorum, qui hilaritatis pleni sunt, & compotationum amantes; visitationibus, ubi Isaiæ vaticinium adimpletur; quia Sacerdos videri vult tamquam unus ex sæcularium numero, urbanus, ut alii; facetus ut alii; ludendo, ridendo, canendo, oblectando ubique paratus, ut alii: *Erit sicut populus, sic Sacerdos:* visitationibus denique, ubi non quæritur Deus, ubi de Deo sermo nullus habetur, ubi numquam invenitur Deus, ubi sæpissimè amittitur, ubi sæpissimè facimus, ut & ab aliis omittatur. Quodnam scandalum? *Idem Flechier.*

Ecclesiastici a mundo esse debent divisi, ut Levitæ veteris Testamenti.

Licet per Christianam Religionem fas esset nobis mundo inhærere, nonne per ordinationem nostram hoc nefas esset? Nonne per hanc distinguimur, & quodammodo ab aliis hominibus, immo Fidelibus etiam separamur? Nonne solemni pompa Deo sumus devoti, & Altarium ipsius cultui, & Ecclesiæ servitio addicti? Possumus ne inde divelli, ubi semel illi adhæserimus? Possumus ne eidem, uti opus est, adhærere, quin a mundo divellamur? Possumus ne, uti oportet, divelli a mundo, semper permanentes in mundo, mundum cogitantes, de mundo loquentes, atque uti mundus agentes, atque viventes? Si ad hoc omnino necessarium

non

non est in solitudinem secedere, vel inter Claustra versari; numquid necesse non est, saltem quatenus charitatis officia permittunt, a mundi consuetudine sese recipere? *Idem.*

Ecclesiasticus destinatus ad mundi sanctificationem, sanctum esse debet.

Sanctus Gregorius Nazianzenus jure ait, opus esse, ut Sacerdos, & Ecclesiasticus sint illuminati ad hoc, ut fideles illuminare possint, ac terram expient a peccatis, quibus redundat. Opus est, ut per se sint illuminati; opus est, se ipsos virtutum exercitatione sanctificent ad hoc, ut ut aliis sanctificandis sese pares possint præbere: Ut verbo me expediam; quoniam Sacerdos est Angelus Domini exercituum, habere debet lumen, puritatem, & sanctitatem Angelorum. At quæso, ubinam hæ qualitates angelicæ reperiuntur? ubi Sacerdos, & Ecclesiasticus illas acquirere possunt, nisi in secessu, in oratione, & frequentibus colloquiis cum Deo? *Idem.*

Malac. 2.

Quid homines sentiant de Ecclesiasticis nequã.

Quomodo a Laicis haberi vultis tamquam Domini Ministri, atque Vicarii, donec vos cum illius hoste miscere consilia intuentur? Quid eos cogitare vultis, cum vos viderint in nefariis, vanis, flagitiosis, profanisque cætibus versari? Si fortè vos in Templo reperiunt, si Aris inservientes vident, vel pro tribunali pœnitentiæ sedentes, vel de suggestu Domini Verbum annunciantes, quam putatis eorum tunc esse admirationem atque indignationem? Quænam potest eorum esse devotio, cum vobis sacra operantibus adstant? Quæ confidentia, ut apud vos peccata confiteantur? Putatis ne illos Dei verbum in ore vestro vereri? Putatis ne, ullum inde fructum ipsos percipere? Non fructum, immo scandalum recipiunt. Si crederent ipsi, quod prædicant, ajunt, viverent ne, quomodo vivunt? Nonne inter ea quæ dicunt, & faciunt, manifesta contradictio deprehenditur? De cogitationibus eorum non judicium ex factis potius quam dictis ferendum est? *Idem.*

Sacerdotes orationi vacare debent, & sese si sancti, ut illos sanctificent.

Cum Sacerdos mediator sit Deum inter, & homines, pro eorumdem hominum utilitate tantùm saltem cum Deo, quantùm cum ipsis versari debet: sciat, opus est, mandata Dei, ut hæc hominibus aperire possit; a Deo pro peccatoribus impetret opus est gratias, antequam peccatoribus petat fidem, gratumque animum erga Deum; debet illis obtinere pœnitentiam, ad quam illos hortatur; debet pro illis pœnitentiæ partem suscipere, ac si vult, preces suas apud Deum vim habere, suasque adhortationes facilem sibi aditum aperire in hominum animos, & corda, nihil melius præstare potest, quam id facere, quod aliis suadet, ac se ipsum Sanctum efficere. *Idem.*

Novæ Legis Sacerdotes sanctiores esse debent quam veteris.

1. Paral. cap. 15.

In primo Paralipomenon libro legimus, Sacerdotes, ac Levitas sedulò sese sanctificare consuevisse, ubi Arcam Domini Dei Israel gestare debebant: *Sanctificati sunt Sacerdotes, & Levitæ, ut portarent Arcam Domini Dei Israel.* Si veteris Testamenti Sacerdotes sanctos esse oportebat, ut thus, & panem communem offerrent; si sanctos esse decebat, ut Arcam Domini Dei Israel deferrent: Sacerdotes novi Testamenti, qui offerunt Panem Cœlestem, Panem Vitæ, unicum Filium Dei, qui quotidie gestant ipsius Arcæ Dominum, ac ipsum Deum Israel, numquid sancti esse non debebunt? *Mundamini, qui fertis vasa Domini;* alibi scriptum est; vos autem non solum Domini vasa fertis, sed ipsum Dominum; illum manibus fertis, illum lingua fertis, illum pectore, & corde fertis; at quomodonam illum ferre potestis pollutis manibus, obscæna lingua, pectore, & corde corrupto? Quomodo tam sævi estis, ut illum feratis in mundo, qui ejus hostis est, & qui peccatum est, atque abominatio? *Idem Flechier.*

Isai. 52.

Mirum esse debet quod Ecclesiasticorum plerique nihilo melius, quam Laici ipsi vitam traducant.

Summus Sacerdos olim dicebat: Quemadmodum ego a mundo prorsus semotam vitam agebam, ita putabam & fratres meos a mundo abhorrere. Verum mihi stupor incessit, cum ex principibus viris, quorum summa est in populo existimatio, & qui me convenerunt, accepi non deesse, non Israelitas quidem solum; sed etiam Levitas, atque Sacerdotes, qui a terræ populis separati non erant, qui in eorum mores ibant, omnesque eorum abominationes imitabantur: Accesserunt ad me Principes dicentes: *non est separatus populus Israel, Sacerdotes, & Levitæ a populis terrarum, & abominationibus eorum.* Hoc nuncio tanto sum dolore affectus, pergit magnus ille vir, ut pallium, tunicamque meam sciderim. Capillos capitis mei evellere conatus sum, atque cum per dolorem, quo obruebar, stare amplius non possem, interclusa voce, lacrymis verò abunde fluentibus coram Deo in sedem meam corrui. *Idem.*

1. Esdr. 9.

Sacerdotes peculiari jure sancti esse debẽt, quatenus Ministri Domini.

Sacerdotes Sancti erunt, dicit Deus, quia ego Sanctus sum; Cumque ego Sanctus sim, volo, Ministros quoque meos Sanctos esse, & pati non possum, ut qui sancti non sunt ad me, arasque meas audeant accedere. Sanctitas titulus est, quem necessariò in iis requiro, qui Sacerdotio sunt initiandi; & sanctitatis defectus quædam est species irregularitatis, a qua nemo potest dispensari. Iis ergo, quibus animus non est, ut toto pectore ad sanctitatem adipiscendam incumbant, non audeant fieri Sacerdotes, ac Altarium meorum Ministri: *Non appropinquabunt ad me, ut Sacerdotio fungantur mihi, neque accedent ad omne sanctuarium meum juxta Sancta Sanctorum.* Sacerdotes igitur, qui Sancti non sunt, Deo faciunt injuriam, nominis ejusdem gloriam deterunt; Ejus Templum, Altaria, & Sacrificium polluunt; Religioni illius scandalum inferunt, vim faciunt Sanctitati, Majestatem offendunt, quod verba illa videntur innuere; *Et non polluent nomen ejus. Idem.*

Ezech. 44.

Ecclesiasticus status, ut plurimũ sine vocatione susceptus.

Ubi diligentius ad examen vocabimus malorum omnium originem, quæ in Ecclesiasticum statum irrepserunt, non difficile erit, cognoscere ea præsertim inde proficisci, quod festinanter, ac sine legitima vocatione in Sanctuarium irrumpitur. Gemit Ecclesia, quod qui aliorum duces esse deberent, & ipsi a recta aberrent via, qui alios deberent illuminare, in tenebris jactant; sal vires suas amisit, neque ultra par est, ut homines a corruptione præservet. Quis autem dicendo assequi potest, quanto dolore afficiatur Ecclesia se proditam ab illis videns, qui firmius ejusdem columen esse deberent, præsidiumque? Nullum est inter Fideles scelus, quod non defleat Ecclesia; at numquam majori dolore conficitur; quàm cum ab illis injuria lacessitur, qui ob caracterem suum eam tueri, ejusque nitori consulere tenentur. Eheu! si nobis quidquam zeli, amorisque pro Ecclesia est, obluctemur, ne indigni in eam irrepant ministri, qui in sinum illius illabuntur, ut eam magis magisque confodiant. *Lambert in Sermonibus de Statu Ecclesiastico, Sermone primo de Vocatione ad hunc statum.*

Vocatio in Veteri æquè ac Novo Testamento semper fuit necessaria.

Vis magnum scelus agnoscere, & quod per os Prophetarum Deus severe corripuit? hoc est, currere, quin a Deo missus sis, & Dei mandata explicare antequam ille ad te fuerit locutus: *Non mittebam Prophetas*, dicit Deus per Jeremiam cap. 23. *& ipsi currebant: non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant.* Sontes igitur sunt, ac temerarii; & hoc illorum est scelus: injussi cucurrerunt; & Domini vocationem prævertere ausi sunt. *Non mittebam, & ipsi currebant.* Hæc loquendi ratio attentius est consideranda, prodit enim satis ingenium eorum, qui a semetipsis vocantur. Nemo illis audacior est, licet tot illis metuendi causæ circumstent. Amici Dei, justi illi, ad quos locutus est Deus, semper timent, & contremiscunt; recedunt potius, neque sine tremore ingrediuntur. Usurpatores e contra elato incedunt capite, festinant; atque jugibus, sollicitisque votis gradus sublimiores concupiscunt. *Idem.*

Ejusdem argumenti.

Ex se Ecclesiasticum statum ingredi insignis temeritas est. Munera eidem inhærentia magna sunt, atque supra hominum vires posita. Illa exerceri minimè possunt nisi homo valido regatur subsidio;

& certo

& certo certius, est illum, qui auxilio nullo fulcitur, sub tanto pondere cessurum, & oneri ferendo imparem fore. Ita videmus JESUM CHRISTUM Apostolos eligentem illis fuisse pollicitum; se ab ipsis nunquam recessurum. Quid enim sine omnipotenti auxilio facere potuissent? Vix io lucem prodiissent, cum statim obruti fuissent. Dei Filius illis spiritum impertiit suum: *Accipite*, ait illis, *Spiritum Sanctum*; prohibuitque, ne quid agendum aggrederentur, antequam hoc donum reciperent: *sedete*, iterum inquit illis, *in civitate quoadusque induamini virtute ex alto*. Norat ille Apostolos suos, norat quid illi essent per se, norat Sancta ministerii Apostolici munera vires eorum excedere; ideoque illos immutat, atque vi Spiritus Sancti, quem illis communicat, transformat. *Idem*.

Luc. 24.

Quinam sunt, qui non vocati Ecclesiasticum statum ingrediuntur.

Primi, qui Ecclesiasticum statum sine ulla vocatione ingrediuntur, illi sunt, qui ut cupidis majoribus suis ignavo pareant obsequio statum hunc amplectuntur. Hi a parentibus suis, non a JESU CHRISTO vocantur, a parentibus, qui Ecclesiastici status Instituta non norunt, vel si norunt, ita parum sunt Religiosi, ut illa suæ subjiciant cupiditati, atque hoc primum statuant, rem suam familiarem expetere, ut unus, vel etiam alter, pluresve filiorum suorum huic statui adscribantur. Ubi hoc ab illis statutum est; ipsi propria auctoritate eos eligunt, quos Deo dicatos volunt. In hac electione, quid illi sibi proponunt? propriam sane utilitatem. Quid illi consulunt? Carnis prudentiam. Numquid filiorum suorum expendunt ingenia? Cogitantne, utrum illis eæ insint qualitates, quæ necessariæ sunt, ut Ecclesiastici status officiis ritè perfungantur? Hoc immo est, quod minimè cogitant. *Idem*.

Qui Ecclesiasticum statum amplectuntur, ut otientur.

Non desunt alii, qui ex propria voluntate statum hunc ingrediantur; sed qui nihilo melius quàm primi ad illum vocati sunt. Hi autem illi sunt, qui statum illum sibi commodum fore putant, qui vitam in otio molli transigendam sibi proponunt, qui laborem fugiunt, qui in Ecclesiastica conditione id perquirere volunt, quod sibi arrideat, ac pro virili evitare, quidquid negotium aliquod sibi facessere possit. Vis Statum Ecclesiasticum ingredi, quia commodum statum putas, ubi tranquilla duci vita queat, & quodcumque laboris genus vitari? at nostin, quid sit Status Ecclesiasticus? Si paulisper munera illius expendisses, scires eam conditionem esse undequaque laboribus impeditam; & Ecclesiastici munus præcipuum esse magnis laboribus exerceri. *Idem*.

Cum otio simul esse non potest.

Ecclesiastico statui dedisse nomen, atque in ignavia, & otio versari secum pugnantia sunt; atque pro certissimo habendum est, Ecclesiasticum, qui est ignavus, & iners, hunc in via salutis non esse, quia essentialem status sui conditionem minimè adimplet. Hoc pondus est, quod minimè sentis; omnia in Ecclesiastico statu tibi placent; omnia tibi blanda videntur, nihil ibi deprehendis, quod te turbet, ac terreat. Suave est iis redditibus frui, quorum possessionem nactus es citra laborem ullum, curamve; hoc unum illud est, quod in Ecclesiastico statu requiris. Numquam animum appulisti, ut iis exercereris laboribus, qui sunt cum illo conjuncti; immo laborem odisti, eumque evitare contendis. Opus omnino est, ut Statum hunc abdices, ac certo certius est, te ad eumdem nequaquam fuisse vocatum. *Idem*.

De iis, qui Ecclesiasticis muneribus obeundis pares non sunt.

Deus, qui vult, ut Ecclesiastici omnes laborent, eos tantùm vocat, quibus aliquod talentum est ad Ecclesiæ suæ agrum excolendum. Non illud quæro, ut qui in Ecclesiastico statu sese Deo dicant, summo ingenii polleant acumine, amplissimisque talentis sint acuti. Necesse non est, ut omnes præstans habeant ingenium, sublimem scientiam, exquisitissimam eruditionem; neque, ut omnes id assequantur, quod in mysteriis, sanctaque antiquitate secretius est, atque curiosius. Minus adhuc in Ecclesiastico requiruntur fervida ingenia, quæ quidem mundus in pretio habet; sed sæpe magis noxia sunt, quàm utilia; verùm saltem nemo ad laboriosum hunc statum anhelare debet, nisi par sit laboribus illis ferendis, quibus Providentiæ ordo illum subjicere debet. *Idem*.

De illis, qui statum hunc ingrediuntur, ut beneficia consequantur.

Conqueritur Sanctus Paulus Apostolus, quod omnes ea quærant, quæ sua sunt; atque turpi quæstus cupiditate trahantur. Plurimi sunt, qui inter Ecclesiasticos cupiunt adscribi, ut suæ studeant utilitati. Numquid hos Dominus vocat? An potius a sua cupiditate vocantur? Quot sunt, qui Ecclesiasticis ordinibus initiantur beneficiorum assequendorum illecebra capti? Hæc illos impulit cogitatio, quod in mundo sine bonis, sine honore vita sibi traducenda fuisset, ideoque ad Ecclesiam confugiunt. Si sese recipere voluerint, & bona fide loqui, fateri tenentur, si nullum ipsis sperandum fuisset beneficium, se numquam in eam mentem incisuros fuisse, ut Ecclesiasticum statum amplecterentur. Horum numero accensendi sunt filii familias, qui Ecclesiasticæ militiæ nomen dare consueverunt, quia frater natu major majorem rei familiaris sibi vendicat partem. In Ecclesiæ sinu perfugium quærunt, ibi eas opes inventuri, quibus in mundo frui nequeunt. Itaque verum est dicere, illos ideo Ecclesiasticos fieri, ut fiant locupletes, ut magnificè vivant, ut opiparè epulentur, ut suæ velificentur ambitioni. *Idem*.

De iis, quibus animus non est inserviendi Ecclesiæ.

Quid de illis dicam, quibus non est animus inserviendi Ecclesiæ, sed Ecclesiasticis tantum redditibus perfruendi? qui ideo in Ecclesiæ castra confugerunt, quia patruum habent, aut alium nescio quo consanguinitatis sibi vinculo adstrictum, ingentibus Ecclesiæ beneficiis ornatum? Qui ea etiam ambiunt beneficia, quibus cura animarum inhæret; quia aliunde non habent, unde vivant: Si enim alia quæpiam sese illis utilior obtulerit occasio, minoribusque onerata curis, hilariter pastoralem curam, gregemque relinquunt? Qui rationem quidem ineunt, quem ex beneficio quæstum possint percipere; at utrum ipsi Ecclesiæ, ac proximo ulla in re utiles esse possint, non cogitant? Qui nullo pacto Ecclesiasticum statum amplecti meditabantur, & longe aliud cogitabant, sed quos beneficium repente oblatum, & quod ne sperabant quidem, in hanc impulit mentem, ut in sacram militiam transirent? *Idem*.

Signa, utrùm Deus te ad hunc statum vocaverit.

Ut vocatio tua legitima esset, seu ad Ecclesiasticum statum generatim, seu ad aliquod status ejusdem munus, & dignitatem; ut omnia rectè transigerentur, opus esset, ut tibi status hujus magnitudinem consideranti terror incederet, tuamque cognosceres indignitatem. Secundum exempla a Sanctis hominibus tradita fugere, ac tantum onus evitare deberes; ac oporteret, ut Superiores tui, invitum cogerent, ut pondus illud subires, cujus te terret magnitudo. Sin autem aliter omnino sentis, si Superiori vim facere cupis, ut te in Sanctuarium inducat; si obniteris illi ostendenti, te non satis esse probatum; si tantum abest, ut salutaribus ejusdem consiliis acquiescas, quod immo nihil intentatum relinquis, ut ejusdem flectas voluntatem; Profectò si vim omnem Superior habuerit, quam caracteris sui Sanctitas expetit, quascumque importunas preces tuas tamquam recentia indignitatis tuæ argumenta censebit. Verùm enim verò si per infirmitatem injustis cesserit desideriis suis, certò scias hoc sibi ingentem allaturum calamitatem; namque hunc statum ingrederis, vel hanc dignitatem assequeris contra Dei voluntatem. *Idem*.

Hac in re consulere oportet, & sequi voluntatem Dei.

Christianus omnis omnem curam adhibere debet, ut quid a se petat Deus, cognoscere valeat. Hæc autem cura major esse debet, cum agitur de statu eligendo; cum verò dubium est, utrum Ecclesiasticum amplectaris statum, omnium sanctissimum, atque maximum, tunc magis intendendæ sunt curæ; tunc qui timet Deum, rationes omnes exercet, quas christiana prudentia suadet, ut Dei

voluntatem agnoſcat. Ubi verò tibi voluntatem ſuam Deus aperuerit, tunc præſto eſſe oportet, ut illam ſequaris. Si vult Deus, ut ſibi in Eccleſiaſtico ſtatu famuleris; nihil te moretur; ſi minime vult, te inter Miniſtros illius adnumerari cupientium perniciosis prudentum ſæculi conſiliis aures obſtrue. Tales eſſe debent cordis noſtri diſpoſitiones, ut ſincere poſſimus Deo dicere: *Domine, doce me facere voluntatem tuam. Idem.*

Eccleſiaſticæ dignitates non habendæ ſunt eo in pretio, quo ſæculares.

Undenam proficiſcuntur falſæ illæ ideæ, quæ de ſtatu Eccleſiaſtico habentur? Inde profectò, quod ſtatus illius dignitates eodem præter propter habentur in pretio, ac ſæculares. Putantur eſſe veluti ſuperbi quidam tituli, qui jus tribuunt inter cæteros homines emicandi, ac ſuper alios ſeſe attollendi. Ac ſuperbiæ, & Dominationis Spiritus in Eccleſiam irrepit; verus honor Eccleſiaſticis dignitatibus inhærens obſolevit, quia ad eum tuendum a recto tramite aberratum eſt. Hæ tamen fallaces ideæ nullo negotio delerentur, ſi animus ſeriò ad Eccleſiaſticum ſtatum cognoſcendum appelleretur. Hujus ſtatus elatio non debet ſuperbiam, otiumque fovere; immo e contra ſuperbiam conterere debet, atque ad laborem accendere. *Idem Lambert.*

Honor Eccleſiaſticis præſertim verò Sacerdotibus debitus.

Si magno habentur in honore illi, qui ab hominibus ſuam mutuantur auctoritatem, vult Dei Filius, longè aliter ſentiendum eſſe de illis, quibus ipſe ſuam poteſtatem impertit. Vult, quemadmodum ſæculares poteſtates coluntur, quin perpendantur merita eorum, qui eiſdem ornati præfulgent, ita adhiberi honorem caractери ſacro, licet qui eodem in ſignitus eſt, morum ſuorum improbitate ſe eodem præberet indignum. Dicendum igitur, Miniſtrorum JESU CHRISTI caracterem admodum ſublimem eſſe, atque eximium, quandoquidem illi caliginem offundere nequeunt depravati eorum mores, qui licet indignè eo decorantur. *Idem Sermone ſecundo.*

Qua mente beneficium aliquod ſit recipiendum.

Ubi aliquod recipiendum eſt beneficium, minimè ſufficit cupidorum conſanguineorum ac propter utilitatem ſuam loquentium voces audire; neque enim amotis proprii vocibus aures ſunt adhibendæ pro privatis vitæ commodis loquentis. Sin in animarum cura ſuſcipienda nihil attentius conſideras, quam inhærentes illi redditus; num arbitrari poteſt, te ad eam Divina voluntate evocari? Si bonum appellas beneficium, non illud ubi majori cum fructu animarum ſaluti ſtudere potes, ſed illud, quod te poteſt ditiorem efficere, nonne mercenariis es potius, quàm Paſtor fidelis? *Non paſcunt*, Sanctus Bernardus inquit, *boni Paſtores ut comedant, ſed comedunt, ut paſcant.* Maximum, quod in mundo malum eſſe queat, Sanctus Auguſtinus ait, eſt medium in finem, ac finem in medium convertere. Nihil tamen vulgarius eſt, nihil magis monſtroſum in ea præſertim te, de qua agimus. Igitur finis, qui in hoc ſtatu proponendus eſt, omnino ſpiritualis eſſe debet, non corporalis. *P. Segneri in praxi Parochorum.*

Bernard. in illud, Ecce nos reliquimus omnia, &c.

Antequam beneficii, vel Sacerdotium recipias, ad illud temet diſponere debes bonis moribus, vitæque ſanctitate.

Quinam citra indignationem videre poſſet adeo ſubitas ſtatuum mutationes, ubi repente ex laxiori vivendi genere ad eam vitam, quæ eſſentialiter ſancta eſſe debet, tranſitus fit? Id autem non aliam ob cauſam, quam quod aliquod nacti ſumus beneficium. Attamen ideò alicui beneficium confertur, quia in eo ſupponitur meritum. Quodnam monſtrum eſſet eumdem videre hominem, qui nudiuſtertius vexillum contra JESUM CHRISTUM attollebat, hodie fieri militum JESU CHRISTI anteſignanum; illum qui neque eam vitam ducebat, quam imperfectiſſimus quiſque e Fidelium numero ſaltem ducere tenetur, repente fieri Fidelium doctorem, & ducem; illum, qui inferioribus etiam Sacerdotii gradibus dedecus intulerat, hodie ad ſublimem Paſtoris apicem evehi. Itane, S. Gregorius Nazianzenus exclamat, itane ſanctos momento efficimus, ac ſapientes, proboſque reddimus eos, qui non alia ad Sacerdotium animi præparatione, niſi mera voluntate acceſſerunt? *Idem.*

Quod autem ad illud pertinet, quod dicitur, ſi boni tantum admitterentur ad ſuſcipiendam gregis Domini curam, neminem amplius inventum iri, qui animarum curas aggredi auderet, reſpondeo, profectò non inventum ulterius iri, qui tanta facilitate, atque audacia, quam Sanctus Gregorius ſatis deflere non poterat, hoc ſibi munus vellet vendicare. At e contra qui onus illud ſubirent, Dei voce ad illud aggrediendum vocati eſſent; neque umquam numerus eorum deficeret. Providentia enim, quæ Eccleſiæ invigilat, numquam illi Paſtores deeſſe pateretur. Id ſolum faciamus, quod nobis faciendum eſt; Deus quoque eorum, quæ pollicitus eſt, fidem præſtabit. *Convertimini filii revertentes, dicit Dominus; & dabo vobis paſtores juxta cor meum. Idem.*

Si Sancti tantum curatis beneficiis admitterentur; Deus Sanctos excitaret, ut Eccleſiæ, quæ ipſi cordi eſt, curam gererent.

Jerem. 3.

Perutile foret, Vetus quidam Auctor ait, ut ſingulis diebus diluculò Reges admonerentur, ipſos homines eſſe; at utiliſſimum quoque eſſet, ut ipſi etiam Domini Miniſtri quotidie hæc ſecum reputarent: Sum Eccleſiaſticus, ſum Sacerdos, mihique commiſit Deus curam animarum, quas redemit ſanguine ſuo. Si Regi dicendum eſt, homo es, licet Dei auctoritatem obtineas, ne nimia intumeſcat ſuperbia, ejuſque imperium intolerabile fiat; Sacerdoti dicendum eſt; Dei habes auctoritatem, licet homo videaris; ne nimia illius cum populo familiaritas ejuſdem abjiciat animum, & miniſterium ipſius vile, atque contemptibile fiat. *P. Bourdaloue in Sermonibus, qui ſub ejus nomine circumferuntur. Sermone pro feria tertia poſt ſecundam Quadrageſimæ Dominicam; de Reverentia Sacerdotibus debita.*

Ob oculos Sacerdotis ſemper dignitas ſua, atque caracter verſari debet.

Non deſunt Eccleſiaſtici, quos pudet miniſterii ſui, ac pro virili quaslibet delent exteriores notas, ne ab hominibus videantur. Munus ſuum ipſis incommodum eſt; ea quidem Sanctis Viris eſt ſarcina, ſed ipſis etiam ſarcina eſt: verum quid intereſt? Hanc geſtant Sancti; Peccatores abjiciunt; elegantiæ nomine affectatam regentes mollitiem, clericalis ſtatus inſignia, quæ ideo ſunt turpia, quia flagitia ipſorum illis dedecus inferunt, geſtare detrectant. Occulere velle videntur flagitia ſua, dum ſuam dignitatem abſcondunt; hominum oculos fallere, ut illorum exiſtimationem ſibi concilient; atque illorum exprobrationes effugere, cum diſſimulantes ſtatum, quem ſummo dedecore afficiunt. Nolunt aliis patere, quod ſunt, ne detegatur, quod eſſe debent; & inde fit, quod homines vulgò contemnunt, & caracterem, qui per ſe honore dignus eſt, & perſonam, cui propter caracterem honor eſt adhibendus. *Idem.*

Non deſunt Eccleſiaſtici quos ſuæ profeſſionis pudet.

Huc tandem redit ignava affectatio, temporalium negotiorum commercium, Laicorum flagitioſam vitam trahentium familiaritas; major ludo, aleiſque, quam ſacræ lectioni applicatio; litium ambages, propter quas in foro ſæpius, quàm in Templo inveniuntur; hilaritas faceta in converſationibus, vel rumorum curioſa cognitio, & comitas affectata. Hæc omnia in laicorum ore ſunt nugæ, ſed in ore Sacerdotum blaſphemiæ; quæ verba ſunt Sancti Bernardi, nequaquam veluti Oratoriæ amplificationes habenda. *Idem.*

Sacerdotes, & Eccleſiaſtici ſæpe caracterem, & dignitatem ſuam dedecorant.

Num aliquid ultra requiritur præter ea, quæ Dei Filius fecit in Evangelio, ut nobis Sacerdotalem caracterem commendaret, quæ æterni ipſius Sacerdotii eſt imago? Si regiam hanc dignitatem ipſe aliquo cenſuit honore dignam in iis, quæ illius figuram tantùm gerebant; quæ umquam diſpenſare nos ratio poteſt, ne debitam adhibeamus reverentiam illis, quos ipſe verè conſecravit, ut eſſent animarum noſtrarum Paſtores. Legis antiquæ Sacerdotium non aliud erat, quàm Sacerdotium imperfectionis, ut inquit Apoſtolus, non veritatis; Sacerdotes enim figuras tantummodo ſacrificabant adorabilis Hoſtiæ, quam nos offerimus in Altari; neque erat Sacerdotium auctoritatis; non enim remittere poterant peccata. Attamen Dei Filius, qui venerat ut novum inſtitueret Sacerdotium,

Ipſe Dei Filius exemplo docuit, quomodo Sacerdotes colere debeamus.

dotium, cui nulli essent defectus, honore censet eos prosequendos, qui erant eo caractere insigniti. Eorum examini subjicit miraculum nuperrimè a se patratum in leprosi curatione; ac vult illis afferri tributa, quæ ipse meritus fuerat, ut nos doceat, quanta veneratione sit dignum Sacerdotium in Ecclesia ab ipso institutum, *Ex Christianis Sermonibus. Tom.* 1. *Sermone hujus Argumenti.*

Eos colere debemus, licet vita eorum sit nequam.

Ne dixeris, Sacerdotes quosdam se hoc honore indignos præbere actionum suarum nequitia; huic enim prætextui JESUS CHRISTUS respondit: cum ait, *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi: omnia ergo, quæ dixerint vobis, servate, & facite, secundum opera verò eorum nolite facere.* Si illos tamquam peccatores despicere potes, saltem eos venerare quatenus Dei Ministros; & quia fictitiis tubulis similes, per quos aquæ fontium emanant, vobis Dei verbum, atque mandata annunciant, atque per Sacramentorum administrationem vobis ejusdem gratias distribuunt. *Idem.*

Sacerdotes propter potestatem suam colendi.

Ullane in terris potestas est, quæ ad divinam propius accedat, præ Sacerdotali? Illi peccata dimittunt; infernum claudunt; dæmones ejiciunt; Cœlorum claves habent, & quid umquam desiderandum est, ut absoluta fiat eorum potestas, nisi nova mundi creatio? Colendi sunt igitur non solum quatenus homines, sed quodammodo veluti Dii, dicam amplius; colendi sunt tamquam ipse JESUS CHRISTUS, qui dixit illis, qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit. Quemadmodum Christiani magis Reges reverentur, quia in ipsis Majestatis Dei, qui quodcumque in terris elargitur imperium, cognoscunt imaginem; ita vos eo majori honore Sacerdotes prosequi debetis, quo magis in ipsis deprehenditis imaginem supremæ potestatis Dei in animas vestras, atque Æterni Sacerdotii Filii sui veritatem. *Idem.*

Sancti Patres considerarunt Sacerdotum manus svelut sacrum Beatissimæ Virginis uterum.

Sancti Patres tanto semper in pretio habuerunt Sacerdotum dignitatem, ut in Ecclesia nihil invenerint, cui manus eorum comparare possent præter intacta Beatissimæ Virginis viscera; quia ex quo ipsa hæc protulit verba: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum;* Dei Filius in utero ejus carnem assumpsit. Ita eo momento, quo Sacerdos verba consecrationis absolvit, quæ non sunt humilitatis verba, ut illa Deiparæ, sed præcepti; JESUS CHRISTUS voci Sacerdotis obtemperat, in manus ejus dilabitur, iterum, ut ita dicam, carnem assumit; saltem ibi panis, vinique substantiam in substantiam sui Corporis, Sanguinisque convertit, ac se Ministri sui, Fideliumque omnium facit edulium. *Idem.*

Mirabilia omnia, quæ in eorum persona collegit Deus, merentur, ut ipsis honor adhibeatur.

Tot magnalia, tot miracula, tantumque potestatis, quam in eorum persona collegit Deus pro populorum consolatione, & Ecclesiæ suæ gloria, nonne merentur, ut illos summo honore excipiamus? Attamen ubi sunt Fideles, quibus persuasum est duo hæc munera Dominum scilicet metuendi, & Sacerdotes ejus colendi, ut Sapiens ait, invicem separari minime posse? *In tota anima tua time Dominum, & Sacerdotes illius sanctifica;* ubi sunt Christiani, qui putent, Deum contemni ab iis, qui Sacerdotes contemnunt? *Idem.*

Eccli. 7.

In Sacerdotibus, & Ecclesiasticis major, quam in Laicis perfectio requiritur.

Si qui per Sacerdotium Deo dicati sunt, sublimiorem obtinent locum, quam laici, profectò tenentur etiam sese supra illos attollere majoris perfectionis exemplo. Eorum virtus ita excellens esse debet, ut norma esse possit omnibus, qui ad sanctitatem acquirendam contendunt. Exemplum eorum esse debet irreprehensibile: qui eos vident, eorum virtutem debent admirari, atque vivendi rationem laudibus celebrare. Vita eorum lucerna est super Ecclesiæ candelabrum posita, ut fidei, virtutumque Christianarum lumine omnibus, qui eos intuentur, præfulgeat. Actiones eorum ab omnibus explorantur, & in JESU CHRISTI Ministris minimus quilibet defectus non est contemnendus, & quod in laico plerumque negligitur, in Sacerdote instar magni facinoris penditur. *Idem.*

Sine bonæ vitæ exemplo, Sacerdotes, & Ecclesiastici nullum afferunt fructum.

Quam vim habere possent verba, quæ de suggestu veritatis annunciant, & declamationes, quibus in mundi luxum, libidinemque invehuntur? Quænam haberetur fides consiliis, quæ in Pœnitentiæ tribunali peccatoribus tradunt, si ipsi quoque luxum, ac libidinem in ipsum usque Sanctuarium inferrent? Quibus rationibus uterentur, ut populis persuaderent, necessariò virtutem illis esse excolendam, atque abhorrendum a vitiis; si illi, qui peculiari quodam modo virtutis caracterem, & horrorem vitii præseferre debent, perturbato ordine, virtutem quidem horrerent, & vitium diligerent? *Idem.*

Sæpe Ecclesiastici injusta censura notantur.

Quid magis deplorandum, quam homines videre cæcos in defectibus suis, cæca perspicacia rimari velle minimos quoslibet defectus Sacerdotum Domini, quos attingere nefas est; alacri aviditate arripere, quidquid nomini eorum vel levem offendere videri potest caliginem, sub affectatis quæstubus, ac sermonibus super oleum mollitis in speciem, ut Propheta loquitur, acerrissima obsecrationis jacula abscondere; omnes damnare devotiones, quæ a propria dissentiunt; & quasi ipsi essent idea perfectionis, atque spiritualitatis aliorum existimationem, & contemptum ex se ipsis metiri. Certatim adnitamur aliquid gloriæ status nostri, & honori ministerii nostri conferre deflentes cæcam severitatem eorum, qui leves defectus nostros censoria nota perstringunt: & eorum improbitate eruditi attentius nostris invigilemus officiis. Nihil nobis illi parcunt, ut in omnibus sibi pateant; verum auferamus illis miseram hanc voluptatem, quam ob lapsus nostros lætantes percipiunt. Æque nos vitæ nostræ invigilemus eam ad virtutem compositurі, ac illi aliquid in moribus nostris corripiendum inventuri; undequaque armis luminis circumsepti nullum mundo locum relinquamus, quà ejus improbitas nobis vulnus possit infligere. *Abbas du Jarry in S. Philippi Nerii Panegyrico.*

De scandalo, quod nonnumquam Ecclesiastici tribuunt.

Apertè fateamur oportet; (Fideles) ex omnibus peccatoribus, qui scandalum afferunt, Religioni perniciosissimos esse Ministros ejusdem, ubi eidem dedecus inferunt ea vivendi ratione, quæ est sanctitati sui caracteris opposita; cum qui sunt lux mundi, opera tenebrarum faciunt; dignitatis suæ fulgor ad id prodest solum, ut vitæ suæ nævi facilius videantur, & apex, ad quem evecti sunt, in se mortalium oculos eam solum ob causam convertit, ut testes sint eorumdem infirmitatum. Hujus viæ peccator verè est idolum abominationis positum in loco sancto: incendium est, cujus scintillæ quocumque pervolant; cadaver rabidum est in foro projectum; communis est fons veneno imbutus. Scandali verò periculum iteratur, Sanctus Augustinus ait, cum doctrinæ fama cum gradus sublimitate conjungitur; cum enim populi non habeant tantum luminis, quantum satis est, ut per se de rebus ad religionem spectantibus judicium ferant, eam minime colunt, nisi quatenus ab illis, qui sui duces sunt, & capita, eam coli conspiciunt. Attamen quin scelus nostrum imminuatur ex eorum defectu, qui in dignitate sunt constituti; hoc affirmo, nos duplici ex causa fieri nocentes, cum in peccatum labimur, misero hoc prætextu suffulti; quia sceleri, quod patramus, alterum adjicimus, ultro recipiendi scandali impressionem, quæ viribus omnibus a nobis esset propulsanda. *Idem.*

Non consideranda est mala Ecclesiasticorum vita, sed ministerium.

Dei Filius in Evangelio nos explicitè monet, ut in iis, qui in cathedra Moysi sedent non vitam, sed ministerium considerare velimus, non opera, sed documenta. Sed mortales qui sæpe eorum caracterem cum contemptu respiciunt, illorum nefaria tantum intuentur exempla, quibus abutuntur, ut propria tegant flagitia. Sin autem quispiam ex Ministris Domini in insigne aliquod scelus ceciderit seu per infirmitatem, seu quod iis virtutibus careat, quæ ad eum, quem occupant, pro dignitate tuendum gradum sunt necessariæ; tunc

impii amplissimam se victoriam retulisse putant, & de aliis omnibus ex hoc uno judicium ferentes propter uniu improbitatem, integerrimam etiam aliorum vivendi rationem proscindunt. *Idem*.

Abusus bonorum Ecclesiæ in quibusdam Ecclesiasticis.

Nihil aliud exauditur, quam populorum obmurmuratio contra Ministros ea veste indutos, eoque insignitos caractere, cui nullum munus adhæret, & quorum flagitiosam tantummodo ignaviam invita pascit Ecclesia; qui pauperum patrimonium effundunt mortalium oculos inani luxus sui spectaculo saturantes; qui in superfluos, ne dicam, noxios sumptus impendunt sacrum eleemosynarum depositum, quibus pia majorum liberalitas nequaquam locupletavit Ecclesiam, ut in horum manus deferrentur, atque super eorum capita cumularentur; qui sacrilegi immensorum bonorum usurpatores, quorum religiosi esse deberent œconomi, per superbiam insultare videntur pauperum infelicitati, quorum devorant substantiam; qui non alia præseferentes merita, quam seculares quasdam dignitates aviditate sua rapiunt præmia virtutis, ac efficiunt, ut imbecilles homines, qui hanc miram rerum inversionem intuentur, blasphemiis JESU CHRISTI nomen proscindant, cujus Sacerdotium ita fœde per summam indignitatem hujusmodi Ministri dedecorant. *Idem*.

De Sacerdotii dignitate, ac officiis.

Angeli nomen designat officium, non naturam cœlestium Spirituum, quibus credidit Deus hominum curam, & qui gloriæ sibi vertunt invigilare saluti animarum redemptarum Sanguine Agni, ad cujus thronum circumstant, & cujus aulam constituunt. Felices Sacerdotes, qui magnum hoc ministerium cum divinis mentibus habent commune! Cum dirigunt peccatores in via Cœli, nonne exhibentur in Angelo ad juniorem Tobiam misso, qui fidelissimè illum in itinere comitatus est, eoque in paternam domum felicissimè restituto senioris Tobiæ oculos mystico illevit collyrio, & inde squammas detersit? Christiani, credidit Deus animarum vestrarum curam Angelis, Sanctis his directoribus, quibus numquam carebit Ecclesia, ut in omnibus viis vestris vos tutò deducant. Eorum ope adjuti super aspidem, & basiliscum ambulabitis; De acerrimis tentationibus, & periculosissimis occasionibus victores egrediemini. *Idem*.

Ad Ecclesiasticum ministerium a Deo supus evocandi.

Tu, Deus, ad formidabile sacri ministerii munus nos voces, oportet. Hæ vocationes, quas ambitio, vel cupiditas pariunt, hæ missiones, quas principum existimatio rapit, quas avaritia Sacerdotum sollicitat, & quas eadem turpibus assentatiunculis plerumque sibi comparat, illos nequaquam excusabant terribili ultionum tuarum die, quo, tamquam Ministris tuis, mercedem persolves iis tantum, qui sanctarum literarum auctoritate ducti: (*Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron;*) toto pectore incubuerint ad ea exercenda munera, ad quæ divinitus evocati fuere. *Sermo manuscriptus*.

Ad Hebr. cap. 5.

Quid de Sacerdotio cogitandū.

Sanctus hic non eodem oculo Sacerdotii statum intuebatur, quo plerique mortalium, qui non vocati terribilem statum hunc aggrediuntur. Hunc illi respiciunt tamquam egestatis, ac necessitatis asylum, tamquam honestum perfugium, quò natu minores ex nobilissima quacumque domo sese recipiant, tamquam inertiæ portam, ubi minori cum tædio, atque incommodo vitæ hujus voluptates gustantur; namque, (gratiæ habeantur pietati Fidelium, quorum spem ignavi, & voluptuosi Ministri sæpius eludunt) in Ecclesiastico statu quædam inveniuntur bona, quæ pauci merentur, honores, qui essent contemnendi, divitiæ, quæ sæpe inutiliter dissipantur. Sanctus hic nequaquam ex admirabilibus his locis spectavit Sacerdotium; sed illud consideravit tamquam grave, laboribusque refertum ministerium, cui sese immiscere non debet, nisi ille, cui ardens zelus est inserviendi proximo, animarum salutem procurandi, nullis curis, laboribusque parcendi, ut aberrantem gregem reducat in pascua, atque omnia abdicandi, ut non aliam præter JESUM habeat hæreditatem. *Idem*.

Beneficium relinquendum est, ubi muneribus ejusdem explendis non es idoneus.

Si sequi vis regulas prudentiæ salutis, humiliter coram Divina Majestate te projice; appende consilia tua in ea statera, qua novissimo Judicii die JESUS CHRISTUS utetur, ac vide, quid magis intersit, beneficiine, an Cœli jacturam subire. Si enim intelligas te in apertum discrimen tuam salutem objicere, quia alienæ prospiciendum est tibi; quænam esset insania, temere in tutum nequaquam recipere? Quibus deinde gravibus quidem, sed superfluis doloribus conficieris? Familia tua, quam patrimonio JESU CHRISTI alere voluisti, interibit; domus tua subvertetur, corpus tuum redigetur in cinerem; quæcumque in mundo habes charissima, quamprimum peribunt, & anima tua suppliciis nullum habituris finem adjudicabitur. *P. Segneri de Officio Parochorum*.

Boni Pastoris qualitates.

Apostolus Pastoris qualitatem cum qualitate Doctoris conjungit, ut verum ostendat Ecclesiasticorum Pastorum officium, quod sanè est, ea quæ ad fidem, bonosque mores pertinent, docere; immo veros Pastores ab illis, qui nomine tenus, ac specie Pastores sunt inde vult esse dignoscendos: *Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei*, quasi neque eleemosynæ, quarum sunt dispensatores, neque Sacrificia, quorum sunt Ministri, neque Sacramenta; quorum illis concredita est administratio, neque proprius sanguis, quem pro grege suo ultro essent effusuri, dignos illos efficere possit ministerio suo, si in una Divini verbi prædicatione deficerent. *Idem*.

Ad Hebr. 13.

De iis, qui beneficii muneribus obeundis apti non sunt.

Excusatio, quam afferre posses dicens te parem non esse iis obeundis muneribus, quæ suo inhærent statui, turpis est, & illegitima: tuum enim est id adipisci, quod ad ea rite obeunda requiritur. Te ineptum esse non hodie tantùm nosti; tunc etiam noveras, cum hoc munus suscepisti: quænam igitur fuit temeritas tua, cum illud onus subire voluisti, cui ferendo pares non erant humeri tui? *Miserum est magistrum fieri, qui numquam discipulus fuit*, quidam Pater inquit. Cur igitur recepisti beneficium, vel cur non abdicas illud? At enim, hoc tulit occasio. O inutilem excusationem! Non est discendi tempus, cum tempus est alios docendi. *Idem*.

Sine laboribus Ecclesiæ reditus mereri non potes.

Non nisi labores laboribus addens Ecclesiæ reditus mereri potes; alioquin non sine quadam rapinæ specie iis frueris. *Si fructus ejus terræ comedi absque pecunia*. Quid autem hoc sibi vult, fructus terræ sine pecunia comedere, Sanctus Gregorius interrogat? *Fructus terræ absque pecunia comedere est, & Ecclesiæ quidem sumptus accipere, sed eidem Ecclesiæ prædicationis officium non præstare*. *Idem*.

Job 31.

Sanctitas in Sacerdotibus, & Ecclesiasticis requirenda.

Guillelmus Parisiensis duas sanctitatis species distinguit in Deo, alteram separationis, & unionis alteram; separationis quidem, quæ illum ab omnibus operibus suis avellit, eumque ab illis in infinitum separat; unionis verò, qua Deus non inveniens, neque invenire valens bonum aliquod sibi par, in seipso quiescit, ac permanet. O Domini Sacerdotes, ecce quodam in sensu quid vobis sit imitandum, ut singulari sanctificationi vestræ studeatis. Vosmet separare debetis per ministerii vestri dignitatem a mundi commixtione, & corruptione; & quemadmodum Sanctitas vestra esse nequit rebus in omnibus divinæ similis, neque potestis in vobismetipsis quiescere, ut ille; illi uni adhærere vos decet. Sacerdotes in terris vivæ sunt imagines Dei, cujus repræsentare debent sanctitatem, eique ita debent esse conjuncti, ut omnes conatus exerant sese eidem similes præbituri. Ad hunc effectum quid illi facere tenentur? peculiarem quærere sanctitatem, ac semper magis nova virtutum acquisitione ditescere. *Framentieres Sermone de Sacerdotibus*.

Ecclesiastici non debent omne

Ecclesiastici, si tempus omne vestrum in actiones, Sacramentorum administrationem, Prædica-

tionem,

tempus suū in actiones transferre.

tionem, Instructiones, Catechismos transmittitis; commendabilis profectò est zelus vester; ac zelus hic secundum scientiam non esset, si alienæ saluti invigilantes, propriam contemneretis. Vos equidem laudo, Ecclesiastici tanto zelo succensi, quòd commissi vobis gregis curam egregiè exercetis; at si Deo lucrantes animam, illi non acquiritis vestram, minime laudo. Omnem quidem curam, omne studium ovibus vestris debetis; at saltem vosmet in earum numero recensete; vosmet vobis reddite aliquando per orationem, recessum, intimamque unionem cum Deo: æquum enim est, ut vestræ salutis eam geratis curam, quam geritis alienæ, atque omnes industriæ nervos contendatis ad amplam virtutum supellectilem vobismet comparandam, postquam populos edocueritis, qua ratione ad virtutem conniti possint. *Idem.*

Sacerdotes sanctè vivere debent.

Acerbissima sane irrisione Tertullianus olim Idolorum cultores redarguit, eos ita cæcos ostendens, ut victimas, quæ mactabantur, sanctas esse vellent, quin attenderent, utrum ipsi, qui easdem offerebant integri essent, ac innocentes: *Miror, cur hostiæ probentur penes vos; cur potius victimarum præcordia, quam vestra scrutemini.* Quid portò de veri Dei ministris dixisset, si eos videret parum laborare, utrum vitam puram sceleris, atque irreprehensibilem ducant in Religione sanctissima, ac prorsus divino Ministerio? Quam justa esset ejusdem querela, quod ipsi fidelium conscientias scrutantes, atque honore JESUM CHRISTUM in ara offerendi insigniti, terribili huic ministerio sese velint immiscere, quin reputent, utrum eam, quæ requiritur, habeant puritatem, innocentiam, & sanctitatem. *Idem.*

Ecclesiasticorum vita magis, quam sæcularium censuræ est obnoxia.

Mirum sane est, quod qui minus piè vitam traducunt, ac sibimet sunt indulgentiores in Ecclesiasticorum moribus inspiciendis tantopere sint diligentes. Illis improbitas sua oculos aperit, ut minimos etiam nævos intueantur; numquam illis parcant, nihil in illis excusent. Dæmon qui populorum oculis caliginem offundit, ne suos videant defectus, ut in ipsis perseverent, eamdem detergit, ac levissimos illis detegit Pastorum defectus, ut verborum, ac exemplorum eorumdem vim prorsus eludat. Hæc potens est ratio, quamobrem Ecclesiæ Ministri minimos etiam defectus evitare debent, & id exercere, quod olim S. Paulus in tota vitæ suæ ratione diligentissimè observabat, ne alicui vel levem scandali causam tribueret, propter quam ministerium suum in ludibrium traduceretur. *Idem.*

Qui humanas tantùm ob causas Ecclesiasticum statū amplectuntur.

Cur huc accersere mihi non licet ad tam insigne inspiciendum Exemplum tot indignos Ministros, qui nulla vocatione compulsi, sed carnis tantùm, sanguinisque humanis politicisque rationibus, ac tandem sola vel ambitione, vel cupiditate acti ad Sacerdotium obrepunt? In Domini castra transfugiunt, ne collabentis familiæ ruina opprimantur, ut adversæ fortunæ spicula eludant; ut honestum servent otium sub specioso prætextu conditionis, quam amplectuntur, & ut sub sacro integumento profanam vitam traducant. In Ecclesiam, tamquam in terram promissionis, ut beatè vivant, ingrediuntur; beneficiis augentur, ut eorum dissipent reditus, quin ipsis negotium facessat ea cura, ac labor, qui illis inhæret. Nossent scitè pretiosum a vili secernere; cœlum, ac terra movetur, ut suæ ambitioni, & cupiditati fiat satis; pro virili onus illud abjicitur, quod tanta festinatione fuerat susceptum; quia ad illud suscipiendum mercenario spiritu rapiebantur, ut pauperum spoliis ditescerent, non agebantur spiritu zeli, ut Dei, & Ecclesiæ servitio sese devoverent. *Flechier Panegyrico Sancti Josephi.*

In hoc sese magis prodit pietas si potius Sacerdotem improbum, quam probum vereamur.

Sacerdotem in honore habere, in quo sanctè consentire videtur cum moribus sermo; qui gaudet peccatores excitans ad pœnitentiam, & egenorum necessitatibus ferens opem: qui ea vitia convellit, quæ per inveteratum habitum in ipsam pene naturam migraverant; qui eas dirimit lites, quarum vix inveniri potest inter infensas familias origo; hoc sanè est agere ex quodam rationis principio. Quis enim in pretio non habeat sapientiam hanc, quæ sine ullo dedecore sese accommodat, hanc scientiam, quæ sine ulla asperitate ædificat, hanc eloquentiam, quæ sine ullo fuco persuadet? Illius vita exemplar est sapientiæ, & facies ejus est imago virtutis. Hominem tanto honore dignum colere, æquitatis est; sed colere eum, in quo tantum abest, ut virtutes omnes affulgeant, quod immo scelera omnia delitescunt, hoc sane agere est ex sensu pietatis; hoc enim est revereri characterem, qui à persona separari non potest. E contraverò contemnere sacerdotem, illum contumelia afficere, obloqui de eodem; hoc est contemnere Deum, eidem injuriam inferre, eidem obtrectare; quia hoc est, caracterem ipsum impetere. *P. Bourdalove, Sermone de reverentia, quæ debetur Sacerdotibus.*

Sanctitas, & boni mores Ecclesiasticorum.

In administratione mysteriorum legis antiquæ nihil non afflabat reverentiam, nihil non barbaras etiam mentes in admirationem rapiebat. Religiosus Ille apparatus, S. Chrysostomus inquit, magnifica illa Summi Pontificis ornamenta, silentium mysticum, aditus in Sanctuarium cæteris omnibus interclusus; ingens illa, ac mira multitudo vasorum, instrumentorumque ad sacrificiorum pompam destinata; ignis palam sæpe de cœlo ad victimas comburendas demissus; sexcenta eorum supplicia, qui vel templum polluere, vel inconsulto illuc ad adorandum accedere audebant; hæc omnia tunc Religionis majestatem, populorumque reverentiam, ac venerationem prædicabant. Hodie verò in hac simplicitate, quæ mysteria nostra concomitatur, in hac accedendi facilitate, in hac humilitate Dei, qui sub arctis speciebus contegitur, & quotidie sese offert oculis, manibus, ori, & arbitrio servorum suorum, nihil profectò (dicere audeo) apud nos tueri potest Religionis reverentiam, nisi Ministrorum ejus vitæ integritas, virtus, sanctitas, & innocentia. Tunc noscent omnes Deum nostrum magnum esse, licet humilis, & infirmus videatur, cum videbunt nos eidem tamquam dominorum omnium principi, & maximo famulari. *Desumptum ex manuscripto sermone de Sacerdotum Officiis.*

Improba sacerdotū vita illos contemptibiles facit in populo.

Si illi, qui vi status sui, esse debent fulcra, columnæ, ac bases Domus Dei, errones, vagique sunt in mundo, sæcularibus cum, terrenisque miseriis impediti, quomodonam ministerium suum honorari contendunt, cum ipsi illum dedecore afficiant? *Jacent per ministerium operis, & honorari volunt de imagine sanctitatis.* Sanctus Gregorius inquit. Nulla res magis sibi reverentiam conciliat, quàm dignitatis sublimitas; nihil magis reveremur, & admiramur, quàm quod extra mentis nostræ captum est, nostrumque gradum excedit. Licet caracteris, quo distinguimur, sanctitate supra ignarum, vel profanum vulgus attollamur, amittimus omnia, cum nosmet demittimus, atque aliis morum nostrorum indignitate exæquamur, quemadmodum egregiè Sanctus Ambrosius ait. *Quomodo observari potest a populo, qui nihil habet separatum a populo, nihil dispar a multitudine? Quid in te miretur, si sua in te recognoscat?* Quid ille revereatur in te, si in te nihil inveniat præter ea, quæ in ipso inveniuntur, eadem studia, iidem affectus, infirmitates eædem: si in actionibus tuis id deprehendat, quod enitescit in suis; si homines Divino cultui devotos sese videat avaritiæ, & cupiditati mancipare, viris principibus obsequi; bonorum eorumdem œconomos fieri, & procuratores; sollicitatores litium, & affectuum quoque Ministros? *Idem.*

Quæ mala ferant prava Sacerdotum exempla.

Cum videntur Ecclesiastici gestibus malè compositis, & corporis habitu indecoro incultoque, mysteriorum omnium augustissimo conciliare contemptum eorum, qui illis sacra operantibus adsunt,

quænam imprimere possumus reverentiæ principia in Fidelium mentibus, animisque erga Orationem, Confessionem, Communionem, cæteraque omnia, quæ pabulum sunt animarum nostrarum? Tunc a nobis ediscunt, cum Deo se loqui posse eo pacto, quo cum hominibus loqui nos puderet; preces effundi posse, quin de Deo ne cogitetur quidem, frequentem pœnitentiæ usum in consuetudinem, ludibriumque posse converti; ad Filii Dei mensam non quotannis semel, sed quotidie accedi posse sine ulla præparatione, & quod terribilius est, inde sine ullo fructu reverti. *Idem*.

Ecclesiastici status ad acquirendam sanctitatem adjumenta.

Posthæc, nemo unus inficiabitur, in Ecclesiastico statu plurima suppetere ad sanctorum beatitudinem prometendam adjumenta. Ubinam sunt servi Domini majori zelo flagrantes? ubi animæ generosæ nullum effugientes laborem, atque periculum, ut ejusdem gloriæ inserviant? nonne in Ecclesiastico statu? O labores Apostolici! O curæ! O vigiliæ! O austeræ virtutes; quos habetis asseclas præter eos, qui Domino sese devoverunt. Si autem adhibes flagitiosis hominibus, vel illis, qui indiscreto zelo succensi agitantur; omnia corrupta sunt in Ecclesia; inter Sacerdotes nihil nisi scandalum, mollities, avaritia invehitur. Non desunt mali Presbyteri, non desunt mercenarii Pastores, utinam deessent! Sed quousque maligna hæc adinventa exaudientur? Nemo sane negaverit, donec erunt homines ex Adam originem ducentes, numquam in sanctissimis etiam ministeriis sceleratos viros defuturos. Verum hoccine prohibet, quominus magnus adsit Ecclesiasticorum numerus, qui in spiritu, & veritate Deo famulantur? Unquamne major enituit in Ecclesiæ ministris probitas, moderatio, modestia? Unquamne majori cura gregibus suis invigilarunt Episcopi? Ad hanc quoque diem in tanta sæculi corruptione videntur animarum duces, & Confessarii, qui in sacro Pœnitentiæ tribunali summa cum patientia sexcentos labores, atque tædia patiuntur. Videntur adhuc Missionarii, qui Divino spiritu afflati sudoribus suis steriles agros irrigant; qui ignota lustrant deserta, & quorum zelus in vastis solitudinibus, nemoribusque exercetur. Videntur adhuc, qui in extremas terrarum oras non sine manifesto vitæ periculo concedunt in sævissimis cœli plagis, quibus Evangelii lux nondum affulsit, animas conquæsituri. *Desumptum ex Morali Dictionario*.

Ex prava Sacerdotis vita desumenda non est occasio eos vel imitandi, vel contemnendi.

Quamvis quorumdam Ecclesiasticorum vita innocens nequaquam sit, eorum tamen potestas legitima est, eorum Sacerdotium gratia est gratis data, quam non contulit illis JESUS CHRISTUS propter merita eorum, sed propter populorum sanctificationem, & Ecclesiæ suæ utilitatem. Eorum igitur dignitati honorem detrectare, ne videamini illorum vitia commendare scelus est, quod apud Deum nullam excusationem inveniet: Vivunt illi quidem pro se, administrant verò pro vobis; si male vivunt, illis adjacet damnum; si bene administrant, vestræ saluti prospiciunt; quod ad ipsos pertinet, negligite; ad id attendite, quod interest vestra. Si eorum flagitiis medicinam afferre non valetis, illis utimini tamquam lucernis, quæ seipsas consumunt, dum vobis suam lucem impertiunt. *Ex sermonibus Christianis*.

Magnitudo Sacerdotalis dignitatis.

Citra nefariam, pravamque ambitionem, nemo potest, Sanctus Paulus inquit, vel ad eum honorem contendere, quo indignus est; vel se ipsum ad eam provehere dignitatem, cui se minime parem existimat. Citra insignem audaciam, nemo se dignum arbitrari potest honore illo, quem nemo potest mereri; vel se parem censere dignitati, quæ omnem hominum, & Angelorum captum excedit. Sacerdotium autem est honor, quem nemo potest mereri; dignitas est, quæ omnem hominum, & Angelorum captum excedit; nemo igitur, nisi extrema cæcitate laboret, credere potest se dignum Sacerdotio; nemo se eidem parem potest arbitrari. Aaron quantumvis sanctus esset, quantumvis frater Moysis, numquam tamen cogitasset se Veteris Testamenti Sacerdotem futurum; neque id se cogitare posse credidisset, nisi eum Deus vocasset. Salvator Apostolos ad novæ Legis sacerdotium provexit, eosque ne cogitantes quidem, & ab hoc honore prorsus abhorrentes consecravit. Sanctus Chrysostomus eodem se indignum adeo credebat, ut ubi intellexit, se conquiri, ut sacris initiaretur, aufugerit, ac delituerit. Sanctus Benedictus, qui tunc temporis totidem fere in familia sua Sanctos, quot Monachos numerabat, prohibebat, ne quis sacros Ordines peteret, immo ne de illis loqui, vel cogitare præsumeret. Sanctus Franciscus Assisinas, homo ille mundo quidem mortuus; Salvatori verò Crucifixo adeo conformis, sacerdotium semper respexit veluti dignitatem supra se toto cœlo positam, & nonnisi contremiscens ad eam animum advertebat, neque passus est unquam se ad eam promoveri. Quæ igitur nostra mens est, qui sensus nostri, o Fideles? Qui majori præ cæteris sanctitate floruerunt, se se sacerdotali dignitate indignos censuerunt; eamque nonnisi cum metu, ac tremore, postquam diu obluctati sunt, receperunt, hodie verò quot Ecclesiastici, qui sancti non sunt, & qui a sanctitate procul distant, formidabilem hanc dignitatem sibi audent vendicare? *P. le Valois Epistola octava de recessu*.

Sæcularium Presbyterorum status pluribus periculis obnoxius.

Sæculares quidem maximis sunt obnoxii periculis; verùm tot obligationibus nequaquam tenentur: Regulares maximis quidem tenentur obligationibus; sed tantis non patent periculis, ac plurima habent adjumenta virtutum. Claustrum illos retinet, ac gressum in malum prohibet; regula eos dirigit; & bona facienda illis præscribit; Superiore illis invigilat; & Fratres precibus suis illos tuentur, exemplisque confirmant; sed Sæculari Sacerdoti eædem ferme ac Regulari imminent munera; & cum in laica domo versetur, iisdem patet periculis, quibus quilibet e sæculo; at fallor; majoribus immo periculis obnoxius est, quia iisdem patet occasionibus, at non eadem illi fas esse possunt. *Idem*.

Pœna eorum, qui non vocati sacris imitiantur.

Dei injussu immo contra Dei jussum ad ordines accedis; extremæ te objicis calamitati. Amplissimam in regno illius sine ejusdem facultate, & contra ipsius voluntatem tibi vendicas provinciam; Ecclesiasticorum negotiorum curam tibi vendicas, ac potestatem usurpas damnandi, absolvendi, pœnas infligendi, gratias impertiendi, thesauros Ecclesiæ distribuendi. Ne putes, hoc Deum impune passurum. Si quos in terris tolerat, qui tanta elati fuerunt audacia: scias, illos majora, ac diuriora in altera vita manere supplicia; eosque haberi jam tamquam vasa iræ in æternam mortem reservata. *Idem*.

Ministri Evangelici puram, integramque vitam ducere debēt.

Juber Apostolus, eos omnes, quibus prædicatum est Evangelium, vitam ducere *dignam Evangelio*. Qui ergo prædicant illud multò magis vitam *Evangelio dignam* ducere tenentur. Quid sanctius, quid purius Evangelio JESU CHRISTI? Igitur JESU CHRISTI Ministri vitam ducere nequeunt *dignam Evangelio*, nisi integerrimam, sanctissimamque vitam ducant. Ecclesiasticus, qui non agit vitam statu suo dignam, numquid ejus dignitatem intelligit? Non erubescit, ubi considerat ingens illud discrimen, quod inter vitam, statumque suum intercedit? Status quidem nimis sublimis est, vita verò prorsus abjecta. Hæc adeo mira, atque iniqua D. Bernardo sunt visa, ut veluti monstrum respexerit unionem Ecclesiasticæ dignitatis cum vita sæculari, & profana: Monstrum est; inquit ille, in elatissima dignitate cor humile habere, primum obtinere gradum, ac per vitæ scelus novissimum locum mereri; aliis ostendere necessitatem bonorum operum, & his vacuas habere manus; Evangelii annuntiare præcepta, & nullum inde fructum percipere; a Deo eam recepisse dignitatem, quæ firmum characterem supponit, atque in vitæ suæ ratione inconstantiam, in-

firmi-

firmitatemque præseferre. Heu! inter Ecclesiasticos quam multi hæc quæ inter se adeo sunt adversantia, simul consociata infeliciter norunt. O vos, qui in adeo sublimi gradu effulgetis, vos minimè pudet vitam ducere eodem prorsus indignum? Quænam intercedit similitudo inter dignitatem vestram, vestrosque mores? Dignitas quidem vestra vos JESU CHRISTI Ministros, mores autem vestri vos Dæmonis servos constituunt; dignitas vestra poscit, ut alios ad sanctitatem exciteris; vestra verò pravissima exempla ab eadem mortales avertunt. *Lambert sermone secundo, de Ecclesiastici status præstantia.*

Ecclesiastici, præsertim vero Pastores, populos erudire tenentur.

Personæ Deo in Ecclesiastico statu devotæ totius temporis sui Deo, ac fidelibus sunt debitores; tenentur sese Christianæ morum disciplinæ institutis imbuere & oratione, & lectione, ut populos valeant erudire; debent ad instar eorum Angelorum, quos Jacob Patriarcha conspexit, in Cœlum conscendere, mandata Dei recepturi, & mox descendere in terram, eadem hominibus annuntiaturi. Non ideo Sacerdotes sunt, ut tranquillè redditibus Ecclesiæ fruantur; & scire debent, sibi victus comparandi laborem, & curam ademptam, ut vacare possint, majori cum libertate, atque integritate Deo, proximisque inserviendo. Debent eum amorem, quo Deum suum prosequuntur, ostendere, prædicantes, docentes, conscientias dirigentes, ac tandem sine ulla intermissione pro viribus adlaborantes, ut omnes Deum norint, diligant, eique famulentur. *Unusquisque prout accepit a Domino. Auctor Anonymus.*

Humanis adii rationibus, & ob possidenda beneficia plurimi sacris initiantur.

Non minimum est inter hujus sæculi mala ad Presbyteratum alia obrepere via, quàm quæ legitimæ pater vocationi; hæc enim vulgò in familiis viget consuetudo, ubi solæ domesticæ utilitatis rationes his præsident consiliis, in quibus Deus esset diu consulendus. Hinc autem fit, ut Ecclesia flagitiosis redundet hominibus, qui eidem scandalum afferunt, & qui cum patrimonium suum obligurierint, solatia tantum, & oblectamenta perquirunt, aliis curam, honoremque Deo, Ecclesiæque inserviendi relinquentes. Quemadmodum Ecclesiæ Dignitates inter fortunæ bona recensent; ita ad illas anhelant, ut aulici ad sæculi dignitates; illuc eadem via contendunt, easdemque in eumdem usum convertunt. Hoc pacto Simoniaca labes sæse perennat; & scandala iterantur; hoc pacto abominatio desolationis in loco sancto invenitur. *Desumptum ex vita Abbatis Trappensis a Maupeou conscripta. l. 1.*

Sacerdotes udniti debent ut & se, & alios sanctificent.

Sacerdotium simile est piscinæ probaticæ, ad quam ægri salutem suam recepturi confugiunt. Vos estis lux mundi, Salvator ait Ministris suis; vos estis sal terræ; debent ergo seipsos in mundo sanctificare, & secum etiam sanctificare mundum: debent illuminare mundum, quin sinant, a mundi tenebris ullam sibi offundi caliginem; debent mundum præservare a corruptione, atque ipsi ququque in medio corrupti mundi incorruptibiles permanere. Talis est status eorum gratia; talis spiritus vocationis ipsorum. *Si officium vis exercere Sacerdotis*, scribebat D. Hieronymus ad Sanctum Paulinum; *in medio populi vive, ac in eo tuam salutem constitue, si alienæ diligenter prospexeris.* *Liber cui titulus: Retraite pour les Ordinans par Monsieur le Curè de Saint Sulpice de Paris.*

Dispositio, quæ in Sacerdotibus quæritur, ut muneribus suis rite perfungantur.

Sanctus Joannes Baptista in desertum secessit, ut sese ministerio suo rite obeundo disponeret: *Et erat puer in desertis usque in diem ostensionis suæ ad Israel.* Illi non aliud erat exercendum præter vulgatiora Sacerdotii munera, pœnitentia prædicanda, viæ Domini præparandæ, Baptismus administrandus, qui quidem simplex erat cæremonia; JESUS CHRISTUS digito ostendendus, idemque in suo naturali corpore baptizandus, ac testandum, se vidisse Spiritum Sanctum in ipsum descendere: attamen omnes vitæ suæ dies in solitudine transigit, ut ibi gratiam missioni suæ necessariam mereatur. Quid igitur non faciat Sacerdos, ut muneris sui officiis obeundis se præparet? Nonne huic æque ac illi Dei verbum prædicandum est? Homines ad pœnitentiam adducendi? Baptismus longè præstantior conferendus? Nonne multo plus huic præstandum est, quàm JESUM CHRISTUM digito ostendere; quandoquidem illum tangit, gestat, Fidelibusque distribuit? Ut hæc omnia obeat munera, nonne opus est, non solum a Deo vocari, verùm etiam, adeo sublimibus mysteriis se præparare, Dei vocem audire in recessu, antequam sibi aures adhiberi contendat? *Idem.*

Sacerdotes tenentur seorsim a mundo vivere.

Nonne dictum est Sacerdotibus, atque Levitis in libro Numerorum: *Separavit vos Deus Israel ab omni populo, & junxit sibi, ut serviretis ei, in cultu Tabernaculi, & ministraretis ei?* Homines a mundo separati, atque Deo juncti, homines sunt orationis, recessus, summæ pietatis, ministerio suo obeundo diligentissimè attenti. Ita Fratres mei, Sacerdotes, & Ministri Domini, quos alloquor, nos separavit JESUS CHRISTUS a populo; & nos mundo abrenunciavimus ultrò, cum Sacris Ordinibus initiati sumus. Ordinatio nostra simul est consecrationis, & separationis mysterium; nos ibi caracterem recipimus, qui nos consecrat Deo; ibique divortium facimus, quo a mundo sejungimur; & sicuti caracter, quem à Deo recipimus, deleri non potest, ita divortium, quod ibi facimus, nullum est finem habiturum. *Pater le Valois in Epistola septima de Recessu.*

Cur pauci inter Ecclesiasticos habeant spiritum vocationis, & ministerii sui.

Inde profectò accidit, paucissimos inveniri Sacerdotes, & Ecclesiasticos ministerii, & vocationis suæ spiritum habentes, quod juge habent cum sæcularibus commercium; quia facilè caracterem spiritus illorum assumunt, & deinde faciliùs in eorum mores, ac flagitia labuntur. Accidit quoque, ut consuetudines illæ, quas vulgò habent inter se, adeo abjectæ sint, & sacra Unctione, quam receperunt ac eminenti statu, ad quem elati fuerunt, indignæ, ut nullus stupori relictus sit locus, si quodammodo sæculares effecti, plerique Mysteria, sanctasque cæremonias parvo habeant in pretio, & honore; si tanta mentis evagatione, ac tepore preces effundant; si tanta irreverentia, & festinatione Deo laudes concinant; si tanta negligentia, atque immodestia muneribus suis perfungantur; si tanto languore, & ignavia sua obeant officia, si tanta incuria, ac inertia saluti animarum invigilent, si exigua cum charitate, modicoque fructu gregem erudiant; & si vulgò paucissimos exemplo, & nonnumquam etiam scandalo ad pœnitentiam convertant. *Liber cui titulus. Colloquia Abbatis Joannis, & Eusebii Presbyteri.*

Presbyteri non minus, quam Cœnobitæ pœnitentem, austeramque vitam ducere tenentur.

Si Cœnobitæ solum pœnitentiæ austeritates exercere tenerentur, inde sequeretur, Deum pro illis tantum justum esse debere; ideoque insanissimum amplecteretur consilium, qui eam, quam illi profitentur vitam, ingredi vellet: verùm non ita est; Presbyterorum peccata nequaquam minus enormia sunt peccatis eorum, qui inter claustra se se Divino cultui devoverunt; neque minora illis Deus supplicia minitatur. Nulla in terris potestas est, quæ eorum potestatem exæquet, eorumque caracter est adeo augustus, ut per hunc super Angelos extolli dicere possimus. Verùm si per summum nefas suprema hac potestate abutuntur, quæ illi expectare supplicia non debent, nisi severa pœnitentia sua crimina expient? Sed licet etiam non patrassent peccata adeo gravia, quæ ex Tridentino Concilio non nisi jugibus lacrymis, assiduisque laboribus delenda sunt, non ideo tamen minus tenerentur ingemiscere, ac dolere ad promerendam eorum erratorum veniam, quæ justissimus quisque rarissimè evitat. Debent autem eò diligentius incumbere, ut minimas criminum sordes eluant, quod sanctitas eorum non solum esse debet forma, & exemplar sanctitatis Fidelium, verum etiam sanctificationis eorum causa, atque instrumentum. *Idem.*

Ejusdem argumenti.

Patres, qui de Religioso statu loquuntur, nos admonent, illuc neminem ingredi, nisi ut sua, & populi peccata lacrymis prosequatur. Presbyteri verò dicerene possunt, se duplex hoc suscepisse munus, ubi sacris initiati sunt? Nisi diuturnam, seriamque pœnitentiam egerint scelerum adolescentiæ suæ, antequam ad sacros Ordines evehrentur; quænam hæc est profanatio? Nisi evocati fuerint ad ministerium illud, quod exercent, quænam insolentia? Si legitimè vocati, vocationis suæ gratiam non sequuntur; quæ infidelitas? Si satis esse putantes a flagitiis abstinere, minimum adlaborant, ut status sui sanctitati respondeant; quod facinus? Nisi eam vitam ducunt, quæ illius deceat magnitudinem, & majestatem, cui tanto honore ministrant; quæ indignitas? Si cor eorum non est sapientiæ thesaurus; si eorum labia, ut Scripturæ verbis loquar, non custodiunt scientiam; quod probrum? Nisi manus suas indesinenter in Cœlum attollunt populis divinas benedictiones impetraturi; quæ injustitia? Si quin animæ suæ innocentia, & precum fervore Deum flectant ad lenitatem, illum vitæ suæ criminibus magis irritant: quæ impietas? Si rati communem virtutem illis satis esse, quos Scriptura Ministros, & Angelos Domini appellat, ad altiorem virtutis gradum non conantur admiti; quæ negligentia? Si lapsus causa sunt illis, quos exemplo ædificare tenentur; quod scandalum? Si metus aliquam subeundi calamitatem illos deterret, ne ministerii sui perfungantur officiis, quæ ignavia? Si denique studium Principibus vitis placendi, & opum congerendarum cupiditas aliquid illis magnitudine sui caracteris indignum extorquent; quæ servitus? *Idem.*

Abusus Ecclesiasticorum bonorum, & eleemosynæ erogandæ obligatio.

Ex Ecclesiæ bonis ingentes deprompta fuere divitiæ, quarum jactura adhuc est reparanda; eleemosynæ debentur adhuc, & in fastu, deliciisque vivitur; mors verò vitæ responder. Quot acerrimos evitaremus stimulos, si ea adimpleremus, quæ numquam citra injustitiam omittuntur? quanta essent nostra apud Deum merita, si Ecclesiasticis aucti bonis, hæc illis communicaremus, quibus ad ea jus minime deest? Beneficium, quod possidenti santum beneficium est, pro altera vita titulus est onerosus. Divites juxta divinæ Providentiæ consilia pro pauperibus divites sunt: quænam verò futura est æterna sors illius, qui Beneficiis cumulatus est, & qui pro consanguineis tantum, pro se, suisque voluptatibus locuples fuerit? *Idem.*

Eleemosynæ præceptum ad Ecclesiasticos potissimum spectat.

Eleemosynæ erogandæ præcepto Fideles omnes, qui eam possunt erogare, tenentur; ubi potes, statim debes. Quænam igitur erit eorum obligatio, qui ex Fidelium Eleemosynis divites facti sunt? Qui ideo divites sunt, ut pluribus indigentibus ferant opem, & qui etiamsi ingentes in sinum pauperum opes effunderent, non ideo divites esse desinerent? Quam prodesse possent duodecim, aut quindecim argenteorum millia quotannis in eos distributa, qui summa rerum inopia laborant? Quot homines ex ipsis desperationis faucibus eriperentur? Quot pauperes virgunculæ a periculo subducerentur? Quot obæratæ familiæ auxilium invenirent, & ex miseriæ sordibus emergerent? Plurimi majora etiam effundere possent, quin ideo ad paupertatem redigerentur. Profectò pauciores nutrirentur equi, minori pompa incederetur, minus lautæ mensæ instruerentur; pauciora itinera inutilia susciperentur; at num ideo minor haberetur in populo existimatio, honor, reverentia? *Idem.*

Beneficium cum animarum cura onus est periculosum.

Pingue beneficium, res quidem præclara est, sed num ideo minus est periculosa? Cura tot animarum, vel saltem tot munerum onere oppressus, quam metuendum est, ne propriam salutem periclitetur, tunc præsertim cum vocatio defuerit? At supernaturalisne vocatio est desiderium supplendi propriæ egestati beneficiorum redditibus? Numquid propria potius talenta, & qualitates, quam ipsa ambitio, consuluntur? Cessio, quæ sæpe omne ad beneficium assequendum jus confert, numquid confert & meritum? Beneficium cum animarum cura conjunctum grave onus est; fortissimus quisque ac robustissimus eodem opprimitur, cum interim sæpe infirma virtus, spiritusque mediocris illud contemnit. Quantum scientiæ, quantumque pietatis ministerium adeo terribile efflagitat? Numquid tanta suppetit nobis supellex, quanta satis est? Numquid virtutes, quæ in nobis desiderantur, quærimus adipisci? Meritorum, & Sanguinis JESU CHRISTI sequestres, destinati ex officio ad omnes animæ morbos curandos, & populum divini verbi pabulo nutriendum; ab Ecclesia præpositi peccatoribus conciliandis, pacique cum Deo sarciendæ, numquid mediocri virtute, levique scientia indigemus? Attamen exigua præ nobis ferentes merita, exiguisque ditati talentis, sine metu hanc obtinemus dignitatem: verùm illamne sine periculo obtinemus? Si justo spiritualia defuerint subsidia, Dominus ait per Prophetam suum; si peccatori salutaria defuerint documenta; si in peccato assentatores invenerit; si nulla ei suppeditata fuerint remedia, in vos irascar, qui salutis ejusdem rationem estis reddituri? Quænam hac terribilior sententia? Si justus recesserit a justitia, dicit Dominus, & commiserit iniquitatem, morietur, quia tu, cui salus animæ ipsius erat concredita, illud minimè admonuisti: *Ipse morietur, quia non annuntiasti ei.* Morietur ille in peccato suo, & memoria eorum omnium, quæ bene fecerit, interibit; *Sanguinem verò ejus de manu tua requiram.* *Idem.* *Ezech. 3.*

Væ populis Pastore habentibus non vocatis a Deo.

Quemadmodum regimen eorum, quos ad Ecclesiasticum statum Deus evocat, & ad dignitates attollit, ut gregis sui curam suscipiant, particulares gratiæ semper concomitantur, quibus fit, ut illi optatum muneris sui finem consequantur: ita qui humana tantum electione, iisque consiliis, quorum Deus non est particeps, ad illud provehuntur, hi sibimet traduntur iis destituti subsidiis, sine quibus non nisi summa cum indignitate adeo sublimis conditionis officiis possunt perfungi. Hi propriis reguntur luminibus vel potiùs tenebris circumsepti sunt prohibentibus, ne intelligant veritates, secundum quas & suam regere vitam debent, & eorum, qui ipsorum curæ commissi sunt. Itaque cum Pastor nihil præstet eorum, quæ debet pro populorum suorum eruditione, & vias ambulet iis prorsus oppositas, quas persequi oporteret, & quas descripsit Deus illis, qui ad alios deducendos destinati sunt; populi per vias prorsus invias incedunt. Mendacium pro veritate habetur, iniquitas pro justitia, vitium pro virtute; omnia susque deque mixta, turbataque sunt, ac dici potest illud Prophetæ: *Sicut populus, sic Sacerdos:* Eos videlicet qui ducunt, & qui ducuntur, eamdem sortem habere. *Abbas Trappensis in Considerationibus &c.*

Ecclesiastici prorsus secularem vitam ducentes.

Videntur non sine Ecclesiæ probro, & dedecore Ecclesiastici quidem affectatam præseferre elegantiam, cujus studium ornamenti locum habere posset; eo corporis habitu, ac vultu, qui licentiam redolet, omnia cœtuum genera invisere, mundi hujus oblectamentis lætari, & verbo, mollem, & prorsus sæcularem vitam transigere. Hæccine hominem Altaris ministerio dicatum decent? At non hæc tantum in Ecclesiastico inveniuntur. Non desunt, qui non aliam, nisi optimi redditus vocationem, nullum pro status sui muneribus obeundis talentum habent; beneficium tamquam patriæ hæreditatis supplementum haberi videtur; & usus, in quos a plurimis convertitur, satis superque hanc mentem confirmant. Ita temporalium rerum cura sæpe apud illos omnium officiorum suorum locum habet. Quodcumque talentum habeant, ut sibi existimationem concilient; semper contemptibiles sunt, ex quo è statu suo volunt emergere; omnia displicent, cum in gradu tuo non subsistes. Licet generis nobilitatem, ingenii vim, nominis celebritatem jactes, nisi munus adimples tuum,

nullum

nullum meritum habes. Verum id genus homines Domino dicati, ac quotidie minus cultui ejusdem intenti, suum munus adimplent? Eorum studia, factaque semperne status sui sanctitati respondent; ipsorumque ministerio cedunt in honorem? *Idem.*

Ejusdem argumenti. Quæso, nonne Dominus Ecclesiasticis quodvis profanum negotium interdicit, quod otiosos homines potest efficere? Nonne, ut habeant unde splendidè vivant, in aleas, & ludos impendant, in magnificos apparatus insumant, eos pauperum bonis locupletat Ecclesia? Cum Fideles sudores suos, atque parcitatis fructus consecrarunt victui eorum, qui altarium servitio devoti sunt, hæccine ipsis mens fuit, ut alere vellent aulicos homines, Ecclesiasticos pietate vacuos, Presbyteros æque sæculi amantes, ac Laicos? Numquid a populo separati sunt, numquid ex JESU CHRISTI familia sunt, ut in cœtibus sæcularibus locum habeant? Quodnam majus inveniri scandalum potest, quam quod Ecclesiastici populo præbent? Modò sacris operantur, sæpius profanis exercitationibus vacant; ubique mundanos mores circumferunt. Semper malè audiunt quod eam gerunt personam, quæ ipsos minimè decet. Quod in aliis risu dignum est, in Ecclesiasticis est dignius: Mundi mores sectatoribus ejus perniciosi sunt; sed perniciosiores illis, quorum conditio petit, ut illius sint hostes acerrimi. Gravissimum malum est, ut Propheta loquitur, cum ii, qui Templorum ministerio dicati sunt, cum Sacerdotes ob vitæ suæ vitia non distinguuntur a populo; & vitam æquè flagitiosam ducunt, ac nequissimus quisquis e sæculo

Osee 4. *Erit sicut populus, sic Sacerdos.* Vos viam sequimini illi prorsus oppositam, quam sequi deceret:

Malac. 2. *Vos recessistis de via, & scandalizastis plurimos;* eos videlicet omnes, qui viderunt vos adeo flagitiosam, & parum adeo status vestri sanctitati conformem vitam traducere. Nihil vobis majorem conflat contemptum, quam misera hæc agendi ratio; sed ego vos adhuc contemptibiliores efficiam,

Ibidem. dicit Dominus: *Ego dedi vos contemptibiles, & humiles.* Felices adhuc, si contemptus, quem hoc vivendi genere sibi conciliant, sola esset pœna ipsis metuenda. *Idem.*

Sacrorum redditūum abusus. Ditior plerumque beneficii redditus in eos sumptus impenditur, qui non carent pœnitentia. Ut quamdam honoris auram aucupentur, tot sumptus efficiunt; Hæc tamen illis e voto non cedit; immo inde cedit illis ignominia. Magnifica servorum caterva, superbus comitatus admirationem quidem conciliant; at num ideo merita adaugent? Et Ecclesiasticus reverentiam meretur, cum ab hujus mundi homine quopiam non distinguitur, nisi fastus excessu, ac luxu? Quis nequior abusus! Opulentæ hæreditates, istæ æterna christianæ pietatis monumenta; hæc portio bonorum cultui veri Dei dicatorum; amplissimi isti redditus, pars patrimonii pauperum, numquid secundum primæva instituta impenduntur? Ec quinam est eorum abusus! Cum hæc ædium magnificentia, hæc pretiosa supellex & splendidæ mensæ spectantur, atque oculus ad ea Templa circumfertur, quæ beneficiorum sunt tituli, & quæ extrema paupertate sordescunt, cum videntur denudata, ac semiruta altaria, in quorum ornatum, & cultum ingentia illa constituta erant bona, quæ hodie vix adeo insanis sumptibus sufficiunt, in pulvere, turpique squalore senescere; cum animus advertitur ad miserrimam paupertatem pagorum, unde beneficiorum redditus uberes percipiuntur, numquid jure sciscitari aliquis posset, utrum, qui pia hæc legata reliquere, bonum opus fuerint operati; vel ut melius dicam, utrum pii illi benefactores Dominum sint exoraturi, ut justo eos supplicio persequatur, qui per summum facinus, eleemosynis ipsorum abutuntur? Nihil supremo bonorum omnium Domino acceptius, nihil spiritui religionis magis consentaneum, quàm hæ adeo christianæ institutiones; at quod scelus est in profanos usus templorum patrimonia convertere! *P. Croiset Tomo secundo Christianarum Considerationum.*

Sacerdotis caracter a persona separari non potest. Non solum Sacerdotii caracter independens est a persona, verum etiam ab eadem inseparabilis est; videlicet, non præcipit Deus populo, ut caracterem hunc generatim revereatur, sed ut illum etiam colat, cui ille inhæret. Populi Sacerdotem singillatim revereri, & Pastori suo debent obtemperare. Immo Ecclesiæ majorem honorem deferunt, non contemnentes illum, qui se contemptibilem præbet, quàm illum habentes in pretio, quem sua virtus commendat; cum alterum hunc colunt, cum propter ipsius personam reverentur; ubi Religio nihil ipsis acceptum referre debet: sed cum priorem illum honorant, tunc eorum pietas effulget. Quis enim non coleret Sacerdotem meritis, & sanctitate florentem, Pastorem charitate flagrantem? Sed cum ea extrinsecùs videantur, quæ sunt contemnenda, & nihilominus iis, quæ intus latent, honos defertur, nonne hæc obedientia est magis christiana, ac minus humana? *P. Bourdalove sermone de Sacerdotibus.*

De illis, qui non vocati, & inconsulto Deo sacris initiantur. Auderesne contra Regis imperium, immo sine Regis imperio auderes aliquam tibi in Regno insignem dignitatem vendicare, publicis commisceri negotiis, auctoritatem usurpare concedendi criminum veniam, aliasque hujus generis gratias? Si quis hoc faceret, æquo animo ferret Princeps? Nonne sibi injuriam putaret illatam? Nonne hæc ausum pœna mulctandum censeret? Ita loquitur

L. de Conver. ad Cleri. c. 27. Sanctus Bernardus. Tu verò Dei injussu, immo verò contra jussum Dei ad sacros Ordines accedis. Amplissimam in regno ipsius sine ejusdem facultate, & contra ipsius voluntatem tibi vendicas provinciam. Ecclesiasticis negotiis immisceris, & potestatem usurpas damnandi, absolvendi, pœnas infligendi, gratias impertiendi, thesauros Ecclesiæ distribuendi. Ne putes Deum hoc impune passurum. Si quem in terris toleret tanta furentem audacia, scias hunc majora, atque diuturniora in altera vita manere supplicia. *P. Valois Epistola secunda ad quemdam Beneficiis cumulatum.*

De illis, qui Ecclesiasticum statum amplectuntur, quin sacris initiari velint. Ne illos imiteris, qui numquam sacris initiari volunt, atque totum vitæ suæ spatium in quadam neutralitatis specie traducunt Ecclesiam inter, & mundum; Ecclesiæ quidem redditus accipientes, quin ejus onera suscipere velint; omnibus mundi curis sese expedientes, & omnibus voluptatibus sese mancipantes. Proh summum facinus! de altari vivere, & altari inservire nolle! O horribilem profanationem! Crucifixi fructus in luxum, & voluptatem impendere. Quidnam dici potest de hujusmodi hominibus Ecclesiasticis Beneficiis perfruentibus? nisi quod monstra sunt, quæ in semet duo extrema essentialiter opposita conjungunt; & quin re ipsa, vel Ecclesiastici sint, vel Laici simul & Ecclesiastici esse volunt & Laici æque & bonis se invisos, & malis contemptibiles efficiendo. *Idem.*

Sacerdotii dignitas, præparatio ad eam recipiendam. Sacerdotii dignitas tanta est, & mysteria, quæ Sacerdotibus committuntur, adeo sunt terribilia, ut nemo ad eam adspirare posse videatur, quin sancto fuerit furore correptus; ac nemo illam subire, nisi eo animo, quo maxima quæque, ac difficillima facinora suscipiuntur, ubi magna periculi pars magnitudine speratæ gloriæ contegitur. Vix ad eam quis auderet accedere, nisi charitas, non secus ei fides, oculos clauderat: ad eminentem gradum hunc obtinendum, qui inter nocentes homines, Deumque irritatum medius est, divino quodam impetu ferri oportet, uti Aaron, cum se conjecit medium inter populum Dei, ac ignem de cœlo delapsum, quo ille conflagrabat. Verùm licet munus hoc adeo elatum, ac terribile sit, ut ad illud aggrediendum opus sit, ut ita dicam, ne cogitare quidem; adeo tamen est sanctum, ut cum ad illud suscipiendum nosmet præparare debemus, numquam satis diu cogitare valeamus. Ad dignè adorabilem hanc hostiam novissimis vitæ nostræ

tempo-

temporibus offerendam, eam victimam imitaridebe-remus, quæ sese obtulit, atque primo conceptionis suæ momento ad illud sacrificium disposuit, quod in morte tantum sua erat adimpleturus. *Ex Vita Cardinalis de Berule cap.* 4. *lib.* 1.

Ecclesiastici terrenis rebus expediti esse debent.

Ad Ecclesiastici obeunda munera, ea omnia sunt abjicienda, quæ ad Deum minimè pertinent. Qui Ecclesiasticæ militiæ nomen dederunt, tempus transmittunt divitias congerentes, lites agentes, atque in alium finem, præterquam quod Eleemosynæ erogandæ, sumptibus parcentes; hos reor magno versari in periculo; quippe Ecclesiasticorum negotia sunt negotia Dei, & si aliis sese immisceat rebus, suum ministerium contemnunt. Nemo eorum, qui in Dei castra transiere, S. Paulus ait, sese vitæ sæcularis impedimentis implicat. Quivis Sacerdos, qui thesaurizat, ac in alium finem, quàm ut pauperibus opituletur, atque Ecclesiæ bono consulat, congregat opes, sese æternæ subjicit damnationi. *Auctor Anonymus.*

Modica cura, qua de Ecclesiasticis officiis eruduntur, qui huic statui destinantur.

In familiis quisnam hanc sibi vendicat curam ob oculos illius, qui jam Ecclesiastico statui destinatus est, antequam mentem, animumque illius exploraverint; quis, inquam, curam sibi vendicat ob oculos illius statuendi ea maximi momenti officia, quæ professioni huic penitus inhærent, ita ut ab ea separari non possint? Vitam frugi, ac morum puritatem, quæ Ecclesiasticum decet? Modestiam, ac decorem, semper in sermonibus, in corporis habitu, in oculorum conjectu, in vestibus, totaque vitæ ratione servandum? Animum a mundo prorsus divulsum, eum interim vivat in mundo? Attentionem, ac diligentiam, qua ea omnia, quæ eoram se fiunt, aut dicuntur secernete debet; suavitatem, & charitatem, quam in alios, & severitatem, quam in se debet exercere? Integritatem ab omni cupiditatis suspicione remotam, amorem ac spiritum status sui; denique exemplum, quod aliis præbere tenetur, & usum, in quem redditus suos debet impendere? *Liber cui titulus, L'Education des Enfans par J. Pic.*

Ecclesiasticus, qui non vivit secundum statũ suum contemptibilis est coram Deo & hominibus.

Nullum majus est monstrum Ecclesiastico in omni vitæ suæ ratione miram contra se, statumque suum oppositionem præseferente, cujus vestimenta eum actionibus non consentiunt, neque eum vestimentis actiones; cujus in moribus nescio quid irregularitatis apparet, unde apertè colligitur illum e caractere suo jugiter egredi, vel fortasse nunquam in eundem ingressum fuisse: demum qui sese mundo commiscet, omnesque mundi voluptates sectatur, ludos, convivia, deambulationes, inutiles visitationes, & fortasse etiam spectacula, quæ maximè profana sunt, & quibus Ecclesiastico viro est interdictum. Qui Ecclesiæ famulatur etiam inter mundi sectatores dignosci debet, non ex vestibus solùm, verùm etiam ex modesto corporis habitu, ex spiritu, qui minimè evagatur, & iis repletus est, quæ ad religionem, officiumque suum maximè pertinent. Majorem in moribus curam, majorem in verbis diligentiam, majoremque habere debet abominationem eorum omnium, quæ vulgò mortalium mentes dissipare consueverunt. *Idem.*

Crimen parentum qui indignos filios ad Ecclesiasticas evehunt dignitates.

Non leve est patrum, matrumque scelus, qui propter ambitionem, vel avaritiam, vel alia quavis ea causa Ecclesiæ tribuunt Ministros, qui non nisi Sacramentis, ac Mysteriis ejusdem polluendis, redditibus dissipandis, atque in luxum, aut propriam, vel familiæ suæ utilitatem, vanitatem, immodicosque sumptus convertendis; vel animabus in præceps trahendis seu per inscitiam, seu per ignaviam, aut pravum exemplum, sunt pares. Quomodo enim metuere non possunt, quod in Ecclesia ad ita sanctum, ac formidabile ministerium provehentes filios suos contra Dei voluntatem, minime hunc ad iracundiam provocent, in se ultionem, atque in familiam suam maledictionem illius non detorqueant? Exemplo summi Sacerdotis Heli condiscant, non contemnendum facinus esse, vel per se dignitates Ecclesiasticas, & Sacerdotii sanctitatem polluere, vel esse in causa ut ab aliis polluantur; ac inde intelligunt nihil hoc aptius esse ad divina flagella etiam in omnem populum detrahenda; quemadmodum scimus propter duos filios Heli populum Dei a Philisthinis victum, & Arcam Fœderis, qua nihil sanctius tunc erat, ab infidelibus captam fuisse. *Auctor recens, & Anonymus.*

Mala, quæ accidunt Ecclesiæ propter ambitionẽ, vel avaritiam patrum, qui filii suos a Deo non vocatos altaribus admovent.

Propter ambitionem, vel avaritiam parentum, qui filiis suis Ecclesiastica procurant beneficia, quamplurima accedunt mala sanguineis lacrymis deflenda. Inde enim Ecclesiæ redditus, Crucifixi patrimonium, pretium, quo Fideles animas suas de peccati servitute redemerunt; verbo, substantia pauperum fiunt materia luxus, fastus, & vanitatis hominum, alunt mollitiem, ac delicias plurimorum inertium; in aleis, ludisque absumuntur, vel denique fiunt patrimonium familiæ, quæ distescit, vel ex pulvere, in quo semper jacuerat, educitur. Videntur Ecclesiæ dignitates ab iis usurpatæ, qui sibi gloriam tantùm, vel lucrum quærunt, quin de officiis earum obeundis ne cogitent quidem; vel qui ea obeunt ita, ut vanitatem, & ostentationem redoleant. Videntur animæ traditæ mercenariis, qui gregem suum interire sinunt, quî non aliud, quam seipsos pascere quærunt. Videtur denique populus pravam eorum abominari vitam, qui ad Ecclesiæ honores evecti sunt, sola suæ cupiditatis vocatione acti; qui cum esse deberent lucernæ ardentes, atque coruscantes, fœtidum tantummodo fumum exhalant undequaque mundanorum affectuum virulentum odorem efflantem. *Idem.*

Quid absolutè necessarium sit, ut quis dignè avis admoveatur.

In iis, quæ altarium suorum ministerio destinat Ecclesia, atque ad se vocat, puram innocuamque vitam requirit. Attamen cum difficile sit nostra hac ætate animas inveniri nulla mundi contagione corruptas; sufficit, præterita crimina sincera pœnitentia, & conversione reparata fuisse; indignitatem suam cognosci, & conditionem adeo sanctam, formidabilemque non suscipi, nisi ea consilio, & sententia eorum, quibus satis est prudentiæ, ac pietatis, ut in illis confidere valeamus. *Abbas Trappensis Tomo* 2. *Institutionum Christianarum.*

Ecclesiastici præ aliis magis tenentur pauperum necessitatibus subvenire.

Jure Ecclesiasticorum, & eorum, qui Beneficiis aucti sunt, inclementia exprobratur, qui cum esse debeant dispensatores bonorum, quæ Fidelium pietas contulit, ut pauperibus subveniretur; hos negligunt, atque ita durè in eos agunt, ac si eorum infelicitati opem ferre non tenerentur. Ubicunque pauperes, & egenos inveniunt, homines ad incitas; extremamque egestatem redactos; attamen corda eorum, manusque clausæ sunt, quasi eorum necessitas ad ipsos minime pertineret; quin moveantur objurgationibus, & querela, in quas calamitosi erumpere consueverunt. *Clamant familici, & conqueruntur, nobis crudeliter surripitur, quidquid inaniter expenditur.* Vos, ita enim Ecclesiasticos alloquuntur, effunditis ea, quæ nostra sunt; nobisque crudeliter aufertis, quidquid præter ea, quæ vobis sunt necessaria, in immodicos sumptus erogatis. *Idem.*

Ecclesiasticus status periculosissimus est iis verò præsertim, qui ad Ecclesiæ dignitates evecti sunt. *Epist.* 21. *alias* 148.

Fateor equidem commodum esse Ecclesiasticum statum secundum carnalium hominum conceptum: suave est naturæ corruptæ iis redditibus frui, quæ commodè recipiuntur; locum obtinere, ubi distinguimur, ac sese ab iis curis, quæ laborem afferunt, expedire. Si hoc vitæ genus commodum est, ac suavitatis plenum, funestissimum quoque est, & periculosæ refertum aleæ, uti docet Sanctus Augustinus. Sed ubi Ecclesiasticæ dignitates secundum genuinam earumdem ideam considerantur; ubi perpenditur finis, quem sibi proponere debet, quicumque Templi ministerio se consecrat, tunc facile eum eodem Sancto Augustino intelligi potest, nihil sanctius esse, nihilque felicius coram Deo Ecclesiastico statu; at simul nihil hoc gravius

gravius esse, nihil laboriosius. Et sane inter omnes hujus status difficultates non minima est Ecclesiasticorum bonorum administratio. *Auctor Anonymus.*

De Ecclesiasticis beneficiis & redditu um usu. Beneficia profectò sunt onera; quo enim majora sunt, eo gravius illorum est pondus. Sanctus Paulus Apostolus de opibus loquens generatim eas periculosam tentationem appellat. Hoc autem de Ecclesiæ divitiis verius est; hæ quippe sunt causa interitus plurimorum, qui abutuntur iisdem. Gratulamur illi, quod industriæ suæ tandem cœperit fructum, & ad aliquam dignitatem pervenerit, & opimi Beneficii possessionem fuerit assecutus. Præstaret potius illius vicem dolere, ac lacrymis prosequi, propter illud, in quo versatur, periculum sese crimine adstringendi, & sacras Ecclesiæ divitias in nefarium usum convertendi. Nequaquam lætandum est eum sectatoribus mundi, qui nesciunt, quod petunt, & id cupiunt, quod sibi interitum affert; & quibus ars est infelicissima, optima quæque corrumpendi. Ignavi palpatores, qui illis blandiuntur, eos magis adhuc superbos efficiunt, ac perniciosis sententiis suis pertinacius hærentes; sed tunc lætandum est, cum Ecclesiastica bona illis distribuuntur, qui eadem & vitæ innocentia, & laboribus, & opera, quam Ecclesiæ præstant, merentur; qui norunt, quænam sint hæc bona, quis eorum usus faciendus, & qui medioceri eorum parte contenti fideliter suum munus adimplent, parcentes sumptibus, & aliquid sibi negantes, ut pauperibus opituleotur. *Idem.*

EDUCATIO FILIORUM.

Cura, quam Parentes eorum gerere debent.

MONITUM.



Stic utilissimum, & fortasse etiam inter Disciplinæ Christianæ argumenta maximè necessarium pertractamus, quandoquidem ex bona, vel mala filiorum Institutione, ut plurimum bona, vel mala eorum vita, familiæ pax, & tranquillitas, Reipublicæ quies, & pietatis, atque Religionis proficiscitur incrementum. Videtur autem, ubi de Filiis sermo est, de eorum officiis erga illos, quibus vitam debent, priusquam de munere parentum erga eos, quos in lucem ediderc, esse disserendum. Et sanè magis consentaneus hic esset ordo; verum cum nimis latè materia hæc evagetur, si mutua hæc officia unâ tantum concione persequi velis; cumque parentum erga filios negligentia vulgatior sit, & mala, quæ inde proficiscuntur, perniciosiora; utilitatem ordini præferendum censemus, eumque hoc uno invertimus consilio, de filiorum erga Parentes officiis in titulo de Filiis, qui suo loco afferretur, verba facturi; cum alioquin nullius momenti habenda sit hæc modica ordinis perturbatio.

Illud verò in perutili hoc argumento est animadvertendum; Oratori sermonem ita esse dividendum, ut pateat mali magnitudo, quod parentes noxia negligentia committunt, eosque erudiat, quomodo filii educandi sint, ac tandem illis ostendat, hoc præcipuum eorum officium esse, ipsorumque salutem quodammodo filiorum saluti inhærere.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ Concionum hujus Argumenti Systemata.

I.  Arentum erga filios officia ad duo potissimum capita referri possunt, sub quorum singulis alia plura continentur; ea autem sunt, eorum educatio, & cura status ipsorum statuendi. Primum filiis suis debent institurionis curam, quod ita essentiale est munus ipsorum, ut nisi eo diligentissimè defungantur, Deo rationem sint reddituri; & non mereantur amplius, ut ita dicam, parentum loco a filiis haberi. Et profectò quid filii parentibus deberent ob eam vitam, quam ab illis acceperunt infelicem, & peccatis obnoxiam; nisi illi deinde nativitatis malum reparare adniterentur bona educatione sanctam, beatamque vitam filius procurando? Educatio autem tria complectitur, ad quæ parentes æquè tenentur; doctrinam videlicet, exemplum, & correctionem. 1. Quod ad doctrinam pertinet, certum est, Parentes primos esse debere filiorum suorum magistros. A teneris usque unguiculis, cum filiorum corda, animique dociles patere incipiunt influxus, quibus imbuuntur, toto pectore patres adniti debent, ut illis pietatis sensus, Dei timorem, & horrorem peccati paulatim immittant: atque prout adoleverint, atque ratio eorum confirmari cœperit, tunc magis magisque evolvenda, & enucleanda sunt illis, quæ diluculo ipsis tradita fuerunt rudimenta, atque omnes industriæ nervo contendendi sunt, ut rudem illam, imperfectamque doctrinam novis cognitionibus, novisque præceptis ad eorum captum, ætatemque accommodatis perficiant. Non ideo tamen affirmaverim, eam interim negligendam esse curam, qua honoris sensus, qui eorum statum, ac genus decent, pueris inspirentur; sed illud innuo, parentum curam in eo potius versari debere, quomodo filios ad proprias Christianæ Religionis virtutes, & ad legem Dei sedulò observandam informent, quam quomodo illis honoris sensus immittant, eosque mundi usus edoceant, qui ut plurimum in eorum animos jaciunt funesta vanitatis, & ambitionis semina, eosque ad corruptas sæculi leges servandas impellunt. 2. Cum virtus, & vitium celeriùs æque, ac efficaciùs per exempla, quam per præcepta ediscantur: parentes, ut suos natos erudiant non minus bonis exemplis, quam sapientibus institutis eos debent imbuere. Cum enim filii ultrò imitentur, quidquid fieri vident, ab iis verò præsertim, quibus amorem debent, ac reverentiam; dici potest parentum exempla liberis esse quotidiana virtutum, vitiorumque documenta, quibus vix, ac ne vix quidem, alia potiora esse valeant. 3. Tertium, quod liberis optimè instituendis maximè prosit, correctio est; hæc enim ut plurimum iis medetur malis, in quæ labi possunt, eorumque prohibere potest effectus. Tenentur igitur parentes corrigere filiorum vitia; ipsique reddituri sunt rationem criminum, quæ nati committunt; nisi ea vigilantia

sua

sua præveniant, eaque grassari prohibeant: qua in re vitanda est nimia indulgentia, ac severitas nimia propter ea mala, quæ utrinque existere possunt.

Secundò, filiis Parentes debent curam status eorum constituendi; ad hoc animum seriò, atque maturatò tenentur advertere; & huic efficaciter juxta eorum statum, & conditionem, sed multo magis secundum Dei vocationem consulere. Qua in re ne a Christianæ prudentiæ regulis recedant, Dominum consulere debent, filiorumque ingenium, ac voluntatem explorare, petito etiam eorum consilio, qui illos regunt, eorumque animum compertum habent, atque exploratum. At illud gravissimum malum est, quod parentum plerique hac in re suam tantummodo vel ambitionem consulunt, vel utilitatem; vel etiam omnia fortunæ committunt, & filiorum suorum sequuntur arbitria. Duo hic occurrunt observanda. 1. Cavendum esse quam diligentissimè, ne filii Religiosum, Ecclesiasticumque statum amplecti hac mente cogantur, ut rei domesticæ consulatur; si liberis & vocatio, & talenta ad suscepti status munera obeunda defuerint. 2. Filios nequaquam esse prohibendos, ne Dei vocantis imperium sequantur, Meminisse debent genitores, se a Deo auctoritatem illam obtinuisse, quam habent in filios, ideoque citra horribile scelus non licere sibi eadem abuti prohibituris, ne Dei sequantur imperium, quod per vocationem liquidò apparet; iisque persuasum esse debet non teneri filios obedientiam amplius præstare parentibus, cum parentes illis vim facere volunt, ne obediant Deo.

II. Filios genuisse, minimum est parentum erga liberis beneficium, nisi adsit optimæ institutionis cura; non enim vivere, sed bene vivere, ac æternum vivere bonum est.

Quamobrem 1. Lex naturalis petit, ut illi fideliter hoc adeo necessarium munus adimpleant, propter quod causæ effectis, quos gignunt, suppeditare tenentur ea, quæ ad eorum incolumitatem, progressum, & perfectionem sunt necessaria.

2. Amor, quo suapte natura filios suos complectuntur, & charitas christiana, quam erga eosdem fovere tenentur, petunt, ut quæcumque illis seu spiritualia, seu temporalia bona procurent; quorum utraque a bona eorum educatione procedunt.

3. Propria etiam eorumdem parentum utilitas id flagitat; filii enim eorum futuri sunt gloria vel probrum, lætitia, vel supplicium, prout bene, vel male fuerint instituti.

III. Deus hominibus vitam impertiens, illis simul impertit, vel saltem destinat triplex vitæ genus, quod triplex curæ, vel providentiæ genus erga illos ostendit. Naturalem illis vitam largitur; quapropter iis prospicit, quæ sunt ad victum eorum necessaria; illos vitæ immortali destinat, qui finis est, propter quem illos creavit; quamobrem erga illos alteram supernaturalem habet providentiam, quæ illis gratias, & necessaria ad salutem assequendam adminicula præparat. Denique illos oriri facit inter alios homines, ut Reipublicæ partem constituant, ac vitam civilem vivant: ideoque tertia providentia, quam vocationem dicimus, & quæ partim naturalis est, partim verò supernaturalis, eos ad hunc, vel illud vitæ genus suscipiendum accersit. In his tribus parentes Deum, cujus locum erga filios obtinent, debent imitari.

1. Quemadmodum eorum opera utitur Deus, ut liberis naturalem vitam impertiat; illi eo amore, qui divinum imitari debet, filiorum victui, atque incolumitati debent prospicere.

2. Eorum saluti consulere debent optima educatione, quæ altera est vita moralis priori longè præstantior, illos ad virtutem instituentes, ut cœli viam ipsis sternant faciliorem.

3. Illis opem ferre debent, ut in civili vita secundum vocationem, ingeniumque suum certum statum capessant. *Hæc structura Concionis desumpta est ex Auctore Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta in Quadragesima.*

IV. 1. Patres dupliciter sunt filiorum suorum patres, cum illos ad virtutem, & præceptis, & exemplis erudiunt; ubi latior aperitur campus differendi de bonis, quæ ex recta institutione, & filiis, & ipsis etiam parentibus cedunt.

2. Parricidæ sunt, ubi eorum educationem contemnunt; permittentes enim, ut improbam, nefariamque vitam traducant, causa fiunt damnationis eorum.

V. Tres ut plurimum graves defectus accidunt in filiorum educatione; qui æquè causa sunt reprobationis eorum, ac parentum eorumdem, non satis seriò cogitantium, munus suum.

1. Enutriuntur filii in crassa Dei ipsius oblivione, quin de Religionis veritatibus, & Christiani hominis officiis erudiantur.

2. Enutriuntur in amore licentiæ, quin de flagitiis suis corrigantur; ac inordinatis affectibus suis traduntur, quin parentes eos coercere adnitantur.

3. Enutriuntur præsertim verò qui nobili genere nati sunt, inter mundi usus, vanitatem, ambitionem, & fastum.

VI. Tria sunt, propter quæ parentes curam gerere tenentur optimæ filiorum suorum institutionis, postquam illis vitam contulerint.

1. Deus, qui filios elargitus est patribus, ut ab his in servitio suo instituerentur; ideoque districtè rationem reddituri sunt, quo pacto hoc munere fuerint perfuncti.

2. Respublica, cui filios utiles tenentur efficere, & quæ per malam eorum educationem hoc subsidio frustratur.

3. Filiorum denique, ipsorumque parentum utilitas; mutua enim eorum felicitas, vel infelicitas ab ea pendet institutione, qua filii imbuuntur.

VII. 1. Filii aliquando futuri sunt parentum suorum lætitia, vel dolor, prout bene, vel malè ab illis instituti fuere.

2. Hæredes erunt vitiorum, ac virtutum non secus ac divitiarum.

3. Causa erunt salutis, vel damnationis eorum.

VIII. Mala filiorum educatio species est originalis peccati.

1. Hoc est peccatum parentum, quod per ignaviam, apertissimamque præcipui muneris sui negligentiam committunt: peccatum grave, uti judicium ferre est ex ea ratione qua de eodem verba facit Apostolus; peccatum propemodum universale, aliaque longè plurima continens; peccatum omnem eorum involvens posteritatem, qui illud personaliter patrant.

2. Peccatum hæreditarium in filiis, qui antequam paternorum bonorum successione fruantur, hæreditate quadam in eorum mala, atque vitia transeunt; qui vitiosi sunt, quomodo patres eorum fuerunt, & qui, cum malè fuerint instituti, idcircò in alia quamplurima scelera prolabuntur.

IX. De patrio munere filios bene educandi.

1. Munus hoc parentibus esse debet suavissimum; quandoquidem naturæ studiis maximè congruit. Satis est patrem esse, vel matrem, ut filios ames; qui certè amari non possunt, dum eorum educatio negligitur.

2. Munus hoc maximè est necessarium; per hoc pater verè pater est; immo & propter hoc; & licet aliis quibuscumque fungeretur officiis, si huic uni desit; quod principem obtinere locum debet, parum illi proderit, cætera adimplesse.

3. Munus hoc parentibus maximè est formidabile; si hoc minimè perfunguntur reddituri sunt Deo rationem omnium peccatorum, quæ filii committunt. *P. Nepueu in Considerationibus Tomo 4.*

X. De Falso, veroque amore parentum in filios.

1. Falsus amor ille est, 1. qui pravis eorum studiis indulget, eorumque vitiis connivet. 2. qui injustus est in aliorum super alios prælatione, quoa

vani-

vanificat fortunæ eorum quos diligunt. 3. qui rectum sensum non sequitur, qui eos amat, qui pulchro sunt corpore, alios verò nullo habet in discrimine.

2. Verus amor est ille, 1. quo filii propter Deum diliguntur, atque hoc consilio enutriti illi offeruntur. 2. Qui nulli parcit curæ, & eos virtutibus ornatos, ac sanctos efficiat. 3. Qui eorum vitia pati non potest, nihilque intentatum relinquit, ut illos revocet ad frugem.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque, ubi inveniri potest copia ad propositas Concionum structuras ornandas.

Sancti Patres. SAnctus Augustinus *in Psalm.* 50. docet quomodo instituendi sunt filii, ac Pastoris officium erga illos exercendum.

Sanctus Ambrosius *l. de Joseph. c.* 8. ostendit, quomodo filii sunt a parentibus diligendi.

Idem *Epist.* 43. *ad Sabinum* eum laudat, quod filio facinus confitenti pepercerit.

Sanctus Hieronymus *Epist.* 7. *qua est ad Letam*, sanctam hanc mulierem hortatur ad filiam ab infantia bene instituendam, eique præscribit quid faciendum, quidve sit evitandum.

Idem *Epist.* 12. *quæ est ad Gaudentium*, egregia tradit præcepta ad puellam in pietate, ac Dei cultu educandam.

Idem *in cap.* 6. *Epist. ad Ephes.* docet sæpe necessum esse filios corripere.

Sanctus Gregorius *l.* 2. *in cap.* 3. *l.* 1. *Reg.* narrat, quomodo Deus severè punit summum Sacerdotem Heli, quòd filios suos, uti oportebat, non corripuisset.

Origenes *lib.* 1. *in cap.* 1. *Jobi*, ostendit, quanti referat filios bene instituere, & quomodo amandi sint.

Sanctus Basilius *Homil.* 21. *ex variis tom.* 1. docet filios plerumque parentibus similes esse, ac sese ad eorum exempla componere.

Idem in Præfatione libri *de Moribus*, exemplo Heli probat, patres sæpe propter filiorum peccata puniri.

Salvianus *lib.* 1. *ad Eccles. Cathol.* tradit modum, quo filii a parentibus educandi sunt, ac eodem in libro ostendit pravæ educationis liberorum causam ex mala patrum educatione proficisci; hi enim filios educant, quemadmodum ipsi a parentibus educati fuerunt.

Idem lib. 3. acriter contra patres avaros invehitur, quibus cura est locupletandi filios, quos destinant mundo; iis verò, quos Ecclesiæ destinant, pauca relinquunt.

Sanctus Chrysostomus *Homil.* 9. *in Epist. ad Hebræos*, docet parentibus filios habendos esse tamquam sibi a Deo creditum depositum, eisque illius curam in hac vita gerendam.

Idem *Homil.* 60. *in S. Matth.* eos, qui filiorum suorum negligunt educationem iis comparat, qui domos suas labentes ab interitu vendicare contemnunt, & qui circum undique pulcherrimos hortos conserunt; atque ibidem ostendit artem omnium maximè difficilem atque sublimem esse filios egregiè instituere.

Idem *lib.* 3. *adversus vituperat. vitæ Monasticæ*, rationes, & causas adfert, propter quas filii malè erudiuntur; ac ibidem sceleratos, ac parricidas appellat eos, qui filiorum suorum negligunt correctionem.

Idem, vel Auctor operis imperfecti in S. Matthæum loquitur de cupiditate, qua patres filios suos opibus, honoribusque augere contendunt, cum interim nullo habeant in discrimine, utrum virtutem exerceant, ac probi efficiantur.

Idem *Homil.* 59. *in Genes.* docet pleraque mala, quæ in terris videntur ex prava filiorum educatione proficisci.

Idem *Homil. de Anna, & Samuelis educatione*, docet, filios maturatò ad virtutem esse informandos.

Idem *Homil. de Nativit. septem Machab.* ostendit, quomodo parentibus amandi sunt filii proposito generosæ Machabæorum Matris exemplo.

Idem, vel Auctor Operis imperfecti in S. Matthæum ostendit, matres majorem plerumque corporum, quam animarum filiorum suorum gerere curam.

Idem *Homil.* 7. *in Epist. Pauli ad Rom.* docet patribus magis adnitendum, ut filios virtutibus, quam opibus auctos relinquant.

Idem *Homil.* 9. *in Epist.* 1. *Pauli ad Timoth.* ostendit potissimum parentum munus esse filios suos in ipsa pueritia erudire, & curam hanc cæteris quibuscumque anteferendam.

Idem *Serm.* 21. *in Epist. ad Ephes.* hæc explicans verba: *Patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros &c.* docet, quomodo patribus cum filiis agendum, ac bonum illis exemplum esse præbendum. *Ad Ephes.* 6.

P. Cordier Tomo Primo Sanctæ Familiæ ubertimè, ac methodicè hoc argumentum exhaurit. Libri Ascetici, aliique.

Cambolas, *libro cui titulus Exemplar vitæ Christianæ cap.* 5. *sect.* 3. & ipse fusiùs hoc persequitur argumentum, atque pluribus in Paragraphis de bona, ac mala filiorum educatione, verba facit.

Joly, libro cui titulus, *Avis Chretiens, & Moraux*, pro filiorum educatione.

P. Ludovicus Camaret in libro, qui inscribitur *Le pur, & perfait Christianisme l.* 2. ubi de obicibus loquitur, alterum facit malam filiorum educationem, quam pluribus capitibus JESU CHRISTI præceptis, ac spiritui oppositam esse docet.

P. Croiset 2. Tomo Considerationum Christianarum de filiorum agit educatione.

Liber, cui titulus, *la Morale Chretienne lib.* 1. *sect.* 3. prolixum habet de hoc argumento tractatum in plura capita divisum.

Liber, qui inscribitur, *Guerre aux vices*, prælio undevigesimo contra falsum filiorum amorem ostendit quàm perniciosus sit parentibus, ipsisque filiis hic amor.

In libro, cui titulus *Essais de Morale, Tomo secundo*, tractatus invenitur de educatione Principis, ubi plura generatim ad filiorum pertinent educationem.

P. Nepueu in libro, *la Conduite Chretienne, cap.* 4. de parentum in filios officiis verba facit.

Idem in Considerationibus Christianis pro omnibus anni diebus Tomo 4. loquitur de parentum cura in filiorum educatione.

Pædagogus Christianus parte 1. cap. 6. §. 1. & 2.

Gobinet libro, qui inscribitur, *Instruction de la Jeunesse &c.* part. 3. cap. 1. tamquam primum salutis adolescentum obicem memorat defectum disciplinæ, & capite sequenti alterum facit nimiam parentum indulgentiam, pravumque exemplum.

Liber cui titulus, *Instruction sur divers sujets de Morale*, pro puellarum educatione, eloquenter de iis omnibus agit, quæ dici possunt in hoc argumento.

Liber de Christiana puerorum educatione ab Anonymo in lucem editus.

Liber, qui inscribitur *Maximes, & Reflexions sur l'education de la Jeunesse*.

Liber, cui titulus, *La Connoissance du Monde*, vel ars filios instituendi.

Henricus Engelgrave in Luce Euangelica Domin. 6. post Pascha. Concionatores qui hujus argumenti sermones ediderunt.

Mathias Faber Conc. 4. in Fest. S. Nicolai.

Joly, Propositione pro 20. post Pentecosten Dominica.

Idem Propositione pro secunda post Epiphaniam Dominica.

Idem in mixtis Operibus sermonem habet de educatione filiorum.

P. Texier in Adventu de Impii infelicitate.

Idem in Quadragesima.

Biroat

Biroat Sermone pro Feria 5. post secundam Quadragesimæ Dominicam.

P. D'Orleans Tomo 1. Sermonum.

Auctor Sermonum Moralium.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ Argumenta Tomo 1. Quadragesimæ.

Qui collectanea edidere.

Granatensis in Locis Communibus. *Titulo Juventus.*

Busæus in Statibus; *de Puerorum, & adolescentia statu.*

Lohner, *tit. Educatio.*

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento.

Ego sum Dominus Deus tuus, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem eorum qui oderunt me. Exod. 20.

Adolescentulus sum ego, & contemptus: justificationes tuas non sum oblitus, Psalm. 118.

Magis honorasti filios tuos, quàm me. 1. Reg. cap. 2.

Audi, fili mi, disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tua. Prov. 1.

Tene disciplinam, ne dimittas eam: custodi illam, quia ipsa est vita tua. Prov. 4.

Via vita custodienti disciplinam. Prov. 10.

Qui parcit virga, odit filium suum; qui autem diligit illum, instanter erudit. Prov. 13.

Noli subtrahere à puero disciplinam: si enim percusseris eum virga, non morietur, & animam ejus de inferno liberabis. Prov. 23.

Adolescens juxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea. Prov. 22.

Egestas & ignominia ei, qui deserit disciplinam. Prov. 13.

Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro: viam viri in adolescentia. Prov. 30.

Virga atque correptio tribuit sapientiam; puer autem qui dimittitur voluntati sua, confundit matrem suam. Prov. 29.

Sapientiam & disciplinam qui abjicit, infelix est: & vacua est spes illorum, & labores sine fructu, & inutilia opera eorum. Sap. 3.

Filii tibi sunt? erudi illos, & curva illos à pueritia illorum. Eccli. 7.

Erudi filium tuum, & refrigerabit te, & dabit delicias anima tua. Prov. 29.

In filiis agnoscitur vir. Eccli. 11.

Qui docet filium suum, laudabitur in illo. Eccli. 30.

Non des filio potestatem in juventute. Eccli. 30.

Confusio patris est de filio indisciplinato. Eccli. 22.

Ne jucunderis in filiis impiis, si multiplicentur; nec oblecteris super ipsos, si non est timor Dei in illis. Eccli. 16.

Melior est unus timens Deum, quàm mille filii impii, & utile est mori sine filiis, quàm relinquere filios impios. Ibidem.

Equus indomitus evadit durus, & filius remissus evadet praceps. Eccli. 30.

Pater filiis notam faciet veritatem tuam (ò Deus!) Isaiæ 38.

De patre impio queruntur filii, quoniam propter illum sunt in opprobrio. Eccli. 41.

Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior. 1. ad Timoth. 5.

Patres nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant. Ad Coloss. 3.

Quis filius, quem non corripit pater? Ad Hebr. 12.

Exempla ex veteri, novoque Testamento deprompta.

In veteri Testamento filii a parentibus legem Domini edocebantur.

SAnctus Chrysostomus ait, patres esse prædicatores, Magistros, Apostolosque filiorum suorum, ac eorum interesse filios de Religione, ac Dei Lege erudire; quod adeo verum est, ut in veteri Testamento, ultra triginta locos deprehendamus, ubi de hoc officio palam verba fiunt. *Erunt verba hac, qua ego pracipio tibi in corde tuo.* Dicit Deus populo suo in Deuteronomio: *Et narrabis eas filiis tuis, & meditaberis in eis.* Hinc factum est, ut cum secum reputarent insignia beneficia, quibus a Deo fuerant cumulati, addebant quoque, se ex veteri traditione id accepisse, atque a parentibus, majoribusque suis didicisse: *Narraverunt Patres nostri, atque dixerunt: de Ægypto duxit nos Dominus;* ut intelligerent Parentes se maxime teneri ad filios Religionis veritatibus, Præceptisque Domini imbuendos.

Judic. 6.

Exemplum S. Job.

Imitamini, parentes, imitamini S. Job, qui metuens, ne filii Deum umquam læsissent, quotidie pro illis preces offerebat, & sacrificia, ac indesinenter ea repetebat, quæ ad salutem illorum pertinebant. Hoc illud est exemplar curæ ejus, quam de filiis vestris gerere vos oportet; illorum factis jugiter invigilare, ne in aliquod vitium ruant & facinus aliquod patrent, quod in ipsos, ac vosmet Dei provocet iracundiam; eorum salutem cæteris quibuscumque rebus anteferre; eos assiduis precibus Domino commendare, eisque pietatis, ac religionis exempla præbere.

Exemplum Sancti Patriarchæ Abraham.

Imitamini Abraham Patriarcham, qui opes, ac possessiones suas nullo habens in discrimine id unum quæsivit, ut posteris suis in hæreditatem exactam divinarum Legum relinqueret observantiam; quod Deus in Scripturis sanctis declarat hoc virtuti ejusdem perhibens testimonium: Scio Abraham imperaturum esse posteris suis, ut mea mandata custodiant. Verùm præter piam hanc sollicitudinem, quæ in remotissima usque sæcula sese effudit; magnus hic Patriarcha exemplo esse potest parentibus omnibus ejus amoris, quo dilectissimum unigenitum Isaac prosecutus est, spem frequentissimæ posteritatis, quam sibi Deus pollicitus fuerat. Nihilominus præsto fuit, ut filium hunc illi, a quo ipsum acceperat immolaret. Egregium amoris exemplum, quo patres filios suos diligere debent, parati ad eos Deo devovendos, ubi illos poposcerit, & ad sacrificium hoc adimplendum quidquid hujusmodi in occasionibus in oppositum natura obnitatur.

Monita, quæ David morti proximus Salomoni filio suo reliquit. 3. Reg. c. 2.

David morti proximus locupletissimam Salomoni filio hæreditatem relinquere cogitabat, hoc illi monitum tradens, eique Domini cultum his verbis suadens: *Observa custodias Domini Dei tui, ut ambules in viis ejus, ut custodias caremonias ejus, & pracepta ejus, & judicia, & testimonia.... ut intelligas universa, qua facis, & quocumque te verteris, ut confirmet Dominus sermones suos, quos locutus est de me, dicens: si custodierint filii tui vias suas, & ambulaverint coram me in veritate, in omni corde suo, & in omni anima sua non auferetur tibi vir de solio Israel.* Hoc Patres filiis suis inspirare debent; si secundum legem Dei vixerint, ac fideles eidem adhæserint, Dei curæ ipsos, ipsorumque negotia futura; si autem hac ope sese fraudaverint per vitæ nequitiam, illos in æternum perituros.

Tobiæ patris exemplum.

In Scripturis videmus Tobiam, ob eam virtutem, quam a teneris usque unguiculis colere cœperat, ad eam a parentibus sedulò institutus; causam fuisse, ut, cùm cæcitate percussus fuit, ne in leve quidem murmur eruperit; cum enim in corde suo Deum semper metuerit, ejusque præcepta fidelissimè servaverit, visum suam minime doluit, sed in amore illius firmus, immobilisque permansit, eique omnibus vitæ suæ diebus gratias egit. Quod autem ad argumentum hoc potissimum pertinet, illud est, quod quemadmodum ipse in Dei timore fuerat educatus, ita illi nihil unquam antiquius fuit, quàm filio suo hunc eumdem metum, peccati odium, & fidelitatem in Dei cultu immittere, uti liquet ex piis, & admirabilibus monitis,

quæ

quæ tamquam pretiosissimam hæreditatem filio suo jamjam moriturus reliquit. *P. Croiset elegantissima paraphrasi hæc edidit monita Tomo secundo Considerationum Christianarum.*

Bona Susannæ educatio.

Cum sacer textus generosum ennarrat castissimæ Susannæ factum, quæ iniquissimæ criminationi sese objicere potius maluit, atque internecina obscœnorum senum odia subire, quàm coram Deo peccare, stupro, quod illi inferre meditabantur, nullo pacto assensum præbere passa: Sacer, inquam, Textus magni hujus facti causam ejusdem pietati, atque parentum educationi refert acceptam. Verba, quibus utitur, notanda sunt; eam quippe vocat *timentem Deum; parentes enim illius cum essent justi erudierunt filiam suam secundum legem Moysi.*

Danïel. 3.

Exemplum Jacob qui quia majorem testatus fuerat amorē erga Joseph, quam alios filios dissidium pepererat in familia sua.

Jacob licet justus, atque acceptus Deo, non excusatur tamen a S. Ambrosio, eo quod causa fuerit simultatum inter filios suos, cum alios ab aliis nimium distingueret; & quod Josepho dilecto filio fratrum furorem, invidiamque conflavit, ob tunicam illi traditam, quàm aliis elegantiorem. Hoc quotidie usuvenit in familiis, ubi parentes omnia uni tantum tribuunt, quin aliis fere nihilum relinquant; ubi unus quidem tamquam legitimus filius habetur in pretio, alii verò tamquam mancipia negliguntur. Invidia igitur in Sancti hujus Patriarchæ domum obrepit; invidia ibi odium invehit; plerique fratres Josephum de viventium numero exturbare volunt; omnesque tandem illum vendunt Ismaelitis, a quibus in Ægyptum abducitur, ubi servitutem, carcerem, omnemque calumniæ ignominiam patitur. Quidnam hoc fecit? Nimius patris amor; Jacob Josephum magis, quam alios diligebat. Huic uni omnes gratiæ, blanditiæ, amoris signa impendebantur. Amor ejus minimè servabat justitiæ æqualitatem, quæ vult, naturam esse amoris normam, & a parentibus æque eos diligi, quibus æque suum sanguinem dividunt.

Bonæ educationis fructus in Eleazari senis persona.

Nobilissimum, quod nobis extet exemplum ubertimi fructus, quem bona parit educatio, profectò est Eleazar, venerabilis ille senex, cui vis inferebatur, ut carnibus, quæ lege prohibentur, vesceretur eo usque ut illius amicissimi senectutis ejus miserti auctores esse vellent, ut Regi satisfacturus licitas carnes comederet, simulans se illis vesci, quæ fuerant immolatæ. Sed Sanctus ille vir ætatem suam, dignitatis gradum, honorem, ac domus suæ antiquitatem, nec non vitam, quam ab ipsa infantia integerrimam ab omni labe duxerat, ob parentum suorum curam, qui eum sanctè secundum legis præcepta instituerant, sedulò reputans exclamavit, se mortem subire malle, quàm publicum afferre scandalum adolescentibus, qui nonagenarium senem, post vitam in veri Dei cultu, ac timore transactam viderent sub vitæ exitum a religione deficere, sanctissimam Legem abdicantem, ut Idolorum cultum amplecteretur.

Exemplum matris Machabæorū docet quo modo ornandi sint filii.

Videre mihi videor Machabæorum matrem, verborum vi confirmantem animos filiorum suorum, qui exquisitissimis torquebantur suppliciis. Non ego vobis corpus, quod habetis, compegi, ajebat illa; illud habetis a Deo; constanter illi reddite, quod ipse vobis liberaliter tradidit. Vos illius opera estis; ejusdem & victimæ estote. Omnibus, singulisque animos fecit, ut pro tuenda lege fanda, infandaque omnia paterentur; eosque abdicasset, si quid per infirmitatem peccassent; neque ulla umquam mater tantum prætulit desiderium filiis suis vitam servandi, quàm quod illa testata est eos morientes videndi; numquam illos veriùs amavit, quam hac in occasione omnibus naturæ, sanguinisque affectionibus renuntians; atque hoc pacto se dignam ostendit, quæ ad gloriam eos sequeretur, qui hortationibus ejus acti eam fuerant adepti; atque in eorum singulis mortem passa est, antequam illam in corpore suo pateretur.

Pœna Summi Sacerdotis Heli eo quod filios suos non corripuerat.

Summus Sacerdos Heli, si ejusdem mores spectentur, frugi erat, & sanctus; sed quod illi defuit constantia ad filiorum suorum coercenda flagitia, luendæ illi fuerunt acerbissimæ pœnæ, ac subeunda supplicia, quibus Deus, & ejusdem negligentiam, & filiorum impietatem percussit. Plurimos e fidelibus Patres hæc eadem sors manet, quia eamdem erga filios suos præseferunt indulgentiam. Quantumvis illi piè, sancteque vixerint in iis, quæ ad privata, ac personalia officia sua pertinent; filiorum suorum, quos insano amore, atque indulgentia, quæ veniam pati non potest, corrigere neglexerunt, flagitia, nefariumque vivendi genus illos in eamdem reprobationem, ac interitum detrahent.

Exemplum Saræ.

Sara Sancti Patriarchæ Abraham conjux, quæ propter virtutem, atque sapientiam tantopere in Scripturis commendatur, quæ a Sancto Paulo Apostolo nobis tamquam mater nostra consideranda proponitur, quæ ab eodem propter fidei magnitudinem celebratur, quam Sanctus Petrus ab omnibus nuptis haberi vult, tamquam imitandum exemplar; Sara inquam, tanta cura quidquid Isaaco filio suo prodesse poterat, vel obesse, prospiciebar, ut cum vidisset Ismaelem ancillæ suæ filium cum eo colludentem, virum suum enixè rogaverit, ut ancillam simul cum filio ejiceret domo, ne pravo ejusdem exemplo Isaaci innocentia labem aliquam pateretur; quam Saræ petitionem probavit Deus imperans Abrahæ, ut hac in re uxori suæ gereret morem.

Genes. 21.

Exemplum Rebeccæ. Genes. 27. & 28.

Rebecca Isaaci Patriarchæ uxor videns filium suum primogenitum internecino odio persequi natu minorem Jacob; huic suasit, licet illud maximo complecteretur amore, ut paterna egrederetur domo, & in remotissimam regionem secederet, ubi viginti annos commoratus est pascens avunculi sui greges, quamvis esset adeo nobili genere natus. Verumtamen maluit videre illum peregre profectum a patriis focis abesse, & ad servi conditionem redigi, ut hac ratione ea omnia præverteret mala, quæ ex fraternis odiis oboriri poterant, quàm natu majorem dimittere, cujus ingenium pravum esset sedula parentum cura, ac disciplina indigebat. Ex duplici hoc exemplo intelligere poterunt matres, quanta ipsarum esse debeat cura, ac diligentia in semovendis iis omnibus, quæ filios suos corrumpere, eosque in scelus possunt pertrahere.

Exemplum Annæ matris Samuelis. 1. Reg. c. 1.

Anna Samuelis mater, cum a Deo precibus filium hunc impetrasset, ipsum eidem reddidit. Statim enim ac illum ablactavit, ad Summum Sacerdotem Heli adductum Dei cultui devovit, eumque in omnes vitæ ipsius dies in loco sancto reliquit sese omni solatio viduans, quod inde recipere posset. Deus ita probavit, ac benedixit matris hujus zelum, ut pro hoc plures deinde illi filios largitus fuerit, licet antea sterilis fuisset, & parvulus Samuel divinis repletus gratiis in Prophetam sanctum evaserit.

Exemplum Zachariæ, & Elisabeth.

Novissimi parentes, quos lex vetus nobis tamquam exempla hac in re proponit, sunt pater, materque Sancti Joannis Baptistæ Præcursoris JESU CHRISTI. Hic Domo parentum adeo sanctorum relicta ab ipsa infantia in desertum secedit veritus, ne se vel levi scelere pollueret, & vel minimam ex sæculi corruptione labem contraheret. Austerissimam ille vitam vixit, camelorum corio indui consuevit; nuda tellus illi stratum præbuit, neque aliorum, præterquam brutorum, societate gavisus est. Penitus oculorum humanorum aciem effugit; in terra fuit quasi non esset; omni prorsus auxilio, bonis, amicisque caruit. Attamen Zacharias, & Elisabeth adeo singulari consilio, cujus nullum umquam retroactis sæculis exemplum extiterat, non adversantur. Illum Deus vocat; hoc satis est; sciunt hunc destinatum esse Messiæ magni præcursorem, eique illius prædicandum adventum, ideoque in omni Judæa eum late insignem futurum, omnibusque inauditam lætitiam allaturum; nihilominus nulla sollicitudine urgentur, ut eum quàm citius

sancto

sancto hoc ministerio fungentem intueantur. Inquieto spiritu Dei momenta nequaquam prævertunt; filium suum, talemque filium in tenebrix, paupertate, in omni ab humanis negotiis secessione in Dei manibus relinquunt, quin revocent illum: eum omnino tradunt Providentiæ quin audeant, vel inordinata charitate, vel pietate intempestiva aliquid illi præscribere iis oppositum, quæ ab eo exigit Deus.

Exemplum matris filiorum Zebedæi.

In novo Testamento tres tantum novimus, qui de filiorum suorum utilitatibus sese sollicitos ostenderunt. Prior est mater filiorum Zebedæi, quæ Salvatorem adiit primos gradus Regni ejusdem, quod terrenum futurum esse putabat, duobus filiis suis impetratura. Verùm satis ostendit Evangelium, matrem hanc, quæ ambitione potiùs, quam vero filiorum suorum amore ducebatur, a Filio Dei satis benigne acceptam nequaquam fuisse; illi enim respondit, neque ipsam, neque filios ejus, quorum consilio ducta hæc flagitabat, scite, quid sibi vellent; ut in illius persona parentum omnium errorem perstringeret, qui omnibus votis concupiscunt, atque conantur filiis suis opes, dignitates, aliaque id genus terræ bona comparare debere, illos quidem ad Deum confugere, ac pro filiis gratias, virtutesque illis necessarias orare; sed ea, quæ ad fortunæ bona spectant, omnia integra divinæ voluntati relinquere.

Exemplum mulieris Chananææ.

Alterum est Chananææ mulieris exemplum, laborantis, ut ab eodem Salvatore filiæ suæ a Dæmone crudeliter vexatæ salutem obtineat. Eam Dei Filius primum quidem repellit, importunam vocat, iisque verbis alloquitur, quæ illam omnino avertere debuissent, nisi maxima flagrasset cupiditate aliquod filiæ suæ inveniendi solatium. Sed repulsa, ac duriuscula verba, quibus tunc usus est JESUS CHRISTUS, uti Sancti Patres animadvertunt, ideo prolata fuerant, ut illa ad enixius, fidentiusque flagitandum excitaretur; itaque eam voti damnavit, atque ostendit, preces, quas pro filiis parentes effundunt magni roboris esse tunc præsertim, cum petitur, ut liberentur a vitiis, quibus obnoxii sunt, & quibus veluti tot Dæmonibus obsidentur.

Illius Patris exemplum, cujus filius a Dæmone muto vexabatur.

Tertium est illius patris exemplum, qui similiter ad Salvatorem confugit, eum obtestaturus, ut doloris suis, & infelicitati filii sui, qui muto, surdoque Dæmone ab ipsa torquebatur infantia, & qui in jugi vitæ periculo versabatur, quemadmodum apud Sanctum Marcum capite nono legere est, vellet misereri. Nihil ultra requirebatur ad elementissimi Salvatoris excitandam misericordiam, qui toties suam potestatem, supremumque in Dæmones imperium palam ostenderat. At in hac occasione Discipulos suos, qui Dæmonem hunc ejicere non potuerant, docuit hujus genus Dæmonia (quod de vitiis pravisque habitibus, quos adolescentes ab ipsa contrahunt infantia intelligi potest) non ejici nisi summa cum difficultate, ac parentibus obnitendum, ut jejuniis, precibusque gratiam hanc consequantur. *Hoc genus in nullo potest exire nisi in oratione, & jejunio.*

Applicationes.

Filii sunt sacra deposita a parentibus diligenter servanda.

COmmodavit eum Domino, 1. *Regum cap.* 2. Cum vobis Deus filios largitus est, scitote parentes, Sanctus Chrysostomus inquit, eos in manibus vestris tamquam pretiosum, ac insigne depositum collocatos fuisse; vobis ergo quam diligentissimè servandi sunt, tamquam res sacræ, ac Dei referentes imaginem, ut aliquando eos illi reddere valeatis. Eodem momento, quo filii vestri fuere, fuerunt etiam filii Patris Cœlestis, qui eos curæ vestræ commisit; debetis ergo eos in nomine ipsius enutrire, eosque immortali præparare hæreditati, quam Deus per manus vestras eisdem conferre desiderat. Quam benè munus hoc, & officium intelligebat Samuelis mater, quæ postquam non sine quadam miraculi specie hunc filium susceperat, illum aris dicavit, veluti depositum suum in tuto collocatum, ac illud Domino, a quo acceperat, redditura: *Commodavit eum Domino*, vel ut Sanctus Chrysostomus vertit; *Depositum accepit, hoc ei restituit, qui dedit. Biroat Sermone pro feria quinta post alteram Quadragesimæ Dominicam.*

Parentes filios suos Dæmoniis sacrificant cum illos effrænata sese jactare licentia patiuntur.

Immolaverunt filios suos, & filias suas Dæmoniis. Psalm. 105. Loquitur Regius Propheta de nefariis illis parentibus, qui parvulos filios idolis mactabant, illos in ardentem conjicientes rogum, donec idolorum Sacerdotes, credulitatis eorum ministri, variis psallebant instrumentis, ne morientium puerorum ejulatus a parentibus audiretur. Quid fit in plerisque Christianis familiis? Vanitatis, ac licentiæ Dæmoni filii immolantur; atque interim solatia, ludi, choreæ, aleæ morientium animarum suffocant gemitus, & inter concentus eas ad æternum ducunt interitum. *Immolaverunt filios suos, & filias suas Dæmoniis. Idem.*

Parentes novam filiis suis vitam elargiri tenentur eos ad virtutem formando.

Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Ad Galat. 4. Patres, matresque jugiter secum reputare opus est, se filiis suis alteram debere nativitatem priori longè nobiliorem, sanctam videlicet vitam ad exemplar vitæ JESU CHRISTI, qui nostra norma est, diligenter compositam; sibi formandum in illis esse JESUM CHRISTUM pro viribus adnitendo, ut illis virtutes inspirent; hos filios non aliud esse, quam initium creaturæ Dei, ut alius loquitur Apostolus, ab ipsis præceptis, & sapientibus monitis, & bonis exemplis perficiendæ. Vobis persuasum esse debet, o Parentes, Pictores vos quosdam esse, ac statuarios; filios autem vestros, qui domi vestræ sunt, pulchras esse imagines, vel aurea simulacra, a vobis singulis diebus formanda, & perficienda, donec in illis JESUS CHRISTUS formetur integrè, ac producatur. Indesinenter igitur adlaborate, ut eorum animas quovis virtutum genere exornetis.

Parentibus cavendum, ne fiant causa interitus filiorum suorum.

Videte, ne scandalizetis unum de pusillis istis. Matth. 8. Ubi adolescentuli adstant, generatim cautiùs agendum est; parentes potissimum diligentissimè cavere debent ne fiant lapis offensionis parvulis suis, quorum ipsi sunt Custodes Angeli. Hoc autem non intelligitur solum de malo exemplo, quod filiis præbere possent, verum etiam de incuria, & negligentia, qua illos bonis moribus formare contemnunt, quæ occasio est, ac vera causa eorum interitus. Itaque hoc unum ex iis est, quorum Deus rationem severissimè exposcet. Mollis indulgentia, qua vident filios a recta via deflectentes, illos in vitio confirmat, & ad majora scelera disponit: cum illos edocere negligunt, vel malè instituunt, causa sunt damnationis eorum, & hoc vocari potest scandalizare. *Videte, ne scandalizetis unum de pusillis istis.*

Filii tales sunt, qualis eorum fuit educatio.

Quis putas puer iste erit? Luc. 1. Si quæreretur, ut olim de magno Joanne Baptista quæsitum est, quem putas puerum hunc futurum, quem secundum sæculi mores & ingenium instituis? Respondere poteris, ipsum in mundo magnum futurum propter illustris generis, quod a te mutuatus est, privilegia, propter magna bona, præstantiaque decora, quæ illi relinquis, at diceréne poteris, quod de Joanne illo dictum est; hunc coram Domino magnum esse futurum? Tu, qui illius blanditiis affectibus, qui foves vitia, qui flagitiis indulges, qui licentiam, malasque fraudes probas, e contra responde; hunc talem fore, qualem fecisti, & mala hæc initia, quæ tribuis illi in pessimum finem abitura. *Fromentieres, Sermone de S. Joanne Baptista.*

Adolescentiæ vitia in omnem vitam ut plurimum vigent.

Quantum temporis est, ex quo ei hoc accidit? At ille ait: Ab infantia. Marc. 9. Narrat Sanctus Marcus Evangelista, quemdam puerum olim a patre suo ad JESUM CHRISTUM adductum fuisse, ut liberaret illum a Dæmone muto adeo

furenti; ut adolescentuli corpus discerperet. Salvator antequam eum curaret, quæsivit ex quo tempore puer ille obsideri incæpisset; cui Pater *ab infantia* respondit. Hoc ipsum nos quoque dicere possemus de plerisque adolescentibus, quos per vitium obsidet dæmon: si enim ex hoc juvene vivendi licentiam in delitiis habente, quæsiero, ex quo ille blasphemus, impudicus, libidinosus esse cœperit; reddet ille mihi: *ab infantia*; vix verba proferre didiceram cum audiens patris blasphemias, matrisque imprecationes, eorum exempla sequi orsus sum. Nondum de Deo mihi verba fecerant, nondum ex illis Deo preces effundere didiceram, cum jam obscœna verba, turpesque cantiones proferre docuerant: *Ab infantia. Ex Patre Texier, in Quadragesima.*

Parentibus præclara est consolatio filios bene educasse. Eccli. 30.

Erudi filium tuum, & dabit delitias animæ tuæ. Prov. 29. Parentibus nulla verior, & suavior consolatio esse potest, quàm filios habere optime institutos. *Qui docet filium suum laudabitur in illo*, Sapiens ait. Nihil majorem patri gloriam affert, quam recta filiorum institutio; nihilque a contra majus affert parentibus dedecus, quàm pravi filiorum mores, eorum ignorantia, atque inurbanitas:

Eccli. 20. *Confusio patris est de filio indisciplinato.* Nihil igitur diligentiùs curandum est; nihil majori est habendum in pretio, quamvis nihil hodie magis contemnatur, quàm educatio filiorum. *P. Croiset, Tomo 2. Considerationum Christianarum.*

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & sententiæ Sanctorum Patrum hujus Argumenti.

VAldè perniciosè sentiet filius patris lenitatem, ut posteà justè sentiat Dei severitatem. Aug. Psalm. 50.

Non laudo in homine, quod video in tigride, (nempe amorem in filios.) Idem, Homilia 38. ex 50.

Non laudandus est qui filios amat, sed detestandus qui non amat. Idem, ibidem.

O dolosa libertas! ò grandis filiorum perditio! ò paternus amor mortiferus! Ecce filios se dicunt diligere, quos jugulare procurant; dicunt eos amare, quibus jam dispendia parant. Idem, vel alius author Serm. 33. ad fratres in Eremo.

Fieri non potest ut filius istarum lacrymarum pereat. Lib. 3. Confess. cap. 12.

Quantò ampliùs diligunt filios, patres, tantò ampliùs ad bonam vitam compellunt, Idem, Epistola 167.

Difficulter eraditur, quod rudes animi perhibiberunt. Hieronymus Epist. ad Lætam.

Portare debemus, (nempe in sinu) quos corrigimus, & corrigere quos portamus. Gregor. Hom. 17. in Evang.

Adolescentes magis metu quàm ratione revocantur à vitio. Ambrof. l. de Josepho Patriarcha.

Ad negligentiam patrum refertur insolentia filiorum. Idem.

Jungat liberos æqualis gratia, quos jungit æqualis natura. Idem, lib. de Josepho, cap. 2.

Meminisse debent patres, quia & ipsi fuerunt filii, & noluerunt utique exacerbari à patribus: filii quoque cognoscere debent, quòd futuri sunt patres, & nollent inhonorari ab eis. Idcircò utrique exhibeant invicem, quod exquirunt ab invicem. Idem, Epist. ad Epiph. 6.

Magnum depositum habent parentes, filios. Chrysostom. Hom. 9. in Epist. ad Hebræos.

Magna est naturæ tyrannis, & inexpugnabilis viscerum necessitas. Idem, Homil. 17. ad Popul. Antioch.

Apostoli estis familiæ vestræ; hanc Apostolus vocat Ecclesiam domesticam; huic præsidetis, hanc instruitis. Idem, in hæc verba, Ecclesia domestica.

Libri sunt, labia parentum, nempe ad erudiendos filios. Idem lib. advers. vituperat. vitæ monast.

Adolescentia tamquam subacta, & mollis cera est, quæ impressas quascumque formas in se facilè recipit, & mollissimè cedit. Basil. in Regul. fusiùs inter. cap. 15.

Omnia quæ deliquerint filii, de parentibus requirentur, qui non erudierint neque corripuerint eos. Origen. lib. 2. in Job.

Ostendit eis (filiis) de vestra conversatione fugere malum, appetere bonum, odisse peccatum, timere judicium, & amare Deum. Euseb. Emissen. Homil. 4. Epiph.

Non parentes, sed peremptores. (Sic eos vocat qui malè liberos instituunt.) Bern. Serm. 2. super missus est.

Ex hoc affectu, quo amare nos fecit Deus, pignora nostra, intelligere nos voluit quantùm ipse amaret pignora sua. Salvianus lib. 4. de Providentia.

Deus curis suis patres associat. Chrysost.

Esto filiis tuis pater, non proditor. Cyprian. Serm. 8. de Eleem.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia peni ad hoc argumentum possit depromi,

Quid sit bona educatio, & in quo consistat.

CHristiana educatio, quam parentes filiis suis debent, est illos in Dei timore instituere, erudire, vel efficere, ut ab aliis de iis, quæ ad salutem consequendam sunt necessaria, deque vitæ civilis officiis juxta conditionem suam erudiantur; eorum moribus, actionibusque invigilare, eorum defectus redarguere, illos enutrire juxta fortunæ suæ bona; ac tandem opem ferre, ut eum statum amplectantur, ad quem vocantur a Domino, in his enim ea consistunt officia, ad quæ patres erga filios tenentur.

Cur voluerit Deus parentes, ac filios esse.

Quæritur cur instituerit Deus hunc Providentiæ suæ ordinem, quem in humani generis propagatione videmus, atque voluerit & parentes, & filios esse, aliosque ab aliis produci; poterat enim immediatè suismet manibus omnes homines creare, quemadmodum omnes creavit Angelos, inter quos nec genitores sunt, neque geniti, nec nostrarum cognationum nomina cognoscuntur. Sanctus Chrysostomus ait, placuisse Deo, inter homines parentes esse, ut ex amoris experientia, quo filios suos complectuntur, intelligerent charitatem Dei erga omnes homines, quatenus eorum Parentis optimi, & Creatoris. Alii tamen putant, & potiori jure, hoc voluisse Deum, ut suaviùs, & efficaciùs alios aliorum ministerio salvaret; videlicet, ut patrum cura, & cooperatione filiorum saluti prospiceret.

Ideo voluit Deus Matrimonium esse Sacramentum.

Voluit Deus, conjugium Sacramentis adnumerari, ut consecraret origines, unde sibi erant prodituri, atque ut ex patrum sanctificatione quasdam ad salutem consequendam dispositiones nati reciperent. Animadvertendum quippe est partem gratiarum, quæ ex hoc fluunt Sacramento prodesse parentibus, ut filios suos bene instruere valeant; ideoque fatendum est, parentes, ubi probi sint, & fideliter suo munere perfungantur, non levia esse adminicula salutis, ac prædestinationis filiorum suorum.

De parentum in filios amore.

Non extrema inter rationes, propter quas tenentur parentes filiorum saluti invigilare, ex eo desumitur, quod illos amare tenentur. Nullis hic opus est argumentis, ut parentibus probetur, filios suos ipsis esse diligendos; natura quæ feris ipsis hunc amorem inspirat, eos hac in re satis erudit. Hinc sæpè videmus, quia nimio, nimiumque naturali amore illos diligunt, male, atque inordinata charitate diligere, cum hæc divinis legibus subordinata non est, cum illos flagitiosos esse sinunt, ne illis displiceant, doloremque afferant; cum majo-

rem corporum, quam animarum curam gerunt; cum enixius illis temporalia congerere festinant bona, quàm virtutes ab illis studeant comparari. Quamobrem, ut hic amor sit justus, & rectus, esse debet christiana Charitas, qua tenemur illos propter Deum, & secundum Dei præcepta diligere, quod efficit, ut parentibus semper arrideat quidquid Deus de illis disposuerit, ac numquam obliviscantur filios, quos genuere Dei potius esse, quam suos.

Finis, propter quem Deus parentibus filios tradit.

Parentum plerique non satis reputant, quo consilio, qua mente Deus ipsis filios concesserit; neque enim arbitrari debent, hos sibi datos pro familiarum suarum gloria, ac perennitate, ut opum suarum, nominisque hæredes relinquant, qui patriis succedant honoribus, atque respublicas, ac imperia conservent. Cur igitur? Ob id unicè, ut prædestinatos efficiant, quibus Cœlum repleatur; verbo, ut patres beatam, æternamque vitam pro virili dare contendant iis, quibus corporum vitam dedere. Hoc igitur potissimum ob oculos eorum versari debet, & in hoc omnes curas suas præsertim impendere.

Discrimen inter Ethnicos, & Christianos de filiorum educatione.

Qui inter Ethnicæ superstitionis tenebras versantur, & quibus rationis tantùm lumen affulget, id unum cogitant, ut terras hominibus æque infidelibus, ac ipsi sunt, repleant, neque aliam ipsis educationem impertiunt, nisi quam corrupta natura suadet. Non aliud illi sibi proponunt finem, nisi ut filios ad insignem aliquam terrenam fortunam extollant; nullam quippe hac meliorem agnoscunt: Sed Christiani Patres filios Cœlo educant, ut totidem Prædestinatos efficiant.

Parentes ex justitia tenentur filios rectè instituere.

Ex justitia parentes filiis suis sanctam, christianamque educationem procurare tenentur; hæc enim communis est apud Philosophos sententia, & rationi eidem innixa; causas, quæ aliquid gignunt, huic debere, quidquid ad illius ornatum, & perfectionem requiritur. Ita Deus, quemadmodum Sanctus Thomas animadvertit, specie quadam naturalis convenientiæ tenetur creaturis ea tribuere, quæ ad essentiam ipsarum vel conservandam, vel perficiendam requiritur; & huic æquissimæ sententiæ parentum innititur studium, postquam filiis suis vitam dedere, eisdem relinquendi, unde vivere possint juxta eam conditionem, quam ex ipsa nativitate sortiti sunt. Cura hæc justissima est, ac a nemine vituperanda: verum ex naturalibus hisce officiis alia sublimior quædam eruenda est obligatio, ac supernaturalis justitia, quæ parentes obligat, ne curas suas in hæc tantummodo peritura bona transmittant; sed filiorum suorum sanctitati, beatæque eorum æternitati prospiciant. Etenim in homine Christiano duplex invenitur essentia, naturalis altera, altera supernaturalis; quæ ut utraque perficiatur, parentes consulere debent secundum duas has conditiones, quibus divina eos destinat Providentia.

Mala filiorum educatio species est originalis peccati.

Post originale peccatum nescio, utrum aliud vel magis universale, vel Christianæ vitæ magis oppositum malum sit mala filiorum educatione. Hæc altera est originalis peccati species; neque enim priori minùs latè patet; ita per personale parentum nostrorum peccatum illud contrahimus; & hæc secunda natura est nequaquam minus corrupta, quam prior. Hoc & parentum nostrum peccatum est, & nostrum; illorum quidem in principio, nostrum autem in effectu. Mala filiorum educatio magnum profectò parentibus peccatum est, & admodum commune: quot enim videmus, qui vel per ignorantiam, vel negligentiam, vel infirmitatem, vel etiam, quod multò deterius est, per nequitiam huic muneri desunt? Illud verò deflendum uberrimis lacrymis est, quod filii pœnas luunt peccati parentum suorum, quemadmodum in originali peccato contingit.

Magnitudo peccati parentum filiorum educationem negligentium.

Magna profectò esse putanda est parentum filiorum educationem negligentium culpa, quandoquidem Sanctus Paulus Apostolus ait, qui eam praeteraverit, jam fidem negasse, & infideli esse deteriorem. Infideles, Sanctus Joannes Chrysostomus inquit, eos hac in re superant, quod non negligunt eos, qui spectant ad ipsos; licet enim vanitate correpti nonnumquam contemnant ad se minime pertinentes; domesticos tamen suos diligunt; neque committi hoc scelus potest, quin sacra, humanaque jura simul infringantur: *Divinas leges planè violat, & jura naturæ.* Igitur peccatum est omissionis in re gravi, maximique momenti, ideoque gravissimum; & licet patres propter suam vivendi rationem reprehendi minimè possint, omniaque Christianæ Religionis munera ad unguem adimpleant; ideo reprobabuntur, quod hoc in uno defecerint.

De correctione paterna.

Patres Christiani filios suos corripere, ac in eos animadvertere debent, ut eorum defectus pro viribus tollant. Quomodo autem? eo modo quo Deus electos suos corripit, videlicet quia diligunt illos; eorum redargutiones emanare debent ex amore, quo illos complectuntur, & ex desiderio, quo flagrant videndi illos virtutibus decoratos, atque perfectos. Verum est nequaquam utendum esse ea via, quæ severissima habetur: eos quippe monet Apostolus, ne provocent filios ad iracundiam, ne illos irritent, atque exasperent, ne forte despondeant animos, atque correctionem perosi incorrigibiles fiant. Verùm cum lenitas, atque prudentia minimè prosint, violentis remediis abstinendum non est, neque vitia eorum toleranda sunt, quia illi nimis amantur. Sanctus Augustinus non modicam vitiorum suorum partem acceptam refert molli patris indulgentiæ: Cum malè loquebar, vel aliquid peccabam, pater meus, ait ille, omnia in risum traducebat, dicebatque, mihi spiritum non deesse. Licebat mihi in omnem ruere licentiam, libidinemque, ille enim vitia mea patiebatur; neque reperiebam salutarem manum, quæ correctionibus tempestivis me illinc divelleret; *Excesserunt caput meum sentes libidinum, & nulla erat eradicans manus.*

Amor sæpe parentes excæcat, ne filiorum vitia cognoscant.

Duo sunt cæcitatis genera in parentibus erga filios suos; prima in eo posita est, quod gravissima filiorum flagitia nugas putant, vel ad summum ferventis adolescentiæ impetus, quos ætas efficit innocuos; altera verò in eo, quod illis concedunt, quidquid ipsis libet, quamvis hoc ut plurimum vel culpa non vacet, vel ducat in scelus. Deus eorum puniturus ignaviam omnia filiis eorum detrectat; eos divitiis augere vultis; Deus verò illos egenos efficiet; eos ad honores attollere quæritis, Deus verò deprimet illos. Vos eorum tantummodo personam respicitis, quin peccata intueamini; Deus verò e contra magnitudinem tantùm peccatorum eorumdem considerabit; denique eo in illos severiùs animadvertet, quo vos illis fueritis indulgentiores.

Parentes debent filiis exemplum.

Parentum plerique sibi persuadent satis esse genuisse liberos suos, quin sibi adlaborandum putent, ut illis ad virtutem aperiant viam; vel ad summum satis esse illos erudire, atque de officio ipsorum commonefacere, & ubi bene egerint laudibus excipere, ubi verò malè exprobrare. Hæc quidem omnia recta sunt; sed aliquid ulteriùs requiritur; opus est enim, ut parentum doctrina exemplis probetur. Et constat ratio: Filii enim suopte ingenio parentum exempla sequuntur; & quia natura nostra corrupta est a peccato, cum quo nascimur, potius ad vitia, quàm virtutes imitandas sunt proni. Quamobrem tenentur parentes eamdem ferme erga filios reverentiam præferre, quam filii erga ipsos; oportet, sibi diligentissimè caveant, ne quid minus rectè dictum, vel factum sibi excidat; & si quid umquam peccare cupierint, adspectus, ac præsentia filiorum eos prohibere debet, ac deterrere.

Quid peculiariter a parentibus docendi sint filii.

Cum homines a primis usque pueritia ad eum finem, pro quo nati sunt, toto pectore contendere debeant; ubi primum rationis usum obtinuerint

nint

tint explicitè docendi sunt, Sanctus Thomas ait a. a. *quæst.* I. *art.* 8. *in corp.* Dei Unitatem, divinarumque personatum, quæ beatitudinis nostræ objectum futuræ sunt, Trinitatem. Cognoscant præterea opus est viam, quà ad terminum hunc pervenitur, ideoque imbuendi sunt præcipuis Fidei Mysteriis, quæ Filii Dei incarnationem, & ea salutis adminicula, quæ nobis reliquit respiciunt; verbo fundamenta fidei, quæ in Symbolo Apostolorum continentur, Sacramenta ad salutem necessaria, mandata Dei; quid ille petat, ut salvi fiant, & quid interposita æternæ damnationis pœna prohibeat.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, recentibusque Concionatoribus loci hujus Argumenti.

Bonæ educationis necessitas.

CUm mundi spiritus, qui perturbationis, & inversionis est spiritus, ita pietatis fundamenta in plurimorum fidelium corde subverterit; necessariò validum opponendum est vallum torrenti huic latè universalem ruinam minitanti; cumque ille ab adolescentiæ corruptione incœperit, & ex mala puerorum educatione; mali hujus repetenda origo est, atque totis viribus adnitendum, ut fons hic veneno imbutus expietur. Cum fructus aliquis omnino computruit, atque contabuit, una hæc superest ratio primigeniam illi bonitatem tribuendi, ac efficiendi, ut iterum reflorescat, videlicet semen ejus in terram optimè præparatam conjicere; tunc enim germinat semen, folia, flores, & fructus emittit. Hæc una vera est ratio, qua fieri potest, ut in ordine gratiæ reviviscat Christianæ Religionis spiritus, qui fere penitus in fidelium corde corruptus est; videlicet si omnes animi vires convertantur ad instituendam adolescentiam, præsertim verò ad pueros a teneris usque unguiculis optimis præceptis imbuendos; Namque primi hujus officii defectus causa est primum quidem corruptionis motum, deinde vero dissensionum, malorumque, omnium, quæ in Rebuspublicis, familiisque contingunt. *Liber cui titulus, Christiana Instructio pro puellarum educatione.*

Hunc parentes sibi proponere debent finem, ut cum corporali spiritualem etiam filiis suis vitam tribuant. *Lib.* 4. *contra Julianum.*

Omnis parentum felicitas in eo posita est, si filiis suis corporalem vitam tribuant illos JESU CHRISTO regeneraturi; quo uno excepto nihil superest nisi temporalis, atque æterna miseria cum in hoc mundo tum in altero. Conjugum piorum hæc esse mens debet, Sanctus Augustinus ait, ut sese spirituali præparent regenerationi per generationem corporalem; neque sufficere debet illis, si in familia sua successores habeant, atque hæredes; verùm hæc etiam illis esse debet voluntas Deo quidem hæredes, cohæredes verò JESU CHRISTO tribuendi, quemadmodum Apostolus loquitur; cum parentes sint veluti viventes, animatique rivuli, per quos efficit JESUS CHRISTUS, ut in filiorum corda gratiæ, ac cœlestes benedictiones emanent, quarum thesauri in manu ipsius inveniuntur. Non enim filiorum interest pro patribus suis thesauros congerere; sed parentum est pro filiis eosdem comparare; atque hujusmodi thesauri, non aliud sunt, S. Basilio teste, quàm illos erudire, atque docere quomodo metuant Deum, eique famulentur. Hic ingens ille thesaurus est, quem Tobias pater filio moriturus reliquit; & hanc pietatis, virtutisque hæreditatem filiis ac nepotibus post mortem relinqui, jubet Scriptura. *Idem.*

Ipsa videtur natura parentibus injecisse necessitatẽ filios erudiendi.

Matrum negligentia, patrumque negotia consuetudinem invexere committendi alienis filiorum suorum institutionem. Hoc non cogitabat natura, cum matri quidem lac, teneramque benevolentiam, patri verò prudentiam, atque intelligendi vim suppeditabat. Hoc illius erat consilium, ut gloriam fœcunditatis eorum expleret, eosque parentes efficeret ejus filii, filiæve, qui eorum essent omnino filii, & qui victum, ac institutionem suam eorum tantummodo labori, ac vigilantiæ deberent: Si enim filius aliunde, quàm a patre virtutem acquirit, jam ex dimidio ad parentes spectat, qui jure præclara ejus facta sibi vendicare non possunt. A Parentibus quidem refert acceptam escam, & potum; at institutoribus refert suis, quod sapienter agere possit, honestè vivere, & Christianè mori. *Idem.*

Optimum, efficacissimumque corruptioni sæculi remedium est bona filiorum educatio.

In tanta morum corruptione, in qua mundus hodierna die versatur, diligenter habete curam, Sanctus Augustinus ait, domos vestras bene regundi, ac in familiis vestris filios optimè instituendi. Hæc ratio est maxima tollendi mala, ac prohibendi majora; & quemadmodum interest nostra vos alloqui, ac in Ecclesia erudire: ita interest vestra, domi vestræ seriò adlaborare, vos enim Pastoris munere fungi potestis, idem ait. Ita est; non licet vobis tantùm imitari, sed cum Episcopis, ac Sacerdotibus cooperari, ac cum eisdem Evangelici verbi ministerium partiri; ut cum filios corripueritis, docueritis, hortati fueritis, tutò possitis aliquando illos offerre Supremo viventium, ac mortuorum Judici, & Domino. *Idem.*

Bonæ educationis utilitas.

Educatio bona bonæ vitæ fundamentum est, atque præstantissimarum actionum principium. Sanctorum, Sanctarumque in Cœlo existentium plerique post Deum sanctæ, atque Christianæ parentum suorum institutioni suam debent sanctitatem. Celebratur in Scripturis Abraham quod heroicæ fidei exemplo divinas filio suo Isaac posterisque ejus promeritus fuerit benedictiones. Tobias infinitis celebratus fuit laudibus, & hodierna quoque die celebratur propter saluberrima monita, quæ filio suo, atque Christianis omnibus in ejus persona reliquit. Verum si hæc est Ecclesiæ gloria, quod Christianorum filii bene instituti sint, atque in sanctis ejusdem præceptis enutriti; ex filiorum optima educatione non minor Reipublicæ gloria, atque utilitas cedit. *Idem.*

Cura, quam matres suscipere debent, educationis filiarum.

Ex omnibus curis, quas matres suscipere debent, ut filios suos optimè instituant, nullam enixius illis S. Joannes Chrysostomus commendat, quàm puellarum, quæ facilè utrisque impressionibus patent; & quæ cum mitiori sint ingenio, magis etiam sunt dociles, ac recipiendis præceptis idoneæ. Maturatò igitur virtutis amor illis immittendus est, eisque ille vanitatis auferendus est spiritus, quem adeo facilè imbuunt; namque hodie in plerisque puellarum immodica tantum ambitio ac vanitas modum omnem supergressa videtur; fastus tantummodo, ac licentia deprehenditur; quæ omnia ex matrum incuria procedunt, quæ cum & ipsæ minimè fuerint institutæ, ut Christianas virgunculas decuit, humilem habent christianæ vitæ ideam; quia de aliis nihil, quàm de se ipsis, nobiliùs sentiunt, digniotemque ideam concipiunt. *Idem.*

De bona pueritiæ educatione.

Non satis est vitium ab infantia prohibuisse, omnibus etiam viribus adnitendum, ne confirmetur in adolescentia, qua ætate affectus vehementiores sunt, magis vividi, ac violenti; & oculi animusque vanitati, ac voluptatibus maximè patent. Prior in scelerum stadio gressus, statim ab aliis excipitur; vitium ita plerumque progreditur, & qui peccare incipit, brevi in insignem reprobum transit; quamobrem generalis illa sententia, quæ pro corporum tuenda valetudine proponitur, pro animarum salute maximè est necessaria. Obsta principiis; nihil negligendum puta, ne funesti consequantur effectus. Adolescentia, ubi affectus per ætatis fervorem, corporisque bene valentis robur faciliùs commoventur, ac majori feruntur cum impetu, tempus est pueris excolendis aptissimum; hæc illa ætas est, qua mala eradicentur arbusta ex novali agro primum serente fructum prodeuntia; denique hæc ætas est bonis, malisque impressionibus magis pervia, & ad sanctos habitus suscipiendos aptissima. *Idem.*

In quo posita sit cura, quam plerique patres gerunt.

Plurimi patres nihil intentatum relinquunt, ut filiis suis ingentia prædia, magnificas domos, uberes agros acquirant, eis superbas vestes, superbumque servorum comitatum comparent; qui tamen ne minimum quidem laborant, utrum eorum anima sit ornata virtutibus, & eorumdem vitæ ratio pia sit, atque christiaoa. Hoc universum terrarum orbem inoumeris replet vitiis; quòd filiorum nostrorum curam non gerimus, quòd illos locupletare studemus, quòd illos bonos efficere negligimus, qui quidem insaniæ totius cumulus est. Licet enim ingentem obtineant opum vim, nisi sint boni, ut illis cum sapientia, ac virtute uti possint; hæ brevi interibunt ob eorum vitia; & id unum efficient, ut Dei ingruat maledictio super eos, qui possederint illas: cum e contra si sapientes fuerint, si habuerint cor magnanimom, & generosum, si mentem habuerint imbutam divina, ac sublimi philosophia, quam Dei Filius homines docuit, quamquam nihil habeant, possidebunt omnia, quia omnia hujus terræ bona contemnent. *Sermo hic desumptus est ex Sancto Chrysostomo. Idem.*

Quomodo exprobrabit Deus patrem, qui filios suos erudire neglexerit.

Quid autem fiet, nisi filiorum vestrorum curam gesseritis, quorum districtam reddituri estis rationem terribili novissimi judicii die noo quidem in hominum statera, sed ad pondus Sanctuarii? Tunc dicet Deus, nonne puerum hunc dedi in domo tua ab initio vitæ ipsius? Nonne te constitui ejusdem magistrum, ducem, ac judicem? Nonne absolutam in ipsum potestatem contuli tibi? Nonne ab ipsius incunabulis dedi illum in manu tua, ut eumdem ad pietatem informares? Sperare audes te a me veniam consecuturum, si ferventis, inconsultæ, ac in omnia flagitia ruentis adolescentiæ impetu eum rapi finis. Quid tunc respondebis? Dicesne filium hunc difficilem fuisse, indocilem, licentiæ amatorem, ac osorem disciplinæ? Verum tuum erat maturato prohibere; & cum adhuc tenellus erat, & per ætatem facile ad virtutem flecti poterat, illum paulatim ad officium revocare, sanctæ disciplinæ jugum illi injicere, ad virtutem formare, affectus coercere, & animi morbis mederi, cum nondum inveterassent; atque spinas hasce convellere, cum vix prodiissent. Quæ igitur excusatio vestra erit, o parentes, si Deo severè pœnas repetente injuriarum, quibus a filiis vestris lacessimini, vos earum obliti fueritis, quibus Deum provocarunt? Si Deo illos morte puniente cum vos lædunt, ne sancta quidem iracundia exardescitis in eos, qui infinitam ejusdem majestatem offendunt? Volui equidem, vobis aliquando exprobrabit, volui vitam ingratis filiis auferre, qui vos affecerant contumelia; vos autem ne dutiusculum quidem verbum illis dixistis, cum mandata, legesque meas conculcarent. *Idem.*

Parentum filios bonos habentium consolatio.

Sin autem filius, aut filia vestra in se hominum venerationem convertit, qua lætitia perfundimini vos, qui parentes eorum estis, & qui in eorum pietate majorem invenitis occasionem illos amandi, quàm sit naturæ vinculum, & sanguinis? Profectò quemadmodum qui in Deum sunt ingrati parentes suos aspernantur; ita e contra, qui pietate sua Deum colunt, illis quoque adhibent reverentiam, a quibus nati sunt, & quorum opera Deus uti voluit, ut in haoc lucem prodirent. Itaque hæc omoia nos cogunt eorum curam quàm diligentissimè gerere; consideratio Dei hoc præcipientis, & hominum, qui nos ideo pluris æstimabunt; nostra quoque consolatio in præsenti vita, quam filiorum virtus suavem, beatam, & jucundam efficiet; ac justus denique futurorum suppliciorum metus, quæ, si huic defuerimus officio, nobis impendent. *Idem.*

Bonæ educationis utilitas.

Parentes, si filios vestros bene instituerit is, filii vestri suos bene instituent, ac hi rursus suos; ac ita fiet nexus, & quædam veluti pietatis, ac virtutis catena, quæ cum a vobis origioem sumpserit, ad posteros vestros longè traducetur, eximiique fructus ex hac prima sanctæ educationis radice procedent. Vobis Dei lex est meditanda, digerendaque, ac in succum sanguinemque, ut ita dicam, vertenda, ut postquam in lac fuerit conversa, amantissimæ nutricis exemplo, monitis, præceptisque vestris in filiorum corda paulatim valeatis immittere. Si patres, matresque ita filios suos enutrirent, leges essent inutiles; neque inter eos viderentur judicia, pœnæ, supplicia; lex enim, uti Sanctus Paulus ait, non est irrogata pro justis. *Idem.*

Non est operosum adolescentiam ad virtutem informare.

Neque dixeris, adolescentiam coerceri non posse; si enim Sanctus Paolus imperat, ut ipsæ etiam mulieres hoc onus suscipiant, indicio est, hoc utique fieri posse, alioquin minimè præciperetur. Omne autem malum ex nostra proficiscitur ignavia, ac negligentia, & quod a teneris non incipimus filios ad pietatem informare. In id operam, industriamque omnem transmittimus, ut artibus, prosanisque scientiis imbuantur; illis amplissima in foro, Aula, & exercitu muoera comparamus, opes congerimus, ut inter cæteros niteant; at ne minimum quidem laboramus, ut Cœlestis Regis gratiam illis mereamur, eisque gradum aliquem in cœlesti aula obtineamus. *Idem.*

De amōre prælectionis, quo parentes filios aliquos aliis anteferunt.

Par sit amor vester, o genitores, erga filios vestros. Cæcè nimis primogeoitum diligitis, eumque locupletare nimia solicitudine festioatis; natu minorem durè nimis contemnitis, ejusque fortunam negligitis. Numquid hic expoliandus est, ut illum ditiorem efficiatis? Numquid natu minor ad Ecclesiasticum statum amplectendum cogendus est, cui par non est, ut natu major sit opulentior? Numquid puella hæc duriùs excipienda, ut in religionem aliquam confugere teoeatur, ad quam minime vocata est, & hæreditatis suæ partem illis relinquat, quos majori dilectione prosequimini? O patres injusti! O matres barbaræ! scitisne, quod facitis, Sanctus Ambrosius interrogat? discordiæ malleolos in familiam vestram injicitis; ibi inimicitiarum, simultatumque relinquitis semina: *Jungat liberos æqualis gratia, quos jungit æqualis natura.* Omnes sunt filii vestri; omnes ex vobis geniti sunt; ne statuatis inter illos adeo crudele discrimen; e contra facite, ut qui eamdem æque naturam partiuntur, æquè etiam eosdem favores partiantur. *Joly, Propositione pro vigesima post Pentecosten Dominica.*

Ejusdem argumenti.

Non loquar de execranda consuetudine minores natu fortunæ primogeniti consecrandi ad hunc effectum filias omnino abhorrentes inter claustra cogendi; devovendi Deo; quod familiæ incommodum est, & quod mater horret; Ecclesiæ filios destinandi, quorum spiritus a veri Ecclesiastici spiritu prorsus recedit; Antistitis alicujus aucupandi gratiam, hoc uno intuitu beneficiis familiam augeodi, palliatisque simoniis filiorum vocationem emendi. Neque loquar de perniciosa prædilectione, qua filius legitima parte fraudatur cum hujus jactura alteri conferenda, prædilectione, qua filia sine una ulla causa vel malè habetur, vel sua dote fraudatur, ut frater, vel soror fiat locupletior; prædilectione tandem, qua æternæ feruntur inter filios inimicitiæ, qui sese ultro citroque litibus lacessunt, ac evertunt, atque idem secum agere vellent, quod filii Jacob in Joseph, quem in cisternam projecerunt, quia nimis a patre diligebatur. Vobismet cavete, genitores! coram Deo rationem estis reddituri malorum omnium, quæ cœca hæc prædilectio pepererit. *Idem propositione pro secunda post Pentecosten Dominica.*

Patres erudire debēt filios suos.

Patres, Sanctus Chrysostomus inquit, vos estis filiorum vestrorum Concionatores; vos filiorum vestrorum, ut idem ait, Magistri, & Apostoli. Vestrum est illos Religionem, ac Dei Legem docere; vestrum est efficere, ut cum lacte pietatem exsugant. Quod ita verum est, ut in Veteri Testamento ultra triginta varios locos inveniam, ubi de hoc parentum officio sermo est. Hinc fit, ut

cum

cum Judæi colloquerentur de singularibus beneficiis, quibus illos Divina largitas cumulaverat, semper adderent, se hæc ex vetustissima traditione didicisse, quam à patribus, majoribusque suis acceperant. *Narraverunt patres nostri, atque dixerunt: de Ægypto eduxit nos Dominus. Idem.*

Deus parentum peccata punit ea pœna, quam luunt eorum filii.

Sanctus Ambrosius animadvertit, Noe pertæsum impiarum irrisionum Cham filii sui, maledixisse filio nocentis. Maledictus sit Chanaan; servus sit servorum fratrum suorum. Videbatur sanè sententia in nocentem esse ferenda, & injustum esse, filium pro parentis peccato puniri. Sanctus Ambrosius ait, patris nequitiam in filii personam migrasse, & filium non solum fuisse patris hujus partem, verum etiam eumdem cum patre spiritum, eamdemque habuisse nequitiam. At nocens impunis erit? Haud ita sanè, Sanctus hic Doctor respondet; dolor, quo ex filii pœna afficitur pater, major in patre est, quàm in filio. Pater magis dolet cognoscens se causam esse servitutis filii sui, quam si ipse huic servituti fuisset addictus. Fructus eodem percussus fulmine, quo arbor contrita est, singulare est doloris argumentum; pater qui in se, posterosque suos fulmen detorquet, primus eodem transfoditur; cor ejus jam ferreis vinculis adstrictum est, antequam filius subeat servitutem. Cham filius est nocens; Deus in calamitoso filio diuturnum Patri supplicium infligit; ac divina justitia jubet, reum toto vitæ, quod superest, spatio pati; ac pati quidquid filii sui omnibus sæculis passuri sunt; cumque illum irriserit, cui vitam debebat, ipsum quoque puniri per vitam quam tot infelicibus filiis tribuet; ita ut mortalibus omnibus posteritatis ejusdem dedecus, & ignominia pateat; quemadmodum ipse voluit, ut fratres parentis infirmitatem in jocum traducerent. *P. Heliodorus Parisiensis ex Capuccinorum familia, sermone tertio de voluptatibus gustus.*

Filii sunt depositum a parentibus diligentissimè custodiendum.

Ex justitia tenemini, o parentes, filiorum vestrorum curam gerere. Filii curæ vestræ traditi sunt; vos eorum tutores estis; vos custodes Angeli; hoc est depositum vobis divinitus creditum, cujus aliquando rationem estis reddituri, Sanctus Chrysostomus inquit, vestrum ideo est, illud tueri, & pro viribus adniti, ne a dæmone, vel mundo vobis auferatur. *Joly, Propositione pro secunda post Pentecosten Dominica.*

Parentes ex justitia tenentur curam gerere institutionis filiorum suorum.

Diximus jam vulgatissimam esse seoteotiam, id quod essentiam confert, simul etiam tribuere ea, quæ essentiam eamdem consequuntur. Arbor, quæ a terra originem duxit, inde quoque vitam ducit, & fructus, qui arbori debet originem, eidem quoque suam maturitatem debet; similiter cum parentes in lucem ediderint filios, ex justitia tenentur optimam illis educationem tribuere. *Idem.*

Filios perdit, & corrumpit, qui eorum vitia patitur.

Magnum scelus est parentum filiorum suorum vitiis, ac licentiæ connivere; at nonne hoc passim accidit in Mundo? Si filius labitur aliquando, si quid profert, quod proferre nefas, statim, hic lusus est, dicitur, vividi ingenii signum; ætatis favore sese corriget; Defectus illius excusantur, immo nonnumquam etiam laudantur, vel saltem ita leviter corripiuntur, ut puer illos nequaquam satis displicere cognoscat. *Idem, Propositione pro secunda post Epiphaniam Dominica.*

De correctione filiorum.

Correctio, qua patres uti erga filios debent ex zelo, & charitate, non autem ex aliqua animi ægritudine proficisci debet; qui enim aliquid per animi morum operatur, idoneus non est ad alios ad officium suum revocandos; a contra verò furor ille, quo se trahi sinit, illos magis exasperat, ac irritat. Ita parentes evitare debent, ne filios suos corrigant, cum se iracundia incalescere norunt, Malum, quod tunc patrant, eo fortasse majus est, quod corrigere volunt; ac pravum exemplum, quod præbent filiis suis hac facilitate, qua ad iracundiam moveotur, non efficit illos dociles, neque disponit, ut æquo animo correptionem suscipiant. *P. Nepueu in libro, qui inscribitur, Conduite Chretienne.*

Filii plurimum parentibus debent ob bonam educationem.

Filii magis parentibus suis debent propter educationem ab illis sibi procuratam, quàm propter vitam sibi ab iisdem traditam; præstat enim, hominem esse bonum, quàm hominem esse. Qui propter institutionis defectum reprobatus est, nonne felicior esset, si numquam fuisset? Genitores se nequaquam vacare culpa putarent, si neglexissent efficere, ut filiis suis illud conferretur Sacramentum, quo Christiani fiunt; at num minus culpa vacant, cum negligant educationem, qua vitam Christiano homine dignam ducere edoceantur? Quid illis prodest Christianos esse; sed ut Christianos decet, minime vivere? Nisi ut coram Deo minus sint excusabiles. *Idem in Christianis Considerationibus Tomo quarto.*

Parentum interest filios ad virtutem formare.

Cujus interest adolescentiam maturatò ad virtutem formare, nisi vestra, o Parentes! Quis de hoc rationem coram Deo redditurus est præter vos? Quis gloriam referet, si illa bene instituta fuerit? quis probrum, & confusionem, si vivendi licentiam fuerit secuta, præter vos? Si filii, ut impii, de quibus sermo in libro Job, ossa habuerint repleta vitiis adolescentiæ suæ, si libidinosi fuerint, si aleas, & compotationes in deliciis habuerint, si quid indignum non Christiano tantum, verum etiam honesto homine commiserint; si filia per vivendi licentiam scandalum fuerit civitatis; si in illud scelus fuerit lapsa, quod & ipsam, & domum totam summo dedecore afficiet; si primogenitus per imprudentiam aliquam subierit inimicitiam, quæ illi interitum afferat, vel illum in vitæ discrimen adducat, quis præter vos erit tot malorum causa, o pareotes, qui ejusdem curam a pueritia neglexistis? *Idem in Operibus mixtis; Sermone de Educatione filiorum.*

Cura opum filiis congerendarum moderanda est.

Amas filios tuos propter naturæ bona; curas illis opes congerere, ut cum honore vitam traducere valeant; aliqua sollicitudine festinos, ut certam facias fortunam eorum. Hæc profectò cura æqua, & justa est; verùm modum non debet excedere, ita ut amor filintum utilitati consulendi non migret in affectum; qui te eo usque trahat, ubi lædas conscientiam tuam, animæque tuæ jacturam facias. Heu! quid proderunt opes, quas filiis reliquisti? Quid honores, ad quorum amplitudinem labores tui illos provexerunt, dum æternis ignibus cremaberis? Quid voluptates, quibus filii tui perfruentur, cum interim exquisitissimis cruciatibus torqueberis? Esto, si lubet, illis multa relinquas bona; dummodo hoc citra conscientiæ tuæ fiat detrimentum. *Idem.*

Quos sensus parentes filiis immittant.

Parentes quidem summa diligentia domi dilectum aliquem filium instituent; verùm quin in id operam transmittant, ut in cor tenerum, ac docile virtutis semina jaciant; mater edocebit filiam suam, qua arte plurimorum in se oculos, amoremque convertat, atque ideo in virorum cœtus producet, ubi vanitas tantum enitescit, ac ubi omnia mollitiem, libidinemque ad cor veneno imbuendum, corrumpendumque aptissimam redolent. Nobilis vir indesidenter filium erudiet, acceptam injuriam nullo pacto elui posse, nisi par pari reddatur; probabunt parentes primos impetus orientis affectus, quos tamquam præsentis spiritûs opus censebunt; & quin illos coerceant, (dummodo ex illis sint, quos mundus probare consuevit) eos alere, ac fovere studebunt. Ne obstupescamus igitur, si videmus, modò parentes a filiis indignè habitos, nulla dilectione, nulla revereotia ab illis exceptos; illi enim isthæc numquam novere: modò, adolescentes pietate, ac Dei timore carentes; numquam enim prima Christianæ Religionis elementa didicerunt. *Abbas de Moninterel. Homilia in Dominicam infra Octavam Epiphaniæ.*

Filios non amat, qui eorum patitur vitia.

Amare non est, fovere vitia, pravosque habitus in puero, ne aliquot lacrymulas videatur effundere; & qui crudeli hac indulgentia illum in vitiis retinet, non amat ut pater, sed odit, ut inimicus. Jobi erga filios cura nequaquam mollis

erat, ac temissa, qualis est nostra, sed plena vigilantiæ, ac sapientis severitatis, Sanctus Chrysostomus inquit: si enim tanta sollicitudine victimas offerebat Deo, pro occultis eorum sceleribus, quo zelo siquæ manifesta fuissent, eos corripuisset? Væ igitur parentibus illis, qui filiorum vitia intuentes lætantur, & qui primos affectuum impetus tamquam ingenii felicis indicia putantes gaudent intuitu primarum scintillarum ignis illius, quem ipsi magis, atque magis accendunt, & qui deinde rogus fiet, quem nullo modo extinguere poterunt. *Idem, Homil. Dominica vigesima post Pentecosten.*

De mala filiorum educatione.

Cur videmus peccata de patribus in filios abeuntia, quæ sunt veluti originalia, ac in familiis sese perennant, vel secreta quadam lue, quæ sese sanguini commiscet, vel justo judicio Dei patres quidem pro filiis, filios verò pro patribus puniensis? Nihil est adeo commune, licet a nemine animadvertatur. Pater, tantum abest, quod filios suos Deum timere doceat, ut modò sermonibus, modò actionibus ea, quæ ipse habet, illis inspiret vitia, ac sensim vitam eorum suæ similem efficiat; tantumque abest, quod erumpentes eorum affectus compescat, ut illos blandimentis nutriat, consiliis excitet, exemplis confirmet, eisque sæpe post mortem cum male parta hæreditate ambitionis, avaritiæ, vel ultionis suæ successionem relinquat. Mater post traductos florentissimos ætatis suæ annos in vanitatibus, atque voluptatibus gaudet ad morum suorum imaginem filiæ, quam deperit, mores componere. Satis superque putat, si illa primoribus, ut ita dicam, labiis prima Religionis rudimenta delibarit, tota deinde est, ut illam ad mundi spiritum componat, gaudens sibi ob oculos proponere vanæ adolescentiæ suæ speciem, rata parti sui ipsius illud offerri thus, quod sibi jamjam negari dolet, ac vanitatem suam, ut ita dicam, reflorescere in ea, quam inexpertæ huic animæ inspirat. *Flechier, Sermone pro die Conceptionis.*

Ejusdem argumenti.

Quam optandum esset, ut patribus omnibus ea esset cura filiorum suorum, quam gerere tenentur! Quot christiani hodie propter mundanas educationes in interitum abeunt? Statim ac JESU CHRISTO per baptismum devoventur, eidem rapiuntur, ut iterum fiant mundi, cui nuperrimè abrenunciarunt, mancipia: statim ac voces excipere, ac reddere discunt, jam aliis adolari edocentur, & alienas assentatiunculas audire assuescunt. Primæ orientium cupiditatum faces blanditiis, imprudentibusque approbationibus accenduntur. In tenella eorum corda jaciuntur ambitionis semina, quæ cum ipsa ætate adolescunt. Summo studio elegantes, urbanosque illos efficere, satagunt partes, omnia carnis, & sanguinis mysteria revelantes: non autem eos virtutibus auctos conantur efficere, iisdem JESU CHRISTI mysteria explicantes. Producuntur in hominum cœtus, ubi jacturam faciant pudoris, ac innocentiæ, quæ semel amissa, redire nequit, & ubi cum vanitate, voluptate, ac mendacio ineant necessitudinem. Dæmoni sacrificantur, eum immolantur torrentibus, ut loquitur Isaias Propheta; hoc est cum objiciuntur consuetudinis, corruptæque naturæ torrentibus. *Idem, Sermone de S. Antonio.*

Ejusdem argumenti.

Hoc jam nostis, Auditores, pueri vix in lucem editi sunt, cum jam superbiam, atque mollitiem deperire consuescunt. Sine ullo Religionis principio enutriuntur; & quin in illis Dei Spiritus foveatur, illis mundi spiritus immittitur: vix pompis sæculi abrenunciarunt, cum hæ illis ostenduntur, easque amare edocentur; polliciti sunt sequi Evangelium, & consuetudini subjiciuntur. Itaque vanitate tenellas animas occupante, hæ prout rationem acquirunt, amittunt fidem, atque innocentiæ, quam per baptismum adeptæ sunt, statim fere post ejusdem acquisitionem jacturam faciunt. *Idem, Sermone de S. Francisco de Pa-la.*

Primum impedimentum salutis filiorum est defectus institutionis.

Magnum sane hoc est impedimentum, eaque est potissima depravatæ adolescentiæ causa; eòque magis deplorandum est, quo est magis commune, & ad plures extenditur; potior enim adolescentiæ pars amittitur, eo quod virtutis præceptis solidè imbuta non est. Parentes negligunt erudire filios in vera pietate, omnemque curam transmittunt, ut illos in vanitate, voluptatibus, terrenorum bonorum amore, ac mundi institutis enutriant. Præceptores etiam sæpe meliorem laborum suorum partem impendunt, ut illos abditissimis instruant disciplinis, paucissimam verò ut in scientia salutis erudiant. Filii disciplinam oderunt, & quantum in ipsis est institutorum monita evitant; quamobrem permanent in ignorantia, pravisque habitibus, ac in nullam redditus spem misere intereunt. *Gobinet de adolescentum institutione Parte tertia cap. 1.*

Quam noceat parentum erga filios indulgentia.

Non satis animo fingi, & cogitari potest, quàm communis sit hic in genitoribus defectus, & quot quotidie filios perdat, quemadmodum docet experientia. Plerique parentes cæco, insanoque amore, qui præsens, ac sensibile tantùm filiorum bonum respicit, verentur, ne filiis molesti accidant sapienti redargutione, vel æqua correctione illos intra virtutis cancellos continentes; malunt pravos eorum habitus propter correptionis defectum cum ætate crescentes pati; eosque in reliquum vitæ spatium improbos, & nequam post hanc verò vitam in omnem æternitatem miseros efficiunt. O Patres miseri! qui per insanam hanc lenitatem filios suos dant præcipites in omnium infelicitatum cumulum, similes brutis illis, qui parvulos suos nimiis amplexibus suffocant. O cæci Patres! qui non intelligitis misericordiam hanc, qua erga filios utimini, sævissimam esse crudelitatem, quam in illos exercere valeatis; neque vos æquè crudeles futuros, si manu vestra illis mortem infligeretis! Aderit tempus; cum filii, quibus ita blandimini, a Deo contra vos ultionem repetent, ac vos tamquam malorum suorum auctores incusabunt. *Idem.*

Qui filios a Deo petunt, nesciunt quid sibi petant.

O miseros Patres, ajebat quidam, quid a Deo petitis, cum petitis filios? Doloris, Curarumque causas exquiritis; corpora petitis, in quibus vera martyria estis passuri. Heu! cur id concupiscitis bonum, cujus spes adeo ambigua est, & eventus incertus; bonum, cujus jactura æque vos torquet, seu illud relinquatis, seu vos ipsum relinquat; spes, quæ tot modis frustrari vos potest? Qui vere serit, sperat se Autumno messurum; at qui confidit inanibus florentis adolescentiæ promissionibus, hic sæpe decipitur; non solum quod virtutum semina, quæ videntur in pueris, & quæ tanta cura excoluntur, æstuantium adolescentiæ affectuum procella, ut plurimum suffocantur, verùm etiam quia sæpe accidit, ut ridentes hos flores demetat mors tunc temporis cum maximè nitent. *Ex Christianis sermonibus, Sermone de Sancta Anna.*

Cura, quam filiorum gerere debent matres.

Præcipuum matris opus non est, Sanctus Chrysostomus inquit, in lucem filios edere; hoc enim naturæ est; sed filios suos ad virtutem formare, quod spiritus est, & voluntatis. Ideo petit Apostolus, ut vidua habeat rectæ filiorum suorum institutionis testimonium; nec quærit, utrum filios pepererit: *Testimonium habens, si filios educavit.* (1. ad Tim. 5.) Similis agricolæ, qui tenellas adhuc arbores erigit, amputatque; juxta virtutis regulas filias suas instituit, ac prohibet, ne mundi spiritum assumant; cumque ipsi persuasum sit hanc bonum agrum esse, ac diligenter colendum, alioquin, nisi purgetur, mala gramina uberiùs producturum; omnia vitii semina evellere, ac optimæ Religionis serere principia conatur. Curis omnibus excolit arbusta hæc sibi a Deo credita, eaque sudoribus suis irrigare non cessat, *donec formetur* in illis *Christus*, ut loquitur Apostolus. (Ad Galat. 4.) *Idem, Sermone de S. Ursula.*

Nulla

Filii ut plurimum parentum suorum exempla sequuntur.

Nulla præstantior est educatio, quàm quæ fit per exempla. Qui indomitas cicurite feras aggrediuntur, eas sensim jugo colla subjicere assuefaciunt. Exemplo de efferatissimo quovis ingenio triumphus refertur; verùm nullum ingenium est adeo felix, & docile, quod a pravo se corrumpi non sinat. Quæritur cur parum adeo virtutis, docilitatis, atque pietatis in pueris videatur? Undenam bona ingenia faciliùs corrumpantur, & mala infrequentiùs corrigantur; undenam adolescens sese in omnia libidinum genera trahi patiatur; cur ille, cui per ætatem nondum licuit mundum cognoscere, ejusdem flagitia, ac vanitatem tantopere deperear? Scelera vestra excusaturi dicetis, puto, bona, vel mala ingenia fortuito contingere: ego verò cum Divo Chrysostomo affirmo id plerumque fieri propter bonorum exemplorum defectum. Filius patris vestigia sequitur; filia genitricis facta imitatur. Pravum exemplum efficit, ut malum prius diligant, quam operentur. Parentum suorum actiones intuentur tamquam vivas leges sibi ad exequendum propositas: In eorum non vitia minus, quam bona succedunt; eorum affectus etiam in hæreditatem acquirunt, antequam divitiarum eorumdem adeant possessionem.. Paternis bonis tunc tandem fruuntur, cum patres obiere; patrios verò mores ac spiritum, illis adhuc viventibus imbuunt; & post eorum mortem etiam conservant. *Idem Tomo* 1. *Sermone de scandalo in Christianis sermonibus*.

Parentes filiis debét exemplum.

Plerique parentes sibi satis esse persuadent, filiis suis vitam dedisse, quin sibi adlaborandum sit, ut filios ad virtutem instituant; vel ad summum sufficere putant illos erudire, de officiis ipsorum commonefacere, ubi bene egerint, laudibus excipere, ubi verò malè, corripere. Hæc profectò bona sunt, sed ulterius aliquid quæritur; opus est enim, ut dicta probentur exemplis. Cum Deo serviendum est numquam pater, numquam mater, nunquam herus dicere debet, *facite*, sed *faciamus*: Nunquam jubere JESUM CHRISTUM imitamini, ita cum Sancto Paulo, estote imitatores mei, sicut & ego imitator sum JESU CHRISTI. Ita virtutis vestræ lumen indesinenter domi vestræ refulgeat; filii, famulique vestri nihil in vobis, nisi opera bona intueantur, ut glorificetur Deus, ædificetur Ecclesia, saluti eorum consulatur, neque conscientia vestra oneretur. Non satis est igitur filiis vestris bonum ostendere; sunt ad illud velut manu ducendi; bonum cum illis faciendum simul est, ut illi melius, atque audentiùs illud possint efficere. Exemplum per se plurimum potest; verbum autem sine exemplo nihil. Plurimis opus est præceptis ad modicum virtutis comparandum; unum sufficit pravum exemplum, ut momento deleatur, quod pluribus annis efficere potuerunt præcepta.

De correctione a parentibus facienda.

Numquid suppliciorum Dei exempla terribilia non sunt parentibus, qui fallaci benevolentia filiorum suorum vitia tolerare, quin illa corripiant; vel qui leviter tantum corrigunt illa, quin putent eos, qui filios ita diligunt, neque propter Deum, neque secundum Deum illos diligere? Hoc amare non est filios, sed perdere; ac seipsos cum illis in interitum dare: hoc non est parentes esse, sed parricidas. Quod si tot alioquin insignes viri coram Deo nocentes habiti sunt, eo solùm quod minime usi sunt magna in filiis corrigendis severitate, quamquam optima iisdem exempla præberent; quid de illis dicendum, qui filios non solum minime corrigunt, verum etiam insanis furoribus, libidinibusque suis misere corrumpunt? Non solum rei sunt scelerum omnium, quæ toto vitæ spatio filii sunt patraturi. Verùm etiam criminum omnium, quæ post obitum suum in familiis suis perpetrantur propter malas impressiones, quas in filiis pessima exempla fecerunt. *Idem*.

Effectus malorum exemplo.

Virtus, ac vitium hominum, ut plurimum, eum cursum arripiunt, qui nonnisi post plures desinit generationes; & verissimum est, filios paternorum vitiorum hæredes esse; moriuntur illi; sed eorum memoria, ac exemplum non semper moritur cum illis: *Mortuus est pater*, Ecclesiasticus inquit, *& quasi non est mortuus; similem enim reliquit sibi post se*. Omnis hæc scelerum multitudo, quæ post patrum mortem adhuc in familiis subsistunt; illis est adscribenda. *Idem*.

rum, quæ parentes filiis suis tribuunt.

Eccli. 30.

Qui malunt filiis ingentia relinquere bona, quam optimam educationem.

Non desunt calamitosi patres, qui jamjam morituri, ac in ipso inferni ore gloriantur, quod post se ingentes substantias relinquant. Ingentes profectò substantias, contra quas tempore eodem peccatis suis divinæ ultionis flagella excitarunt; quamobrem opus est; ut filii sui ad egestatem redigantur: *Filii ejus opprimentur egestate*. Ingentes substantias; at non ajunt, se iniquitatibus suis Dei maledictionem promeruisse, quæ velut ignis devorans, inquit Zacharias, ipsa etiam tigna, parietesque depascet. Relinquunt, ut ipsi dicunt; frequentem, opulentamque posteritatem, quæ proceræ arboris instar profundas radices jacit; atque per affinitates, & cognationes longiùs suos ramos emittit. Ita est; verum cur non addunt, pravam ipsorum vitam arboris hujus medullas ita vitiasse, ut quamptimum debeat arescere? Cur non fatentur, se peccatis suis irritasse Deum, qui jam profert sententiam, qui jubet arborem hanc succidi, itaut neque rami, neque folia supersint? *Succidite arborem, & præscindite ramos ejus, excutite folia ejus, & dispergite fructus ejus. P. Texier sermone quinto. De impio infelice*.

Job 20.

Daniel. 7.

Patrum dementia, qui propter filios æternæ se adjicunt damnationi.

Videt Deus patrem hunc filiorum suorum amore ita captum, ut neque de Deo, neque de salute sua, neque de morte, atque æternitate cogitet unquam. Semper vacat excogitaturus qua ratione liberos suos ad primos honorum gradus attollat; nulla est justitia, quam non corrumpat, non conscientia, quam minimè lædat, verbo, præsto est, ut personam gerat mali divitis in inferno, dummodo filios suos opibus, ac dignitatibus auctos relinquat. Quid plura? Reprobatus erit, quandoquidem tantopere reprobari desiderat; sed præterea in odium insanissimi amoris, quo filios suos deperit, Deus universa hæc idola confringet; eos in uno sepulchro tumulabit, & nomen eorum penitus interibit. *Idem*.

Filii malè instituti sunt patrũ suorum opprobrium.

Quemadmodum in Scripturis pollicetur Deus viris bonis futurum ut filii ipsorum sint illis consolatio, corona, gaudium, atque deliciæ; *Erudi filium tuum, & refrigerabit te, & dabit delicias animæ tuæ. Filius sapiens lætificat Patrem*: E contra minitatur impiis futurum ut filios habeant, qui eorum sint opprobrium, confusio, tormenta, atque carnifices, qui dies eorum citiùs ad occasum rapiant, vel efficiant, ut millies præ amaritudine, ac dolore moriantur. *De patre impio queruntur filii, quoniam propter illum sunt in opprobrio*. Heu! vobis stupor incessit, ita enim loquimini, intuentibus in filiis ingenia adeo perversa, studia adeo prava, affectus adeo pronos in malum, tantum pietatis, ac litterarum odium, ac horrorem earum rerum, quæ honestum hominem ornare consueverunt; ita aliquam Dei maledictionem non deesse vos ipsi diceretis. Profectò rem acu tetigistis. Videte quomodo vixistis, quinam sint vestri mores, ac utrum hoc Spiritus Sancti Verbum in vobis sit adimpletum. *Idem*.

Prov. 29.
Prov. 10.

Eccli. 41.

In eos, qui vim filiis faciunt, ut in claustra cõfugiant.

Barbari patres, matres sævæ, scitisne, quid sibi velit invitum filium perpetuis votis alligare? Eum cogere, ut per paupertatis virtutem terrenis bonis renunciet; ut renunciet corpori per votum castitatis; ut per obedientiæ votum propriæ renunciet voluntati, nihilque reliquum sibi faciat nisi quod citra scelus sibi auferre non potest, vitam nempe? Numquid Dii estis vos, ut filiis vestris vocationis gratiam largiamini? Numquid in potestate vestra est Gratia Dei, ut illis vim tribuatis ad gravissima tentationum prælia propulsanda? O vos duros; non miseret vos innocentium victimarum,

quas affectibus vestris immolatis, quibus paterna auctoritate obstruitis os prohibitnti, ne de illata vi conquerantur, neque eos lingua uti permittitis, nisi cum solemnia vota nuncupanda sunt, quæ amplius differri non possunt, post tot ambages, & curas, quibus illos ad ea capessenda impulistis. Heu! scitote Deum voluntarias victimas poscere, non invitas; animas liberas, ac rationis usu compotes, sese ultrò Deo offerre debere; scelerum omnium maximum esse, filium sine vocatione in claustra compellere; quemadmodum e contra acceptissimum Deo sacrificium est, nihil missum facere, ut a Deo vocatus Christianæ militiæ det nomen, licet amor vester ejusdem consilio obnitatur. *Ex libro cui titulus Essais de Panegyriques Tomo 2. pro die Præsentationis.*

Amor parentum in filios violentus est.

Opus non est, parentibus persuadere, filios ipsis esse diligendos; amorem illis inspirat natura eisdem dulces natos tribuens, efficitque, ut ipsos tamquam suimet ipsorum partem, vivamque vitæ suæ imaginem spectent. Divus Chrysostomus amorem hunc suavem tyrannidem vocat; suavem profectò, quia naturalibus agitur studiis atque affectionibus; tyrannidem verò, quia nimis ardens est, atque imperiosus, nec non sexcenta parit desideria, sexcentasque curas affert pro bono filiorum. *Magna est natura tyrannis, & inexpugnabilis viscerum necessitas.* Equidem scio naturam ignis hujus semina conjecisse; sed Dei quoque Providentia has succendit, alitque flammas pro filiorum utilitate; voluitque hanc esse imitationem amoris, quo ipse illos complectitur. *Biroat Sermone pro feria quinta post alteram Quadragesimæ Dominicam.*

Hom. 17. ad popul. Antioch.

Filiorum vita ab institutione potissimum pendet.

Puer in lucem editus pravo corpore, toto vitæ suæ tempore deformis erit; cum enim vitium in ipso fuerit principio, nulla tolli posse medicina existimatur. Hoc ipsum de homine sentiendum, qui a pueritia bene institutus non fuerit; ac affirmare licet, citra miraculum, hunc ad extremam usque senectutem vitiosum futurum. Hoc sane Spiritus Sanctus per os Sapientis testatur. *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit non recedet ab ea.* Oppositum verò dicendum est de bona filiorum institutione; quæ semen est virtutis in cordibus radices suas jaciens, ac reliquo vitæ spatio fructus afferens affluenter; ager nihil fert, nisi quod satum fuerit. Prima documenta, quibus mens imbuitur, est veluti primum gratiæ, ac virtutis stratum, quod numquam deletur: Quamobrem bona educatio semper habita fuit tamquam salutis, & prædestinationis principium: *P. Crasset in brevi tractatu de puerorum educatione.*

Prov. 22.

Ejusdem Argumenti.

Liquidò constat hominum salutem ab eorum pueritia, primaque institutione pendere; hic fons est bonorum, malorumve, quæ in omnem ætatem late diffluunt; & radix; quæ ad mortem usque germinare, ac fructus ferre non cessat. Quævis initia rebus in omnibus maximi momenti sunt; arbor, cujus radix computruit, numquam bonos afferet fructus: Ideo prima rudimenta ut plurimum sunt salutis, atque prædestinationis fundamentum; unde conjicere est, parentes nihil pretiosius filiis suis, quàm sanctam, bonamque institutionem relinquere posse. Alia quæcumque bona illis comparari possunt, nihil sunt, si cum hoc conferantur; & deplorabilis sanè cæcitas est plurimorum parentum, qui ut filiis magnam divitiarum vim relinquant, insana avaritia iis sumptibus parcant, qui essent necessarii, ut illi christiana, ac genere suo digna educatione alerentur. *Desumptum partim ex eodem, partim ex Patris Nepveu libro cui titulus, Conduite Chretienne.*

Præstaret nullos habere filios, quam habere eos, qui parentibus dedecus afferunt.

Quamquam filii sint conjugiorum fructus, & benedictio; hos tamen non semper genuisse præstat; quamobrem dici consuevit, felicem esse, qui nullos sortitus est; quia utilius esset nonnumquam omnibus carere successoribus, quàm eos habere, qui familiæ dedecus inferunt, avorumque existimationem lacessunt. Et sanè præstaret christianæ mulieri nullos umquam liberos peperisse, quàm quos edidit christiana institutione non educasse; si enim nullos genuisset, ipsa fortasse salvaretur sola; cum e contra simul cum familia tota damnetur, si genitorum negligat educationem; quod criminum, quæ ab eadem committi possunt, nulli fere est secundum. *Liber, qui inscribitur: Instruction Chretienne pour l'Education des filles.*

Parentes potiorem animarum, quam corporum filiorum suorum curam gerere debent.

Christianæ matres sæpe Chananæam mulierem imitamini; si filiæ vestræ corpus obsidetur a dæmone, in quæstus, & ejulatus erumpitis; cum verò animam illius mundi spiritu obsessam cernitis, cum ejus cor vanitate intumescit, cum id quærit unum, quomodo placeat hominibus, quia Deo placere studeat, minimè doletis; cum tamen sanguineis deflendum lacrymis esset, vel potius non gemendum solum, verum etiam incompositi ejusdem affectus essent coercendi, illa ad virtutem salutaribus monitis revocanda; vitii horror severis redargutionibus in illa excitandus, ac tandem nihil intentatum relinquendum, ut adeo periculoso morbo mederemini. *Idem.*

Quanti intersit bona filiorum educatio.

O Parentes, qui difficiles, atque inobedientes filios haberis, qui neque vos amant, aut reverentur, neque Deum timent; dicite quæso, quosnam cum illis sermones habeatis ea in ætate, ubi facile patent impressionibus omnibus, quæ illis tribuuntur? Quos illis famulos comites additis? quomodo seligitis eos, cum quibus consuescant? Quibusnam eorum creditis institutionem? Quos cœtus illos crebrò adire permittitis? Quos libros manibus eorum teri sinitis! Quibus præceptoribus eos instituendos traditis? Quomodo illos corripitis, ubi deliquerint, ac in omne nefas ruerint? Quid ergo mirum, si vitiosi sunt, quandoquidem illos, ut ita dicam, tales generatis? Statim enim ac illos in hanc lucem produxistis, mentis oculos illis clausistis; illos in tenebris aluistis fere numquam de Deo cum illis locuti; exemplo vestro facti sunt nequam; vos verò eorum nequitiam defletis? Vitium, atque licentiam cum lacte ipso suxerunt, at vos primi luetis pœnas; amittent illi reverentiam, metum, obedientiam, quam vobis debent, eo quod illos in Dei timore, pietate, ac virtute educare neglexistis: *Ex recenti, anonymoque Auctore.*

Parentes reddituri sunt rationem de filiorum sceleribus.

De incuria, qua patres, matresque filiorum suorum mores instruunt, eisque salutis doctrinam tradunt; severissimas Deus pœnas reposcet. Mollis indulgentia, qua illis peccantibus connivent, quin eos plectant, filios in vitio fovet, & ad majora mala disponit. Filium tuum prudenter, discreteque puniens prohibebis, ne affectuum suorum torrentem sequatur, & paulatim assuescet præcepta sibi tradita explere. Sed plerique parentum magnis sese laboribus torquent, ut domos suas augeant divitiis, ac id unum curant, quomodo filios opibus cumulatos relinquere valeant; verùm justo Dei judicio contingit, ut filii brevi temporis intervallo tot sudoribus parata sibi patrimonia obligurtiant. Vitam in inertia, ac mollitie transigunt, adulantium assentatiunculis verba sibi dari sinunt nihil aliud suadentium, nisi ut voluptatibus vacent. In immodicos sumptus effundunt bona nullo suo labore quæsita, atque tunc tandem oculos aperiunt, cum se ære alieno obrutos vident. *Abbas de Bellegarde in Salomonis Proverbia.*

Vera cura, quam parentes filiorum gerere debent.

Hac in re, parentes, omni ea prudentia opus est, quam in filiorum institutione suadet Evangelium. Esto, si lubet, bona illis congerite; verum ne salutis, vel conscientiæ ipsorum detrimento illos opibus replere contendatis. Putatis, illos per vos in mundo celebres futuros, eorumque fortunam solidis fundamentis statutam arbitramini; verum protestatur Deus se infirmum hoc iniquitatum vestrarum opus esse subversurum, quin veram hujus rei causam invenire possitis. Hanc quidem acceptam referetis litibus, inimicorum persecutioni,

cutioni, morti alicujus, filiorum vestrorum libidini, atque licentiæ; cum iniquitatibus, quas patrastis, ut filios magis eveheretis, sit referenda. Si verè filios amaretis, ante omnia salutis eorum, spiritualisque profectus curam gereretis; & maximum hoc negotium cæteris quibuscumque anteferretis; vobisque persuaderetis a Deo filios vobis datos fuisse, ut hos ad ipsum adduceretis; hæc ab ipso vobis cara pignora fuisse deposita, ut eidem redderetis; quæ omnia cum nullo in discrimine habeatis, indicio est, Sanctus Gregorius Magnus ait, illos a vobis nequaquam amari. *Ex Moralibus sermonibus, Sermone hujus argumenti.*

Bona filiorum educatio Dei benedictiones parentibus promeretur.

Hic, parentes, obiter mihi dicendum videtur posse vos Dei benedictiones promereri, ea cura, qua filios in Dei timore enutrire satagitis; illis diluculò pietatis sensus infunditis; eos Domino offertis; illos Christianæ Religionis institutis imbuitis, illos tamquam victimas Domino sacras putatis, in quos nullum ferme aliud jus est, quam illos in rectam rationis semitam revocandi, sicubi, licet piè educati, deerraverint. Tunc Deo illud præbetis justitiæ sacrificium, quod perit; tunc filiis vestris illud præstatis pietatis, ac solicitudinis officium, quod debetis; tunc Deum laudatis, eique benedicitis, eo quod filios diluculo ad virtutem formatis. *Idem Sermone de Visitatione.*

Filii ut plurimum parentes suos imitantur.

Filii, qui patres suos observant, eosque tamquam visibiles Deos putant, gloriæ sibi vertunt illos imitari; *Id sunt, quod vident*, quemadmodum alia in occasione Sanctus Thomas ait; Sed heu! illos vident jugiter ultionis alere desideria in inimicos; mirumque vobis videtur, si hos injustos sensus concipiant? *Id sunt, quod vident.* Puella matrem videt vanitatis amantem, eam videt nutilatem Religioni, mundi præcepta Christianis præferre Institutis, & obstupescitis, si spiritus æque, ac maternarum opum hæres sit? *De la Volpilliere, Sermone de S. Anna.*

Inanes, ac superflue parentum erga filios curæ.

Vehementer errant patres, qui putant, se filiorum suorum felicitati prospicere, ubi illi thesauros acquirunt, amplas ædes extruunt, suasque dignitates post obitum illis certas relinquunt. Curam hanc, ac laborem, quem inutilissimum, inanissimumque putat, ferre nequit Augustinus. *Magna pietas thesaurizat pro filiis.* Pietas, charitasque vocatur hæc patris insana cupiditas, qua filiis suis thesauros coacervare contendit. Quænam cæcitas! *Immo magna vanitas, quòd thesaurizat moriturus morituris.* Magnam enim voco vanitatem insanum hunc furorem, quo homo morti proximus opes congerit morituris. *Idem.*

Parentes primi dant pœnas malæ filiorum educationis.

Quidam Sancti Patres quærunt, cur proposuerit Deus filiis legem, atque præceptum parentes colendi, minimè verò præceperit parentibus, ut vicissim filiorum suorum gererent curam. Sed hoc factum ajunt, quod naturæ lex ferocissimis etiam brutis impressa erga eos, a quibus vitam accepere, satis illos obligaverat; & naturales hi sensus quemlibet obtinent locum legis, præcepti, omniumque mandatorum, quæ unquam irrogari potuerint. Ad hoc tenentur patres ex justitia, ex propria utilitate, & honore; eorum quippe gloria est si bene natos habeant filios. Sed heu! sæpe genitores primi negligentiæ suæ, & pravi exempli, quod illis præbuere, luunt pœnas. *Quæ seminaverit homo, hæc metet.* Ea metetis, quæ seminastis. In oculis filiorum seminastis scelerum vestrorum imaginem, eo quod vestra viderunt flagitia; seminastis perjuria, obscœnaque verba in auribus eorum, illis audientibus ea proferentes; quid mirum, si metitis vitia? si illi tales existunt, quales ipsi formastis? *Quæ seminaverit homo, hæc metet.* Hos, o parentes, metetis fructus vestræ iniquitatis, atque gravissimè dolebitis intuiti filios, qui vos minimè amabunt, qui vobis obedientiam detrectabunt; qui summo dedecore familiam vestram coinquinabunt. *Ex Manuscripto Sermone.*

De parentibus qui filios suos perdunt, eorum tolerantes flagitia.

Quammulti crudeles parentes sunt, qui filios suos dæmoni tradunt, atque in illius vincula conjiciunt? Quammulti, qui eum secundum Dei consilia esse deberent instrumenta salutis, & sanctitatis filiorum suorum, sunt ministri dæmonis, ut illos corrumpant, & perdant? *Minister diaboli*, ut quidam ait, *est, qui filios ad vitia pronos disciplina non coercet.* Qui filios non corripit, qui pravis ejusdem studiis non adversatur, cum diabolo ad eos perdendos conjurat. Quid igitur de illis dicendum, qui pravis exemplis illos in vitium impellunt, qui etiam consiliis, vel auctoritate nonnunquam vim legis habente ad enormia patranda scelera, vel ad ea vitæ genera inducunt, ubi fieri nequaquam potest quominus intereant! *Pater Texier in Quadragesima, Sermone hujus argumenti.*

Parentes sunt familiarum suarum doctores, atque Concionatores.

Scitote, parentes, Sanctus Augustinus ait, vos esse domorum vestrarum Doctores, atque Prædicatores; & quemadmodum nostrum est Dei verbum in Templo annuntiare, ita vestrum esse docere, & prædicare domi vestræ, ut Deo filios vestros lucremini. Frigida est prædicatio, nisi confirmetur exemplo. Eloquens operum vestrorum lingua familiæ vestræ, quod vult Deus persuadebit. Si filii vestri vos sollicitos viderint, ut vosmet recipiatis Deo preces effusuri; si viderint vos quotidie ac diligenter vota Deo nuncupare, facile pietatem, modestiam, atque sapientiam perdiscent. At quomodonam eos efficere sanctos, & quales Deus optat, potestis, si numquam genua vos flectere viderint, ut oretis; si exploratum illis fuerit, vos quotannis semel confiteri; si vestra perjuria, atque blasphemias audiverint? *Idem.*

Parentes sæpe conscientiam suam produnt, ut filiis suis provideant.

Sæpe conscientiam suam lædunt Parentes, ut filiis in foro dignitates, & in Ecclesia Officia, vel Beneficia conquirant; at nemo unus est ferme, qui filiis Dei amicitiam, rectamque conscientiam provideat: *Alii divitias, alii honores filiis suis provident; nemo filiis providet Deum;* Salvianus ait, *quid ergo æstuas paterna pietas?* Quid furis, quid tot laboribus te ipsam exagitas? Cur tot curis te exerces, ut filiis caduca, perituraque bona procures? *Quid ad conquirenda terrena, & peritura distenderis?* Aliquid ne melius illis procurare potes supremo illo bono, quod numquam amittent? Potesne filium tuum locupletiorem efficere, quam si illum Dei sui thesaurum effeceris? *Nulla re eum facies ditiorem, quam si ipsum filium thesaurum Dei feceris. Idem,*

Insurgent aliquando filii in parentes suos, qui per negligentiam illos perdiderunt.

Parentes, terribilem hanc veritatem sedulò meditamini: hi filii malè educati, atque instituti erunt aliquando, non dicam, præsentis hujus vitæ vestræ carnifices, ut vos torqueant, diesque vestros ocyus ad occasum perducant; sed extremi judicii die validi erunt testes in vos, atque vos vestræ sævitiæ incusabunt. Clamabunt illi, Sanctus Cyprianus ait; *Perdidit nos aliena perfidia, parentes sensimus parricidas.* Eorum potius impietas, quam nostra, eorum nos vitia damnarunt. *Illi nobis Ecclesiam Matrem, illi Patrem Deum negaverunt.* Eorum nefaria præcepta, eorum perniciosa exempla prohibuere, ne Ecclesiæ doctrinam sequeremur, & obtemperaremus Deo. Ita est; o patres; ita est, o matres, nullum in inferno sæviorem nanciscemini dæmonem, a quo vexemini, ac torqueamini, quam filios vestros ob noxam vestram æternis ignibus adjudicatos. *Idem.*

De prædilectione parentum.

Accidit nonnumquam secreto Dei judicio, ut primogenitus ille, quem cum aliorum detrimento, quos illius fortunæ mactarunt parentes, locupletare voluerunt, e viventium numero immatura morte exturbetur; vel si superstes viget injustæ electioni, qua constitutus est familiæ suæ columen, atque præsidium, post se nullos relinquat liberos, qui familiam perennent; vel, quod ipsum passim docet experientia, prodigus fiat, ac die una plura absumat bona, quàm pluribus annis majores fuerint adepti. *Idem.*

De Matribus filias secundum mundi spiritum educantibus.

Væ vobis, o matres, quæ filias vestras, ut olim ornari consueverant victimæ morti destinatæ, tanta cura ornatis mundi, ac impudicitiæ idolo devovendas. Quænam est vestra desperatio, ut ita pugione inoocuarum virginum sinus transfodiatis? Numquid filias optastis, quas corrumperetis? Numquid illas genuistis, ut damnationi subjiceretis? Dicitis quidem vos illis invigilare; videlicet ut coram mundo & earum, & vestro honori consulatis: at quam didicistis artem, ut in tanta corruptionis colluvione earum innocentiam integerrimam servaretis? *P. de la Colombiere Tomo* 2.

Ejusdem argumenti.

Mater hæc rea est criminum filiæ suæ, eo quod prorsus ethnica educatione illam erudiit; quod spiritum prorsus mundanum eidem inspiravit; quod illi immodicum luxum, & nuditatem adeo periculosam, christianæque modestiæ penitus oppositam permisit; quæ apta tantummodo est ad animas veneno enecandas, ad omnes pietatis, atque timoris Dei sensus extinguendos, ad excitandos affectus, qui per se jam satis vigent. *Pater Nepueu in Considerationibus.*

Obligatio, qua parentes filiorū curam gerere tenentur.

Quid parentibus suis deberent filii ob sibi traditam vitam, qua nocentes, ac infelices fiunt, nisi illi toto pectore incumberent ad nativitatis reparanda mala, optima institutione sanctam, beatamque vitam illis procurantes? Per hoc pater vere pater est; imo propter hoc pater est: filii magis parentibus debent ob educationem, quam illis procurant, quam ob vitam, quam illis dederunt; utilius enim est, hominem esse bonum, quàm hominem esse. Qui propter institutionis defectum reprobatur, non ne beatior esset, si numquam natus fuisset? Parentes nequaquam se culpa vacare putarent, si neglexissent efficere, ut filiis suis Sacramentum, quo Christiani fiunt, conferretur; at num minus nocentes habendi sunt, cum negligant institutionem, qua Christianorum more vitam ducere edoceantur? Quid prodest Christianos esse, & Christianorum more non vivere, nisi ut minus excusabiles fiant? *Idem Tomo* 4.

Matrum christianarum hac in re negligentia.

Numquid lacrymis temperare possumus, ubi christianam matrem videmus filiæ suæ ne minimos quidem condonantem defectus, qui displicent mundo, atque nullo in discrimine habentem pleraque crimina, quibus Deus unus læditur; jugiterque adlaborantem ut ob illius oculos statuat quid & ipsam mundo, & ipsi mundum acceptum efficere valeat, quin doceat illam, quid ipsam quidem Deo, ipsi verò virtutem efficere possit acceptam. *Idem in libro: La Conduite Chretienne.*

Parentes diligenter considerare debent quibusnam filiorum suorum institutionem committant.

Licet parentes primi esse debeant filiorum suorum magistri, atque eorum institutionem tamquam præcipuum inter officia sua reputare; possunt tamen cum aliis curam istam partiri, ejusque partem committere viris probis, ac eruditis, qui filios tum de iis, quæ ad Religionem pertinent; cum de rebus aliis, quas scire oportet, erudiant. Verùm cum prima rudimenta, quibus adolescentiæ animus imbuitur, maximi momenti habeantur; numquam satis diligentes esse possunt genitores in hujusmodi præceptoribus deligendis. Curare enim debent, ut non doctrina solum, sapientia, & honestate, verum etiam pietate, ac religione sint prædiri, aptioresque censeantur ad eorum, qui sibi crediti fuerunt, mores regendos, quam ad ingenia scientiarum studiis, ac politiorum litterarum cognitione excolenda, ita ut potius veros fideles, quàm homines doctos valeant efficere. *Idem.*

Patres vere oderunt filios, quos male educant.

Ambitiosi, ultionisque cupidi Patres, qui filios in vestras inimicitias, vestrosque sensus pertrahitis; qui exemplis, atque sermone ambitionem, ultionemque illis inspiratis; qui id unum cupitis, illos in terris insigni aliqua dignitate præfulgere, vel acceptam persequi injuriam, quæso nonne illorum estis parricidæ? Nonne illos odistis? immo nonne vosmet ipsos odistis? Indulgentes, mundanæque matres, quas non latet, filias vestras nimium licentiæ sibi arrogare, ac eas videtis id facere, quod turpe est, vel quod suspicione non caret, non metuitis, cum peccatorum participes sitis, pœnarum quoque fore consortes? *Fromentieres, Sermone de S. Joseph.*

Parentes excæcantur ne filiorum videant defectus.

Si filii vestri defectibus diffluunt, statim vos excæcat natura, ut eorum partem dumtaxat intueamini, eamque etiam virtuti proximam censeatis. Si inquieti sunt, truculenti, nequam; hanc ingenii alacritatem vocatis. Si morosi, stupidi, fatui, hanc mentis soliditatem, ac profunditatem, vel ad summum tarditatem putatis. Si iis pateant defectibus, qui nulla ratione excusari possunt, si aleam, ludumque depereunt; si vivendi licentiam perditè consectantur, si divina perhorrescunt; hanc levitatem incuriam, ætatis impetum, non ingenii nequitiam dicitis. At ullane in ipsis meriti scintilla renidet, vel illi prima quædam virtutis indicia præseferunt? Jam prodigia censentur; nihil huic umquam simile visum est; vocula opportunè prolata, miraculum ducitur; si dicto vobis paruerint, jam tamquam mitissima ingenia celebrantur: si quid audaciùs dixerint, jam hæc ipsa virtus est, eadem fortitudo: si paululum ad pietatem proni videantur, jam Monachos ipsos religione superant; si per annum, vel biennium seriis studiis vacaverint, jam Doctores ipsos scientia antcire putantur. Ullumne illis negotium committitur? tanta illud agunt, transiguntque sedulitate, ac prudentia ut satis mirari nequeamus. Principi alicui assident viro? Jam illius omnes suscipiunt curas, ita ut nihil melius fingi possit. Militiæ nomen dedere? Nulla sese illis offert occasio, ubi eorum non emicet virtus; & non celebretur ab omnibus. *Ex Manuscripto Sermone.*

Fallax parentum erga filios amor.

Numquid in amore suo minus temere parentes agunt, cum filios suos etiam nondum in lucem editos Ecclesiasticis dignitatibus destinant? Cum illorum captum ad sacrum munus hoc obeundum ex ordine nativitatis eorum metiuntur, & pro illis, qui secundo, vel tertio loco in lucem editi sunt, licere sibi putant in sanctuarii thesauris inquirere, unde illos majoribus natu æquare possint, quasi privilegium bonorum, quod legum dispositio, ut plurimum, addit privilegio nativitatis, furtum esset Dei natu minoribus eripientis, quod primogenitis elargitur; & quod ex sacro Ecclesiæ suo patrimonio reparare tenetur? Hoccine est Deum colere velle filiorum vestrorum oblatione, an velle honorare filios vestros divinorum mysteriorum fructu, & dignitate? Hoccinne est domini gloriam, an servorum utilitatem conquirere? Fallax parentis amor erga filium, cum suffocatur generalis amor, qui omnibus debetur filiis, & injusta prælatione omne quidem privilegium in unum, omnis verò miseria in alium conjicitur. Heu! quid crudelius fingi potest inter eos, qui ejusdem sanguinis vinculo sibi cohærent? Quod tantum mali committere potuerunt calamitosi filii, ut veluti victimæ fratris, vel sororis suæ fortunæ mactentur? Verum esto; nisi in adeo inæquali divisione a legum dispositione recederetur: Verùm quot fraudes, quot callidæ ambages, atque conatus contra leges easdem? Filius hic, quem inutilem existimatis, ac nullo habetis in pretio, fortasse rerum vestrarum columen futurus est; hic filius, cui ipsum etiam denegatis amorem, quem patribus ipsa inspirat natura, vobis invitis in dignitate positus effulgebit; & filius ille, quem supra Deum diligitis, quandoquidem ex eo vobismet idolum effingitis, & cujus fortuna tot criminibus vobis stetit, jubente Deo, erit quietis vestræ inimicus, & dedecus familiæ vestræ. *Idem.*

Patres ut plurimum in filiorum contemptum vel odium sövertunt, propterea quod illorum curam non gerunt.

O Patres, qui omnem penitus naturæ sensum abjecistis, non loquor de scelerum vestrorum contagione, & corruptione, quam illa filiis vestris inspirant; non loquor de criminibus, quibus institutionis eorum negligentia, vel imbecillis auctoritas vestra in illos, vel paupertas filios objiciunt, & fortasse etiam in eadem impellunt; loquor de con-

contemptu, quem de vobis concipiunt, de odio, quo flagrant in vos, de maledictis, quibus vos persequuntur, de negligentia, qua vos ipsos contemnent, cum eorum ingenium, labor, ac vivendi ratio ipsos ex ea eduxerit egestate, in quam vos illos præcipites dederatis, & cum fortunam suam a vobis miserè eversam reparaverint. Quomodo aliquam foveant existimationem erga patrem, qui nullam ipsorum gessit, qui nullum habuit sensum propter eorum honorem, & sanguinem? Quomodo illum diligant, qui omnem patris qualitatem abjecit? quomodo meminerint se filios esse illius, qui paternæ oblitus est charitatis? quomodo se vitam illi debere putent, cujus vitiis facti sunt egeni? quomodo grati animi sensum foveant erga illum, quem pœnituisse videtur quod de iisdem bene meritus fuerit? *Pater Heliodorus Parisiensis Capuccinus in Sermone de voluptatibus gustus.*

Parentes sæpe per ipsos filios puniuntur.

Quemadmodum patres nequaquam culpa vacant in filiorum suorum sceleribus, propter ea quod pravum exemplum illis tribuerunt, vel sese illis iniquos præbuerunt, cogitare non debent se immunes futuros ea pœna, quæ culpæ debetur; quæ pœna ut plurimum est contemptus, & incuria, quam vicissim illis filii testantur: non quod in hac re filii excusabiles sint, sed quod Deus justo judicio hoc permittit. Qui par pari referunt inimicis suis, odium inimicitiæ, detractioni obtrectationem, ultionem persecutioni, punientur illi quidem tamquam fractores legis, qua inimicos suos amare jubentur; sed qui incœperunt, & occasionem dederunt, ut injuriæ injuriis rependerentur, participes erunt supplicii, quo plectenda est inobedientia, cujus primæ causæ fuerunt; nisi enim contumeliis ultores animos provocassent, numquam illorum excivissent iracundiam, neque eorum odium, aliaque mala, quæ inde sunt consequuta, conflassent. Filii vestri a Deo quidem erunt maledicti; in hoc, alteroque mundo punientur, quod debitum vobis amorem, honorem, ac opem negarunt; sed vos pœnæ eorumdem participes eritis, omne eorum supplicium una cum vestro perferetis; vos sceleris eorum prima causa fuistis; contemptus, & odium eorum opus est malæ educationis vestræ; vos quodammodo filios vestros compulistis, ut omnem humanitatis sensum abjicerent, quia vos ipsi hunc in cordibus vestris suffocastis eos deserentes; vos illis præbuistis exemplum, ut malæ fortunæ vestræ vos derelinquerent. *Idem.*

Æterna Patrū cum filiis, quorum damnationis causa extiterunt, pœna.

Filii parentum suorum carnifices erunt in omnem æternitatem, si damnati fuerint utrique; quemadmodum sæpe accidit, ut eodem tempore, quo pater est causa damnationis filii sui, filius vicissim causa sit damnationis sui genitoris. Proh Deus! Proh terribile inferni incrementum! Si pater filium suum in illud impulisset facinus, propter quod a judicibus esset torquendus; atque teneretur ipse ejusdem supplicii spectator adesse, quemadmodum ejusdem est causa; quodnam hoc esset tormentum in oculis ejus? Ob oculos incuriosi patris æternis torquebitur ignibus filius qui ex culpa ejusdem damnatus fuerit; Ob oculos matris, una cum eadem filia cremabitur; quæ licet matrem minime fuerit exprobratura, quibus illa doloribus excruciabitur videns corpus hoc, quod suis visceribus tulit, æternis flammis comburi? &c. *Biroat feria quinta post secundam Quadragesimæ Dominicam.*

Christiani ut plurimū cæcum habent amorem erga filios.

Quomodonam agunt Fideles cum filiis suis? Ut plurimum cæco, & minime Christiano amore eos complectuntur; crudeli indulgentia, atque criminosa conniventia eos perdunt; ipsos suo tradunt ingenio; immo pravum hoc ingenium innocentiæ, morum festivitatis, ac leporis prætextu dissimulant. Defectus illorum excusantur, conteguntur vitia; atque ut in mundo effulgeant, nitentibus onerantur dignitatibus, quin illud inspiciatur, utrum illis ferendis sint apti. *Flechier.*

Filiorum mala educatio.

Vix per Baptismum Deo filii consecrantur, ac devoventur, cum eidem mala educatione eripiuntur; palpari assuescunt, & laudari in ipsis imperfectionibus suis; indignisque approbationibus prava scelerum consuetudo illis commendatur. In eorum mentem, & cor jaciuntur ambitionis, atque vindictæ semina, quæ temporis decursu mala germina proferunt. Quin ad pietatem instituantur, atque de Religionis nostræ mysteriis edoceantur; nugæ tantum illis ostenduntur, illis traditur ars placendi mundo, ac in cœtus diluculò producuntur, perinde ac patres vellent omnes Spiritus Sancti motus in illis extinguere. *Auctor Anonymus.*

Matres, quæ ad vanitatē filias suas formant, eas perdunt, ac se cum illis damnant.

O miseræ Matres! Matres crudeles, & parricidæ, quæ filias vestras ornatis, ut olim victimæ morti destinatæ consueverunt; qui illas, inquam, ornatis tanto studio, manu vestra mundi idolo immolandas! Non loquor de scelere, quod patratis ita præparantes venenum, quod mox universæ terræ propinatis; non loquor de peccatis aliorum, quorum tamen ratio ex vobis severissimè deposcetur. Verùm quænam hæc est desperatio vestra, ut ita pugionem in filiorum vestrorum sinum velitis infigere? Numquid ideo filias cupistis, ut illas corrumperetis? Numquid illas in lucem edidistis, ut damnarentur? Equidem scio, quid estis dicturæ, ut tantum facinus colore aliquo inficiatis. Quis sibi in uxores filias despondere cuperet, inquitis, si viderentur a nemine? Quis cuperet eas conjuges, nisi placere studerent? Deus illis consuleret, si deficerent viri; at fierine potest ut ea, quæ Deus iniit consilia, nonnisi detestabili hac ratione valeant expleri? Si puella a vanitate, & mundi conspectu abhorruerit, illum ne invenire poterit, quem sibi socium ab æterno designavit Dei Providentia? Immo e contra cavete, ne consilium ejusdem, quo matrem simul cum filia servare cupiebat, adeo parum Christiana vivendi ratione evertatur. *Pater de la Colombiere Serm. 48. pro extremis Bacchanalium diebus.*

Parentes sibi præclare actum putare debent, cum Deus filios ad Religionis statum evocat.

Patres, matresque, Sanctus Gregoris Magnus ait, quorum nonnumquam auditur querela quasi Deus familiæ vestræ florem, ac præstantissimum spei vestræ fundamentum eripiat; filios videlicet, quos luxui, vanitati, omnibusque nefariis mundi consuetudinibus mancipare velletis; licet non alia vobis esse deberet cura, & ambitio, quam eas omnibus exornare virtutibus, ut digni essent, qui Deo pro scelerum vestrorum expiatione offerrentur. Illi in Regis Cœlestis domo versantur, ut hunc vobis acceptum reddant, ut illius vobis gratiam acquirant, donec vos undequaque salutis vestræ inimicis obsidemini; indesinenter cum vitiis, ac peccatis obluctamini, atque sine ulla intermissione contra vim exemplorum, perniciosarumque sæculi consuetudinum pugnatis. *Abbas Vergus, Paneg. Religiosæ Professionis.*

Criminosa parentum incuria in filiorum peccatis.

Parentes filiorum suorum spectant flagitia, neque succensent, immo acquiescunt dicentes aliquid adolescentiæ tribuendum. Hoc sanè significat, oculos claudendos esse, ne eorum scelera videantur, quia ea sunt ætate, qua quotidie nequiores evadunt. Sinendum est illos furenti pravorum exemplorum flumine rapi, quia eo in statu sunt, in quo longius trahi possunt. Eorum scelera negligenda sunt, quia in ipso statim sui stadii initio aberrare incœperunt; permittendum est, ut irreligionem suam ad ipsas usque aras pertrahant; dissimulandæ sunt sacrilegæ eorum irrisiones; omnibus impudicitiis illorum subscribendum est; probanda licentia, ac illis quotidie suppeditandum, unde nequiores evadant. *P. Croiset, in Spiritualibus Considerationibus.*

Pœna Summi Sacerdotis Heli, eo quod erga filios suos fuerat indulgentior.

Licet Heli in moribus suis esset irreprehensibilis, licet in omnibus ministerii sui officiis religiosus, qua severitate in illum animadvertit Deus propter mollem indulgentiam, qua erga filios suos usus est? Certior factus de filiorum sceleribus, quibus Israel universo scandalum afferebant, leniter

illos

illos tantùm corripuit fretus futurum ut illorum defervescente adolescentia ad frugem aliquando redirent; Verum adolescentia hæc non sine terribili supplicio præteriit. Duo illi flagitiosi adolescentes uterque simul ceciderunt in prælio; totusque exercitus ab hostibus Israel occidione deletus fuit; Arca, sacrum illud depositum, capta; populus omnis desolatus; & infelix pater tot adversis obrutus nuntiis repente fato concessit. Scriptura sancta satis apertè significat, hæc omnia mala pœnam fuisse ejus indulgentiæ, qua pater hic filiorum suorum scelera pertulit. *Idem*.

Parentes non debent filiorum suorum vocationem prævertere, neque illi adversari, ubi vocentur a Deo.

Parentes, filios vestros nequaquam impellere debetis in eum vitæ statum, quem secuturi sunt, neque vocationi eorum obluctari, aliud vitæ genus, ab eo, ad quod divinitus evocantur, illos amplecti cogentes. Auctoritate, quam in illos obtinetis, uti vobis nequaquam licet, nisi ut illos amoveatis ab iis, quæ obfutura videntur; neque ut vim illis inferatis, eos beatiores reddituri. Attendite igitur, ne vocationi illorum adversemini, ut vestris cupiditatibus tantum satisfaciatis voluntatem eorum cogentes; & ne vim afferatis eorum optioni, melioris ipsorum boni speciosam prætexentes causam, ut eas tantum rationes sequamini, quæ ad ipsos minimè pertinent. Illos familiæ vestræ decori, ejusque assertæ utilitati sacrificare non potestis, sive illos mundo abrenuntiare jubeatis, seu illos invitos in mundo retineatis, quin statum eorum calamitosissimum efficiatis, eorumque salutem in apertum discrimen adducatis. Quænam injustitia ea potestate, quam in filios vestros natura vobis tradidit, abuti velle, ut vel ambitioni vestræ satisfaciatis, invitos ad honorum apices provehentes, vel inordinato amori domi eos retinentes, cum a Deo alio evocentur; vel inexplebili avaritiæ vestræ eos impellentes in statum solitudinis, & non voluntariæ paupertatis, ut illos iis fraudetis opibus, quibus impendendis animam non potestis adjicere, & quas nihilominus impendere vestrum est, ut vitæ statum eorum certum faciatis. *J. Pic. libro qui inscribitur, L'Education des Enfans.*

Eiusdem Argumenti.

Nullam, parentes, afferre causam, quæ injusta non sit, potestis, ubi prohibetis filios vestros, ne illuc se conferant, quò vocantur a Domino. Quemadmodum ille eos in lucem hanc prodire voluit propter bonum ipsorum, non secus ac vos propter vestrum; ita non ut sese iis accommodet rationibus, quibus domus vestræ decus tueri, vel augere contenditis, eos potius in hoc, quam in illud vitæ genus appellat; sed solùm, ut eorum saluti prospiciat. Vos autem palam Deo obsistitis prohibentes ne filii ejusdem nutibus pareant; Deique consilia subvertitis, ut votorum vestrorum summam assequamini. Naturali, divinoque jure filii vestri vobis chariores esse debent quàm gloria nominis vestri, & honor ille, quo perfruimini in terris. Æquum est, ut domus vestræ utilitatem negligant, salutisque suæ ratio in mente vestra hanc deleat nobilitatis ideam, qua toto vitæ vestræ spatio repleti fuistis, & quam in eos transmittere summo cum nitore contenditis, licet illi obnitantur, & Dei de ipsis consilia id nequaquam patiantur. Attamen ob oculos eorum familiæ vestræ utilitatem objicitis; gloria, decus, nobilitas, ac æterna salus filiorum vestrorum, quæ una rebus omnibus est a vobis anteferenda, cedunt rationibus illis, quæ pro domo vestra a vobis habendæ non sunt. *Idem*.

Qua la re Patres filios æque diligere debent.

Filios vestros æquali charitate prosequi debetis. Si leges ab hominibus irrogatæ sinunt, ut pro eorum temporali utilitate inæqualiter eos excipiatis; divinæ tamen leges jubent pro æterna eorum salute a vobis nullo in discrimine haberi; immo eamdem rationem, eamdemque erga omnes religionem haberi volunt, ubi de animæ bono, ac salute illorum agatur. Aliud de divinis, ac de humanis legibus sentiendum est. In humanis sæpe privatus aliquis pro publica utilitate sacrificatur; Divinæ verò numquam ex familia membrum aliquod abscindunt, ut aliis gratificentur. Itaque amor, quo alios impensiùs diligitis, vobis non debet suadere, quid faciatis de aliis, ut aliquam illis seu temporalem, seu spiritualem procuretis militarem, ut eorum studiis indulgeatis, ac faveatis vocationi; sed potius consulendus est amor, atque justitia, quam iisdem debetis, & æqualitas, quæ diligenter servanda est, ubi de eorum bono agatur, licet animi vestri studia obnitantur. Eorum corporis habitus, ac mores licet vobis jucundi, vel injucundi videantur, nequaquam majorem vim, ac pondus habere debent, quàm benevolentia, ac prædilectio. Deus in vocationibus suis neque pulchritudinem, neque venustatem, neque morum consulit elegantiam; quas neque vos ipsos consulere æquum est, ubi de filiorum vestrorum statu sit deliberandum; cor, intimique sensus, non autem externus corporis habitus est inspiciendus. Si varium domi vestræ obtineant jus; si alii aliis pro mundo locupletiores oriuntur; omnes cum iisdem rationibus oriuntur; omnes eadem habent pro salute jura; & vestrum est æque illis prodesse ut eam consequantur, ac quæ sint de singulis peculiaria Dei consilia, sedulò inspicere. Possunt quidem humanæ rationes vobis jura in eorum substantiam præbere, at in vocationem eorum nullum profectò jus potestis acquirere. *Idem*.

Mundana Filiorum educatio.

Quid commendatur in puero? quid mater in virgine laudat! Numquid modestum oris habitum, pietatis initia, christianumque spiritum, quem ipsa illi ab ipsis fere incunabulis diligenter infudit? Hic sane esse deberet primorum documentorum fructus; sed heu! oppositum forsasse docetur exemplis. Præcox mentis acumen, prompta, & audax responsio; vanus, & elegans oris habitus; mores suaves, ac jam jam nimium procaces, & rerum mundanarum gustus; vox etiam, choreæ, incessus, corporis statura laudatur. Pietatis documenta illis tantum traduntur, qui Monasticæ professioni destinantur. Et querimur adhuc, filios cum luxus amore, ac mundanarum vanitatum gustu nasci, & cum summo pietatis fastidio vitam traducere? Sæpe etiam matri stomachum moveret filia, quæ ejudem idolum est, si magis christiana studia foveret. Plurimas in hac deprehendit nitescere qualitates; ideo periti undequaque accersuntur magistri, qui tamen vocem modulari, choreas agere, musicisque doceant psallere instrumentis. Sed ut adolescens ad bonos mores formetur; ut puellæ Dei timor infundatur, quælibet muliercula satis erudita est, quilibet præceptor satis aptus. Hoc sanè quam parum nobis Religionis insit, ostendit. *P. Croiset Tomo secundo Christianarum Considerationum.*

Bona educatio maximum bonū eā, quod filiis parentes relinquere possint.

Quam pretiosiorem hæreditatem filiis suis relinquere potest pater, quàm optimam institutionem? Sed quem honorem filiis conciliare potest pingue patrimonium! Itaque nos magisne debere putamus parentibus ob egregiam educationem, quam hausimus, an ob ingentia bona, quæ nobis reliquerunt? Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, inquit Apostolus, fidem negavit, & est infideli deterior. Hi Patresfamilias, quos filii tamquam advenas, hospitesque obiter vident, & qui vel negotiis abditi, vel dediti voluptatibus adeo parum sunt de illis rite instituendis solliciti, ac si ad eos hæc cura non tangeret; hi, inquam patres nonne aliquam habent partem in allato Apostoli oraculo? Matres, quæ in ludis tantum, aleaque scitæ sunt, & quæ prima sæpe religionis ignorant rudimenta; Matres, quæ unicè muliebri mundo, vel solatiis vacantes bonæ fidei domesticorum curam, atque educationem filiorum suorum relinquunt; hæ, inquam, matres secundum Apostoli mentem suntne Christianæ? Quid quæso hæc significant verba: *Fidem negavit, & est infideli deterior*? Filiorum educatio-

1. ad Tim. 5.

nem

nem negligere jam est negasse fidem, ac infidelis nequiorem esse. Spiritus Sanctus numquam nimis eas exaggerat veritates, quarum fons est. Numquid bona hæc erit excusatio, filiorum curam aliis fuisse concreditam? Præcipuum parentum erga filios officium est, illis optimam educationem tribuere. Cura, quam alii suscipiunt, onus imminuit, non aufert. Possunt quidem filii præceptoribus commendari; sed præceptores nequaquam auferunt parentibus necessitatem judicandi utrum filii ab illis bene instituantur; & minus adhuc bonum illis exemplum præbendi. *Idem.*

Patres tenentur bonum illis exemplum præbere.

Filii facilius id imitantur, quod vident, quàm retineant, quod audiunt. Iracundus pater nequiquam subitos impetus filii corripiet; mater, quæ cœtus virorum frequens invisit, filiæ suæ recessus amorem conciliabit? Filii novam injiciunt parentibus necessitatem bene vivendi; nullum enim in familia vitium est, quod scandalum non afferat. Parentum salus cohæret, ut ita dicam, cum salute filiorum; illi quippe rationem reddituri sunt scelerum omnium, quæ propter educationis, bonorumque exemplorum defectum filii commiserint. Quidam homo bonus, & frugi videtur, qui fortasse reprobabitur, quia filios habuerit nequam, nec bene institutos. Nulli parcendum est curæ, ut filios bene educetis; neque enim potiorem, ditioremque illis hæreditatem relinquere potestis. Bona educatio fundus est, qui alienari non potest; hic semper uberrimus est, & neque tempestatum perturbatas vices, neque ulla vitæ adversa extimescit. Vir bonis moribus, bonoque ingenio, ubi bene fuerit institutus, semper tutus est. *Idem Pater Croiset.*

Quanti referat filios sanctè, & piè instituere.

Si satagerent patres, ut filii secundum magna Religionis principia instituerentur; si pater, si genitrix, si ii omnes, quorum est filios educare, hanc rationem sequerentur; si documenta, quæ pueris traduntur, aliquo pietatis sensu essent condita, vitii horror cum ætate adolesceret, & virtus fieret quodammodo naturalis. Hac ratione Sancti Ludovici Mater huic mortalis peccati tantum horrorem immisit; prima enim pietatis, ac religionis documenta non ita facile abraduntur. *Idem.*

Quomodo corrigendi sunt nati.

Piis hisce documentis adde lenem, atque efficacem eorum tradendorum rationem; benevolentia nimium indulgens æque pueris nocet, ac nimia severitas. Numquam cum fructu corripitur, ubi corripientis deprehenditur ægritudo. Malum patris, matrisve temperamentum, ac impetus majori sunt digni reprehensione, quam scelera filiorum, quos puniunt. Tranquilla correctio semper est utilis; & nonnumquam muta licet sit, magis est efficax. Opus est correctionem ab ipsa pietate proficisci. *Idem.*

Parentes in liberis educandis suæ potius voluptati, quam eorũ bono consulunt.

Inde raro ex paternis correptionibus filii proficiunt, quia patres propter se potius quam propter illos corripiunt; potius quia eorum flagitia parentibus incommodum afferunt, quàm quia cum filiorum sint conjuncta periculo. Quin correptioni admisceatur ratio, & benevolentia; ex ingenii libidine amantur, laudantur, puniuntur: quin ad virtutem amplectendam, eosque a vitiis deterrendos qua illecebris, qua minis excitentur; parentes illecebras, minasque adhibent, ut sibi unicè satisfaciant; atque ut generatim loquar, minus filiorum utilitas, quam propria spectatur voluptas. Alii eos in Collegia ablegant, quia domi nimis incommodi sunt, potius quam, ut ibi necessarias scientias ediscant; alii eos domi retinent, non enim putant filiorum educationem tanti esse, ut sumptus alioquin faciendos mereatur; vel quod illos inordinata dilectione complectuntur, neque pati possunt eos procul abesse. Filiorum utilitas unica esse deberet ratio in eorum institutione habenda: at genitores ut plurimum suam consulunt, & sequuntur vel commoditatem, vel inordinatum amorem; quamobrem filiorum bonum sæpe in ipsorum educatione potius tamquam simplex circumstantia, quàm vera ratio spectatur. Hæc sæpe causa parentes agit; qui hac quoque in re, uti in cæteris, seipsos tantùm inquirunt. Nullam fere rationem habent reformationis morum, eruditionis, ac profectus eorum rebus in omnibus, ubi sibi vim debeant inferre. Quæcumque illos docent, potius ad parentum libidinem, vel commodum, quam ad ipsorum officium referuntur. Tanta hac in re corruptio est, ut ipsos etiam maximè naturales hominum sensus inficiat. *Joannes Picus, libro qui inscribitur de Puerorum educatione.*

Parentes bonas malave filiorum suorũ qualitates cognoscere debent.

Cum filiis festivum adest ingenium, & lepos, plurimi negliguntur eorum defectus, ac novos etiam contrahere permittuntur, quibus toto vitæ suæ tempore mancipentur, quod liquidò persuadet, a patribus non sini, illos concinnos esse, ac facetos, nisi ut ipsi voluptate afficiantur, non ut illorum studeant utilitati. Videmus etiam mœrore affici parentes, ubi de filiorum suorum criminibus admonentur; ea enim scire volunt tantummodo quæ bona sunt, & laude digna. Attamen citra scelus effugere nequeunt, ut æque, & quæ bona, & quæ mala sunt in illis cognoscant, atque tantumdem ex eorum defectibus mœroris percipiant, quantum voluptatis ex bonis eorum qualitatibus hauriunt.

Parentes non semper filiis aperire debent, ea quæ de illis mala sciunt, neque lævam, quam de iisdem habent opinionem.

Ne significetis unquam filiis vestris, eos a vobis sceleribus omnibus audendis pares censeri, & vobis non deesse aliquam de illis suspicandi occasionem; Etenim ansa illis præberetis ad verecundiam, qua cohibentur, exuendam, si ob oculos eorum detegeretis ea mala, quæ vobis conantur abscondere; ac fortasse occasionem illis tribueretis eos induendi sensus, quibus aures adhibere noluerant præ pudore eos præseferendi. Quamobrem videamini semper ad æquius de illis judicium ferendum parati, tunc etiam cum vobis præbent occasionem lævum ferendi judicium. Curam gerite gloriæ eorum, donec licebit sine periculo defectus ipsorum dissimulare. Erubescentia, quam in illis ciebit bona opinio, quam illis tunc testabimini, cum eadem se indignos cognoverint; secreto illos torquebit supplicio, & proculdubio majorem vim obtinebit, ut illos ex flagitiorum suorum cœno educat, quam quæcumque monita, correptiones, ac minæ. *Idem.*

Validior ratio filios corripiendi, eorumque defectus redarguendi.

Si non frustra corrigere vultis filiorum vestrorum defectus, quos contraxerunt, ac prohibere, ne in eos relabantur, ne prolixos cum illis sermones habere instituatis, periculum enim adest, ne ab illis audiamini, ac censeamini nimii verborum amatores, ac pro vobis æque ac pro ipsis loqui cupientes, videlicet, ut & vestro corripiendi cachoeti satisfaciatis, & illos a scelere deterreatis. Paucis corrigendi sunt, quin perturbentur; ut ea quæ dixeritis, illorum animo inhæreant; sed ante cætera omnis evitanda est iracundiæ, aversi animi, atque cupiditatis corripiendi suspicio. *Idem.*

Ejusdem argumenti.

Humanæ quidem leges possunt vobis jus aliquod conferre in filiorum vestrorum substantiam; sed in eorum vocationem non aliud jus potestis habere, nisi christiano ritu illius faciendi periculum. Jam nocentes estis, ubi vel directè, vel indirectè eam perturbatis. Potestis nonnumquam in temporalium bonorum distributione aliquam præ vobis ferre prædilectionem; ac in hos magis, quàm in alios patrium amorem ostendere. Sed quod ad æternam salutem pertinet, neminem præferre fas est; nullum vobis hac in re prælationis jus esse potest, lex nulla vobiscum potest dispensare, factumque probare; majores natu minoribus minimè præstant, non secus ac minores majoribus umquam sunt anteferendi, ac vos æque utrisque patres esse debetis. *Idem.*

Filii ad Deum potius quam ad parentes pertinent, præ-

Parentes jam filios suos per Baptismum Deo devoverunt; jam pro illis dæmoni, peccato, mundo, & iis omnibus, quæ ad eumdem pertinent, renuntiatum est; ac illis patres, matresque lustra-

les

cipuè verò post Baptismum; iisque in ssei servitio alendi sunt.

les traditi sunt, qui pro ipsis respondeant. Hac illi conditione JESU CHRISTI Sanguine abluti sunt, & omnipotenti divinæ gratiæ virtute a dæmonis vinculis, sordibusque peccati expediti: Igitur ad Deum modò pertinent; parentum suorum fuere in priori illa generatione, quam ab ipsis receperunt; sed tunc erant filii iræ Dei, dæmonis, peccatique mancipia. Postquam favente Deo non sine mirabili infinitæ ejusdem miserationis effectu, alteram nacti sunt in Ecclesiæ sinu nativitatem, ac regni Cœlestis hæredes effecti, æquum est, ut ad Deum potius, Ecclesiamque pertineant. Dignatur tamen Deus illos rursus parentibus tradere, non ut rursus fiant Adæ filii, & mors illis instigatur per amorem sæculi, sed ut diligenter in cordibus eorum servetur gratia, quæ illos in oculis Dei puros efficit, atque ut eadem in ipsis augeatur usque in diem, quo illos repetere Deo libitum fuerit. Hinc inferendum, filios post baptismum a parentibus babendos esse tamquam pretiosissima pignora a Deo sibi credita, & quorum sedulam sunt rationem reddituri. Hoc citra infidelitatis crimen negligere nequeunt, neque citra nequissimam injustitiam de illis pro privata libidine disponere possunt. *Liber, cui titulus, Salutaria Matri monita pro filiorum educatione.*

Mala filiorum educatio, causa est corruptæ eorum adolescentiæ.

Hæc est communis adolescentiæ corruptæ causa. Plerique parentes negotiis hujus mundi altè demersi vacant; ut plurimum pleni sunt spiritus hujus sæculi, vel etiam gravioribus, apertioribusque flagitiis mancipati. Pares non sunt filiis pro Cœlesti gloria instituendis; ad hoc enim opus asset, ut contra propria lumina, ac naturale animi sui studium operarentur. Sæpissimè etiam ignorant præcepta illa, quæ in filiis efformare possunt Dei metum, atque pietatem; ideoque vel filii sibimet derelinquuntur, neque ulla ipsis traditur institutio; vel si quæ illis educatio præbetur, in fastu, vanitate, ambitiona, cupiditate enutriuntur; justa patrium exemplar formantur, ac ipsis caracter ille immittitur, quem patres maximè cupiunt, ut eos idolo hujus mundi aliquando sacrificent. Invigilabunt fortasse parentes filiorum suorum monbus, suavitati, corporis habitui, incessui; eosque docebunt, quomodo mundi gratiam aucupentur, ac omnibus se charos, ac amabiles præbeant; quod si quis hujusmodi qualitatibus careat; hic, ajunt, bellè inter monachos potest amandari. *Idem.*

Filii ab ipsa pueritia bonis imbui possunt institutis.

Potissima ratio efficiendi, ut filii in ea perseveent sanctitate, quam per Baptismum adepti sunt, est eosdem Religionis nostræ præceptis imbuere statim ac voculas aliquot proferre didicerunt. Si illa ætate pueri ediscere possunt nugas, & ineptias, uti docet experientia, in plerisque domibus, ubi patres, matresque blanda harum animularum simplicitate abutuntur, docentes ea reddere, quæ parum christiana sunt; nonne eadem facilitate, majori verò cum gloria, & utilitate optimis imbui possunt rudimentis, ut in tenellos hos agros semina virtutis jaciantur, uberrimum, ubi tempus aderit, fructum paritura? *Idem.*

Filii, ut plurimum mala parentum sequuntur exempla.

Cum filii parentes suos colant, ac vereantur, numquam facta eorum improbabunt; cumque per ætatem nequeant in patribus ea cognoscere, quæ colenda sunt; sæpe amant, ac laudant vitia, quæ in illis inveniunt, ac facilè in sensus eorum maxime periculosos transeunt. Puer in adeo tenera, ac infirma ætate nihil aliud efficere potest, Sanctus Augustinus ait, quam parentes suos intueri, ac cæcè illos imitari: ita ut mala corruptio, quæ latè toto in orbe grassatur, ex pravo proficiscatur exemplo, quod filiis suis tradunt parentes. *Idem.*

Maturatò filiorum licentia est coercenda.

Quam maximi potissimum interest non pati, ut filii statim initio magnam sibi arrogent licentiam, ne mox malum, quod sæpe ex tenui proficiscitur initio ita augeatur, atque confirmetur, ut medicinam ferre non possit; quemadmodum plerisque accidit, quibus parentes omnia licere volunt, donec tenelli sunt adhuc, & qui mox parentibus suis dominantur per illud licentiæ spiritum, in quo adolescere permittuntur. Maturatò igitur medendum est; & statim ac in illis minimæ affectuum prodeunt scintillæ, afferenda est medicina, vel lenitatis, vel severitatis, vel etiam supplicii, quam prudentia, & charitas loco, temporique aptiorem, utilioremque judicaverit. Mendacium, inobedientia, verbum inhonestè prolatum, ultio, injuria, aliaque id genus numquam sine aliqua pœna sunt negligenda. *Idem.*

Parentes in corde charitatem, atque lenitatem tueri debent corrigentes.

Parentes, qui filios suos summa charitate complectuntur, nonnumquam non irasci non possunt; alioquin enim suo deessent officio. Sed ira hæc sancta esse debet, quæ ratione regatur, Dei spiritu animetur, & quæ contra filiorum personam minimè succenseat, sed unicè contra defectus eorum, & vitia, quæ neque contemnere, neque palpare possunt, quin contra Dei, & proximi charitatem peccent. Medicos debent imitari, qui contra morbos irascuntur, ut ægro consulant; neque huic mœrorem afferre verentur, & malum, quod sentiatur etiam, inferre, ut longè majus vel avertant, vel evertant. Ita vera semper in corde lenitas servanda est, donec verba, factaque severitatem tantùm præseferant. *Idem.*

Modus a parentibus in filiorum correctione servandus.

Necessarium nonnumquam est violentis uti remediis ad malum aliquod, vel prævertendum, vel cohibendum. Sed non ita facile modus servatur; & qui excessum cupit effugere, in alium sæpe incidit perniciosiorem. In hunc impingunt scopulum plerique parentes, alii quidem hinc, inde alii; quod accidit, quia in familia regunda cupiditatem potius consulunt, quam rationem. Qui suopte ingenio ad severitatem proni sunt, inhumano rigore filios corripiunt; qui verò miriori ingenio sunt, ignavia, ac indulgentia filiorum interitum pariunt. Gratia, & charitas mirum in modum duplicem hunc modum conciliant, qui si separentur, perniciosi sunt, atque criminosi, si misceantur, salutares. Uterque igitur tertium constituunt, utriusque immixtione. Charitas, quæ est gratiæ effectus in corde, intrinsecus semper lenitatem tuetur; moderationem testatur in verbis, constans est in iis, quæ maximi sunt momenti, & nonnumquam etiam in suppliciis inferendis severa. Sed in illis tam parcè, atque sapienter se gerit, ut timorem concilier, & quamvis severa est, lenis videatur. *Idem.*

Parentes sæpe Deum pro filiis debent orare.

Parentes quotidie vota sua Deo nuncupare deberent pro peccatis, quæ filii committere possunt verbis, aut factis, vel etiam cogitationibus, & cordis sui desideriis ab officio recedentes, Sanctum Job imitari, qui *consurgens diluculò offerebat holocausta pro singulis; dicebat enim, ne forte peccaverint filii mei.* Hæc maxima illorum cura esse deberet, hoc potissimum studium, a Deo filiorum suorum sanctificationem expetere. *Idem.*

Job 1.

Matris præsertim officium in filiorum cura gerendo.

Sanctus Paulus testatur matrem familias salvam fieri debere per filios, quos in lucem ediderit, omnes industriæ suæ nervos contendens, ut illos in fide, charitate, sanctitate, ac vita frugi retineat. Alia quæcumque illi obsepta via est, neque alius ad Deum illi aditus patet. Omnem pietatem suam hac una in re debet statuere, neque aliud devotionis genus sibi magis necessarium arbitrari; quælibet enim devotio, quæ in hunc finem non tendat; saltem suspicione non caret. Omnia pietatis opera licet per se sanctissima, indiscretæ essent, ac inordinatæ devotiones matri, cui domesticæ rei cura est habenda, cui familiæ invigilandum est, cui optimus ordo ibi, vel servandus, vel statuendus, filii retinendi, & erudiendi; hoc enim illis maximè necessarium officium est, & ex quo de illius æternitate feratur judicium. *Idem.*

1. Tim. 2.

Cura, quam Parentes gerere debent filiorum suorum.

Si patres, matresque filios suos esse putarent quædam veluti deposita sibi divinitùs credita, non viderentur profectò, uti videntur, filii a parentibus mundi hujus amatoribus neglecti, qui ne quid

de

de luxu, & voluptatibus imminuant suis, deserunt desolatæ familiæ educationem. Væ tibi, sæve pater, qui ut fastum nutrias, filios bene natos in turpi otio languescere sinis. Væ tibi, inhumana mater, quæ ne ineptas voluptates tuas intermittas, innocentes liberos a nocentibus servis corrumpi permittis; uterque digni, ut secundum Prophetæ imprecationem barbarus creditor ea vobis eripiet bona, quibus indignè abutimini contra Providentiæ mentem, a qua vobis dantur filii. *P. Aurelianensis Tomo 1. Christiana Instructiones de Filiorum Educatione.*

Psal. 18.

De injusta filiorum prælatione.

Si parentes filios inspicerent tamquam pignora sibi a Deo credita, non solum ita derelicti non viderentur, sed neque tanta inæqualitate dilecti, quæ quidem in familiis causa est dissidiorum, & quæ patribus gravissima pariunt fastidia; quippe ut plurimum accidit, ut ab illis, pro quibus alios neglexerunt, terribili quidem, sed justo Dei judicio majorum in offeosa afficiantur. Ita parentes non omnes exhaurirent curas suas in primogenitis instituendis, qui præ aliis venustiori sunt corpore, ubi illis persuasum esset, omnes æquè sibi ab eadem Dei manu fuisse commendatos. *Idem.*

Pueri Christianæ Religionis præceptis sunt imbuendi.

Queritur Sanctus Augustinus, quod pater suus rationes omnes, quibus utebatur, ut illum ad studendum impelleret, ad eam cupiditatem unicè referret, qua illum a cæteris vulgò distingui cupiebat. Hoc quidem in Ethnico ferendum erat; at excusari ne potest Fidelis, nisi in filiorum suorum educatione alium sibi proponat finem, quàm filiorum suorum existimationem, id verò negligat, quod ad bonos, perfectosque Christi fideles efficiendos requiritur? Nisi illis Evangelica inspiret præcepta, eorum defectus corrigat, orientes affectus reprimat, atque de Religionis nostræ principiis erudiat? Ad hoc parvi animum advertunt, at de hoc aliquando judicabitotur. *Idem.*

Cavèdum, ne filiis malum præbeatur exemplū.

Vetus quidam auctor sapienter ajebat, maximam deberi pueris reverentiam; innuebat autem non solum illis inspectantibus ea non esse facienda, quæ illos imitari nolumus; Verùm neque illis audientibus ea esse dicenda, quæ non sine periculo audire possunt: nimis citò communis mundi corruptio hæc illis tradit documenta ipsorum innocentiæ perniciosa. Si enim pater imprudenti sermone hæc illa tradiderit, quomodo eorum effectus poterit inhibere? Frequens hæc auditur querela; vitium ætatem ipsam prævertere. Cor hodierna die neqnaquam magis corruptum est, ac olim; sed corruptio minus metuitur, & quin pueris præbeantur antidota contra adolescentiæ vitia necessaria, pueritia innocens ad adolescentiæ vitia disponitur. *Idem.*

Mala puellarum educatio.

Ab ineunte ætate novis vestium ritibus, ornatibusque examinandis assuetæ sæculi vanitatibus investigandis, spectaculis conquirendis, fabulosisque historiis perlegendis deditæ, ac in id unum curam, studiumque transmittentes, ut suo abutantur ingenio, atque pulchritudine ad fallendas animas; non aliam voluptatem habent quàm videri, ac videre, ac se bearas putant, si illecebris cor aliquod sibi captivare potuerint. Hinc illi immodesti oris habitus, qui ad id unum videntur inventi, ut castitatem jamjam labantem annuncient; hinc nimium liberi sermones, & licentiam redolentes; hinc vivendi ratio, quæ omni prorsus suspicione non caret. *Ex Manuscripto Sermone P. Stephani Chamillard.*

Parentum in educandis liberis negligentia.

Conjuges sæculi voluptatibus abditi, quærunt ne filiis suis documenta, atque exempla pietatis tribuere? Vix eorum vigilantia, ac benevolentia ad eorum salutem procurandam extenditur: levis primorum religionis rudimentorum doctrina omnem eorum occupat zelum; ac nescio utrum funestiora, certioraque hodie habeamus argumenta vitiorum, quæ Ecclesiam deformant, hac parentum in filiis sanctificandis ignavia. Inquieti, soliciti, ac seduli, ut illos mundi hujus moribus imbuant, ut eorum in terris felicitatem certam faciant, ne minimum quidem laborant, utrum eum dignitate fidelium caracterem gerant, ac æternam salutem suam operentur. Non satis est illis Dei legem infringere, vellent etiam scelerum suorum filios imitatores habere. *Liber cui titulus, Remarques sur divers sujets de Religion, & de Morale.*

Sævitia parentum filiorum suorum educationem negligentium.

Parentum filiorum educationem negligentium caracter nescio quid feritatis habet, quod non ita facile est verbis significare. Intelligi non potest, quomodo affectibus suis ita occupari possint, ut ab officiis suis maximè necessariis avertant; ut quomodo ambitione excæcati nonnumquam nullo habeant in discrimine ea, quibus nihil ipsis esse deberet antiquius: liquidò patet, si avaritia illis dominetur, hanc non passuram fieri necessarios sumptus, ut familia ad eas formetur exercitationes, quæ decent illam: Vix domesticæ rei curam gerere possunt, si voluptatibus abditi sint, ac noxiis vinculis retineantur: sed tandem summa licet sint eorum vitia, credere non possumus illos abjicere posse eos benevolentiæ sensus, quos in corde ipsorum erga filios accendit natura. Videntur nihilominus parentes, qui filiorum suorum amore ita parum moventur perinde ac illos minimè genuissent. Donec pueri rationis expertes sunt, eorum valetudinem curant, eosque patiuntur; at ubi optimis imbui possunt documentis, mœrore ex eorum intuitu afficiuntur; eos procul ab oculis amovere vellent; & ubi sævitiam suam colore aliquo linire possint, re ipsa illos amovent. Incredibiles sane videri nobis debent hæc animi aversio, & oblivio; humanitas aliquam semper charitatis scintillam fovet, quæ solidissimum est, ac maximè necessarium societatis præsidium. *Ibid. Tomo 2.*

Scelus patris scandalum filio inferentis.

Quodnam est, Auditores, parentis scelus, qui suam Christiani dignitatem dedecore afficiens, neque minus patris, quod gerit, nomine indignus, ipse filiis suis scandalum adfert, eosque suis corrumpit exemplis? Ipsius, quippe patris, erat illos religionis rudimentis imbuere; ipse verò e contra sermonibus impiis, imprudentibus saltem mysteriorum nostrorum irrisionibus, rerum sanctarum odio, & affectata oppositione ad ea quæcumque pietatis opera nuncupantur; verbo vita sua prorsus nefaria, ethnicoque homine digna illis suam licentiam, suumque impietatis sensum communicat. Ipsius, quippe patris, erat adolescentiæ eorum impetus coercere, ac vitia corrigere; ipse verò illa probat flagitiis longè fœdioribus, atque affectibus longe insanioribus, & nequioribus, ea ætate quæ provectior est, atque ab hujusmodi sceleribus longè remotior. Ipsius erat mores eorum castigare; ipse verò suis effusis in omnem intemperantiam libidinibus, quæ filiis exploratæ sunt, & quas eosdem celare ne conatur quidem, hanc sibi videtur delegisse provinciam illos in pessima quæque flagitia detrahendi. Ad quot autem parentes in Christiana religione caracter hic pertinet? Non satis est effrænata insanire licentia: sed ex mala institutione filiorum, fit impiorum soboles, & generatio; Parentes nullam in liberos habent auctoritatem, nisi ut efficaciùs illos in interitum impellant; patres eorum sunt, ut in illos sua vitia transmittant, ut illis suam ambitionem inspirent, ut illos suis implicent iniquitatibus, in hæreditatem malè parta eis relinquentes. Nonne præstitisset, Sanctus Chrysostomus ait, illos in ipsis suffocasse incunabulis? Si perhorrescimus infideles populos, qui barbara superstitione filios suos idolis mactabant; num minori in horrore habendi sunt, qui veri Dei contemptu, cui per Baptismatis gratiam filios devotos esse scimus, eos dæmoni hujus sæculi, quo obsidentur, sacrificant? *P. Bourdaloue in veris sermonibus suis. Sermone tertio adventus primi, ubi agit de Scandalo.*

Crimen Matrum mala filiabus suis exempla præbentiū.

Quam grave scelus est matris mundanæ, quæ cum in filiarum suarum persona educare debeat ancillas Dei, & sponsas JESU CHRISTI, ita cæca

est,

est, dicam melius, neque vobis hæ loquendi rationes nimis graves videantur, ita crudelis est, ut ex illis faciat dæmonis victimas, atque vanitatis mundi hujus mancipia; quæ simulans mundi scientiam docere, perditionis earum scientiam docet, atque exemplo suo omnia virtutis documenta subvertit, quæ alinquin verbis aptè novit explicare. Nam licet scandalum illis præbeat, jus etiam sibi arrogat illas erudiendi: & licet vita ejus criminis vel suspicione, vel etiam labe non careat, tamen quia mater est, filiabus suis morum præcepta tradere, & ab illis modestiam non cessat exigere. Eas sibi subjectas, docilesque esse vult donec emancipentur, & officiorum eorum, quæ maximè sunt necessaria, jugum excutiant. At quænam esse potest hujus zeli, etiamsi materni, virtus, ubi non confirmetur exemplo, vel potius ubi exemplo subvertatur. *Idem*.

Parentes sunt filiorum suorū pastores.

Sancti Augustinus, atque Chrysostomus parentes esse volunt totidem in familiis suis Episcopos, atque Pastores. Quemadmodum ergo Pastores, atque Episcopi juxta nominis vim indesinenter crediti sibi gregis curam gerere debent; ita parentes jugiter esse debent intenti familiæ suæ regundæ, cum hoc tamen discrimine, quod horum diligentia quodammodo major esse debet; quia filii sui, ita illis proximi sunt, ut noctu, ac interdiù illos in oculis habeant, ac omnium actionum eorumdem sint testes; cum e contra fieri minimè possit, ut Pastores semper eos videant, de quibus rationes sunt reddituri. Parentes vident filiorum suorum actiones magis communes, & mentem, qua fiunt, intuentur; nihil eorum, quæ ad filios pertinent, illos fallit, aut fugit; si modica utantur sedulitate, ac diligentia, minimos etiam cordis motus, minimasque sive in bonum, sive in malum propensiones possunt deprehendere. *Idem*.

Parentum negligentia in Christiana filiorum suorum institutione.

Spiritus Sanctus plures tradit regulas pro educatione filiorum; hoc enim in vita maximè necessarium est. Mundi hujus viri principes maximam sanè præseferunt curam, ut filii secundum genus suum instituantur; & videmus e contra, ubi filii per Baptismum facti sunt filii Dei, nullum laborem suscipi, ut illis procuretur educatio, quæ tantæ dignitati respondeat, quæ toto cœlo alia quæcumque major est, licet eam sensus minimè assequantur. Hinc fit ut imbecilles animæ facilè intereant, vel propter regiminis defectum, vel propter malos sodalium cœtus, quibus maximè patent; & sæpe vulnera primis illis annis accepta morbos afferunt cum ipsa vitæ diuturnitate victuros. Ii ergo, quos divina Providentia constituit honestæ, atque Christianæ educationis rectores, huic rei vacent, quemadmodum vocationem suam decet. Puta te esse quemdam veluti statuarium, filiosque tuos domi esse tamquam aurea simulacra singulis diebus lævigandа, & perficienda. Jugiter adlabora, ut illorum animas omni virtutum genere exornes. Si bene filium tuum educaveris; filius tuus aliquando bene suum educabit, & hic tuesus suum; atque ita fiet series quædam, & catena pietatis, atque virtutis, quæ cum a se duxerit initium, ad posteros tuos longe traducetur; & ex prima hac bonæ educationis radice plurimi eximii fructus existent. *Liber cui titulus, Regula Christiana pro Conjugio.*

Ejusdem argumenti.

Neque dixeris, adolescentiam coerceri non posse: si enim Sanctus Paulus vult curam hanc a viduis suscipi; quo magis eam gerere viri tenentur? Verùm malum omne ex patrum infirmitate, ac negligentia proficiscitur, quod a teneris usque unguiculis filios ad pietatem formare contemnunt. Parentes majori solicitudine adlaborant ut filii artibus, profanisque imbuantur disciplinis; nullum non movent lapidem ut vel in foro, ac Principis aula, vel in exercitu amplissimas illis obtineant dignitates; illis divitias congerunt; amicos comparant, omnesque industriæ suæ nervos contendunt, ut eos in mundo spectabiles reddant; at ne minimum quidem curant, ut amplum illis in aula cœlesti gradum obtineant, Regisque Cœli gratiam concilient. *Idem*.

Sæpe in patrum pœnā permittit Deus filiorum inobedientiam.

Parentes sæpe de filiorum suorum inobedientia, licentia, ac asperitate queruntur; sed sibi succenseant; ipsorum enim culpa est. Filii ut plurimum tales sunt, quales formantur; atque terribile est Dei in parentes supplicium, cum illis asperos durosque tribuit filios, qui eos summo dolore conficiunt. Ita cum patribus agunt filii, quomodo patres egerunt cum Deo. Illos non subjecerunt Deo, sanctum illius timorem inspirantes; ita non vult Deus filios parere, & obsequi parentibus, ut experientia docti eam injuriam intelligant, quam intulerunt Deo, ab illius obsequio creaturas illas avertentes, quas nasci voluerat, ut sibi famularentur. *Auctor recens, & Anonymus.*

ELEEMOSYNA.

Misericordia, & Charitas erga Pauperes.

MONITUM.



Rgumentum hoc, cujus tanta utilitas est, quanta ubertas, & copia, pertractantibus ita ab aliis, cum quibus rationem aliquam, nexumque habere videtur sejungendum est, ut cum illis nequaquam permisceatur, neque ultra propositos sibi cancellos egrediatur Orator. Divitiæ, sine quibus pauperibus opem ferre non possumus, ultrò sese offerunt cogitanti verba facere de ea Charitate, quam in ipsos exercere tenemur; hic enim optimus est usus, in quem possint converti. Avaritia quoque non longè a proposito argumento recedit; prohibet enim, ne quid de ingenti divitiarum atteratur acervo in pauperum sinum effundendum. Cæterum quemadmodum non uno tantum modo erogari Eleemosyna potest, omnia bona opera corporalia, quibus miseris possumus opitulari, hoc ipso titulo complectenda censemus. Ut igitur justus, rectusque hujus argumenti sermo instituatur, de aliis, quæ ad ipsum indirectè dumtaxat referuntur argumentis, latiùs verba facienda non sunt, nisi quatenus opus est ad obligationem, necessitatem, præstantiam, vel utilitatem Eleemosynæ explicandam, quæ & ipsa in Proximi Charitate continetur.

Hæc igitur collectanea vobis proponenti mihi illud unicè diligentissimè cavendum censui: quamobrem neque uberiùs loquar de usu divitiarum, neque de Avaritia, vel Charitate erga Proximum generatim, de quibus jam sermo fuit nobis, sed ex his omnibus loco tantùm attingam, quidquid ad Eleemosynam, immo etiam ad corporalem Eleemosynam pertinere videbitur: Spiritualis enim, cujus plures sunt species, & ipsa locum habet in fraterna correctione, zelo, &c. Quod si generatim accedis sermo

de

de utilitate, vel necessitate operum Charitatis, & Misericordiæ, hic circa eas tantùm versabitur, quæ sub Eleemosyna continentur, qualia sunt pauperes alere, vestes, tectumque illi præbere; verbo, quæ ad eorum egestatem recreandam inserviunt.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ Concionum hujus Argumenti Systemata.

I. Oc in argumento probari potest veteris illius circulatoris sententia, qui Sancto Augustino narrante, singulis se indicaturum pollicitus est, quod unum maxime ab ipsis cuperetur; videlicet, ut emerent parvo, & venderent magno. Tenet quidam Sanctus Augustinus hominem hunc errasse, pluribus enim in rebus contrarium docet experientia: sed quomodo hoc utilissimum fieri commercium possit per eleemosynam ostendere aggredior: 1. hæc enim ratio est maximo vendendi pretio ea, quæ pauci sunt æstimanda, quod primum erit Concionis punctum: 2. alterum verò; ratio minimo emendi pretio, quæ prorsus valoris sunt infiniti.

Punctum prius. Quod in eleemosynas erogatur, exiguum est; primùm enim divitiæ sæpe nihil sunt, ubi cum valetudine, existimatione, vita, immo & ipsa nostra voluptate comparentur; quandoquidem ad hanc assequendam illas in discrimen adducimus, vel saltem ad hunc finem eas destinamus. Opes inter bona postremum obtinent locum, & a sapientissimo quolibet nauci fiunt; earum quippe possessio nec meliores efficit, neque feliciores. Has autem impendimus, & in altera vita Cœlum, & in hac centuplum lucraturi. Ostendendum est autem, bona nostra, quin eleemosynis atterantur, auctiora fieri; cum Deo utilissimum fœnus institui, quo pro singulis centenos, millenosque argenteos lucramur; quantumvis exiguum sit, quod tribuimus, fieri magnum, ac pretiosum, ex quo vel Deo, vel propter Deum erogatur: a Deo ita eleemosynas æstimari, & aquæ scyphum magna mercede rependi, & id, quod in hoc mundo minimæ potest esse utilitatis, esse posse Cœli, afinitæque beatitudinis pretium. Secundò, bona, quæ conferimus, fluxa sunt, & peritura, quæ mortalium injustitia, ac vis eripere potest, & quæ mors aliquando certissimè eripiet; sed per eleemosynam in tuto ponimus illa ad æternitatem adipiscendam, &c. Tertiò bona sunt, quæ nos sæpe perdunt, ac magis perniciosa sunt, quàm utilia, sed in pauperes erogata nostræ con-
Prov. 6. sulunt beatitudini, ut loquitur Scriptura: *Redemptio animæ viri, divitiæ ipsius*. Quartò denique, & postremò hæc eadem bona ex parte pauperibus debentur; quæ enim superflua sunt, ad illos pertinent: attamen his fragilibus, noxiisque bonis, quibus Dei liberalitate donati sumus, cum eodem mercaturam facimus. Jure igitur nos hortatur Evangelium, ut boni simus mercatores. *Estote boni trapetitæ*. O felix commercium! Utilissima permutatio! Verùm est ea, quæ tribuimus, esse præsentia, & quæ nobis promittuntur, futura; at non ideo minus certum est, quemadmodum probaturi sumus, hoc utilius esse, & optabilius.

Punctum alterum. E contra verò hæc ea sunt, quæ in hac etiam vita per eleemoynam acquiruntur. 1. Hac cœli gratias, quarum infinitum est pretium, promeremur: hac salutis nostræ negotio consulimus; pauperes enim, quibus faciles aures præbet Deus, pro nobis preces effundunt; qui licet conticescerent, ipsa quam facimus, eleemosyna salutis ejusdem causam susciperet pro nobis perorans: *Et ipsa eleemosyna orabit pro te*. 2. Eleemosyna peccatorum nostrorum obtinet veniam, & juxta consilium, quod Regi Nabuchodonosor præbebat Daniel, redimit peccata, & Deo satisfacit pro pœna, quæ illis debetur. Hoc quotumcumque mundi hujus bonorum impendio nobis esset comparandum; attamen satis levi stipe illud acquirimus. 3. In hac ipsa vita judicis nostri gratiam promeremur, quem certi sumus æquam nobis sententiam laturum: *Venito benedicti Patris mei &c.* Matth. 25.

II. De Eleemosynæ præcepto ostendi potest.

1. Non aliud arctiùs obligare; obligat enim. 1. sub pœna damnationis æternæ: *Ite maledicti... Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare.* Matth. 25. 2. sub pœna maledictionis & Dei, & hominum in hac ipsa vita: 3. sub pœna jacturæ, excidiique bonorum omnium, quorum vel minimam partem pauperibus detrectamus.

Secundò: nullum pejus observari, neque plures excusationes, atque prætextus afferri, ut ab alio quolibet nobiscum dispensare velimus. Statum, fulgoremque nostræ dignitatis fovere cupimus; coacervare optamus opes, quibus & filiorum prosperitati consultum abundè sit, & nobismet ipsis in futurum tempus prospiciamus; ideoque in futurum ea reservamus, quæ præsenti supersunt &c. Tota pars hæc potest impendi in singulis prætextibus seorsim explodendis, ostendendo, nobis ea esse facienda, quæ pauperis necessitas exigit, ac petit Deus; quæ duæ rationes gravissimis quibuscumque prætextibus sunt anteferendæ.

III. Pro argumento assumere possumus provinciam ostendendi, quibusnam rationibus innitatur obligatio erogandi eleemosynas, ac probandi,

1. Nos quatenus homines naturæ lege teneri; ubi latior patebit campus disserendi de sævitia, & crudelitate eorum, qui similibus sibi opem, præsidiumque afferre detrectant.

2. Quatenus Christianos teneri lege divina, ac præsertim Evangelica; Charitas enim erga proximum ex præcipuis officiis est, quæ Religiosos doceat; & Dei Filius dignatur tamquam sibi collata rependere, quæcumque illi contulerimus.

3. Quatenus Peccatores tenemur obligatione, quam post se trahit peccatum satisfaciendi, ac pœnas pro patratis sceleribus luendi. At ex præcipuis veniæ peccatorum nostrorum obtinendæ, eorumque expiandorum rationibus est eleemosyna.

IV. Tres in Scripturis maledictiones deprehendimus divitiis affixas propter malum usum, in quem ab hominibus vulgò impenduntur: videlicet, 1. Maledictionem iniqoitatis; quia sæpius injustæ sunt, & nocuæ, seu quod per scelus partæ sunt, seu quod ultrò impellunt in scelus. 2. Maledictionem sterilitatis; justo enim Dei supplicio sæpe in tempore, semper verò pro æternitate inutiles sunt; & perpaucæ voluptates æquè sunt inanes, & vacuæ. 3. Maledictionem fragilitatis, ac brevissimæ diuturnitatis, quemadmodum per Regium Prophetam Deus minitatur. Atqui una potest eleemosyna triplicem hanc divitiis maledictionem auferre, atque in totidem oppositas benedictiones immutare, bonum bonorum possessionem efficiens

1. Sanctam, justam, & innocuam, hoc pacto iniquitatis auferens maledictionem;

2. Utilem, & proficuam, pro hac, alteraque vita, quod sterilitatis maledictioni adversatur;

3. Permanentem, efficiens, ut hæc augeantur bona, vigeant, & ad possidentium posteros transmittantur: ita ut in temporalem quoque benedictionem tertiam hanc fragilitatis maledictionem convertat, quam videtur Deus singulariter iis affixisse divitiis, quæ in pravum usum vertuntur. Nam divites misericordia carentes vel opum finem

ante vitæ suæ exitum conspiciunt, vel eas hæredibus dissipandas relinquunt; dummodo per lites post possidentis mortem obortas illas ex asse possidere potuerint.

V. Triplex est causa, propter quam Fidelium plerique eleemosynæ erogandæ inevitabile præceptum non servant; vel potiùs, Tria sunt personarum genera, quæ vel eleemosynam non erogant, vel illam erogantes non ea id ratione præstant, qua necesse est.

Primum. Alii eam negligunt, quia se ad eamdem minimè teneri arbitrantur; ita error hujus noxiæ negligentiæ causa est, quia pauperibus opem ferendi obligatio præceptum est, a quo dispensari non possunt, quibus id per vitæ hujus commoda facere licet; & nemo est, quem hoc toties repetitum mandatum fallere possit. Obligationis hujus argumenta punctum primum explebunt.

Secundò. Alii se ipsos excusant, atque dispensant per avaritiam; Quibus ostendendum est, eleemosynam utilissimam esse ad temporalia quoque bona adipiscenda; eamque super illum, qui alacri, & læto animo largitur pauperibus, divinam effundere benedictionem; itaut ejus substantia augeatur, & multiplicetur.

Tertiò. Plerique eorum, qui eleemosynas erogant, illius meritum prava intentione corrumpunt, vel non eas servant conditiones, quæ ad hoc, ut sanctæ sint, requiruntur; quæ hæ ferme sunt; ut videlicet per charitatem fiat; ex iis, quæ ad nos, pertinent, & eo tempore, quo maximæ utilitatis esse potest.

VI. Divites pro pauperibus sunt, & pro divitibus pauperes; hunc ordinem constituit Deus, qui voluit, ut divites pauperibus afferrent opem, & pauperes divitum utilitati studerent. Hinc duplex oritur veritas Concionis partitionem constituens.

Altera quidem eleemosynæ respicit obligationem. Divites, eleemosynam erogare debetis, qua pro pauperibus estis divinæ Providentiæ supplementa, bonorum eorumdem admninistratores, ac tutores ipsorum &c.

Altera verò ejusdem respicit utilitatem. Eam erogare debetis, quia sine pauperibus, quid vobis esset profuturum? Quis pro vobis laboraret? quis vos aleret? &c. Cum verò per summam rerum inopiam hoc præstare minimè possunt, nonne interest vestra facere ut possint; & ubi sub onere ceciderint, assurgant; curam gerere eorum, quorum opera uti non possumus, ne illis etiam, quorum utimur, graves sint? &c.

VII. Pauperibus eleemosynam erogare tenemur.

1. Ex justitia, quamobrem Scriptura eam debitum vocat. Hujus rei afferendæ rationes sunt, ac ostendendum, quo jure ea, quæ ex redditibus nobis supersunt, illis debeantur.

2. Ex gratitudine ob ea beneficia, quibus a Deo cumulati sumus; ideo sacer Textus eam sacrificium appellat, præcipitque, ut Deum ex substantia nostra oremus; cujus non in persona sua, sed in pauperibus indiget JESUS CHRISTUS.

3. Ex Charitate; quandoquidem hoc titulo eam erogari Dominus jubet, & plerumque legem Charitatis erga proximum explere non possumus, nisi actu fratri laboranti opem feramus.

VIII. Tria considerare possumus, quæ nos ad eleemosynam rite erogandam debent impellere.

1. Dei mandatum, & quàm arctè illud obliget.

2. Rationes, propter quas est eroganda; non enim satis est adimplere legem, nisi ea ratione fiat, qua jubemur.

3. Regulæ in eleemosynarum nostrarum distributione observandæ; quandonam, quomodo, & quibus danda sit eleemosyna; quænam personæ aliis anteferendæ; quibus necessitatibus potissimum opitulandum, &c.

Hæ tamen regulæ considerari possunt, quatenus referuntur ad rationem, finem, ac præcipuam utilitatem, quam ex eleemosyna percipimus, necnon ad illius, cui erogatur, egestatem. Cum enim propter Deum erogetur, secreta esse debet, juxta Salvatoris consilium: *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera*; nisi boni exempli ratio aliter postulet. Matth. 6.
Cum eleemosynæ finis sit aliquod afferre solatium proximorum necessitati, par esse debet, & eorum egestati, & facultati nostræ. Tamdem cum præcipuus ejusdem secundum Scripturas effectus sit, peccata nostra redimere; hilari, magnoque animo eleemosyna est eroganda.

Ostendi ea possunt in duplici parte Concionis officia, quæ pauper, ac dives sibi ultrò, citroque præstant, eleemosynis, quas alter quidem recipit, alter autem impertit. IX.

1. Pauper plurimum confert divitis incolumitati per eas gratias, & beneficia, quæ precibus suis in præsenti, futuraque vita obtinet a Deo, propter opem sibi a divite allatam.

2. Dives vicissim pauperis studet incolumitati, cujus egestatibus opitulatur; quæ res prohibet, ne de divina conqueratur Providentia, ac sæpè ne in omne scelus ruat, ut duræ necessitatis squalorem abjiciat.

1. Eleemosyna vitæ hujus bona multiplicat, & facit auctiora. X.

2. Cœlorum possessionem faciliorem efficit, atque tutiorem.

Prima Propositio. Eleemosynam erogare jubemur; ostendendum est, cuinam rei præceptum hoc innitatur; videlicet Dominio Dei, cujus sunt, quæcumque sunt nostra, & quem de nostra substantia honorare debemus; ac mox etiam proximorum necessitati. XI.

Propositio altera: Quænam sit eleemosynæ materia. Quia Præceptum hoc vagum, & indeterminatum non est, certa etiam illius esse debet materia. Igitur ex iis, quæ ex nostris bonis superfluunt, & nonnumquam etiam ex iis, quæ sunt necessaria, in eleemosynam debemus impendere.

Propositio tertia. Quis ordo in eroganda eleemosyna servandus. Licet enim eos omnes juvare debeamus, qui indigent, non desunt tamen pauperes, quorum rationem diligentius habere, & possimus, & debeamus. *Ex Sermone Patris Bourdalove.*

Ad excitandos fideles, ut munere adeo necessario, justoque perfungantur, quale est elemosynæ erogandæ obligatio, illis hæc ipsa obligatio proponi potest tamquam tribus generalibus Christianæ Charitatis officiis innixa, quæ totidem sunt validissimæ causæ, quibus hoc præstare tenentur. XII.

Primum est amor, quem proximo debemus, & qui adeo explicite nobis imperatus est.

Alterum nostrum est erga Deum debitum, qui in pauperum persona hanc petit eleemosynam.

Tertium denique est amor, & charitas, quam nobismet ipsis debemus; etenim per eleemosynam infinitas utilitates percipimus. *Auctor Sermonum in omnia Ethica Christiana Argumenta. Sermone ultimo Adventus.*

Eleemosynam impertire jubemur; qui verò ex iis, quæ sibi supersunt, pauperibus opem tribuere detrectat; hic XIII.

Primò, Peccata contra Dei Providentiam; ita enim bonis utitur contra Dei mentem, a quo illa recepit; & qui ideo affluenter ea confert divitibus, ut hi pauperibus eadem impertiant.

Secundò, Peccat contra Dei Misericordiam; Proximorum malis non tangitur, quem miserationis sensum voluit Deus non solum inter præcipua, verùm etiam inter tenerrima nostræ Religionis officia recenseri. Quomodo autem posthæc malorum suorum Deum sperare poterit miserturum?

Tertiò, Peccat etiam contra justitiam; cum enim opes sint iniquitatum vel nostrarum, vel parentum nostrorum fructus; eas omninò possidere non possumus, nisi iniquitati cumulum adjiciamus. *Sermo de Eleemosyna, Flechier.*

Quæcumque pertinent ad Fidelium erga paupe- XIV.
res

res obligationem ad tria potissimum redigi possunt, quæ Dei Filius præstitit, cum ingentem illam populi multitudinem, quæ ipsum in desertum secuta fuerat, quinque panibus saturavit; quæ videlicet fuere, populi necessitatem cognoscere, ea tangi, eamque præsenti ope recreare.

1. *Cum sublevasset oculos Jesus*. Oculos circumegit undequaque ut esurientis populi necessitatem prospiceret; qua in re ostendi potest, satis esse non debere, si Fidelis egenorum, qui sese offerunt, opemque implorant, necessitatibus consulat; sed inquirendas esse, & ultrò cognoscendas illorum egestates; adeunda nosocomia, invisendos carceres, detegendam eorum, qui emendicare erubescunt, inopiam; investigare id, quod ubique est, sed non videtur, nisi attentiùs inspiciatur: *Beatus, qui intelligit super egenum, & pauperem. Psalm.* 40.

2. *Misereor super turbam*. Debemus pauperum calamitatibus affici; malorum eorumdem misereri, & eorum infelicitatibus condolere. Ideo eleemosyna *Misericordia* vocatur; neque ullus est hoc Christiano dignior sensus; quemadmodum nihil magis invisum Deo, & hominibus est, quàm cor durum, atque inflexibile erga mala eorum, quibus non alius finis est, quàm cæteris, qui sæpe majori sunt apud Deum in pretio, & semper sunt ejusdem naturæ.

3. Manus tandem aperiendæ sunt, ut pauperibus subveniatur, quod illa innuunt verba; *Distribuit discumbentibus*: hoc est, satis esse non debet sterilis misericordia, sed requiritur etiam, ut quà curis, & sollicitudinibus nostris, quà bonis, opibusque feramus auxilium.

XV. Divitum in pauperes duritia causa est interitus, æternique excidii horum hominum omni lenitatis, & miserationis sensu carentium, duplici ex causa, quæ duplicem concionis partem potest efficere.

1. Sibi auferunt magnum salutis suæ adminiculum, quod statui, infirmitati, & conditioni ipsorum accommodaverat Deus; videlicet eleemosynam, & solatium pauperum.

2. Positivam suppeditant Deo causam ipsos reprobandi; misericordiæ quippe defectus in divite, hunc indignum efficit divina Misericordia, & dignum quibuslibet severissimis divinæ justitiæ, atque vindictæ suppliciis. *Biroat sermone pro feria quarta post tertiam Quadragesima Dominicam.*

XVI. Tenentur Divites eleemosynam erogare; 1. ex Religione erga Deum, ut hoc veluti tributo illius fateantur potentiam, & ut divinæ Providentiæ ordinem sequantur hoc munere perfungentes; Deus enim in hunc finem illos opibus cumulavit.

2. Ex Charitate erga Proximum, cui opitulari debemus, qui nobis conjunctus est naturæ, & gratiæ vinculis, & qui nobiscum simul eadem gloria perfruiturus est, nisi nosmet ejusdem societate indignos præbuerimus.

3. Ex Pœnitentia erga nos ad præterita expianda scelera, ad præsentia delenda, ac futura prævertenda. *Idem in Adventu. Sermone* 14.

XVII. Eleemosyna duplex, illudque sanctum fœnus complectitur; prius quidem pro Cœlestibus, posterius pro hujus quoque terræ bonis; quod duplicem suppeditat propositionem, quæ in Concionis partitionem possunt assumi.

1. Eleemosyna ad æternitatis acquirenda bona via est expeditissima.

2. Eleemosyna ad terrenas adipiscendas opes via est tutissima. *Abbas de Breteville in libro, cui Titulus Essais de Sermons, Tomo 2. Quadrag.*

XVIII. Plerique Fideles, ut ab eleemosynis erogandis seipsos dispensent, duas potissimum afferre consueverunt excusationes. Alii se nequaquam teneri dicunt, alii non posse, quia, unde illas erogent, sibi non suppetit. Ut utrisque omnis excusatio auferatur, duo illis sunt ostendenda.

1. Debere illos pauperibus opem ferre; hoc præceptum esse a Deo iis omnibus irrogatum, quibus terræ hujus bona elargitus est.

2. Illos hac, vel illa ratione facilè posse.

Quod ad priorem pertinet propositionem, eleemosynam videlicet esse erogandam: 1. hoc præceptum naturali innititur juri; hæc enim lex est, quam cordibus nostris insculpsit natura, & cujus vocem suffocare non possumus, quin omnem humanitatem protsus abjiciamus. Docet autem hæc lex pauperem, quantumvis miser ille sit, nobis similem esse; nihil illi de esse eorum, quæ nobis adsunt, præter hæc fortunæ bona, quæ illis genus negavit suum, vel quæ hominum eripuit iniquitas. Profectò nisi vim inferre velimus secretæ huic propensioni, quam cordibus omnibus impressit natura, nostrum simili negare eam, quam debemus, opem minimè possumus. Hæc prima ratio est, propter quam divites eleemosynas erogare tenentur, lege naturali irrogata; quæ licet merè humana sit, atque supra naturam se minimè attollat, adeo tamen est valida, ut idem Spiritus Sanctus eadem uti dignetur tamquam aptissima ad humanum cor permovendum, ac in nobis miserationis sensus erga omnes egenos ciendum. 2. Debitum hoc non naturali tantum innititur legi, verùm etiam divinæ, ac positivo mandato; quod primum quidem in alio generali continetur, quo Proximum tamquam nosmet amare jubemur, & quod idcircò eleemosynæ præceptum complectitur; deinde verò seorsim in alio peculiari præcepto explicitis verbis mandatur: *Propter mandatum assume pauperem*. Quam- *Eccli.* 29.
obrem Sanctus Paulus Timotheum discipulum admonuit, ut Dei verbis divitibus præciperet, ut eleemosynæ erogandæ, tamquam non extremo inter Fidelium officia munere perfungerentur: *Præ- 1. ad Tim.* 6.
cipe divitibus facile tribuere. 3. Eleemosynam exercere debemus, hoc enim tributum est Deo debitum, ut illius supremum imperium, ac in omnia bona nostra dominium testemur: *Honora Domi- Prov.* 3.
num de tua substantia. Tributum hoc supremo debetur Domino, qui non solum seipsum in pauperum persona statuit, manibus eorum illud recepturus; sed qui præterea illos in sua jura authentica cessione substituit, sibi id fieri professus, quæcumque bona iis facta fuerint. Hinc sequitur eleemosynam esse debitum, quoniam per hanc cessionem a Domino juris sui factam, pauperum facti sumus debitores. Novi equidem, o divites sæculi, vos audacter debitum hoc negaturos, atque affirmaturos, nullum produci titulum posse, nullamque rationem, qua pateat, vos illis esse obæratos. Nullus, fateor, coram humanis judicibus produci titulus potest; sed coram Deo hæc est obligatio: *Declina pauperi aurem tuam, & redde debitum Eccli.* 4.
tuum. Quid autem debeo? pecuniam, quam immodicè in ludos, aleasque inutiliter impendis; quam in superbis conviviis, magnificis vestimentis, superfluis ornatibus effundis; ut me verbo expediam, pecuniam cui parcere posses, quin vel familia tua ullum detrimentum perciperet, vel aliquid apud honestos viros nominis tui fama pateretur.

Propositio altera, nos videlicet facile posse hoc munus explere, aliqua indiget explicatione. Quomodo enim generalis esse potest, quandoquidem plurimi sunt, qui tantùm abest, ut eleemosynam erogare possint, quod immo necessitate coacti illam emendicare tenentur? At operosum non est palam ostendere, non divites tantùm, qui pressiùs loquendo ea solùm erogare tenentur, quæ sibi in communibus superfluunt necessitatibus, & partem eorum etiam, quæ sibi sunt necessaria, ubi extrema necessitas adsit; verùm pauperes etiam rerum omnium egenos facile posse hoc officio perfungi, & pro modulo suo eleemosynam facere, non quidem de bonis suis, sed de labore, operaque sua, aliisque pluribus rationibus, quibus similibus sibi possunt opitulari, ubi necessitas vocet, qui si veræ charitatis spiritu hoc fecerint, hi erunt veluti

duo illi Evangelicæ Viduæ oboli, qui Deo tantopere accepti fuerunt & ditissimorum etiam largissimas eleemosynas superarunt.

XIX. Per occasionem Evangelii, ubi panum quinque multiplicatio narratur; Exemplum Misericordiæ Domini damnatio est illius, quam plerique divites pauperibus negant. 1. Ejus præveniens misericordia, qua laborantis populi necessitatibus prospicit, feras divitum damnat eleemosynas.

2. Magnifica illius Misericordia modicam eorum stipem condemnat, qui pro divitiarum suarum magnitudine non elargiuntur.

3. Misericordia ejus cum humilitate, ac modestia in omnibus actionis hujus circumstantiis conjuncta, superbas, atque ambitiosas divitum eleemosynas perstringit.

XX. Inhumanitas, & avaritia duo vitia sunt plerumque omnem miserationis erga pauperes sensum suffocantia. Inhumanitas non patitur, ut alienis afficiamur incommodis; avaritia verò efficit, ut propria tantummodo commoda consectemur. Hi duo christianæ charitatis inimici eò creduliores sunt, quò frequentiùs divitias concomitantur, quæ unicè solatium indigentibus possunt afferre. Ut ergo malum hoc stirpitùs contendam evellere hoc in sermone & inhumanitatem, & avaritiam persequar, eæque duæ erunt concionis meæ partes; quarum altera aperiet obligationem, qua divites avari eleemosynam erogare tenentur; altera verò utilitatem, quam ex eleemosynis illi percipere possent, qui alienis non moventur calamitatibus. *Hoc est argumentum Patris la Pesse, ab eodem duplici concione seorsim tractatum.*

XXI. Eleemosyna apertissimum est prædestinationis indicium, quod in hac vita haberi possit, & nota est moraliter certa salutis eorum, qui ultrò alienæ paupertatis miserentur. Triplex ratio & veritatem hanc confirmabit, & sermonem partietur.

Prima est; Cum enim Prædestinatio, Sancto Augustino teste, non aliud sit, quam præparatio beneficiorum, hoc est gratiarum, per quas certissimè salvi fiunt illi, qui a Deo iisdem aucti fuere; per eleemosynam eas promeremur, & eleemosynis illæ promissæ sunt; unde sequitur, affectum, quo egenorum miseremur, & opem, qua eosdem reficimus, signum esse, atque indicium, quod præparaverit Deus gloriam iis, qui faciunt eleemosynam; quandoquidem illis validum hoc suppeditat adminiculum, quo supernam felicitatem sibi valeant comparare.

Ratio altera, quæ altera est hujus veritatis probatio, hæc est, quod quemadmodum mors in statu peccati cumulum addit nostræ reprobationi, & e contra sancta mors in gratiæ statu, nostræ prædestinationis negotium concludit finali perseverantia, quæ meræ Dei misericordiæ munus habenda est; inæstimabile hoc beneficium quodammodo eleemosynarum piæ exercitationi inhærere videtur: *Beatus, qui intelligit super egenum, & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.* Psal. 40.

Tertia denique. Cum enim gloria, æternaque beatitudo sit Prædestinationis complementum, & finis, quodnam tutius indicium esse potest gloriæ hujus obtinendæ, quam JESU CHRISTI promissio, recipientis iis, a quibus in persona pauperum altus, refectus, adjutusque fuerit, Æterni Patris sui Regnum esse paratum. Cum enim supremus hic Judex æternis illos ignibus adjudicabit, qui eidem opem ferre detrectaverint, videlicet qui pauperum misertì non fuerint, remunerabitur ea, quæ a misericordibus acceperit beneficia, eosque invitabit in gloriæ suæ partem, tamquam mercedem æquissimo jure quæsitam.

XXII. Pro Concionis argumento, ac partitione tres aliæ assumi possunt Prædestinationis notæ in iis, qui egenis opitulantur.

1. Si Operum Misericordiæ exercitatio tutissima via est ad misericordiam Domini adipiscendam, quemadmodum ipse Dei Filius testatur: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*; Eleemosyna, quæ ipso misericordiæ nomine nuncupatur, principemque inter charitatis opera locum tenet, nonne habenda est tamquam apertissima Prædestinationis nota, quandoquidem cogit Deum, ut illam exerceat cum iis, qui eamdem cum pauperibus, dicam melius, cum ipso exercuerint? Se enim in pauperum persona constituit, atque sibi fieri putat, quæcumque pauperibus fiunt; Si igitur nequaquam ambigendum est, quò minus ad propositum sibi finem perveniat, qui eam arripit viam, quæ illuc adducit; & si facinus aliquod nobis e voto cessurum credimus, ubi ea non desint adminicula, per quæ votorum summam consequi possumus; quinam aliter judicabit de eleemosyna, per quam coram Deo misericordiam invenimus? *Eleemosyna facit invenire misericordiam.* Tob. c. 4. Quid autem est invenire apud Deum misericordiam, nisi in prædestinatorum album referri?

2. Per eleemosynam, aliaque Misericordiæ opera sumus Patris Cœlestis Filii, & ab eodem in hac qualitate engnoscimur: *Estote misericordes sicut & Pater vester misericors est: ut sitis filii Patris vestri, qui in Cælis est.* Luc. 6. Matth. 5. At si misericordes sunt Omnipotentis filii, nonne indicium est, vel potius illatio necessaria, illius etiam hæredes esse; & eamdem ob causam Electos, & Prædestinatos?

3. Magnum est, ac certissimum Prædestinationis indicium, si similis sis Salvatori, qui Prædestinatorum omnium est princeps, & caput. *Quos præscivit, & prædestinavit Deus conformes fieri imaginis Filii sui.* Ad Rom. 8. At quisnam illi potest esse similior, vel propiùs imitari eum, qui noster protorypus est, & esse debet actionum nostrarum norma, quam qui opera Misericordiæ spiritualia æque, ac corporalia, erga pauperes præsertim exercet?

XXIII. Eleemosyna considerari potest quatenus refertur ad Deum præcipientem, ad pauperem recipientem, & divitem eamdem erogantem.

1. Quatenus refertur ad Deum, præceptum est sub æternæ damnationis pœna nos obligans.

2. Quatenus ad pauperem, est charitatis, & miserationis officium.

3. Quatenus ad divitem actus est pœnitentiæ, & satisfactionis.

XXIV. 1. Dei Filius quidquid validius erat, adhibuit, ut nos ad eleemosynam erogandam excitaret.

2. Nihil infirmius est excusationibus, quas prætexunt divites, ne eleemosynas erogent.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia possit ad propositas sermonum structuras elaborandas.

Sancti Patres. SAnctus Augustinus infinitis propemodum in locis de Eleemosyna sermonem instituit. Hi verò præcipui sunt.

Librum edidit, cui titulus *de Eleemosyna*, quem quidam S. Cypriano adscribere malunt; ideoque inter hujus etiam Opera invenitur.

Idem in expositione Psalmi 44. hæc explicans verba: *Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis.*

Idem in expositione Psalmorum 32. 42. 51. 75. 90. 125. 146. 147.

Idem libro *de decem Chordis cap.* 12. ubi eos refellit, qui eleemosynam sibi non esse erogandam putant, quod filios habent, quibus est consulendum.

Idem *in Enchiridio cap.* 77. fusiùs eorum illusionem refellit, qui in suis confidunt eleemosynis, & illis freti nequissimam vitam traducunt.

Idem in libro *de Disciplina Christiana cap.* 76. de illis adhuc verba facit, qui magnum filiorum prætexunt numerum, ut ab eleemosynis elargiendis abstineant.

Idem in libro 50. Homiliarum plurima habet præstantissima; præsertim verò homil. 6. 13. 27. 29. 39. 42. 47. 48.

Idem *lib.* 2. *de Serm. Dom. in monte cap.* 5.

Idem *lib.* 21. *de Civit. Dei cap.* 27.

Idem in sermonibus Communibus 23. & 24.

Idem in sermonibus *de Verbis Domini* 5. 25. 30. 41.

Idem Tractatu *de Misericordia.*

Idem *Sermone* 22. *de Verbis Apost.*

Sanctus Hieronymus Epist. 30. *ad Oceanum*, ubi eas recenset eleemosynas, quas illustris Fabiola erogabat.

Idem *Prov. cap.* 3. ea explicans verba: *Honora Dominum de tua substantia.*

Idem in caput 13. Proverbiorum.

Idem Epistol. 151. *ad Edibiam*, ubi rationem præscribit, qua Vidua nullos habens filios eleemosynam erogare tenetur.

Sanctus Ambrosius *lib.* 1. *Offic. cap.* 11. latiùs differit de eleemosynæ utilitatibus.

Idem cap. 30. ibidem ordinem, modumque præcipit, quo eleemosyna est eroganda.

Idem cap. 31. libri ejusdem docet per eleemosynam gratias Deo esse referendas beneficiorum, quibus ab eo cumulamur.

Idem lib. 2. ostendit, quidquid effutiant homines, ab eleemosyna eroganda non esse cessandum.

Idem, libro de Viduis aliquot rationes adfert, propter quas est eroganda.

Idem in Expositione loci illius in Ecclesiastico: *Sicut ignem extinguit aqua, ita eleemosyna extinguit peccatum*, explicat, quomodo peccata per eleemosynam deleantur.

Idem Sermone 39. de Jejunio, & Eleemosyna eorum excusationes refellit, qui publica prætexunt onera, ut secum ab illa exercenda dispensent.

Idem Sermone 81. de divite Evangelico ad eleemosynam faciendam hortatur, & contra illos invehitur, qui opes in eleemosynas depromendas in spectacula, aliasque id genus pompas profundunt.

Idem *lib.* 2. *de Abrahamo* de hujus Patriarchæ hospitalitate verba facit.

Idem *lib. de Nabuthe Israelita cap.* 13. loquitur contra eos, qui in supellectili sua sunt magnifici, & pauperes negligunt.

S.S. Maximus, & Chrysologus aliquot habent Homilias de Eleemosyna.

S. Gregorius Nazianzenus orationem elucubratus est de charitate erga egenos habenda.

S. Clemens Alexandrinus 4. *Stromatum.*

Origenes *lib.* 2. *in Job* illa Ecclesiastici explicans verba: *Beatus vir, qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia thesauris.*

S. Basilius *Tom.* 1. *Homil.* 6. valdè locupletes hortatur ad eleemosynam erogandam, nullamque prætermittit rationem, ut illos impellat.

Idem *Homil.* 7. contra divites avaros.

Idem *Homil.* 8. sumpta occasione ex gravissima annonæ caritate, qua Cæsareæ laborabatur.

Idem *Homil.* 2. 13. *&* 23. *in Ditescentes*, ubi ostendit, quam nocentes ii sint, qui eleemosynam facere abnuunt, eamque differunt in mortem.

S. Chrysostomus in omnibus ferè Operibus suis verba facit de Eleemosyna; præsertim verò in Homilia 35. in Genesim; Homilia 55. in Psalmum 95. Homilia 7. in S. Lucam, quæ secundus est Sermo de Lazaro; in Homilia 24. in Joannem; & 22. in Acta Apostolorum.

Idem Homiliis 11. & 14. in Epistolam S. Pauli ad Romanos; 10. in primam ad Corinthios, & 21. 30. 34. in eamdem Epistolam.

Idem Homilia 6. in secundam ad Timotheum Epistolam; 32. in Epistolam ad Hebræos: sermone 21. in Epistolam ad Romanos; Homilia 5. de Pœnitentia.

Idem in Homiliis, vel sermonibus ad Populum Antiochenum 2. 39. 40. 67.

Idem in Exhortationibus post Explicationem Evangelii Sancti Matthæi 4. 20. 33. 45. 50. 52. 67. 72. 77. 85. 88.

Ascetici. Granatensis amplum hac de re edidit tractatum.

Idem *in Peccatorum Duce lib.* 2.

Franciscus Arias *p.* 2. *Thesauri Tract.* 6.

Petrus Canisius *p.* 4. *cap.* 20.

Petrus Sanchez *in Regno Dei p.* 6. *cap.* 4.

Josephus Mansi *Tract.* 57. *in Discursibus Moralibus.*

Hieremias Drexellius in variis Tractatibus, *David*, *Tobias* &c. præsertim verò in eo, cui titulus *Gazophylacium Christi*, ubi collegit, quæcumque hac de re invenire potuit.

Thiers Parochus vici, cui nomen *Champrond* integrum edidit librum inscriptum, *Advocatus Pauperum*, ubi ostendit potissimum ab illis, qui Ecclesiasticis aucti sunt Beneficiis, Pauperibus opem esse ferendam.

Moralis Christiana in *Pater lib.* 6. *sect.* 1. *art.* 5. ubi Auctor aliquot Sanctorum Patrum adfert sententias, & gallicè effert plurimos, eosque prolixos, pulcherrimosque illorum locos.

Bartholomæus de Carranza egregium edidit tractatum de Eleemosyna; & de Sancta Martha Præsbyter ad calcem tomi secundi Operum suorum.

Tot Ascetici hoc pertractarunt, ut difficile æque ac molestum sit omnes recensere.

Granatensis duplici sermone pro Octava post Pentecosten Dominica. Concionatores Nuperi.

Faber Sermone pro quarta Quadragesimæ Dominica.

Idem Sermone in S. Matthæum.

Flechier Sermonem edidit de eleemosynæ erogandæ obligatione, & aliquot adhortationes ejusdem argumenti.

Godeau Sermonem edidit seorsim hujus argumenti.

P. Bourdaloue: De Præcepto, materia, & ordine eleemosynæ erogandæ.

Maimbourg in Evangelium Epulonis.

P. Texier in idem Evangelium.

Biroat Sermone 14. Adventus.

Idem in Quadragesima, pro feria tertia post tertiam Dominicam.

Lambert Sermone sexto de Proximi Charitate alterum punctum impendit ostendens Ecclesiasticos maximè teneri ad eleemosynas erogandas.

Joly. Sermone pro septima post Pentecosten Dominica.

Fromentieres. Sessione de Eleemosyna; & altero, de Charitata erga eos, qui in Carceribus detinentur.

P. Cheminais de Charitate erga eosdem in Carcere detentos disertissimum habet sermonem.

Auctor Sermonum Moralium.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta in Adventu Tomo secundo, Sermone 4.

Idem in Dominicali. Pro quarta Quadragesimæ Dominica.

Paucissimi Sermones conscripserunt, qui aliquem hac de re elucubrati non sint.

Granatensis in locis Communibus. Qui collectanea ediderunt.

Busæus *in Viridario.*

Lohner *in Bibliotheca Manuali.*

Labata *in Thesaura Morali.*

Dandinus *lib.* 49.

Summa Prædicantium.

Berchorius.

Peraldus &c.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Scripturarum applicationes huic argumento.

NOn deerunt pauperes in terra habitationis tuæ; idcirca ego præcipia tibi, ut aperias manum fratri egeno, & pauperi, qui tecum versatur in terra. Deuteron. 15.

Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus. Psal. 40.

Jucundus homo qui miseretur & commodat: disponet sermones suos in judicio. Psalm. 111.

Tibi derelictus est pauper; orphano tu eris adjutor. Psalm. 9.

Ne dicas amico tuo: Vade & revertere; cras dabo tibi: cùm statim possis dare. Prov. 3.

Qui calumniatur egentem, exprobrat factori ejus: honorat autem eum, qui miseretur pauperis. Proverb. 14.

Benefacit animæ suæ vir misericors. Prov. 4.

Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet ei. Prov. 29.

Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur; de panibus enim dedit pauperi. Prov. 22.

Qui dat pauperi, non indigebit; qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam. Prov. 28.

Qui sequitur justitiam & misericordiam, inveniet vitam, justitiam, & gloriam. Prov. 21.

Misericordia & veritate redimitur iniquitas. Prov. 16.

Honora Dominum de tua substantia. Prov. 3.

Qui miseretur pauperis, beatus erit. Prov. 14.

Noli prohibere benefacere eum qui potest: si vales, & ipse benefac. Prov. 3.

Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur. Prov. 21.

Propter mandatum assume pauperem, & propter inopiam ejus, ne dimittas eum vacuum. Eccli. 29.

Conclude eleemosynam in sinu pauperis; & hæc pro te exorabit. Eccli. 29.

Eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia Sanctorum. Eccli. 31.

Illi viri misericordiæ sunt, quorum pietates non defuerunt: cum semine eorum permanent bona. Eccli. 44.

Fili, eleemosynam pauperis ne defraudes, & oculos tuos ne transvertas a paupere. Eccli. 4.

Pauperi porrige manum tuam, ut perficiatur propitiatio, & benedictio tua. Eccli. 7.

Ignem ardentem extinguit aqua: & eleemosyna resistit peccatis. Eccli. 3.

Ante obitum operare justitiam. Eccli. 14.

Benefac justo, & invenies retributionem magnam; etsi non ab ipso, certe a Domino. Eccli. 12.

Cor inopis non afflixeris, & ne protrahas datum angustianti. Eccli. 4.

Quomodo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. Tob. 4.

Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere: ita enim fiet, ut nec a te avertatur facies Domini. Ibidem.

Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Ibidem.

Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna, omnibus facientibus eam. Ibid.

Panem tuum, & vinum tuum cum esurientibus & egenis comede, & de vestimentis tuis nudos tege. Ibidem.

Ipsa est, quæ purgat peccata, & facit invenire misericordiam, & vitam æternam. Tob. 12.

Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam; cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris. If. 58.

Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas, misericordiis pauperum: forsitan ignoscet tibi Deus. Daniel. 4.

Misericordiam & justitiam custodi; & spera in Domino Deo tuo. Osee 12.

Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur. Matth. 5.

Cum facis eleemosynam, noli canere tuba ante te. Matth. 6.

Te faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua; ut sit eleemosyna tua in abscondito: & Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. Ibidem.

Quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine Discipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Matth. 10.

Discedite à me maledicti in ignem æternum . . ; Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare, &c. Matth. 25.

Date & dabitur vobis; mensuram bonam, & confertam, & coagitatam & supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Luc. 6.

Qui habet duas tunicas, det non habenti. Luc. 3.

Date, & dabitur vobis. Luc. 6.

Verumtamen quod superest, date eleemosynam; & ecce omnia munda sunt vobis. Idem.

Omni petenti te tribue. Luc. 6.

Date eleemosynam: facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis, quò fur non appropiat, neque tinea corrumpit. Luc. 12.

Facite vobis amicos de mammona iniquitatis; ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Luc. 16.

Corneli, exaudita est oratio tua, & eleemosynæ tuæ commemoratæ sunt in conspectu Dei. Act. 10.

Qui parcè seminat, parcè & metet; & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus, & metet. 2. ad Corinth. 9.

Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem, hæc est: Visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum. Jacobi 1.

Si frater & soror nudi sint, & indigeant victu quotidiano; dicat autem aliquis ex vobis: Ite in pace, calefacimini, & saturamini; non dederitis autem ea, quæ necessaria sunt corpori, quid proderit? Jacobi cap. 2.

Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo; quomodo charitas Dei manet in eo? 1. Joan. 3.

Exempla ex veteri Testamento deprompta.

Quis non admirabitur in Scripturis diligentiam, & sollicitudinem Abrahæ præ domus suæ foribus hospites præstolantis, ut illos reciperet, eos prævertentis, obviam illis euntis, eosque exorantis, ut domum suam divertere dignarentur? In insidiis quodammodo illum substitisse diceres, ne quis elaberetur, quem non invitaret generosis, officiosisque vocibus perinde quasi se ab illis insigne aliquod beneficium sperasset relaturum: *Domine, si inveni gratiam ante te, ne prætereas puerum tuum.* His ille verbis utebatur eosdem invitans: Si me amas, ne prætergrediaris quæso domum servi tui, quin ingrediaris: instruatur mensa; quidquid optimum domi invenitur, afferatur in medium, esculenta, poculentaque depromantur, & affluenter illis, quibuscumque rebus indiguerint, omnia suppeditentur. Heu! quam mutata sunt tempora, vel dicam potius, mentes, & hominum corda! Tantum abest, ut prævertas pauperem, eique petendi verecundiam auferas, atque te illi gratificari velle profitearis, eorum precibus, clamoribusque aures obstruis. Non audent illi pulsare ostium tuum, alioquin impudentes, importunique vocandi; non audent fermè sese obvios offerre tibi; illos enim dimittis vacuos, nisi fortasse probris onustos; vix aliquam eisdem projicere stipem dignaris.

Abrahom Patriarcha hospitalitatis exemplum.

Genes. 18.

In tertio Regum libro legimus, Regem Achab, cum Regnum suum extrema rerum omnium caritate laboraret propter insignem illam siccitatem, quæ tunc accidit, cum Elias Propheta Cœlos conclusit, nubibusque prohibuit, ne pluviam effunderent; quin esurienti populo consuleret, ac rationem scrutaretur opem ferendi tot egenorum millibus, fame intereuntium, in id omnem operam industriamque suam contulisse, ne equi sui conficerentur. Accersito enim regiæ domus Oeconomo, ait

Duritia Achab in pauperes, dum fame laborarent.

ait illi: Hoc tempus acerbissimum, ac miserrimum est, videoque famem quotidie percrebescentem. At post hæc ne putes, Regem illi imperasse, ut adornata, instructaque classe in exoticas terras frumentatum mitteret, atque ut horrea publica, omnesque cellas esurientibus aperiret. Hoc illi negotium nequaquam facessit: Perge, inquit, agros, vallesque omnes lustra, sicubi fœnum, herbamque invenire possis, ut equis, mulisque languentibus subveniatur: *Si forte possimus invenire herbam, & salvare equos, & mulos, & non penitus jumenta intereant*. Crudelis hic Princeps pauperum turba stipatus languida voce panem petentium, ne una quidem vocula eis solatium dignatur adferre. Videt compita, plateasque animatis cadaveribus oppletas, videt in agris homines pecudum ritu herbas carpentes; neque tantillum hoc afficitur spectaculo. Hoc faciunt tot mali divites, qui in extrema etiam necessitate equis suis pabulum inveniunt, at unde pauperibus opitulentur, non habent.

3. Reg. c. 7.

Quomodo remuneratus est Deus Sarephtenæ Viduæ charitatem. *3. Reg. c. 17.*

Nemo unus ignorat, quid Sarephtanæ acciderit mulieri, cui nihil suppetebat præter modicum farinæ, oleique, ut sibi, filioque suo subcinericium coqueret panem; quo absumpto illi fame intereundum erat, nisi miraculo Deus fuisset opitulatus. Nihilominus quia parum hoc anoonæ, quod reliquum erat in Eliæ Prophetæ cibum impendit, Deus charitatem ejus ita remuneratus est; ut donec ea sævit agrorum siccitas, ac anoonæ inopia, neque farina, neque oleum ipsi umquam defecerit. Ita Deus eleemosynam elargientium bona multiplicat.

Tobiæ exemplum.

Tobias in captivitate positus non solum quotidie populares suos, qui in eadem captivitate versabantur invisebat, eorumque afflictioni solatium afferebat; verùm illos etiam pecunia juvabat sua, quantum sua bona permittere poterant; his quidem escam, illis vestes, defunctis sepulturæ honorem deferens. Sed vir iste, licet non ita prope præ foribus adesset mors, cogitans se brevi dissolutum iri vinculis vitæ illius, quæ non nisi gravior imposterum esse poterat non solum propter cæcitatem, ac inopiam, qua premebatur, quàmquòd domi suæ obmurmurationis, ac impatientiæ voces subinde audire cogebatur, quæ res tantum illi dolorem, mœrotemque afferebat, accersitum filium, cujus mores a patriis ne latum quidem, ut ajunt, unguem discrepabant, admonuit: *Ex substantia tua fac eleemosynam*; Fili, spero futurum, ut quamprimum fato fungar, ac Deum juxta vota mea in pace brevi suscepturum hominem, jamjam in hoc mundo rebus omnibus inutilem. Habeo rem quam maxime necessariam, quam tibi dicam, eaque extremum erit monitum, quod Pater amantissimus tibi relinquit: hoc utere, dilecte mi, neque umquam ex corde excidat tibi. *Fac eleemosynam*; verum cave, ne illam ex injustè parto facias; fac illam ex substantia tua, & bonis tuis. *Et noli avertere faciem tuam ab ullo paupere: ita enim fiet, ut nec a te avertatur facies Domini*. At quomodonam omnibus satisfacere poteris, si bona tua non suffecerint? *Quomodo potueris, ita esto misericors*: Eleemosynam eroga juxta facultatem tuam, & licèt parum erogare possis, parum hoc eroga; & reliqua, quæ a nobis jam seorsim allata sunt. Neque oblitus est hac de re filium eumdem, nepotesque suos admonere, cum reipsa morti proximus fuit. Sæpe jam vos monui, inquit, ut eleemosynam largè erogaretis; hoc ipsum novissimis hisce vitæ momentis vos hortor, ac mementote mandare filiis vestris, ut similiter faciant: *Filiis vestris mandate, ut faciant justitias, & eleemosynas*.

Tob. 4.

Exemplum Job.

Tobiæ Sanctus Job charitate non cessit, ac asserere possumus, hunc illi exemplum præbuisse & charitatis, & patientiæ, quam in illis exercuit ærumnis, quibus ejusdem periculum facere, placitum Deo est; ideoque sufficit ea referre, quæ de seipso narrat hoc patientiæ, & charitatis miraculum: *Oculus fui cæco, & pes claudo; Pater eram*

Job. 29.

Pauperum. Ideoque *auris audiens beatificabat me; & oculus videns testimonium reddebat mihi; eò quod liberassem pauperem vociferantem, & pupillum, cui non esset adjutor. Benedictio perituri super me veniebat, & cor viduæ consolatus sum &c.*

Exempla ex novo Testamento decerpta.

Causa damnationis mali divitis.

EX Epulonis exemplo discere oportet, illum æternis addictum fuisse suppliciis, quòd eleemosynas erogare detrectaverit, & Lazaro egenti opem ferre noluerit. Non enim eum damnat Evangelium veluti blasphemum, homicidam, impudicum, sacrilegum, obtrectatorem, ultoremve, aut gravi alio quopiam scelere inquinatum; at illum testatur solùm, purpura, byssoque indui, & quotidie splendidè epulari consuevisse; cum interim præ foribus illius jaceret Lazarus ulceribus undequaque confossus, cui nihil optatius accidere poterat, quam vesci micis ex divitis mensa decidentibus, cui tamen nihil præbebatur; itaut crudelitas, quam in Lazarum dives exercuit, causa damnationis hujus extiterit.

Luc. 16.

Exemplum JESU CHRISTI in panum multiplicatione.

Ipse etiam Dei Filius præclarum nobis charitatis in Pauperes præbuit exemplum in miraculo multiplicationis panum, ubi præcipuæ, quæ eleemosynam comitari debent, circumstantiæ expressæ videntur. Oculos enim aperit primum, ut populi, qui jam triduo eum sequebatur, quin deserto in loco suppeteret, unde alerentur, necessitatem consideraret. Neque solùm miseratione motus fuit hunc illorum cogitans statum, potentiæ suæ, depromit miraculum, ut eorum victui prospiciat, altera quidem vice, quinque, altera vero septem panibus multiplicatis. Nullus dubitandi superest locus, quin hoc exemplo divitum inhumanitatem exprobrare voluerit, nolentium pauperibus opem ferre, cum gravissimis urgeantur necessitatibus, licet ipsi, ut hoc præstent, non egeant miraculo, quo JESUS tunc usus est, quia esurientis populi eum tetigit inopia, & miraculum facere poterat.

Primorum Fidelium exemplum.

Primi Fideles tanta invicem charitate sibi ultrocitroque opitulabantur, ut inter illos pauper non esset. Exagitati a Principibus erant, bonis exuti, tributis obruti. Nemo, Sacer Textus ait, ea, quæ possidebat, sua esse cogitabat, sed omnibus omnea lætissima communione utebantur: *Nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia*, ut S. Lucas in Actis Apostolorum testatur.

Act. 4.

Evangelici Samaritani exemplum. *Luc. 10.*

Admirabile Misericordiæ, & Charitatis documentum habemus in Samaritano, quem Dei Filius nobis in quadam Evangelii Parabola describit. Infelix quidam viator in latrones inciderat, qui non solùm pecuniam, quam secum gestabat, abstulerunt, verum etiam vestibus exutum, vulneribusque confossum, semianimem reliquerunt. Legis quidam Sacerdos, & mox Levita per eamdem viam prætererunt, quin illi opem afferrent, licet eum in miserrimo hoc statu deprehendissent; at illuc transiens fortasse Samaritanus, non est eadem inhumanitate prætergressus. Ductus enim misericordia, cruorem detersit, vulneribus infudit oleum, iisque diligenti cura circumligatis ægrotantem equo impositum suo in proximum deduxit diversorium, ubi commodè versari poterat; pecuniamque cauponi tradidit, ac quæcumque illius curationi essent necessaria, se persoluturum recepit; eum etiam, atque etiam hujus curæ commendans. Ullane meliùs, opportuniùs, humaniùsque locari potest eleemosyna?

Tabithæ a S. Petro suscitatæ exemplum. *Act. 9.*

In Actis Apostolorum capite nono sermo est de muliere quadam, quæ in Joppe morabatur, Tabitha, vel Dorcas nuncupata, meritis repleta propter bona opera, & eleemosynas, quas erogabat. Ita illa sibi pauperum amorem conciliaverat, ut fato functa petentibus enixè viduis, quæ vestes sibi a Tabitha coemptas ostentabant, illam S. Petrus a mortuis suscitaverit. Etenim hic pauperum,

qui in piæ mulieris obitu matrem amiserant, misertus, & commotus lacrymis viduarum, quas eadem alebat, ad Deum confugit, ut defunctæ matronæ vitam deprecaretur; quam quidem summa cum omnium egentium lætitia, totiusque civitatis admiratione impetravit.

Cornelii Centurionis exemplum.

Eadem Acta capite decimo viri cujusdam meminerunt, nomine Cornelii, in Italica Cohorte Centurionis, hominis religiosi, & qui cum tota domo Deum metuebat, largèque eleemosynas erogabat. Licet Ethnicus esset, apparuit ei Angelus, dixitque, illius preces, & eleemosynas ad thronum usque Dei ascendisse, ac effecisse, ut hic ipsius recordaretur. Adhæc illum admonuit Angelus, ut accerseret Petrum ab eo excepturus, quid sibi esset faciendum; quod statim executus est; ejusque eleemosynæ tantum illi bonum promeruerunt, ut Fidei luminibus illustraretur: Primus Gentilium omnium, cui divino adactus imperio primus Apostolorum, & Fidelium caput, Ecclesiæ januam reseraret.

Eleemosynæ, quas unius urbis fideles ad alterius fideles mittebant.

In iisdem quoque Apostolorum Actis capite 4. legimus, cum Fideles Antiochiæ ex revelatione, quæ Prophetæ, cui nomen erat Agabo, contigerat, didicissent futurum ut ingens, & universalis annonæ caritas terram omnem desolaret, discipulos, recentesque Christicolas, qui ea aderant in civitate, ut generalem præverterent calamitatem, misisse subsidia per manus Pauli, ac Barnabæ fratribus, qui in Judæa erant dispersi, eaque senioribus direxisse, a quibus pro singulorum egestate distribuerentur. Et Sanctus Paulus cap. 15. Epistolæ ad Romanos ait, Macedoniæ Ecclesiæ fideles hoc ipsum alia in occasione cum Jerosolymitanis fecisse; & magnus idem Apostolus hanc subire voluit provinciam, eorum videlicet conflatas eleemosynas deferendi.

Quanti fiet a JESU CHRISTO in extremo judicio eleemosyna.

Verùm ex nulla re magis intelligere possumus meritum eleemosynæ, nihilque melius ad eam liberaliter erogandam nos potest impellere, quam quod Sanctus Matthæus a Filio Dei novissime judicaturo factum iri testatur. Cum enim prædestinatos quidem sibi a dextris statuerit, reprobatos verò a sinistris, in hos converteos oculos ira, ac furore succensos hæc terribilia proferet verba: ite maledicti in ignem æternum dæmoni, Angelisque ipsius præparatum. Atque terribilis hujus sententiæ rationem redditurus, addet: *Esurivi, & non dedistis mihi manducare*; sitivi, & potum non præbuistis mihi; hospes eram in aliena terra, & me domi excipere noluistis; nudus eram, & crasso panno cooperire me detrectastis; æger eram, & in carceris squalore æstu urebar, & gelu, neque vel semel me visitastis: abire, maledicti, procul discedite. Vos autem, Electi mei, qui legem meam adimplestis, ad illos conversus inquiet; Vos estis benedicti Patris mei: venite: Patris mei regnum vestrum est: esurivi enim, & mihi escam præbuistis, sitivi &c.

Matth. 25.

Quorumdam Scripturæ locorum Applicationes.

Eleemosyna spei nostræ fundamentum.

Divitibus hujus sæculi præcipe .... communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum. 1. ad Timoth. cap. 6. Misericordiam erga pauperes Sanctus Paulus bonum vocat spei fundamentum, quod pro æternæ vitæ bonis habere debemus. Qui fundamentum subruis, dejicit ædificium; qui misericordiam erga pauperes aufert, spem eripit salutis. Divites nequam omni carent misericordia; cor eorum durum est, & pauperum miseriis non tangitur; nullum igitur habent fundamentum, cui spes suæ salutis insistat.

Mala divitum excusatio, ut se ab eroganda eleemosyna dispensent.

Dicis, quia dives sum, & nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & pauper. Apocal. 3. Te divitem putas, bonis omnibus affluentem, ac re nulla destitutum; At non vides te miserum esse, & egenum. Hoc ipsum, sed alio in sensu mundi hujus divitibus potest exprobrari. Dicis, pauper sum, ubi ex te petitur eleemosyna, cum interim opibus diffluas. Dicis, gravissimi sunt sumptus mei, mihi ea quoque desunt, quæ necessaria sunt; cum interim rebus omnibus abundes. Dicis, pluribus indigeo; & non vides redditus tuos plurimis alendis familiis sufficere posse.

Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui. Eccli. 34. Hoc, Sanctus Chrysostomus inquit, divites faciunt, qui postquam injustis rationibus opes congesserunt, partem earum in eleemosynas distribuunt. Manus suas pauperum cruore, qui sunt Filii Dei, infecerunt; injustus profectò Deus esset, si hujusmodi sacrificium haberet acceptum. Eleemosyna ex nostro, non ex alieno est eroganda.

Eleemosynam ex iis erogantes, quæ injustè sunt parta.

Rapina pauperis est in domibus vestris. Isaiæ 3. Ita Isaias Propheta divites exprobrabat, quorum domus bonis erant repletæ, quæ ipsi pauperibus eripuerant. Ne credas, Sanctus Chrysostomus inquit; ut justa hæc de eorum rapinis esset querela, opus fuisse, ut vi pauperum patrimonia diripuerint, & modicum illud æris, vel boni, quod illis erat, abstulerint; satis est si eorum defuerint necessitatibus, eosque affluentia sua minime juverint laborantes; etiamsi bona, quæ a divitibus possidentur, æquo jure essent parta.

Dives eleemosynam facere detrectans aliena retinet.

Fili, eleemosynam pauperis ne defraudes. Eccli. 4. Ponderanda est horum verborum vis, Patres inquiunt; ne patebit, juxta Dei mentem pauperum esse, quidquid illis erogatur, ideoque illis vim fieri, & eripi, quæ ipsis debentur, ubi non tribuuntur eisdem ea, quæ ex bonorum nostrorum affluentia nobis supersunt. Græcus Textus, quem Sanctus Chrysostomus secutus est, ita legit: *Fili, vitam pauperis ne spolies*; ne auferas vitam pauperi. Et profecto juxta Patrum sententiam, reum se mortis egenorum constituit, qui eos fame interire patitur, illis opem non ferens.

Obligatio eleemosynam faciendi est de justitia.

Dispersit, dedit pauperibus; justitia ejus manet in sæculum sæculi. Psalm. 111. Non sine mysterio bonorum in manus Pauperum facta distributio actus justitiæ vocatur; docere quippe nos vult, divites, ubi eleemosynam faciunt, justè id, quod debent, persolvere; & cum illam facere detrectant, injustè ea retinere, quæ sua non sunt.

De eadem veritate: eleemosynam videlicet actum esse justitiæ.

Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, &c. 1. Jo. 3. Dilectus Apostolus opes mundi hujus substantiam appellat; non quòd verè substantiæ sint, velut aurum, argentum, lapides pretiosi, domus &c. Cœli enim, sydera, elementaque substantiæ sunt, non autem divitiæ; sed hoc appellantur nomine, quia sustinent accidentia, quæ tantopere in mundo elucescunt: videlicet nobilitatem, honorem, existimationem, potentiam, voluptates; hæc enim omnia opibus innituntur. Verumtamen ut tales reverà sint juxta Dei mentem opus est, pauperum indigentiam, atque miseriam iis sustineri. Hæc est nonnullorum Interpretum animadversio.

Cur Divitiæ substantiæ nomine appellentur.

Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis. Proverb. 19. Prohibet Deus, Sanctus Augustinus inquit, ne homini fœneremur, præcipit autem, ut hoc pacto fœneremur sibi. Primos illos fœneratores damnat, æternisque flammis adjudicat; secundis verò e contra coronam, æternamque remunerationem pollicetur. Deus pecunia vestra non indiget; at indiget pauper. Date igitur pauperi, & recipiet Deus. Pauper nequit ea vobis reddere, quæ ipsi mutua dederitis; neque aliter animum testari gratum potest, quàm Deum orans, ut pro se satisfaciat: hoc facit Deus. Considerate quodnam vobiscum feriat pactum, atque utrum ullum cum paupere detrimentum pati possitis; quandoquidem sponsorem habetis Deum. Ita Deo propriè mutuum datis; Deo, quem metuere non debetis, ut ad paupertatem redigatur, & qui, ut ad eam redigatur, minime timet; qui ipse contractum proponit, ac signat; qui vobis confert, unde mutuum dare possitis, & qui cum fœnore omnia reddere vobis oblectatur.

Eleemosyna usura est, qua cum Deo exercetur.

Cum

Deus eleemosynam largientium bona multiplicat.

Cum effuderis esurienti animam tuam, & animam afflictam repleveris, eris sicut fons aquarum. Isaiæ 12. Interpretes quidam, huic insistentes loco pecuniam aquis comparant, quæ et puteis hauriuntur, & quæ rarò haustæ exarescunt, atque exhauriuntur; ideoque in usus communes traduntur, & ubi putrescere cœperint, sexcentas in sectorum generant species; e contra verò affluentiùs suppetunt, ubi sæpius hauriantur. In avaritia, qua bona asservantur, quin in eleemosynas effundantur, hac ipsa parcitate eorum fontem exsiccat; cum alioquin quo liberaliùs eleemosynæ erogantur, eo largiùs bona multiplicare Deue consueverit.

Benedictio super facientem eleemosynas.

Dispersit, dedit pauperibus. Psalm. 111. Abundè suas effudit opes in pauperes, Psalmista ait; ideoque eleemosynartius hic vir numquam, ne transversum quidem, ut inquiunt, unguem, a semita justitiæ recedit; & hoc pacto ad altissimum quoque potentiæ, gloriæque gradum assurget, Idem subdit Propheta: *Justitia ejus manet in sæculum sæculi, & exaltabitur in gloria.* Æternum vivet in hominum memoria; ejusque nomen erit in benedictione, atque ipsius existimatio venenatos calumniæ jaculos eludet: *Ab auditione mala non timebit.* Quot ingentibus sumptibus absumuntur non aliud lucrati, nisi hominum quidem contemptum, Dei verò abominationem?

Ibidem.

Ibidem.

Pro viribus eleemosyna est eroganda.

Da Altissimo secundum datum ejus. Eccli. 33. Eleemosynæ redditibus tuis respondeant; & ex animo offer Domino, prout ab eodem accepisti: *Secundum datum ejus:* non ait ille, Da Altissimo secundum ea, quæ sibi supersunt; nemo enim negat, ea, quæ superflua sunt, pauperum esse. At nonne jure dici hodierna die posset, superflui qualitatem apud opibus affluentes prorsus esse chimæricam? Pauci sunt, quibus insignes redditus, & opima patrimonia sufficiant. Nihil superfluum agnoscitur, ubi cupiditas, ambitio, vel amor voluptatum dominantur. Numquid superfluum esse quidquam potest, ubi plura impenduntur, quàm habeantur?

Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna Tabernacula. Luc. 16. Eleemosyna depositum est, quod pauperibus credis, & quod hi sedulo custodient, illud aliquando coram universo terrarum orbe prolaturi. Ita est; omnes hi pauperes, quos alueris, calamitosi omnes, quibus fueris opitulatus, carcere detenti, quos visitaveris, ægroti, quibus auxiliatus fueris, pupilli, quos protexeris, viduæ, quibus patrocinatus fueris, inter se, judicemque tuum prodibunt, eruntque veluti tot testes clara voce eleemosynas tuas proclamantes. Quæ tua erit consolatio die illa horroris plenissima, atque universalis desolationis? Heu! Fratres, quos Providentia vitæ hujus bonis cumulavit; cogitate vitam, mortemque æternam in manibus vestris versari, prout opibus vestris utemini; easque vobis esse posse & felicitatis, & calamitatis æternæ occasionem. Vos quoque, ut alii, Cœlum potestis ingredi; Dominus enim fatalem abstulit obicem, qui vobis illius aditum intercludere videbatur; ne speretis tamen in beatam illam Sanctorum sedem esse admittendos, ubi mors vos aliis æquaverit; nisi vos receperint pauperes, qui tunc non ultra timebunt, & qui cum in antecessum locos fortunatos occupaverint, ibique primas sedes obtinuerint, præ foribus illic adstabunt: hoc est ne speretis, vos cœlesti gloria perfruituros, nisi eleemosynæ præceptum expleveritis.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, ac sententia Sanctorum Patrum de Eleemosyna.

Superflua divitum, necessaria pauperum sunt; res aliena possidentur, cum superflua possidentur. S. August. in Psalm. 147.

Si potes dare, da: si non potes, affabilem te fac. Coronat Deus bonam voluntatem, ubi non invenit facultatem. Idem, in Psal. 109.

Non est satis perfecta misericordia, quæ precibus extorquetur. Idem, libr. de 50. Homil. Homilia 49.

Magnum est opus eleemosyna; ut homo faciat, quod facit Deus. Idem, ibidem.

Sacrificium Christiani est eleemosyna in pauperem; hinc enim Deus propitius fit peccatis: nisi autem propitius peccatis fiat Deus, quis remanebit nisi reus? Ibidem, Homil. 23. de 50.

De justis laboribus jussit Deus dari; de rapinis verò prohibuit dari. Ibidem, Homil. 40. de 50.

Memento quid purpurato diviti contigerit, qui non ideo damnatus est quòd aliena tulerit, sed quòd egenti pauperi sua non tribuerit: & in inferno positus ad petenda minima pervenerit, qui hic parva negavit. Idem, lib. de Conflictu vitior. & virtut.

Qui dat eleemosynam ut careat tædio interpellantis, non ut reficiat viscera indigentis, & rem & meritum perdit. Idem super Psalm.

Qui petentibus dat, benefacit; qui tacentem intelligit, beatus. Idem.

Hæc est solatium grande credentium, totius virtutis nostræ præsidium, munimentum spei, medela peccati, corona pacis, qua promeretur Christum judicem, & Deum computat debitorem. Idem, lib. de eleemosyna.

Date omnibus, ne cui non dederitis, ipse sit Christus. Homil. 39. inter 50.

Quod periturum erat in terra, servatum est in cælo. Idem.

Ideò negatur misericordia diviti, quia ipse, dum viveret, noluit misereri. Ideò rogans dives non exauditur in tormentis, quia rogantem pauperem non exaudivit in terris. Idem, Serm. 25. de Verb. Dom. secundum Lucam.

Ipse Deus dat opes, ipse accipit, quasi fœnus trajectitium facit. Idem, Homil. 29. inter 50.

Ista vero injustitia magna est, ut egeat Dominus tuus, & habeat unde luxurietur servus tuus. Idem, de Discipl. Christ.

Quasi fœnus trajectitium facis: hic das, ibi recipis; hic das res perituras, ibi recipis res sine fine mansuras. Idem, Serm. de Verbis Isaiæ, c. 6.

Deus pauperes in hoc mundo esse voluit, ut divites peccata sua redimerent. Idem, tract. de recta Convers.

Crimina eleemosynis possunt redimi, si tamen mutaveris. Idem, Homil. 19. inter 50.

Si habes, da de tuo: melius nulli dabis, quàm alios spoliabis. Ibid. Hom. 7.

Superfluum divitis, patrimonium est pauperis. Idem.

Peccatis tuis venundatus es: redime te pecunia tua. Vilis pecunia, sed pretiosa est misericordia. Ambr. Serm. de Helia.

Misericordia largior, ubi fides promptior: nihil tam commendat Christianum, quàm miseratio charitatis. Idem de Officiis.

Quid miser judicì respondebis? Parietes vestis: hominem non vestis: equos phaleris ornas; fratrem tuum laceris amictum pannis aspernaris. Idem, lib. de Nabuthe cap. 13.

Pecuniam habes: redime peccatum tuum. Non venalis est Dominus, sed tu ipse venalis; tu peccatis tuis venundatus es: redime te operibus bonis, redime te pecunia tua. Lib. de Helia, & Jejunio.

Hoc magnum incentivum misericordiæ, ut compatiamur alienis necessitatibus; necessitatem aliorum quantùm possumus, juvemus, & plus interdùm quàm possumus. Idem, lib. de Offic.

Misericordia non de meritis judicare consuevit, sed necessitatibus subvenire; juvare pauperem, non examinare justitiam. Idem, in Epist.

Nihil tam secundùm naturam est, quàm juvare consortem naturæ. Idem, de Offic.

Neque

Neque enim majoris est criminis habenti tollere, quàm cùm possis & abundes, indigentibus denegare. Idem, vel alius quis Author Sermonum eidem attributorum, Serm. de Domin. post Pentecosten.

Esurientium panis est quem tu detines, nudorum indumentum quod tu includis, miserorum redemptio, pecunia quam tu in terra fodis: tantorum scias te invadere bona, quantis præstare possis & nolis. Idem, ibid.

Non sunt bona hominis, quæ secum ferre non potest: sola misericordia comes est defunctorum. Idem, ibidem.

Si non pavisti, occidisti. Idem.

Non memini me legisse mala morte mortuum, qui libenter opera charitatis exercuit: habet enim multos intercessores, & impossibile est multorum preces non exaudiri. Sanct. Hieronymus Epistol. ad Nepotian.

Hoc præstat eleemosyna quod & baptismus: propterea tu magis agito gratias Deo, quando dederis, quàm pauper qui accipit, tibi agat gratias. Idem, Comment. in Psal. 133.

Eleemosyna redemptoris nostri oculis illa placet, quæ non de illicitis rebus, & iniquitate congeritur, sed quæ de rebus concessis & bene acquisitis impenditur. Gregor. Epist. 110.

Quidam pauperem contumeliis priùs afficiunt, quàm dent eleemosynam. Videtur ergo quòd illatæ injuriæ satisfactionem solvunt, dum dona largiuntur. Idem, 22. Moral.

Si nihil habes, collacrima. Magnum est infortunato remedium miseratio ex animo collata. Greg. Nazianz. Orat. de Pauper. Amore.

Nihil tam divinum habet homo, quàm de aliis bene mereri. Fac calamitoso sis Deus, Dei misericordiam imitando. Idem, ibid.

Eleemosyna cum iniquitate acquisita abominatio est coram Christo. Basil. in Admonit. ad Fil. Spirit.

Eleemosynæ magnitudo non in pecuniarum multitudine judicatur, sed in dantium promptitudine. Propterea Apostolus: Si voluntas prompta est, secundum id quod habet, accepta est. S. Chrysost. Hom. 34. ad Popul. Antioch.

Non ad hoc accepisti, ut in delicias absumeres, sed ut in eleemosynam erogares. Idem, ibid.

Tibi superflua sunt; sed pauperes clamant, nostrum est quod effunditur, nobis crudeliter eripitur, quod inaniter expenditur. Idem in Joan.

A gehenna vos nemo eruet, nisi à pauperibus auxilium consequamini. Idem, Homil. 33. ad Popul. Antioch.

Ibi substantiam colloca, ubi patriam habes. Chrys. in Matth. 6.

Multò majus est esurientem pascere Christum, quam in nomine Jesu mortuos suscitare: nam illic quidem tu de Christo bene mereris, hic autem ipse de te. Idem, Hom. 36. ad Popul. Antioch.

Eleemosyna in utraque vita claros exhibet; in ista famam comparans præclaram; in illa gloriam tribuens æternam. Ibidem.

Ipsamet eleemosyna Christi adstat tribunali, non tantùm patrocinans; sed ipsi etiam persuadens judici, ut patrocinium præstet, feratque pro ea sententiam. Idem, Hom. 33.

Ars est omnium quæstuosissima. Idem.

Hanc quam in pauperes facis eleemosynam in fœnus à me accipis. Idem, Homilia de Pœnit.

Excusari non potest, quem fames pauperis accusabit; videbit diem malum, qui diem judicii sine advocatione paupertatis intravit. Chrysol. Serm. 40.

Eleemosyna celerrimè in cœlorum sedes adducit, advocati optimi loco fungens. Chrysost. in Hom. 9. de Pœnit.

Qui eleemosynam non facit, neque cor habet in cœlo, neque spem in Deum. Idem, Homil. 6. in Matth.

Bona negociatio, in qua parvo emitur, & magno venditur. Idem, Serm. de Pœnit.

Vera elemosyna est, sic dare ut gaudeas te dare, putesque te accipere magis, quàm dare. Idem, in Serm. de Eleemosyna.

In quo opere, etsi non est omnium æqualis facultas, debet esse par pietas: quoniam fidelium largitas, non de muneris pensatur pondere, sed de benevolentiæ quantitate. Sanctus Leo Sermon. 1. de Collectis.

Unusquisque nostrum animæ suæ benefacit, quoties misericordia sua inopia succurrit alienæ. Idem, ibidem.

Sibi unusquisque id præstat quod indigentibus tribuit. Idem, ibidem.

Thesaurum suum condit in cœlo, qui Christum pascit in paupere. Ibidem.

Manus pauperis est Abrahæ sinus, ubi quidquid pauper acceperit mox reponit. S. Chrysolog. Hom. de Jejun. & Eleem.

Thesaurus cœli manus est pauperis: quod suscipit, ne in terra pereat, reponit in cœlum. Ibidem.

Manus pauperis est gazophylacium Christi; quia quidquid pauper accipit, Christus acceptat. Ibidem.

Pauper quidem porrigit manum, Deus autem suscipit quod offertur. Idem, ibidem.

Eleemosyna non æstimatur ex mensura largitionis, sed ex animi liberalitate. Ibidem.

Nulli parvus est census, cui magnus est animus; nec de rei familiaris mensura pendet modus pietatis. S. Leo de Appar. Domini.

Semper illi quod largiatur occurrit, cui benevolentiæ non deficit. Idem, ibid.

Beatus, qui fœnerando pauperi ipsum sibi judicem præstitit defensorem. Sanct. Chrysolog. Sermon. 14.

Qui aliena prorogat, plus dando diripit quam furando. Idem, Serm. 54.

Da homo pauperi terram, ut accipias cœlum; da nummum, ut accipias regnum; da micam, ut accipias totum; da pauperi, ut des tibi: quia quidquid pauperi dederis, tu habebis; quod pauperi non dederis, habebit alter. Chrysost.

Nostrum est, pauperes clamant, quod effunditis; nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter impenditis. Bernard. Epist. 42.

Serò beneficium dedit, qui roganti dedit. Seneca, l. 2. de Benef.

Non tulit gratis, qui cùm rogasset, accepit verbum molestum. Idem, ibid.

Quidquid in pauperes beneficii contuleris, Dominus sibi asciscens, magno cum fœnore, tibi rependet. Joan. Damasc. in Hist. Baarlam. c. 15.

Qui non habet unde faciat eleemosynam, liber est: quantumcumque dare voluerit, tantum dedit, quia voto & desiderio dedit. Hieron. in Psal. 111.

Dives & pauper duo sunt contraria; duo sunt sibi necessaria. August. de Verb. Dom.

Cùm necessaria indigentibus ministramus, sua illis reddimus, non nostra largimur; justitiæ debitum potiùs solvimus, quam misericordiæ opus implemus. S. Gregor. 3. part. Past. Cur. Admon. 22.

Justus esse non potest qui divitias possidet solus; sed tunc justus efficitur, si eas aliis quoque communicet. Chrysost. Hom. 12. in 1. ad Timoth.

Si pauperibus largiaris, debitorem tibi Deum quadam pietatis fœneratione constituis. Ambr. in lib. de Nabuthe, cap. 7.

Res pauperum tibi sunt credita, sive ex laboribus justis, sive ex paterna hæreditate possideas. Idem, Hom. 55. in Genes.

Crudeles adimunt pauperi necessaria, ut mollia & superflua dent ventri. S. Basilius.

Quidquid Deus nobis, plusquam opus est, dederit, non nobis specialiter dedit, sed per nos aliis erogandum transmisit. Augustin. Sermon. 219. de Tempore.

Cum totum suum sit quod à Deo accipimus, nostrum esse dicit, ut demus. Salvian. l. 2. ad Eccles. Cathol.

PARA-

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia fontibus ad hoc argumentum possit hauriri.

Eleemosynæ, & misericordiæ definitio.

ELeemosyna actus est Misericordiæ, & Charitatis, quo miseratione ducti, propter amorem Dei aliquid ex bonis propriis tribuimus pauperi, illius miseriam solaturi. Sanctus Augustinus nobis misericordiæ ideam cupiens adstruere, ita illam definit: *Animi dolentis affectum cum additamento beneficii*. Affectus est animi, qui alienis commotus ærumnis condolet, & seria est propensio, qua ad miserorum calamitates sublevandas rapimur. Itaque virtus hæc duas habet actiones sibi proprias, interiorem alteram, quæ cor ipsum tangit, alteram exteriorem, quæ animat manum; altera miserationem cjet, altera subsidium promovet; itaut miseratio quidem proximum sit eleemosynæ principium, eleemosyna verò miserationis fructus, vel necessarius effectus; quamobrem in communi sermone utraque confunditur simul, & eodem vocabulo indiscriminatim utraque indigitatur; quamvis ex S. Gregorii sententia, miseratio, quæ eleemosynam comitatur, majus donum sit ipsa eleemosyna.

Pauperum misereri, eisque opitulari debemus.

Duo pauperibus debemus, quorum meminit Scriptura, miserationem videlicet, & eleemosynam; miserationem quidem, si & ipsi pauperes simus; tibi opem ferre non valeo, ex corde laturus, si vires essent; miserationem verò simul & eleemosynam, si divites: me tuæ miseret paupertatis, & quia mihi Deus contulit bona, eorum partem tibi defero. Hæc est S. Hieronymi sententia: Opibus cares; viribus cor tuum supplebit, & coram Deo tantum dederis, quantum dare voluisses. At non desunt tibi divitiæ; adde operam voluntati.

Eleemosyna de præcepto est, non tantùm de consilio.

Eleemosynæ præceptum est; eaque veritas est Religionis nostræ jugi, constantique consensu probata. Hoc satis palam mundi Salvator edocuit, ubi jure infernis ignibus se adjudicaturum profitetur eos, qui pauperibus escam, potumque negaverint: *Discedite a me maledicti in ignem æternum ..... esurivi enim, & non dedistis mihi manducare*. (Matth. 25.) Etenim quemadmodum S. Gregorius Nazianzenus animadvertit, non reprobat homines Deus eò quòd simplex consilium violaverint, sed quòd alicujus præcepti transgressione legem perfregerint: alioquin tyrannidem exerceret in homines eos condemnans, eo quod minime fecerint, quod sibi imperatum non fuit.

Cuinam rei eleemosynæ præceptum innititur.

Duo supponenda sunt legum genera a Deo instituta; aliæ quippe inæqualitatis sunt leges, aliæ æqualitatis. Quod ad priores pertinet, divinæ intererat Providentiæ, hominum conditiones esse inæquales: si enim nullum inter ipsos adfuisset discrimen, nulla fuisset dependentia, nulla subordinatio, nullus ordo; omnes fuissent Domini, omnes Principes, &, quod in civili societate æque ac in naturali corpore monstrosum est, omnes essent capita. Divinæ igitur intererat Providentiæ, inter homines, & auctoritatem esse, & obedientiam; dominos, & servos, capita, & membra; Principes, & subditos; ideoque pauperes etiam, & divites. Verum enimverò in hac inæquali dispositione, quæ aliis quidem est adeo suavis, aliis vero aspera, erat justitiæ Parentis mortalium omnium, ut filiorum suorum aliquot ad dignitatum apicem evehens, eisque ingentia conferens bona, suppeditaret aliis, unde in humilitate, ac egestate sua subsistere possent; quod sanè præstitit divitibus imperans, ut egenis eleemosynam tribuant. Hac autem secunda lege filios omnes ad quamdam æqualitatis speciem redegit, ut, quemadmodum S. Paulus ait, alterius affluentia alterius paupertati suppleret.

Præceptum hoc supernaturale etiam innititur Providentiæ.

Cum divites, pauperesque vicissim alii pro aliis facti sint in ordine naturali, qui alioquin subsistere minimè posset; Deus in ordine etiam gratiæ divitem pro paupere, ac pro divite pauperem fecit, & quemadmodum est utriusque Creator, uti dicit Scriptura: *Utriusque enim operator est Dominus:* voluit quoque ut mutua relatione alternis ad salutem assequendam juvarentur auxiliis. Divitem creavit, ut pauperi ferens opem exerceret Charitatem; creavit pauperem, ut divitis opem implorans exerceret patientiam, & humilitatem. Ita sicuti mutuis in civili societate sibi prosunt officiis, sibi quoque ultro, citroque in salutis negotio opitulantur, alii quidem honesta liberalitate; alii verò humili gratitudine.

Eleemosyna in Scripturis imperata.

Tribus in rebus præcepta a consiliis distinguuntur: primùm cum Scriptura præcipiendi utitur verbis; ea quippe auctoritatis expressio explicitam habet obediendi necessitatem: secundò, cum æternum minitatur supplicium; hæc enim damnatio significat, si casus feret, formalem legis fractionem futuram: tertiò, cum aliquid facere omnes indiscriminatim jubentur; hæc enim nota est obligationis, cujus nulla datur exceptio. At primum Deus eleemosynam Divitibus explicitis imperat verbis: hoc ille mandatum irrogat populo suo, cap. 11. Deuteronomii: *Præcipio tibi, ut aperias manum egeno, & pauperi*. Secundò omnibus imperat divitibus, ferie nolens eorum quemquam huic deesse præcepto; atque ea potentia, quam in omnes homines obtinet pauperum jura constituit: *Præcipe divitibus hujus sæculi facile tribuere &c.* (1. ad Tim. 6.) Hoc autem jubet Apostolus a Timotheo discipulo suo divitibus omnibus indiscriminatim prædicari. Tertiò nullus dubitandi locus esse potest, quominus æternæ damnationis pœna proposita Deus præcipiat eleemosynam post ea, quæ de divite nequam in Evangelio narrantur &c.

Quænam sit eleemosynæ materia, & ex quibus bonis sit eroganda.

Cum eleemosynæ præceptum institutum sit, oportet etiam ut illius materia sit determinata, & institutus sit fundus, ex quo debeat erogari, qua in re hæc ferme traduntur a Theologis. Docent autem in communi, consuetaque necessitate ea, quæ divitibus supersunt, esse debere materiam eleemosynæ: vult enim Sanctus Paulus aliorum affluentiam esse necessitatis aliorum supplementum: *Vestra autem abundantia illorum inopiam suppleat*. (2. ad Cor. 8.) At hæc abundantia est superfluum divitis, ideoque est necessarium pauperis. Sancti Patres semper de hoc superfluo locuti sunt, semperque tamquam furti, & rapinæ damnatunt, qui retinent illud. Quod autem ad extremas pertinet necessitates, docent Theologi, ex iis, quæ essent necessaria ad conditionis, generisque fulgorem tuendum, aliquid demendum esse; charitas enim christiana in hujusmodi occasionibus exigit, ut pauperis vitam nostræ dignitatis statui præferamus.

Quid censeri debeat necessarium, quid superfluum.

Ut autem liquidò pateat, quid superfluum, quidve necessarium sit diviti, hæc a Doctoribus præcepta traduntur. Aliud, inquiunt, vitæ necessarium est, aliud statui, & conditioni vitæ necessarium in victu, vestimentis, domibusque consistit: necessarium conditionis in iis positum est, sine quibus dignitatis nostræ muneribus satis perfungi non possumus. Similiter aliud naturæ superfluum est, aliud status. Naturæ superfluum id est, quod excedit quidquid est vitæ necessarium; status verò superfluum, quidquid exuperat conditionem, quæ exercetur, & id sine quo muneris nostri officia obire non possumus. Præceptum autem eleemosynæ omnes sine ulla exceptione obligat ea pauperibus erogare, quæ sunt suæ conditioni superflua, conditioni inquam christianæ; alioqui enim si dives bona sua metiri cupiat ex ambitione, vel voluptatibus suis, non solum nihil erit illi superfluum, immo deerit etiam necessarium. Honesta igitur, & christiana conditio, in qua a Deo constitutus est, pro norma est habenda.

Eleemosyna est actus justitiæ.

Non immeritò eleemosyna in Scripturis justitia vocatur: *Dispersit, dedit pauperibus; justitia ejus manet in sæculum sæculi*: (Psal. 111.) quia cum pauperibus

opem

opem ferimus, hæ non tam gratia est, quàm justitia; non tam charitas, quam exercemus in illos, quàm debitum, quod illis persolvimus; & illis superfluum denegare, est bona eorum retinere, & injuriam illis inferre. Ideo Scriptura eleemosynam debitum vocat, quo fraudamus pauperes, cum hoc illis persolvere detrectamus; *Eleemosynam pauperis ne defraudes .... redde debitum tuum*. Videlicet quemadmodum oppressionis furtum est, quo pauperes facimus; furtum quoque detentionis est, quo opem illis negamus, qui pauperes sunt; quod æque injustum est, & criminosum.

Eccli. 4.

Quærunt, utrum divites domini sint bonorum, quæ legitime adepti sunt. Quidam Sancti Patres post Sanctum Chrysostomum crediderunt, probaruntque, illos eorum tantum œconomos esse, atque dispensatores juxta Dei voluntatem. At Sanctus Thomas, qui Scholastico acumine rem pressiùs considerat, illos quidem Dominos esse ait quoad proprietatem; sed quoad usum hæc bona non ipsorum tantùm esse docet, verum etiam eorum, qui illis indigent, ut nutriantur; vel ut alii tradunt, hæc illis bona contulit Deus, ut quod ipsis superfluum superest, in pauperum necessitatibus levandis impendant. Eadem præter propter ratione, qua Principes aliquot tributa feudis, quæ subditis suis elargiuntur, imponunt, ut liqueat, ea ipsis deberi: ita Deus ex horum Doctorum sententia in iis, quæ divitibus contulit bona, sibi tributum reservavit in pauperum gratiam, ac explicitis verbis præcepit, ut locupletes divitiarum suarum partem aliquam conferrent egenis, postquam pro status sui dignitate victui suo consuluissent.

2. 2. q. 18. art. 5. ad 3

Christiana eleemosyna ut Deo sit accepta major esse debet pro magnitudine bonorum in divitibus, & necessitatum in pauperibus; videlicet qui plura possident, plura erogare tenentur, qui verò pauciora, minus secundum ea, quæ filio suo monita tradidit Tobias: Secundò metienda est ex pauperum egestate, hoc est liberalius est eroganda iis, qui in majori necessitate, ac tempore magis calamitoso versantur.

Eleemosyna major esse debet pro divitiarum magnitudine, & pauperū necessitate.

Sanctus Thomas 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 4. ait, licet eleemosyna sumpta in substantia sua non alium habeat effectum, nisi corporalem, videlicet refectionem pauperis, & miseriæ ejusdem solatium, non deesse tamen & spiritualem effectum propter fructus orationis, quam pauper tenetur effundere pro benefactoribus suis, & proptee gratias, quas nobis apud Deum potest promereri. Hoc ipsum Sapiens affirmat, ac tenet, eleemosynam esse pretium, quo anima divinæ obligata justitiæ redimitur, unde Patres occasionem arripuerunt detegendi quamdam sacrificii speciem in eleemosyna, idque didicisse videntur ex Apostolo, qui eleemosynas hostias ad procurandam nostram cum Deo reconciliationem idoneas appellat: *Talibus hostiis promeretur Deus*. Itaut eleemosyna peccatorum etiam, qui obstinati sunt, omnemque spem abjecerunt, quantumvis illis primam gratiam promereri non possit, quæ est merè gratuita, possit tamen flectere Deum, ut de interitu illos potiùs eripiat, quàm alium quemlibet peccatorem, qui proximi sui minimè misereatur.

Eleemosyna effectum habet spiritualem, æque ac corporalē, & quonam in sensu.

Ad Hebr. c. 13.

Hoc etiam persuasum esse debet; si incertum est, te aliquando egere posse bonorum, quæ pauperibus erogaveris; hanc futuri temporis incertitudinem non esse legitimam excusationem, ut ab eroganda eleemosyna tecum dispenses. Alioquin frustra Deus hoc hominibus præceptum irrogasset; nemo enim est ad quemcumque magnitudinis apicem evectus sit, & quibuscumque divitiis affluat, qui de gradu deturbari non possit, atque sexcentis inopinatis occursibus ingentia hæc bona amittere nequeat.

Futura egestas, si sit incerta, ab eleemosynæ præcepto non liberat.

Cum dicitur in Scripturis eleemosynam peccata remittere; ne putes, posse eleemosynam per se justificare peccatorem; hic enim peccatum suum delere non potest, nisi per contritionem, vel Pœnitentiæ Sacramentum. Quamvis omnia bona pauperibus erogarem, Sanctus Paulus ait, nisi charitatem habuero, vel saltem in pœnitentia inchoatam, vel in contritione perfectam, omnes eleemosynæ inutiles essent. Quid igitur sibi volunt illa Scripturarum, Patrumque Oracula, ubi Spiritus Sanctus, ac postmodum Sancti Doctores tot laudibus hunc eleemosynæ fructum celebrant, quod videlicet delere possit peccata? Elogia, & promissiones, quas continent, vera quidem sunt, sed illud innuere tantùm volunt; præstantissimam esse dispositionem justificationi recipiendæ, cum voluntas fidei supernaturalis actu fertur in illam; & Deum illam pro divitum justificatione, ut plurimum, efflagitare.

Quo in sensu eleemosyna sit dispositio ad peccatorum veniam consequendam.

Theologorum sententia est, eleemosynam cum fidei spiritu factam mereri peccatoris conversionem, & gratias, quæ sunt dispositiones ad illam, merito quodam remoto, quod vocant *de congruo*, & quod virtutis hujus innititur qualitati, nec non explicitis promissionibus, quas Deus quidem in illius gratiam in veteri Testamento proposuit, & quas in Evangelio CHRISTUS JESUS confirmavit; promissionibus inquam, ex quibus Patres extraordinarias quasdam loquendi rationes educunt ad eleemosynæ meritum exprimendum. Alii cum Sancto Augustino dicunt, JESUM CHRISTUM hoc pacto hominum fieri debitorem; addunt alii, nos argenti pretio quodammodo Dei Misericordiam, & JESU CHRISTI gratiam comparare. *Et redemptio animæ, misericordia*, Sanctus Ambrosius inquit. Alii procedunt ulterius, ac dicunt, Judicem nostrum muneribus quadam ratione corrumpi, fierique, ut pro nobis justitiæ suæ leges immutet. Ex hac autem mirabili virtute, quam habet eleemosyna, & ex ingenti oppositione illa, quam tot peccatores secundum mundi conceptum felices, Regno Dei videntur habere, Sanctus Augustinus concludit non deesse, qui non nisi per eleemosynam saluti suæ prospicere possunt: *Quidam sine eleemosynis salvari non possunt, ita sunt suis cupiditatibus irretiti*.

Quomodo eleemosyna peccatoris conversionem mereatur.

Plurimorum, eorumque gravissimorum Theologorum sententia est, divitem, ex quo dives est, ex justitia teneri, ut pauperibus eleemosynam tribuat. Quod autem justitiam vocant, urgens, ac inevitabilis necessitas est unicuique suum tribuendi. *Opus justitiæ est reddere unicuique, quod suum est*. Ita divites ex justitia teneri pauperibus opem ferre; idem est ac partem obtinere bonorum, quæ ad pauperem pertinent. Hi ergo probare volunt Theologi, pauperem jus quoddam habere in divitum bona; habentem non habenti debere quamdam bonorum suorum partem; pauperem denique quemdam proprietatis habere titulum in partem bonorum divitis; ejusque dominum esse, licet possessor minimè sit; ideoque, partem hanc, quæ ad ipsum pertinet, retinere, & eripere, æque gravem esse injustitiam, ac fratri auferre partem, quæ ex paterna hæreditate illi contingit. Hæc Theologorum decisio Sanctorum Patrum sententiæ innititur, quæ satis ostendit, ipsos credere eleemosynam non esse solum maximè necessarium charitatis officium, verùm etiam arctissimæ justitiæ obligationem.

Divites ex justitia eleemosynam erogare tenentur.

S. August.

Peccata eleemosynis redimere secundum Prophetæ Danielis consilium Regi Nabuchodonosor traditum, non est peccati labem eluere, ejusque veniam impetrare; hic enim effectus in adultis uni pœnitentiæ acceptus est referendus. Eleemosyna, aliarumque in spiritu fidei virtutum exercitatio, non sunt profectò inutiles homini, qui actu in peccato versatur; flectunt enim Divinam Misericordiam virtute hac, quam, ut diximus, Theologi meritum *de congruo* vocant, ut peccatori gratias impertiat, eique pœnitentiæ sensus infundat, qui per se deleant peccata; quod neque eleemosyna, neque virtutes aliæ possunt efficere. Hæc igitur redemptio, quam sacræ suadent litteræ, in pro-

Quo in sensu intelligendum illud, quod Scriptura inquit, peccata esse eleemosynis redimenda.

prio

prio, arctoque sensu nequit intelligi; nisi de pœnis, quæ post peccata jam per pœnitentiam deleta, adhuc ferendæ supersunt.

Quod autem spectat ad ordinem eorum, quibus eroganda est eleemosyna, nec non ad conditiones, effectusque illius, & utilitates, quæ inde in hac, alteraque vita percipiuntur, satis abunde sequenti in Paragrapho habebitur sermo.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, aperisque Concionatoribus loci de Eleemosyna.

Deus nostris oblectatur eleemosynis, & quodammodo iisdem se obligari profitetur.

DEus licet omnibus affluat divitiis, a nobis nihilominus petit; licet turpis avaritiæ non tangatur affectu, sancto nihilominus fœnore oblectatur; *Numquam avarus, & usuras exigis*, Sanctus Augustinus inquit: & licet nemo possidere possit, quod non sit illius, dignatur nihilominus suæ fieri debitor creaturæ: *Supererogatur tibi, ut debeas*, idem ait. Incredibile quidem videtur, a nobis dari Deo plura, quàm debeamus, supererogationis opera efficientes; & tantum abest, ut Deo aliquid supererogare videamur, quod immo ea, quæ debemus, vix, ac ne vix quidem illi persolvere possumus. Attamen Sanctus Augustinus hic persuadere vult, ubi aliqua superogationis opera facimus, Deum nobis debere; & quamquam quidquid tunc etiam temporis facimus ex ejus gratia, & liberalitate accidit nobis, hoc tamen ab illo tamquam aliquid debitis nostris superadditum existimari; ideoque deinceps ab illo tamquam justo judice reddi, quod nobis debetur. Hoc autem in eleemosyna potissimum adimpletur, quæ ex omnibus operibus una est, quam præ cæteris arctiùs præstare tenemur. *P. Thomassinus in Confessiones Sancti Augustini.*

Dei Filius sibi factum putat, quidquid pauperibus erogamus.

Quamquam JESUS CHRISTUS adsit in iis omnibus, qui proximi nostri vocantur; nihilominus videtur apertiùs promisisse, se in egenis adfuturum, ac tamquam sibi collata reputaturum beneficia, quæcumque illis fuissent impensa. Exempli gratia in Evangelio non ait explicitè, se novissimo judicii die ex nobis expetiturum, utrum illi in Principum persona paruerimus, sed utrum illum in esurientium persona aluerimus. Et enustat ratio: quia cum in pauperibus nihil occurrat, quod nostram mereatur commendationem; immo quidquid in illis deprehenditur, nos avertat, nobisque nauseam afferat; necesse erat, Sanctus Chrysostomus inquit, ut JESUS CHRISTUS seipsum proponeret tamquam objectum officiorum eorum, quæ illis sunt impendenda, & magis explicita cogitatio præsentiæ ipsius omnem superaret repugnantiam, qua naturaliter in id curam omnem horremus transferre, ut eos aliqua ope recreemus. *Fromantieres in hujus argumenti Sermone.*

Prætextus, qui effinguntur, ut nosmet ab eleemosyna eroganda dispensemus.

Nihil habemus, inquitis, nisi quæ sunt nostræ conditioni necessaria: verùm quot abusus sub inani assertæ hujus conditionis prætextu? Quot in mundo de sua conditione præter omne jus, & fas loquuntur? Quot obscuro loco nati, vel populi sumptibus enutriti concussionibus suis, paucos annos ante nullam habebant, quam tuerentur; conditionem? Verum quin hæc exprobremus, nonne patet pulcherrimam, tutissimamque Christiani hominis conditionem, ipsam esse conditionem Christiani: sed conditionem, quæ a divite sustineri nequaquam potest, nisi uberes eleemosynas fuderit? Fateor equidem nonnumquam accidere, ut qui aliis præstant dignitate, pluribus cedant opulentia, & vix ea, quæ sunt necessaria, possidere; at si hoc verum est, ex tot mortalibus; qui hoc in numero esse contendunt, quæro, utrum necessitatem suam nimium extendant, & utrum hoc superfluum verè sit, ideoque pauperibus acquisitum? *Idem.*

Falsus malorum temporum prætextus.

Nihil aliud habetis (o mulieres), nisi quod necessarium est? Quid igitur est luxus iste, qui hodierna die in vestimentis, comitatu, ac supellectili vestra renidet? Sanctus Chrysostomus olim Constantinopoli Templorum valvas occlusit divitibus propter luxum eorum: sed hodiene minus id facere posset? Et adhuc temporum calamitates possent incusari? Varùm uter melius hanc temporum calamitatem ferre potest, ille ne pauper, qui in rerum omnium indigentia languet, cui panis in diem crastinum minima suppetit, qui miseriis obrutus est, an vos, quæ, quidquid dicatis, abundè semper invenitis quod luxui, vanitatique vestræ sufficere possit? Mala sunt tempora; num ideo minus estis superbæ in domibus vestris? Numquid minus magnificæ in personis vestris? Numquid luxu, insanisque sumptibus minori scandalo estis Ecclesiæ? Heu; ne dicatis iterum mala esse tempora, nisi pauperibus. *Idem.*

Occasiones, in quibus eleemosynam erogare tenemur.

Si nobis rerum omnium affluentia gaudentibus pauperes fame, ac siti laborant; si plura possidentibus indumenta pauperes nuditate, ac frigore squalent, si pretiosis peristromatis ornatas ædes habentibus, vix ac ne via quidem illi subsistere possunt; liquidò constat nos locupletes esse eorum habita ratione; nulla re ab eleemosyna eroganda solvi nos posse, ac Deum sine misericordia in nos judicium esse laturum, si hujusmodi in occasionibus caruerimus misericordia. Charitatis exercitatio, generatim loquendo, adeo est ad salutem nostram necessaria; ut hæc una nobis supersit via faciendi fructus dignos pœnitentiæ, ac prohibendi, ne Deus in ira sua nos ex hac terra divellat tamquam arbores mortuas, ac inutiliter eam occupantes. Hoc S. Joannes Baptista nos docet: *Omnis arbor non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Luc. 3. Et interroganti populo quomodonam posset dignos pœnitentiæ fructus facere: *Respondens dicebat illis: Qui habet duas tunicas, det non habenti, & qui habet escas, similiter faciat.*

Eleemosyna esse debet solatio divitibus.

Ne putetis, Fideles, eleemosynæ præceptum esse veluti onerosum jugum: si quid enim solatio esse potest diviti hoc in statu, sanè est præcepti hujus irrogatio. Quid enim facerent divites super terram, salutem consecuturi, nisi hanc illis Deus legem irrogasset? Quam illi invenirent viam, qua ex mundi corruptione possent emergere? Quomodonam Dei flecterent iracundiam? Quomodo illius misericordiam excitarent? Tandem enim quomodo hæc facere possunt, nisi exerceant eleemosynam? *Idem.*

Ex quo fieri debeat eleemosyna.

Pro eleemosynarum vestrarum materia ex statu vestro id fieri tantùm volo, quod scelerum, flagitiorumque vestrorum fomentum est; status vestri superfluum. Superfluum status vestri, exempli gratia, id voco, quod in libidines vestras impenditis: abdicate aviditatem vestram, turpemque hanc vanitatem, quæ fortasse futura est vestræ reprobationis causa, ac superfluum invenietis. Quod in alea, ludisque insumitis; iis inquam ludis, quos tantopere deperitis, & qui vos excæcant, numquid superfluum esse negabitis? Hoc agitur ergo, ut quod superfluum est vobis, fiat eleemosynæ vestræ materia: hoc est, obsonia, quæ post prandium supersunt, vestra non sunt, sed pauperis fame pereuntis; hoc est, vestes, quas in vestiaria theca asservatis, quæ veterascunt, vestræ non sunt, sed pauperis, qui nudus est. Ita Patres omnes locuti sunt, præsertim verò Sanctus Ambrosius: *Famelici est panis iste, quem recondis; nudi est tunica illa, quam in conclavi servas. Idem.*

Eleemosynæ obligatio probatur.

De essentia charitatis erga proximum est non solum illum diligere, verum etiam ei benefacere; tunc præsertim cum nostro eget auxilio, & in necessitate invenitur; Sanctus enim Joannes nos admonet, ut illum verbo tenus, & lingua, sed opere, & veritate diligamus. At per eleemosynam pauperi opitulamur; ideoque Ecclesiæ Patres testantur, Dei Filium eleemosynæ pauperibus erogandæ præceptum in mandatu de proximo, tamquam nosmet ipsos amando fuisse complexum.

Ex

Ex Tractatu, qui inscribitur, Advocatus Pauperum.

Dei Filius in pauperum persona omnibus indiget.

Salvianus egregiè ait quosdam esse pauperes, quibus plurima desunt, nullum tamen, cui omnia desint omnino; sed JESUM CHRISTUM unum esse rebus omnibus carentem; ipsum exulare cum exulantibus, algere cum algentibus, nudum esse cum nudis, esurire cum esurientibus, sitire cum sitientibus, atque in suæ compassionis sensu, unum magis indigere, quàm omnes pauperes simul. Quia addit ille, singuli pauperes in se indigent, & propter se tantùm; at unus JESUS CHRISTUS eget in omnibus indigentibus, atque in omnibus stipem flagitantibus mendicat. *Solus tantummodo Christus est, qui in omnium pauperum necessitate mendicat. Salvianus lib. 4. ad Eccl. Cathol.*

Ad quid Divitibus prodesse possunt divitiæ, quas possident.

Unica utilitas, quam ad salutem ex divitiis suis haurire divites possint inter multos obices, quos illæ ad hanc assequendam opponunt, hæc est, quod viam illis aperit ad ea solvenda, quæ divinæ debent justitiæ, eleemosynam pauperibus erogando. Quid autem illi non debent? debent profectò immodicam reparare affectionem, qua divitiis adhæsere, & abusum, quo eas in luxus, ac flagitia impenderunt. Idololatriam suam repararunt Israelitæ in Tabernaculi sumptus transferentes easdem divitias, ex quibus aureum conflaverant Vitulum. Avaritia, ex Sancto Paulo, species quædam est idololatriæ; eam reparare adnitamur, opes in ædificandis viventibus Dei Tabernaculis, qui Pauperes sunt, insumentes. *P. Nepueu Tomo 1. Considerat.*

Spes hominis lecto proximi, qui charitatem exercuit in pauperes.

Qui erga Pauperes charitatem exercuit, tutus est cum alii contremiscunt, hoc est hora mortis adventante, cum est coram supremo judice producturus; qui licet incorruptibilis sit, flecti se patitur pecunia, dummodo in pauperum manibus deponatur. Qui misericors in egenos est, in Judicis sui persona & debitorem invenit, & fidejussorem; numquid illi metuendum est? Judex illi iis apparet indutus vestibus, quas ipse pauperi tradidit; hoc nonne summam in illo ciere debet confidentiam? Homo tot habet disertissimos apud judicem patronos, & oratores, quot ipse pauperibus opitulatus est. Nequiquam dæmon, & peccata nostra nos arguunt, si nos pauperes excusent; statim namque nos JESUS CHRISTUS justificat, & eo justificante, quis damnare nos potest? JESUS CHRISTUS misericordem hominem damnare non potest nisi suam immutans sententiam, vel sibimetipsi contradicens; nam ex ipsis sententiæ suæ verbis homo ille invictam expromeret rationem, qua causam suam tueri, & judicem suum posset interpellare. *Idem.*

Divitis affluentia, inquit Apostolus, pauperis egestati supplere debet, & alterius superfluum est alterius necessarium; quod si alter alteri neget, quodammodo furatur. Panis, qui domi tuæ putrescit; pecunia, quæ inutilis ærugine conficitur, tua non sunt, inquit Sanctus Basilius. Si pauper esuriens te panem non afferente occidit; tu illum occidis: *Non pavisti: occidisti.* Illius miseria a Deo contra sævitiam tuam deposcit ultionem, & contra te ejusdem armat misericordiam te verò illius; damnante misericordia, ubi refugium invenies? *Idem Tom. 3.*

Ipso Christo eleemosynam damus, illam pauperibus erogantes.

Sanctus Chrysostomus in Homilia hujus argumenti, quæ in sexto Operum suorum Tomo invenitur, ait Deum carnem factum, atque nostræ naturæ conjunctum paupertati quoque cohæsisse, cum illa quamdam ineffabilis unionis speciem efficiendo; eo quod pauper est tabernaculum, ubi latet Deus, quemadmodum sacra Pyxide tegitur. Ita pauper quidem protendit manum, sed recipit Deus, quod pauperi tribuitur: Deus nobis debitor est, & Omnipotens se nobis gratiam relaturum pollicetur. Hac ratione licet ille absit a nobis, adhuc tamen nobiscum est in persona pauperum, nostras recipit eleemosynas, nos sua gratia, suisque cumulat beneficiis.

Pauperibus, quos mendicare pudet, subveniendū.

Pauper nonnumquam os habet, ut ea, quibus indiget, ex vobis petat; at nonnumquam etiam ore caret; ut verecundi illi pauperes, qui sentiunt quidem egestatem suam, at illam non audent exprimere, & pudor eos fari vetat. Hujusmodi egeni os non aperiunt, verùm nihilominus eorum clamat inopia. In hujus viæ hominibus, quam felices estis, si eam imitamini rationem, qua nobis benefacit Deus! Nostras prævertit petitiones; ut nostis opem ferat calamitatibus; non nostras tantùm preces exaudit, sed ipsas quoque dispositiones, in quibus eas effundendi versamur. Verecundi pauperes voce carent, ut suas vobis exponant necessitates; at vocem habet eorum paupertas: hanc audi. Ex te peterent opem, si auderent; illos præveni, neque præstolare, donec efflagitent, sed pro dispositione necessitatis, in qua illos vides, eis eleemosynas eroga. *P. Nepueu in Considerationibus.*

Accuratius iis subveniendum, qui majoribus sunt ornati virtutibus.

Pro ea similitudine, quam cum JESU CHRISTO pauperes habent, atque prout illius perfectiores imagines sunt, ita arctior est obligatio, qua illis opem ferre tenemur; hæc enim obligatio præsertim similitudini, & conformitati, quam cum JESU CHRISTO habent, innititur. In hoc autem Homine-Deo duo erant; summa videlicet paupertas, & sanctitas infinita. Inter pauperes, alii sunt dumtaxat JESU CHRISTI imagines quatenus paupertatis ejusdem participes: alii verò quatenus etiam virtutum ejusdem imitatores. Cum ergo utraque hæc imago simul inveniatur, tunc arctior est obligatio, & hujusmodi pauperes cæteris sunt anteferendi. Cum enim JESUS CHRISTUS sit causa, propter quam pauperibus adesse, & prodesse debemus, extra omnem dubitationis aleam positum est, quò propiùs ad Dei similitudinem pauper accesserit, eo majori charitate a nobis opem illi esse ferendam. *Idem.*

Quænam esse debeat misericordia, propter quam eleemosyna est eroganda.

Ut plane intelligas, quænam sint veræ eleemosynæ, & opera misericordiæ a nobis exercenda, sciendum est quænam virtus sit misericordia; hæc enim est velut arbor, cujus fructus sunt eleemosynæ. Misericordia autem sensus est compassionis, ac tener quidem affectus, quo dolemus, nostrumque cor tangitur, ubi alienæ calamitates nostris accidunt sensibus, itaut ad lavandas, si per nos fieri possit, eorum, seu corporales, seu spirituales necessitates excitemur. Dei proprium esse misereri semper, & parcere, canit Ecclesia, quæ docet infinitam divinæ potentiæ, ac bonitatis magnitudinem in hoc magis, quam in alio quolibet operum ipsius elucere. Hoc nobis Regius indigitat Propheta per ea verba: *Suavis Dominus universis: & miserationes ejus super omnia opera ejus.* Ita nihil est Deo acceptius ea misericordia, quam vicissim exercemus, hujus enim virtutis exercitatione melius Deum imitamur. Ideo Salvator hoc nobis explicitè mandat, dicens: *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est. Bartholomæus Carranza. Tractatu de Eleemosyna.* Psal. 144. Luc. 6.

Pauperi eleemosynam denegare, ubi erogari possit, est se furti reum facere.

Proculdubio, Sanctus Ambrosius inquit, non levius flagitium est pauperi necessariam escam negare, quam eidem tribuere possis, quàm illi eripere frustum panis, quod alibi emendicavit, ut aleretur. Numquid enim, Sanctus Basilius addit, alio quòd furis nomine potest nuncupari, qui cum nudum possit induere, non induit? Vestimenta, quæ in scriniis asservatis, eorum sunt, qui sunt nudi; scitote vos tot furari pauperibus, quot potestis alere, cum eos alere detrectatis. Quicumque superflua possidet bona, aliena possidet; superfluum enim divitum, Sanctus Augustinus inquit, est pauperum necessarium. Ideo egregiè Sanctus Hieronymus ait, convictum esse tamquam raptorem bonorum pauperis, qui plura bona sibi retinet, quàm quæ sibi sunt necessaria. Hæc veritas tot confirmata doctoribus efficere profectò deberet, ut sese colligerent divites, quibus tot superflua sunt. *Idem.*

Mise-

Misericordia in pauperes est hominibus naturalis.

Miseratio virtus est hominibus naturalis, Sanctus Joannes Chrysostomus inquit. Lacrymæ, quas adeo libenter effundimus, hæc cordis perturbatio, qua tanta cum voluptate afficimur aliena intuentes mala, ex ejusdem Doctoris sententia, reliquiæ sunt originalis æquitatis, in qua nos Dominus efformavit: *Ad commiserationem a natura commovemur omnes, nihilque tam bonum est in humanitate nostra.* Videtur igitur Fidelibus hodie ad teneram erga pauperes miserationem excitandis, atque eleemosynæ efficaciter suadendæ satis esse debere, hoc in loco miserrima hypotiposi vobis ob oculos objicere ea mala, quæ paupertas in terris effundit, ac mentes vestras transferre modò in carceres teterrimos, ubi calamitosi homines & paupertatem, & captivitatem simul patiuntur; modò in horrentia nosocomia, ubi languentes ægroti misericordis divitis opem præstolantur; & modò in remotissima tuguria, ubi egentes familiæ æque, & paupertatis rigore, & illius confitendæ pudore torquentur. Hoc spectaculum vos sanè flecteret; at nonne vim cordibus vestris afferret, quam ego vellem? Afficerentur illa quidem miseratione, sed fortasse inutili, inanique. Aliquid vehementiùs requiritur, quam simplices humanitatis sensus, ut cogamini adeo essentiale munus explere, quale est eleemosynam erogandi. *Sermo Manuscriptus P. Catrou J.*

Superfluũ pauperibus debitum.

De superfluo judicium laturi, illud ex necessario æstimandum est: quidquid enim superfluum est, non est necessarium, & quidquid necessarium, non est superfluum. Hinc sequitur, divitem pauperi nequaquam, ut plurimum, debere, quod necessarium est: Providentia, & jus gentium illum in tranquilla possessione confirmant; ejusque possessio cogitatis cæterorum prætensionibus præstat. Amplius dicam, hoc necessarium non continetur solum intra vitæ necessitates, sed ad status cujuscumque decora etiam extenditur. Dominus enim, qui conditiones distribuit, voluit etiam, citra scelus sustineri posse earum dignitatem exteriori ornatu, qui illas maximè deceant. His innixi principiis facile judicari potest, quid in quolibet statu superfluum sit appellandum. Rectam hic posco fidem: & si dives hominum oculos potest fallere, Dei certè judicium non effugiet... Superfluum voco primum quidquid in vitæ mollis delitias impenditur; deinde quidquid in immodicis ludis, aleisque consumitur; tertiò quidquid in inordinatum luxum transfertur. Itaque quidquid mollitiei fovendæ velificatur, superfluum est; cur istud? quia neque vitæ conservationi, neque status honestati est necessarium. Et sane hæc profusio in conviviis; hæc diligens epularum, exquisitissimorumque conviviorum perquisitio, tantum abest, quod saluti, quæ reipublicæ pretiosa habetur, proficiant, ut virus in ipsas usque venas inferant. Verum quid prodest status vestræ dignitati, magnificus hic mollitiei apparatus, qui in ipso voluptatis sinu vobis soporem inducit? Quid immo aptiùs ad molesti muneris, gravisque honoris officii tarditatem afferendam? Quod in immodicos ludos absumitur, neque vitæ, neque conditionis dignitati est necessarium. Tantum abest, quod alea salutare afferat solatium, ut immo necessarium gravissimis imminuit jacturis, & valetudinem vigiliis infirmat. Denique, o sæculi mulieres, quod in pretiosos ornatus, magnificam supellectilem, mundumque muliebrem impenditis, sæpe neque statui vestro, neque vestræ valetudini est necessarium. Hæc igitur omnia sunt pauperum; superflua sunt ad illos spectantia. Ne dicamus igitur amplius: Nihil mihi superest; cuinam calamitosis hisce temporibus aliquid supersit? O nos indiscretos! nos vanitas prodit, & amor voluptatis atque mollitiei querimonias omnes redarguit. Numquid in aleis vestris, lusoriisque cœtibus cessavit profusio? affluentia, ac delitiæ nitentne amplius in vobis, vestraque supellectili? eo ipso momento, quo loquor, nonne immodicus luxus e capitibus vestris renidet? *Idem.*

Pauperum numerus crescit indesinenter.

At enim pauperes sese nobis non offerunt, & publica caritas solidis institutionibus eorum prospexit egestati. Heu fratres! nos proscripsimus pauperes; at fecimus, ut paupertas proscriberetur? Non ignoramus; indigentium numerus in dies singulos crescit. In hoc, o sæculi divites, vos ipsos intuemini, & justè judicate. Non desunt vobis superflua; hæc est omnis obligationum vestrarum causa. Vestra igitur interest, calamitosos homines conquirere; vestrùm est augere ea pietatis opera, quæ ex iis, quæ sibi supererant, majores vestri sanctissimè instituerunt. Nosocomia ære alieno supra vires gravata, pauperum victum multiplicabunt, ubi eorum redditibus per vos fiat insignis accessio. At numquid una tantùm est ratio erogandi, quæ vobis supersunt? Quot captivi ferreis obtuti vinculis in barbaris regionibus ex fratrum suorum inhumanitate recentem arripiunt ansam fidei abdicandæ! Quot ultrò paupertatem secuti omnibus sese bonis exuerunt, ut in sacro Apostolatus munere JESUM CHRISTUM sequerentur? &c. *Idem P. Catrou.*

Qui beneficiis Ecclesiasticis ditati sunt præ cæteris eleemosynam erogare tenentur.

In Crucifixi præsertim bona, in immensas opulentorum hominum, qui Ecclesiasticis ditati sunt beneficiis divitias illud jus habent pauperes, quod vix mente percipi potest. Parentes nostri nobis, vel æquiores, vel ad charitatem magis propensi in hujusmodi institutionibus, quæ repente egenum ministrum inter hujus sæculi felicissimos homines collocat, non aliud sibi proposuerunt, quam per diviris ministerium pauperum egestati consulere. Sed qualiscumque fuerit institutorum intentio, Ecclesia bonorum JESU CHRISTI administrationem illis, quibus eorum possessionem confert, impertit, hac explicita conditione, ut indigentibus opitulentur. Ita sensus suos explicat vera bonorum Crucifixi Domina in novissima Synodo. Audite, quicumque beneficium tamquam hæreditatem, & JESU CHRISTI bona, tamquam Patrimonium vestrum consideratis: *Videant ne se, aut consanguineos suos de redditibus Ecclesiæ ditent*, Quasi illis Concilium præscriberet, ut omnis naturalis affectus obliviscerentur, ut justitiæ tantum meminissent, & utilitatem æquitati sacrificarent.

Expositio miseriarũ pauperum, quæ nostrã ciere debent miserationem.

Humanitas (Auditores), & naturalis commiseratio est veluti fundamentum christianæ charitatis, quam egenis debemus. Ajo autem, solum indigentis intuitum in nobis excitare debere misericordiæ sensus; ejusque inopiam primum illud naturalis legis principium nobis occinere: Fac aliis, quod tibi factum velles. Cæterum non loquor de illis, quos vivendi licentia vagos fecit, & qui in se hominum misericordiam convertere studentes, eamdem avertunt: de veris pauperibus loquor, quales hæc civitas in extremis angulis tegit; de bene, maleque valentibus, quos captivos hospitalitas retinet in domibus manu charitatis extructis; de tot derelictis viduis; de tot virgunculis duplici mortis, vel infamiæ periculo expositis. Sed singula percurramus. Ita tetri carceris squalore languet artifex miser ob exiguam æris alieni summam, quam superfluum divitis facile dissolvere potest, detrusus in vincula. Quid ibi captivus non patitur, & quid propter ipsum desolata ejusdem familia non suffert? Alia ex parte video ægrotantem propius mortuo, vel morituro jacentem, ac venenatam mortis, vel morbi auram afflantem. Officiosæ profectò manus ejus inserviunt necessitati, eique opem ferre satagunt; sed ingens ægrorum numerus ipsos etiam majori zelo succensos JESU CHRISTI famulos fatigat; & redditus ipsi ob multitudinem eorum, quibus est opus, exhauriuntur. Illic pauperem video domi suæ conclusum, ut vivat, libertatis pretio se a morte redimere. Cum sanctarum harum institutionum sint modici redditus, magna indigentium copia imminuit destinata egestati subsidia: ibi libertas amittitur, & misera vita vix trahitur. Sed hæc omnia calamitosorum hominum genera missa faciamus,

ut

sit unum tantummodo intueamur; pauperum videlicet, quos verecundia prodire vetat; & in quos tyrannidem omnem paupertas exercet. Quis pudor est in lucem prodire sine communibus ejus conditionis, ex qua exciderunt, ornatibus! Quæ confusio inhumanis divitibus manum verecundam porrigere, ac probris objici, vel repulsam ferre post exantlata omnia egestatis opprobria! Quam in me excitant miserationem, id genus spectacula? Si fratrem amare teneor, cum superbia illum mihi facit invisum, quid fratri calamitoso, ac supplici debeo! me illius commovent ejulatus, ac gemitus, me etiam inviro, cor ipsum afficiunt: *Extende manum tuam inopi, & carnem tuam ne despexeris*, ait ille mihi gemitibus suis. Aperi, frater, manum tuam, & æquali tuo ne deneges opem. Nobis communis est Pater: ego concivis tuus sum, & conterraneus, fortasse & consanguineus tuus, & me contemnis? Quam me movent hæc verba! &c. *Idem*.

Isai. 58.

Pauperis intuitus fidem, ac spem nostram enimare debet.

Pauperis adspectus supernaturalem etiam charitatem exstimulat; illum enim consideranti mihi mea fides accenditur. Donec calamitosus sese meis oculis offert, in persona illius JESUS CHRISTUS sese fidei meæ offert. Externam speciem, quæ nauseam movet, non moror; hoc velum est, quo mihi occulitur Deus; Deum sub scrutis illis, atque veteramentis invenio. Adhæc me pauperem cogitante, spes excitatur. Quot promissiones mihi in mentem revocat Deus? Eleemosynæ, ego mihimetipsi loquor, reconciliationis gratiam, & satisfactionem pro peccato Deus adnectere voluit; per hanc mihi felicem obitum procurare possum, & maxima gratiarum omnium certam facere meam prædestinationem. *Idem*.

Cur Deus præceperit eleemosynam, & quomodo divites hoc præceptum adimpleant.

Mirum est, fideles, eleemosynæ præceptum a plerisque spectari perinde ac nullam ferme obligationem injiceret; quasi præceptum pro simplici consilio posset haberi. Hæc illusio, & error est semper magis, magisque apud sæculi divites percrebescens, qui in seipsis suffocare conantur teneros sensus, quos natura illis immisit, & quibus ad fratrum suorum infelicitatem commiserandam rapiuntur. Quid enim naturæ, quid rationi magis est consonum, quàm simili suo opem ferre, ejusque levare paupertatem? Deus, qui humani cordis perversitatem exploratam habet, atque compertam, & novit quousque illius in proximum durities procedere possit, ut arctius illum obligaret, eique merito adscriberet virtutem, ad quam a natura formatus, pronusque videtur, voluit inde præceptum illi irrogare, quod citra scelus non posset infringi. At nobisne persuasum est de præcepti hujus obligatione? credimusne hoc esse præceptum, juxta quod novissima de nobis sententia proferenda est, præceptum, cujus prævaricatio æternam nobis mortem est illatura? Heu! Si hoc nobis esset probatum, numquid tot viderentur hominum corda dura, inhumana, bonis hujus terræ adhærentia, quorum dispensatores facti sunt justa, & æqua Dei Providentia. *Sermo Manuscriptus*.

Cuinam rei eleemosynæ præceptum innitatur.

Eleemosynæ præceptum sapientiæ, & æquitati divinæ innititur. Quam enim (Fideles) sapientiæ, justitiæque Dei nostri ideam haberemus, si in inæquali hac divisione alios quidem bonis omnibus, alios verò calamitatibus, & malis, quæ secum paupertas trahit, cumulasset; terræ substantiam aliis totam tradidisset, ac nullam pro aliis benedictionem servasset? Nonne hoc effecit, ut in gravissimos de Providentia errores impingerent veterum Philosophorum plerique, qui infirmam ratione sequebantur ducem, & qui in obscura Ethnicæ superstitionis caligine versabantur; quia intelligere minime poterant, quomodo Deus sapiens, & justus alios quidem in pulvere, miseræque vitæ sordibus, & rerum omnium, quæ sunt necessaria, egestate relinquere potuisset; alios verò ad honorum apicem evehere, eosque (absit verbo invidia) beneficiorum suorum pondere obruere; præsertim verò cum se ejusdem naturæ, iisdem obnoxios infirmitatibus, iisdemque virtutibus pares intuerentur? Nonne hoc nonnullos ad eum impietatis, ac cæcitatis gradum impulit, ut Deum, ac Providentiam negarent; sortisque, & fortunæ arbitrio acceptam referrent inæqualem adeo, variamque bonorum hujus vitæ divisionem? Alii minus athei fortasse, & æquè cæci Deum quidem agnoverunt, sed otiosum, & hæc terrena negligentem. Solum igitur eleemosynæ præceptum probat consilia Providentiæ, quæ in hominum mentibus vel cæca, vel crudelis habita alioquin fuisset; cæca, quia fortuitò bona sua distribuisset: crudelis, quia oblectata fuisset miseras faciens eas etiam creaturas, quas eduxisset ex nihilo. Sed per eleemosynæ præceptum omnia in eum adducit ordinem, quem nemo satis potest admirari; & æque omnibus consulit imperans, ut qui favoribus ipsius cumulati fuere, in partem eorum pauperes vocent. Qui sanè ordo æque utilis est utrisque: dives enim in imperata liberalitate iniquitatum suarum veniam, beatitudinem, ac modum opes suas sanctificandi nanciscitur; pauper verò in largitate divitis id invenit, quod manu sua Deus ipsi noluit conferre; ita disponente Deo, ut hinc quidem divites essent Providentiæ suæ ministri, cooperatores, & vicarii, & quodammodo totidem pauperum vectigales; inde verò pauper a divitis charitate penderet, ut hac dependentia, quodam quasi vinculo mutua inter ipsos societas necteretur, & utrique certam salutis viam aperiret. *Idem*.

Sententia aliquando in judicio novissimo proferenda in eos, qui eleemosynam non exercuerint, illius probat obligationem.

Nihil melius, apertiusque potest eleemosynæ obligationem ostendere, quàm terribilis illa exprobratio, qua vivorum, ac mortuorum Judex utetur novissimam sententiam contra reprobos prolaturus. Audite, & contremiscite vos, qui, tantùm abfuit, quod Viduam, atque pupillum tueremini, ut immò eos per summum nefas oppresseritis: vos, qui pauperum manubiis estis locupletati; qui egenorum substantia saginati estis, qui eorum questus, & ejulatus audistis, quin ad misericordiam flecteremini, quinimmo eorum malis insultastis; qui temporum calamitate estis abusi, ut illos miseriores, & calamitosiores efficeretis, tyrannico auferentes commercio, crudelique fœnore eripientes quod modicum illis supererat; vos denique omnes, quibus erga fratres vestros ænea sunt viscera, & ferrea corda; venite supremum audituri Judicem damnationis vestræ sententiam proferentem; felices adhuc, si donec dies illucet, cor vestrum his vocibus flecti possit: *Discedite maledicti*. Ac quò discedent, Domine? *In ignem æternum*. Cur autem? Quia, Dominus inquit, *esurivi, & non dedistis mihi manducare; infirmus, & in carcere, & non visitastis me*; extrema in pauperibus mala pertuli, quos tamquam membra mea spectare debueratis; & vos non subvenistis. Ita ultionum Dominus in die iræ, ac furoris sui coram universis gentibus divitem propriæ damnationi subscribere coget. Post hæc ambigi ulteriusne potest de præcepti hujus obligatione; quandoquidem supremus hic Judex reliquas Legis partes oblivisci videtur peccatorem ex hoc uno dumtaxat articulo judicaturus, & damnaturus? *Idem*.

Quinam ii sint, quibus eleemosynam facimus, & quo in ordine illos considerare debeamus.

Cogitate etiam (Fideles) quinam ii sint, quibus eleemosynas vestras debetis; & quantumvis nobiles, atque potentes sitis, quodcumque inter vos, ac illos interesse videatur discrimen, considerate, quinam sunt calamitosi illi, pro quibus apud vos hodie laboro. In quemcumque infelicitatis statum illos paupertas redegerit, quibuscumque ulceribus tecti sint, licet fastidium, nauseamque moveant; hi tamen sunt fratres vestri, qui non secus ac vos divinitatis imaginem, & caracterem gerunt, quandoquidem Deum, & Patrem habent, & Creatorem; cum quibus arcto conjuncti estis vinculo per eamdem gratiam, eadem Sacramenta, eamdem spem, religionem eamdem, ac demum eamdem beatitudinem. Deus ergo illos creasset, ut essent

cala-

calamitosi, neque illi vidissent diem, nisi ut noctem, tenebrasque ejus nihili, unde fuerant educti, concupiscerent; si eos rebus omnibus ad vitam traducendam necessariis omnino carere voluisset. At illis Deus abundè prospexit vobis impertans eleemosynam. Vestrum, divites, est hac in re Providentiam ipsam justificare. *Idem.*

Luxus divitum auget dolorẽ pauperum victui suo necessaria petentium.

Cogitate, divites, pauperum bonis luxum ali vestrum, & superbos hos comitatus, quorum intuitus eorum dolorem, atque infelicitatem adauget. Considerate, donec vos rerum omnium affluentia abundatis, donec gemunt mensæ, absit verbo invidia, sub tot ferculorum pondere exquisitissimis jusculis conditorum, pauperem præ foribus vestris languere non deposcentem, ut secum obsonia adeo delicata dividantur, neque ut convivio adeo magnificè instructo excipiatur. Quid ergo petit? Unde producere possit vitam, quæ propter duritiam vestram ipsa sepulchri caligine est illis acerbior: vobis relinquit cætera, & illi modicum, quo indiget denegatur! O inauditam sævitiam, ipsis etiam sævissimis nationibus indignam! Audiuntur quotidie, quin aliquis se flecti sinat, tot miserorum gemitus, & querimoniæ; audiuntur, quin aliquis afficiatur, queruli tot egenorum filiorum clamores, sæpe desolatam matrem obsidentium, panemque æquissimo jure flagitantium, quia ab eadem accepere vitam; sed quæ (proh dolor!) nonnisi madentibus lacrymarum imbre genis, singultibus, & ejulatibus illis respondere potest? Videntur, quin pudeat, graves tot calamitosorum hominum necessitates, qui in ipso tetterrimæ hyemis gelu non habent, quomodo frigus propulsent, & quò secedere possint; cum interim vos in aureis, & holosericis vestibus niteatis, & magnificas ædes inhabitetis, ubi aurum, & ebur atque pretiosa supellex tenidet. O Dei mei Providentia, ubi es? Heu! mihi stupor minime incessit videnti pauperum miseriam in dies perterebrescere; quandoquidem divites luxum, atque magnificent[illegible] ita provehunt, ut omnes conditiones [illegible] cantur, itaut neque Princeps, neque no[illegible] neque plebejus possint distingui.

Summa durities, qua plurimi erga pauperes utuntur.

Ut plurimum pauper non repellitur solùm, verum etiam repulsæ dura verba acrimoniæ, & amaritudinis refertissima adduntur. Abite, dici assolet; vagi & errones estis, inertes, laboremque perosi. Inhumani divites, qui hæc loquimini, non cogitatis, a Deo ipsos ad vos adduci, vel potius ipsum JESUM CHRISTUM in eorum persona sese vobis offerre? Numquid coram vobis sistere potest ratione alia, quæ magis animos vestros afficere possit, & commovere? Ad quos igitur eos confugere vultis? O Pauperes JESU CHRISTI ad barbaras gentes discedite, ibi facilius inventuri, qui malorum vestrorum misereantur. Heu! divites S. Chrysostomus exclamant, nisi vultis fratri indigenti opem ferre, saltem ne duritia vestra illius miseriam augeatis: nisi vultis vulneri medelam ferre, saltem ne gravissimis exprobrationibus novum vulneri volnus addatis. Quia victum a vobis petunt; opus est, ut illis mortem inferatis? Non desunt rationes aliæ minus crudeles, magisque delicatæ, quæ oculos specie quadam horroris avertunt, ne pauperis ulcera, plagasque intueantur; plagas eloquentiùs, sermonibus ipsis opem petentes &c. *Idem.*

De distinctione inter extremas, communesque pauperum necessitates.

Non desunt qui ab eroganda eleemosyna se dispensant captiosa distinctione usi inter extremas, communesque pauperum necessitates, & determinata voluntate pauperibus opem tunc solum ferendi, cum jam ad extremum illorum egestas evaserit. Hæc certissima est consummatæ avaritiæ nota, ideoque nolle suis sese bonis exuere nisi ubi illa ingruat occasio, quæ ferre numquam occurrit, idem est, ac ea semper retinere velle, quæ nota est avaritiæ crudelissimæ, turpissimæque, qua terræ hujus bonis toto pectore se adhærere palam ostendunt. Nullam vides adeo insignem paupertatem; immo neque adesse tibi vis persuadere; vides tantum vagos quosdam, qui in xenodochiis includuntur, quia importuni solent accidere: reliqui omnes non videntur eas pati necessitates, quibus urgentur; ita ut velle tunc solum eleemosynam erogare, ubi extrema necessitas adsit, idem sit ac numquam erogare velle. *P. de la Rue in Manuscripto Sermone de Eleemosyna.*

Divites nihil sibi superfluum putant, quod pauperibus erogent.

Attamen nihil unquam superfluum putatur, omnia necessaria videntur. Ita esse arbitramini Auditores; sed sexcenta pauperum millia derelicta, ac ægrotantium infinita multitudo omni ope destituta, palam vobis ostenderent, quod superfluum vobis est in rhedis illis magnificis, in servorum innumera caterva, in conviviis omni epularum genere instructis, in ditissimis parietum indumentis, ac petistromatis: Tot miseri fame laborantes ostenderent, quod suum est, quod illis vestra eripit sævitia, atque injustitia. Nobis furamini, dicerent cum Sancto Bernardo, quod in aden inutiles sumptus impenditis: bona nostra in alea consumitis; cum illis omnia vobis solatiorum, delitiarumque genera comparatis, atque inordinatis affectibus vestris obsequimini. Hæc est tot pauperum desperationis causa. Terribilis comparatio! eam instruere ego audeam? at cur non audeam? Bona, lætitiæ, convivia, ludi, voluptates ex altera parte; miseriæ, fames, nuditas, squalor ex altera. Et sanè quid Deo molesti fuere hujusmodi infelices, ut ad extrema hæc redigerentur; vobis omnium commodorum, omniumque vitæ hujus deliciarum genere perfruentibus? Hæc causa est, propter quam pauperes conqueruntur, & simul hoc ipsum avarorum divitum peccatum constituit. *Idem.*

Natura nos docet pauperum misereri.

Si secreta cordis nostri studia consulimus, invenimus sanè ea naturaliter esse tenera, atque ad misericordiam prona; proximi nostri miserias vix citra lacrymas possumus intueri, & quin in nobis meupsis experiamur naturales motus, quibus ad opem illis ferendam excitamur. Job misericordiam secum natam esse ait, atque primos ejusdem sensus se ab ipsa hausisse natura; unde Chalcedonense Concilium pulcherrimum hoc depromit effatum; nos videlicet a Deo ad opera Misericordiæ esse factos; hoc est, ipsum immisisse nobis magnas ad hanc virtutem propensiones, quas sequi debemus: *Ad misericordia opera a Deo facti sumus. Biroat in decimoquarto Adventus Sermone.*

Eleemosynis æternæ etiam pauperum saluti consulere possumus.

Quot fideles damnantur, quia pauperes sunt? quot occurrunt quotidie, quibus paupertas periculosa tentatio est, & qui magna committunt flagitia, ut habeant, unde suam egestatem solentur? Eleemosyna hisce in occasionibus erogata hujusmodi scelera prohiberet, tentationes hasce propulsaret, harum animarum jacturam prævertetet, atque esset salutis earum causa. Si charitas tua fatali hoc momento exercetur, si opportunè has eleemosynas erogas, fratris tui damnationem prohibes; subsidium, quod illi præbes erit salutis tuæ causa, & medium, quo utetur Deus eumdem ad gloriæ suæ acquisitionem adducturus. *Idem.*

Ipsa etiam sacra vasa venundari possunt ad pauperes in extremis necessitatibus sublevandos.

Quorumdam Fidelium criminationibus Sanctum Ambrosium redarguentium, eo quod sacra Ecclesiæ vasa vendidisset, pecuniam conflaturus, qua captivos de Barbarorum manu redimeret, apud quos in periculo versabantur, ne Fidei jacturam facerent; disertissimus Præsul respondet, asserramque profanationem admirabilibus hisce verbis confutat: *Verè illa sunt pretiosa vasa, qua redimunt animas a morte; ille verus thesaurus Domini, qui operatur, quod Sanguis Domini. Tunc vas Dominici Sanguinis agnosco, cum in utroque video redemptionem; ut calix ab hoste redimat, quos sanguis a peccato redemit.* Nunc, Sanctus Antistes ait, sacra vasa facta sunt pretiosiora, quoniam liberant Christianorum corpora a servitute, & Christianorum animas a morte. Nunc verè nuncupari possunt JESU CHRISTI thesauri; funguntur enim munere Sanguinis JESU CHRISTI. Cum ea manibus tenent Sacerdotes, Sanguis Salvatoris, quem immo-

immolant, homines liberat a peccato; sed cum ea vendidi Barbarorum expleturus aviditatem, eorum pretium Christianos ab infidelium simul, dæmonumque tyrannide redemit. *Idem*.

Eleemosyna quædam est animi grati nota erga beneficia, quibus a Deo sumus cumulati.

Per eleemosynam, Sanctus Augustinus inquit, erga Deum ipsum quamdam gratitudinis speciem exercemus, quæ nostra eum ipso debita quodammodo dissolvit. Artem invenimus solvendi, quod illi debemus, propriis ipsius bonis; & aliquid tribuendi ei, a quo omnia recepimus. Cum enim temporalia bona sint divinæ effectus misericordiæ; efficimus, ut ipsius beneficia ad ipsum usque fontem resiliant; pauperum quippe manus usque in Dei sinum transferunt hæc eadem bona, quæ inde effluxerunt. Sed illuc redeunt cum quodam præstantiæ gradu longè majori, quam in origine sua obtinerent; namque JESU CHRISTI meritis commendantur; itaut bona merè temporalia, ac terrena fiant cœlestia, ac pretium ipsius æternitatis. *Essais de Sermons. Pro sexta post Pentecostem Dominica*.

Eleemosyna est de præcepto.

Exemplum, quod Dei Filius in miraculo multiplicati panis reliquit, docet viscera misericordiæ aperienda esse fratrum nostrorum inopiam videntibus; solatium afferendum esse pauperibus, quos in medio nostrum reliquit, ut ipsum in terris repræsentarent; charitatem nostram pro viribus, & ultra vires etiam, esse extendendam; qua in re ut plurimum nosmetipsos fallimus. Credimus enim hunc esse charitatis actum, non præcepti necessitatem; eleemosynam tamquam perfectionis consilium, non tamquam inevitabile divinæ legis præceptum respicimus. Dummodo ab alienis abstineamus, nobis nostro abuti licere arbitramur; ad justæ acquisitionis titulum confugimus, neque malum corrigimus usum, in quem accepta a Deo bona convertimus. Hunc hodie errorem impugnandum aggredior. *Flechier Sermone de Eleemosyna præcepto*.

Cur divitibus Deus opes concedat.

Quandoquidem Deus opes largitur, inferendum est, ipsum ob finem aliquem eas elargiri, easque in usum aliquem destinare; ideoque ob gravem aliquam causam eas divitibus largè, effusèque donare, pauperibus autem denegare. Quænam igitur hæc ratio est, quinam hic finis? Num ut hominum affectionibus, non autem humanis satisfiat necessitatibus? Num ut aliorum superbiam, & avaritiam nutriat, aliorum verò humilitatem, atque patientiam fatiget? Num ut luxui vestro, atque intemperantiæ præbeat nutrimenta, sumptibus eorum, qui fame, siti, ac nuditate laborant? Num ut vestra dissipentur bona in inutiles sumptus indiscreta profusione, non autem ut indigentibus pia dispensatione communicentur? Num ut oculi mortalium inani divitiarum fulgore, quæ illis fortasse surreptæ fuerunt, perstringantur; atque ut ostendatur quousque vel prodigi effusio, vel avari duritia procedat? Avertat Deus, cogitationes adeo abjectas, & sua indignas Providentia. Hoc esset Deum cæcitatis arguere, vel præoccupationis in divitum gratiam; injustitiæ, vel crudelitatis contra pauperes, eique vitio vertere horum quidem calamitatem, illorum verò flagitia. Haud ita profectò. Deus divites faciens, eos efficere vult misericordes; eos eligit tamquam misericordiarum suarum instrumenta, atque rivulos, per quos exteriores gratiæ suæ in Ecclesiam debent effluere. *Idem*.

Objurgantur divites inhumani.

Quid opus est, ut in amplis, superbisque ædibus vestris sub aureis, cæruleisque laquearibus horrentibus etiam anni tempestatibus ver perenne studeatis efficere; cum interim egenus nequiquam miserum quærat perfugium, ubi ab aeris inclementiis se protegat? Quid opus est, ut abaci sub aureorum, argenteorumque vasorum pondere gemant, quæ minimè prosunt, nisi ut vestra quidem ostentetur vanitas, aliena verò irritetur; cum interim testaceum desit vasculum pauperi, ubi suum excoquat olus? Quid opus est, ut iis accumbatis in cubilibus, quæ aris ipsis ornatiora sunt, atque ditiora, ubi & voluptati, & ignaviæ litetis; cum interim pauper humi stratus vix inveniat, ubi aliquot noctis momentis lassos reficiat artus, atque diurnis laboribus affecta membra soletur? Illos vobis, vos illis applicata; & nisi carere potestis tot inutilibus, superfluisque rebus, quæ commentitiæ felicitati vestræ velificantur; saltem illis suppeditate quidquid eorum inopiam lenire, ac paupertatem levare potest: alioquin Providentiæ leges infringitis, quæ vos elegerat, ut divitiarum suarum essetis dispensatores. *Idem Flechier*.

Pauperum misereri debemus.

Qui hujus mundi opibus diffluit, atque claudit viscera necessitatibus fratris sui, in hoc Dei charitatem esse, quis credat? Quandonam miserebitur, nisi eum flectit adspectus pauperis, cui unus dumtaxar vitæ habitus superest; pupillorum, quibus hæreditatis reliquiæ auferuntur, miserorum, quos amissio causæ, & iniquitas judicis ad desperationem adegere; obærati, quem inhumanus suffocat creditor dicens, redde, quod debes; ægrorum in quibus dolor simul, atque paupertas decertant, uter illis mortale vulnus sit inflicturus? Quæ gravior occurrere potest proximo ferendæ opis occasio, quam fames, sitis, infirmitas, & mortis non corporis tantum, sed animæ quoque periculum? *Idem*.

Duritia in pauperes avaritiæ nota.

O vos, qui in luxu, & vanitate vitam traducitis, quam metuendum est, ne cor vestrum ibi sit, ubi thesaurus vester! Quomodo bona vestra pro JESU CHRISTO relinqueretis, quandoquidem eorum particulam propter illius amorem erogare negatis? Quomodo paupertatem pati possetis, quandoquidem non audetis, vel modicum aliquid de affluentia vestra decerpere? Ostendite vos divitiarum amore nequaquam teneri, pauperibus largè, effusèque donando ea, quæ sunt vobis superflua. *Idem*.

JESU CHRISTI maledictio in divites maximum [illegible] est propter [illegible] duritiam in pauperes.

Maxima divitiarum maledictio est suffocare omnes miserationis sensus, & crudelia, & inhumana viscera claudere, quod in Scripturis Deus maledicto persequitur. Et patet ratio; cum enim in vita nihil incommodi locupletes patiantur, ad ea non advertunt animos, quæ aliis incommodum afferunt. Qui nascens bonorum omnium a parentibus suis quæsitorum copiam est nactus; qui educatus est in molli, effœminataque vita, omnibus vitæ deliciis affluenti; septus mortalium corona id quærentium unum, ut illi solatium, atque voluptatem afferant; qui omnes diei horas jugi hilaritate traducit, & cui unum hoc incommodum est, voluptatum videlicet nausea, fastidiumque; scit ille, quid sibi velit rebus omnibus carere, ac miseros dies trahere? Hæc autem est causa, propter quam alienæ egestatis, atque ærumnæ numquam miseretur. *Idem*.

Eleemosyna esse debet cum misericordia conjuncta.

Non sufficiunt Deo vestræ eleemosynæ; cor ipsum, ipsius cordis imum, quidquid vobis intimum, atque substantiæ vestræ magis insitum est, viscera videlicet vestra; *Viscera misericordia* petit. Pro inhumano corde, quod proximi vestri miseriis non afficitur, pro duris, barbarisque visceribus, assumite cor tenerum, atque misericors, & viscera, quæ miseratio, & humanitas molliant. *Induite vos viscera misericordiæ*. Verùm si cum divites sitis, ac proximi vestri miseriam noveritis, illi viscera vestra clauditis, quomodonam fieri potest, ut Dei charitas maneat in vobis? *Joly Sermone pro septima post Pentecosten Dominica; de Eleemosyna necessitate*.

Quomodo Salvator judicii die, illos excipiet, qui pauperibus negaverint eleemosynam.

Dei Filius novissimi Judicii die Prædestinatos quidem sibi ad dexteram adstare videns, reprobos verò ad sinistram; in hos inflammatam ira, & furore oculorum convertens aciem, terribilia hæc proferet verba: *Discedite a me maledicti in ignem æternum* &c. Heu! quid fecimus Domine, ut severa adeo puniri pœna mereamur? Quid fecistis barbari? *Esurivi, & non dedistis mihi manducare*; Sitivi, & potum non tribuistis mihi; procul a domo eram in terra ignota, neque recepistis

me;

me; nudus eram neque malè farta me cortipuistis tunica; æger eram, atque in carceris squalore æstu urebar, & gelu, neque vel semel me visitastis. Discedite maledicti in ignem æternum. Frustum panis negastis mihi, scruta malè consarcinata, reliquias vanitatis vestræ, luxus, aleæ, libidinumque vestrarum; me cognoscere noluistis; ego quoque vicissim non cognosco vos; non voluistis me domi vestræ recipere, domus vicissim mea vobis æternum erit obstructa. *Idem.*

Cur judicii die sermo tantùm erit de datis, vel negatis eleemosynis.

JESUS CHRISTUS, Sanctus Leo inquit, in celeberrima illa, novissimaque sententia, quam hinc quidem in Prædestinatorum proferet gratiam, inde verò in reprobos ejaculabitur, loquitur solum de datis, negatisve eleemosynis, ut inde faciat unicum veluti fundamentum aliorum quidem felicitatis, aliorum verò æternæ calamitatis; quorsum autem? Num quia hæc una justorum est virtus? neque aliud iniquorum peccatum? Ita est; Sanctus Leo respondet. Erunt quidem aliæ in Prædestinatis virtutes, alia erunt in reprobris scelera: sed in judicio Dei liberalitas illius, qui eleemosynam contulerit, & illius duritia, qui eam erogare detrectaverit, æstimabitur tanti, ut charitas futura sit veluti plenitudo virtutum omnium in altero; in altero verò crudelitas criminum omnium habenda sit consummatio. Non dicetur Abrahæ; mihi paruisti præcipienti, quod factu difficillimum erat, ut videlicet filium tuum immolares: neque diviti nequam dicetur, provincias diripuisti, sexcentas injustitias, & concussiones exercuisti, tot adulteria, scortationesque patrasti; tot per ambitionem, ac ultionis capescendæ libidinem mala commisisti. Sed illi exprobrabitur tot pauperum cædes, quos fame interire passus est: hoc unum scelus satis est, ut damnetur; & licet non alia patrasset delicta, ob hoc unum esset æternis ignibus adjudicandus. *Idem.*

Qui Ecclesiasticis ornati sunt beneficiis pro aliis eleemosynas rogare tenentur.

Vos Ecclesiasticis ditati beneficiis, qui peculiari, arctiorique obligatione eleemosynam erogare tenemini; Vos, qui non solum quatenus divites, non solum quatenus Christiani, immo non solum quatenus Sacerdotes, & Ministri Domini pauperibus opem ferre debetis; sed qui opimis redditibus, qui ex fidelium oblationibus in vestram rem cedunt, instituti fuistis, ut pauperum sequestres, & œconomi essetis, nostisne, quo nomine vos D. Bernardus appellet? Homicidas, & fures vocat, si iis opibus abutimini, quæ vobis fuerunt concreditæ; si, quin pauperibus subveniatis, divitias vel in arca per sordidam avaritiam retinetis, vel immodicis, insanisque sumptibus illas absumitis. *Idem Joly.*

Respondetur dicentibus, nihil superesse sibi, quod pauperibus erogent.

Si salvari vis, ne ea quæ tuæ conditioni supersunt, vel juxta libidinem tuam, vel secundum mundi consuetudinem impendas. Superfluum non vocas aurum, quod alea absumit? Superfluum non vocas ingentem illam auri, argentique vim in arca conditam ultra eos sumptus, quos vulgò facere consuevisti, cum interim pauperes intereant fame? Nihil tibi superfluum esse dicis? Vel vera non dicis, vel falsum JESUS CHRISTUS asseruit, cum hanc legem irrogavit: *Quod superest date eleemosynam. Idem.*

Luc. 11.

Respondetur dicentibus, se pauperum miserias non nosse.

At enim pauperum miseriam non nostis. Quomodo illam cognoscere vultis? Pauperes domum vestram ingrediuntur? Illuc quidem ingrediuntur libidinum vestrarum socii, & fortasse etiam devotæ impuritati vestræ victimæ: at aditus pauperibus erit obstructus. Quoties in cœtibus nostris adesse distributioni eleemosynarum, quas ibi nonnumquam pii homines erogant, visi fuistis? Visi profectò sæpe fuistis choreis adesse, ludis, spectaculis: sed cœtibus charitatis numquam interfuistis. Abite inhumani, saxea corda; quam in cœlesti regno partem sperare potestis, quod in eleemosynarum mercedem tribui dumtaxat videtur? *Idem.*

Eleemosyna de suo, non de alieno eroganda.

Nostis, divites, quid faciatis, cum postquam per fas, & nefas ingentes undique divitias congesseritis, Deo munus offertis, aliquam argenti vim pauperibus erogantes? Integram fortasse civitatem diripuistis, vel fortasse etiam Proviciam concussionibus vestris; vos tot mortalium sumptibus obscuram, ignotamque domum unde extitistis, opibus cumulastis; omnes qui sciunt, quinam eratis, & estis, vos horrent, & execrantur; litibus, fœnoribusque plurimis familiis interitum attulistis; plurima præter jus, & fas exegistis; atque illis estis patrocinati, qui præsidio vestro, & auctoritate freti, fanda, infandaque patrarunt omnia, & pauperum substantiam exhausere. Attamen aliquot conscientiæ stimulos placare vultis; vel adhuc aliquam justitiæ auram captare; aliquot eleemosynas ad nosocomia mittitis, egenis aliquot fertis opem: at nostisne, quid faciatis? Oves jugulastis, ut Biblicis verbis utar, coram pastore illarum; manus vestras fœdastis sanguine pauperum, qui sunt Filii Dei; & hæc sunt ovium spolia, hæc filiorum, quam illi offertis, substantia. Oporteret non esse Deum, qui est, ut æqui, bonique munus vestrum consuleret. *Idem alio in Sermone de qualitatibus Eleemosynæ.*

Ejusdem argumenti.

Cum ad Scribas, & Pharisæos retulit Judas argenteos, quos acceperat, ut Dominum suum illis traderet; illum cum ignominia dimiserunt, dixeruntque nefas esse, sanguinis pretium in Templi thesaurum immittere. Heu! fierine posset, Domine, ut æquo acciperes animo sanguinis pretium, quod hi fures, atque injusti raptores offerunt tibi? Frustra igitur per Prophetam tuum dixisses; Frange panem tuum esurienti, atque pauperibus distribue illum. Hic non est panis, qui propriè, ac legitimè ad hos divites spectet; panis est hujus familiæ, panis hujus viduæ, & pupilli. Distribuant illi, si lubet, panem suum: sibi in persona pauperum panem illum largiantur, in quem jus habent suum: at non ea efferantur audacia, ut tibi offerre velint eorum spolia, quos ipsi nudarunt. *Idem.*

Ejusdem argumenti.

Nescio utrum in Scripturis inveniri possit dolor similis illi, quo Patriarcha Jacob affectus fuit, cum filii attulerunt ei tunicam dilecti Joseph cruore manantem: *Vide an tunica filii tui sit.* Tunicam habemus; vide utrum sit filii tui; illam nosti? Patriarcha mœrore confectus vestem illam accepit, cumque cognovisset illam perinde ac dilectissimum pignus suum sævissimarum belluarum rictu discerptum fuisset intuitus, exclamavit: *fera pessima devoravit Joseph.* Injuste alienorum bonorum usurpator! hoc tu ipse facis, cum Deo eleemosynam tribuis earum rerum, quæ ad se minimè pertinent. Licet fœnora, ac rapinæ suæ sint illi semper præsentia, videris tamen, cum illi offers pretium sanguinis pauperum, & cruentam pupilli tunicam ostendis illi; videris inquam, ob ejus oculos iterum objicere tempus, locum, diem, horam, atque momentum, quo illos bonis spoliasti. Atque tunc si in gloriæ suæ statu doloris posset esse compos, tu cor ejus transfigeres, & exclamaret; *Fera pessima devoravit Joseph.* Tu judex injuste, tu fœnerator, tu raptor filium meum devorasti, quid potes ab extremis meæ justitiæ rigoribus expectare? *Idem.*

Genes. 37.

Ibidem.

Eleemosyna largè effusèque donanda, ut redimantur peccata.

Si ad novissimum usque quadrantem scire posses, quid erogare debes ad peccata tua redimenda; si posses dicere, pro tot mendaciis, atque perjuriis tot efficere debeo eleemosynas; pro tot noxiis voluptatibus, pro tot inhonestè, & contumeliosè dictis, pro tot fœdis cogitationibus, quibus assensus sum, pro tot malis exemplis, & scandalis, quæ præbui, pro tot immodicis insanisque sumptibus in aleis, supellectili, indumentis, conviviis, pro tanto temporis spatio, quod perdidi, mollem, ignavamque vitam traducens; pro his omnibus tantam eleemosynæ vim debeo tribuere, quam recipiet Deus in satisfactionem pœnæ meis sceleribus debitæ; Hæc omnia si nosses, dicerem equidem, sedulam eleemosynarum rationem suppu-

ta, ne charitas tua debitam earum summam excedat. Verum cum hoc agnosci minimè possit, neque liceat scrutari quam a nobis satisfactionem divina justitia deposcat; ne cesses largè, effusè, magnificèque donare; quidquid enim erogabis, semper modicum erit, ubi cum peccatis redimendis comparetur. *Idem*.

Liberales esse oportet erga Deum in persona pauperum.

Ne parci sitis cum Deo, qui omnia largè, atque affluenter vobis tribuit; ne sitis adeo cauti in erogandis eleemosynis, neque in bonorum vestrorum distributione sordidi. Parum quidem prudentiæ, charitatis verò multum habete. Cum quod vestræ conditioni superfluum est, sit erogandum; ne quæraris, quanam in te hoc superfluum consistat? quid vobis pro necessario habendum sit? Necessarium hoc quantum fieri potest minuite: Hæc autem adeo necessaria proportio non solum admittenda est in bonorum vestrorum consideratione; verùm etiam in pauperum egestate, & inopia spectanda est. Nonnumquam communis est, & usitata; sed nonnumquam extrema est; quo in casu non id solum tribuendum est, quod superfluum, sed aliquid etiam ex eo, quod necessarium. Urget necessitas: charitas vestra excitetur; cumque hæc necessitas magis augetur, magis etiam misericordia vestra augeatur. *Idem*.

Si pauperes aliquando egestatem suam majorem, quam verè sit, simulant, non ideo cessandum.

Sed etiamsi pauperes non ea premerentur inopia, quam simulant, licèt dolis, ac versutiis uterentur eleemosynas captaturi, nonne videtis, Sanctus Chrysostomus inquit, eorum fraudem apertissimum esse injustitiæ vestræ argumentum? *Illorum simulatio injustitia vestra est*. Vos, barbari, eos simulare cogitis. Cum ipsorum paupertas sine hoc squaloris, ulterumque comitatu ob oculos vestros versabatur, integri elabebantur dies, quin frustum panis referrent; eorum percrebrescente miseria, ac fame, pallore, ejulatu, membrorum simulata tabe cordis vestri duritiam flectere studuerunt. Non aliud inhumanitatis vestræ inditium quæro præter hunc statum, in quem sese redigere conantur, ut aliquam extorqueant eleemosynam. *Idem*.

De eleemosynis è morientibus legatis.

Hæc pia legata, serasque eleemosynas improbare non ausim; illas probo, & laudo, & toto pectore suadeo; sed undenam plerumque hæc legata, atque eleemosynæ proficiscuntur, nisi ex fonte quodam duritiæ, & avaritiæ? Mulier illa pauperibus relinquit ea, quæ secum auferre non potest; si enim in alteram vitam omnia secum bona sua posset transferre, næ illa quidem in hoc minimè relinqueret. Vir ille testamento tantum æris pauperibus legat, tantum nosocomiis, tantum xenodochiis; sed hoc acceptum referendum est gravi, quo laborat morbo; si enim bona frueretur valetudine, nihil ab eo magis acciperent pauperes, quàm cum fruebatur, acceperint. Legat, & quæ velit, nolit, sibi sunt relinquenda. *Idem*.

Pauperum misereri debemus.

Verum est, si naturæ vocibus præberemus aures, illæ sufficerent, ut cor nostrum omnibus tangeretur malis, quæ fratres nostri patiuntur, manusque aperiremus bonorum nostrorum partem illis erogaturi. Quamcumque speciosam prætexere valeamus causam ad duritiam nostram tegendam, vox hæc de cordibus nostris clamat indesinenter; quod si in horum pauperum loco versaremur, vellemus nobis opem afferri, & de divitum inhumanitate nos in hac relinqueorium egestate conquereremur. Sed quemadmodum hominum plerique facti sunt his naturæ vocibus surdi, Deus, ut efficaciter divites pauperum miseratione afficerentur, eisque eleemosynis solatium afferrent, huic voci vocem veteris, novique Testamenti, ac sui vim adjecit exempli. *De la Font. Tomo 3. Proposit. pro Dominicis anni. Domin. 6. post Pent.*

Qui pauperi extrema laboranti necessitate non subvenit, illum occidit.

Reus es, Sanctus Basilius inquit, mortis eorum, qui propter defectum earum rerum, quæ sunt ad victum necessaria, & quæ tamen illis facili negotio suppeditare potuisses, moriuntur: *Pasce morientem: si non pavisti, occidisti*. Ita est, Pater hic ait, eleemosynam erogare detrectans & pauperi injustitiam, & Deo infers injuriam, atque tibi noxæ vertetur tot hominum mors, quot miseris opem, ac solatium ferre potuisses. Qui id fecerit, non charitatem solùm, verum etiam justitiam lædit; Ecclesiasticus enim eleemosyna debitum vocat; non perfectionis consilium, sed religionis præceptum: *Declina pauperi aurem tuam, & redde debitum tuum*. Numquid mirum tibi videtur, quod Cœli janua iis occludatur, qui rapto vivunt, judicibus nequam, qui sententiarum suarum iniquitate integras familias avertunt, qui urbes, atque Provincias diripiunt, ut luxum, atque fastum nutriant? Attamen hoc ipsum judicium eos damnat inhumanos divites, qui pauperibus eleemosynam renuunt. Bona eripere habentibus, vel non habentibus partem suorum negare, ex Patrum sententia, est unum, & idem. *Idem*. Eccli. c. 4.

Exprobratio a JESU CHRISTO novissimo Judicii die inhumanis divitibus facienda.

Dei Filius inhumanis divitibus obstructurus os, dicet illis; *Quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis*. Ubi sunt pauperes, inquiet ille diviti nequam, quibus largitus est ingentium bonorum particulam, quæ ego tibi largè, effusèque donavi, ut essent eleemosynarum quidem manuum instrumenta, salutis verò adminicula? Ubi familiæ rerum omnium inopia laborantes, quibus subvenisti, vel eleemosynis tuis prohibuisti, ne interirent? Ubi puellæ bonis omnibus carentes, quas ab infamia vindicasti, eisdem victum suppeditans? Ubi vincti, quos de carceribus liberasti, & captivi, quos de Infidelium servitute eripuisti, ubi qua minis, qua tormentis vexati sæpe adacti suore, ut fidem abdicarent? Hæc ex te quærit Sanctus Ambrosius: *Commissas tibi opes, cum quibus egentibus divisisti? quibus necessitatem patientibus subvenisti? quos de carceribus, de vinculis, de gladio profusa pecunia liberasti?* Nihil erit, quod hisce quæstionibus reddant; neque aliud præstolari poterunt, nisi irrevocabilem damnationis sententiam. *Idem*.

Contra Providentiæ ordinem fertur, qui pauperibus negat eleemosynam.

Dives inhumane, qui oculos avertis ne pauperis videas egestatem, scias, illud, quod negas egenti solatium, gravissimum esse debitum, quod tibi injecit Providentia; ita enim Spiritus Sanctus vocat eleemosynam: *Redde pauperi debitum tuum*. Hæc non est gratificatio, neque officiosa liberalitas, sed in rigore justitiæ solutio est. Non ex bonis vestris ea hauritis, quæ pauperibus erogatis, sed ex divinæ Providentiæ largitate; manus vestræ non aliud sunt, quàm rivuli eleemosynarum, quarum fons est Dei Providentia; & cum quin salubres aquas in siccos, arentesque egestatis agros sinatis effluere, illas in usum vestrum convertitis, vel a naturali cursu illas deflectitis, ut iniquitatis vestræ fructus irrigetis, vosque nefariis deliciis immergatis; tunc palam contra Providentiam delinquitis. *Essais de Sermons. Sermone pro sexta post Pentecosten Dominica.*

Eleemosynam largiri nolle injustitia est, & furti species.

Subtractio, quæ pauperi fit, particulæ bonorum, quam Creator illi per manus vestras vult distribuere, vera est injustitia; & eleemosyna, quæ huic est opposita in Scripturis, justitia appellatur: *Videte ne justitiam vestram faciatis coram hominibus*. Adest quoddam acquisitionis furtum, quo pauperes fiunt, cum aliquis sibi usurpat ea, quæ ad ipsos pertinent; adest etiam furtum retentionis, quo ea, quæ pauperibus sunt necessaria, illis negantur. Pauper hic, cui panis, indumentum, subsidiumque deest, nonne quemadmodum & tu, opus est manuum Dei? Nonne Sanguinis ejusdem pretio redemptus? Numquid erga illum Deus Creatoris officia adimplere non debet? In te ille requiescit, ac tu es Providentiæ ejusdem vicarius. Perfungi debes & munere, quod credidit tibi, subveniendi, alendi, vestiendi fratrem tuum necessitate laborantem, alioquin severissimè expetiturus est ex te rationem bonorum, quæ contulit tibi in hunc usum eroganda. Hoc depositum est, quod in manibus tuis collocavit, ut in pauperum ma-

nus

nus transmitteretur; hoc tributum est divitum bonis impositum supremo bonorum omnium Domino erogandum. *Ibidem.*

Elogia, quibus Spiritus Sanctus misericordiæ opera commendat.

Elogia, quibus Spiritus Sanctus reliquas simul virtutes omnes celebravit exæquare non possunt laudes illas, quibus singulariter opera Misericordiæ prosequitur. Deus horum nobis necessitatem, præstantiam, meritum, virtutem repræsentat plurimarum imaginum multitudine, quæ eleemosynam supra cætera exercitia pietatis extollunt. Modò explicitè hanc præcipit: *Misericordiam, & miserationem faciat unusquisque fratri suo:* Modo beatos vocat, qui illam exercent: *Beati misericordes: quoniam misericordiam consequentur:* Modò ita eleemosynis peccata, ut ignes aqua, docet extingui: *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum:* Et alibi eam nobis exhibet velut aliorum operum supplementum, & efficacem ad mala opera reparanda satisfactionem: *Verumtamen quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.*

Zach. 7. Matth. 5. Eccli. 3. Luc. 11.

Ex vobis non quæritur, divites, ut corpora vestra jejuniis, saltem enim gravi severitate, maceretis, ac vosmet in cinere, & cilicio prusternatis; sed hoc unum quæritur, ut manus vestras ad egenum, & pauperem extendatis. Hoc pœnitentiæ genus non exigit a natura magnos illos conatus, quibus imbecilles, ac delicati pares non sunt. Habentibus opes nihil æque facile est, ac earum partem non habentibus impartire. Opus est, ut larga divitiarum suarum ope ea omnia reparent mala, quæ divitiarum perfruitioni, supellectilium magnificentiæ, conviviorum deliciis ac indumentorum luxui inhærent; atque mali remedium, in ejusdem origine inveniant. *Idem.*

Divitum ope voluit Deus pauperibus succurrere.

Deus in hac conditionum inæqualitate, quam ipse in mundo constituit, & quæ partem efficit pulchritudinis, quam in mundo admiramur, consolere debet pauperum necessitatibus, alioquin hi jure conqueri, & divinam increpare possent Providentiam, si nullum ipsis reliquum fecisset solatium, atque perfugium. Ad hoc autem quid præstat? Mandat divitibus, ut illis prospiciant; quod ut præstare possint, illos affluenter opibus cumulat, & quemadmodum in natura quædam magna creavit in copia, ut indigentibus universorum partibus suppleret; ita in politico regimine aliis quidem liberaliùs effundit bona pro aliorum solatio. Divitibus bona contulit, & opes, non ut in arca asserventur, atque in solum ipsorum commodum impendantur, sed ut in pauperum usus effundantur. *Biroat Sermone pro quarta feria post tertiam Quadragesimæ Dominicam.*

Eleemosyna animabus æque, ac corporibus subvenire possumus.

Nisi charitas extincta est in cordibus vestris; misereminì horum corporum, quæ languent ulceribus depasta, nuda, ac sibimet opera ferendo non paria; præsertim verò misereminì animarum propter paupertatem sæpe intereuntium, & gravia quælibet patrantium scelera, ut suæ consulant egestati. Eleemosyna una illos ab interitu vindicare potest, atque ab æterna calamitate tueri. Quàm præclarum usum divitiarum vestrarum potestis efficere, quandoquidem cum JESU CHRISTO animarum prædestinationi possunt cooperari? Deus hic homo non pepercit Sanguini suo, ut eorum salutem operaretur; vos autem bonorum vestrorum partem negare audebitis eorum æternam damnationem prohibituri? Sin autem nequaquam vos miseret animarum, quæ in summo salutis periculo versantur, eo quod illis non subvenitur; saltem misereat vestræ, quæ in eodem discrimine invenitur. Unica illi subveniendi ratio hæc est, ut aliquando alienæ opem ferre studeatis; ita enim vos excipiemini, quemadmodum exceperitis alios; atque in æternitate nulla pro vobis futura est misericordia; nisi fueritis in fratres vestros misericordes. *In Moralibus sermonibus. Sermone de eleemosyna.*

De pauperibus verecundis.

Si pauperum miseriam prævertentes quæreremus dumtaxat eorum parcere verecundiæ, quæ eorum plurimos ab ope petenda deterret; Fidelis generosus, qui gratiæ motus sequeretur, eos huic pudori nollet objicere. Addere confusionem repulsæ confusioni petendi, inhumanitas est, & sævitia; Pauperis huic pudori non parcere, at pudorem repulsæ non inferre, licita est species misericordiæ: sed pro virili ipsam quoque petendi verecundiam tollere, hic est christianæ generositatis effectus; quis tunc solum accidit, cum egenorum inopiam prævenimus. *Fromentieres. Tomo* 12. *Quadrag. Serm. de Eleemosyna.*

Ejusdem Argumenti.

Non desunt pauperes, quos vos ipsi dignoscere potestis, absque eo quod eos pudeat vobis miserrimum aperire statum, ad quem redacti fuere. Accedant alii, si lubet, ac petant; sed hos prævertite, ne petant. Date panem emendicanti, sed potiùs date pauperi emendicare erubescenti; ille petit, ejusque vox querula sibi aliquid esse tribuendum prædicat; hic autem silet; & muta ipsius verecundia vos vigilare jubet, ut non solum eas præveniatis petitiones, quas proferre posset; verum eas etiam, quas proferre minimè auderet. Hæc est S. Augustini sententia. *Idem.*

Quomodo eleemosyna prohibeat, ne pauperes peccent.

Una tantum opportunè erogata sufficit eleemosyna, ad prohibendam modò hominis alicujus rapinam, modò virginis prostitutionem; hic calamitosi pauperis fraudem, ibi miseri alicujus perjurium. Quot murmurationes, atque blasphemias eleemosyna per occasionem tradita avertit! quot impetus, ultiones, furores, fortasse cædes etiam velox, & prudens compescuit eleemosyna! Vos autem, Fideles, qui hanc facitis eleemosynam, quam inde gloriam percipitis? *Idem.*

JESUS CHRISTUS in pauperũ persona petit eleemosynam.

Audite JESUM CHRISTUM, Salvianus ait, audite illum de aliorum fame, aliorum siti, horum captivitate, illorum nuditate conquerentem. Omnia universali huic Pauperi desunt; & si quilibet pauper in se, ac propter se indiget; JESUS CHRISTUS in omnibus indiget indigentibus. Quæ cum ita sint, o terræ divites, potestisne aliquem videre pauperem, quin illi opem afferatis? *Idem.*

Solatium, quod in morte percipient qui dum viverent eleemosynas erogarunt.

Quid sperares te impetraturum a Principe, cui vel in carcere detruso, vel in nosocomiis laboranti, vel populi rebellis seditione depulso opem tulisses? Quid autem non speres a JESU CHRISTO, postquam millies ex inopia, ac squalore illum eduxeris? Licet enim in gloria sua pati non possit, patitur tamen in pauperibus omnibus, qui ejusdem sunt membra; dici potest, te illi in pauperum persona præsidium, vestes, victumque præbere. Ne verearis, futurum ut tibi non referat aliquando gratias, dicatque: *Venite benedicti &c.* Quandoquidem in malorum meorum partem accessistis, in bonorum quoque meorum partem accedite, &c. *De la Volpilliere. Sermone de Bona Morte.*

Magis lucrantur divites eleemosynam erogantes, quam pauperes eam recipiẽtes.

Numquid cum ad vos pauperes mittit Deus, putatis, hunc illis sine ope vestra subvenire non posse? Non facit pauperes, nisi ut divitibus eleemosynæ erogandæ tribuat occasionem. Nemo superbiat pauperi eleemosynam tribuens, Sanctus hic Doctor ait; vos magis hac, quam facitis eleemosyna indigetis, quàm pauperes ipsi, qui illam recipiunt; quod illis tribuitur fructum affert longe majorem iis, quæ tribuuntur. Hoc satis patet ex celeberrimo eo miraculo, quod Elias in Viduæ cujusdam gratiam est operatus; & non patebit ex ipsius JESU CHRISTI verbis, ipsam eleemosynam in pauperum persona accipientis! Verum consideremus, quid a Domino recipiamus? Anima nostra fortasse erat interitura, nisi Deus Misericordia sua nobis non tribuisset exercendæ Charitatis occasionem, ut reliquum vitæ spatium nobis servaret, quemadmodum vidua illa fame erat occasura, nisi sese illi obtulisset Elias. Ita illi, ad quos pauperem aliquem mittit Deus, agnoscant, quid sibi præstetur, cum boni operis faciendi sibi tribuatur

buatur occasio. *In Vitis veterum Prophetarum. In Vita Eliæ.*

Exemplum S. Job.

Sanctus vir Job noverat nihil magis Dei benedictiones mereri, quam erga pauperes misericordiam; & vix credi potest, quantopere virtutem hanc excoluerit. Hanc omnium primam se exercuisse fatetur, eamdemque videri ait secum de utero matris suæ egressam; & prout ipse proficiebat ætate, eam quoque visam percrebuisse. Non desunt, quos egenorum miseret, quin illis ferant opem; nec desunt, qui illis opem ferunt, quin se eorum miseratione tangi testentur. Sanctus hic vir hæc duo simul conjungebat; regales lacrymas pauperrimorum fletibus permiscebat, neque ut divites assolent, fastidiebat calamitosos homines, & ex ultima plebe. Plorabam, ait ille, cum mœrentibus, & anima mea miserebatur pauperis. Non præseferebat ille eum languorem, ac tœdium, quo divites eleemosynam erogantes majorem afferunt dolorem, quàm solatium... Ex justis redditibus suis illos alebat; nihil aliis extorquebat, quod mox crudeli charitate pauperibus largiretur; alios ditiores efficiens, se unum faciebat pauperiorem; neque metuere poterant, qui bonis cumulabantur, ea, quæ sibi tradita fuerant, aliis fortasse æque pauperibus adempta fuisse. *In Vita Job edita ab Auctore, qui veterum Prophetarum, Patriarcharumque vitas conscripsit.*

De inhumanitate erga pauperes.

Durities, quam tot mortales erga proximum suum testantur, ex cordis ipsorum corruptione procedit. A natura abhorret hominem videre gravi laborantem inopia, quin illius malis afficiamur; sed peccator, qui in vitiis occalluit, sic in se, ac in alios crudelis. Deus sæpe nobis commendat charitatem in pauperes, & nobiscum agit, quomodo nos cum fratribus egimus, ac nosmet fati nostri arbitros facit. Si nos alienæ calamitatis miserti fuerimus, & ipse nostræ miserebitur infirmitatis. *Abbas de Bellegarde in Salomonis Proverbia.*

Dives eleemosynas nō faciens, non habet charitatem.

Lex Charitatis, qua proximum tamquam nosmet amare jubemur, necessaria illatione præcipit quoque, ut eleemosynam erogemus. Hæc autem Lex palam infringitur, ubi dives proximum suum videt, non dico equidem extrema oppressum necessitate, sed magnis afflictatum incommodis, quin eumdem recreet bonis, quæ sunt sibi superflua. Hæc est S. Joannis argumentatio: *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo Charitas Dei manet in illo?* Qui habet substantiam (animadvertite non dici substantiam plurimam, sed substantiam simpliciter) & qui fratri indigenti opem non tulerit, putasne, hunc eam habere charitatem erga proximum suum, quam efflagitat Deus? Ne dixeris quæso, Sanctus Augustinus inquit in hunc locum, cur bona mea alieno tribuam, qui ad me non pertinet, quem minimè novi? Numquid opes fructus laborum meorum in ignoti hominis solatium impendam? *Forte dices, quid ad me pertinet? ego daturus sum pecuniam, ne ille molestiam patiatur?* Si cor tuum nequam ita respondet suadenti, ut pauperum opitulêris egestati; ajo, æterni Patris charitatem in te non esse, te non esse Dei Filium, ac frustra te Christiani dignitatem jactare. *P. Texier. Sermone pro feria quarta post alteram Quadragesima Dominicam.*

1 Epist. c. 3.

Causa propter quam dives nequam damnatus fuit, hæc est, quod non fecit eleemosynas.

Opes per se nequaquam in causa fuere, ut dives Epulo damnaretur; opes enim a Deo sunt; & divinæ bonitatis effectus est nobilibus viria illas conferre ad explendam conditionis eorum majestatem. Non fuerunt damnationis ejus causa bona illa, & ingentia prædia, quæ possidebat; neque ea servorum caterva, qua se stipatum videbat, neque dapes illæ exquisitæ, quibus quotidie vescebatur, illum in inferni flammas dederunt præcipitem. Quid ergo? Lazarus, egregiè respondet Sanctus Chrysostomus, Lazarus ad ejus fores esuriens; hoc illius est peccatum, hæc ipsius causa calamitatis. Dives ille causa est mortis Lazaro propter inhumanitatem; sed pauper Lazarus diviti causa est reprobatinnis: *Non enim quia dives fuerat, puniebatur; sed quia misericordiam non exhibuit. Biroat. Sermone pro quarta feria post tertiam Quadragesimæ Dominicam.*

Divites nō aliam habent salutis spem, quam eleemosynam.

Nulla mihi incedit admiratio videnti Moysem ex populo Israel petere opes illius, in Tabernaculi ædificium, illasque eò libentiùs ab omnibus conferri, quod ex illis conflatus fuerit vitulus aureus, ut idololatriæ scelus admitteretur. Cupiebat Moyses illum salvum facere eadem via, qua ad damnationem cucurrerat: polluerat ille opes suas in pravum usum convertens; nunc illæ Deo sunt devovendæ, ut prior defectus corrigatur. Heu! O Fideles, Deus petit a vobis opes, quas affectuum vestrorum idolis sacrastis, & vult sceleris vestri instrumenta fieri vestræ Pœnitentiæ subsidia. Sin autem divites medicina hac non utuntur; ex vobis quæro, utrum alia quædam appareat futura? & si his non utuntur propriis status sui adminiculis, quomodo se sperant salutem consecuturos? Non aliam profectò ingrediuntur viam, eam enim relinquunt, quæ adeo facilis ipsis est, & quam præ manibus habent. Jejúnia, austeritates, prolixæ preces, & quidquid instituit Deus ad peccata quidem eorum expianda, suam verò justitiam leniendam, ipsis ferenda non sunt; illis ergo pereundum est, quandoquidem unum illud, quod reliquum est remedium, fit illis inutile. *Idem.*

Ecclesiastici peculiari jure eleemosynam erogare tenentur.

Fideles Ecclesiastici plurima sibi negare possunt; non habent illi familiæ impedimentum: laici quidem plurimas afferunt excusationes. Ecclesiastici verò illas ne possunt proferre? Numquam ordinis, & characteris sui dignitati consulunt meliùs, quam cum aliquid sibi negant, pauperibus opem laturi. Illi sunt pauperum patres, atque patroni; & non postremum eorum officium est divites cogere, ut egenis subveniant; quod ipsum cum fructu facere nequeunt, si liqueat, eorum charitatem parcam esse, & ipsorum in pauperes duritia satis innotescat. Ecclesiastico, qui manus apertas habet, ut illis opituletur, facile semper aures adhibentur: & pauperes pro illo vota nuncupantes cœli benedictionem omnibus ejusdem conatibus impetrant. *Lambert. in sermonibus de vita Ecclesiastica. Sermone de Proximi Charitate.*

Eleemosynæ congruæ esse debent opibus, quæ possidentur.

Falleris, si tota charitatis te defunctum præcepto putas leves aliquot eleemosynas erogans. Docet Scriptura, dona bonis esse metienda; plura habentibus, plura esse eroganda, & mensuram divitiarum eamdem & eleemosynarum esse oportere. Da igitur eò affluentiùs, quò majora possides bona; id enim tantum possides, quod pauperibus tribuis, hoc enim pro te, ac pro tua salute impenditur. Alioquin ipsis pauperibus es infelicior; illi enim in hac vita, quæ fluxa est, atque velox patiuntur; tu verò in altera, quæ erit æterna, patieris. JESUS CHRISTUS numquam acrius invectus est, quàm in divites inhumanos. Voluit damnationem eorum esse articulum fidei; eorumque sententiam in Evangelio apertissimis verbis inscribi; charitatis enim viscera claudentes fratribus suis, ut inquit Sanctus Basilius, sibi Divinæ Misericordiæ viscera claudunt; & adeo crudeliter agentes in JESUM CHRISTUM in pauperum, ægrotantium, in carcere detentorum persona, actionibus suis palam testantur, se male ipsum inimicum, ultoremque habere, quàm amicum, atque patronum, cum venerit universum humanum genus judicaturus. Pauperes undequaque divitum subsidium implorant; & ii, quos verecundia tegit, & ii quos necessitas producit: xenodochia jam referta sunt; pauperes, qui sunt in agris deserti, & illi, quibus in urbe malè subvenitur; & nihilominus eleemosynæ non infrequentes solùm, verum etiam modicæ sunt, &c. *Flechier in Adortatione quarta.*

Pauperibus rapimus

Liceret utinam mihi valvis omnibus cellarum,

ubi

quidquid in superfluos semptus impendimus.

ubi divites argentea vasa, omnemque pretiosam custodiunt supellectilem; vel arcæ, ubi claudunt, clausosque inutiliter retinent thesauros suos, hæc Sancti Augustini scribere verba: *Aliena retinet, qui ista retinet*. Illi fortasse experrecti e sopore, in quo sunt altè demersi contremiscentes pauperum vocem audirent clamantium, ut Sanctus Bernardus ait, contra luxum vestium, opulentiam conviviorum, insanas libidinum profusiones; ipsos pauperum sumptibus prodigos esse, eorum pecuniam in alea insumere, ac illis eripere cum crudelitate, quidquid ad ridiculam vanitatem explendam impendunt. *Nostrum est, pauperes clamant, quod effunditis; nobis crudeliter subtrahitis, quod inaniter expenditis. Texier. Sermone de Eleemosyna in Quadragesima.*

JESUS CHRISTUS est in pauperibus quibus erogatur eleemosyna.

Beatus, qui intelligit super egenum, & pauperem! Regius inquit Propheta. Non vocat ille beatos, qui super pauperibus opem ferunt, sed qui super pauperem intelligunt; Quidnam intelligendum in paupere? Hic sublimis, profundaque latet Theologia: mysterium quod caro, & sanguis assequi minimè potest: *Magnum sanè, ac difficile intelligere quod ipse, qui Cœlum tegit, sit nudus in paupere; quod in esuriente esuriat satietas rerum; quod in sitiente sitiat fons fontium*. Proh superi! quam difficile est intelligere, eum, qui solem lumine induit, nudum præ foribus tuis jacere; illum, qui omnia sua replet immensitate hospitio in viatore peregrè profecto indigere? Theologiam hanc Sancti dumtaxat intelligunt. *Idem.*

Charitas perspicax est, et eorum detegat egestatem, quos emendicare pudet.

Non deest quædam species necessitatis, quæ quia latet, non ideo minus misericordia digna est. Talia sunt eorum pauperum incommoda, quos mendicare pudet; hi enim duplici affictantur malorum genere, quorum alterum ad ipsorum substantiam, alterum verò ad honorem illorum pertinet; primum paupertas est; alterum pudor, quo prohibentur malum fateri suum, & malo remedium poscere. At nullæ sunt miseriæ, quæ veri Fidelis charitatem fallere possunt; hæc oculos habet, ut eas deprehendat, ubicumque latuerint, & manus habet, ut illis opituletur. Uno ictu & paupertati prospicit, & verecundiæ; paupertati quidem, eam eleemosynis recreans, verecundiæ verò clam tribuens opem, itaut illos non pudeat. Prævertit vocem eorum, qui non audent petere, atque ut illis subveniat eum instituit ordinem, in quo petendi pudori, & labori parcat. *In quadam funebri Oratione Meldensis Episcopi.*

De eleemosynis, cum mors imminet, legatis.

Cum instat mors, tunc eleemosynas erogare contendis. Numquid mercatura exercetur, postquam cessavit commercium? Numquid postquam debellatum est, virtus alicujus potest enitescere? Numquid probari ea pietatis opera possunt, quæ tunc fiunt, cum mors neque meritis, neque bonis operibus locum relinquit? Egregia sanè pietas! bona opera non exercere, nihilque dignum laude præstare, quàm ultimis tabulis pauperibus quasdam legare eleemosynas! Quid hoc sibi vult, nisi te bonis tuis omnino frui velle, donec vitam vivis; atque tunc Evangelii præceptum adimplere, cum es moriturus? *P. de la Colombiere in Christianis Considerationibus.*

Pauperes sunt quædam Sacramenti species.

Ut verè ad eleemosynam erogandam movearis, aperiendi sunt oculi Fidei, ac respiciendi pauperes tamquam Religionis nostræ Sacramenta, magnas profectò res sub exilibus speciebus tegentia. Cum Altaris Sacramentum intueor, non judico ex exteriori specie de eodem; sensuum judicio non acquiesco; mentem meam submitto, captivo rationem meam, Fidei facem accedo, & per ejus velamina introspiciens, illud colo, & coram adorabili hac victima genua flecto. Ita quoque pauperem respicio; humanos sensus abdico: oculi mei me decipitis; sensus mei me fallitis, humana ratio nimis cæca es, ut de hoc feras judicium! Non intueor hæc scruta, scissasque vestes, hæc vulnera, pallentes facies, umbras, viventia cadavera; Magorum sequor exemplum, Deum meum pannosis coopertum lodicibus, & in stabulo jacentem adoro. *Pater Novet. Quinta Meditationum Parte.*

Quod impendimus, ut affectibus nostris satisfaciamus, eleemosynæ præcepto adimplendo sufficeret.

Divina Providentia egenorum victui prospexit, divitibus imperans, ut illis escam suppeditarent. Divitibus credidit Deus substantiam, qua pauperes sunt alendi; sed in eo difficultas versatur, ut liquidò pateat, unde substantia hæc sit desumenda. Desumenda ne igitur est ex iis quæ sunt superflua, an quæ necessaria divitibus? Videntur hæc verba nimia Theologorum subtilitate excogitata fuisse, ut inhumanis divitibus latus excusationis campus aperiretur. Non enim hic loquor de vulgaribus pauperum necessitatibus; nihil disputo de extraordinariis quibusdam casibus, qui ferè numquam contingunt. Necessarii ergo, superfluique inania nomina relinquo, ac satis esse puto divites admonere, teneri illos pauperibus erogare, quod suis cupiditatibus elargiuntur. Ex eorum cupiditatibus fundum illum desumere volo, qui pauperes alere debet; & certus sum, si quilibet ea conferret, quæ cupiditatibus suis alendis inserviunt, tantam inde bonorum copiam cumulatum iri, quanta pauperum omnium necessitatibus auferendis sufficeret. Si ambitiosus seponeret, quidquid impendit, ut in mortalium oculis fulgeat; si libidinosus conferret quidquid in voluptatibus explendis insumit; si mundanæ mulieres tribuerent, quidquid eorum proprium amorem palpat; quinam pro pauperibus thesaurus congereretur? Neque mundi sectatores objiciant; sibi deesse, unde eleemosynas erogent; sibi nihil esse superfluum; relinquamus hoc verbum, & videamus, utrum aliquid impendatis, ut secretam aliquam cupiditatem foveatis, & expleatis. Re enim vera puto neminem esse divitem, quamtumvis modicas habeat divitias, qui quotannis alicui affectui satisfacturus minimè impendat, quod alicui pauperi alendo sufficeret. *Ex Sermone Manuscripto scito, nescio cujus, Concionatoris.*

Quousque processerit quorumdam Sanctorum charitas circa eleemosynas.

Necessitates aliorum quantum possumus, juvamus; interdum plus quam possumus; ea quæ fieri a nobis possunt, facientes, & aliquando etiam ultra ea, quæ possunt fieri. Non satis est patrimonium suum, vel partem reddit,uum, quam Ecclesia eorum destinat victui, pauperibus erogasse: *Quantum possumus*; ad hæc quidquid ex redditibus superest ad explendum suæ charitatis excessum expendunt: *Plusquam possumus*. Faciunt plura, quam possunt, saltem plura, quàm facere tenentur: *Plusquam possumus*; sed ulterius procedunt; tribuunt quidquid in manibus habent: *Quantum possumus*. At nondum hoc satis est. Divitum charitates sollicitant, in omni Diœcesi sua, ut eorum opera id præstent, quod soli facere nequeunt: *Plusquam possumus*. Quid plura? Non satis est illis partem eorum tribuere, quæ possident, sed semetipsos exhauriunt, & omnia tribuunt, quæ habent; itaut jejunent, ut sumptibus parcant erogandis in pauperes; non dant ea solum quæ sunt sibi superflua, sed sibi negant etiam necessaria. *Plusquam possumus. Biroat Sermone de Sancto Nicolao.*

Ejusdem argumenti.

Sincera charitate complectebatur hos pauperes, quos infra mortales omnes dejicit fortuna, qui in pulvere vivunt, qui omnium hominum pedibus obteruntur, qui in sudore vultus sui vescuntur, quasi primi parentis damnatio in illos tantummodo cecidisset. Nonne mirum erat, tantum Principem intueri, qui eorum egestatibus ferebat opem, qui eorum solabatur inopiam, qui lacrymas abstergebat, eosque fratres vocabat, & tamquam optimos amicos excipiebat? Oportebat sanè, oculos fidei ejus esse admodum perspicaces, cum sub miserorum scrutis JESU CHRISTI gloriam videret. Dicamus ergo magnum præmium illius esse futurum, & quod præstitit horum calamitosorum hominum minimo habitum iri, tamquam factum adorabili Preceptoris nostri personæ, quandoquidem huic ipse ita se facturum pollicetur. *Sermo Manuscriptus.*

Sub prætexta dignitatis nostræ tuendæ sæpè ab eleemosynis faciendis nobiscum dispensamus.

Nihil in terris periculosius est, quàm cum duæ virtutes simul contendunt, quarum altera amori proprio velificatur, altera verò studiis nostris opponitur; credibile quippe est in hujusmodi occasionibus amorem proprium illi suffragaturum, quæ sibi favet. Seipsum dispensat ab essentialibus obligationibus, quæ illam impugnant, licet maximæ sint necessitatis; ac sibi persuadet, citra nefas injustam hanc prælationem effici posse. Hoc summis terræ hujus Principibus accidit, immò & iis, qui primos in Ecclesia gradus obtinent. Cum de eleemosyna eroganda sermo est; duæ tunc simul confligunt virtutes; petit charitas, ut pauperibus elargiantur; justitia velle videtur, ut sibimet, dignitati, atque carecteri suo consulant: petit charitas, ut bona sua tribuant; justitia putat illa suo statui deberi, atque tamquam necessaria posse retineri. Quid interim amor proprius? In assertæ hujus justitiæ partes concedit quæ dignitatem sibi servandam esse prætexens, negat eleemosynam pauperibus efflagitantibus illam. Prætextus nequam! illusio perniciosa, quæ sæpe tot operatur injustitias. *P. Novet in diem festum S. Caroli.*

Dei Filius in pauperū persona considerandus,

Hic, o Fideles, fidem vestram exposco. Cavete, ne sensus vestros consulatis, atque in exteriori cortice immoremini. Quælibet species vobis pauperem efficiet contemptibilem: sed illum oculis fidei respicite; quam intus nobilitatem, ac dignitatem invenietis! Cum illo facite, quod cum reali JESU CHRISTI præsentia in Eucharistia: Species panis, & vini, quæ sensus avertunt, fidem non morantur; opacum hoc velum divinitatem abscondens penetras, & eam ibi nancisceris, eamque veneraris. Ita quoque & cum pauperibus agere debes. Mundi Salvator patitur in illis; ille vos monet, ego quoque, illius nomine, hoc prædico; aliquidne ulterius requiritur, ut eorum calamitatibus doleatis? *P. Cheminais. Sermone de Charitate erga eos, qui in Carcere detinentur.*

Per eleemosynam cum Deo facile in gratiam redimus, atque convertimur.

Si ulla via est, quæ ad Deum possit adducere, est eleemosyna, sive obtinenda sit in futurum conversionis gratia, sive pro præteritis sceleribus sit satisfaciendum. Ita est, Fideles; ad Deum propius accedimus, cum apud eumdem amicos comparare studemus; insignes conversiones inde frequenter initium duxere. Domine; dicere potestis, scio nihil in meis operibus esse, quod in oculis tuis acceptum me reddere valeat; permitte; ut ad te aditum inquiram. Non amas peccatores similes mei, sed pauperes amas; neque propter hunc alius mihi reliquus locus est, ut veniam ad te. Jampridem te amare desii; at illorum hactenus misericordia ducor. Heu! Si fratrum meorum misertus fuero, tu fortasse mei misereberis. *Idem.*

Mala tempora prætexentes ab eleemosyna nosmet dispensamus.

At enim mala sunt tempora; quilibet suis urgetur calamitatibus, nihil superest quod in eleemosynas effundatur. Heu! si pro vobis mala sunt tempora, quid igitur erunt pro illis, quibus nulli sunt fundi, redditus nulli? Si divites communibus torquentur miseriis, quanta erit pauperum calamitas? Et si principium eleemosynæ proximorum innititur necessitati, quod extra omnem dubitationis aleam est positum; quò magis ex altera parte necessitas crescit, eo major ex altera fit obligatio. Inanem prætextum, quo divites duritiam suam tegere satagunt! Si accidit, ut aliquid obtinere contendamus; nihil prætermittimus, nullis parcimus sumptibus; neque tunc tempora mala esse intelligimus. *Idem.*

Cur depositum tuum humi defodere mavis? cur non apud me potius deposcis pecunias tuas? Deus loquit tibi per os tot Sanctorum, qui hujus rei præclarum reliquerunt exemplum. Numquid universorum Dominus tibi aptior non videtur terra, ut bona tua servet? Terra non potest ea omnia tibi reddere, quæ credidisti illi; aliquid sæpissimè perditur, atque corrumpitur: sed nihil tibi Deus aufert eorum, quæ ipsi committis, infinita te prosequitur benevolentia; si illi pecuniam tuam in fœnus dare cupis, ille paratus est, ut eam fœnoti accipiat. Si serere volueris, agrum ille tibi pollicetur, ex quo centuplum feras; & si volueris ædificare, illud tibi substernet solum, ubi in æternitatem ædifices. Cum hominibus mercari vis? Cum Deo potius mercare. *Sermo Manuscriptus.*

Malus usus, in quem bonorū suorū superfluum locupletes impēdunt.

Quoniam certo certius est, nobis in eleemosynas impendendum esse, quod ex bonis nobis superest, sine me tibi seorsim dicere: *Redde rationem villicationis tuæ:* quid fecisti de opibus, quibus te Deus cumulavit, quarum in te superfluum impendisti? Non enim negare potes, multa tibi superfluxisse, ubi intueamur mensæ tuæ delitias, ædium magnificentiam, indumentorum pretium, supellectilium luxum, & fastum tui comitatus; quid igitur de ea parte fecisti, quæ in pauperum solatium erat impendenda? Video equidem magnos sumptus, quos effudisti, ut voluptatibus tuis indulgeres, ut cupiditatibus tuis satisfaceres, ut ambitionem, ac vanitatem expleres: at quæso, quinam te coegit, ut statum tuum altiùs, quàm tua posceret conditio, proveheres? Ut enim liberè loquar, nihil in rationariis tuis pauperibus erogatum video, in te nihil præter duritiam, & erga JESU CHRISTI membra inhumanitatem intueor. Heu quàm fremere debent divites pro adeo modicis eleemosynis, pro hac cordis duritia, & abusu tot divitiarum, quæ superfluebant; divites inquam, quibus per os Sancti Bernardi dicere possunt egeni: Divites inhumani! jugibus rapinis nobis suffuramini, quidquid gravissimis, ac inutilibus sumptibus in luxum vestrum impenditis! *Ioannin in Manuscripto Sermone.*

Eleemosynæ præceptum divitibus utile.

Eleemosyna inevitabilis est obligationis præceptum, quod quin terrorem divitibus afferat, illis potiùs solatium afferre deberet; non enim ferme alia superest via, quæ illos in Cœlum adducere valeat, quàm via misericordiæ. Viæ omnes pauperibus patent, patientia, humilitas, mundi contemptus, paupertas, occasio quolibet tempore, loco, omnibusque in rebus patiendi: sed omnes Cœli viæ sunt occlusæ divitibus, qui in honoribus sunt, voluptatibus, dignitatibus, bonorum earumque rerum omnium, quæ in Evangelio reprobantur, affluentia: unica misericordiæ janua patet illis, per quam in Cœlum ingredi possint. Non debent ergo præcepti eleemosynæ necessitatem eludere fictis excusationibus, inanibusque prætextibus, quemadmodum facere consueverunt. *Idem.*

Falsus prætextus quod videlicet pauperum miseriae non cognoverint.

Diligentiùs ad examen vocemus assertas inhumanorum divitum excusationes. Primùm autem dicitis, vobis exploratum, compertumque non fuisse quinam pauperes essent, & summa laborarent inopia. Heu! Quomodo hoc verè dicere potestis; quandoquidem indesinenter vobis importuni sunt, atque præ foribus vestris singulis horis adstant; illos prope vos in plateis, & compitis, & ad Ecclesiæ valvas plorare cernitis; immo vulnera etiam, plagasque mentiuntur, ut vestram flectant duritiam, ne dicam crudelitatem: *Domine quando te vidimus esurientem?* Abite, inhumani divites; non est legitima hæc excusatio, qua vos neque vidisse, neque cognovisse pauperum necessitates profitemini; vera etenim charitas non manuum est tantùm ad elargiendum, sed pedum etiam ad invisendos pauperes in nosocomiis, in putidis, horridisque carceribus, ubi captivi detinentur; oculorum etiam est perspicacium, ac sanctè curiosorum ad urgentes detegendas necessitates, sed occultas verecundorum pauperum: ita enim detegit tot miseros duplici verecundiæ, ac paupertatis pondere laborantes. *Idem.*

Prætextus alter quod videlicet filii sint alendi, iisque consulendum.

At enim, si ita liberales essemus in pauperes, essemus crudeles in filios, qui longè magis ad nos pertinent, quàm pauperes vagi, errones, ignotique. Hic etiam falsus est prætextus; etenim JESUS CHRISTUS, qui se in persona pauperum statuit, vos confundit ostendens ipsum æque saltem, ac liberos vestros vobis curæ esse debere.

Quam-

Matth. 25.

Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Verùm hæc veritas confirmanda est Sancti Augustini sententia docentis in qualibet Christiana domo duo filiorum genera esse consideranda, filiorum videlicet carnis, & fidei, qui pauperes sunt: illis quidem ex officio, his verò ex charitate subveniendum. Verùm si omnia filiis carnis elargimini, quid reliquum erit CHRISTO JESU, animæ vestræ, salutis vestræ negotio? Habete igitur JESUM CHRISTUM, hoc est, pauperes, qui illius membra sunt, & vicarii pro uno filiorum vestrorum. Regulam hanc tradit Sanctus Augustinus omnibus Christianis familiis: Si quis ex filiis vestris occubuerit, illi JESUM CHRISTUM subrogate. *Idem*.

Prætextus, quo i propria qualitas & conditio pro dignitate servanda est.

At, inquies, status servandus est, & pro conditionis dignitata vivendum; cui objectioni respondeo, Religionem minimè prohibere, ne status nostri decorem tueamur; dummodo hoc intra christianæ modestiæ, & æquæ moderationis cancellos fiat. Si Deus jubet vos statum vestrum attollere, ut in sublimiori loco gratiorem illi operam præstare valeatis; illum attollite: at si amor proprius, mundi spiritus, & secreta fortasse invidia vos rodit intuentes, alios vobis posthabitis ad honorum gradus efferri; si hoc prohibet, ne erogetis eleemosynas, hæc non est legitima excusatio. Error anim est, Sanctus Augustinus inquit, putare licere semper statum suum provehere, dummodo per jus, & fas hoc fiat. Hoc enim prætextu opus esset, ut avaritia, atque ambitio semper essent permissæ, cum hæc finis, illa verò medii locum obtineant. Iterum dico, hic abusus est; accidere enim posset, ut altiùs conniti posseis, quam Providentia sinant; atque si donec ista chimerica fovetis. consilia status vestri provehendi, putatis jure posse ab eleemosynæ munere dispensari; næ inde sequeretur, sufficere ambitioni, atque avaritiæ obnoxium esse ad eleemosynæ necessitatem delendam. *Idem*.

Murmurationes, aliaque pauperum peccata, quorum causa sunt divites.

Scio equidem, maledictiones, murmurationes, & imprecationes, quas pauperes impatienics contra divites evomunt, noxias esse; at etiam scio, Deum illas in thesauris justitiæ suæ reservare, ut in Fidelium capita convertat, qui duritia sua eisdem præbuere occasionem. *Arguam te, & statuam contra faciem tuam*. Illis singillatim objiciet peccata, quorum causa fuerunt, ut justum æternæ damnationis argumentum eisdem suppeditet. Hic enim vermi æternum eorum viscera depascens, illos indesinenter exprobrabit, quod levi aliqua eleemosyna evitare potuissent gravissima tormenta, quæ patiuntur, æternamque sibi acquirere felicitatem. *Idem*.

Eleemosynam bonis nostris cōgruam erogare tenemur.

Vestrum est inspicere, utrum eleemosynam tribuatis congruam opibus, quas vobis contulit Deus. Hoc enim magnum est Fidelium malum, quod coram Deo confusione nos suffundere debet: Fideles omnia ex divitiis metiuntur suis, præter eleemosynas; indui volunt, servos habere, mensam instruere, ædes magnificas, pretiosamque supellectilem, omnia suis opibus paria; at non paria solùm, sed longè majora, quam enim longè bonorum suorum mensuram illos videmus excedere? At in eleemosynis tantùm tribuendis illam videntur negligere. Attendite enim, utrum magnis sumptibus, congruæ ab illis erogentur eleemosynæ. Numquid, ut in conviviis, vestimentis, alea, ita etiam in eleemosynis illi se gerunt? Insignes illæ, quæ apud Fideles fiunt eleemosynæ, numquid a divitibus erogantur? Attamen certum est juxta mensuram hanc illos esse a Deo judicandos. *P. Bourdalove. Sermone de Eleemosyna*.

Utrum liceat bonorum superfluum in provehēdo statu suo, non autem in eleemosyna erogāda insumere.

Quid autem? Objiciet aliquis; mihi non licet hoc uti superfluo, ut me altiùs extollam? hoc enim illud est, quod divites perdit; sese enim attollere quotidie magis contendunt. Quæritis ergo, utrum crescendi desiderium, atque sese in mundo attollendi semper sit criminosum. Nego equidem; at appositas circumstantias perpendite: Esto quidem liceat tibi tuam fortunam provehere, sed nihilo minus eleemosyna est eroganda. Hoc verissimum puto, vobis pauperum necessitatibus esse consulendum, postquam Deus conditioni vestræ consuluit. At quod pauperi necessarium est, vos a contra ad statum vestrum altiùs evehendum impenditis. Hoccine justum est? Donec fortunam vestram attollitis, vestramque augetis conditionem, eorum miseriæ, si dicere fas est, insultatis. Cum spiritu christiano dicandum potius est vobis: non ita erit, Domine, non ita; parum interest, utrum in mundo paulò major, vel minor sim; sed oportet ut pauperes vivant tui; & id, quod bonorum meorum superest mihi, haberi a me tamquam depositum creditum mihi, & a me in pauperum manus transmittendum. *Idem*.

Regula, & mensura eleemosynarum a divitibus erogandarum.

Si scire cupis quid debeas, ubi de eleemosynis agatur; earum norma, & mensura illud est, quod superest tibi. Quidquid non debetur aut valetudini, aut conditionis dignitati, pauperum necessitati debetur. Parcitas tua pauperum est patrimonium; superfluum tuum, ipsorum est necessarium. Diligenter igitur quid debeas, attende, ac scias a te JESU CHRISTI membris auferri, quidquid tuæ tribuitur cupiditati; eisque surripi, quidquid impendis, ut tuis sensibus indulgeas, atque affectibus obsequaris cum eorum detrimento. Illis debes, quidquid luxus absumit; illis aufers indumenta, quæ vermibus corrodenda relinquis; & superfluum tuum, quod esse deberet pauperum victus, factus est luxus comœdorum, qui in summa rerum omnium affluentia vivunt, cum interim pauperibus vix suppetat, unde vivant: *Nulla desunt histrionibus, & vix necessaria habent pauperes*, de temporibus suis Divus ajebat Chrysostomus. Si caussam nosse cupis, hæc est, quod sæculi divitibus nihil videtur superfluum; se non teneri putant ingentes erogare eleemosynas, quidquid enim suis blanditur affectibus, necessarium videtur; & ex ambitione inhumanitatem suam excusare contendunt. *Ex manuscripto Sermone*.

Excusatio ex statu, quem tueri debent, desumpta.

Hæc prima est Divitum excusatio: illos audite. Ajunt, sibi conditionem suam magnis sumptibus esse tuendam. Quærunt potius divitum oculos perstringere, quàm pauperum malis opem ferre; & luxu potiùs, quàm modestia, & virtute præ cæteris commendari. Magnificum servorum comitatum alere, mensas opiparè instructas jactare, epulas exquisitissimè conditas intueri; ostentationis ergo otiosam famulorum turbam nutrire, quàm familiæ extrema egestate laboranti subvenire; nullis parcere sumptibus ad fulgidam status sui conditionem tuendam, nihilque conati ad illius coercendos abusus; omnia superbiæ, ac fere nihil Religioni sacrificare: vitam inter sæculi tumultus transigere, dies in otio absumere, nihilque aggredi ad eorum mollitiem expiandam; verbo omnia mundo, Deo nihil impendere. Hoc est malum ambitionis, & cupiditatis, quæ charitatis distributionem adimit, eamque inter divites prorsus antiquat. *Idem Sermo Manuscriptus*.

Quo in sensu eleemosyna secundus Baptismus vocetur.

Eleemosyna felix ast præsidium illis, qui innocentiæ suæ jacturam fecerunt; illa secundus est baptismus, Sanctus Cyprianus ait, cupiditatum nostrarum ignem, quem fovent opes, extinguens. Per eleemosynam, cupiditas, quæ per prioris aquas salva facta est, sensim emanatione charitatis extinguitur: *Eleemosyna extinguit peccatum*. As si illa Baptismi supplementum est, hoc ipsum est & Pœnitentiæ; supplementum inquam, Auditores; non enim hoc in loco probare mihi in animo est errorem eorum, qui divitiarum favore molliciem suam fovent, qui spiritum mortificare volunt, ut corpori parcant, qui sensibus nimium mancipati opum suarum sunt prodigi, ut sanguinis, & lacrymarum sint avari; quasi Domini justitia esse posset venalis, ut Sanctus inquit Augustinus: *Existimantes venalem esse Domini gratiam*. Hic abu-

sus est, Auditores: Eleemosyna ad perficiendam quidem, non autem evertendam pœnitentiam constituta est: hæc spes est fidelium, ac supplet iis, quæ fieri non possunt; sed ab iis, quæ possunt fieri, non dispensat. Quemadmodum illos non obligat, qui paupertate sua alienam levare non possunt; ita Pœnitentia a plurimis severioribus exercitationibus eximit illos, qui per effœtæ ætatis infirmitatem, languidam trahunt vitam; vel qui per imbecillitatem suam illis vacare non possunt, alios verò non item. Verbo, Charitas infirmorum perfugium est, non libidinosorum. *Sermo Manuscriptus.*

Avarorum prætextus quo ab eleemosynæ exercenda se excusant.

Prudentis est, inquiunt Avari, cumulare bona, ac sapienti præcautione eas prævertere calamitates, quæ nobis imminent; atque victus parcitate contra fortunæ lusus, quæ mutari potest, se præmunire..... Sanctam œconomiam tanquam christianæ prudentiæ contrariam non damno; sed solam carnis prudentiam impugno. Crudelis erga alienas necessitates, pro præsenti sollicita, timida pro futuris, fictitiis terretur necessitatibus, ac præsentibus negat calamitatibus opem, quam in remotissimas servant; atque ita firmat cupiditatem suam charitatis ruina, cupiditati superfluum permittens, donec necessarium respuit charitati; videlicet pauperum necessitati. *Idem.*

Ex omnibus opibus nihil manet præter eleemosynam,

Divitiæ, quas tanta cura conquiritis, vel dissipantur in vita; vel vos derelinquunt in morte; sed eleemosyna, quæ in JESU CHRISTI manu deponitur in persona pauperum thesaurus est latronibus invius, & fortunæ lusibus non obnoxius; & super terram, ubi intereunt omnia, nihil possidetur tutiùs, quàm quod in eleemosynas erogatur. Omnia vel in vita, vel in morte vos deserunt: sed ea, quæ distribuistis pauperibus bona, ultra sepulchrum vobis sunt profutura. Ex hoc sepulchro, in quod omnia alliduntur voluptates, pulchritudo, fortuna, sceptrum, corona, nihil præter vos, vestrasque eleemosynas, egredietur. Mundus fatuus hoc non assequitur, sed Fides nos docet. *Idem Sermo Manuscriptus.*

Falsus prætextus est, ne fiat eleemosyna, filiorum esse dotem multitudinem proferre.

Injusti sunt parentes inhumani, qui naturam in avaritiæ subsidium vocant, qui sibi persuadere volunt nihil pauperibus erogandum esse ab iis, qui filios habent; per hoc enim salvari contendunt, & ex eadem charitate cupiditatis suæ excusationem mutuati. Sanctus Job quotidie tot offerebat Deo sacrificia, quot habebat liberos, prout eorum, qui sibi vitam debebant, numerus augebatur, victimarum numerum augens. Hoc vos ipsi ejusdem secuti exemplum debetis facere, o patres familias, ut vobis, filiisque vestris divinam opem promereamini, qua indigetis, JESU CHRISTO in pauperum persona tribuentes, quod uni filiorum vestrorum impenditis, ut illis Patrem, æternumque tutorem relinquatis. Minus laborabat Job, quomodo terrena bona filiis suis relinqueret, quàm quomodo super illos Cœli gratias detraheret. Heu! Si filios vestros diligitis, plurisne facere debetis fortunæ, quàm gratiæ divitias? Si vester pro filiis amor verus, & christianus est, minus vobis cogitandum est, quomodo fortunam illorum supra cæteros homines attollatis, quàm quomodo illos Deo acceptos efficiatis; eosque docere debetis, hæreditatem, quam huic pro illis credideritis, in manibus ejus non esse interituram; atque ita instituere, ut sentiant patrimonium suum minus, quàm JESU CHRISTI esse diligendum. *Idem.*

Nō desunt injustæ, & ambitiosæ eleemosynæ.

Non desunt, qui, quam erogant eleemosynam, corrumpunt, atque ut habeantur misericordes, gravissimas quaslibet injustitias committunt, qui domesticorum suorum mercedem retinent, qui pro magna, diuturnaque sibi præstita opera levia solvunt munuscula, ipsorum avaritia, atque injustitia peccatis ipsorum accedente, cum eleemosyna opportune erogata ea possint expiari. Me miserum! non enim satis confundere possum inordinatum hujus divitis zelum, qui alienorum duntaxat bonorum liberalis est, & qui eleemosynis, quæ quidem infrequentes sunt, id unum quærit, ut in jugibus rapinis suis se consoletur! Non vult Deus ex rapto victimas sibi offerri: *Ego Dominus ..... odio habens rapinam in holocausto.* Isai. 61. Quid dicam de illis, qui clangentibus, ut ita dicam, buccinis sunt liberales, & qui per superbiam meritum suæ charitatis amittunt; qui secreta voluptate afficiuntur, ubi misericordes se ab aliis haberi cognoscunt, neque bona sua tantùm Deo extrinsecus deferunt, quantùm intra se illa sibimetipsis tribuunt, eadem gloriæ suæ devoventes; quorum externa tantum species Deo, cor autem dæmoni mendacii parenti immolatur. *Idem.*

Eleemosyna, & charitas divitibus æquè, ac pauperibus sunt necessariæ.

Talis est ordo Providentiæ Domini; in iis omnibus, quæ facit, nobis salutis assequendæ adminicula suppeditare contendit. Divitiæ cor divitis corrumperent, nisi illas emundaret charitas; Egestas dejiceret pauperem, nisi illi solatium afferret eleemosyna; affluentia oblivioni traderet Religionis officia, nisi ejusdem usum liberalitas moderaretur; paupertas patientiam delassaret, nisi misericordiæ subsidia illius molestias leniret. Charitas ergo divitibus quidem est necessaria, ut faciliùs peccatorum veniam consequantur, pauperibus verò ne patientiæ suæ meritum amittant. Utrique igitur ex æquo toto pectore incumbit, ut eleemosynæ meritum intelligatis. *Desumptum ex Manuscripto Sermone P. Massillon.*

Domesticas causamur necessitates, ne eleemosynas erogemus.

Vulgatior prætextus, qui passim eleemosynæ præcepto objiciatur, illud est quod vix ea suppetunt, quæ ad vitam traducendam sunt necessaria: Dignitas nobis tuenda est, filii instituendi, creditoribus satisfaciendum, fundi hypothecis obnoxii liberandi, ingens alenda familia, ac sexcenti, iique gravissimi sumptus ob decorem servandum faciendi. Redditus autem satis mediocres, quales mei sunt, quomodonam tot necessariis sumptibus sufficere poterunt; ne dicam, ea mihi suggerere, quæ in eleemosynas erogem? Equidem scio non eosdem omnibus cancellos esse figendos; sumptus aliis quidem parciores, effusiores aliis esse debere; eosque augescere prout genus, nobilitas, honores ad altiorem dignitatis gradum extollunt; at, amabo vos, ex cupiditate ne, an ex Evangelio desumendi sunt fines, Fidelium distinctionibus, atque sumptibus statuendi? Auderes ne probare, hos omnes redditus, quorum usus insipiens fundum omnem exhausit, inseparabilem esse conditionis vestræ privilegium? ea quæcumque ad mollitiem vestram alendam, palpandam ambitionem, fovendam superbiam, vestrumque cor corrumpendum inserviunt, vobis esse necessaria? Contenditis ne, ea quæ ad filii fortunam provehendam, eumque ultra majorum vestrorum nobilitatem attollendum monstrosa ambitione destinatis, dignitati vestræ, vestroque statui esse necessaria, & quidquid in alea insumitis pro honesta necessitate esse putandum? Existimatisne, quod eum sortiti estis parentem, qui e turba evolavit, quod hæredes estis fructus laborum ipsius, futurum ut vobis liceat oblivisci avitæ humilitatis, paremque cum nobilissimis jactare dignitatem, ac non sine putida jactantia eumdem tueri fulgorem, quod sumptus eosdem erogare potestis? Hæc si vera sunt; & fas cuilibet est necessarium ex sua cupiditate statuere, satis igitur erit vos libidinosos esse, superbos, prodigos, ambitiosos, ut a charitate erga fratres exercenda vobiscum dispensetis. *Idem.*

Divites sunt divinæ Providentiæ ministri erga pauperes.

O terræ hujus viri nobiles, opibusque affluentes! cum Dominus vos divitiis cumulavit, id unum ob animum illius versabatur, ut videlicet vos providentiæ suæ ministros efficeret erga pauperes membra sua, languentia, & suspirantia: vos non aliud estis quàm velut totidem Josephi thesauris Ægypti præpositi, ut populorum egestati consulatis, annonæ caritatem levetis, atque fratrum vestrorum necessitatibus subveniatis. Ingentia, quibus fruimini, bona sacra sunt deposita, quæ in manibus vestris Providentia constituit, ut a fratribus vestris

mise-

miseriam, inopiamque proposuetis; ac rutiùs viduæ, ac orphano eam serveris copiam, quam illis suppeditare debetis. Dignitas vestra, secundum divinæ Sapientiæ ordinem vobis collata non est, nisi ut prohibeatis, ne fratres vestri opprimantur; Auctoritas vestra, nisi ut illorum negotia procuretis, ipsorumque injurias persequamini; Officium vestrum, nisi ut illos confirmetis in bono, atque adversa jactatos fortuna recteetis; denique quidquid estis, pro pauperibus estis. Si eo in loco, quem obtinetis, non hæc vobis animo obversantur; dignitas vestra non est opus Dei, sed tamquam iniquitatis opifices damnabimini. *Idem.*

Quàm æquum sit, quod a nobis in eleemosynæ præcepto Deus petit.

Non præcipit Deus, ut derelinquatis omnia, renuntietis omnibus, quæ possidetis, & omnia vendatis, ut pauperibus tribuatis eleemosynam, quod Evangelico puero suasit, non exigit, ut nihil tamquam proprium possideatis, omniaque in medium veluti communia proferatis, tamquam primi fideles: neque vos anathemate perculit, ut olim Ananiam, ejusque uxorem, eo quod sibi reservare ausi fuerint partem pecuniæ, quam ex agro vendito acceperant, ut pauperibus subvenirent: neque renuit, a vobis ad posteros transmitti majorum vestrorum possessiones. Hoc unum vult, ut ex omnibus sumptibus, in quos vestra impenditis bona, partem servatis in calamitosorum hominum sitri, ac fame laborantium subsidia impendendam: vult, ut dum ditissimos ornatus, ac pretiosissima geritis indumenta, aliquid saltem conferatis, unde pauperes nuditatem tegere, & quò ab aeris inclementia sese valeant tueri: vult, ut dum in voluptatem, ac luxum, quibus ingentes illi redditus vestri vix sufficere possunt, tantum impenditis, opem feratis indigentibus, ut ex illa emergant desperatione, in quam egestatis, ac miseriæ suæ horror illos conjecit; vult, ut dum omnia in ales, & ludis insumitis, afflictam negotiorum vestrorum conditionem, redditaum mediocritatem, calamitatem temporum, ac fortunæ mobilitatem minimè insimuletis, ne a fratribus vestris opem ferendo vosmet excusetis. *Idem P. Massillon.*

Malorum temporum excusatio.

Ad eludendum eleemosynæ præceptum, tempora mala, steriles annos, ac vivendi difficultatem solent causari. Verum si hæc tempora vobis mala sunt, qui rerum omnium affluitis copia, quam erunt deteriora, quibus nulla sunt prædia, redditus nulli, & qui a vestra tantummodo Charitate victum præstolantur? Si temporum infelicitas vobis adeo gravis est, quomodo non erit pauperibus gravior, qui in summa etiam annonæ vilitate, vix trahunt vitam? Si Ægypti plagæ ipsas etiam Pharaonis regias ædes pervadunt, quam eædem pauperum mapalibus afferent? Si Optimates Israel nihil in horreis, nihil in torcularibus, ut Scriptura loquitur, inveniunt, fame sæviente; quænam erit minuti popelli fortuna, cui neque horrea sunt, neque torcularia? Cæterum hæc flagella, quibus estis affecti, sunt fortasse justa duritiæ vestræ pœna, quam sumit Deus; & in bonis vestris nequam illorum usum persequitur. Egenorum quibus minimè subvenitis, clamores agros vestros maledicto subjiciunt, prædiis sterilitatem inducunt; messes dispellunt, cœlum obstruunt &c. *Idem.*

Ejusdem argumenti.

Amplificate quoad libuerit temporum calamitatem; sed primi omnium ostendite eam ad vos magis quam ad alios pertinere ea abscindentes omnia, quæ temporum ipsa infelicitas tueri non sinit. Sed cum his malis vos minime tangi innotescat, ex ornatuum vestrorum magnificentia, indumentorum luxu, & comitatuum pompa, conviviorum immodico sumptu, & aleis, ludisque, atque de temporum calamitate conqueramini, donec luxus, delitiæ, mundi pompæ, profani cœtus, ædium, ac supellectilium nitor, ac publica gaudia pro vobis adhuc sunt eadem: verbo, donec idem sumptuum vestrorum cursus sequatur, & quilibet semper inexplebilibus cupiditatis suæ desideriis velificetur, cum interim unus JESUS CHRISTUS in pauperibus suis contemnatur, ac deseratur; hæc omnium injustitiarum est maxima. *Idem.*

Divites inhumani severè aliquando a pauperibus judicandi.

Ferrea viscera! inhumani divites! quàm terribile vobis erit pauperum tribunal, a quibus estis judicandi! Eorum criminationes heu quàm vos urgebunt! Quàm modicæ vobis relinquentur excusationes, cum exprobrabunt exiguam a vobis opem sibi negatam, quæ sufficere poterat, ne præ inedia interirent! Quàm inexcusabiles eritis, cum vobis objicient prætextus inanes, quos afferetis, ut vosmet ab eroganda eleemosyna dispensetis ex ea divitiarum affluentia, quæ vobis collatæ fuerunt, ut salutis viam inveniretis faciliorem; ac dicent a vobis bona, & patrimonia sua adeo perperam in malos usus fuisse conversa; & præter ea, quæ victui vestro erant necessaria, reliqua ad ipsos attinuisse! Tunc intelligetis, donec bona accumulastis, vobismet cumulasse flagella, & ex omnibus magnis illis redditibus, quos adeo crudeliter asservatis cum pauperum detrimento, nihil vobis reliquum superesse nisi pudorem, & confusionem, cum interim calamitosi pauperes quos deseruistis in æternis tabernaculis gloria induentur. *Idem.*

Eleemosyna cum suavitate, & humanitate eroganda.

Eleemosyna nonnumquam tanta superbia, atque inhumanitate erogatur, ut egenorum potius augeat malum, quam imminuat. Illis auxiliatricem extendis manum, sed oris habitu ad severitatem ita composito, ut repulsa cum officiosa lenitate conjuncta gratior accideret, quam largitas hæc sævitiæ consociata; miseratio enim, qua malis eorum afficeris, eos fere æque solatur ac manus, quæ per contemptum illis opitulatur. Illis bonam exprobras valetudinem, robur, juventutem; ac tandem levem illis erogans stipem, eisdem insultandi jus tibi comparare videris. At nisi Deus in horum calamitosorum hominum corda quamdam injecisset reverentiam, qua tamquam fræno cohibentur, eisque liceret tibi respondere, quid vicissim diceretur tibi? Heu! si nocentiores, iidem essent & calamitosiorea, sors quidem tua nobis non esset invidenda. Mihi eas objicis vires, quibus non utar, tu verò quomodo uteris tuis? Ego, ais, manducare non deberem, quia laboribus non exerceor; tu verò numquid ideo dives es, ut per summum nefas mollem vitam trahas? Heu lenite quæso, auditores, humanitate vestra, gravissimum egestatis ipsorum jugum; si fortunæ vestræ mediocritas non patitur, ut eleemosynis eorum paupertati afferatis solatium, saltem illis miseratione, ac humanitate vestra solatium afferte. *Idem.*

Eleemosyna temporales benedictiones sæquitur.

Inter ea bona, quæ christianam consequuntur eleemosynam, recensenda quoque est benedictio, quæ super temporalia etiam eamdem elargientium bona divinitùs effunditur. Panes, quos JESUS CHRISTUS populo distribuit, qui eum in desertum fuerat subsecutus, in Apostolorum manibus multiplicantur, prout discumbentibus ab illis franguntur: Videlicet, bona, quæ charitas distribuit, sunt panes benedictionis, secum ferentes uberem copiam; hæc illa est modica olei mensura Viduæ Sarephtanæ numquam deficiens; hoc illud fermentum fœcundum, quod farinæ immixtum totam massam adauget; hic ille calix aquæ, qui in JESU CHRISTI nomine pro eleemosyna traditus centuplum refert. Quereris omnia tibi infesta esse, agros tuos sterili vastitate squalescere, domum tuam deficere; & mala tua eo percrebrescere magis, quò magis illa conaris avertere. Vis ne opportunam afferre medicinam, vis ex laboribus tuis fructum percipere, tuam domum florescere, agros tuos pingui fertilitate lætari? Tibi socios assume pauperes, illos in bonorum tuorum partem voca, atque fac illos tuæ prosperitatis consortes; tunc benedicet Deus laboribus tuis, redditus tuos augebit, consiliis tuis velificabitur, tuebitur messes tuas, ac Omnipotentem Deum in omnibus tibi opem ferendo paratum invenies. *Idem P. Massillon.*

Quomodo, & cur Deus sit in pauperibus,

Dei Filius voluit seipsum peculiariter in pauperum persona constituere, ac seipsum oculis nostris propo-

proponere tamquam spectaculum, & miserationis objectum, ut hominibus præberet meriti causam, & charitatis occasionem illis, qui vellent, ut ita dicam, eam cum ipso hoc in statu exercere, ut possent dicere aliquando: Deum quondam alui; Deo tribui vestimentum, cum nudus erat; Deo indigenti opem tuli, de Deo bene meritus sum, Deum protexi; & nunc ipse Deus est remunerator meus, ac pro levi eleemosyna amplissimam mihi elargitur remunerationem. Verum quidam est non esse in pauperibus Deum reali residentia, ac præsentia personali, quomodo est in Eucharistia: sed illos sibi vindicat, eos diligit tamquam membra sua, & veluti vivas imagines status illius, in quo vixit, & quem adamavit, videlicet paupertatis; ac seipsum præbet fidejussorem animi grati, quo pauperes ipsi sibi collata beneficia remunerabuntur. *Desumptum ex Anonymo Auctore.*

Quonam in statu prodibit in Judicium Dei dives, qui non erogaverit eleemosynam.

Quinam erit status divitis, qui in vita sua divitiis tantùm fuerit usus, ut similes sibi immodicis sumptibus superet, cum novissimi judicii die coram Supremo Judice prodibit exutus fastu, atque fulgore divitiarum suarum, destitutus adulatoribus, qui fortunam ipsius sequebantur, omni vacuus præsidio, & neminem habens, qui causam suam possit tueri? Quid dicet calamitosus iste, ubi illi objicientur ea, quæ in baptismate professus est, & leges charitatis, ad quarum normam est judicandus? Pauperes soli essent, qui pro eodem stare possent; sed heu! Orphanorum lacrymæ, Viduarum gemitus, & ejulatus tot egenorum, quos bonis ejecit, ut ditesceret, vel quos fame interire passus est, eo quod petentibus panem præbere detrectavit, undequaque in ipsos insurgunt; nihilque illi reliquum est, quam desperatio, quæ illum præcipitem dejicit in ultrices inferorum flammas, ubi carnifices, a quibus torquetur, numquam fatigantur, & ubi torti numquam moriuntur. *D. Bartholomæus de Caranza, Tractatu de Eleemosyna.*

Quomodo intelligendum, eit nos per eleemosynam a morte liberari.

Scripturá Sacra adeo repleta est testimoniis eleemosynæ præstantiam comprobantibus, ut Sanctus Augustinus affirmet, non defuisse homines, alioquin satis eruditos, qui inde occasionem arripuere dicendi neminem, quamtumvis peccatorem, reprobatum iri, cum liberalis in egenos extiterit. Hunc errorem explicitis, conceptisque verbis damnavit Apostolus: *Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

1. ad Cor. c. 13.

Verum quin in hunc errorem impingamus, verè dicere possumus, quicumque in pauperes misericors, ac liberalis fuerit, hunc salvum fore; per eleemosynas suas a morte, æternaque damnatione ereptum iri; quippe illæ hanc obtinebunt ipsi gratiam, ut per pœnitentiam ea expiet scelera, quibus tantum mali mereri potuerat. Et hac in re S. Hieronymus inquit, se, quod meminerit, legisse, numquam, aliquem qui in vita ex animo opera pietatis exercuerit, eamdem malo fine conclusisse; quia, addit ille, eleemosynis suis potentes sibi patronos conciliavit; & fieri nequaquam potest, ut plurimorum preces voti nequaquam damnentur. *Idem.*

Dives, qui eleemosynam non erogaverit, nullum in Dei Judicio proferre poterunt exemplum.

Quam poterimus coram Deo excusationem afferre, quibus oculis illum audebimus intueri, ubi accesserit rationem expetiturus bonorum, quibus nos cumulavit? Fingite jam, Sanctus Ambrosius inquit, o terræ divites, adstare vos ad terribile supremi Judicis tribunal, eumque interrogantem, quærentemque audire: Quid fecistis de tot opibus, quas in vos mea effudit liberalitas? Ubi sunt pauperes, quibus tulistis opem? Ubi miseri, quibus solatio fuistis? Ubi captivi, ac vincti, quos liberastis? Ubi orphani, quibus parentum loco adstitistis? Ubi Viduæ, quorum curam suscepistis? Quid justissimis hisce exprobrationibus reddere poteritis? Non imperat Deus, ut omnia bona vestra pauperibus erogetis, fruimini vestra prosperitate, quandoquidem illam talem existimatis; sed saltem ubi ex bonorum vestrorum cumulo necessitatibus vestris prospexistis, ea quæ vobis superfluunt aliis, qui sustentari indigent, erogate. *Idem.*

Non afficitur pauperum calamitatibus, qui eas non agnoscit, neque vult agnoscere.

De fide est, pauperem nequaquam in æterna oblivione derelictum iri: *Quoniam non in finem oblivio erit pauperis*: Ita de fide quoque est pauperum patientiam non esse in æternum interituram; videlicet illam non inutilem, ac fructu vacuam futuram: *Patientia pauperum non peribit in finem*.

Psal. 9.

Attamen liquidò constat duo hæc Spiritus Sancti oracula non semper, immo neque ut plurimum hac in vita adimpleri. Quot enim pauperes in oblivione versantur? Quot omni ope, & auxilio destituuntur? Oblivio hæc eò est magis deplorabilis, quo magis ex parte divitum est voluntaria, ideoque nocena. Quot calamitosi homines ad extremas paupertatis incitas redacti sunt, quibus non affertur solatium, quia non agnoscimus illos, immo quia illos agnoscere nolumus? Si sciremus egestatis eorum magnitudinem, licet inviti nisi charitatis, humanitatis saltem sensus foveremus in illos: eorum intuitos miserias nostræ nos sævitiæ puderet, nostramque mollitiem perosi nobismet insanos sumptus exprobraremus, eosque coram Deo nobis vitio verteremus. Sed quod ignoramus quid hæc JESU CHRISTI membra patiantur, neque id scire quærimus, & metuimus, ne auribus nostris accidat de eorum calamitatibus sermo, necnon eorum adspectum horrescimus; credimus nos officio nostro satis esse defunctos, ubi illos oblivioni tradidimus, & quantumvis gravia sint illorum mala, obdurescimus, ne illa nos moveant. Quot veri pauperes repelluntur, quasi non essent, quin inquiramus, & inquirere velimus, utrum reipsa pauperes sint! Quot sancti pauperes, quorum gemitus sunt nimis exiles, ut ad nos usque perveniant, & quos ad nos accedere non patimur, ne illos audire cogamur! Quot pauperes in civitatibus derelicti, in carceribus desolati, in xenodochiis languentes, in privatis domibus stipem emendicare erubescentes! Ex iis verò, qui tamquam pauperes habentur, & quorum afflictissimam conditionem neque ignorare possumus, neque oblivisci, quot negliguntur; quot duriùs excipiuntur; quot rebus omnibus deficiunt! *P. Bourdalove in variis sermonibus suis. Adventu secundo. Sermone de extremo Judicio.*

[illegible] post [illegible] vatta.

Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam dicit Dominus. Clamores pauperum, qui ad aures usque meas ascenderunt, me cogent eorum causam suscipere; neque me illis ea quæ debeo, quatenus Creator, & Judex, præstitisse putabo, nisi magna illa die, qua pro illis salutarem sententiam proferam, cum interim sævissimo judicio eos reprobabo, qui in illos nulla usi fuerint misericordia. Qui hæc audit Deum in Scripturis loquentem, nonne statim putat, extremum licet universale Judicium, pro pauperibus tantum esse instituendum, eisque non alium finem esse propositum, quam illorum persequi injurias? Qui ibi legit, quomodo futurum est, ut Dei Filius judicio præsit, ac sese gerat, nonne dicit totum mortalium omnium judicium unicè circa pauperum curam versari debere, ac inde futurum, ut absolute, atque essentialiter æterna sors hominum pendeat; hoc est alios quidem ideo damnandos esse, quod egenos contempserint, alios verò gloria cumulandos, quod illis opem attulerint. *Beatus*, igitur, Regius Psaltes inferebat, *Beatus, qui intelligit super egenum, & pauperem*. Quare? Quia *in die mala liberabit eum Dominus. Idem.*

Psal. 40.

Divites sæpe præ cæteris minus pauperum miseriis tanguntur.

Ad charitatem in divitibus excitandam, cum pauperibus egestate eorum comparatur opulentia. Spectaculum hoc nos movere non potest; hinc tot superflua superesse, illhoc tot vitæ necessaria deficere! Durus sane sit oportet, qui duplicis hujus status oppositione non tangitur. Nihilominus eo plurimi non afficiuntur, & dives sæpe ita sævus

est,

est, ut cum paupere partiri nolit levem eorum particulam, quæ in immodicum luxum impendit. Eo res processit, ut cum canibus equisque divitum egeni compararentur. Vix institui cœpit comparatio, cum statim deseritur; nimium enim horrorem eiet; & inhumanus qui viscera sua obstruit miserationi, suffocat ideam, quæ, ut ad vivum repræsentaretur, non permisit humanitas; ideam tamen, in qua nihil est, quod ipsam veritatem excedat. Canibus nihil deest; equi cum cura nutriuntur; & si negligi videantur; heri indignatio ex eorum custodibus ultionem reposcit. At famulus miser infirmitate, ac labore confectus, contemnitur, & fortasse nihil sperare potest nisi ut dimittatur; neque dimittetur fortasse, nisi fustibus male dolatus eo quod equi, vel canis curam contempserit. *Liber cui titulus: Remarques sur divers. sujets de Religion, & de Morale.*

Pauperibus suffurari est, illis indigentibus opem negare.

Numquid injustus est Deus, Sanctus Ambrosius inquit, quod æqualiter non distribuit vitæ necessaria, itaut vos quidem rerum omnium affluentia fruamini, alii verò rebus omnibus careant? An potius voluit ille in vos quidem liberalitatis suæ effectus effundere, aliorum verò coronare patientiam? At tot beneficiis divinitùs cumulati nihil injustè a vobis fieri putatis, cum occulitis illa, cum seorsim illa asservatis, ac soli omnia possidetis, sine quibus alii vitam traducere nequeunt? Quæ enim injustitia est, quæ aviditas, quæ avaritia cellis, horreisque continere integræ multitudinis alimenta non quidem in usus vestros, sed in luxum, atque delitias? Aliena rapere majus crimen non est, quam denegare indigentibus ea, quæ vobis supersunt. Pauperum panem retinetis, egenorum indumenta in scriniis vestris includitis; aurum, quod humi defoditis, miserorum subsidium est, ac redemptio. Scitote igitur vos suffurari quod pauperibus necessitate laborantibus non erogatis. Hæc sunt Sancti Ambrosii verba Sermone 81. *P. Thomassin Tractatu de Eleemosyna 1. parte cap. 5.*

Dives nequam damnatur propter negatam eleemosynam.

Dives nequam, Sanctus Augustinus ait, non arguitur in Evangelio, alicui fuisse calumniatum, oppressisse pauperem, aliena eripuisse bona, pupillos spoliasse, viduas fuisse persecutum; non ita sanè; sed dives erat; de suo dives, nihil cuiquam rapuerat. Id si fecisset, Judex justus, qui judicium suum enarrat in Evangelio, hoc non tacuisset. Æterna veritas, quæ loquitur in Scripturis simpliciter ait, illum divitem fuisse, purpura, byssoque indui, & quotidie epulari consuevisse. Quodnam igitur erat scelus ipsius? Lazarus ulceribus depastus sine ope ulla præ foribus ejus jacebat; ob id Scriptura inquit, illum misericordia caruisse. Si enim dives hic panem præbuisset pauperi illi non diceret Evangelium, pauperem hunc in votis habuisse, ut saturaretur de micis, quæ de mensa divitis hujus

S. August. de Verbis Apost. c. 22.

cadebant. Ob hanc sævitiam, qua pauperem præ foribus suis jacentem contempsit, & illum alere detrectavit, dives ille moriens sepultus est in inferno. *Ex Sancto Augustino apud eumdem Thomassinum.*

Superfluum amittitur, cum non erogatur.

Deus hunc mundum fecit pro divitibus, & fecit etiam illum pro pauperibus; pauper ergo jus habet exposcendi refectionem suam, & partem bonorum, quæ Deus in commune dedit: Qui nutrit divites, nutrit & pauperes. Hoc animo reputare debent, qui maximis cumulati fuere bonis; divites esse debent bonorum operum, ut docet Apostolus: Faciles sint distribuendo, ac elargiendo bona sua. Timent ne amittant, si donant illa; at

S. Aug. lib. 50 Homil. Hom. 23.

nisi illa dono dederint, amittent ea: Vita hæc somnium est; evigilabunt, & nihil invenient in manibus suis. *Idem.*

Dives pro paupere factus est, & pauper pro divite.

Creator, qui volatilium, minimorumque insectorum victui prospexit, charitati vestræ, o mundi divites, homines credidit, quos æquè ac vos æternæ gloriæ destinavit. Efficietisne ut ipsum pœniteat elegisse vos suæ Providentiæ instrumenta? Sinetisne similes vestri interire, miserationis defectu, cum interim vilissima animantia subsistant? Ne obliviscamini aureorum Sancti Paulini verborum, dicentis Supremum pauperis, divitisque Crea-

Epist. 13. ad Sever.

torem alterum pro altero creasse; divitem quidem pro paupere, ut esset illius promuscondus, pauperem verò pro divite, ut esset justitiæ ejusdem materia: *Creator divitem pauperi, & pauperem diviti præparavit, ut abundans egenti, substantia alimonia sit, & opulento inops materia justitiæ.* Gravissima profectò esset injustitia velle esse divitem, & nolle ea subire onera, quæ Deus divitiis imposuit. *P. de la Pesse. Tomo 1. Sermone de obligatione Eleemosynæ.*

Dives se dispensare nequit a præcepto Eleemosynæ.

Ne disputemus cum divite illud probaturi præceptum, quo opem ferre tenetur pauperi ex iis, quæ sibi superfluunt; sinamus eum cogitare quomodo illud in pauperis necessitate intelligat: sed quantumvis modicum religionis, atque humanitatis illi reliquum sit, animum non advertere non poterit hisce quæstiunculis: Nonne verum est, ipsum in luxum, & sæpe etiam in libidinem impendere, quod integræ alendæ familiæ sufficeret? Inficiabitur ille se in alea, & ludis magnam argenti, aurique vim absumere, quæ justa dos esset plurimarum virginum, quarum honestatem, ac virtutem in periculum vocat egestas? Numquid hyperbolicum est affirmare, ipsum horreis suis continere ea, quæ plurimorum egentium victus esset, & alimonia? Seipsum judicet, utrum pretiosæ, ac inutilis supellectilis ubique domi suæ nitentis pretio egenis pluribus suppeditare posset panem, ut ab illis famem propelleret? Quot ægri, quot relicti senes proferrent dies suos, si minima redditnum ejusdem particula illis alendis impenderetur? Viderenturne quidam calamitosi homines ignoti, ac præ verecundia latentes sese tradere desperationi, si eos detegeret charitas illi solatium allatura? Ubi dives aliquantisper has interrogatiunculas expenderit, aliaque id genus nonnulla ex seipso quæsiverit; non reor, ipsum ulterius sævitiam suam esse excusaturum. *Idem in libro, cui titulus: Remarques sur divers sujets de Religion, & de Morale.*

Deo dat, & mutuatur, qui pauperibus dat.

Pauperi dare, est mutuari Deo: sævissimi hominis duritia flecteretur, si horum verborum ille sensum assequeretur. Coactis aliquando universalem rerum omnium direptionem subire; quis ex vobis detrectaret aliquam terribili huic calamitati invenire medicinam? Sperare non possumus tunc nos bona esse recepturos, ubi semel fato cesserimus: quin loquamur de qualitate divitiarum, quas nobismetipsis præparare possumus, & quodammodo in illud tempus congregare; nonne solatii causa nobis esse debet, quod alia nacturi sumus bona, quibus præsentium jactura abundè sit reparanda? Misericordiam, quam cum indigentibus exercemus, a nobis recipit Deus, eamque se nobis relaturum pollicetur: quidquid ex manibus nostris egredietur, ut in pauperum manus deferatur, in manibus illius invenietur. Deo quamdam justitiæ obligationem imponimus, cum charitas nostra pauperes vocat in partem fructuum prædiorum nostrorum. Verum est, ipsum supremum esse dominum, & quidquid dignatur a nobis mutuum, accipere, esse suum; sed illius depositum servare tantummodo cupit, si illud pauperibus recreandis impendimus. Pauperem enutrivi, dicere nobis licebit; tuum est, vicissim a me famem propulsare. Hospitio pauperem excepi; recepisti futurum ut me hospitio reciperes, ex terrena hac egressum domo, ubi inquilinus eram, & advena. Pauperem consolatus sum; nonne mihi illud, quod dedi solatium debes? Thesauros meos egentibus aperui; aliquod jus assecutus sum in tuos; justus es, neque spem meam frustrari poteris. *Idem.*

Christiani eleemosynæ erogare negantes abutuntur opibus, quas illis largitur Deus.

Consule Evangelium, quod fallere nequit; ad illius lucernam compone mores tuos, tuosque sumptus, eique omnem tribue extensionem, quam in illo invenire rationabiliter poteris. Numquid assignabit tibi divitias in mundi pompas, ac vanita-

tem

tem erogandas? Hoc primum in Baptismo pollicitus es, ut illis renuntiares. Permittet tibi bonorum partem in vestimentorum luxum, epularum lautitiem, ac voluptatum perquisitionem impendendam? Ibi explicitam invenies mali divitia damnationem. Relinquet tibi divitiarum partem in inani fortunæ spe emenda; atque in fovenda insanis sumptibus ambitione, insumendam; cum interim creditores tui fame confecti moriantur? Dei Lex non probat injustitiam, & vanitatem. Suadebitne illa tibi, ut congeras opes in incertos usus, In ædificia, in supellectilem ultra modum omnem impendendas? Monet e contra, ut spirituales tibi thesauros in Cœlo compares, quos tibi fors eripere nequit; quorum justa est acquisitio, facilis conservatio, ac æterna fruitio. Abscinde ergo hos profanos, superfluosque sumptus, & hunc cupiditatis excessum ad Evangelii legem redige: videbis divites non solum, pro sua dignitate vitam esse traducturos, sed non defuturum illis, unde pauperibus ingentes eleemosynas erogent, quin ulla ipsis commoda desint. *Flechier Sermone de Eleemosynæ necessitate.*

Quibus satis est pauperum misereri, quin illis opitulētur, peccant contra eleemosynæ præceptum.

Sacra Biblia eorum damnant duritiem, qui hujus mundi bonis cumulati non miserentur pauperum, eosque in egestate, ac squalore suo derelinquunt: Damnant quoque imperfectam eorum charitatem, qui perfunctoriæ, sterilisque pietatis sensu eorum miserentur, eorumque deflent mala, quin extrinsecus illos necessaria ope, ac solatio reficiant. Misericordiæ satis non est, inquit Sanctus Augustinus, conqueri: amat etiam opitulari; miseratio nihil est, nisi illam sequatur beneficium, & quemadmodum nefas est retinere in injustitia veritatem in mente sua, ubi ignari edocendi sunt, & erudiendi; ita nefas quoque retinere in injustitia charitatem in corde nostro, ubi tempus est egentibus subveniendi.... Non acquiescit Deus charitati, quæ in sola animi affectione consistit, sed præcipit in Scripturis, ut ipsum de substantia nostra honoremus. *Idem Sermone habito in conventu Statuum Occitaniæ.*

Eleemosynæ ex bonis nostris fieri debent.

Vult Deus victimas ex gregibus nostris eligi, & miserationes in cordibus nostris efformari. Eas rejicit eleemosynas, quas justitia exprobrat charitati, quæ novas gignunt miserias, cum miseris opem ferunt, & quæ aliis quidem lætitiam afferunt propter bonum, quod illis adfertur, aliis verò dolorem propter bonum, quod illis aufertur. Opus est, Sanctus Gregorius ait, sese privare parte bonorum, quæ possidentur, non charitatis nomine elargiri, quod rapitur vi; & facienda sunt opera misericordiæ ad redimenda peccata; non peccata patranda, ut deinde opera fiant misericordiæ. Quod si nancisceris bona tua non sufficere, ut in opera charitatis eorum partem impendas; illis prudenter, ac parcè utere, abscinde paulisper luxum, propter quem creditores tui contremiscunt, ac familia tua vergit in interitum. Quære potius quomodo utilis sis, quàm quomodo placens oculis fratrum tuorum; humilis simplicitas in eorum utilitatem traducat, quod ingeniosa vanitas in inutiles sumptus effundit. Aliquid ludo detrahe, & cogita, te ludentem Dei munere abuti, ac fortunæ sacrificare providentiæ illius beneficia, atque simul jacturam facere & temporis, quod ad æternitatem acquirendam elargitus est, & boni, quod ad misericordiæ opera exercenda concessit. *Idem.*

Filiorum amor justa causa non est, quæ te ab eleemosyna eroganda dispenset.

Plurimi dicere consueverunt, familiam suam a se unicè amari; sibi curam quam solertissimam eorum habendam, qui propiùs eos tangunt, sibi filios esse, quibus est diligentissime prospiciendum. Hæc est vulgò patrum excusatio, qui putant se posse & in semet avaros esse, & duros in alios, ut filios suos hæredes scribere possint magnarum opum a se congestarum; quin illud quærant, utrum bene, vel secus illi usuri sint. Nonne quotidiana docemur experientia, nullam rem in tantam morum licentiam adolescentes impellere, quàm hanc bonorum copiam, quæ naturali studio, quo rapiuntur in scelus, addit illius perpetrandi facilitatem? Nonne sciunt illi, has opes, quæ scelerum suorum fructus fuerunt, futuras materiam libidinum in filiis suis? Nonne præstaret, ut quin illis in hæreditatem relinquerent Cœli indignationem, contemptum hominum, odium injustitiæ suæ, christianæ, & in pauperes effusæ vitæ exemplum relinquerent? nonne præstaret divinis illos benedictionibus cumulare? *Idem.*

Quomodo peccata eleemosynis redimantur.

Non postremus christianæ eleemosynæ effectus est peccata redimere, peccata expiare, a peccatis liberare: seu quod miseratio, qua ob alienam calamitatem afficimur, suopte ingenio nos impellat, efficiatque, ut consuescamus misereri animæ nostræ; & charitas, quam cum illis exercemus, a Deo nobis impetret misericordiam; quæ est Sancti Gregorii sententia; seu quod eleemosyna, quam divites in pauperum sinu condunt, pro illis deprecetur, juxta Scripturæ verba, ut Deus cordis eorum molliat duritiem: seu denique quod cum bona per cupiditatem nostram facta fuerint pars substantiæ nostræ, eam vim, quam nobismetipsis debemus inferre propter Dei amorem illa erogantes Deus facilitatem ad affectus nostros subigendos, quodamodo remuneretur. Attamen licet eleemosyna omnia deleat, ac expiet, & charitas indiscriminatim multitudinem peccatorum cooperiat; quædam sunt species charitatis, quæ magis directè criminibus quibusdam respondent. Expiate vanitatem vestram opem ferendo indigentibus, qui paupertate simul, & pudore torquentur. Redimite intemperantias vestras, illis subvenientes, quibus deest, unde simplicibus naturæ necessitatibus satisfaciant, &c. *Idem Exhortatione secunda.*

Charitas primorum Fidelium qua vicissim alienis opem ferebant necessitatibus.

Primi Fideles putabant eleemosynam vocationis suæ partem esse; & non sine admiratione, & grati animi sensu recogitabant, quod ipsis uti dignaretur Deus ad opem fratribus suis afferendam. Cum in manibus suis Domini erga pauperes Providentiam haberent; huic infideles non erant; & non cum gaudio solùm, verùm etiam cum reverentia erogabant. Respiciebant enim egenos non tamquam abjectos homines, & ob conditionem suam contemptibiles, omnibus fortunæ injuriis, atque calamitatibus obnoxios, secum ferentes flagitiorum suorum pœnam; sed tamquam Sanctos, electos ad JESU CHRISTI paupertatem imitandam, & fidelium misericordiam exercendam: Sanctos, Sanctus Chrysostomus inquit, quia iis omnibus immunes sunt periculis, quæ divitias comitari solent, & quia ex professione patientes, & ex necessitate sunt humiles; salutis suæ studiosos, quia Mundi contemptores, & a Dei nutu pendentes, quia sub ejusdem providentia viventes. Beatis illis, vere aureis Christianæ Religionis temporibus, certatim eleemosynæ conferebantur, & hoc in Corinthiis commendavit Apostolus, quod eorum exemplum aliorum zelum inflammasset. Utinam in sæculo, ubi non intepuit, sed pene interiit charitas, ubi existimatur jactura fieri illius boni, quod in eleemosynam erogatur, ubi tot perniciosa suppetunt duritiæ, atque avaritiæ exempla; Utinam inquam, Animæ Christianæ, quæ adestis, manu charitatis facem arripientes, in manibus cordis hunc, qui ardet in vestris, ignem accenderetis! Ullane potior sese vobis obtulit occasio ea, quam vobis offerunt tot pauperes, qui sese vobis exhibent hodierna die? *Idem Flechier Exhortatione tertia.*

Multitudo excusationum, & prætextuū, qui proferuntur, ut homines ab eleemosyna eroganda abstineant.

Quamquam nullum Religionis præceptum sit, & rationis regulis, & naturæ legibus magis conformis; nullum tamen est ad quod eludendum majores excogitatæ fuerint ambages. Alii putant hoc non esse religionis officium, sed consilium, quod sequi, vel secus integrum sit; quasi Deus pauperem vel malæ ipsius sorti, vel divitum improbitati tradiderit. Alii verentur, ne filiorum suorum imminuant bona; perinde ac JESUS CHRISTUS pro nihilo habendus esset ab illis, qui familiam

habent,

habent, ac non tenetur Christianus esse, qui factus est Pater. Modò et, quibus indigere possumus ex propria tantùm cupiditate metimur, non ex regulis Evangelii, quasi domini essemus bonorum, quorum sumus dispensatores, & cupiditatum nostrarum effrœnem audaciam nobis tamquam legem sequi liceret. Nunc de temporum conquerimur iniquitate, & eleemosynis aufertur, quod vanitatibus, & luxui potius esset adimendum. Undequaque petimus excusationem: credere malumus, pauperem nequaquam urgeri necessitate; ne illius inertiam foveamus, timemus; bonis nostris hac in vita frui cupimus, omnemque charitatem in aliquot, ultimarum tabularum legata remittimus. Boni verò e contra large, effusèque donant, quin diutiùs deliberent; sancta, piaque, acti impatientia pauperum necessitates, ac petitiones prævertunt; ac numquam se, vel satis, vel sat citò elargiri arbitrantur.

Qui in carceribus detinentur, præ cæteris magis aliena indigent ope. Nulla est hominum conditio majoribus obnoxia malis, quàm eorum, qui in carcerum squalore detinentur. Libertate illis adempta, omnia ablata sunt, diceres illos omni jure naturæ excidisse; vel enim sontes sint, vel calamitosi, non habentur ultra veluti homines. Ex familiarum suarum sinu abrepti, quodammodo traduntur arbitriis aliorum, qui sæpe illorum tormentis assueti, & in singula momenta miserationis objecta intuentes, omnem prorsus abjecerunt misericordiam, illis panem, & aquam in mensura tribuunt; vel fortasse, hæc illis negantes in quæstu ponunt illorum calamitatem, & ex miserorum siti, & fame saginantur. Omnibus destituti bonis, quæ vel mala sors illis abstulit, vel quibus per Judicum imperium frui minimè possunt, vix habent, unde sese contegant, ubi caput reclinent doloribus, & sollicitudinibus, quibus tormenta, quæ patiuntur, vel metuunt, illos obruunt. Eorum corpora, vel catenarum pondere incurva, vel corrupta ejus aëris, quem in humentibus, obscurisque locis perflant, tabe; vel ulceribus, quæ sensim ibi gignuntur, vel morbis, quos contrahunt, ad maciem usque conficiuntur. Non vereor profectò, o mulieres, ne vestram mentem, delicatasque vestras aures offendam; quomodo enim malorum horum misereri potestis, si illa ignoratis? Quod verò malum esset, si cum vestra charitas huc vos coegisset, ut miseris ferretis opem, de miseriis eorum sermonem animus vester horreret? Cum igitur fames, sitis, nuditas, ægritudo, carcer in calamitosiorum hominum persona quodammodo collecta inveniantur; illis subvenientes universalem eleemosynam erogatis, omnesque charitatis coronas lucramini. *Idem in Exhortatione hujus Argumenti.*

Ejusdem argumenti. Quænam calamitas cum illa conferri potest, qua illi, qui in carceribus detinentur, conficiuntur? Quænam verba satis querula possent ad vivum hanc miseriæ speciem exprimere? Numquid vobis hos exhibebo carceres, tamquam regiones maledicto percussas, ubi neque pluvia decidit, neque ros; ubi existimatio putrescit, ubi fortunæ spes, amicitiæ solatia, vitæ commoda, ac ipsa conscientiæ amittitur quies? Numquid hos vobis carceres, vel potius hæc funesta sepulcra vobis describam, ubi viventes homines tumulantur, qui sese morti quodammodo traditos inspicientes, hanc vel in supplicium expectant, vel propter desperationem desiderant, vel jam in ipsis cruciatibus subeunt? Numquid hos vobis homines ob oculos ponam, quos justitia a mundi consuetudine secrevit; qui quodammodo ex divinæ Providentiæ manu lapsi sunt, ut loquitur Sapiens; pro quibus Sol lucem emittere desiisse, & nox diei locum occupasse videtur? Quibus in horrenti solitudine, nihil aliud versatur animo, nisi vel patratorum scelerum pœnitentia, vel suppliciorum, quæ meriti sunt, metus; & qui, cum non alia suppetat esca, quàm arctus panis lacrymis mixtus, reliquum vitæ spatium trahunt, donec vel ea pœna puniantur, qua sunt afficiendi, vel scelerum suorum debitam agant pœnitentiam? Numquid loquar de familiis eorum mœrore, ac desolatione confectis; de filiis qui patrum lugent captivitatem, de patribus, qui filiorum paupertatem illacrymantur; de inimicis, qui illis insultant, de paucis amicis, qui solatium vix afferunt; de paucissimis hominibus, qui misericordia ducti illis opitulantur? *Idem Flechier.*

Illud verò in carceratorum conditione miserrimum est, quod patiuntur, & solatium petere nequeunt, summa premuntur egestate, eorumque aliis abscondita egestas est. Inter fideles quamplurimi pauperes sunt; Heu! hoc dicam, ut tot divites pudeat; sed non ideo penitus sunt derelicti. Licet illis palam suas gestare miserias; & quantumvis sint calamitosi, nec non gravissima sit hodie mortalium durities, questubus suis miserationem extorquent. Ad aras usque irrumpunt vota precesque nostras perturbantes, ut nos ad misericordiam flectant, seu vulnera sua nobis ostentantes, seu calamitates suas flebili ejulatu enarrantes. Ad domorum nostrorum valvas accedunt miseris clamoribus charitatem nostram sollicitaturi, nostrasque emendicaturi eleemosynas. Nobis occurrunt in via, ubi fortunæ infelicis reliquias ostentant. Hæc omnia apta sunt sævissimis etiam animabus flectendis. Languor, ægritudo, vulnera, spectacula sunt mirè moventia, & ab oculis ad cor usque labentia. Seu nos præsentia moveat objecti; seu naturæ hunc sensum negare nequeamus; resistere nequaquam possumus miserationi nos pro miseris, quos novimus, sollicitanti. At qui in carceribus squalent, sunt in amaritudine cordis, & patiuntur, quin aliquis eorum misereatur; cumque sint extra jactum oculorum nostrorum, sunt quoque extra jactum nostræ charitatis; quamobrem palam præcipit JESUS CHRISTUS, ut illos invisamus. *Infirmus, & in carcere, & non visitastis me.* *Matth. 25.* Pro illis non compassionis tantum, & amoris habenda est misericordia, ubi eorum novimus egestatem; verum etiam habenda est misericordia curiositatis, & sollicitudinis, ut eam detegamus. *Idem.*

Ejusdem argumenti. Pauperes, pro quibus laboro, non solum ex paupertate sua sunt commendandi; verum justum etiam titulum habent, qui nos debet ad opem illis ferendam impellere. Hi sunt pauperes in carcerem detrusi æquè fortunæ bonis destituti, & carentes ea libertate, quæ una eorum calamitati afferre posset medicinam. Non sunt illi errones, & vagi, quorum importunus adspectus ad aræ pedes usque preces nostras perturbat, vel qui ea captant momenta, quibus te in semotis locis deprehendant: miseri sunt, quorum hæc potissima calamitas est, quod oculis tuis sese nequeunt objicere: Nihil ipsis eorum deest, quæ ad misericordiam te flectere possunt, at deest illis ad te accedendi facultas.... Similes sunt, si hac mihi uti liceat similitudine, Ethnicorum idolis omni motu carentibus. Manus habent, sed vinctas, neque vacare possunt, vel agris colendis, vel muneribus vocationis suæ adimplendis: *Manus habent, & non palpabunt.* *Psal. 113.* Pedes habent, quibus incedant, sed ferreis compedibus obstrictos, ac nequeunt eos circumferre in sexcenta loca, ubi negotiorum suorum status illorum præsentiam, & curam deposcit. *Pedes habent, & non ambulabunt.* Habent oculos, sed ob carceris tenebras cæcos, qui parietum crassitiem penetrare non valent, ut videant laqueos, qui sibi struuntur, & mala, quæ sibi intentantur. *Oculos habent, & non videbunt.* Os habent, ut loquantur; sed a quibus exaudiri possunt ipsorum voces de eorum locorum, ubi detinentur, caligine emissæ. *Os habent, & non loquentur.* Verbo; aures habent, ut audiant; sed aures obstructas criminationibus, quæ contra ipsos afferuntur, ac testibus, qui ad eos perdendos supponuntur: *Aures habent, & non audient. Pater Cheminais. Ser-*

mone

niana de Charitate erga eos, qui in carceribus detinentur.

Quam tam sunt in mundo opera charitatis.

Qoid aliud in mundo fit (hoc dieo non sine summa cordis amaritudine ,) quàm omnia charitatis Officia negare pauperibus , qui Dei Filiom repræsentant , & qoos tamquam seipsum ille a nobis jubet haberi ? Quis enim escam tribuit esurienti , quis sitienti potum ; quis domi excipit advenam , quis nudum induit , ægrum invisit , & in carcere detentum consolatur ? Hæc officia , aliaque plura his similia fere ignota sunt , & vita cum morte commutatur , quin vel semel animus adjectus fuerit his verbis , quæ summum afferre deberent solatium : *Quamdiu fecistie uni ex his fratribus meis minimis , mihi fecistis . Abbas Trappensis in moralibus Considerationibus in Evangelium S. Matthei.* Matth. 25.

E X E M P L U M.

Vis Exempli generatim . Bonum Exemplum ; Bona Educatio.

M O N I T U M.



Ogitantibus nobis de Exempli vi , ac potestate verba facere illud primum obversabatur animo consilium , ut uno titulo utrumque , bonum , videlicet , & malum complecteremur , quemadmodum aliis passim in argumentis duo contraria tamquam ad idem argumentum spectantia conjunximus ; quod tamen deinceps nimis latè patere visum est ; ideoque de pravo exemplo sermonem alio remittimus cum de scandalo verba facimus ; unde peti ea poterunt , quæ illic dicentur a nobis , si quis utrumque una , eademque concione , ut non pauci assolent Oratores , velit complecti.

Quod ad bonum exemplum generatim spectat , de hoc universè sermonem instituemus , quin illud in ulla peculiari virtute inquiramus ; qualibet enim virtus nos ad imitandum provocat eos , qui in ejusdem exercitatione potissimum enituerunt . Hoc enim argumentum eò tendit , ut fideles omnes excitet ad laborandum pro ædificatione proximi , eo vivendi genero , quod integrum sit , scelerisque purum , & quod perquam diligenti officiorum omnium status sui observantia , eos omnes , qui actionum suarum sunt testes , rapit in imitationis studium , ad quod Sanctus Paulus sæpe primoe Fideles hortabatur.

Caterum argumentum hoc licet nimis fortasse vagum videatur , utilissimum tamen esse potest ; complectitur enim omnia vitæ Christianæ officia , semperque habitum fuit tamquam primum charitatis erga proximos officium , tamquam via aptior , & efficacier , qua saluti eorum consulamus ; & denique velut inevitabilis Christiani necessitas , qui cum non pro se tantùm , sed & pro aliis existat , invenit in bono exemplo universalem viam , qua necessitati huic satisfaciat.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus Argumenti Systemata.

1. 

Rimum , ac magis obvium , quod sese in hoc argumento objiciat ultro Concionis Systema , est , ptoponere ostendendam , 1. necessitatem , qua Christianus quilibet bonum præbere exemplum tenetur ; 2. ingens bonum , ac fructum uberem , quem bonom exemplum parere consuevit , cum fidelis hoc officio persungitur , sese præbens virtutis exemplar iis omoibus , quibuscum vivere tenetur , eo in statu , & conditione , in qua divina ipsum Providentia constituit.

Quod ad primum pertinet ; ubi hoc substratum fuerit suppositum , hominem videlicet non pto se tantùm , sed etiam pro aliis vivere , cum quibus vivit , ac societatem componit ; Christianus qui Ecclesiæ membrum est , atque cum reliquis hominibus sanctissimis , arctissimisque charitatis vinculis conjunctus , tenetur non solum propriam salutem operari , sed alienæ etiam , quantum in ipso est , pro virili consulere ; & inde puto eam existere obligationem , quam illi Dei Filius imponit bonum exemplum præbendi : *Sic luceat lux vestra coram hominibus ut videant opera vestra bona , & glorificent Patrem vestrum , qui in Cælis est* ; hoc est oon teoetur solum nihil ob oculos hominum facere , quod illis scandalum ingerere valeat , verùm etiam exercere virtotes , quæ alienæ prosint ædificationi , & quæ statum ipsius maximè deceant . Ad id autem tenetur primò ob Ecclesiæ utilitatem , cujus membrum est quatenus Fidelis ; incomparabilis est honor , & gloria esse filium Ecclesiæ ; igitur satis esse non debet , si eamdem nullo dedecore afficiat vita nequam , & flagitiosa ; sed adniri debet etiam illi decus afferre , atque ejosdem gloriæ aliquid conferre optimo vivendi geoere , quod aliis bonum præbeat exemplum . Quomodo enim sancta erit Ecclesia , ac omni carebit macula , oisi membra , & filii ejus sancti fuerint , ac in vita irreprehensibiles ? quomodo autem tales esse liquebit , nisi eorum hoc probent actiones ? eæ videlicet , quæ hominum oculis esse debent expositæ . Quantum igitur mali Christiani , & hoc nomine indigni , Ecclesiæ dedecus afferunt , fidem abrogantes ejusdem institutis , ac impugnantes etiam veritates , quas docet , iis actionibus , quæ prorsus videntur oppositæ ; tanto fidelis christianus illam honore afficit bono exemplo , quod omoibus tradit , & ex quo judicium ferri potest de sanctitate ejus corporis , cujus membrum est ; veritates , quæ ab illa traduntur , faciles esse , easque sequi gloriosum ; quandoquidem eas nobilissimi homines , ac summo loco nati gloriæ sibi vertunt amplecti &c. 2. Tenetur verò deinde ob fratrum suorum utilitatem , & propter charitatem , quam proximo debet , quæ petit , ut illi pro viribus bonorum omnium maximum , æternam videlicet salutem procuret . At bonum exemplum efficacior , atque ut plorimum , unica via est , qua fratri opem ferre possimus , ut adhunc finem perveniat . Et sanè charitas , qua proximo indigenti opitulari jubemur , suas habet exceptiones ; fieri enim potest , ut nos majori premamur egestate ; non semper nobis integrum est eum in carcere positum invisere ; sæpe necessitatem , qua laborat , ignoramus , eamque cognoscere minime possumus.

Matth. 5.

fumus. Similiter non semper illum ob vitæ flagitia corripere tenemur; non enim nobis in omnia mortalium genera jurisdictio esse potest; verùm semper bonum illi præbere possumus exemplum; ideoque hoc primum est, magisque generale, ac necessarium charitatis officium: *Mandavit illis unicuique de proximo suo.* 3. Tenetur quoque ob propriam utilitatem, alios enim ad virtutis exercitationem inducens, ipse quoque illam exercet; utiliter salutem suam operatur alienæ consulens, ac particeps fit boni, quod illi faciunt, quibus dedit exemplum, & meritorum, quæ iidem acquirunt.

Eccli. 17.

Quoad alteram partem, quæ respicit fructum, qui refertur, & officium, quod Deo, Ecclesiæ, proximoque præstatur bonum eidem exemplum præbendo; 1. glorificatur Deus excellenti modo, cum omnes ad eum amandum, colendumque adducantur. 2. Obex statuitur vastitati, quam scandalum infert. 3. Confunditur vitium, quod etiam nobis audet prodire: *Vitia ex occursu meo suffundo*, ut Tertullianus ajebat. 4. Virtutem probat, eique existimationem conciliat: infirmi, ignavique excitantur, & confirmantur, & vir bonus in civitate, majorem sæpe fructum facit, quam simul omnes Concionatores. Quænam autem consolatio est aliquid animæ alicujus saluti contulisse? Ubi finis erit Concionis.

II. 1. Bonorum virorum exemplum nobis virtutis decorem ostendit, ideoque ad illam amandam, & sequendam impellit.

2. Praxim illius non ita arduam ostendit; immo e contra faciliorem, quam credideramus.

3. Persuadet nobis opus esse, ut Dei legibus, præceptisque nos subjiciamus, neque enim ullum nobis privilegium præ illis est, qui hujus rei præbent exemplum. *Essais de Sermons pour l'Avvent.*

III. Probi hominis vita, ac virtus insignis nos & malum effugere, & bonum docet operari eo modo, qui omnium facillimus est, efficacissimus, & acceptissimus.

1. Avertit a vitiis; bonum enim exemplum, tacita est reprehensio eos confundens, qui illis abditi sunt; reprehensio, qua corripiuntur, quin conqueri, ac se læsos putare possint: *Vitia ex occursu meo suffundo*, Tertullianus ait; cum aliæ corripiendi, castigandi, vel alienos reformandi mores, viæ, si absit exemplum, irrisionibus pateant, ac in se censuras aliorum convertant.

2. Bonum exemplum ad virtutem adducit ratione omnium efficacissima, nobis illam ostendens in praxi, atque ita omnem auferens excusationem, atque prætextum vel difficultatis præceptorum, vel nostræ infirmitatis, vel consuetudinis &c.

IV. 1. Nullus Christianus est, qui ex bonis exemplis, quæ sibi traduntur a proximo, fructum percipere nequeat. Bona, quæ ob oculos versantur, exempla infirmos excitant, roborantque, ferventioribus solatium præbent, illos ab impiorum censura, & singularitatis nota tuentur, sancta æmulatione ad magis magisque progrediendum impellunt, omnibusque mortalibus auferunt metum, ac pudorem, qui humanus respectus vocatur, virtutem sequendi.

2. Nullus Christianus est, qui vicissim aliis bonum non debeat exemplum. Tenetur enim 1. explicito Filii Dei præcepto: *Sic luceat lux vestra coram hominibus* &c. 2. Tenetur ex christianæ charitatis mandato. 3. Ex propriæ salutis utilitate.

V. Actio quæcumque cum exemplo conjuncta, & coram hominibus habita duo habet potissimum bona, præ illa, quæ clanculum fit,

1. Plurimum confert ad Dei gloriam, ad christianæ Religionis incrementum, ad proximorum salutem. Per se patent argumenta.

2. Operantis meritum, ejusque præmium auget in Cœlo; quo in sensu Sanctus Paulus eos, quos ad fidem converterat, & quorum saluti contulerat aliquid, suum gaudium, & coronam appellat: *Gaudium meum, & corona mea.*

Ad Phil. 4.

VI. Bonum exemplum ad virtutem triplici adducit via.

1. Eos qui inde longissimè absunt, illecebra quadam, quæ inevitabilis videtur, adducit; si enim, ut inquiunt, nemo illius pulchritudine capi non posset, si eamdem corporeis oculis posset videre; profectò bonum ejusdem exemplum eam visibilem facit. Quemadmodum Sanctus Augustinus testatur nulla umquam re ad castitatis amorem fuisse magis inflammatum, quam quòd sibi videre visus est Continentiam magna Virginum caterva stipatam, quæ ipsum ad hanc virtutem amplectendam hortabatur, cujus ipsa illi nitorem, meritumque ostendebat.

2. Nihil aptius est ad nos ciendos, inflammandosque ad magnum aliquid aggrediendum, quantumvis difficile videatur, quàm exemplum nobis præeuntium, viamque nobis sternentium; tunc enim generosa æmulatione excitamur, quæ vires, animumque præbet, quem ex nobis nequaquam haberemus.

3. Nos veluti manu ducit, ac docet, quomodo sit agendum, & ostendit rem esse quam credideramus, faciliorem.

VII. 1. Ad suadendam virtutem, illius cognitionem oportet adstruere, atque ostendere utilitatem.

2. Illius facilitatem aperire, ac docere, eam viribus nostris non esse superiorem.

3. Illius amorem accendere, ejusque indipiscendæ studium ciere; quod bonum facit exemplum eo modo, qui ipsius proprius est, atque efficax.

VIII. 1. Vita sancta, quam viri boni ducunt, liquidò probat, fidei veritates ab illis credi, eisque de Religionis nostræ principiis esse persuasum.

2. Bonum, quod præbent exemplum, & sancta hæc vita, quam vivunt, apertissimum est ejusdem Religionis argumentum; majorem enim vim habet, quam rationes omnes, atque ipsa miracula, ut alii eam amplectantur.

3. Bonum exemplum hodierna quoque die christianam Religionem confirmat, illam enim tuetur contra malorum Christianorum depravatos mores; si enim illud defuisset, jampridem Religio ipsa fuisset eversa.

IX. Quandoquidem ipse Dei filius bonum exemplum lumini comparat, non æquius sumi potest argumentum, quam probare veritatem hujus similitudinis, ostendendo, sanctæ vitæ exemplum iis, qui in ignorantiæ, aut vitii tenebris versantur luminis officio fungi, cujus effectus duo omnibus explorati, atque comperti sunt, lucere simul, & calefacere.

1. Ita nos bonum exemplum illuminat, nosque bonum, ac malum edocet, idque melius, breviusque quam omnia optimorum præcepta.

2. Quemadmodum lumen calefacit, ita nihil nos animat magis, majoremque ardorem, atque æmulationem nobis immittit, quam aliorum exemplum; ideoque potentius est, atque efficacius omnibus adhortationibus, omnibusque rationibus, quæ possunt adferri, ut ad bonum amplectendum impellamur.

X. Qui bonum præbent exemplum, eminenter in Ecclesia funguntur, 1. Officio Doctorum, qui virtutum suarum lumine elucent, qui erudiunt, aliosque salutis vias edocent.

2. Pastorum sine alia auctoritate, præter eam, quam illis virtus impertit; Ecclesiam tuentur, atque propugnant contra Christianos improbos, qui eam scandalis sævius quam olim Tyranni suppliciis, persequuntur.

3. Apostolorum, JESU CHRISTI imperium proferentes, ac ad cultum illius alios pertrahentes.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest ad propositas Concionum structuras elaborandas.

Sanctus Augustinus in Expositione Psalmi 39. hæc explicans verba: *Videbunt multi, & timebunt,* *Sancti Patres.*

mebunt, & sperabunt in Domino, ostendit quomodo Sancti, qui præcesserunt, subsequentibus exemplo fuerunt, & hi aliis futuri sunt.

Idem in Psalmum 56. hoc ipsum docet, & addit unumquemque aliis exemplo esse debere.

Idem *Serm. 2. de Catechismo in fine*; ostendit omnes invenire, quod sibi ad imitandum proponunt in vita eorum, qui sanctè vixerunt.

Idem *lib. 8. Confess. cap. 6.* narrat, se commotum fuisse ex narratione quadam, quam ex Pontitiano audiverat de Sancti Antonii vita, triumque Aulicorum conversione, qui cum fortuito ejusdem Sancti acta legissent, incensi sunt cupiditate illius imitandi, atque Dei cultui sese devoverunt.

Sanctus Gregorius *lib. 24. Moral.* ostendit quomodo nosmet cognoscere possimus ex virtutibus, quarum exempla alii suggerunt nobis.

Idem *lib. 25. Moral. cap. 7.* docet boni exempli proprium esse alios ad bonum excitare, ac virtutis desideria in aliis accendere.

Idem hæc Jobi explicans verba cap. 10. *Instauras testes tuos contra me*, ostendit testes, a quibus aliquando sumus accusandi, eos esse, qui nobis præclara tribuerunt virtutum exempla, quæ secuti non sumus.

Idem *lib. 5. Moral. cap. 5.* docet thesauros in Sanctorum sepulcris esse inveniendos, hos autem esse virtutes illorum.

Idem *lib. 2. in Reges* prolixo sermone docet, Concionatores, & qui alios erudiunt, aliis exemplum præbere debere.

Idem in Præfatione in Librum Job, ostendit nos virorum bonorum exemplis erudiendos esse, postquam neglexímus legem naturalém, & divinæ legis præcepta sectari.

Sanctus Hieronymus *Epist. 50.* ubi adfert Sancti Pauli Eremitæ vitam, ostendit, qua admiratione captus fuerit Sanctus Antonius, qui illum convenerat, videns hunc Eremitarum prototypum, & quomodo simul virtutum ejusdem exemplo fuerit excitatus.

Sanctus Chrysostomus *Homil. 46. in S. Matth. cap. 13.* docet Sanctos homines non miraculis, sed virtutibus, piisque moribus commendari.

Idem *Homil. 21. in cap. 6. ejusdem S. Matth.* docet Christianos imperfectos exemplis aliorum esse confirmandos.

Idem *Homil. 7. in Genes.* loquitur de boni exempli utilitate.

Idem *Homil. 65. in Matth.* eos, qui boni esse cupiunt, hortatur, ut oculos convertat in eos, qui aliqua virtute excelluerunt.

Idem *Homil. 2. in Epist. 1. ad Timoth.* docet quam primum infideles defuturos, si Christiani omnes vitam ducerent, uti fas est, quia mortales omnes eos vellent imitari.

Sanctus Basilius *Homil. 9. in Sanct. Gordianum* veterum Patriarcharum exemplis docet, quanta sit exemplorum vis ad homines ad virtutem excitandos.

Idem *Epistol. 1. ad S. Gregorium Theologum*, ostendit iterum quam vim in animos nostros habeat bonum exemplum.

Idem *Epist. 79. ad Eustach. Episc. Sebast.* docet quomodo ipse quoque Eremitarum Sanctorumque Cœnobitarum, quos in Ægypto, alibique viderat, commotus fuerit exemplis.

Cassianus *lib. 5. cap. 4.* loquitur de fructu, qui ex bono exemplo percipi potest, ac refert Sancti Antonii institutum, ubi in quolibet fratrum suorum eam, in qua quisque excellebat, virtutem omnes imitabantur.

Sanctus Bernardus *Serm. 54. in Cant.* docet in societate posse quemlibet imitari, ac proprias sibi efficere singulorum virtutes.

Ascetici, aliique. Rodriquez *Tractatu primo cap. 13.* ostendit optimam proficiendi in virtute rationem esse, sanctissimorum virorum virtutes sibi ad imitandum proponere.

Jacobus Alvarez de Paz *lib. 5. part. 2. de Vita Spirituali cap. 29.*

Hieronymus Piatus *lib. 1. de bono status Religiosi*, ostendit subsidium, quod ex bonis vitæ Religiosæ exemplis educitur.

Pater Suffren in Anno Christiano tomo primo cum de conversatione loquitur §. 2.

Georgius Stengelius in libro, cui titulus: *Vis, & virtus Exemplorum.*

Nicolaus Lancicius *Opusc. 13. cap. 4.*

Theophilus Renaud *in moral. Quæst. de Incentivis ad virtutem.*

Dandinus libro, qui inscribitur, *Ethica Sacra lib. 29. & 30.* in quorum altero quinque capitibus ostendit, bonum exemplum esse præbendum; in altero verò probat capitibus totidem bonum exemplum sequendum esse, & imitandum.

P. Caussinus tractatu primo, ratione secunda de boni exempli vi verba facit.

Mathias Faber, in festo S. Matthæi *conc. 6.* Concionatores.

Eusebius Nierembergius *Hom. 57. de Sanctorum exemplis, & eorum imitatione.*

Thomas Stapletonus, *Domin. 15. post Pentec. Text. 2.*

Idem *Domin. 6. post Epiph.*

Biroat in Adventu Sermone 12.

Idem in Quadragesima Sermone 2. pro Dominica quinta.

Joly Sermone pro sexta post Pentecosten Dominica.

Lambert in Sermonibus de Vita Ecclesiastica, Sermone 13.

P. Texier in Dominicali; Sermo pro Septuagesimæ Dominica totus est de bono exemplo.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta in Quadragesima Tomo 1. Sermonem habet hujus argumenti.

Qui collectanea edidere.

P. Ludovicus Granatensis.)
Labatha.)
Lohner *Biblioth. Manualis.*) *Tit. Exemplum.*
Theatrum Vitæ humanæ.)
Cresolius *in Mystagogo c. 43.*)

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Scripturarum applicationes huic argumentu.

INspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est. Exod. 25.

Imitantur illum qui sunt ex parte illius. Sapient. cap. 4.

Exemplo didici disciplinam. Prov. 24.

Adolescentibus exemplum forte relinquam. 2. Machab. 6.

Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita. Matth. 5.

Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt. Ibidem.

Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. Ibidem.

Sint lucernæ ardentes in manibus vestris. Luc. 12.

Qui facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta. Joan. 3.

Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Joan. 13.

Instauras testes tuos contra me. Jobi 10.

Providentes bona non tantùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Ad Rom. 12.

Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum, ad ædificationem. Ad Rom. 15.

Omnia ad ædificationem fiant. 1. ad Cor. 14.

Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei; quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem. Ad Hebr. 13.

Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum. 2. ad Cor. 6.

Vestra

Vestra æmulatio provocavit plurimos. 2. ad Corinth. 9.

Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. 1. ad Corinth. 4.

Christi bonus odor sumus Deo in iis qui salvi fiunt. 2. ad Corinth. 2.

Ut sitis sine querela, & sine reprehensione, in medio nationis pravæ, & perversæ. Ad Philipp. 2.

Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo. Ibidem.

Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Ibidem 4.

Non quasi non habuerimus potestatem, sed ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. 2. ad Thessal. 3.

Ab omni specie mala abstinete vos. 1. ad Thessalon. 5.

Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, ut profectus tuus manifestus sit omnibus. 1. ad Timoth. 4.

In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum. Ad Titum 2.

Consideremus invicem in provocationem charitatis, & bonorum operum. Ad Hebr. 10.

Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes, non coactè, sed spontaneè; neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. 1. Petri, cap. 5.

Conversationem vestram inter gentes habentes bonam; ut in eo, quod detrectant de vobis tamquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum. 1. Petri 2.

Sic est voluntas Dei, ut bene facientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam. Ibidem.

Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus. Ibidem.

Quis sapiens, & disciplinatus inter vos? ostendat ex bona conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ. Jacobi 3.

Exempla ex utroque Testamento desumpta.

Exemplum moderationis David melius fidelitatem ejus Sauli persuadet, quam omnia Jonathæ argumenta.

IN primo Regum libro legimus Saulem persuasum fuisse de fidelitate David, deque fidelis hujus subditi amore, per exemplum, cujus Rex ipse fuit testis; quod omnes filii sui Jonathæ rationes persuadere non potuerant. Fidelis hic Davidis amicus centies invido, ac suspicioso Principi dixerat, ipsum injuria de eo diffidere, cujus meritum omnibus erat compertum; se vadem esse rectarum ejusdem intentionum; injustum esse ob leves suspiciones eum persequi, qui tam bene de Rege meritus fuerat, & qui, ubi sese offerret occasio, non inutilis Regno futurus erat; & necessitatem, quæ tunc aderat pro temporum calamitatibus, hominis, cujus non probitas minus, quàm fortitudo, ac virtus essent exploratæ, Regem impellere debere, ut apud se eum potius retineret, recentibusque sibi devinciret beneficiis, quam de medio tollendum existimaret. Tot argumentis nihil apud patrem jamdiu invidia, ac odio succensum Jonathas profecit; at ubi David ostendit Regi tunicæ fimbriam, quam illi absciderat, ut ostenderet se impune eidem vitam eripere potuisse, ac Regis morte Regnum sibi vindicare; tunc Saul hac animi captus moderatione, & hoc exemplo victus credidit Davidem servorum suorum esse fidelissimum, ac temperare non potuit quominus exclamaret: *Fili mi David* (1. Reg. 24.) *justior tu es, quàm ego, & tu indicasti hodie.* Nunc verè cognosco, me a te justitia superari, ac te melius sceptrum Israel, ac Juda mereri.

Ipsa miracula non tantum habent vim ad animas convertendas, quantum bonum exemplum.

Quarto Regum libro legimus, Naamanum exercituum Regis Syriæ Imperatorem accessisse ad Eliseum Prophetam, ut a lepra curaretur, a qua re ipsa mundatus fuit, postquam dicto Prophetæ paruisset, qui præceperat, ut septies Jordane flumine ablueretur. Apertissimum curationis integræ, insperatæque miraculum causa fuit, ut Naaman in hæc verba statim erumperet. *Verè scio, quod non sit alius Deus in universa terra, nisi tantum in Israel;* (4. Reg. c. 5.) verùm non ideo idolorum cultum abdicavit. Quid autem effecit, ut illum penitus desereret, ac eodem temporis momento illius deserendi consilium iniret? Fuit exemplum Elisei, qui generosè aurum, argentumque, & omnia locupletissima munera sibi ab hoc Principe oblata contempsit: hoc integritatis exemplum, quod non admirari non potuit, cum numquam antea quidquam simile fuisset intuitus, effecit, ut ille judicaret, magnum esse Deum Israel, ac mereri, ut ab omnibus mortalibus coleretur; quandoquidem colebatur ab homine virtutis adeo spectatæ, qui non ob munera, aliamve terrenam mercedem, sed unice propter supremam illius dignitatem eum venerabatur, itaut hoc victus exemplo exclamaverit: Nunc inanium Deorum cultum, quos hactenus veneratus sum, abdico, ac recipio, mihi non alium Deum ultra futurum præter eum, qui Prophetis suis tantam præcipit animi integritatem: *Non faciet amplius servus tuus holocaustum Diis alienis.*

Mathathias filiis suis eorum proposuit exemplum, qui divinæ legi fideles fuerant, ut eos ad illã tuendam excitaret.

Mathathias, insigne illud Machabæorum caput majorum suorum exemplo, quorum zelus in vera religione tuenda enituerat, filios suos in ejusdem cultu retinuit. Summus ille vir gravissimo dolore confectus patriæ suæ videns interitum, ac Antiochi persecutionem, veri Dei cultum, ac Judæorum legem abolere quærentis, nequaquam satis esse putavit generosè promissiones, minasque illorum contemnere, qui a Rege missi illum urgebant, tamquam in gente sua spectatissimum virum, ut obedientiæ regiis imperiis præberet exemplum. Sed primus ille edixit, se ultrò suum sanguinem effusurum pro lege, ac patrum suorum Religione tuenda; itaut videns plerosque gentis suæ per turpissimam ignaviam in alterius religionis castra transfugere, quotquot potuit, coegit ad arma, ut furori Antiochi obniteretur; cumque suam probasset virtutem, ac zelum diruens, atque evertens idola, aliaque idololatriæ signa, morti proximus, nihil aptius esse putavit, ut filios in exemplum sui raperet, quàm exemplum summorum virorum proferre, qui cum vitæ periculo legem eamdem asseruerant, atque defenderant. Vobismetipsis proponite, inquit, eorum Israelitarum in Dei lege servanda fidelium, quorum genus estis, exempla; zelum Eliæ, fidem Abrahæ, lenitatem David, obedientiam Isaac, puritatem Joseph; quod tantum animi fecit filiis generoso hoc patre dignissimis; ut unus post alterum facti fuerint patriæ suæ columen, præsidiumque, eamdemque testati fuerint fortitudinem in lege, ac religione tuenda.

Bonum, quod peperit Oniæ summi Sacerdotis exemplum.

Scriptura nobis exhibet Regnum Machabæorum tamquam aureum pro populo Dei sæculum; refert perfectam tranquillitatem, qua tunc perfruebantur, integram libertatem, quæ erat in templo Jerusalem; omnes Religionis ritus, ac solemnitates, quæ jam externorum etiam populorum venerationem sibi conciliaverant: verum hæc omnia virtuti Oniæ Sacerdotis, tunc imperantis, referuntur accepta. Quod liquidò ostendis, quantam semper Ecclesiæ afferat utilitatem bonum illorum, a quibus gubernatur, exemplum.

Dei Filius se nobis ad imitandum proponit.

Deus hominem ad imaginem suam creans in fundo substantiæ ipsius quamdam impressit obligationem, ac naturale studium ipsius imitandi, atque actionibus vitæ suæ eam perficiendi similitudinem, quæ in creatione tantùm fuerat adumbrata. Deus factus est homo, D. Chrysostomus inquit, ut per similitudinem homo quodammodo fieret Deus: non enim carnem assumpsit eò solum, ut noster esset Salvator, sed ut esset etiam exemplar; vel potius Salvator noster esse non potuit, quin fieret etiam exemplum. Profectò JESUS CHRISTUS ne unam quidem actionem operatus est, quæ non in ipsius solum, verum etiam in Patris ejusdem mente non fieret, ut non salutem tantummodo nobis promereretur, sed præterea ut

nobis esset exemplo; ac singulis Fidelibus dictum putare debemus, quod olim Æternua Pater Moysi dixerat: *Inspice, & fac secundum exemplar.* Filium meum intuere, eumque imitari contende; Salvator non erit tuus, nisi fuerit exemplar tuum, neque illum sequeris ad gloriam, nisi illum fueris secutus in vita. *Exod. 25.*

Dei Filius Apostolis præcipit, ut vita suæ exemplo prædicent populos conversuri.

Salvator hominum, qui noverat expeditissimam eosdem ad se trahendi viam esse exemplum præbere virtutum, quas ab illis coli cupiebat; voluit etiam, ut & Apostoli eadem insisterent via homines lucraturi, atque ad veram fidem perducturi. Itaque eos ministros atque vicarios instituens ad magnum, quod ipse incœperat opus perficiendum, imperavit, ut in praxi, actonibusque suis eas ostenderent veritates, atque virtutes, quas sermonibus prædicabant. Lux virtutum vestrarum, dicebat illis, ob oculos mortalium omnium effulgeat, ut homines opera vestra bona videntes, eo fulgore ad earum imitationem alliciantur, atque hoc pacto glorificent Patrem vestrum, qui in Cœlis est; cum enim vos viderint modestos, patientes, a terrenorum rerum cura expeditos, præceptoria vestri honorem quærentes, hoc sublimiores Divinitatis conceptus adstruent, omnesque Deum magnum esse arguent, quandoquidem hac ratione colitur, & adoratur.

S. Joannis Baptistæ exemplum

Gloriosus JESU CHRISTI Præcursor S. Joaones Baptista, vir ille ab eadem Veritate dignis celebratus encomiis, atque mortalium omnium maximus declaratus, magnus ille Sanctus ne unum quidem miraculum operatus est, quod saltem a sacris enarretur historicis; sed tanta erat sanctitatis ejusdem fama; ejus conversatio ita erat ædificans; lumen virtutum ejus ita effulgebat, ut mortales ad eum catervatim in desertum confluerent; ita ut innocens, simulque pœnitens ejusdem vita; victus, atque vestitus austeritas, zelusque in pœnitentia prædicanda, verbo, ejus sanctitatis exemplum ita hominum afficeret corda, ut mortales omnes cujuscumque generis undequaque ad illum confugerent, ut de officiis suis edocerentur. Hic fructus est, atque vulgarissimus boni exempli effectus, quod allicit, persuadet, evincit, & cui nihil resistere potest.

Primorum fidelium exemplum.

Tertullianus olim Christifideles *Compendium Evangelii* vocabat; innuebat autem, adhoc ut disceretur Evangelium, & institutionum ejusdem sanctitas videretur, breviorem ingredi viam posse, videlicet eorum vitam, ac facta intueri, qui illud profitebantur. Et sanè, opus non erat, inquit ille, ut quis qualitates fidei, quam profitebantur, curiosius investigarent; vita eorum tamquam patens erat schola, vel accademia virtutum, Dei, quem colebant, gloriam commendans, & ubi sine docentium voce discebatur quidquid continet Evangelium. Hoc idolorum cultores in admirationem rapiebat, dicentes aliquid profecto magnum, atque divinum esse in ea Religione, cujus filii adeo sapientes erant in vitæ ratione, adeo patientes in malis, in negotiis adeo ab omni cupiditatis nota alieni, adeo humiles, sobrii, benigni, ac proni iis etiam gratificando, qui eos odio plusquam vatiniano persequebantur.

Exemplum Sanctorum generatim.

Elias, inquit Scriptura, *homo erat similis nobis*, iisdemque obnoxius infirmitatibus. Si Sancti infirmitates habuere, supra illas virtute, atque constantia sese attollere potuerunt; si animi ægritudines, illas oppugnarunt, expugnaruntque; si defectus, iis sese purgarunt, atque ita Sancti effecti sunt. Eorum exemplum excitare nos debet ad sanctitatem ipsorum imitandam; eorum quippe sanctitatem imitati fieri possumus eorumdem gloriæ participes. At ne putemus sanctitatem ipsorum felicitatis suæ effectum extitisse, non autem virtutis; maximo illis sanctitas sua steterit impendio; iidem ac nobis obices illis fuere superandi; nobis eadem ac ipsis suppetunt adminicula sanctitatis; nihil ergo ultra requiritur, nisi ut eorum exempla sequamur, ac illorum vestigiis insistamus.

Applicationes.

Dei Verbū modicum adfert fructum nisi fulciatur exemplo.

Vox Domini in virtute. Psalm. 28. Frequens hæc auditur querela, quod Evangelicæ veritates adeo parum mortalium animos movent; & ille sermo Dei qui in ore Sancti Pauli, *vivus erat, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti*; ille inquam sermo, qui in imas usque medullas terrorem inferebat, & corda ab omnibus carnalibus vinculis dissolvebat. *Pertingens usque ad divisionem animæ*, ille inquam sermo nunc temporis in labiis nostris, vel saltem in audientium auribus excidit. At ea causa est, quod loquentes, uti loquebantur Sancti, non vivimus, uti illi vivebant. *Da*, dicebat Sanctus Bernardus, *voci tua vocem virtutis*, non vocem eloquentiæ. Documenta tua exemplis confirma: *Consonet vita verbis*: per hoc roborabis sermonem Dei, eique eam conciliabis virtutem, quam in vitiorum imperfectionibus amittit; eumque videbis æque potentem in animos hominum, ac primis illis temporibus erat; *Da voci tua vocem virtutis, tunc fiet in ore tuo vivus, & efficax sermo Dei.*

Pastores, & illi, quibus aliorum cura demandata est, aliis exemplum præbere debent,

Pastor cum proprias oves emiserit, ante eas vadit. Joan. 10. Cum oves e caula Pastor emisit, ante illas incedit. Si hæc animadvertimus verba, *Ante eas*, nequaquam mysterio vacua deprehendemus. Pastor gregem suum agere potest, nonnisi post illum incedens; sed hoc tantùm est ducere, quam agere, & cogere, qui severi Pastoris caracter est. Verùm cum vadit ante gregem, illum facile ac blande trahit, qui benevoli, mitisque Pastoris caracter est; & hunc in Ecclesiæ suæ Pastoribus JESUS CHRISTUS requirit. Ita licet aliquando vestras oves cogere possitis & correptionibus, & sævitia, ut bonam sequantur viam; Deus tamen non ita agit vobiscum; neque vobis aliter cum aliis agendum est; prohibet immo ille ne imperiosè, atque superbè dominemini. *Pascite qui in vobis est gregem Dei providentes non coactè, sed spontaneè; neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.* Quod non idem dictum est, quasi pastor minus habeat auctoritatis in gregem; sed bonum potiùs exemplum, quam auctoritas regere debet; eaque est S. Pauli sententia, & praxis. *1. Petr. 5.* *2. ad Thess. 3.*

Effectus boni exempli.

Vos estis sal terræ, vos estis lux mundi. Matthæi 5. Cur terræ sal? Quia ipsorum erat vitiorum, quæ late per universum grassabantur orbem, & malorum, quæ malum pariebat exemplum, contagionem motari. Cur lux mundi? Quia ipsorum intererat doctrinæ suæ puritate, morumque sanctitate homines illuminare. Dei Filius apertius adhuc ostendere cupiens Apostolis suis, teneri ipsos non minus ædificare fratres vitæ suæ puritate, quam illustrare lumine doctrinæ suæ, dixit illis; lux vestra luceat hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est. Bonum Apostolorum exemplum, odor virtutum ipsorum, qui latè in omnes terrarum plagas emanavit, plus contulit conversioni populorum, quam vis sermonis, & prædicationis eorum.

Alii effectus bonorum exemplorum.

Simile est regnum cœlorum fermento. Matt. 13. Patres hanc parabolam de bono æque, ac malo explicant fermento; fermentum enim in utramque partem in Scripturis usurpatur. Sed cum Dei Filius dicat Regnum cœlorum illi simile esse. *Simile est regnum cœlorum fermento*; malim illud in priori sensu intelligere, atque animadvertere, quemadmodum fermento vis est farinæ massam, cui injectum fuerit, inflandi, calefaciendi, ac saporem illi tribuendi; ita & bonum exemplum similes gignere effectus, & in proximis, & in nobismetipsis; in proximis autem; si quid enim est quod animam calefacere possit, eique auferre fatuum saporem, quem habet, & quem non habet, pietatis, virtutisque gustum eidem immittere: hoc sanè bonum est quod videtur, exemplum in nobis

verò;

verò; homines enim probi, qui ſanctam, ac frugi vitam vivunt, non ſolum ſuorum bonorum operum recipiunt meritum, verum etiam participes fiunt meriti eorum, quibus bona dederunt exempla.

Nihil ad agendum magis accendere poteſt, quam hortantis exemplum.

Quod me facere videritis, hoc facite. Lib. Judic. cap. 7. Facite, quod me facienrem videbitis, ait Gedeon delectæ militum manui, cui ipſe præeſſe voluerat; & milites ſtrenui alacri animo paruerunt. JESUS CHRISTUS diſcipulis ſuis ait. *Exemplum dedi vobis.* Quid enim profectò majorem poteſt militi virtutem immittere, quàm videre Imperatorem præeuntem, ubi majus paret periculum? Chriſtianus nonne Deo dicere debet hæc Jeremiæ verba. *Ego non ſum turbatus, te paſtorem ſequens?* Nihil mihi terrorem incutere poteſt, te duce, te ſocio.

Jerem. 17.

Dei Filius Sanctorum utitur exemplo ad peccatores excitandos. Boni exempli notio, & definitio.

Carbones ſuccenſi ſunt ab eo. Pſal. 17. *Hoc eſt Sancti viri a Deo*, inquit Sanctus Iſidorus Peluſiota. Omnes homines erant veluti carbones extincti peccatis, & frigore, vel repore, qui in ipſis erat. Quid autem JESUS CHRISTUS? Aliquot deligit Sanctos viros, illis ſuam communicat ſanctitatem, illos igne ſuæ Charitatis inflammat, & poſtmodum illos cæteris immiſcens fidelibus, qui cum ipſis vivunt, eorumque exemplum igne Spiritus Sancti ſuccendens, flammam hanc de illis traducit in alios; atque ita per hos ſollicitat alios ad virtutem indipiſcendam.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & ſententia Sanctorum Patrum huic Argumento.

QUi in occultu benè vivit, ſed alieno profectui minimè proficit, carbo eſt; qui verò in imitatione ſanctitatis poſitus, lumen rectitudinis ex ſe multis demonſtrat, lampas eſt, quia & ſibi ardet, & aliis lucet. Greg. Hom. 5. ſuper Ezechielem.

Sic ſit opus in publico, quatenus intentio maneat in occultu; ut & de bono opere proximis præbeamus exemplum, & tamen per intentionem, qua ſoli Deo placere quærimus, ſemper optemus ſecretum. Idem, Hom. 11. ſuper eumdem.

Nullum ego conſilium melius arbitror, quàm ſi exemplo tuo fratrem docere ſtudeas quæ oportet fieri, provocans eum ad meliora; & conſulere ei, neque verbo, neque lingua, ſed opere & veritate. Idem, lib. 10. Moral.

Illa vox libentius auditorum corda penetrat, quam dicentis vita commendat; quia quod loquendo imperat, oſtendendo adjuvat ut fiat. Gregor. par. 2. Paſt. lib. 3.

Ut qui præceptis non accendimur, exemplis ſaltem provocemur, & in appetitu rectitudinis nihil ſibi mens difficile æſtimet, quod ab aliis peragi perfectè videt. Idem in Job. 10.

Antiquorum nos exempla confortant, & ex eorum comparatione, facilè nos poſſe præſumimus, quod ex noſtra infirmitate formidamus. Idem, lib. 25. Moral. cap. 7.

Dum peccator juſtum conſiderat, ſeipſum arguit & condemnat. Idem, lib. 25. Moral. cap. 9.

Coram Domino magni ſunt, qui per exempla piæ converſationis, proximorum corda ad omnipotentis Dei ſervitium convertunt. Idem, lib. 2. Reg.

Ad amorem Dei, & proximi plerumque corda audientium plus exempla quàm verba excitant. Idem, Hom. 39. in Evang.

Domus Epiſcopi & converſatio quaſi in ſpeculo poſita magiſtra eſt publicæ diſciplinæ; quidquid fecerit, id ſibi omnes faciendum putant. Hieronym. Epiſt. ad Heliodor.

Viri Ninivitæ ſurgent in judicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam non ſententia poteſtate, ſed comparationis exemplo. Idem, in Matthæi 12.

Agnoſcamus Sanctos non fuiſſe natura præſtantioris, ſed obſervantioris. Ambroſius.

Amplius proficitur exemplo quàm præcepto: quoniam nec difficile, quod jam factum eſt, exiſtimatur, & utile quod probatum eſt. Idem, lib. 2. de Virgin.

Efficacius eſt vita quàm lingua teſtimonium. Cyprianus.

Dicta, factis deficientibus, erubeſcunt. Tertull. de patientia.

Vitia ex occurſu meo ſuffundo. Idem de Pallio.

Non aliunde noſcuntur Chriſtiani, quàm ſi vita criminis vacua ſit. Idem, in Apologet.

Elingui Philoſophia vita noſtra contenta eſt. Idem, ibidem.

Verbo virtutem doceto, opere declara. Nilus Abbas.

In pleriſque juſtis aſpectus admonitio correctionis eſt, perfectioribus lætitia eſt. Ambr. in Pſal. 118.

Idcirco credendum eſt præſtantiſſimorum vitas exquiſitiſſimè deſcriptas, ut vita noſtra imitatione ad virtutem rectius deducatur. Greg. Nyſſen. in enarrat. vitæ Moſis.

Quantis exemplum veræ humilitatis & perfectæ charitatis oſtenderis, cum tantis & pro tantis æterna præmia poſſidebis. Cæſarius in admonit.

Validiora ſunt exempla quàm verba, & plenius opere docetur quam voce. Leo Papa, Sermon. de Jejun.

Tonitru erat ejus oratio, quia vita erat fulgur; unius nempe ſplendor alterius incendium eſt. Greg. Nazianz. de Sancto Baſilio loquens.

Qui profitentur ſe Chriſti eſſe, non modò ex iis quæ dicunt, ſed ex iis quæ faciunt cognoſcuntur; ex fructu enim arbor dignoſcitur. S. Ignat. epiſt. 14. ad Epheſios.

Citò ſedet animis quod docetur exemplis. S. Valerius Epiſc. Hom. 7.

Validior operis quàm oris vox eſt; fac ut loqueris. Sanctus Laurentius Juſtinian. lib. de conſl. inter.

Exemplis veterum hominum beatorumque ſenſus noſtros (Deus) *in ſublime evexit, neque permiſit nos in humum eſſe dejectos.* Ambr. in Hexamer.

Sancti tamquam ſimulacra quædam animata propoſita vitæ. Baſil. Epiſt. 1.

Convincunt magis opera virtutis quàm miracula. Chryſoſt. in Paneg. Sancti Babylæ Martyris.

Multò fidelior & certior eſt doctrina operum quàm ſermonum; nam qui talis eſt, etiam ſilens, & cùm non videtur, docere poteſt. Idem, Homil. 22. ad Popul. Antioch.

Nemo ſe circumveniat, nullus homo ſibi ſolummodò vivit. Auguſt. Serm. 163.

Non tantùm curemus bonam conſcientiam, ſed quantùm poteſt noſtra infirmitas, quantùm vigilantia fragilitatis humanæ curemus nihil etiam facere quod veniat in ſuſpicionem infirmo fratri. Idem.

Ubi Simplicianus de Victorino iſta narravit, exarſi ad imitandum. Idem, libr. 8. Confeſſ. cap. 2. & 5.

Tu non poteris quod iſti & iſtæ? Idem, cap. 11.

A tot judicibus convincor, quot mihi præbuerunt virtutis exemplum. Idem.

Si ſolus Chriſtus feciſſet, fortè nemo noſtrum auderet imitari: ita enim homo ille erat, ut Deus eſſet; ſed in eo quod homo erat, imitati ſunt ſervi Dominum, diſcipuli Magiſtrum. Idem, in Pſal. 55.

Ita converſetur (*Chriſtianus*) *ut præbeat aliis exemplum, & ſit ei quaſi copia dicendi forma vivendi.* Idem, lib. 4. de Doct. Chriſt.

Pulcherrimus ordo eſt & ſaluberrimus, ut onus quod portandum imponis, tu portes prior; & ex te diſcas qualiter oporteat aliis moderari. Bernard. Epiſtol. 72.

Monſtroſa res eſt gradus ſummus, & animus imus; ſedes prima, & vita infima; lingua magniloqua, & manus otioſa; ſermo multus, & fructus nullus; vultus gravis, & actus levis. Idem, lib. 2. de Conſiderat.

Sermo vivus & efficax exemplum boni operis eſt,

plurimum suasibile faciens quod suadetur. Idem, loquens de Sancto Benedicto.

Illum vidisse, erudiri est; est enim in illo loquax taciturnitas, & eruditi forma silentii. Ennodius loquens se sancto quodam Episc.

Philosophus dum videtur auditur. Tertullian. de Pallio.

Intuere sanctorum Patrum vivida exempla, in quibus vera perfectio refulsit & religio, & videbis quam modicum sit & penè nihil quod nos agimus. De Imitat. Christi, lib. 1. cap. 18.

Verba Dei sunt opera sapientis; quod enim Deus loquitur, sapiens operatur. Philo Judæus, de migratione Abraham.

Est aliquid, quod ex magno viro vel tacente proficias. Seneca.

Longum iter per præcepta, breve per exempla. Idem.

Quod exemplo fit, id etiam jure fieri putant homines. Cicero, Epist. ad Servium Sulpicium.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia penu ad hoc argumentum depromi potest.

Boni exempli notio, & definitio.

PRolixa oratione, vel longa meditatione opus non est ad exactam boni exempli definitionem inveniendam; prima enim, quæ sese menti offerat idea est, hoc esse laudabile factum nobis ad imitandum propositum, quod ideo non solum bonum esse debet, sed etiam publicum, & hominum oculis expositum; si enim clam, ac sine teste fiat, vel si communes naturæ vires excedat, itaut humana infirmitas ad illius usque imitationem pertingere nequeat, nostram quidem sibi conciliabit admirationem; sed cum nos minime excitet ad id, ut similia facere adnitamur, pro norma nobis esse non poterit, ideoque exemplum non erit.

Quid in hac boni exempli jure sit animadvertendum.

Boni, malique exempli discrimen satis sine ulla explicatione intelligitur; mali verò naturam, atque improbitatem tunc aperiemus, cum de scandalo erit sermo. Animadvertendum est solummodo bonum exemplum, vel dictis præberi posse, vel factis; sed factis multo majus pondus esse quam dictis, quæ ubi sola sint, parvum habent effectum, & si factis adversentur, facilius censuras, satyrasque in se convertunt, quam admirationem audientium illa, & nos cognoscentium.

Dei Filius venit in terras ut æque Salvator esset, & exemplar.

Necessarium aderat vinculum inter Redemptoris Officium, & qualitatem prototypi, atque exempli, in eo, qui erat nostræ Redemptionis auctor futurus. Ideo Dei Filius munus utrumque in terris exercuit. Solus homo, Sanctus Augustinus ait, nobis exemplo esse non poterat. Illum quidem videre possumus, quia corporeus, & sensibilis est; at illum sequi non debemus, quia ignorantiæ, & peccato est obnoxius, ideoque non satis aptus ad nos regendos, deducendosque. Similiter Deus permanens in gloriæ suæ statu esse non poterat nostræ virtutis exemplar. Illum quidem sequi debemus, quia essentialiter sanctus est; sed illum videre non possumus, quia invisibilis. Quid igitur divina Sapientia? Ut homini prototypum proponeret, quem sequi posset; Dei Filius factus est homo, in incarnatione sua duas hasce conditiones assumens, quæ ad optimum exemplar constituendum sunt necessariæ: *Homo sequendus non erat, qui videri poterat. Deus sequendus erat, qui videri non poterat. Ut ergo exhiberetur homini, & qui ab homine videretur, & quem homo sequeretur, Deus factus est Homo*. Sed uti lumen alterum lumen parit, & fax aliam facem accendit; Salvatori satis non est sanctitatis suæ exempla præbere; fideles etiam excitat, ut & ipsi bona præbeant exempla virtutum, ut peculiarem hunc virtutum suarum caracterem imitentur, se aliorum efficientes exempla.

Dei Filius sibi fideles

Hic ipse Dei Filius cum humanum induisset corpus futurus exemplaris causa sanctificationis hominum, neque per se immediate, neque in omnes locos, neque in omnia tempora suæ sanctitatis exempla potuisset extendere; in locum suum fideles substituit, ut actionum suarum fulgore producant, atque perficiant, quod ipse exemplorum suorum lumine inchoavit: *Sic luceat lux vestra coram hominibus* &c. Quamobrem uti providit, ut in Ecclesia jugis esset Pastorum successio, qui nobis verbum ejus enarrent; ita voluit ut similiter non deesset perennis bonorum virorum series, qui nobis ipsius repræsentent exempla, in quibus illum tamquam in speculis intueamur. Hinc etiam fit quod nullus est hominum status, nulla conditio, ubi nemo sit, qui Sanctus habeatur, ut quilibet in statu, & conditione sua semper habeat quod in similibus suis imitetur.

substituit, qui bonum exemplum tribuerent.

Christianus omnis bonum præbere debet exemplum.

Fideles omnes fidei suæ debent boni exemplis tributum. Nemo pro se tantum ad Christianam Religionem evocatur; vocatur etiam pro aliis; itaut nisi aliud præstare possit, saltem eos ædificare teneatur. Sed duo scopuli in praxi inveniri possunt, numquam satis diligenter vitandi; prior esset, si quis sibi persuaderet ad hoc, ut bonum præbeatur exemplum satis esse, si nullum præbeatur malum; alter verò longè funestior, si quis putaret ad bonum exemplum sufficere in peccatis minime deprehendi, quamvis reipsa peccaret. Primum enim liquidò constat ædificare idem non esse ac non destruere; neque idem esse agrum colere, ac eum non vastare. In scopulum alterum, qui longè funestior esset, impingeret, qui satis esse putaret flagitia sua tegere, quod admodum esset arduum, & difficile. Ignis quidem absconditur, at non ita fumus, quo ille detegitur. At esto flagitia tua celare possis; velle virum bonum videri, & non esse, non imminuit culpam, sed auget potius, duplicemque damnationem conflat, quin officio suo satisfaciat.

Cuinam rei innitatur obligatio bonum exemplum præbendi.

Bonum exemplum præbendi necessitas innititur explicito præcepto, quod Dei Filius rogavit in Evangelio: *Sic luceat lux vestra coram hominibus*. Hoc autem præceptum non est tantummodo negativum; hoc est non prohibet solum, ne actionibus improbis scandalum proximis afferamus; sed positivum est mandatum, quo bonis actionibus ædificare tenemur eos, quibuscum vivimus, & consuescimus, non ut eorum laudem mereamur, sed ut illos ad imitandum excitemus, & ut boni homines fiant: hæc enim ratio est, quæ bonum exemplum ab inani gloria, & jactantia distinguit, quæ omnem bonorum operum meritum rapit. Secundò hæc necessitas præcepto charitatis innititur, quæ in eo posita est, ut pro virili prosimus proximo, & peculiariter quantum in nobis est æternam illius salutem procuremus. Id autem efficiendi vulgatior, communior, & efficacior via est bonum exemplum, quod aliis præbere semper in nostra positum est potestate. Hoc igitur maxime necessarium munus est, ac eminenter cætera quæcumque magis essentialia erga proximum charitatis officia complectitur; quandoquidem per hoc illi via cœli ostenditur, ab erroribus revocatur, reprehenditur, atque corripitur &c. Quamquam verò præceptum hoc si tamquam positivum consideretur, non obliget locis omnibus, atque temporibus; obligat tamen in omnibus occasionibus, in quibus status, religionisque nostræ muneribus debemus perfungi.

Proximo bonum præbentes exemplum nostram salutem operamur.

Alienæ saluti prospicientes, simul & nostræ consulimus; christiana quippe charitas res nostras communes facit, itaut omnes unum, & idem corpus efficiamur. Hæc veritas est, quam sæpe Sanctus Paulus repetit, & unde sequitur, quod quemadmodum in corpore naturali singula membra pro cæterorum bono adlaborantia pro se peculiariter agunt; ita Fidelis, qui membrum est corporis mystici Salvatoris, aliis bonum præbens exemplum, & hoc pacto aliquid conferens saluti fratrum suorum, suam quoque operatur utiliùs, quàm si unum

se cogitaret, itaut nemo ex virtutum suarum exemplo proficeret. Et si verum est, quod in dubium revocare nefas, qui scandalum afferunt non solum reos esse scelerum, quæ committunt, sed eorum, etiam quæ committuntur ab aliis, quibus causam scandali præbuere; opus est etiam, ut viri boni, qui sanctam, & irreprensibilem vitam ducunt, non recipiant solum bonorum operum suorum præmium, sed etiam participes fiant præmii aliorum; quibus bona tribuerunt exempla.

Deus gratias, quas aliis concedit, aliorū adnectit exemplis.

De bono exemplo id asseri potest, quod Sanctus Augustinus de fraterna correctione dicit. Sanctus iste respondens illis, qui Salvatoris abutentes potentia circa gratiam efficacem, hæc objiciebant: si gratia efficax proculdubio peccatorem convertit, cur opus est correctione, ut revocetur ad officium? Nonne hæc inutilis est, & supervacua? Erratis, Sanctus Augustinus respondet, cum vult Deus gratiam peccatori elargiri; ejus elargiendæ occasionem desumit ex correctione tua; hoc egregium est tempus, quod ille præstolatur, ut suum contorqueat telum gratiamque suam efficacem efficiat. Hoc ipsum de bono exemplo potest affirmari: Validum est, potens & efficax ad convertendas animas, quia illi Deus validissimas suas gratias adnectit. Vult Deus hunc filium convertere, & ad id suas gratias impendere; sed patris, vel amici expectat exemplum, ut interiores gratias exterioribus consocians exemplis illum efficacius promoveat.

Ratio propter quam tantum possunt exempla.

Quæri fortasse posset, undenam exempla tantam vim, ac robur in animos habeant? Ratio autem est, quod renitentia, quam nostra voluntas præsefert, ubi bonum amplectendum est quod illi cognoscendum tradit intellectus; inde oritur, quod hoc bonum vel tamquam impossibile, vel tamquam ad extremum difficile existimatur. At exemplo intuitus hæc omnia nobis aufert; etenim palam ostendit, bonum hoc, videlicet virtutem hanc, exercitum fuisse ab hominibus ejusdem naturæ, & conditionis ac nos, qui nullas ex iis nacti sunt difficultatibus, quæ nos deterrent.

Exempla docent Evangelica præcepta non esse impossibilia, neque supra vires nostras posita.

Imperfecti numquam arbitrari debent impossibilem esse perfectionem, neque peccatores existimare, Dei præcepta supra vires nostras esse posita. Tot enim bonorum virorum exempla, qui quotidie in virtutem proficiunt, atque integerrima fide omnia mandata exequuntur, satis ostendunt, peccatores, imperfectosque Christianos nihil aliud quærere quàm causas, quas suæ prætexant ignaviæ. Elias se solum esse credebat, cum dixit illi Deus, ipsum sibi septem hominum reservasse millia, qui coram Baal genua non flexerant. Hoc exemplum persuadere debet, non deesse hisce etiam temporibus nostris homines bonos, & primorum Fidelium sedulos imitatores; in quos oculi sunt convertendi, ut eos imitemur, non autem in peccatores, quorum exemplum semper est perniciosum.

P A R A G R A P H U S VI.

Delecti ex Asceticis, recentioribusque Concionatoribus loci hujus Argumenti.

Omnes bonum exemplum possunt præbere.

CUm Dei, veræque Religionis gloria præcipuum sit zeli Christianorum omnium objectum, voluit Dei Filius facilem, communem, & quæ omnibus conveniret, quocumque in statu essent, rationem connotare, ut nullo colore ab hoc sese eximere possent officio; eaque ratio vita fuit ædificans, & quæ cæteris esse posset exemplo. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Non omnes Doctores sunt, non omnes Apostoli; non omnibus ea est scientia, quæ ad Dei causam, & Religionis ipsius veritatem tuendam requiritur; sed omnes bene vivere possunt; omnes inspectantibus fratribus præclaras actiones possunt efficere, & hac ratione possunt omnes Deum, & Religionem, quam profitentur honorare. *Joly ser*
Hendry Bibl. Tom. II.
mone hujus argumenti Dominica sexta post Pentecosten.

Cur velit Deus Christifideles bonum exemplum præbere.

Dei voluntas est, Sanctus Petrus inquit, vitam sanctam vos agere, ut insipientes, ac rudes, qui vos intuentur, inviti tacere cogantur, ac illis os obstruatur. Dei voluntas est, per vos Christianam Religionem ab ea vindicari injuria, qua afficitur, cum Fidelium flagitia eisdem referuntur accepta; per vos parere omnibus, sanctitatem illius omnium cogitationes excedere; si adsunt impudici pudicissimos non deesse, si ultionis cupidi, non deesse patientes, & mites; si impii genua flectunt coram Baal, a piis hominibus verè coli Deum Israel, & Jacob. Dei voluntas est, pietate solutiorum hominum impietatem corrigi, lenitate violentorum iracundiam: integritate cupidorum rapinas; modestia luxum prodigorum; sinceritate, hypocritarum versutiam; charitate invidorum, atque obtrectantium improbitatem; humilitate superborum insaniam; verbo, vitia omnia bonis vitæ exemplis auferri. *Idem.*

Non desunt, qui alimenta tantum sequuntur exempla.

Non desunt, qui ea tantum sectantur, quæ sensibus accidunt; & ut Sanctus Bernardus ait, eo tantum pergunt, quò ducuntur; bonum exemplum præit illis velut fax illos illuminans, vel odor illos attrahens. Quot rudes, ignarosque homines intuemur, qui hac ratione acti paulatim virtutem amplectuntur, & vitium oderunt? Cum Judæi vulgò hujus essent farinæ, atque ut Scriptura inquit, essent *Populus duræ cervicis*; ad officia sua non nisi propositis cogebantur exemplis; cumque ad hanc quoque diem inter Christifideles plurimi extent ejusdem viæ homines, non nisi bene vivendo illos ad virtutem amplectendam poteris excitare. *Idem.*

Exod. 32.

Bona exempla potenter ad virtutem excitant.

Vos, qui tanto zelo fratrum vestrorum salutem, perfectionemque vestram conquiritis, hæc ea est consolatio, quam ex viris bonis tribuere, & ab illis potestis accipere. Modestia, quam præ vobis geritis ea contemnentes, quæ luxum redolent, & vanitatem; frequentia, qua in Templa convenitis, & concionaturis adestis, cum interim alii conviviis, atque choreis operam dent; Præcautio, quæ nullum vobis elabi sinit verbum quod proximo injurium sit; odium, quo aleas, amatoriasque nugas prosequimini; domesticæ rei cura; exempla modestiæ, charitatis, patientiæ, mortificationis, pietatis, quæ præbetis; hæc regnum virtutis in aliis constituunt; hæc pavidos excitant, hæc nutantes confirmant, hæc bonos lætificant, hæc denique efficient, ut vos ipsi insignes in virtute progressus faciatis. *Idem.*

Alienæ saluti conferimus aliis præbentes exemplum.

JESUS CHRISTUS in terra in id unum occupatus fuit, ut animas salvas faceret, easque ad Deum Patrem suum revocaret; & vos si vixeritis, uti vivendum est, si opera vestra bona ab hominibus visa fuerint, eos lucrabimini, eorumque saluti prospicieris. Quid autem est animam lucrari? Sane plus est quàm sexcentos acquirere mundos; est maxima operari miracula; mortuum suscitare; illuminare cæcum; paralytico motum tribuere; omnia cum spiritualia, tum temporalia charitatis opera exercere, atque capiti suo tot coronas congerere, quot fiunt actiones, quæ aliis exemplo esse possunt.

Exemplum S. Augustini, qui victrici manus dedit gratiæ audiens Victorini Conversionem. Lib. 8. Confess. c. 5. & 12.

Quid tandem Sanctum Augustinum coegit victrici dare manus gratiæ, tamdiu ipsum urgenti, atque sollicitanti? Fuit profecto exemplum, sibi allatum a Simpliciano viro amicissimo, qui enarraverat quomodo Victorinus Orator, & æque peccator, ac ille, pristinum vivendi genus flagitiosissimum deseruerat, ut continentiam, humilitatem, christianæque vitæ mortificationes sequeretur; hoc exemplum, idem Sanctus Augustinus ait, tantam in me vim obtinuit, ut tandem me superaverit. Quocumque me verterem, mihi occurrebant animo quamplurimi & meritis, & genere spectatissimi viri, qui sese converterant, atque tunc mihimetipsi dicebam: Numquid, quod tot fecere, tu

facere non poteris. Tunc mihi videre videbar castitatem vultu quidem ad gravitatem composito, sed affabili, pias mihi manus optimis exemplis refertas ostendere. *Extendens ad me suscipiendum, & amplectendum pias manus, plenas gregibus bonorum exemplorum.* Hoc satis fuit, ut consilii certus fierem, metusque omnes evanescerent mei. Sequamur, statim dixi, sequamur adeo præclara exempla, & divina favente gratia id faciamus, quod tot alii fecerunt. *Idem.*

Quilibet in statu suo alienæ saluti aliquid conferre potest bonis exemplis.

Apostolis fidei statuendæ, Doctoribus illius tuendæ, Concionatoribus annuntiandæ, Martyribus suo sanguine signandæ curam relinquite: quocumque in statu versemini, quamdam domestici Apostolatus speciem exercere potestis; parentes in familia vestra; domini, dominæque domi vestræ, qui privatam vitam ducitis in vicinia vestra: ad omnes enim indiscriminatim loquitur Sanctus Paulus, cum ait: *Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum ad ædificationem.* Vestrum unusquisque conetur se proximo suo jucundum, atque utilem præbere, non quidem ignavis, noxiisque assentatiunculis, quod accidit non rarò, sed vita frugi, & ab omni crimine vacua; non ut illos in malum impellatis, aut in illis malum toleretis; sed ut excitetis ad virtutem, atque eas imminuatis difficultates, quæ in ejusdem semita occurrunt: non ut eorum defectus, & vitia laudetis, sed utilissimam omnium illis præstetis operam illos ædificantes, eisque virtutum documenta præbentes. *Idem.*

Ad Rom. 15.

Ministri verbi Dei illud confirmare debent exemplo.

Sacri Templorum Ministri, quibus credidit JESUS CHRISTUS provinciam populo veritatem suæ legis annuntiandi, scitote ad hoc, ut dignè augusto hoc munere perfungamini, atque cum vobismet reverentiam, tum verbis vestris concilietis fidem, opus esse, ut vita vestra adeo sit frugi, mores adeo sancti, vivendi ratio adeo ab omni sceleris suspicione vacua, ut auditoribus vestris dicere possitis: *Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis; quare non creditis mihi?* Verum est, verbo Dei idem accidere, ac aquæ, quæ naturam non mutat, & eadem semper permanet, sive per aureum, plumbeumve tubulum defluat. Ita seu Domini lex a sancto, seu a corrupto præcone annuntietur, non ideo minus pura est, & semper æquè par animabus convertendis: *Lex Domini immaculata convertens animas;* Sed talis est hominum infirmitas, ut facilius imitentur exemplum suis studiis conforme, quam verbis obtemperent, quæ ipsis præcipiunt ea, quæ studiorum suorum sunt opposita corruptioni. Hinc fit, ut cum Pastores flagitiosi sunt, populi eorum flagitia imitentur, quin præceptis eorum aures adhibeant. Veritas, quæ ab illis nuntiatur, non creditur, quia ab illis non servatur; cumque eorum facta verbis pugnent, quidquid dicunt, non aliud est quàm æs sonans, & cymbalum tinniens, quod potest quidem aerem percutere, ac ferire aures, at cor non potest attingere. E contra ambigi nequit, quo minus vita munda, ac ab omni labe pura in Præcone Evangelico totum tribuat pondus quod necessarium est, & ut exoptatum afferat fructum. *Abbas de Monmorel, Homilia in Passionis Dominicam.*

Psal. 18.

Quid intersit inter publicas actiones facere, & facere in publico.

Si mundi Salvator Pharisæos objurgat quod actiones suas in publico facerent, hoc nequaquam significat, publicas actiones faciendas non esse; quandoquidem præcipit, ut lux nostra coram hominibus luceat, ut videant opera nostra bona, & glorificent Patrem, qui in cœlis est. Hæc igitur duo distinguamus; facere bona opera, ut ab hominibus videantur, & facere, quæ videantur ab hominibus. Priori modo numquam licet agere, ita enim in actionibus inanis tantum hominum existimatio perquiritur; at omnes, præsertim verò viri principes facere tenentur palam opera sancta, quæ inferioribus exemplo esse possint. Nescio, S. Augustinus ait ad Paulinum scribens, utrum majorem exercere erga proximum charitatem possis, quàm tantum adnitendo ut quinam sis agnoscaris, quantum adniteris, ut talis fias. *Idem, Homil. in 23. Dominicam post Pentecosten.*

Exemplum majorem vim habet, quam sermo.

Bonum exemplum muta est eloquentia, ac practicus sermo, qui sensim in animam obrepens, paulatim cor ipsum invadit, atque leni, jucundaque persuasione voluntatem suo subjicit imperio. Ultro imitamur; vulgò id fit, quod ab aliis fieri videtur, & homines hominum exempla sequuntur. Philosophi veteres discipulos suos hortabantur, ut in viam virtutis incederent, eisque sublimibus rationibus, validisque probabant argumentis, nihil virtute utilius, nihil gloriosius, jucundius nihil. Verùm plures semper nacti sunt actionum suarum, quàm doctrinæ suæ sectatores, & quidquid conati sunt, ut hoc persuaderent, meris sermonibus numquam evincere potuerunt, ut eam sequerentur viam, a qua morum suorum corruptione & ipsi recedebant; itaut post multos susceptos labores tamdem in eam sententiam unanimi consensione redierint, quæ a Sancto Cypriano refertur, qui ait, vocem actione infirmiorem esse; vitam sermone esse eloquentiorem, & exemplum magis, quam verba, valere. *Episcopus Cameracensis in fidelium instructione.*

Lib. de Dupl. Martyr.

Ejusdem argumenti.

Exempli vox valida est, & vehemens, neque facilè dici potest quantopere Servi Dei in ipso silentio improborum hominum damnent licentiam. Multo plures viderentur impii, nisi justorum exemplum esset tamquam fortissimum vallum, quo coercerentur. Quot peccatores in inflexibili cordis obduratione perirent, nisi fulgor virtutum Sanctorum illorum perstringeret oculos? Divinæ igitur bonitatis providentia factum est, ut ætates omnes habeant justitiæ, & puritatis exempla, quæ sibi proponant. Retrolapsa relegens sæcula ipsas mundi origines repete, ac nullum occurret temporis spatium, quod in incorruptibilibus, sanctisque hominibus rara virtutum exempla posteritati non præparaverit. Gratia hæc tanta est, ac adeo vividas in anima efficere potest impressiones, ut mirum profectò sit, tam parum eadem mortales excitari. Scire cupis, quot Dei beneficia in hac una ipsius providentiæ circumstantia contineantur? Tot illa sunt, quot virtutes, ad quas improbi excitantur homines intuitu sapientiæ, ac moderationis eorum, qui timent Deum: quot sunt scandala, in quæ non impingunt ope sanctorum exemplorum, quæ salutarem in illis cient verecundiam. Satis Deo esse poterant exempla, quæ patres nostri antiquitùs reliquere; at plura præstitit, voluitque ut quodlibet sæculum sanctos homines proferret, ut ob oculos omnium actiones eorum versarentur apertiùs, majorem in animos nostros vim obtinerent exempla. Cur ego unus, o Deus omnipotens, exercere nequeo virtutes omnes, quas in Sanctis mihi ad imitandum proponere possum! Prohibere vellem omnia scelera, in quæ ruunt, quicumque exemplis inimicorum legis tuæ rapi se sinunt. Æternæ tibi sint gratiæ pro tot absolutissimis exemplaribus, quæ adeo validè me ad virtutis amorem impellunt! Summo dolore conficior, eò quòd minime ea omnia adimpleverim, ad quæ eorum, qui tibi fideles existunt, sanctissimo exemplo indesinenter me invitas. *Liber cui titulus: De Christiana Gratitudine. Ratione 62.*

Qui auctoritate sunt præditi bonum præbere debent exemplum.

Qui publica renident auctoritate, sibi vulgò suadent, se omni culpa carere, atque ad unguem officio suo fuisse perfunctos, ubi leges proposuere ad populi coercendam licentiam, cumque severis suppliciis animadverterunt in eos, qui sceleribus suis publicam tranquillitatem perturbabant. Hoc utique bonum est; at nihil est, nisi ipsi illi fuerint leges viventes eorum morum, quos scripta lege cupiunt statuere; & nisi vitæ suæ exemplo ea exprobrent facta, quæ in nocentibus puniunt. Leges, quæ ab illis pro publica utilitate irrogantur, inutiles sunt, nisi bono eorumdem exemplo fuerint confirmatæ. Cum Magistratus populo interdicit scelera, sed hæc

ipse

ipſe non deſerit, docet, illis carere neminem poſſe; cumque virtutem, quam ipſe minime poſſidet, aliis commendat, non majorem illius exiſtimationem, quàm contemptum inſpirat. Exempla ſunt legibus potensiora, & virtutis amor, malique fuga operibus magis perſuadetur, quàm verbis. *Deſumptum ex ſermonibus Chriſtianis, Tomo 1. Sermone de Scandalo.*

Primorum fidelium exemplum nos excitare debet, atque confundere.

Quàm degeneravimus a parentum noſtrorum fervore! Religio ſemper aucta eſt, ſed charitas imminuta; populus multiplicatus eſt, at non magnificata lætitia; enim ardor fideì intepuit, & zeli fervor eo magis deferbuit, quò magis fidelium numerus crevit. Ita operemur, ut primorum illorum Chriſtifidelium exemplum hodie noſtram virtutem excitet, ac zelum foveat; cumque tantam in nobis experimur repugnantiam virtutum chriſtianarum exercitationi, ut noſtram confundamus ignaviam, cum S. Auguſtino dicamus, cur, quod iſti, & illi fecerunt facere nequeo? Stephanus ſuis inimicis pepercit, cur ego non parcam meis? Laurentius flammarum vim ſuperavit, cur ego affectuum meorum incendia non ſuperem? Tot ſolitarii vitam ſuam in deſertis egerunt, cur ego non deſeram mundum hunc, qui me perdit, & damnat? Tot Virgines de ſæviſſimis ſuppliciis, blandiſque promiſſionibus egere triumphum, cur ego infirmitatis meæ non reſiſtam? *Abbas de Monmorel, Sermone pro ſexta poſt Epiphaniam Dominica.*

Vis boni exempli.

Operæ pretium reor in ipſo ſtatim ingreſſu animadvertere quænam vis bono inſit exemplo ad virtutis amorem ciendum. Leges, quas conſuetudo invexit, Philoſophus loquit, magis obſervantur, quam aliæ, namque earum praxis, quam ipſi intuemur, ſuaviorem in nobis facit impreſſionem, quæ magis movet, ac nos ipſos ad eas obſervandas impellit. Tunc ad eas ſectandas ultrò, plenaque rapimur voluntate, non vi; atque ita exemplum obtinet, quod magis formidanda tribunalia ſæpe cum edictorum ſeveritate non obtinent. Videmus quoque pleroſque homines exemplis potiùs, licet fabuloſis, quàm validiſſimis rationibus commoveri; quilibet ſpectat exempla tamquam ea, quæ cum ab aliis facta fuerint, a ſe quoque fieri poſſunt; cum interim rationes ipſas mera putent verba, ac ſermones, qui non ita facile poſſunt intelligi, qui captum exuperant ſuum, & ideo ad ſe minime pertinent. Neque docti viri minus ducuntur exemplis, quam indocti. Salomon ipſe teſtatur, inertis hominis exemplum, vineamque ſuam colere negligentis, ſibi profuiſſe magis, quàm ſerias quaslibet cogitationes, ut inertiæ odium conciperet. *Quod cum vidiſſem, poſui in corde meo, & exemplo didici diſciplinam.* *P. Paulus Segneri in Praxi Curatorum.*

Prov. 24.

Præcepta languent ſine exemplis.

Quælibet doctrina, ubi facta verbis non præeant, languida eſt, & intermortua; ſimilis penicillo penitus arido nullam in tabula, cui applicatur, notam relinquenti. Nullus expectari poteſt fructus ab id genus exhortationibus; neque illis utetur Deus ad cor excitandum. Et profecto Canonibus cautum eſt, ne ad purgandas animas polluta manus adhibeatur. *Neceſſe eſt, ut eſſe munda ſtudeat manus, quæ diluere ſordes curat, ne tactu quoque deterius inquinet, & ſi ſordida ipſa, &c. Idem.*

1. q. 1. c. neceſſe eſt.

Exemplum verbo præſtantius.

Quamvis verba ex veteris cujuſdam ſententia, ſagittæ ſint per aures cor, animumque audientium ferientes; dici tamen poſſunt non æquè efficaciter, ac exempla movere; hæc autem longe breviorem viam virtutis efficiunt ea, per quam nos præcepta deducunt. *Longum iter per præcepta, breve per exempla.* Virtus ſine ſermone perſuadere poteſt; at ſermo nihil, vel pauciſſimum ſine exemplo proficere poteſt. Erubeſcit illa, quidam Pater ait, ac eam ſuppudet ſeſe oſtentare, ubi bona opera non comitentur. *Deficientibus factis, verba erubeſcunt.* Sanctus Petrus nequaquam prædicavit veluti Doctor humanarum ſcientiarum ſtudio, ſed, ut ait Sanctus Auguſtinus, motum ſuorum probitate, & ſuæ converſationis exemplo: *Non docentis imperio, ſed converſationis exemplo.* Vox inſtrumentum eſt de longinquo auditum, & aures tantummodo attingens; humana fragilitas ſæpe invenit, quid argumentis reſpondeat, quæ Oratorum eloquentia ſola animantur; ſed quodcumque hæc de ſe jactiter, nullas habet rationes, quas bono opponat exemplo; noſtra enim nequitia, una eſt, quæ id nos facere prohibeat, quod ab noſtri ſimilibus generosè fieri videmus. *Ex ſermonibus Chriſtianis. Sermone de Sancta Urſula, & Sancto Franciſco de Paula.*

Seneca.

Ex ipſis etiam pravis exemplis proficere poſſumus.

Quin ad illa confugiamus exempla, quæ nobis Hiſtoria ſuppeditat, ut ad officium revocemur, ea tantum inſpicienda ſunt, quæ noſtris accidunt oculis, hac mente, ut ea in bonum uſum convertamus. Si enim tot minime adfuerint virtutum exempla, quot cuperemus, non deerunt profecto exempla vitiorum, ut iis contraria æſtimemus. Neque enim puto aliquid aptius efficere poſſe, ut noſmet colligamus, quàm flagitioſi hominis vitam, ſi eam recta mente conſideremus, ac bona fide compeſcere velimus affectus, qui in eadem vitia nos trahunt. Cæterum quantumvis ſterile ſit ſæculum ſanctorum virorum, ſubinde tamen effulgere videntur ſapientiæ, & virtutis exempla, quæ nos in rectam viam poſſent reducere, ſi illis magis afficeremur, & ſi illa reſpiceremus non ſolum ea probaturi, & quodammodo noſmet laudaturi, immodicis laudibus extollentes illa, verùm etiam ea in uſum noſtrum traducturi, cum ſtudiis noſtris ea conferentes, ac evertentes animi repugnantiam, quæ in eorum imitatione nobis poſſet oboriri. Si quis attentè perpenderet, quæcumque ob oculos tuos fiunt, proculdubio intelligeret malis etiam exemplis eamdem, ac melioribus utilitatem ineſſe; Sed tantum abeſt, ut hoc in ſenſu excipiamus illa, quòd immo prorſus aliter alienis actionibus utimur; bona quidem admiramur potius ex affectatione, & vanitate, quàm quod illis verè afficiamur; malis verò utimur, ut defectus noſtros excuſemus. *Liber, cui titulus: Vita civilis Officia. Tomo 3. parte 3.*

Qui bonum non præbet exemplum ſibi charitatem oſtendit deeſſe.

Cum nulla res ſit, ubi ultro citroque homines ſibi melius prodeſſe, & aliquid ad mutuam ſanctificationem conferre valeant, quàm bonum exemplum; qui fratribus adeo neceſſarium negat auxilium, officio ſuo deeſt, atque palam teſtatur nullam ſe habere eorum charitatem; ſe ſalutem eorum nullo in diſcrimine habere; ac negligere veritatem eam, quam Spiritus Sanctus docet in Eccleſiaſtico; *Mandavit illis unicuique de proximo ſuo.* Sciat hic oportet futurum ut JESUS CHRISTUS a ſe repetat rationem animæ fratrum ſuorum; ac ſibi in judicio reſpondendum eſſe de ſceleribus, quæ alii commiſerunt, ut a quibus effugere potuiſſent, ſi ipſe habuiſſet charitatem eos illuminandi, regendi, atque exemplo ſuo confirmandi. *Abbas Trappenſis de ſanctitate, & Officiis Vitæ Monaſticæ cap. 10.*

Eccli. 17.

Religioſus, qui bonum non præbet exemplum, non habet virtutes ſtatus ſui proprias.

Nihil apertius eſt, quam ideo Religioſum virum aliis exemplo ſuo non affulgere, quia quin ſtatus ſui virtutes habeat, & qualitates, quæ in ipſo eniteſcere deberent, oppoſitis potiùs defectibus obnoxius eſt. Si nullum pœnitentiæ, modeſtiæ, mortificationis præbet exemplum; inde eſt, quia reipſa neque pœnitens eſt, neque modeſtus, neque mortificatus; niſi ædificat, ſilentium tuetur, laboribus exercetur, rerumque ſatagit omnium; inde eſt, quod neque bonus eſt, neque fervens. Si denique mortua ſunt opera, nihilque in ipſo invenitur, quod illum animet, eique virtutis amorem inſpiret; proculdubio in cauſa ſunt ipſius defectus, & imperfectiones; & ſæpe illius vivendi genus eo periculoſius eſt, quo magis gravibus iis caret vitiis, quæ horrorem, ſaltem verò averſionem animi cient. *Idem.*

Bonum exemplorum exemplum plurimum contulit conversioni populorum.

Bonum Apostolorum exemplum, virtutum ipsorum odor, qui sese in universum orbem effudit, plus contulit populorum conversioni, quàm vis verbi, & prædicationis eorum. Quot animas JESU CHRISTO peperit zelus ille sine cupiditate, labores sine mercede, tribulationes sine querela, quot ardor ille, quo pro fratrum salute nihil intentatum relinquebant; patientia, omnibus tentata periculis; cura, qua nemini graves esse quærebant? Hæc ædificans Apostolorum vita animos alliciebat, atque eorum omnium sibi conciliabat amorem, apud quos Evangelium prædicabant. Vos ipsi conjicite ex ea benevolentia, qua Galatæ Sanctum Paulum prosequebantur. Ego vobis testimonium perhibere possum, inquit Apostolus, vos, si opus esset, vel liceret, præsto esse ut oculos vobismetipsis eruatis, eos mihi commodaturi. *Lambert in Sermonibus Ecclesiasticis Sermone tertio.*

Quomodo Apostoli fidelibus bonum exemplum commendaverint.

Apostoli boni exempli vim agnovere, quamobrem fidelibus etiam atque etiam commendarunt, ut hominibus bonum præberent exemplum, rati hanc validam esse rationem, qua ad Christianam Religionem amplectendam possent impelli. Modò Christifideles docent sedulò ipsis esse incumbendum, ne quid in ipsorum vivendi ratione occurrat, quod infideles a nostra Religione deterreat; Modò illos totis viribus adniti hortantur ad infideles morum suorum sanctitate lucrandos. Sanctus Paulus jubet, servos qui Religioni Christianæ initiati fuere diligentiùs, quam ante quæcumque servituris præstent officia dominis suis, ne nomen, ac Doctrina CHRISTI JESU hominum dicteriis objiciatur; hoc est ne domini eam oderint religionem, quam servi profitebantur. *Idem.*

Ejusdem argumenti.

Cupiebant Apostoli primorum Fidelium vitam irreprehensibilem esse, atque sedulò cavere, ne hominibus Religionis nostræ tædium crearent; illis etiam vertebant crimini ea facere, quæ licita legitimaque erant, si scandalum aliquod præberent infirmis; præsertim verò quærebant, ut bona Fidelium opera omnibus sanctam inspirarent reverentiam hominibus erga Religionem eam, cujus adeo pura erat disciplina. Sanctus Petrus affirmabat, christianas mulieres hoc pacto prædicare posse Evangelium; atque dicebat, eas vitæ probitate, morumque puritate sine sermonis ope illos posse lucrari, qui sermoni non crederent. Vita bona, sanctitas morum est igitur verbum animatum, quod sæpe majorem vim habet ad animos permovendos, quam disertissimæ Oratorum conciones. *Idem.*

1. Petr. 3.

Quid S. Paulus Timotheo, eisque discipulis commendet.

Sanctus Paulus, D. Chrysostomus inquit, vult Timotheum exemplar esse, secundum quod reliqui omnes sese componere possint; vult imaginem esse absolutissimam, in qua possit quilibet eas virtutes deprehendere, quæ sibi sunt exercendæ; vult legem esse animatam, ac viventem; & ne dicatur Sanctus Paulus ad Timotheum tantummodo fuisse locutus, Divus Chrysostomus addit; hoc faciendum singulis, qui alios erudire tenentur. Idem Sanctus Paulus scribens ad Titum ait, præbe te in omnibus exemplum bonorum operum in doctrinæ puritate, vitæ integritate, agendi gravitate; unde liquet Ecclesiæ ministrum esse debere exemplum, ac normam non unius quidem virtutis, sed omnium. Non sufficit, doctrinam illius esse puram, opus est etiam, ut vita sit irreprehensibilis, omnesque actiones sint cum ea gravitate conjunctæ, quæ observantiam, & venerationem conciliet. *Idem.*

Qui bonum præbent exemplum, de Ecclesia benemerentur.

Per quam bene de Ecclesia merentur; qui vitæ sanctitate fideles ædificant. Hinc Ecclesiæ Patres toties populum cohortati sunt, ut sæpe sancta inviserent Monachorum Cœnobia, sacra monumenta, ubi veteres Eremitæ viventes adhuc tamquam in sepulcris vivebant. Putabant enim futurum ut exemplorum eorumdem fulgor, qui ex recessus ipsorum squalore emicabat, dissipare posset densam caliginem, quæ peccatores excæcat. *Idem.*

Quam ad persuadendum vim habeat exemplum.

Oculos aperire satis est, atque viri boni virtutem intueri, ut brevi sapientes simus. Labiorum ejusdem silentium cum manuum ipsius eloquentia conjunctum facile nobis innuit, quid sibi velit. *Illum vidisse erudiri est; est enim in illo loquax taciturnitas, & eruditi forma silentii*, inquit Ennodius. Nationes omnes quantumvis barbaræ, ac variarum linguarum hunc bonorum exemplorum sermonem audiunt, neque miror, si Tertullianus affirmat, invictam primorum Martyrum patientiam, atque constantiam, primum fuisse commentarium, ac maximè perspicuam Evangelii interpretationem. Hac muta quidem, sed eloquenti Philosophia primæva usa est Ecclesia, ut mysteriorum fidei nostræ caliginem auferret. Pietas, quæ in primorum Fidelium facie enitebat, animi semper constantis æqualitas, quam inter sævissimos cruciatus præseferebant, præsertim verò inconcussa in suppliciis patientia Ethnicos commovebat. Sola indumentorum, quibus primi Fideles utebantur, modestia, publica erat censura vitiorum, quibus Idolorum cultores diffluebant. *Ex occursu meo vitia suffundo; ipse habitus sonat, auditur Philosophus, dum videtur.* Quin potiùs dicamus primos fideles efficaces fuisse Concionatores. *P. Texier in Dominicali Sermone Septuagesima.*

Tertull. de pallio.

Actio, & exemplum magis movent, quam verba.

Ubi insignes Oratores insolitos in judicum, auditorumque animos motus excitare voluerunt, sæpe tacuere, ut ad actionem confugerent; experientia docti intellexere, adspectum corporis vulneribus confossi, tunicæ cruore manantis, gregis pupillorum pulla, squalidaque vestes indutorum, viduæ dolore confectæ, ac lacrymas effundentis, longe majorem ad animos permovendos habere vim, quàm omnia simul eloquentiæ schemata ad affectus ciendos maximè accommodata. Adeo verum est, actiones, quæ nostris accidunt oculis de animorum nostrorum sævitia faciliùs referre triumphum, quam verba, quæ demittuntur per aures. Nonne verum est copiarum ducem in aciem milites suos disponentem minorem vim addere quàm qui ante ipsa graditur signa, atque in ipso conflictu cruore, ac pulvere conspersus videtur? *Idem.*

Peccatores justorum exempla intuentes ignaviam suam fateri coguntur.

Cum peccator, justum considerat, qui & ipse homo est, & humanis obnoxius infirmitatibus, in earum virtutum exercitatione, quæ sibi maximè difficiles, & arduæ videntur, seipsum accusat, ac ignaviam, nequitiamque suam damnat. *Dum peccator justum considerat, seipsum arguit, atque condemnat.* Sanctus Gregorius ait: Cum, exempli gratia, nostri nobiles viri Christiani qui atheorum more vivunt, ac sibi persuadent, se honore caritutos, si suos mores efformaverint secundum Evangelii principia, vident Sanctos Ludovicos, Elzearos, & Amedæos, nobiliori ortos genere, quam se, æque valentes, & virtutibus ornatos, ac illos, qui in divinæ legis Evangelicæque moralis praxi vivunt; fateri tenentur se falli, ubi credunt, virtutem se non posse sectari, vel hunc statum suum dedecere. Cum Judex, mercator, negotiosus homo Davidem considerat, qui licet illi regni totius incumbat cura, septies quotidie recedit Deum oraturus, ac plures horas in æternitatis meditationem transmittit; cum delicata mulier, quæ pauperum odorem sibi non ferendum affirmat, videt Elisabeth vel Turingiæ, vel Portugalliæ, totque alias insigni dignitate præstantes Matronas, quæ quotidie xenodochia circumeunt, neque jucundius se transmittere posse tempus arbitrantur, quàm ægrotantibus opem ferentes, ulcera eorum abstergentes, illis sternentes cubilia, ac omnia officiorum genera præstantes: Verbo, cum ignavi, vel improbi Fideles ob oculos sibi proponunt fervens vivendi genus Sanctorum, fateri coguntur, se constantiæ defectu, ac fidei suæ imbecillitate, non difficultate virtutis deterreri, ne ipsum efficiant. Et profecto, Sanctus Gregorius Magnus ait, cum Deus illis in mentem revocat irreprehensibiles testes illos, de quibus loquitur Job, nihil habent quod respondeant, & quo se excusent, sed se reos

esse

Job 10. esse fateri coguntur: *Instauras testes tuos contra me. Idem.*

Tantum bonis exemplis quantum aliis piis operibus præstamus Deo.

Equidem scio non omnes ita ingenio pollere, ut pro tuenda fide libros edere valeant, sed nos ipsi esse possumus viventes litteræ, ac animatæ, a Spiritu Sancto scriptæ; qui est digitus Dei, ubi perfectè videbuntur virtutum omnium imagines, ut loquitur Sanctus Paulus. Non omnibus ea auctoritas est, ut suggestum ascendere possimus contra vitia declamaturi, sed Sancti Francisci more prædicare licet, scilicet sermone operum nostrorum, qui majorem profecto ad persuadendum vim habet, quàm verborum. Non omnes judices sumus, ut impios in judicium possimus accersere; sed quin proferamus verbum, morum nostrorum integritate, & vivendi ratione, quæ a mundi vita prorsus abhorreat, sententiam ferre possumus in illos, eosque pudore, quo illos suffundemus, punire. Quid esse putatis nobilem Matronam, quæ in mundi lucem prodire coacta, modestiam, & vestibus præsefert, & verbis, atque pietatem, christianamque redolet sanctitatem! Hæc censura est mulierum earum, quæ licet baptismate fuerint ablutæ, tamen sæculi luxum, & corruptionem sequuntur. Non omnes iis affluimus divitiis, ut eleemosynas erogare possimus; at omnes possumus, si velimus charitatem erga proximum exercere longè præstantiori modo, illum erudientes, atque sanctæ vitæ exemplos ad virtutem impellentes. Hæc, si velimus, omnes facere possumus. *Idem.*

Cum Dei Filius non semper in terris versaturus esset, bonos reliquit homines, qui pro ipso nobis exemplum esse possent.

Sancti Augustinus, atque Gregorius Magnus inquiunt, Sanctorum vitam esse quamdam velut interpretationem, & Scripturarum Commentarium, non solum quod in factis eorum inspicere possumus, quomodo Salvatoris præcepta ad praxim sunt redigenda; verum etiam, quia nobis ostendunt, quomodo exempla, quæ nobis reliquerunt, sunt imitanda. Et constat ratio: Salvator in vita sua fuit veluti universale principium sanctitatis Christianismi. Non potuit tamen omnium virtutum, omnibusque occasionibus, in quibus ab hominibus exercendæ erant, exempla proponere. Non in omni statu, omnique conditione vixit, ut actionibus suis doceret, quomodo qui ad singulos vitæ status vocantur, ea debeant exprimere sanctitatis vestigia, quæ singulorum sunt propria. Quid ille? utitur Fidelium exemplis, ut fiant peculiares applicationes generalis ejus ideæ, quam de sanctitate tradidit nobis. Idcirco mirabili providentia voluit, ut in omnibus conditionibus sancti viri invenirentur, ut eorum exemplis ostenderet, quomodo virtutum suarum praxis ad quemlibet statum singillatim sit determinanda. *Biroat in Adventu; Sermone* 12.

Exemplum sternit difficultates virtutis.

Si veræ sunt difficultates virtutis, addendum est, eas leviores exemplo fieri; seu quòd societas eorum, quos nobiscum, vel ante nos incedere videmus, constantiam accendit, & laborem, quem patimur, imminuit; seu quòd virtutum eorumdem experientia docemur, gratiam, qua favente, eas superavere difficultates, quas ipsi quoque nacti sunt, pari in occasione neque nobis defuturam. Virorum bonorum exempla, Sanctus Gregorius ait, nos roborant; & comparatio quam de eorum vi cum infirmitate nostra instituimus, in eam spem nos adducit, futurum ut exequi possimus ea, quæ per nos facere non possumus.

Bonorum exemplum malos operit confusione.

Quamvis erubescentia inutilis sit animi ægritudo; pluribus tamen gratiæ usibus inservit; inservit enim tamquam scelerum frænum; & excitamentum virtutis. Per hanc bona exempla, quæ sunt veluti linguæ virtutis, ejus praxim suadent; eos rubore suffundunt, qui non sequuntur illa, ac hujus erubescentiæ metus eos cogit, ut illa sequantur. Hæc est veteris cujusdam sententia dicentis ipsas etiam bonorum imagines eorum ignaviam exprobrare, qui picta illorum facta intuentur, quin imitentur exempla. *Exprobrantibus quotidie spectatores imbelles.* Dei Filius id agit, quod copiarum Imperator, qui militibus suis animos additurus, non sua tantùm illis proponit exempla, sed illa etiam commilitonum ipsorum, ut metus, ne ignavi hac comparatione videantur, eos ad fortiter decertandum impellat. Ita Salvator duplex exemplorum genus usurpat, ea quæ nobis ipse reliquit, & ea, quæ bonorum ministerio nobis suppeditat, ut duplici exemplorum specie impiorum confundat ignaviam. *Idem.*

Nobis nostram improbamus ignaviam aliena videntes exempla.

Tu non potes? ille potuit, numquid tu delicatior es illo Senatore? Sibimet dicebat Augustinus. Ignave Christiane! dicis te ita vivere non posse, neque hanc exercere mortificationem, neque animum a terrenis divellere; neque nefarium hunc habitum exuere; attamen nescio quis, quem quotidie vides, hoc facere potuit. Numquid hoc Principe es delicatior? Numquid imbecillior es tot devotis mulieribus? Quid? Mulieres ipsæ delicatissimæ austerissimas etiam mortificationes exercent; se verò non posse dicis? Heu! Quis dubitat, utrum ista confusio excitet ignaviam nostram, ac nostra corda disponat, ut his exemplis moveantur? *Idem.*

Aliena exempla mentes, & corda nostra attollunt.

Nulla re magis mentes, & corda nostra attolluntur, quàm bonis Fidelium exemplis, Sanctus Basilius inquit; hæc sensus nostros ad cœlum erigunt, & corda nostra terrenis his rebus hærere non permittunt. Pater hic scita quidem utitur similitudine; quemadmodum vides, ait vitem ascendere secundum arboris, cui innititur, proceritatem; atque ejusdem præsidio paulatim ad sublimiorum ramorum cacumen evadere, quò sola ex se pervenire nequivisset. Ita ope exemplorum, quæ nobis sancti reliquerunt, & quibus adhæremus, affectus nostros, & spem ad cœlum attollimus. *Quasi scansiles arbustivæ vites, nos ipsos adæquamus sublimium fastigiis arborum.* Ratio est, quia palam in eorum actionibus videmus fidei firmitatem ac vim spei, atque inde possumus argumentari, ipsos ingenti flagrare alterius vitæ desiderio, quandoquidem vitæ hujus voluptatibus carere volunt; ipsisque de gloriæ æternitate persuasum esse; tot enim labores patiuntur, ac tot sustinent prælia, ut eam assequantur. *Idem.*

Bona exempla nos regunt, & illuminant.

Patres Sanctorum exempla Pharis similia dicunt, quæ in summis rupibus in mari positis accenduntur ad nautas inter noctis tenebras admonendos, atque amico lumine indicandos scopulos, qui evitandi sunt, & viam, quæ arripienda. Verum huic sententiæ addamus, quemadmodum Sancti Phari sunt animati, non satis esse illis lumen ostendere, ut alios adducant, sed illius quodammodo usum explicare; ac tacitè dicere, sed voce quæ satis intelligi potest, id, quod Sanctus Hieronymus cuidam amicorum suorum scribebat. Tecum ita me gerere volo, ut peritus nauta, qui est naufragiorum suorum experientia doctus, cum alio juniore, quem erudit. Tibi indigitabo quas in syrtes Christiani innocentia allidi possit; quibus in maris partibus lateant avaritiæ, aliorumque criminum scopuli; quænam via tibi arripienda sit, & quomodo agenda navis, ut feliciter in salutis portum pervenias.

Quomodo nosmet animare debeamus exemplis Sanctorum.

Non modica hominum felicitas est habere ante se, exempla, quibus ad sequendum excitentur; hac sane cogitatione Sanctus Augustinus sese ad virtutem excitabat: *Considera quot millia Martyrum tritam tibi fecerunt viam; transierunt pueri, & puellæ, & adhuc times?* Oculos conjice, inquit ille, in tot Martyres, qui tibi stravere viam, in tot pueros, puellasque per ætatem, sexumque imbecilles, qui iis omnibus, quas times, difficultatibus evaserunt; vide tot homines iisdem affectibus tortos, qui tamen generosè eorum impetum fregere. Post hæc timere potes, vel tibi defuturam gratiam, si popósceris eam, vel non satis virium tibi futurum, si laborare volueris? Quis dubitat, quominus eadem consideratio excitet ignaviam nostram, atque Sanctorum actiones validissimæ rationes sint, quæ persuadeant nos ad eas imitandas, & nostram

animi

animi præsentiam confirment? *Idem Sermone secundo pro quinta Quadragesima Dominica.*

Qui propter bonú exemplum sibi a nobis allatum salvi fient, pro salute nostra deprecabuntur.

Jonathas morte damnatur eo quod contra vetitum parum mellis gustasset; sed populus omnis pro ejusdem salute laborans in hæc erumpit verba. *Ergone Jonathas morietur, qui fecit salutem hanc magnam in Israel?* Haud ita, sed absolvetur, quia alios salvos fecit. Et sanè illud de parentis manu eripuerunt. Ita dicent illi, qui ab alicujus exemplo fuerint conversi, & ex vitiorum suorum cæno educti: preces suas ad Dei Misericordiam attollent: *Ergone morietur Jonathàs? Idem.*

Homines virtute præditi, bonumque præbentes exemplum semper in honore sunt.

Mundus, licet corruptus, scit tamen virtutem colere, ac revereri; & profectò non adeo prævaluere in filios hominum mendacium, & iniquitas, ut non supersit adhuc aliqua veritatis scintilla, quæ efficit ut nonnumquam judicent rectè. Peccatores adhuc in se ipsis inveniunt quædam secreta lumina, propter quæ etiamsi versantur in tenebris, id plurimi faciunt, quod per cordis sui corruptionem amare non possunt. Virtus justorum frontibus quosdam caracteres inurit, quos non revereri non licet. Videtur in illis quidam religionis spiritus, & quædam in exemplis auctoritas, quæ inter mundi tenebras adhuc virtutis majestatem tuentur. Elucent adhuc in justo, non secus ac olim in Moysis facie, quædam fulgoris, ac majestatis lineamenta, coram quibus idolorum cultores in obsequii signum oculos tenentur demittere. Quò magis peccator virtuti abrogare fidem conatur, eò magis quadam vi se cogi sentit, ut justum colat, qui illius novit judicia contemnere: quò magis vis corruptionis mundi sectatores rapit, eò magis virtus, quam inconcussam miratur, docet illum, nihil comparari posse cum ea vi, quam ipsa exercenti se tradit. *Ex Manuscripto Sermone.*

De exemplo generatim.

Sacri Bibliorum libri hoc solatii habent, quod exempla ibi legibus semper consociata videntur, & quascumque illi virtutes nobis proponant, semper earum quædam adjiciunt exempla. Philosophorum Ethica præclaris sane præceptis erat inspersa, verum cum deessent exempla, insignia quidem constituebat instituta, quæ alii sequerentur, at nulla ad imitandum impressa occurrebant vestigia; ubicumque satæ videbantur ideæ sapientiæ, nullibi verò exempla proponebantur. At sanctæ leges nostræ non carent exemplaribus; nulla christiana virtus est, quæ suum non inveniat heroem in eo, quo docetur, libro; & si sacros auctores legimus, tot occurrunt summorum virorum exempla ad imitandum proposita, quot officia adimplenda, regulæque servandæ; Fides habet Abraham, Sapientia Salomonem, Josephum castitas, Moysem solicitudo, Jobum in malis patientia, & pœnitentia Davidem. *Sermo Manuscriptus.*

Quam fre[illegible]

Cum mysteriorum nostrorum fide virtutes maxime insignes, & severissima instituta in omnem terrarum orbem late effusa sunt, JESU CHRISTI discipuli eam per difficillimas vias secuti sunt. Omnia pro veritate perpeti communis fuit filiorum ejusdem exercitatio, atque ut Salvatorem suum imitarentur, ipsi ad tormenta cupidiùs, quàm alii ad delicias confugerunt. Numerari nequeunt exempla divitum, qui ad paupertatem redacti sunt, ut pauperibus opitularentur; neque pauperum, qui pauperiem opibus prætulerunt, neque Virginum, quæ in terris vitam Angelorum imitatæ sunt, neque Pastorum charitate flagrantium, qui sese omnibus omnia præbuere eo usque, ut præsto essent pro grege suo non vigiliis tantum, laboribusque subeundis, verum etiam vitæ ipsæ effundendæ. S. Joannis Baptistæ vita, quæ Judæis tantam attulit admirationem, apud fideles communis facta est; ac deserta imitatoribus illius fuere repleta. Ecclesia non minus exemplis, quàm præceptis abundat, & doctrina ejus sancta visa est, plurimos sanctos producens. *Meldensis Episcopus in Sermone de Universali Historia.*

Verba sine operibus ut plurimú inutilia.

Verba ab operibus semota quamprimum ex Auditorum mentibus excidunt; at manent in mente Dei pro damnatione eorum, qui, quæ dicunt, minimè faciunt; cum e contra actionibus conjuncta magnum inter homines quidem pondus, apud Deum verò meritum habeant. Quamobrem Salvator licet operum subsidio non indigeret, longe maximum temporis spatium insumpsit virtutem exercens, quam docens; docere enim voluit flocci faciendos, qui auctoritatem, atque existimationem sibi conciliare contendunt, non exemplis vitæ, sed personarum qualitate, quasi id sibi vindicarent quod ad Deum unicè pertinet. Accidit nonnumquam justo judicio, ut eorum vita simul & a Deo reprobetur, ab hominibus contemnatur; & quamvis hic contemptus non semper palam innotescat, existimatio eorum, quæ superest, infirmum sane præsidium est contra conscientiæ suæ exprobrationem. *Liber, cui titulus: Passiones Domini nostri, Tomo secundo.*

Leges graves videntur, cum Legislator sese illis non subjicit.

Subditorum est legibus obmurmurando parere, ubi vident iisdem Principes teneri minime velle; & e contra nihil magis ad earum observantiam illos impellit, ubi vident, illos, qui secum dispensare possent, sese primos omnium eisdem subjicere, aliisque, obtemperandi exemplum præbere. Exercitus David impatienter ardentissimam ferebat sitim, qua urebatur; sed ubi vidit Regem generoso consilio bibere noluisse aquam, sibi a tribus suorum fortissimis allatam, hæc generosa repulsa suavem militibus effecit pœnam, cum imperatore communem; atque ut Sancti Chrysostomi verbis utar: *ista libatio totius refrigerium fuit exercitus. Fromentieres, Sermone de Amore inimicorum.*

Summorum virorum exemplum vitiis, atque virtutibus eorum reverentiam conciliant.

Hoc hominibus insitum est, ut in iis, quos colunt, omnia colant, ac eorum qualitates nullo in discrimine habeant, ut alias quidem revereantur, alias verò contemnant. Hinc accidit, ut honor, qui principum virorum conditioni adhæret, efficiat, ut si illi vitiis diffluant, eorum vitia honorentur, ac similiter virtutes quoque honore dignæ censeantur, ubi in illis eluceant. Modestia indumentorum, periculosorum solatiorum fuga, sedula Ecclesiasticarum legum observantia turpes non habentur amplius, ubi summi viri hæc palam profiteantur; qui enim eos imitatur, tutum se putat ab irrisionibus hominum, & gloriæ sibi vertit eos sequi, quos ubique sequitur gloria. *Liber, cui titulus Principis Educatio.*

Principum exemplum homines a plebe tuetur.

Non postrema dæmonis ars ad homines in vitia, ac scelus pertrahendos ast virtutibus quædam adnectere nomina, quæ illas contemptibiles faciunt, atque infirmis animabus ineptos metus incutere, ne religiosæ nimis videantur, si eas voluerit exercere. Ita exempli gratia in mundum vestium immodestiam invexit, & ut ab honestissimis mulieribus eæ indumentorum formæ reciperentur, effecit, quæ ab impudicissimis inventæ fuerunt. Hæ igitur infirmæ animæ præsidio egent contra perniciosam hanc tentationem; nihilque illis majorem potest opem ferre, quam eorum exemplum, qui summo loco nati sunt, & qui eas ab hac singularitatis exprobratione tuetur. Ita Principum est credere, se a Deo constitutos, ut huic dæmonis arti adversentur; atque fratrum suorum imbecillitatem sustineant publica vitæ prorsus Christianæ professione, quod cum unum Deo præstarent officium, se dies suos nequaquam male insumpsisse deberent arbitrari. *Idem.*

Ejusdem argumenti.

Certum est, nihil adeo efficax, aptumque esse ad modestiam mulieribus, quæ in mediocri conditione versantur, inspirandam, quam videre matronas principes, ad quarum normam sese componunt, & quibus nolunt displicere, ipsas quoque, seu vestimentis, seu ornamentis modestissimè uti: & constat, non deesse circumstantias, ubi earum exemplum, quin aliud quidpiam accedat, maximam habere vim in eas, quæ ab illis pendent. Si ergo hoc nobiles possunt fœminæ, certissimè debent, atque non solum ex communi cum reliquis

Chri-

Christianis mulieribus officio modestiam servare tenentur; verum etiam ex peculiari munere, quod ea earum statu, & eoodirione oritur, quo eum plurima tollere, ae prohibere mala queant, hoc quantum in ipsis est, præstare tenentur. *Idem.*

Quid nobiles viri facere teneantur, ut se ab aliis distinguant.

Si quod nobilis es, te piget id facere, quod plebs, melius facere debes, quod bene plebs facit; ne imiteris illius pietatem, sed illam supera; ne sequaris eam in via salutis, & in justitiæ, atque sanctitatis usu; habe catioorm generis tui; tu præi, ae aliis exemplo sis. Locum tuum in templis tuere; ne sinas ullum te, vel magis pium esse, vel magis modestum; quandoquidem prior es dignitate; tuus hic locus est, ut ad aras Deo propiùs stes, ae præ cæteris te maxime ad illum attollas oratione. Memento non aliam tibi aptiorem suppetere ratiooem, qua plebis turbam eacedere possis, quam si coram infinita hac Dei majestate te ipsum abjeceris. *Auctor Anonymus.*

Dei Filius ab Apostolici, nominibus bonum præserim petit exemplum. *Matth. 5.*

Honor, quo a Dei Filio decoramur nos mundi lucem appellante, nos cogit non solum ut mundo doctrioa, verum etiam virtute præluceamus; *Sit lux vestra coram hominibus, & videant opera vestra bona*; Et Sanctus Paulus ea Timotheo Discipulo suo solertissimam vigilantiam exquirit non in doctrina solum acquirenda, verum etiam in formandis moribus, ut se ipsum sanctificans, alios possit sanctificeare: Attende tibi, & doctrinæ: *hoc enim faciens teipsum salvum facies, & eos qui te audiunt*; ubi vides Sanctum Paulum morum euram doctrinæ præmittere; *Attende tibi, & doctrinæ*; juata JESU CHRISTI exemplum, qui ministerium suum exercere cœpit id primùm faciens, quod mox erat docturus: *Cœpit Jesus facere, & docere.* Nos verò, qui ad Timothei, Sancti Pauli, & JESU CHRISTI ministerium fuimus evocati, minus bonum exemplum a nobis esse præbendum arbitramur? Vocati ad populos erudiendos, annunriandumque Evangelium, fructu vacuam doctrinam efficimus; Evangelicis præceptis fidem abrogamus; illa subvertimus, nisi vitæ nostræ exemplo fulcimus; alioquin enim in causa sumus, quod de eorum veritate primùm, moa verò utrum vere adimpleri queant dubitetur. Nos facimus, ut vel falsa habeantur, vel impossibilia; quorum utrumque evertit Evaogelium. *Sermo Manuscriptus.*

1 ad Tim. 4.

Boni mores, magis quam miracula fidei statuenda profuerunt.

Morum puritas semper habita fuit tamquam validissimum veritatis doctrinæ argumentum; & ipsa miracula mioùs quam eadem morum integritas Christianæ Religioni constituendæ profuerunt. Non omnes oculi testes erant miraculorum, quæ operabantur Apostoli; sed omnes oculi sanctitatis eorum fulgore perstringebantur. Fideles suscitantes mortuos tamquam præstigiatores habebantur, sed fideles inimicis parcentes, carnem mortificantes, bona sua pauperibus effundentes tamquam divini homines colebantur: Omnes doctrinæ eorum inimici, virtutis eorumdem erant præcones, atque virtutem admiraotes sensim ad doctrinam eacipiendam adigebantur. *Idem.*

Exempla vitæ facile Religionem persuadent.

Hæc vita bonis abundans exemplis, ita valida ratio est ad animos permoveodos, ut eum Deus ea usus fuerit ad veritatem hominibus persuadendam, dæmon quoque nihil poteotius invenire unquam potuerit ad persuadendum mendacium. Ubi hæreses serere voluit, oonne semper usus est iis, qui in speciem morum probitatem præseferrent? Ædificaos, ac frugi vita eorum, qui sectarum principes erant, nonne doctrinæ ipsorum faciebat fidem? & dogmata Evangelio, bonoque sensui prorsus opposita nonne majorem invènere fidem propter mores, quam scripta eorum, a quibus evulgabantur? Quid igitur non poterit bonum exemplum ad probaodam hominibus veritatem, quandoquidem tantum virium habet ad persuadendum errorem? Quomodo io causa bona triumphum non referet, si adeo valet in mala? *Idem.*

Impii bonorum fa-ста sentiuntur, ut aliquid in illis reprehendant.

Spectaculum facti sumus, Sanctus Paulus ait, *Mundo, Angelis, & hominibus.* Ego verò cum Sancto Gregorio Nazianzeno addo: *Omnibus improbis, in foris, & in conviviis*; noo quod eum illis commisceamur, hoc enim absit, sed quod illi inter flagitia sua in nos oculos conjiciuot in moribus nostris reperturi; quod suam vivendi rationem escusare valeat, ex imperfectionibus, criminibusque nostris clypeum sibi conflaturi contra Dei probra, & prætextum impossibilitatis ad oequitiam suam tuendam inventuri. Ideo nos admonet D. Petrus, Dei Judicium a Domo Dei ineboaturum. *Idem.*

Ad salvandas animas incipiendū est bonum illis exemplum præbendo.

Vultisne utiliter animarum saluti consulere? Non satis est de divinis optimè loqui, meliùs adhue vivendum est; opus est ut virtutum vestrarum fulgor illis præfulgeat, vestrumque eaemplum sit spiritualis eorum infantiæ incunabula. Vitæ vestræ sanctitas vitam, scandala verò mortem illis inferent. *Qui in conspectu populi malè vivit, quantum in se est, omnes se videntes interficit*, quidam Ecclesiæ Pater ait. Si prosimum ædificare conaris, tu pater illius es, si scandalum adfers, parricida. Ad hæc, animam salvare est quodammodo illius redemptioni aliquid cooferre, adimplendo, ut Apostolus inquit, ea quæ desunt passionum Christi, ut earum fructus applicetur. Ad id verba non sufficiunt; nimis magnum est animæ pretium; chariori hæc stat pretio Filio Dei; opus est, ut quemadmodum ille, sanguinem impendamus, si ut ille, Salvatoris officium gerere cupimus. Plorandum est, gemendum, orandum, atque ex bonis operibus, mortificationibus, laboribusque nostris pretium depromendum, quod pro te, quæ tanti est, persolvatur. *P. Novet parte quinta Meditationum suarum.*

Proximi ædificatio est actio Charitatis.

Certum est proximi ædificationem ex operibus charitatis maximè occessariam esse; oihil enim magis directè nos in vitium impellit, nihilque vehementius ad virtutem nos trahit, quam eaempla, vel mala, vel booa. Possuot verba quidem, atque argumenta in alterutram partem sollicitare; sed eaemplum invicta nos rapit vi; flumen est, quo rapimur, torrens, quo trahimur; Sanctus Augustinus ait, sed flumen hoc non in bonum minus, quàm in malum nos trahit; eum ad virtutem impellit; quædam vitia penitus proscribet, omnem aufert laborem quibusdam actionibus, quæ difficilimæ habentur, & quæ in consuetudinem abiere. *Essais de Morale Tom. 5.*

Martyrum exempla olim erant exhortationes ad subeunda martyria.

Nollum videmus Sermonem, nullamque Homiliæ speciem inter antiquorum Martyrum, Doctorumque scripta, qui dum teterrimæ illæ desævirent persecutiones, floruere; quasdam tantummodo invenimus Epistolas, satisque breves conciunculas, quibus Fideles ad patientiam hortabantur. Sed constantes illi viri verbis non indigebant, ut ad virtutem eacitarentur, & exemplum eorum, qui Sanguinem suum pro JESU CHRISTO effundebant, satis efficax erat, ut sine fusioribus hortationibus illos ad præclare agendum eacitaret. Postquam per Ecclesiæ tranquillitatem constantiæ huic successit ignavia, atque Ethnicorum vitia fideles infecerunt, Pastores Evangelici non nisi prædicatione, scelerumque censura huic malo potuerunt occurrere. Non aliam pro sceleribus pœnam habet Ecclesia, quam invectivam; gladius, atque supplicia legibus, ac Magistratibus reservantur. *Ogier. Panegyrico S. Nicolai.*

Homines moralibus veritatibus sese non submittunt, nisi probatæ fuerint exemplo.

Mirum profectò est, quòd homo apertissimis veritatibus sese submittere nolit, nisi probatæ fuerint exemplo. Videbit ille, si tibi lubet, æquitatem legum, ac austerissimæ disciplinæ; illarum sapientiam commendabit, sublimitatem, ac magnitudinem admirabitur; sed ut juxta earom instituta operetur, in Legislatore, ac Magistro requirit exemplum. Facile est religionis systema confingere, illius officia statuere, opum, honorumque contemptum suadere contra vitium, avaritiam, atque superbiam invehere; verum hoc non satis est; oportet,

tet,

tet, ut qui hæc instituerit, ea primus exequatur. *P. Cheminais, Sermone Nativitatis.*

Exemplum magnam vim habet ad peccatores convertendos.

Bonum exemplum longè majorem persuadendi vim habet, quam animata Oratorum eloquentia, atque subtilissimæ Philosophorum argumentationes. Blandimentum est, eos omnes, qui vident, atque ad illud accedunt, fascinans. Quidam triginta, vel etiam quadraginta Concionatores audiit, quin vitam mutaret, qui tamen præclaras animæ sanctæ actiones videns compunctionis spiritu movebitur, ac ignaviam suam exprobrabit. Proh Deus! Quantum opus est temporis, ac sermonum, ut depravata voluntas corrigatur! Quâ opus est arte, patheticisque motionibus, ut peccator, qui in sceleribus consenuit ad virtutis viam revocetur! Sed sæpe bonum exemplum, unica virtutis actio repente illum ad Deum reducit, atque lucratur. *Idem.*

Bonum exemplum non lux tantum, sed & lex est.

Exemplum non solùm lux est nos illuminans, sed lex etiam præcipiens quodammodo ea fieri, quæ ab aliis facta intuemur. Hoc nostram regit imbecillitatem, atque manum tendit, ut in viis Domini ambulemus. Ideo JESUS CHRISTUS facere cœpit, antequam doceret: *Cœpit Jesus facere, & docere.* Se in Evangelio viam, veritatem, & vitam vocat: *Ego sum via, veritas, & vita.* Te igitur sequar, Sanctus Augustinus ait, tibique indesinenter hærebo, o Deus! quia via es per exemplum, quod me deducit veritas in promissionibus, quas fideliter exples; vita per gloriam, quam mihi pro mercede conferes. JESUS CHRISTUS homo erat, sed simul & Deus; & Sanctus Augustinus ait, si unus ipse Evangelicas virtutes exercuisset, futurum fuisse, ut illas exercere minimè teneremur; verùm gratiam suam plurimis Sanctis communicavit, qui illum imitati sunt, ac inexcusabiles sumus, si eadem ope suffulti id non facimus, quod illi fecerunt. Quamobrem Sanctus Paulus primis fidelibus dicebat: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Essais de Sermons pour l'Avvent.*

Act. 1.

Joan. 14.

1. ad Cor. 11.

Dei Filius vult homines mutuis sese exemplis confirmare.

Humilitas, quæ prohibet, ne bona opera faciamus coram hominibus, ut inanes captemus laudes, vult nihilominus manibus nostris ardentes gestari faces, & ab hominibus bona, quæ facimus, opera videri, ut cœlestem Patrem glorificent. Deus se hominum caput constituit, Sanctus Augustinus ait, ut membris suis gratiam, ac vim ipsum imitandi tribueret, ut illis spiritum suum communicaret, ut in omnes mystici corporis sui partes divinos hos salutis influxus immitteret, qui efficiunt, ut facilè virtutis gustus sentiatur, eaque exerceatur. Apostolos suos, omnesque eorum successores mundi lucem, ac sal terræ vocavit, ut doceret, ab illis homines erudiendos esse sermonibus, atque morum corruptionem exemplis prohibendam; quapropter vulgò dici solet, ad virtutem persuadendam opera esse, quàm verba, eloquentiora. *Idem.*

De exempli necessitate.

Numquid bonum præbere tenemur exemplum, cujus necessitatem Sanctus Paulus totis inculcat? At inter ideas, quas Spiritus Sanctus illi suppeditavit, ut hanc maximi momenti veritatem exprimeret, ullane potior est frequenti hac similitudine, qua corpus humanum cum mystico Ecclesiæ corpore comparat? Quemadmodum enim, magnus hic Apostolus inquit, naturalis corporis membra mutuis fulciuntur auxiliis in multiplici singulorum officio, omniaque ad vitæ, qua animantur, conservationem concurrunt, ita mystici corporis Domini membra mutuum ultro citroque sibi præstare debent auxilium, ac unanimi consensu ad tuendam interiorem fidei vitam adlaborare, exterioribus, atque ædificantibus pietatis, sibi respondentis, indicii. Et profectò ad fidem in animabus excitandam nihil aptius est, quam optimorum exemplorum intuitus; cum enim videmus aliquem secundum Evangelii veritates, atque instituta viventem, inde concludimus, ipsi de iisdem esse persuasum, cumque & ipse æque, ac nos naturam sentiat repugnantem plerisque actionibus, quas Religio præscribit, nonnisi vi impressionis prorsus divinæ fieri potest, ut severitatem amplectatur. *Essais de la Dominicale, pro die Circumcisionis.*

Bonum exemplum fidem, & Christianam Religionem tuetur.

Non satis fuit Salvatori Ecclesiam in sinu suo, ac juxta verbi sui veritatem formasse; varia etiam suppeditavit adminicula ad illius gloriam tuendam, atque servandam. Eam Apostoli primùm miraculis, Martyres sanguinis effusione, & Doctores scientiæ suæ lumine confirmarunt: sed postquam idololatræ convicti fuere, & Tyranni Ecclesiam non sunt amplius persecuti, Salvator bonorum hominum vitam substituit, ut miraculorum locum teneret, ut actionibus suis id faceret, quod sanguine invicta Martyrum patientia; atque ut exemplis veritatem contra errores, & sanctitatem contra nefaria improborum scelera tueretur. Et profectò ex certissimis, atque verissimis, quæ ad Ecclesiæ veritatem asserendam afferre possumus, argumentis, hoc postremum non est; ita enim illa a Deo emanare palam deprehenditur. *Biroat Sermone pro quinta Quadragesimæ Dominica.*

Sanctorum animarum exemplum ad sanctitatem amplectendam hortatur.

Anima Christiana, quæ sanctificari cupis, si sanctitatis magnitudo deterret, ejus te fulgor perstringit, animosque aufert severitas; ne illam in ipsa intuearis, sed in illis eam considera, qui ante te eam exercuerunt, hodieque ob oculos exercent tuos. In Sanctis eadem imperfectionum principia deprehendes, quæ tibi negotium facessunt; ipsi ex natura sua imbecilles sunt, leves, timidique, similes tui, ipsi quoque eas superare debent difficultates, quæ te morantur; eos regere affectus, qui tibi crucem figunt, eam superare naturæ vim, propter quam tuus fervor tepescit; eosdemque labores ferre, qui te maximè absterrent. Fortasse inter illos invenies, qui in ea cecidere flagitia, a quibus abhorruisti; qui turpiter lapsi sunt, ubi feliciter stetisti; qui in se ea persecuti sunt crimina, quæ innocentiæ tuæ labem non attulere. Si illi in infirmitatibus tibi similes sunt, si tu in lapsibus non similis illis, cur virtutes eorum imitari desperes? Sanctitas nihil habet nisi purum, nobile, magnum; sed Sancti omnes humanitatis miserias tecum partiuntur. Quid ergo prohibet, ne cum illis sensus, actionesque partiaris? *Liber cui titulus: Remarques sur divers sujets de Religion, & de Morale.*

Non desunt improbi homines, qui se privant fructu, quem exemplorum exemplis percipere possent.

Qui mundum sectatur, seipsum privat gratia ad permovendum aptissima, atque in prædestinationis ordine maximè efficaci, quæ bonum exemplum est, vel potius, quantum in ipso est, hanc erga se boni exempli gratiam evertit. Conversiones, quarum testis est, & quæ ipsi proponuntur, ut tandem resipiscat, nullum in ipso obtinent effectum, nihilque aliud præstant, nisi ut sexcenta temeraria judicia, inanesque argumentationes eliciat, atque quidquid sanctissimum est acerbissimis irrisionibus, ac sæpe etiam impiis dicteriis coinquinet. Hinc permittit Deus, ut in illo hunc superbiæ spiritum puniat, quo tumens censorias notas sanctissimis etiam actionibus audet configere. Unde fit, ut quin ex illis, quæ ob oculos ipsius versantur, exemplis obduretur, in flagitiis suis se confirmet, in sua impœnitentia permaneat, atque mordicus suis hæreat sceleribus, quin ad frugem valeat revocari. Cum e contra fideles animæ cum simplicitate in Dei via incedentes ex virtutum, quas intuentur, exemplis plurimum fructus percipiant. *P. Bourdalove in veris Sermonibus suis, Adventu secundo, Sermone de Sanctitate.*

Quam vim ad persuadendum bonum habeat exemplum.

Hoc centies audiistis; nihil ad persuadendum aptius est alienis exemplis. *Efficacius est vitæ, quam linguæ testimonium.* Sanctus Cyprianus ait. Concionatorum sermones non ejusdem sunt ponderis, ac irreprehensibilis vitæ testimonium. Cur autem? quia tunc oculis ipsis intelligimus, moralem JESU CHRISTI disciplinam non esse inanem speculationis ideam. Qui legem videt, quam late patet, diligentissimè servatam, cognoscit hanc facili negotio servari posse. Nullus est color, quem bonum exemplum non evertat. Infirmus sum, sed

hic,

hic ; vel ille te infirmior, virtutibus ornatus est. *Instauras testes tuos contra me*. O Deus quot fulgida virtutis exempla ob oculos meos coruscare jubes, totidem sunt testimonia, quæ produeis adversum me! Bonum igitur exemplum maximam habet in corda nostra auctoritatem. *Sermo Manuscriptus*.

Job 10.

Ejusdem argumenti.

Hæc universalis est Sanctorum sententia, quotidiana experientia probata, virtutem efficaciùs bonis exemplis, quàm solidis persuaderi argumentis. Esto quidem, Sanctus Leo inquit, ratio mentes persuadere possit; fatendum est tamen exemplum esse multò potentius, ut virtutis exercitatio persuadeatur. Et constat ratio. Sanctus Bernardus ait, quia exemplo non solum cognoscimus bonum, verum etiam illud facile fieri posse intelligimus. *Exemplum facile persuadet quod intendimus, dum factibile esse probat, quod suademus*. Verum quidem est criminosam vanitatem futuram, si bona faceremus opera, ut hominum oculos, atque existimationem in nos converteremus; sed purissimus zelus est, omniumque laudum dignissimus palam perfungi Christianæ pietatis officiis, ut & alii ad eadem obeunda impellantur. Si prohibet Salvator, ne videri velimus jejunantes, ac insignes eleemosynas erogantes, ut sanctitatis famam aucupemur, præcipit tamen, ut opera nostra bona ob oculos mortalium effulgeant, quibus ad gloriam nobiscum cœlesti Patri deferendam impellantur. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est*. Eloquentissimi sermones majorem in animos nostros vim obtinerent, si cum vitæ sanctitate essent conjuncti. Quapropter Sanctus Paulus charissimos sibi Discipulos Titum, ac Timotheum hortatur, ut prædicent, erudiant, vitia corripiant; sed simul etiam atque etiam illis commendat, ut præsertim suis exemplis ædificent. *Exemplum esto fidelium*. *Auctor Anonymus*.

Sermo de S. Laurentio.

Matth. 5.

Illi pro Deo multum adlaborant, qui exemplo alios ad virtutem impellunt.

Cum vobis persuasum sit, uti decet, de boni exempli potestate; consolamini, si vobis ingenium, aliæque rationes desunt, quibus Dei gloriam procurare possitis, præterquam vitæ piè, sanctèque institutæ documentis. Quàm pretiosa, & efficax hæc ratio est! O quàm præclara hominibus documenta, validæque illos ab erroribus revocandi rationes; si vir genere clarus, ac vitæ integritate conspicuus, si matrona nobilitate, aliisque præclaris decorata dotibus in mundo viverent secundum christianæ disciplinæ instituta! Quàm prodesse potest exemplo religiosus aliquis in cœnobio suo præ cæteris nitens, ut regularis observantia vigeat, fervor accendatur, ac toti familiæ desiderium perfectionis immittatur? *Idem*.

Bonum exemplum fermento collatum.

Exigui species est miraculi in natura videre modicam fermenti massam tribus farinæ satis injectam, hanc inflare, animare, vivificare, talem virtutem immittere, sese insinuare, ac ita partibus omnibus ejusdem commisceri, ut illa novam formam ob impressum motum recipiat; at nonne alterum in morali prodigium est, quod bonum exemplum, cujus figura fermentum est, de quo loquitur JESUS CHRISTUS, adeo efficaciter agat, ubicumque invenitur, atque ex corrupto mundo efficere possit mundum Christianum, pravos illius mutando mores, perniciosas reformando consuetudines, eique verum acquirendæ sanctitatis desiderium inspirando? Utique boni exempli vis adeo mirabilis est, ut Salvator, cujus unius est justas tradere ideas, quæ sunt habendæ de iis, quæ ad salutem nostram pertinent; illud semper proponat tamquam principium fœcundum, & agens, omnia corrigens, omnibus motum tribuens, ac nos in eorum vitam, moresque traducens, qui sese oculis nostris exhibent tamquam exemplaria, quæ a nobis imitanda esse censemus. Itaque secundum JESU CHRISTI mentem considerare debemus bonum exemplum, veluti universalem causam, quæ sese extendit ad omnia, quæ secreta virtute, quam obtinet, suavem, jucundamque nobis vim facit, ut velimus similes illis fieri, quos intuemur. Hoc fermentum est, secundum JESU CHRISTI verba, per oculos in cor ipsum sese insinuans, illud movens, & animans, ejus immutans studia, aliosque illi conceptus immittens, vitii turpitudinem aperiens, ac virtutis pulchritudinem ostendens, illius quidem horrorem ciens, hujus verò concilians existimationem. *Sermo Manuscriptus*.

Bonum nos magis movet cum illud in praxi intuemur.

Bonum, quod allicit, ac per se alios in sui amorem trahit, recentem a bono exemplo vim percipit, cui resistere nequaquam possumus, cum sæpe se nobis offert. Verum est, ad primum ejusdem intuitum secretam in nobis voluptatem oboriri, ex qua nascitur desiderium ejus rei exercitationem amplectendi, quam amore dignam censemus; ac numquam ne accidit, ut hæc voluptas pro bono, quod sese aperit nobis, & hoc illius exercendi desiderium veluti arbor onusta floribus, qui urenti vento disjiciuntur, repente concidat, & adspectu boni, quod hoc pepererat desiderium, evanescente, obliviscamur omnium, quæ prius inieramus, consiliorum, ut ostenderemus tunc ex corde bonum illud amatum fuisse, atque cum Apostolo diceremus: *Velle mihi adjacet*, bonum nimis plenum est illecebris, quam ut fieri non debeat perquisitionum nostrarum objectum? Verum quis finis? quò tandem hæc redeunt? Voluptas, quæ sese prodat, utilitas, quæ illucescat, animi ægritudo, quæ excitetur, ac inflammetur, hæc omnia aufert desideria, quibus tantopere bonum optabamus, ac tandem reperimus, nolle nos amplius illud, quod videbamur voluisse; *Perficere autem bonum non invenio*. O inconstans hominis voluntas in bono, quia illud umquam amplecti velis; o desideria volantia, quæ ad minimam auram mutamini, numquam ne vos statuere, ac figere licebit? Semperne bonum optabitis, quin illud unquam exercere velitis? Impressio, quam illud sese vobis ostendens, in vobis relinquit, semperne per ignaviam, atque inconstantiam vestram inutilis fiet? At exempli vim adde, ac suum pariet effectum. *Idem*.

Ad Rom. 7

Ejusdem argumenti.

Licet a bono abhorreamus, ad illud amplectendum impellimur, cum ipsum ob oculos nostros exerceri videmus. Longa tradere præcepta, præclara documenta tribuere, magnis argumentationibus uti; hoc ut plurimum est laterem lavare, ac iter instituere mari, ubi nulla spes est in portum perveniendi; quo magis progredimur, eo magis infinito propemodum variarum viarum, per quas alii nos deducere volunt, numero impedimur, earumque afficimur tædio. *Longum iter per præcepta*. At cum parum afficiamur monitis, ac præceptis, quæ nobis suggeruntur, ut ad amorem boni excitemur, statim ac oculis nostris boni exempli lumen affulget, possumusne resistere vi, quam nobis infert, ut ad earum rerum, quas in aliis videmus, imitationem nos rapiat? *Breve, & efficax per exempla*. *Idem*.

Sermones sine factis parum sunt efficaces.

Ubi aliqua de re sumus persuadendi, longe majorem oculis, quam auribus fidem habemus; frustra has verbis obtundis, nisi illi perstringantur; disertissimus sermo nihil ferma valet, nisi similium actionum præsidio fulciatur. Ita videmus Salvatorem hominum, qui in mundum venerat, ut nos erudiret, ac in nobis inflammaret amorem boni, in cœpisse ea facientem, quæ mox erat docturus: *Cœpit Jesus facere, & docere*. Sciebat quidem hic Salvator amabilis, quem nihil latere potest, exemplum secretum esse exprobrationem eorum, qui suo munere perfungi detrectant; prædicationem esse, quæ licet muta, tantam habet ad persuadendum illecebram, ut illi nemo resistere possit; censorem esse, qui sese ostendens corripit, atque condemnat; aculeum, qui pungit, atque ad bonum amandum excitat; apertissimam demonstrationem id semper probantem, quod a nobis agendum est. *Auctor Anonymus*.

Act. 1.

Sanctus

Quid hac in re Sanctus Paulus discipulum suum Timotheum docuit. Ad Tim. 3.

Sanctus Paulus Timotheum discipulum suum edocturus, ut utiliter fratrum saluti adlaboraret, ait illi; si ministerii tui muneta adimplere cupis, *Prabe te exemplum bonorum operum*; prior fac, quod docendum est; da exemplum eorum, quæ sunt facienda. Sine hac necessaria diligentia frustra aliquid ta speras assecuturum; nequiequam fratribus tuis Cœli viam aperies, nequicquam Deum glorificare conaberis. Discipuli ferventes erunt, sancti, ac frugi, si talem te esse ex bonis exemplis didicerint. *Prabe te exemplum bonorum operum*. Nisi hoc persuasi fuerint, omnia licer haberes talenta, immo & insignia patrares miracula, nihil apud alios proficies. Quod autem magnus hic Apostolus discipulo dicebat, dicamus patri, qui filios suos est edocturus. Vis familiam tuam sanctificare, ut christianos decet, liberos tuos instituere, domesticis cœli viam ostendere? Certissima constat ratio, qua votorum tuorum summam assequaris: *Prabe te exemplum bonorum operum*. Talis esto, quales ipsos esse cupis, fac, quod ipsos facere desideras; eas excole virtutes, quas ab illis acquiri exoptas; evira malum, quod ab illis fieri non vis: exemplum tuum frænum est admirabile, quod prohibebit, ne elabantur, ac tuæ vivendi rationis imitatores in se eadem exprimeent lineamenta, quæ in teipso deprehenderint. *Idem*.

Quod ducum belli, hoc bonorum, scorû domi suis exemplum.

Quomodo, & quo concepto motu tot inertes, ignavique in exercitibus milites in apertissima ruere audent pericula, ipsam murorum ruinam inter juges ignes, atque adversariorum tormenta conscendere? Quomodo validas hostium copias lacessere, easque in fugam conjicere audent, licet illæ obnitantur, licet terrorem incutiat tot fortium ad dexteram æque, ac sinistram cruenta morte obeuntium intuitus? Nonne Ducum exemplum hunc militibus ardorem immittit, ac fieri jubet, quod alioquin fieri nequaquam posse videretur? Cur ergo non idem operetur in nobis exemplum, ut nos ad virtutem inflammet? Cur non cieat in nobis bene faciendi voluptatem? Cur non imminuat laborem, quem ibi inveniri arbitramur? Cur non doceat, nos id imitari posse, quod ab aliis fieri conspicimus? *Sumus inter exempla, quare deficimus?* ajebat olim S. Augustinus, ut ævi sui fideles ad virtutis amorem accenderet. Cum inter tot bona exempla vivamus, possumusne adhuc non esse boni? Affectus nostros non infringere, cum illis alios dominari videamus? Dei causam non tueri, cum inter illos versemur, qui ejusdem gloriæ tantopere student? Muneribus nostris non perfungi, cum alios tanta sollicitudine sua obire inspiciamus? *Sumus inter exempla, quare deficimus? Idem*.

Bonum exemplum insignis est eorum censura, qui illud sequi detrectant.

Mulier, quæ ad frugem redit, gravissima est earum censura, quæ probe sciunt se multo magis reformatione indigere, neque satis constantiæ, & boni sensus habent, ut ipsum faciant. Adolescens, qui mores suos corrigit, aculeatam libidinum suarum sociis efficit correptionem, quibus hoc exemplum palam ostendit inevitabilem sese reformandi necessitatem. Secreto dolore carpimur videntes eos, qui nobis nequaquam meliores erant, sapientiores factos; turpibus jocis nimis importunas exprobrationes aliò detorquere conamur; sed non tidet conscientia, atque dolor cum stimulis crescit. Hæc autem odii est causa improbis in viros probos; hæc vera irrisionum origo, quibus in mundo virtus excipitur; & hoc expectandum, donec in mundo nefarii homines aderunt. Nimia lux ægris oculis obest, & malum irritat ingenium. *P. Croiset in Spiritualibus Considerationibus*.

Dei Filius homines suo erudiit exemplo antequam verbis edoceret.

Documenta valida sunt, ubi reguntur exemplo; non contingit unquam, ut aliis ea persuadeamus facienda, quæ nos ipsi non facimus. Hac de causa, o mundi Salvator, scriptum est, te facere incœpisse, quod deinde præcepisti: *Cœpit Jesus facere, & docere*. Hæc agendi ratio prorsus erat necessaria; sicuti enim leges, ac veritates mundi consuetudinibus, vel potius erroribus, & abusibus, qui post mundi creationem obreperant, omnibusque naturæ studiis velificabantur constituere suscepisti; fieri non poterat, quominus illæ in hominum cordibus immensos invenirent obices, atque ne se illis subjicerent, se illis nequaquam pares esse affirmarent. Verum hæc ratio, quæ fallax est, ac male excogitata, momento diffiari potest; tu enim ipse jugum illud tulisti, quod illis injicere cupiebas, tu primus exercuisti humiliationes, contradictiones, omnesque christianas virtutes, quas illis proponebas; ideoque immeritò sub mero impossibilitatis assertæ titulo, quæ mendax est, grave onus rejicere voluissent. *Abbas Trappensis in Moralibus Considerationibus in Evangelium S. Matthæi*. *Act. 1.*

Melius exemplis docetur, quam verbis.

Si vis alios sapientes, ac virtute præditos fieri, opus est, non solum te evitare, ne illis malum præbeas exemplum, illis persuadere, quod nosti, verum etiam semper ea exempla, quæ imitentur, ob oculos ponere, & factis primum, quam dictis erudire. Ea potius sectantur, quæ ab aliis fieri vident, quam quæ dici audiunt: verba illos, ut ita dicam, efflorescere tantum faciunt, sed facta eos movent, atque persuadent. Cum virtus tibi in corde non residet, quæcumque dicas, aliis banc persuadere non poteris. Numquam in iis, quæ a sensu nostro abhorrent, sumus eloquentes; sed licèt etiam verba bonum aliquem effectum gignerent, metuendum esset, ne statim ille actionibus deleretur. Difficilius est, quàm existimetur; diù contra cordis impressiones obniti; neque in factis æque facile fit, quod in verbis. *Liber cui titulus, de Educatione filiorum a J. Pic. editus*.

Non solum ex bonis, verum etiam ex malis exemplis proficiendum.

Ne bona ideò solum exempla respicias, ut ea probes; atque ut teipsum aliis obtrudas illa summis laudibus celebrans, sed ut ex illis fructum percipias, conferens illa cum studiis tuis, tuaque agendi ratione, ac in corde tuo obicem tollens, quem fortasse habes, ne illa sequaris. Si bonis repletus es consiliis, tam ex bonis, quam ex pravis proficere potes exemplis, sensus concipiens illis oppositos. Quid aptius esse potest ad hoc, ut resipiscas, quàm nefarii hominis vita, actiones, & contemptus, in quo apud homines est; dummodo velis in te eos frangere affectus, qui in illud, in quod ipse decidit, scelus te possent impellere, atque abhorrere ab omnibus occasionibus, quæ ad illum aditum pandunt. Dubitandum non est, mundum hominibus virtute præditis repletum iri, si quilibet attentè ad examen vocaret quæcumque ob oculos suos accidunt, atque in suam utilitatem converteret quæcumque bene, vel male fiunt. Qui ex omnibus proficere vellet, nihil inutile reperiret, & pessima etiam exempla eamdem ac optima illi utilitatem afferrent. *Idem*.

Ejusdem argumenti.

Homines ideo in societate vivunt, ut sibi indigentibus mutuò operam præstent, atque ultro citroque suos defectus corrigant. Hæc duo sunt præcipua officia, quæ illos invicem nectunt. Cum illi, cum quibus versamur, nihil conferre volunt, ut imperfectiones nostras bono tollant exemplo, quod nobis præbere tenentur; ita nobismet debemus consulere, ut in quæstu ponamus ipsorum etiam defectus, & vitia pro virtutibus, bonisque actionibus, quas nobis deberent ostendere. Verùm tantum abest, ut in hac sententia versemur, quod immo è contra aliter prorsus alienis factis abutimur: bona quidem exempla potiùs ex affectatione, & vanitate, atque ut æqui videamur judices, admiramur, quam quia illis verè afficiamur; mala verò nos in defectibus nostris confirmant, ac efficiunt, ut novos contrahamus. *Idem*.

FERVOR

FERVOR IN CULTU DEI.

Tepor, Negligentia, Relaxatio, Languor, Inconstantia &c.

M O N I T U M.



Uamquam fervor, ac devotio synonima videantur nomina, quibus Doctores eamdem tribuunt definitionem; ea tamen Concionatores distinguere consueverunt. De devotione loquuntur tamquam de statu, vel publica professione, qua fideles Dei cultum, & pietatis exercitia sectantur; fervorem verò ardentem quamdam, celeremque affectionem esse putant, qua iis vacamus, quæ ad Dei pertinent cultum; quo in sensu a nobis istic agendum est.

Fervori in hoc sensu desumpto contraria conjungimus vitia, teporem videlicet, neglizentiam, relaxationem, languorem in pietatis operibus, nostrique muneris officiis explendis; quæ quidem vitia adeo vulgata sunt, ut malorum omnium origines appellanda videantur. Itaque sive excitetur Auditor ad primorum fidelium fervorem in se accendendum, vel illi exhibeantur mala, quæ ex tepore, ac negligentia divini cultus oboriuntur; utilis profecto fiet sermo hoc præsertim tempore, ubi tanta pietatis, morumque relaxatio videtur, ut Christianismus vix idem, ac qui primis sæculis erat, nunc esse videatur.

Attamen cum Fervor virtus sit generalis, quæ latè sese ad ea quæcumque Dei cultum respiciunt, omnesque Christiani hominis actiones extendit; duo sunt diligenter præcavenda, ut hoc argumentum cum utilitate tractetur. Primum est ne fervor cum zelo salutis proximi, neque tepor, vel negligentia cum otio, ac inertia, quæ omnino alia sunt argumenta, permisceantur. Alterum ne ita animetur Auditor ad omnia capessenda, atque generoso fervore ferenda, ut non memineris circumspectæ mediocritatis, citra quam fervor omnia perdere potest, atque corrumpere. Itaque Concionatoris intererit suum zelum, fervoremque in concione, quam de hac re suscipiet, moderari.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus Argumenti Structuræ.

I. 

Um opposita juxta se posita magis elucescant, numquam melius fervoris ex Dei cultu bona, atque utilitatem emanantia exhibere potero, quàm exhibens malum, cui nos objicit tepor, & negligentia, qua pietatis officia persolvimus. Ita quàm Deo acceptus sit fervor, nobis utilis, utilisque proximo, ostendero, ubi contigerit mihi, persuadere vobis statum Christiani tepidi, ac munus suum oscitanter obeuntis Deo esse contumeliosum; periculosum sibi propter evidens illud discrimen, cui se objicit de tepore ad integram charitatis extinctionem gradum faciendi; ac demum perniciosum proximo propter exemplum quod illi tribuitur, fervoris remittendi, ac languidam, negligentemque, uti nos, vitam ducendi. Hæc est Concionis partitio.

Prima pars. Status hic Deo est contumeliosus, quia nequit ille pati cultores suos oscitari. Quemadmodum Domini, cui apellam præstamus, majestas gloriæ cedit eorum, qui inter illius asseclas recensentur; e contra ignava, & negligens ratio, qua eidem servitur, illum dedecore afficit, ac indicio est illum vel minime teneri, vel flocci æstimari. Deus ipse palam per Prophetas hac de re conquestus est; modò enim rejecit languentes victimas, quæ ex Sancti Gregorii interpretatione, sunt figura Fidelium, quorum pietas, atque devotio est novæ Legis sacrificium, innuens hoc pacto sibi nihil esse contumeliosius, quàm animæ languorem; & quemadmodum quidam Sancti Patres animadvertunt, hæc ratio fuit, propter quam avertit oculos a sacrificiis Cain, quod in grege pessimum erat, idque non ex animo, offerentis; cum a contra moneta Abel illi acciderent perjucunda, quia quidquid in grege optimum noverat, hoc Domino litandum destinabat. Similiter, ubi voluit sacrificatoribus Israel aperire Deus, cur sibi eorum agendi ratio displiceret, & cur se dedecore, & contumelia putaret affectum iis victimis, quæ in honorem suum mactabantur; quod mihi in sacrificium offertis, ajebat, ipse languor est; ac vultis, illud excipiam veluti exquisitissimum aliquid, quod par sit pretio, in quo me putaris habendum, neque dedeceat zelum, quo pro mea gloria flagratis? Ego verò ex effectibus judicium fero; nihil enim apertiùs contemptum vestrum potest innuere: *Intulistis de rapinis claudum, & languidum: numquid suscipiam illud de manu vestra?* *Malac. 1.*

Pars altera. Languoris, teporisque status nobis est periculosus; tepor enim ad frigus disponit; ægritudinis languor ad mortem adducit, & ex fervoris laxatione usque ad charitatis extinctionem facile pervenitur. 1. Quia cum infirmi, & languidi simus, iis destituimur viribus, quibus salutis nostræ inimicis resistere valeamus; atque citiùs faciliùsque superamur. 2. Deus a nobis recedit, prout nos ab eodem secedimus; tepor efficit, ut Deus tædio afficiatur nostrum; suam aufert gratiam, subsidiumque; nos prorsus abjiciat non solum tamquam inutiles, verùm etiam tamquam servos sibi graves: atque ut Scripturæ vocibus utar, evomat nos ex corde, & ore suo, tamquam cibum, quem retinere non potest. 3. Quia ex hoc languore in cultu Dei facilè ad soporem, stuporemque transimus, ac tandem in mortalem decidimus lethargiam sine actione, ac sine motu erga Deum permanentes: ita ut nihil periculosius esse possit, quàm in hunc teporis statum incidere; nobisque nihil intentatum relinquendum sit, ut inde quamprimum emergamus.

Pars tertia. Status hic proximo etiam est perniciosus, cui exemplo fortiter persuademus, necessarium non esse, ut in morum disciplina severus sit, ut diligenter adeo muneribus suis persungatur, ut Dei cultum tanto studio sectetur; negligi posse nonnulla, quæ exigua sunt, licet fervorem maximè foveant; in temporum consuetudines abire fas esse, sese tot honestorum virorum exemplis conformare posse, qui in mundo vivunt, ac viri boni, ac virtutis amatores habentur, quamvis detrectent sese veluti mancipia subjicere tot consuetudinibus, ac ritibus, quæ libertatem arctant, & torquent; Deum ex nobis non aliud petere, nisi

ne præcepta sua infringamus, ac tandem servire Deo, qui vitiis abditus non est; quin videant tepotem sceleribus quibuscumque aperire viam, & in ea quamprimum impingere, qui aliquid de pristino fervore remittit; ac Deo nequaquam servire, qui ex dimidia, ut ita dicam, sui parte illi servire studet, quandoquidem simul, ac semel nemo potest duobus dominis servire. Ita passim accidit, ut, ubi plurimi in communi vivunt, satis sit unum dumtaxat laxari; corruptio enim animæ nostræ, quæ vix jugum pati potest, facilè alterius exemplum sequitur, a quo sibi sternitur via.

II. 1. Fervor in servitio Dei efficit, ut Evangelicarum veritatum, cœlestiumque rerum gustum sentiamus.

2. Hic nobis aufert terrenorum gaudiorum, ac voluptatum sensuum saporem.

3. Hic faciles, suavesque efficit gravissimos labores, qui languentibus, ac oscitantibus non ferendi videntur.

III. 1. Fervor in servitio Dei certissimum, quod in hac vita habere possimus, indicium ast, nos esse in gratiæ statu, & charitatem habere; hæc enim charitas urget nos, ut Apostolus inquit, nobisque hunc ardorem, atque constantiam immitit, qua difficultates omnes contemnimus.

2. Tepor e contra, & negligentia in cultu Dei locum dubitandi aperit, utrum in gratia simus, & charitatem habeamus; nobisque timorem injicere debet, ne quamprimum illius jacturam faciamus.

IV. 1. Tepor JESU CHRISTI jugum gravissimum efficit, ut ignavis illis operariis, de quibus loquitur Evangelium, qui in quæstus, ac murmura Matth. 20. eruperunt: *Portavimus pondus diei, & æstus;* & efficit, ut tandem jugum hoc omnino excutiamus.

2. Efficit, ut ignavi in pristina relabantur scelera cum hoc tamen discrimine, quòd semper nequiores fiunt, minus Dei afflatibus moventur, ac magis derelicti sunt, postquam illos ex corde, ac ore suo evomuit Deus, quemadmodum minitatur.

V. 1. Domini, cui famulamur, magnitudo poscit, ut cum omni fervore eidem inserviamus: *Ut am-* Ad Coloss. 1. *buletis dignè Deo*, quemadmodum Apostolus loquitur.

2. Præmii, quod expectamus, magnitudo meretur, ut toto pectora, totoque spiritu contendamus, ut omnia eidem sacrificemus, ac nihil missum faciamus, illud assecuturi.

3. Bona, quæ hic in supremi Domini servitute fervor comparat nobis, exigunt ut ad illum acquirendum omnes industriæ nervos intendamus.

VI. Bona, quæ fervor nobis adfert.

1. Cœli, virtutisque viam, quæ illuc adducit, & quæ salebrosa, atque ardua exhiberi solet, sternit.

2. Efficit ut brevi in perfectionis via progrediamur magis, quàm si annos integros communem vitam duceremus.

3. Efficit, ut perseveremus in servitute Dei, ac feliciter stadium ad metam usque percurramus. *Ex Auctore sermonum in omnia Ethica Christiana argumenta, Tomo primo Adventus.*

VII. De infelici teporis statu.

1. Tepor est animæ ægritudo, quæ eam languentem efficit, omnemque pro Dei honore agendi vim aufert.

2. Languor est sensim ad peccati mortem illam adducens.

3. Morbus est ferme incurabilis validioribus indigens remediis.

VIII. 1. Nulla virtus hoc fervore magis est necessaria; namque sine illo non possumus omnibus, & Christianæ Religionis, & nostri status officiis perfungi; quot enim difficilia sunt, atque ardua, quæ non communi egent virtute, atque constantia?

2. Nulla virtus est, ubi magis, quam in hac mediocritas servanda sit; sæpe enim rapit ultra rationis, rectique sensus terminos, nisi prudentia coerceatur.

1. Qui cum fervore non servit Deo, numquam divina gustabit. IX.

2. Non diu intra Deum, ac mundum hærebit, duobus enim dominis simul servire non poterit; sed totus sese mundo devovebit.

3. In periculo versatur ad Deum numquam revertendi perfecta, sinceraque conversione. Hæc sors est animæ in Dei cultu remissæ, ac tepidæ.

1. Tepor, ac remissio in pietatis officiis paulatim a Deo nos sejungit: nauseam creat cultus ejusdem; ignavos, ac negligentes nos facit in mandatis illius exequendis; ac denique ad omnimodam separationem disponit per lapsus graves, & charitatis, atque gratiæ, quæ nos cum eodem conjungit, jacturam. X.

2. Vicissim Deum removet a nobis; illum enim cogit peculiares gratias subtrahere, atque communes tantum concedere. Deinde causa est, quod nos frigidè amat, ac tandem penitus derelinquit.

1. Fervor in servitio Dei tutissima, atque unica ratio est nosmet a sæculi labe præservandi, & innocentiam tuendi; simul ac enim ille remittitur, nos trahit mundus illecebris suis, atque eorum exemplis, qui flagitiosissimè vivunt. XI.

2. Jugis in servitio Dei fervor unica, & vera est ratio ad perfectionem adnitendi, & perveniendi ad sanctitatem, ad quam fideles omnes contendere debent.

1. Tepor efficit, ut nos virtutis, divinarumque rerum tædio afficiamur; ac inde oritur negligentia, ac stupor pro cœlestibus. XII.

2. Efficit ut vitium, atque peccatum non amplius oderimus; unde fit, ut excidat metus, ac horror, quo antea animus illud insectabatur, ac deinde sine ulla religione, atque conscientiæ stimulo committatur; quod sufficit, ut intelligamus, quam periculosus, funestusque sit hujusmodi status.

Cum tepor sit nescio quid medium calorem inter, & frigus, habet etiam proprietates earum rerum, quæ mediæ sunt inter duo extrema. XIII.

1. Medium est inter animæ vitam, & mortem; gratia, & charitas nondum prorsus amissa est; sed charitas non est amplius vivens, & animata, ac fere motu, & actione caret.

2. Est veluti quodcumque inter duo extrema tenet medium; via est, atque transitus de altero in alterum; sed perraro accidit ut de tepore ad fervens vivendi genus transitus fiat; & ut plurimum accidit, ut inde usque ad frigus extremum, hoc est ad peccatum usque descensus fiat.

3. Obstaculum est gratiis, & communicationibus Dei, quemadmodum quodlibet medium prohibet, ne extrema invicem attingantur.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest ad propositas Concionum texturas exornandas.

SAnctus Gregorius *in Pastorali 3. part. cap. 35.* refert mala, quæ ex tepore oboriuntur. Sancti Patres.

Sanctus Chrysostomus *Homil. 28. in Genes.* fervorem comparat Cursori laxis habenis, quin umquam moratur, currenti, & plurimum itineris brevi tempore absolventis.

Theodoretus *Orat. de Charit.* hunc eumdem fervorem igni comparat, qui pro qualitate materiæ, qua alitur, ardentior existit.

Cassianus *Coll. 1. 2. 3. 4.* collegit quidquid ad hoc pertinet argumentum.

Idem *Coll. 6. cap. 17.* satis fusè loquitur de tepore, uti etiam *Coll. 4.*

Sanctus Bernardus præ Sanctis omnibus frequentiùs verba fecit de fervore, ac tepore in cultu Dei. In libro Sententiarum varios assignat ordines servientium Deo, ubi loquitur de ferventibus, mediocribus, frigidis, repidisque.

Idem *Serm. de Ascens.* describit Religiosum ferventem,

ventem ; & *Serm. 6. de Ascens.* ostendit tepidorum infelicitatem.

Idem Epist. 253. *ad Garinum*. Verba facit de bonis, quæ fervor, & malis, quæ tepor gignit.

Ascetici aliique,

Alphonsus Rodriquez 1. *part. tract.* 1. *cap.* 2. 3. 4. *& cap.* 12. *&* 13.

P. Croiset, Tomo 1. Considerationum Christianarum de Religiosis ferventibus, & imperfectis verba facit.

S. Franciscus Salesius lib. 1. cap. 2. Introductionis ad vitam devotam docet pietatis fervore suavia fieri omnia mortificationis exercitia.

Bernardinus Rossignolus *l. de Disciplina Christiana Perfectione*, singillatim affert omnes teporis notas, quas viginti numerat.

Pædagogus Christianus *parte* 2. *cap.* 24. §. 8.

Claudius Aquaviva, *De Renovat. Spiritus*.

Lancicius. Opusc. 6. cap. 7. & Opusc. 5. cap. 9.

P. Surin Tomo 1. Dialogorum Asceticorum cap. 5. & 6. de causis teporis, ac naturalis ignaviæ verba facit.

Concionatores.

P. Texier in Dominicali, Dominica prima post nativitatem, ubi loquitur de amore crescente, loquitur etiam de fervore, per quem charitas crescit.

P. Cheminais Tomo 1. Sermonem habet hujus argumenti.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta in primo tomo Adventus integrum habet sermonem de fervore, ac tepore.

Stapleton. *in Domin. Palm. Text.* 4. *& in Dom. Pasch. Text.* 3.

Qui collectanea ediderunt.

Granatensis *in locis communibus*.

Busæus. *Titulo Tepiditas*.

Labata. *Titulo Fervor*.

Lohner. *Titulo Fervor*.

Marchantius *Tract.* 7. *lect.* 9. *de fervore, & diligentia Spiritali*.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Applicationes Scripturarum hujus Argumenti.

Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum. Psal. 118.

Qui fingis laborem in præcepto. Psal. 93.

Dormitavit anima mea præ tædio. Psal. 118.

Dixi, nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ Excelsi. Psal. 76.

Justorum semita, quasi lux splendens, procedit & crescit usque ad perfectam diem. Prov. 4.

Pigredo immittit soporem. Prov. 19.

Usquequò piger dormies? quando consurges è somno tuo? Prov. 6.

In omnibus operibus tuis præcellens esto. Eccli. 33.

In omnibus operibus tuis esto velox. Eccli. 31.

Vidisti virum velocem in opere suo? coram regibus stabit. Prov. 22.

Factus est in corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis. Jerem. 20.

Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter, vel negligenter. Idem, cap. 48.

Maledictus dolosus, qui immolat debile Domino, quia Rex magnus ego. Malach. 1.

Computrescet jugum à facie olei. Isaiæ 10.

Consummatus in brevi explevit tempora multa. Sapient. 4.

Beati, qui esuriunt, & sitiunt justitiam. Matthæi 5.

Refrigescet charitas multorum. Matth. 24.

Qui in umbra mortis sedent. Luc. 1.

Hora est jam nos de somno surgere. Ad Roman. 13.

Charitas Christi urget nos. 2. ad Cor. c. 5.

Ut charitas vestra magis ac magis abundet. Ad Philipp. 1.

Sollicitudine non pigri, spiritu ferventes, Domino servientes. Ad Rom. 12.

Æmulamini charismata meliora, & adhuc excellentiorem viam vobis demonstro. 1. ad Corinth. cap. 12.

Quæ retrò sunt obliviscens, ad ea verò, quæ sunt priora, extendens meipsum, ad destinatum prosequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu. Ad Philipp. 3.

Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Ad Ephes. 5.

Bonum facientes, non deficiamus. Ad Galat. 6.

Habeo adversum te, quod charitatem tuam primam reliquisti. Apoc. 2.

Utinam frigidus esses, aut calidus: sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo. Ibidem, cap. 3.

Veteris, novique Testamenti Exempla.

Exemplum fervoris Abrahæ.

Habemus, inquit Origenes, præclarum hujus fervoris, ac festinationis exemplum in Abraham. In Genesi scriptum est, Sanctum hunc Patriarcham amoris sui fervoribus ita agitatum fuisse, ut domi suæ quiescere non posset; dum plenus incalescebat meridies, tunc egrediebatur: *In ipso fervore diei*, ut aliquam charitatis exercendæ occasionem nancisceretur, atque ut amabiles strueret pauperibus prætereuntibus insidias. Quadam die, cum veluti ex specula quadam exploraret, tres vidit peregrinos, qui totidem erant Angeli hac veste contecti: seipsum continere non potuit, donec accederent, ipse obvius illis occurrit: *Cucurrit in occursum eorum*; cumque officiosè illos coegisset, ut domi illius se cœnaturos promitterent, iterum domum cucurrit: *Festinavit in tabernaculum suum*. Cumque sciret Saram uxorem eadem urgeri charitate, quia famulis imperaret, qui magno in numero familiam ipsius constituebant; dixit illi: *Accelera, & fac subcinericios panes*. Invenimus, quod erat in votis; ecce tres peregrini domum nostram subeunt; eos benigne excipiamus; at si lubet, diligens esto: *Accelera*. Ubi hoc conjugi præcepisset, tertiò ad caulas fertur, & ibi, quidquid optimum occurrit, arripiens, illud servo tradidit imperans, ut opus maturaret, & illud excoqueret. Profectò, Origenes inquit in hunc locum, hoc mirabile est; nihil nisi festinatio, & cursus deprehenditur. *Abraham currit, uxor accelerat, puer festinat; omnia perurgentur*. Abraham licet senex hac discurrit, Sara illac; festinant servi; mysterium non deest; docet enim Spiritus Sanctus ea in domo, ubi charitas regnat, nullos esse tepidos, nullos negligentes: *Nemo piger est in domo charitatis*. Ubi semel cor ferventi hoc amore flagraverit, quiescere nequit. *Ex P. Texier in Diminic.*

Genes. 18.

Ibidem.

Ibidem.

Exemplum Israelitarum, in quibus ardens terræ promissæ desiderium deferbuit

Ubi castra movenda fuere, ut Israelitæ in promissam terram introducerentur, exploratores illuc præmissi sunt, qui eas regiones cognoscerent, & verè quæ terræ qualitas, quinam incolarum mores essent, nuntiarent. Redeuntes mira profectò nuntiarunt, uberem esse terram, fructus, quos illa ferebat, ingentis magnitudinis esse, sed addidere incolas gigantes esse potiùs quàm communis staturæ homines, eosque in munitissimis urbibus permanere; aerem denique ita vehementem esse, ut dicerent, *terra devorat habitatores suos*. Ita loquuntur, ita cogitant quamplurimi fideles tepidi. Nihil inquiunt ex altera parte admirabilius est Religione Christiana; ex altera verò nihil austerius. In ipsa speculatione pulcherrima, in praxi est inaccessa; gratiarum, ac præmiorum fœcunda exigit molesta, & gravia exercitia, gigantes esse oportet, ac virtutes non communes habere, ut varia ejusdem officia repleantur.

Symbolum fervoris in igne ab Israelitis in cisterna defosso.

Secundus Machabæorum liber narrat, ignem, quem Judæi in puteo absconderant, antequam in Ægyptum adducerentur, inventum fuisse ab iisdem postquam ex captivitate redierunt, musco tectum, qui Nehemiæ visus est tamquam aridum lutum, nihil in se continens ignis; verum cum

una hujus ignis superficies esset contecta, statim ac soli expositum fuit, & aliquot lucis radii muscum illum pervadere, omnium in se admirationem convertit ingentis incendii, ex igne illo erumpentis, spectaculum. Hæc est animæ verè justæ imago; & inde magis deberemus animari, quod si qui leves defectus charitatem nostram remittunt, quin illam extinguant, unicus radius illam iterum potest accendere. Cum ad Sacramenta acceditis, in amaritudine cordis vestri omnia crimina vestra recogitatis, cum JESUS CHRISTUS in vos aliquot gratiarum suarum radios ejaculatur, mollescit cor vestrum, infirmitas vestra roboratur, crassus terræ, carnisque muscus cedit lumini vos illustranti, & ignescit cor vestrum, itaut quicumque vos noverint, tantam mirentur immutationem.

De fervore instauratione.

Cum Populus Dei post diuturnam captivitatem Babylonicam Jerosolymam rediit, atque iterum ædificatum fuit Templum, juniores, qui vetus Templum minimè viderant, summa perfusi lætitia exultabant, novi hujus ædificii opus intuentes; at seniores e sacerdotibus, & populo, qui meminerant adhuc eorum, quæ olim viderant, atque pulchritudinis diruti templi, quæ toto cœlo splendidior extiterat, tantùm ipsi lacrymis conficiebantur, quantum illi gaudio efferebantur. O gaudium! O propheticas lacrymas! Illi, quibus Ecclesiæ zelus inest, & qui ejusdem bono tanguntur, lætentur, si lubet ob reparatam disciplinam, quam forsan deprehendunt; gaudeant inruiti obices criminibus, quæ in puerorum moribus late grassari videntur, oppositos; sanctum quidem, ac optimum eorum est gaudium; in hujusmodi occasionibus æquum est; non deerunt tamen, qui animo reputantes elapsa tempora, ac recogitantes admirabilem primorum fidelium sanctitatem, erumpent in lacrymas, & prima illa tempora cum præsentibus comparantes delere non poterunt primi templi ideam longe ampliorem, atque præstantiorem. Semper animum eorum subibit Ecclesia tota in luce coruscans; eam sibimet exhibebunt omnibus ornatam virtutibus; sed illam ad eum, in quo est, statum reductam videntes, pluris facient, quod fuit, quam quod est, neque se eidem injurias esse putabunt, si cæteris lætantibus ob modicum illud bonum, quod ibi reflorescere incipit, prioris speciei desiderio afficiuntur. *Ex manuscripto sermone, qui P. Massillon attribuitur.*

Patriarcha Jacob exemplum.

Exemplum Jacob figura est, ac norma fervoris, quem habere debemus, atque in Dei cultu testari, si intueri velimus diuturnitatem, atque constantiam servitutis, quam Sanctus hic Patriarcha Labano præstitit spe ductus futurum ut filiam ejusdem Rachel conjugem obtineret. Assiduitas, curæ, vigiliæ, labores, quos per quatuordecim annorum spatium passus est, illum fatigare non potuerunt, & hac spe suffultus, atque incensus, numquam animos despondit. *Videbantur illi pauci dies, præ amoris magnitudine*, inquit Scriptura. Quo autem ardore fidelis servire debet Domino, qui toto cœlo in mercede tribuenda magis est magnificus, ac in promissionibus explendis fidelis?

Genes. 29.

Exemplum David.

Videmus in Scripturis ardorem, quem David pro Domini cultu testatus est, undequaque materiam congerens in Templi extructionem, ac ad id longè maximos erogans sumptus. Hoc satis palam ipse testatur his verbis, quæ primo Paralipomenon libro afferuntur cap. 29. *Ego autem totis viribus meis preparavi impensas domus Dei mei*. Nullis pepercit sumptibus; atque inde judicium ferri potest de fervore, & zelo, quo pro Dei gloria, & cultu flagramus.

Exemplum Sancti Petri.

Sancti Petri fervor toties in Evangelio commendatur, ut jure dici queat magni hujus Apostoli hic fuisse caracter. Ipse Dei Filius illum consideravit tamquam omnium Discipulorum amantissimum, præ cæteris fidelissimè sibi adhærentem, & eum, qui ardentis charitatis suæ apertissima præbuit argumenta. Hoc ipse testatus est cum se in mare projecit, ut Dei Filium super aquas incedentem sequeretur; cum in Olivarum horto contra armatam militum manum, qui venerant, ut JESUM comprehenderent, solus illum tutari voluit; & alibi passim. Ubique patet, ipsum maxima fuisse amore succensum, ac præ cæteris Domini sui gloriæ fuisse studiosissimum.

Fervens amor Magdalenæ.

Neque minus celebris est ardens Magdalenæ charitas, cujus, ut justam nobis tribuat imaginem Ecclesia, verbis utitur Sponsæ Canticorum. Dicendum sanè est, illam vehementi charitatis impetu adactam fuisse, ut Dei Filium conveniret apud Simonem Leprosum, a quo fuerat exceptus convivio, atque ad illius genua provoluta procumberet, quin ullam haberet vel sexus, vel qualitatis suæ, vel præsentium convivarum rationem, & quin ulla cogitatione deterreri potuerit; quare illud promeritа elogium est, quo Salvator ardentem illius charitatem est prosecutus, illi peccatorum veniam concedens: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.*

Luc. 7.

Exemplum Zachæi.

Zachæi quoque fervor celebratur in Evangelio. Ardenti actus desiderio Salvatorem videndi, de quo mira sibi fuerant nuntiata, cum ad illum non posset accedere præ turba, qua septus erat, conscendit arborem, ut inde illum prætereuntem commodè videre posset. Verum cum præcepit illi JESUS, ut descenderet, quia in domo ejusdem divertere cupiebat, Zachæus summa perfusus lætitia cucurrit, ut ad illum excipiendum omnia disponeret, ac statim pollicitus est se bonorum suorum dimidium pauperibus erogaturum, & redditurum quadruplum eorum, si quæ malè parta domi invenirentur, atque omnia sinceræ, ferventisque conversionis præbuit indicia.

Fervor S. Pauli.

Neque præterire fas est Sancti Pauli exemplum, ubi de ferventi zelo sermo habeatur. Ardens ingenium, quo ante conversionem extra se quodammodo rapiebatur, charitati illius eumdem tribuit caracterem postquam ad Apostolatum evocatus fuit, cui quidem vocationi respondit, offerens Deo se quæcumque jussisset, facturum. *Domine, quid me vis facere?* Ipse etiam Dei Filius tanto habuit in pretio ejus constantiam, ac fidelitatem erga gratiam, qua ipsum donaverat, ut eidem ostenderit, quæcumque ab ipso pro nominis sui gloria erant ferenda; & descriptio, quam Apostolus ipse de suis itineribus, laboribus, atque persecutionibus nobis reliquit, satis ostendit, Ecclesiam maximam progressuum suorum partem illius constantiæ, fervori, zelo, & charitati debere.

Act. 9.

Applicationes.

Tempus fervore est redimendum.

Videte quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Ad Ephes. 5. Quid potiori jure malorum dierum nomine potest nuncupari, quàm tepor, atque propemodum universalis remissio charitatis, quæ hodierna die in mundo, immo etiam inter ipsa Regularium claustra videtur! Quid, quam eversio pietatis, & disciplinæ, quæ efficit, ut hi loci sancti, qui esse deberent portus, & perfugia illis, qui sese receperunt illic, nonnumquam fiunt procellosa maria, ac tempestatum, & naufragiorum loci pro illis, qui ibi commorantur? Nonne ibi tempora, & dies sunt, qui mali atque calamitosi vocari possunt: *quoniam dies mali sunt?* Quomodo autem sunt redimendi? Tempus redimitur, Sanctus Gregorius ait, cum lacrymis, pœnitentiæ laboribus, nostræque charitatis fervore illud reparamus, quod in voluptatibus, ac mundanæ, tepidæque vitæ solatiis amiseramus.

Alenda est fervoris flamma.

Ignis in altari semper ardebit. Levit. 6. Hoc, ex Sancti Gregorii interpretatione, sacer significabat ignis, qui in veteri Lege, noctu, atque interdiu jussu Dei in ara debebat ardere. Non satis est Deo charitatis ignem in animabus nostris succendisse; vult ut vigilanti studio ardores illius excitemus,

mus, flammamque nutriamus, & augeamus. Cum igni addere ligna cessamus, extinguitur ignis, Spiritus Sanctus ait: *Cum defecerint ligna, extinguetur ignis*. Quænam igitur hæc ligna sunt, hæc ignis divini amoris nutrimenta? Est christianarum veritatum meditatio, Verbum Dei, frequens Oratio; si in virtutis exercitatione languentes eritis, & inertes, certissimè ignis charitatis vestræ extinguetur.

Prov. 26.

Cura, qua charitas fovenda est.

Et lucernæ ardentes in manibus vestris. Luc. 12. Hinc nos admonet JESUS CHRISTUS, ne inter ipsas gratiæ flammas, cœlestesque ardores charitas nostra intepescat. Conemur potiùs hunc ardorem servare, & si quando vel per fragilitatem nostram, vel ob casum aliquem deferbuerit, ne obliviscamur semper ad hunc luminum, ardorumque fontem confugere, ut sanctè divino hoc igni inflammemur, quo incalescere cœperamus. Ita loquitur Sanctus Cyprianus *libr. de Eleem. Idem jubet, lucernæ nostra sint semper ardentes, ut scilicet superno igne succensus animus non tepescat, sed studeat semper ardere, ac si vigorem ejus aliqua turbavit adversitas, unde cœpit inflammari, inde poscat igniri.*

Deus cor languens, ac iners recusat.

Intulistis de rapinis claudum, & languidum; numquid suscipiam illud de manu vestra? Malac. 1. Quod de grege vestro mihi offertis, dicit Deus sacrificia offerentibus Israeliticis, pessimum est, quod ibi inveniatis, & gratum mihi munus offerre putatis? Hoc victimarum genus offerte ducibus vestris, qui regunt vos, ut videatis, utrum illis placeant: *Offer illud duci tuo, si placuerit ei*; hoc est, quemadmodum Sanctus Hieronymus interpretatur; erga me tantum tepidi estis; ubi aliquod mundi hujus negotium agitur, attenti estis, atque solliciti; cum autem mihi preces effundere, obtemperare, inservire debetis, ignavia ipsa medullitus vobis inhærere videtur. Sed alium quærite Dominum, aliumque Deum præter me; ac sciatis, me vestram hanc agendi rationem horrere, & odisse.

Ibidem.

Deus meretur ut summo cum fervore illi inserviamus.

Ut ambuletis dignè Deo. Ad Coloss. 1. Nonne æquum est, ut cum Deus sit, qui est, nos verò simus, qui sumus, illi totis viribus serviamus? Si hominibus oscitanter famulamus, hoc illi ferre non possunt; sed Deus adeo magnus est, ac supra nos positus, ut licet creata omnia in illius cultu absumerentur, vix eorum partem præstarent, quæ præstare tenentur. Quapropter Apostolus inquit: *Ut ambuletis dignè Deo*. Deo serviendum, ut ille meretur. At quomodonam, cum illius magnitudo nullis finibus contineatur? Hoc verum quidem est: sed ut huic muneri satis faciamus, omnes vires debemus intendere, cumque omnia fuerimus admisi, tunc nosmet inutiles servos vocare; ac nimium felices cum Deus opellam, quam petit ex nobis, & quam illi præstare possumus, dignetur excipere.

De Religiosis tepidis.

Maledictus, qui facit opus Dei fraudulenter. Jerem. 48. Hæc verba æquius applicari non possunt, nisi tepidis Religiosis, & qui sine fervore, & cura munere suo perfunguntur. Væ illi, qui opus Dei fraudulenter agit! Quodnam verò hoc opus est? At quodnam aliud æquiori jure hoc potest nomine nuncupari, quam Rligiosæ vitæ exercitia; quandoquidem hæc Deus ab illis expectas, qui ad statum hunc sunt vocati? Quis verò hic fraudulentus, vel malæ fidei homo, nisi qui illa negligenter, ac oscitanter adimplet; qui statum hunc profitetur, quin ejusdem obire munera satagat? *Maledictus, qui facit opus Dei fraudulenter.* Nonne Religionem defraudat, quæ in eo confidebat, tamquam viro bono, qui muneribus suis rite perfuncturus esset, ac Cœlestes benedictiones prometiturus? Nonne irrita facit Dei de se ipso consilia, per infidelitatem, qua suum munus adimplet? At nonne seipsum faller, si Religiosi nomen gerens, perperam ea obit munera, quæ propria sunt suæ vocationis? *Maledictus, qui facit opus Dei fraudulenter.*

Unde hic spiritus

Qui spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. Ad Heudry Bibl. Tom. II. *Rom.* 8. Fervor oritur ex perfecta docilitate motibus, atque afflatibus Spiritus Sancti. Cum anima vacua est a corruptis affectibus, & charitatis igne animata; ex quo eam alloquitur Spiritus Sanctus, alacriter fertur ad ea omnia, quæ ille desiderat; & quemadmodum Spiritus Sanctus sese nostris conjungens animabus, ut earum tegimen capiat, efficit nos Filios Dei, statim ac facultates animæ nostræ ita illius afflatibus dociles sunt, ut corporum organa, & membra animæ voluntatibus pareant, tunc verè spiritu illius animamur, & perfecti sumus Dei Filii. *Qui spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei.*

fervor oriatur.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, ac Sententia Sanctorum Patrum hujus Argumenti.

NOn satis est rectè facere, nisi etiam maturare adjicias. Ambrosius lib. 1. cap. 5. de Abraham.

Nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia. Idem.

Quantumcumque hic vixerimus, quantumcumque hic profecerimus, nemo dicat: sufficit mihi, justus sum; ubi dixerit, sufficit, ibi hæsit. Augustin. in Psalm. 69.

Solus amor est, qui difficultatis nomen erubescit. Idem.

Memento quia regnum cœlorum, non tepidi, non desides, sed violenti rapiunt. Idem.

Cordis dilatatio, justitiæ est delectatio. Idem.

Promptitudina nobis opus est, ardore multo, animo ad mortem exposito, alioqui non licet cruci confixum regem assequi. Chrysostom. Homil. 31. ad Popul.

Quò ampliùs quisque vitæ cœlestis dulcedinem degustat, eò amplius fastidit omnia quæ placebant in infimis. Beda, Homilia de Transfigurat.

Fervorem esse existimo cupiditatem vehementem, stabilem, constantem, placendi Deo in omnibus. Basil. in regul. minorib.

Magna operatur amor; si renuit operari, amor non est. Gregorius.

Non numero, & laborum magnitudini Deus mercedem reddit, sed alacri proposito, atque ferventissima voluntati. Joan. Climac. præfat. in scal.

Anima quæ amat ardentiùs, currit velociùs, & citiùs pervenit; perveniens, non dico repulsionem, sed nec cunctationem patitur. Bernard. Serm. 3. in Cantic.

Multò faciliùs reperias multos seculares converti ad bonum, quàm unum quempiam de religiosis transire ad melius. Idem, Epist. 96. ad Richardum Fontanensem Abbatem.

Rarissima avis est, qui de gradu, quem semel attigerit, vel parum ascendat. Idem.

Ignis & tepiditas non in uno domicilio commorantur, præsertim cùm tepiditas ipsi Domino soleat vomitum provocare. Idem, Serm. 3. de Ascens. Domini.

Amor exæstuat, seipsum non capit, immensitatem Dei æmulatur, dum metam nescit ponere affectui. Gilbertus Abbas, Serm. 19. in Cant.

Abjiciamus perniciosam tepiditatem, quia Deo vomitum provocare solet. Bernard.

Explevit tempora multa, non quidem annorum numero, sed mentis devotione inextinguibili proficiendi. Idem.

Quantum nos apposuerimus ad diligentiam, tantum Deus addet ad gloriam. Cæsarius, Hom. 3. ad Monach.

Fidelis est servus, qui fervorem suum servat inextinguibilem, & in dies usque ad finem vitæ suæ, ignem igni adjicere, fervorem fervori, desiderium desiderio, & studium studio nunquam desiit. Joan. Climac. grad. 1.

Si dederis te ad fervorem, invenies magnam pa-

tem, & senties leviorem laborem. De Imitat. Christi, lib. 2. cap. 20.

Dominus dormit tepidis, vigilat perfectis. Ambrosius.

Qui fingis laborem in præcepto? an non fictus in præcepto labor, onus leve, suave jugum, crux inuncta? Bernard. in declamat.

Et invenietis requiem animabus vestris; mira novitas! tollens jugum invenit requiem. Basil. in Psalm. 29.

Dormientibus nobis, & pigrè agentibus, dormire dicitur Deus. Basil. in Psal. 29.

Oblata Deo, non pretio, sed affectu placent. Salvian. lib. 1. de Eccles. Cathol.

Fervor & profectus noster quotidie debet crescere; sed nunc pro magno habetur si quis primi fervoris partem possit retinere. De Imitat. Christi, lib. 1. cap. 2.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ penu ad hoc argumentum depromi potest.

Fervoris definitio.

FErvor propriè est ardens, & efficax desiderium adimplendi in omnibus Dei voluntatem; vel prompta voluntas est, quæ nos ad bonum, & vocationis nostræ munera adimplenda trahit. Sanctus Thomas, aliique Theologi fervorem cum devotione confundunt, quemadmodum jam notatum est, & hoc in sensu dicunt, devotionem esse supernaturalem fervorem ex divina Charitate profectum, qui efficit, ut eodem flagrantes hilariter, alacriterque Dei voluntates exequantur. Itaque fervor oppositus est acediæ, quæ spiritualis est tristitia, quæ Fidelem efficit sopitum, ac ea, quæ ad Dei cultum pertinent, fastidientem.

Unde fervoris nomen.

Fervoris nomen metaphoricum est ab aqua igni apposita desumptum; antequam aqua ignem conceperit, non movetur, & sine ulla partium agitatione quiescit; verùm prout ignis calorem recipit, ebullit, agitatur, & nisi prohibeatur, extra vas exilit, atque effunditur. Hoc ipsum accidit animæ, quam sanctæ ardentisque charitatis flamma calefacit; non quiescit ultra in priori otio, & inertia; sed occupatur, agit, & extra se rapitur exercitatione virtutum. Itaque fervor non aliud est, quàm charitas ipsa, & amor Dei, sed ardentior, quam vulgò in hominibus sit, ac sese prodit actionibus, & motu; quo agitur, ut id expleat, quod ex nobis exigit Deus.

Quanam in re propriè hic fervor consistat.

Fervor hic nequaquam positus est in spiritualibus consolationibus, interiorique gustu, quem illi percipiunt, qui Deo incipiunt famulari; immo neque est facilitas quædam bene agendi sine ulla carnis resistentia, atque oppositione: itaut non ægrè, neque cunctanter ea, quæ nostri muneris sunt, perficiamus; fervorem enim servare possumus inter ariditates, desolationes, extremasque difficultates; sed positus est, ex Sancti Basilii sententia, in vehementi, constantique desiderio, quod neque iners est, neque inutile. *Fervorem esse existimo, cupiditatem vehementem, stabilem, constantem, placendi Deo in omnibus*. Hinc duplex fervoris genus distinguitur, alterum eorum qui sese Deo devovere incœperunt, & qui in primis conversionis suæ fervoribus nonnumquam se ardentiores ostendunt, quam qui consummatam possident virtutem, atque non sine quodam animi impetu ea, quæ sunt maxime difficilia, sectantur; sed fervor hic non est diuturnus, similis igni, qui facilè exardescit, ac brevi extinguitur. Alterum fervoris genus illud est, quo provectiores virtute homines succensi sunt, quod constantius est, & ex solida nascitur virtute, & charitate probata.

Fervoris effectus.

Fervoris effectus melius repræsentari non possunt, quam per similitudinem, quæ eidem cum igne est, unde accipit nomen, & qualitates mutuari videtur. Primo enim ignis lucet, & illuminat; & fervens Christianus bonum præbet exemplum toti mundo, & quocumque suæ virtutis fulgorem emittit. 2. Quemadmodum ignis ad agendum perniciosissimus est, & quiescere nequit, ita fervens homo otiari non potest, numquam fatigatur pro Deo laboribus exercitus; nec dicit umquam satis, sed plura semper facere concupiscit. 3. Ignis semper crescit prout pabulum invenit, eique nutrimenta suggeruntur. Ita homo fervens quotidie progreditur, ac de virtute in virtutem procedit. 4. Denique ignis omnia calefacit, & calorem suum communicat accedentibus ad se; & homo fervens suam inspirat activitatem, suumque omnibus, qui cum eo consuescunt, ardorem impertit.

Rationes, quæ nos animare debent ut cum fervore serviamus Deo.

Rationes omnium maximè idoneæ ad fervorem hunc excitandum, servandumque sunt, 1. Magnitudo Domini, cui famulamur, qui Deus ipse est, qui non secus, ac alii domini inertes inutilesque servos non patitur. 2. Cogitatio præsentiæ Dei omnia, quæ pro ipso facimus, videntis, quemadmodum Imperatoris præsentia militibus pro ejusdem gloria pugnantibus animum addit. 3. Præmii spes, quod nos relaturos speramus, quia ab ipso æternam expectamus felicitatem. 4. Sine fervore diu nequimus fideles Domino permanere inter tot pericula, & inimicos salutis nostræ, & tentationes, quæ nos undique lacessunt.

De Tepore, qui fervori oppositus est.

Ut bene intelligamus, quid sit tepor, qui quidem adeo periculosus status est, & quem se horrere testatur JESUS CHRISTUS, animadvertendum est in Christianismo tria esse genera Christianorum. Primi omnia mundo, ejusque placitis tribuunt; alii e contra omnia Deo, & Evangelicis deferunt institutis. Utrique suis adhærent dominis, neque duobus servire possunt, nec volunt. Alii verò sunt, qui, licet virtutem profiteantur, Deum cum mundo conciliare contendunt, ac sese utrique dividere, utriusque placita sequentes, ac utriusque commoda, ac dulcedinem degustantes: hi tepidi in Dei servitio vocantur. Itaque tepiditas quædam est charitatis remissio, voluntas erga bonum languens, & tædii, vel principium acediæ, quæ inter lethalia peccata accensetur. Status hic non est omnino oppositus charitati, quæ in languido corde, & nondum frigido in Dei amore, neque mortuo gratiæ, viget adhuc, sed inter utrumque est, quemadmodum aqua tepida, neque calida, neque frigida est, sed particeps utriusque.

Tepor dubitandi locū tribuit, utrum simus in gratia, & charitate.

Magna timoris, atque humilitatis causa est, nescire, utrum in gratiæ statu simus; sed incertos in re tanti momenti versari. Christianus fervens se in gratia non esse timet, sed multò magis sperat, quam timeat, quia plures habet rationes credendi se in gratia esse, atque ita animos non despondet. Sed ignavus homo plurimas habet dubitandi causas, ideoque magis metuendum est illi, quam sperandum. Et ratio est, quia gratia id animæ est, quod anima corpori: anima in corpore nostro perenne est actionum vitæ naturalis principium: gratia vel charitas (hæc enim duo hoc in loco non distinguuntur) esse debet juge principium actionum vitæ supernaturalis. Cum in corpore nullus videtur amplius vitæ naturalis motus, jure dicimus, animam abiisse; cum in anima nullum inspicimus supernaturalis, divinæque vitæ motum, jure judicari potest, ibi gratiam non adesse amplius; & animam jam esse mortuam. Quas autem divinas, & supernaturales actiones efficit anima tepida, ac iners? Numquid vel unam a se fieri respondere potest? Natura, ingenium, affectus, vanitas, cupiditas, humana ratio, nonne omnium actionum ipsius sunt principium?

Causæ teporis.

Plura sunt mali adeo periculosi principia. Primum est defectus fidei, quod spectat ad æternas veritates. Ita vitæ nostræ languor ut plurimum ex fidei nostræ languore procedit; & hujus mali remedium est fidem nostram accendere sublimium veritatum meditatione. Alterum inde est, quod

nego-

negotiis, aut voluptatibus nimium vacamus. Mens negotiorum impedimentis divisa facile in pietatis officiis laxatur. Remedium est, efficere ut nostræ Religionis officia potissimum sit negotiorum omnium negotium. Tertium tepiditatis principium est aliorum exemplum. Pauci sunt, vel etiam e Regularibus, qui aliqua in re fervorem non remittant; exempli eorum auctoritate nobis exigua quædam licere volumus laxamenta, ut deinde majora nobis fas esse putemus. Remedium est, alienas intueri virtutes, quas imitemur, non autem vitia, nisi ut evitemus. Quartum denique principium ex ignavia nostra procedit cum virtutis difficultate conjuncta. Remedium est meminisse JESUM CHRISTUM affirmare, jugum suum suave esse, quod ipsa docet experientia, ubi illud cum fervore subeamus.

Teporis indicia.

Plura sunt indicia, ex quibus colligi potest, utrum tepidi simus, hæc verò præcipua sunt. Primum est facilitas, qua pro levi qualibet causa pietatis exercitia prætermittimus. Alterum est negligentia, qua hæc eadem explemus, Deum dedecore afficientes ipsis actionibus, quibus illum nos colere existimamus. Tertium est assidua mentis dissipatio, in qua animæ tepidæ vivunt; extrema cordis, mentisque licentia, qua in quæcumque objecta inania, ineptaque evagamur, nullam nobismet vim inferentes, ut sensuum nostrorum evagationem inhibeamus. Quartum est habitus pleraque faciendi sine attentione, ac intentione, fere semper ex animi libidine, ac ingenio operando. Quintum est negligentia christianas acquirendi virtutes, ac oppugnandi animi ægritudines illis oppositas. Sexta est in minutis rebus incuria, qua minuta evitare crimina, ac minuta consectari opera bona fastidimus.

Quid pro tepore, ac ignavia sit intelligendum.

Sancti Patres plurimum locuti sunt de hoc vitio, præsertim verò Cassianus in Collationibus suis, ubi ait priscos Eremitas, quorum sententias affert, credidisse illud periculosissimum esse, & ex iis, quæ difficillimè corriguntur. Pro hac autem tepiditate nequaquam intelligenda est inertia eo in sensu, in quo vulgò desumitur, pro otio, atque ignavia, quietis amica; acediam intelligimus oppositam vigilantiæ, ac fervori animarum virtute præditarum, quæ jugiter suis vacant officiis. Vigilantia, quam etiam, atque etiam Dominus commendat, illis impertit constantiam, atque virtutem, qua Deo fideliter respondere valeant, ac integrè fungi officio fervorum solertium, qui rebus in omnibus Domino morem gerere gestiunt. Hoc autem tepiditatis, acediæque vitium non ita facile dignosci potest; atque cognoscitur solum ab animabus ferventibus, & quæ in Dei cultu sunt sollicitæ, ac diligentes. Hoc innuebat Salvator per hæc verba: *Beatus servus, quem cum venerit Dominus, invenerit vigilantem.* Servi enim vigilantes non solum ii sunt, qui cavent, ne Domino injuriam, & contumeliam afferant, sed ii, qui noctu, & interdiu eidem placere quærunt, negotia illius procurare satagunt, ac rei domesticæ curam gerunt. Itaque ubi voluerit aliquis cognoscere, utrum huic sit obnoxius ignaviæ, an ab ea vacuus, perpendere debet utrum præter eam curam, qua omnia status sui officia sedulo adimplet, in Dei cultu jugem afferat attentionem, ut sese colligat, & ad altiorem perfectionis apicem adnitatur.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Spiritualibus libris, & recentibus Concionatoribus loci hujus argumenti.

Primorum fidelium fervor imminutus est, & disciplina morum laxata.

Religionis puritas, quamvis incorrupta, apud Fideles tamen temporum lapsu vitiatur, & contabescit, seu quod quidquid ab humanis mentibus agitur, impuritatem contrahat atque inde in omnia, quæ ab homine fiunt, licet sanctissima, labes aliqua obrepat; seu quod in virtutum exercitatione fatigetur propter hujus cum naturalibus studiis oppositionem; scit quod gratia addiderit fervorem novo Christianæ Religionis primis Ecclesiæ temporibus spiritui, qui novissimis hisce deferbuerit; liquido constat, morum nostrorum relaxationem senii effectum esse. Quot enim Sanctos in origine conspeximus Ordines, in initiis suis ferventes, in progressibus admirabiles, & qui summum perfectionis apicem videbantur attigisse, qui deinceps in terribilem degenerarunt licentiam, itaut ne unum quidem pristini status vestigium inveniretur in illis; quia inconstantia ex iis est infirmitatibus, quæ hominibus sunt magis communes? Quam mutationem in membris suis experta est Ecclesia, quæ in institutis suis est immutabilis propter fundamenti sui, qui ipse est JESUS CHRISTUS, firmitatem? *P. Rapin in libro de Fide primorum sæculorum.*

Ejusdem argumenti continuatio.

Ubinam extant hodie vestigia illius vivæ, ardentisque fidei, quæ olim primos fideles animabat? Quo evaserunt ea constantiæ, firmitatis, integritatis, abdicationis sui ac tot aliarum virtutum miracula, quæ primi fuere fructus fidei nascentis? Ubi tempus, quo passiones, atque humiliationes inter hujus vitæ prosperitates recensebantur? In vita, quæ hodie vivitur, quisnam, uti opus est, finem cogitat, propter quem creatus est? Quis se ipsum in hac vita considerat tamquam viatorem exulem a patria, atque propter hujus longinquitatem mœrore confectum? Denique ubinam hodie invenitur Religionis fervor in hac hominum vita; cum omnia veræ pietatis indicia in Christianorum moribus sint ferme deleta? *Idem.*

De fervore fidelium primorum temporum.

Novus primorum sæculorum spiritus fidelibus ejus temporis eum fervorem immittebat, cujus ne leve quidem vestigium novissimorum horum sæculorum lapsu deprehenditur. Fervor hic major erat fidelitas gratiæ, major sollicitudo in Dei gloria quærenda, diligentior in Evangelicis præceptis integerrimè servandis cura, apertius peccati odium, constantior in precibus ardor, solertior suæ salutis attentio, ac sollicitior in suis obeundis muneribus vigilantia. Sed hic Spiritus mundi senio ita contabuit, ut omnia ejusdem vestigia penitus ferme deleta sint. *Idem.*

Magnitudo Domini, cui famulamur fervorem nostrum animare debet. Ad Rom. 12.

Sanctus Paulus Apostolus fideles hortatus ne quid unquam ex fervore suo remittant, ratus est se nequaquam invenire posse validiores causas ad fervorem hunc semper recentem servandum, fovendumque, quam si recordarentur, se Omnipotenti Domino famulari: *Spiritu ferventes, Domino servientes.* Unde argumentor, ex Apostoli sententia, mensuram magnitudinis Domini, cui famulamur, esse debere fervoris nostri mensuram. At quænam est mensura magnitudinis Dei? Nonne hæc est ut nullam habeat; nullis vel temporum, vel locorum finibus coerceatur? ideoque servitus, quæ illi debetur, nonne aliquid de illius æternitate, atque extensione debet participare? Verus Christianus nullos umquam statuere debet cancellos fervori suo, ac zelo suæ perfectionis. Cur? quia quemcumque efficere possit in via perfectionis progressum, semper plurimum eidem restat itineris absolvendum, antequam ad eum finem, quem Dei Filius proposuit, perveniat. *Ex Manuscripto Sermone.*

Quomodo pietas evanescat, & fervori succedat tepiditas.

Devotio, ac pietas sensim infirmatur, & consenescit. Sopore capimur, dum interim lucernæ, & ignis ardent; sed nobis in utramque aurem stertentibus oleum consumitur, & ignis cineribus tegitur; cumque evigilaverimus, nos frigore obstupuisse, atque in tenebris relictos deprehendimus, quin aliquod invenire subsidium valeamus. Non deerant pietatis, zelique motus, cum edormire cœpit conscientia; sed omnia sensim extinguuntur, cognitio infirmatur, fervor imminuitur, & evanescit; amittitur zelus; frigescimus; & a frigore in errorem, ac scelus traducimur, & sæpe neque lumen, neque medicina malo invenitur. *Auctor Anonymus.*

Quid sit Christianus fervens.

Homo est inter mundi corruptionem suis muneribus obeundis attentus, ac in iis sollicitus, quæ sibi sunt diligentissimè exequenda. Non satis est illi status sui vitia evitare, omnes etiam ejusdem virtutes assequi conatur: ipsi enim persuasum est, ex tepore in relaxationem, ex disciplinæ relaxatione in flagitia facilem transitum esse. Assiduus labor efficit, ut omnes superet obices, quos perfectioni suæ adversari deprehendit, cumque assidua sint corruptionis pericula, semper invigilat, ut de illis referat victoriam. *Ex collectione Orationum Academiæ oblatarum anno* 1703.

Relaxatio virtutis, & vitæ spiritualis.

Anima, licet immortalis natura sua, habet tamen in iis, quæ ad virtutem pertinent, quasdam infirmitates, atque defectus, quæ illius, non secus ac corporis caducitatem indigitant. Aliquid semper in nobis de primo vigore deperit; ætas alterius ætatis sepulcrum est, ac natura sensim exhauritur, & deficit. Quot ferventes animæ inter ipsa Religionis claustra paulatim relaxantur, atque in criminosam decidunt inertiam, eò usque ut fere nequeant amplius sese ad Deum attollere, atque oculorum aciem in cœlestia bona intendere? Inde oritur illud corporis, multoque magis spiritus, & cordis pondus; inde infirmitatum prætextus, assertæ imbecillitates, austeritatum fastidia, atque mortificationum nausea. Omnia fere in illis consenescunt; Religionis spiritus paulatim infirmatur, & nonnumquam etiam quin ne intelligant quidem, &c. *Ex Manuscripto Sermone, qui Patri de la Rue tribuitur.*

Tepiditas in cultu Dei.

Inter hæc duo frigoris, & caloris extrema, medium adest particeps utriusque; tepor videlicet, quem Salvator abhorret in illis, qui eidem famulari contendunt, & quibus severissima minitatur supplicia. Quod tamen non sine quadam difficultate esse videtur; quid enim tepor est, nisi calor incipiens? Deus autem damnatne in hominibus cœlestis ignis initium? Quid ipsa est gratia, nisi initium caloris, numquam enim satis ardentes sumus in cultu Dei, neque desunt uspiam imperfectiones, ac defectus, propter quos pietas nostra frigescit? Pater Misericordiarum, qui ipsa bonitas est, atque indulgentia, tantum abest, ut severe illos rejiciat, qui aliquod habent sanctificationis initium, ut e contra summa charitate eorum patiatur infirmitatem. Igitur tepidorum vocabulo istic JESUS CHRISTUS nequaquam infirmos, atque imperfectos intelligit. Ut hoc rite assequamur, notandum est, tepiditatem nequaquam intelligi tamquam progressum de frigore ad calorem; propriè enim loquendo progressus non est status; e contra verò transitus est de uno statu in alterum motus, qui efficit, ut res aliqua singulis momentis statum, ac situm mutet, ut alium a priori diversum acquirat. Hæc est autem natura pietatis fidelium; progressus est, eorum sanctitatem augens quotidie. Hic calor est ex parte, sed hic calor felici augmento quotidie magis augetur, & inflammatur. Pro tepiditate igitur non intelligendus est progressus, sed status: cum aqua solùm intepuit, ibi manet, neque alium calorem recipit; quod bifariam fit, vel cum aqua, quæ per se frigida est, parumper calefit, quin ulterius ignescat; vel cum aqua, quæ prius fervida erat, defervescit, ac partem caloris amittit, quin ad pristinum frigoris statum revertatur. Hujus generis intelligenda ea tepiditas est, quam Salvator detestatur; per hoc enim vult innuere statum eorum, qui in vituperabili permanent medio bonum inter, & malum, neque vel toti esse volunt unius JESU CHRISTI, neque penitus mundum sequi volunt, sed sese inter utrumque partiri, utrumque sibi conciliare adnitentes. *Ex Anonymo Auctore.*

Indignum est Deo tepidis famulari.

Proh Deus! Itane tibi servitur? vel itane servitur mundo? Numquid homo scelere tantum afficitur? ergone putat aliquid suæ dignitatis deperdere, si te diligat? Cor illius adeo magnum, adeo magnanimum, ubi de pietate agitur, prorsus prosternitur. Si mundum sectatur, omnia carissimo illi stant pretio: currit, ac devolat ad ea ipsa, quæ fieri minime possunt: sese devovet, uritur, ad pedes idolorum suorum conficitur, coram te verò, Domine, illum sua virtus destituit, ignis ejusdem extinguitur, ac satis esse videtur, amori tuo vacet ad hoc, ut suam omnem infirmitatem ostendat. *Abbas Mongin in Sermone, qui retulit præmium.*

Periculum, in quo tepidus est, in grave peccatum aliquod decidendi.

Si negligens anima nondum in peccatum lapsa est, paulisper expecta, ejusque lapsum intueberis; exiguum illi superest vitæ stamen minimo motu abrumpendum, parva charitatis scintilla levissimo flatu extinguenda: lucerna est fumigans, ac jamjam morituram lucem emittens; languens est Lazarus brevi ex vita migraturus.... *Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* Si cor tuum frigidum, ac stupidum esset; hic ipse stupor tuus me flectere posset: miseri, qui intereunt, mea sunt miseratione, quàm ultione digniores. Sed novi opera tua; ex illis es, qui neque me amant, neque me oderunt; neque meam mereris misericordiam; neque amorem meum; velles simul & saluti tuæ consulere, & voluptatibus indulgere, ac simul securitatem, inertiamque conjungere. *Auctor Anonymus.*

Apoc. c. 3.

Mala dispositio tepidi.

Negligentia magnum est indicium fastidii, fastidium verò, magna ad mutationem dispositio; ea quæ minimè placent, citò deseruntur, & cor fastidiens non erit diu fidelis... Quid magis terribile est, quàm status, qui nos sensim malo subjicit, qui peccati horrorem adimit, & ad illud patrandum voluntatem disponit? Hæc est imperfectorum hominum, vel dicam melius semicorruptorum, jugiter inter legem, legisque dispensationem hærentium dispositio; quamdam pacti speciem cum Domino ferire velle videntur, & sub hoc prætextu, quod in præcipuis aliquot legis articulis illius mandata facessunt, sibi licere volunt, in iis quæ minoris sunt momenti, ab iisdem recedere. Status sæpe magis periculosus illo, quo nequissimi peccatores versantur, & in quo tandem se magis a salute abesse intelligunt homines quàm si statim quibusque sceleribus sese mancipassent. *Idem.*

Quid faciat fervens Christianus.

Si homo Dei sui liberalitatibus tangeretur, non solum illius imperiis obtemperaret, sequeretur etiam consilia; præceptum obedientiæ quidem ejus, non zelo sufficeret; in minimis æque ac in maximis esset sollicitus aliorum quidem facilitate animatus, aliorum verò magnitudine non deterritus. Sed quid ab ingrato expectandum? Maximorum præceptorum pondere obrutus cedit, minuta vero contemnit; nimis, ut sibi videtur, infirmus, ineptusque ad prima illa, mi opus est, obeunda; nimis negligens in levioribus consectandis, ac semper injustus in omni justitia adimplenda. *Idem.*

Quomodo se gerat Deus cum tepidis.

Homo ille tepidus, & in Dei cultu negligens, negligentiæ suæ pœnas luet. Amoris tepiditas illius fuit culpa, tepiditas altera ejusdem pœna erit: Dominus illi gravis est; ipsa Domino gravis erit. Hæc anima, quæ neque longè satis abest a Deo, ut mortali frigore conficiatur, neque satis prope adest, ut sanctis illius ardoribus accendatur, neque peccati utiles stimulos, neque virtutis testimonia, quæ solatium afferunt, experitur. In hoc defectus, languorisque statu, neque cognoscitur, neque seipsam cognoscit; Estne in gratia, an minime est? decidet illa in interitum, an jamjam decidit? Quam prope est, ut Dei jacturam faciamus, cum tot suppetunt dubitandi rationes, utrum jam facta fuerit! *Idem.*

Ex tepore incipit præverti peccator.

Incipimus jam præverti, cum in Dei elanguescimus via; hic primus est gradus, qui nos adducit ad mortem. Elanguescimus, Sanctus Bernardus ait, non jam languore charitatis, illi simili, quo Canticorum Sponsa deficiebat; non simplici ariditatis languore, idem ait, illi simili, quo afficiebatur David, cum Deus illi consolationes suas subtrahebat, eumque ipsi derelinquere videbatur,

quam-

Psal. 87. quamobrem dicebat: *languerunt oculi mei præ inopia*: sed languore infirmitatis, quæ noxia est, atque voluntaria; languore, quem nobis tantum imputare possumus, & qui quodam acediæ principio efficis, ut christianæ diligentiæ jugum excutiamus, ut pietatis officia negligamus, ut orationis usum relinquamus, ut pœnitentiam horreamus, ut a Sacramentis recedamus, ut nulla amplius opera bona faciamus, ut quidquid in Religiona est, nobis videatur grave, ut Deo non serviamus ultrà in spiritu, & veritate. Ita Sanctus Bernardus spiritualem hunc languorem describit, & faxit Deus, ut experientia vestra docti plura intelligatis, quam quæ ille vobis tradere voluit. *P. Bourdalove in sermonibus, qui sub ejus nomine circumferuntur. Sermone pro feria sexta post quartam Quadragesimæ Dominicam.*

A periculoso hoc tepiditatis statu diligentissimè præcavendum.

Hic languor status est homini perniciosus; est enim ex illis animæ ægritudinibus, pro quibus efficacissima quævis remedia non multum valent, & quia status hic directè opponitur gratiæ pœnitentiæ, quæ cum sanctos in nobis terrores excitare debeat, illis inanes quosdam substituit metus, qui nihil producunt. Prævertendus est igitur languor iste sanctissimis Christianæ Religionis considerationibus, atque contra eumdem precibus, ac vigilantia nosmet præmunire debemus. In hisce languoribus etiam involuntariis, qui criminosi non sunt quin pietatis tædio afficiamur, debemus e contra nosmet ad fervorem, atque virtutem multò magis, quàm antea excitare. Qui hoc pacto agit, solidam pietatem sensibili ejusdem speciei præfert, ac sensus magis generosos induit; sæpe enim qui Deo minori cum gustu servit, hic illi servit majori cum merito, & perfectione. *Idem.*

Quomodo in hunc teporis statū lapses sia:.

In hunc languoris statum nequaquam repente concidimus; sed tamquam virgines fatuæ, de quibus sermo est in Evangelio, de levi sopore in altum somnum procedimus. *Dormitaverunt omnes,* Matth. 25. *& dormierunt.* Salutis incuria, quorumdam exiguorum officiorum contemptus, in bono relaxatio quædam, in malo verò oblectatiuncula; hæc omnia soporem animæ immittunt eousque, ut illam ad Jonæ statum redigant, qui sæviente procella, cum cæteri omnes, qui eadem vehebantur navi, trepidarent, in utramque stertebat aurem; ac solus erat alto, & quasi lethargico somno demersus. Frustra Confessarius suadet, frustra declamat Concionator, sopor, ubi per negligentiam eo capti fuimus, prohibet, ne hoc rumore evigilemus. *Idem.*

Descriptio hominis tepidi, & in Dei cultu negligentis.

Hæc justa est, ac fidelis imago tot mortalium, qui languori suo affectatæ negligentiæ somnum adjiciunt; qui in scelus nolunt ruere, sed qui in virtute progredi non adnituntur; qui ex præteritis peccatis consurgunt, sed qui dormitant in criminosa officiorum suorum maxime urgentium cura; qui Evangelii veritates non impugnant, sed qui obiter tantum illas audiunt; qui eò quod non æquè flagitiosi sunt, ac alii plures non intuentur multos, qui se sunt ardentiores, & qui ut Spiritus Sancti verbis utar in maledictionem decidunt, cui obnoxius est, qui opus Dei negligenter Jerem. 48. vers. 10. operatur. *Maledictus, qui facit opus Domini negligenter.* *Idem in alio Sermone.*

Difficile est ex hoc teporis statu emergere.

Sæpe facilius est ex fragilitatis peccato consurgere, quàm emergare ex nescio quo stupore, & incuria, propter quam officia nostra negligimus. Sæpe qui ex fragilitate lapsus est, humilior fit, ac sibimetipsi magis attentus, & propterea quod aliàs cecidimus, salubri cavemus consilio, ne rursum cadamus. Sed per hunc habitualem teporem officia nostra contemnimus, nobismetipsis non invigilamus ultra, neque eam adhibemus curam, quam Sancti Patres innocentiæ custodem, omniumque virtutum asylum existimant. Nullius ferme rei cura geritur, & quæcumque procella detonet, in cordis nostri navicula stertimus æque, ac olim Jonas in ea, qua Tharsum proficiscebatur. Jonæ 1. *Dormiebat Jonas sopore gravi;* quem nec præsens discrimen, nec tempestatis vehementia, nec certæ mortis propinquitas, nec terror, & clamor eorum qui erant in navi, excitare potuerunt. Sæpe enim permittit Deus, ut afflictionum procellæ oboriantur, & calamitatum tempestates agitent cordis nostri navim, ut expergiscatur aliquando, & resipiscat. Sed ubi semel lethargico obrutum fuerit somno, nihil illud attingere, nihil movere potest. Redactum ad fatalem stupiditatis statum, nihil timet, nihil metuit, neque ab ullo sibi periculo cavet. *Idem.*

Hæc tepiditas nos ad æternam adducit infelicitatem.

Ne adeo periculosum statum intelligant, mortales omnes innocuas putant quotidianas infidelitates, quas solum corruptionis pondus pietati inevitabiles facit... Inter hos animæ languores tranquilla ducitur vita, quin aliquis sibi cavere velit adversus ea mala, in quæ nos illi trahunt; & hæc negligentia, atque tepiditas in via salutis tot homines ad æternam damnationem perduxit, licet alioquin virtutis sensus, pietatis studia, sanctaque desideria foverent. Attamen in minimo fidelem esse, nihil sibi fas esse putare in levissimis etiam infidelitatibus, hæc maximè essentialis est ad christianam pietatem via. Hæc una justos facit, quemadmodum una facit, ut in justitia perseverent. Nulla vera pietas est citra hanc diligentiam in minimis æquè ac in maximis officiis explendis. *Ex Sermone, qui P. Massillon tribuitur, de tepiditate.*

Status tepiditatis non caret dubitatione utrum in gratia sis, nec ne.

Licet tepiditatis status non esset particeps corruptionis cordis; admodum ambiguus status est nullam securitatem relinquens, & sceleri propior est, quàm virtuti. Et sane (Fideles) quis affirmare posset in hac mundi mollitie, in jugi attentione, qua id quæritis quidquid vobis blanditur, id evitatis, quod vobis displicet, quis affirmare potest, utrum vestrum metipsorum amor omnem prorsus ejecerit charitatem? *Idem.*

Indicia fervoris penitus extincti.

Si nihil vos animat in ignavia vestra, si Sacramenta, ad quæ acceditis, tepiditatem non auferunt, si eædem sanctæ veritates in cor vestrum æque se in aridam tellurem cadunt; si in iteratis lapsibus nullum unquam inveniunt finem scelera vestra; si Deum, quem colitis, semper eodem in discrimine habetis; si ab ara receditis quales ad illam accesseratis, nullam inde vim, nullum fervorem, consiliumve priori ferventius referentes; Si quod heri eratis, hodie quoque estis, æquè tepidi, ac infirmi; si ne uno quidem gradu ad virtutem processistis; si cœlestis flamma excitare nequit assertam hanc charitatem, quam semper vos retinuisse arbitramini; metuo, ne Cœlum sopore vestro irritatum vos iis dedat suppliciis, quæ meremini. *Idem.*

In tepiditatis statu nobismet adulamur.

In hoc autem statu nobismet adulamur, eò quod nihil nobis exprobrat conscientia; quæ tamen securitas maximum est periculum. Nosmet sanctos credimus, quia gravissima scelera non patramus; stare putamus, quia non ex alto cecidimus; neque intelligimus, quod idem ac cecidisse est, cum incedere nequimus. Status vester fortasse magis est periculosus, quam impudentissimè peccantium; non enim malum vestrum percipitis, neque intelligere vultis, quod hic morbus ad mortem adducit. *Idem.*

Tepiditatis status desinit in scelus, & mortem animæ.

Hic tepiditatis, atque infidelitatis status, semper desinit in scelus; Deus enim hujus ignaviæ pertæsus ab anima justi recedit, suaque illi negat auxilia. Et profecto, si Dominus vel unum momentum a justis suam vigilantiam averteret, si eos propriis infirmitatibus traderet, quamprimum dæmonum præda fierent. Justi ergo fidelitas fructus est gratiæ Dei, sed illius etiam quodammodo principium est. Gratia justi fidelitatem operatur; hoc certissimum est; at non minus certum est, quod justi fidelitas gratiam promeretur. Si fidelis esse cessas, recedit gratia; nisi curas urceum replere, oleum deficit; si arborem colere negligis, exarescit, ac maledicto subjicitur; si in Dei cultu tepescis, Deus quoque erga te incipit tepescere; si

nam,

tam, quam debes, pietatem intra quorumdam generalium officiorum cancellos coarctas; ipse quoque se ad generalia quædam coarctat subsidia; ac fidelitas tua, ut verbo dicam, norma est divinæ in te largitatis. As numquid hac de re jure conqueri potes? quò magis sollicitus es, ut illi placeas; eò ille attentior, ut te protegas; negligis omnes fervoris occasiones, in quibus tuam illi probare fidem potes; vicissim denegat ille tibi antiquas sui amoris, ac benevolentiæ notas: Supputas cum illo quidquid illi debes; tota attentio tua in eo posita est, ut cancellos constituas iis, quæ de te init, consiliis, ac dicis illi, tamquam inutilis ille servus, tolle quod tuum est; at si Dei Filius eodem tecum utatur jure, acerbè feres, quod Dominus, in cujus manu sortes tuæ sunt, tecum agas eo pacto, quo secum agis? *Idem*.

De remissione cultus Dei.

Non imputas nobis Deus languores eos, qui ex suorum luminum subtractione, vel simpliciter ex corporum nostrorum pondere proficiscuntur; sed illos dubio procul imputat, quibus aliquid negligentia, inaniaque solatia nostra contulerunt. Vult nihil a nobis tanti fieri, quanti pretiosum munus, quod contulit nobis, amoris sui, & hunc a nobis diligentissimè foveri, ac ali jubet, eidem nutrimenta suppeditando. Hoc ille Fidelibus omnibus imperavit in persona Sacerdotum Legis antiquæ, quibus præcepit, ut in altari semper accensum ignem

Levit. 6.

servarent: *Ignis in altari semper ardebit*. Altare hoc est hominis cor, & quilibet Fidelis est Sacerdos, cui curæ esse debet in ara cordis sui ignem charitatis alere; hoc est illum rerum cœlestium meditatione, atque pietatis exercitatione fovere, *Auctor Anonymus*.

Dolor animæ, quæ ex primo excidit fervore.

Quis mihi tribuat, ut sim juxta menses pristinos, ajebat sanctus vir Job; ubinam sunt læti illi dies, quibus divina largitas suis me beneficiis, & gratiis cumulabat? Indesinenter lumine illius illustrabar, & divinum hunc sequens fulgorem incedebam, quin tenebras, & pericula meruerem. Unctio spiritus sui omnes labores meos leniebat, & sapientiæ ejusdem consilium me ab omni dubietate eripiebat. Cum alacritate currebam in via mandatorum ejus, atque tunc tantùm oblectabar, cum virtutem exercere poteram, eleemosynam erogare, litem dirimere, dimittere injuriam. Pietatis exercitia mihi in deliciis erant; omnia desideriis meis prospere afflabant, ac intrinsecus secretis perfundebat voluptatibus, quæ omnes mundi, sensuumque voluptates longissimè superabant. At hoc præterit tempus, ingratitudo mea beneficiorum Dei fontem exhausit, & quoniam indulgenti, misericordi, liberalique Deo abusus sum, nunc Deum experior petitionibus meis aures negantem. *De la Volpilliere, Sermone de fidelitate erga Dei gratiam*.

De miserabili, periculosoque statu ad quem tepiditas agit.

Hoc pacto contrahitur languor ille spiritualis vitæ perniciosus, atque in Sacris Scripturis damnatus; cum enim Deo ex altera tantum parte serviamus, & cor inter JESUM CHRISTUM, & mundum partiri valimus; decidimus in statum hunc languidum, tepidumque, ubi neque calor est, neque frigus, & ubi neque mortui sumus, neque vivimus: Statum saluti nostræ adeo periculosum, ut nesciam, utrum alii sint magis periculosi, atque utrum præstet, Deo palam infensos esse, eique bellum indicere, an neutram sequi partem, & Deum inter, ac mundum, Cœlum, ac terram, gratiam, & peccatum, Paradisum, atque infernum hærere. *Idem*.

Tepidi non ita passim pristinum recipere fervorem videntur.

Videmus aliquando ex nequissimis peccatoribus insignes fieri pœnitentes, & ab extremo frigore ad extremum fervorem traduci. At docet experientia, devotam, ferventemque animam, ubi intepuit, & elanguit; quin iterum zelum suum succendat, pristinumque fervorem recipiat, in dies magis frigescere, ac infirmari. Non statim ad impietatem descenditur, & ardens devotio momento minimè exstinguitur. Paulatim aliquem caloris sui gradum amittit, ac temporum decursu ita alget, ut in extremam duritiem decidat, ac denique nullo sensu afficiatur omnibus gratiæ motibus, gloriæ illecebris, & rationibus pietatis? *Idem*.

Fervoris necessitas.

Sancti Patres vehementer profecto, summoque zelo contra spiritualis vitæ languorem invehuntur; quia plurimum virtutis requiritur adhoc ut semper altius te attollas, invita natura corrupta, cujus studiis semper deorsum propellimur. Anima in virtute languens, extremam in vitio acquirit vim, & ex quo bonum operari cessat, jam par est omne malum, quod potest, operando. Hinc inutilis servus reprobatur in Evangelio: quia licet non sit alterius noxæ reus; jam incipit in ipsum damnationis suæ ferri sententia: nam ex quo bonum operandi amittit animum, statim malum operandi assumit audaciam. *Idem*.

Adhortatio ad fervorem.

Num aliquid ulterius requiritur ad animum vestrum excitandum, ac inflammandum fervorem vestrum? Quid? numquid opus est, ut tenebrarum filii sapientiores sint filiis lucis, illi quidem in temporalis, his in spiritualis vitæ ratione? Opusne, ut homines e sæculo, ubi de inceptis agitur, multò sint ardentiores, quam JESU CHRISTI discipuli in iis, quæ ad solidam suam pertinent utilitatem? Opusne tandem, ut prudentia fallax veram superet sapientiam, atque majores impendantur curæ ad terrena hæc assequenda bona, quam ad insignem sibi in æternitate gloriam comparandam? *Idem*.

Fervoris bona.

Cum anima fervens est, virtus, quam antea semper incultam, asperamque crediderat, ipsi decora, jucundaque videtur; omnia illi facilia fiunt; corpus vix sequi potest cor sanctis correptum motibus, ac tandem gratia illam tanta suavitate, voluptate, gaudioque perfundit, ut status, in quo adest, licet tantum incipiat, exæquare, immo etiam nonnumquam perfectiorum statum superare videatur.... Mundus, qui de rebus ex specie tantum judicat, eas solum videt cruces, & mortificationes, quæ sensibus patent; at non videt solatia nostra, quæ interna sunt, atque invisibilia. *Idem*.

Qui in Dei servitio tepidi sunt, reprobationis caracterem gerunt.

Sanctus Joannes, qui in Apocalypsi reproborum texere nomenclaturam videtur, eos in varias classes distribuit; sed undenam initium sumere existimatis? Quam peccatorum speciem ab ipso cæteris præponi censetis? Putansne ab atheis, hæreticis, veneficis, exordium ducere? Nequaquam: Num ex infidelibus, & incredulis? Hi secundum tantum obtinent locum in serie. Undenam ergo! Cæteris ille præponit ignavos, ac timidos: *Timidis, & incredulis, & veneficis, pars eorum erit in stagno ardenti*; ut videlicet intelligamus verum reprobi caracterem esse hanc cordis ignaviam, per quam nobis difficile videtur, quidquid ad Dei cultum requiritur. *P. Texier in Quadragesima*.

Apoc. 21.

Tepiditatis effectus.

Hæc dispositio est omnium saluti nostræ magis opposita: etenim in rebus etiam sanctissimis quamdam nobis nauseam inspirat, quæ ardorem virtutis imminuit; exsiccas in corde omnem pietatis unctionem; inutilia efficit quæcumque documenta, prohibetque ne exerceantur; Dei timorem tollit, omnesque devotionis sensus subvertit. Ex hac tepiditate facilis est descensus in disciplinæ relaxationem: cum non percipitur amplius gustus ille, qui in virtutis exercitatione consueveras percipi, nosmetipsos vincere negligimus, & omnia gratiæ lumina extinguimus. Hic status est tepiditatis toto cœlo pejor ipso mortali frigore; peccator enim aliquando malum suum sentit, tepidus verò non item; cujus languor est obduratio æquè, ac mors ipsa funesta. Tepiditas gignit virtutis fastidium, vitii verò aufert horrorem. *P. Rapin libro de Salutis momento*.

Descriptio, & caracter hominis in Dei cultu ferventis.

Homo fervens voluntatem ita habet dispositam, ut eò feratur, ubicumque bonum esse videt, eodem ferme pacto, quo ignis sphæram, & lapis centrum suum petunt. Hic cum uni Deo placere quærat, cætera flocci facit, omnes obices superat,

fermè-

sermones, & dicteria contemnit; & bona hæc valetudinem, vitamque ipsam nullo habet in discrimine, nisi quatenus jubet Deus, cui uni gerere morem desiderat. Hæc anima est numquam hærens in ambiguo, nisi quoad dubitat, utrum sit melius; quod ubi cognovit, statim certa consilium illud amplectitur. *Pater de la Colombiere, Tomo secundo.*

Longe aliter quæ Dei, quam quæ mundi sunt curamus.

Nonne fatebimini vos inertes, ignavosque esse in iis omnibus, quæ ad Dei cultum pertinent; & ea quæ Dei sunt nullo a vobis in discrimine haberi, cum ea, quæ sunt mundi omnem zelum, sollicitudinemque vestram exerceant? Hæ ambages, hi doli, hæ versutæ legis explicationes; & animus vester paratus ad ea omnia relinquenda, quæ ad illius gloriam referuntur, ubi de minima temporali agitur utilitate, nonne satis probare possunt vos æque subdolos esse politicos, ac Deo infensos; & ostendere vobis id objici posse, quod Tertullianus olim Ethnicis Politicis objiciebat, magis curæ illis fuisse, quæ Cæsar, quàm quæ Dii præcepissent. *Majori formidine Cæsarem observant, quam Jovem de Cœlo. P. Bourdalove.*

Fervor incipientium fervore Deo.

Hoc ostendit, eos quidem, qui recens Divino lumine afflati sunt, pares esse quibusdam zeli, & charitatis operibus, quæ magna videntur; sed plurimum esse discriminis inter hos ardores, quos prima conversionis primordia cient, & firmam, solidamque pietatem. Eorum devotio, qui incipiunt, ut plurimum ardentior est, quia recens; sed quamprimum defervescit, cum objectorum, quibus occupatur, novitas cessat. Tempus sensus omnes, pietatis etiam infirmat; sed sensibilis hujus devotionis defectu, qui verè Dei numine afflati sunt, fortem solidamque pietatem substituunt, quæ radices jacit virtutum, consilia confirmat, eumque in sensu minus vivida videatur, reipsa plurimum habet vis, ac soliditatis. Non debemus ergo tanto habere in pretio sensus acres, vividosque, quos perfunctorii motus ciere possunt, nisi curæ sit nobis illos in corde nostro statuere diuturna christianæ vitæ exercitatione. *Desumptum ex libro cui titulus, Essais de Morale, Tomo 5.*

Tepiditas in sanctiori statu majoribus redargutionibus a Deo exprobratur. *Genes. 49.*

Origenes Homilia 14. animadvertit, Jacob, ut peccatum Ruben exaggeraret, omnes illius prærogativas recensuisse. *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei, prior in donis, major in imperio.* Hoc ipsum Christianis, Ecclesiasticis, Religiosis, piisque hominibus, ubi laxantur, ac indignam caractere, ac professione sua vitam vivunt, Salvator dicere posset. Vos feci, filioli mei, primogenitos crucis meæ, aliis anteferens, quos nulla prærogativa superabitis. *Primogenitus meus.* Nulla sunt munera, aut prærogativæ, quæ conferri possint cum beneficiis, quibus vos cumulavi: *prior in donis, major in imperio*; vos autem nihilo secius hæc omnia contemnentes bona, per summam ignaviam naturæ corruptæ torrentibus trahi sinitis in ea mala, quæ dedecorant spiritum, & gratiam, quam contuli vobis. *Maimbourg. Sermone pro feria secunda post tertiam Quadragesimæ Dominicam.*

Tepor in vita Religiosa.

Ad quid venisti? Numquid, hoc ut quæreres, Religionem ingressus es? Numquid opus erat tanta pompa mundum abdicare, temet ex parentum tuorum sinu convellere, ut inter claustra hujusmodi vitam duceres? Ubinam est Institutor Dei numine afflatus, qui in Ecclesia novum erigere voluit ordinem, constitutiones proponere, labores omnes, atque novarum institutionum obices superare, ut opus Domini negligeretur, relaxatio in ipsa usque adyta inveheretur, ut mundus in ipsa etiam JESU CHRISTI hæreditate regnaret? Nos ipsi, si credidissemus aliquando lapsuros, ac aliquid ex primo illo fervore remissuros, num id fecissemus, quod fecimus mundum relinquentes? *P. Cheminais Sermone de fervore.*

Sæculi nostri tepiditas.

Virtutes, & vitia, ut Sanctus Hieronymus loquitur, dies vel bonos, vel malos efficiunt, & quin conqueramur, quod prima illa tempora nostris hisce meliora fuere, de nobismetipsis queramur, quod non æquè boni sumus ac illi, qui primis illis temporibus enituerunt. Neque putetis me isthic nostri hujus sæculi causam tueri velle; nimis, heu! nimis verum est nihil fere præter nomen primorum Fidelium superesse. Fidei eorum successores sumus, sed ut ita dicam, disciplinæ eorum [illegible]us desertores. Virtus sub iniquitatis, ac relaxationis sæculorum pondere gemit. Mille, ac sexcenti post JESUM CHRISTUM elapsi sunt anni tamquam totidem gradus, per quos descendimus, ut a perfectione recedamus. *Flechier, Panegyrico S. Francisci Salesii.*

Sancti moveri fervoris.

Cum anima a Deo penitus possidetur, quodcumque pro illius gloria operetur, numquam tamen sui compos est voti, semper majora facere, semperque graviora pati desiderat, ac nullos desideriis suis fines constituit; in eorum immensitate confunditur, videns adhuc infinita adesse, quæ pro Deo fieri quidem possent, quæ tamen ipsa facere nequit. Ita mundi Salvator licet pro Patris sui gloria tanta fuisset operatus, & passus, hæc tamen omnia parvum quid, aut nihilum esse existimabat, ubi cum iis, quæ Deus ipse meretur, conferrentur r & Martyres pleni æstimationis, atque admirationis Divinæ Majestatis, explere non poterant sua Deum adeo magnum, atque amabilem glorificandi desideria. Ita quoque erant affecti sanctissimi Heroes illi, qui passionibus, & laboribus saturari non poterant. *Auctor recens.*

Funestus tepiditatis status.

Utinam frigidus, aut calidus esset, Salvator inquit Episcopo Leodicææ, *sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* Tepiditatis status infelicissimus sane dicendus est, quandoquidem præponendus videtur statui adeo funesto, qualis est status frigoris erga Deum. Magis amatur, vel timetur minus hostis apertus, quàm amicus vel infidelis, vel suspectus, & hic est caracter hominis tepidi coram Deo; quæ dispositio eò est calamitosior, quòd hominem, ut ita dicam, gravem efficit cordi Filii Dei, quod non nisi illum evomendo recreari potest. Heu! Si ex corde Salvatoris ejiciamur, & exulemus, ubinam erit perfugium nostrum? *P. Nepueu, primo Tomo Considerationum Christianarum.*

Numquam in Dei cultu debemus tepescere.

Cur in Dei cultu laxamini? Cur minori eum fervore eum hodie, quam heri colitis? Numquid Deus minus est magnus, bonus, amabilis hodie, quàm heri? Numquid minus est Creator, primum principium, finisque vester? JESUS CHRISTUS estne minus Redemptor, ac Salvator vester? Nonne iidem vobis cum eodem remanent nexus, eadem vincula, submissio eadem, eademque obligatio, qua uni illi penitus inservire tenemini? Num eadem vobis speranda sunt præmia, si eum fervore illi servieritis? Nonne eadem metuenda supplicia, hoc nisi præstiteritis? Numquid minus ille suam vobis comminatur maledictionem, si oscitanter, ac negligenter eum colueritis? Quandoquidem nihil mutat Deus, quandoquidem eumdem se vobis semper præbet, vos cur immutamini? Hoc esse non potest, o Domine, nisi infirmitatis meæ meæque inconstantiæ naturalis effectus. Quinam infirmitatem meam confirmare, quis inconstantiam meam roborare potest, nisi tu illas confirmes, & robores? *Idem.*

Rationes propter quas fervor augeri potius debet, quam imminui.

Cur fervor vester remittitur? Quò magis provectiores estis ætate, eo propiùs ad mortem acceditis; quò diutius vixistis, eò brevius vitæ spatium superest vobis. Cum jugiter ad terminum vestrum cogamini accedere, quæ æternitas est; in via remoramini; jamjam parum vobis superest diei, ac plurimum itineris perficiendum; cur non properatis? Nonne periculo vosmet objicitis, ut noctis vos tenebræ apprehendant, quibus incumbentibus progredi ulterius non licet, nisi errore viarum decipi, ac in interitum abire vultis.... Quò propiùs ad centrum, terminumque suum corpora accedunt,

eò

eò vehementiùs feruntur: vos autem jamjam morti estis proximi, jamjam ad terminum vestrum pervenistis, & moramini, & cursum remittitis! *Idem*.

Teporis indicium.

Primus effectus, primumque teporis indicium magna est facilitas, qua pietatis exercitia omittuntur. Minimum quodlibet impedimentum, leve negotiolum, nugæ ipsæ, & quilibet prætextus satis valida est animæ tepidæ causa, propter quam secum ab illis dispenset. Apud illam Deus, & omnia quæ ad illum spectant officia ultimum tenent locum; tunc illis perfungitur, cum fert ingenium, vel cum aliud faciendum non est. At anima fervens, cum potiorem spiritus, & cordis ejus partem occupet Deus, ante cætera pietatis officia adimplere studet; cumque ab illis recedendum est, validissimæ quævis rationes nullius momenti videntur, neque relinquit unquam Deum, nisi propter Deum. *Idem Tomo* 2.

Magnitudo Domini cui famulamur, exigit, ut cum fervore ei famulemur.

Estote ferventes (Apostolus inquit,) Domino quippe servitis. Quodcumque conemini, Sapiens ait, ut Deum colatis, & glorificetis, numquam illius merita exæquabitis. Si fervoris magnitudo ex Domini, quem colimus, magnitudine æstimanda est, quonam ardore Deus est a nobis colendus? Magnus in se ipso est, magnus habita ratione nostrum, magnus natura, magnus potestate, magnus in operibus, magnus in omnibus, & nihil magnum est, præter ipsum: *Tu solus Altissimus* .... Eo igitur colendus fervore Deus est, qui non illius magnitudinem, meritumque deceat, hoc enim fieri non potest; sed qui par saltem sit viribus nostris. At heu! quid facere possumus? Licet omnes industriæ nervos intendissemus, cum veritate, atque verecundia dicere possemus, nos inutiles servos... Principibus viris obsequimur, gloriæ nobis vertimus nostram servitutem, illis enixiùs morem gerere studemus, metuimus, ne quid in nobis illis displiceat, eorum explotamus voluntatem, ut prævertamus, alacriter, hilariterque omnia eorum jussa facimus, eorum sensibus adhæremus, ipsos etiam eorum defectus admiramur, laudibusque celebramus, omnia illis bona, requiem, valetudinem, voluptates &c. devovemus. At quidnam sunt homines isti, si cum Deo conferantur? Attamen his quidem admirabili fervore obsequimur; pro Deo verò nihil admittimur. Tu, Deus, unus cum ardore colendus es, ac tu unus ferme contemneris. *Idem Tomo* 1.

Officia nostra sine fervore adimplere nô possumus.

Magnitudo obligationum, quas nobis injecit Dominus, cui famulamur, & magnitudo eorum, quæ nos ipsi recepimus, exigunt, ut illi magno cum fervore serviamus, sine quo illis nullo modo satisfacere possumus. *Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum*, dicit Dominus, *Estote perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est*, dicit JESUS CHRISTUS. Quænam obligationes! Easne adimplere possumus, ni fervor adsit? Quatenus christiani mundum, & nosmetipsos abnegare tenemur, sequi JESUM CHRISTUM, crucem post ipsum ferre, arctam ingredi viam, nobismet jugiter vim facere, inimicos nostros diligere, gravissimas etiam injurias remittere, ac paratos esse ut bonorum potius, honoris, ac vitæ jacturam subeamus, quàm Deum lethali noxa lacessere: quæ omnia officia ita ad Fidelem pertinent, ut illa evitare nulla ratione possit; his autem perfungi rite possum, non dicam sine fervore, verum sine insigni, vehementique fervore? Quomodo vero fervor hic conciliari potest cum tanta ignavia, ac torpore, quæ mihi est? *Idem*.

Levit. 13.
Matth. 5.

Anima tepida jure dubitare potest utrum sit in gratia.

Qui cunctanter suis officiis perfungitur, hic jure dubitat, utrum in gratia sit. Quid hoc terribilius? Statim ac gratia in anima est, Spiritus Sanctus ibi veluti in templo suo residet; at quis credat Spiritum Sanctum in anima tepida inveniri? Spiritus Sanctus purus est spiritus, ardens, vehemens; anima verò tepida materialis est, sensibus obnoxia, frigida, iners. Quomodo purus hic spiritus quiescere potest in anima prorsus materiali? Hoc fieri minime posse idem Spiritus Sanctus testatur. Quomodo enim spiritus ita ardens permanere posset in spiritu algenti? Quomodo spiritus ita vehemens conciliari posset cum tanta ignavia? Quod si dubitandi locus est, utrum Spiritus Sanctus adsit in anima inerti; nonne dubitandum jure est, utrum anima tepida sit in gratia, qua veluti nodo quodam Spiritus Sanctus cum anima unitur? *Idem*.

Tenemur ex gratitudine Deum ferventer amare.

Dei Filius nos ardenter dilexit; nihil prætermisit, nulli pepercit sumptui, ut amoris sui fervorem testatissimum nobis relinqueret. Quid enim ad hoc ille non egit a primo ad novissimum usque suæ vitæ momentum? Nostræ tantum saluti studuit, de nobis tantum locutus est, pro nobis operatus, & passus est. Quid ille non pertulit, ut amoris sui magnitudinem intelligeremus? Saluti nostræ omnia posteriora habuit bona, requiem, voluptatem, gloriam, vitam. Eam etiam minori sumptu nobis comparare poterat; unica sanguinis gutta, unica sufficiebat lacrymula! verùm amoris sui excessus non satis enituisset: Nihil non summis stetit laboribus Salvatori, ubi amorem suum nobis testatum facere voluit. Nobis verò omnia nimia videntur laboribus præpedita, ubi aliquid pro ipso facturi, passurive sumus; proh summum ignaviæ dedecus! *Idem Tomo* 4.

Præmii cogitatio ad ferventiùs agendum nos debet impellere.

Ullane res magis in nobis fervorem debet accendere, atque impellere ad bonum quodcumque pro viribus suscipiendum, quàm cogitare, ne unum quidem præterire momentum, quo æternam felicitatem nobis comparare possimus; nec unum quidem bonum opus fieri, quod peculiarem gloriæ æternæ gradum non mereatur? Quæ res nos magis inflammare debet ad omnia opera nostra bona efficienda, ad omnia pietatis exercitia cum fervore obeunda, quam animo reputare, in cœlis beatitudinem nostram majorem futuram pro magnitudine fervoris, quo his ipsis officiis defuncti fuerimus? Cum cogitamus gloriæ nostræ in cœlis magnitudinem futuram congruam gradui amoris, quo in ipso mortis articulo Deum prosecuti fuerimus; possumusne non animari fervore admirabili, atque desiderio singulis momentis in Dei amore crescendi? *Idem*.

Sine fervore sensim de primo statu decidimus.

Tanta est hominis infirmitas, ut diu in eodem statu nequeat subsistere, atque retrogrediatur, nisi semper procedat. Attamen in iis etiam locis, in quos ab hominum consuetudine, ut perfectioni vacent, confugere solent mortales, nihil vulgatius est quàm videre novitios provectioribus ferventiores, ac sæpe etiam perfectiores; & eos, qui antea in via virtutis ingenti ferebantur sollicitudine; ita sensim tepescere, ut paulatim in gravissima quælibet flagitia elabantur. Unde colligere est, non aliam tutiorem suppetere viam, ut in Dei amore persistas, quàm semper vitæ fervorem servare. Fervorem, qui nos inflammare debet ad fovendam bonis operibus eam charitatem, quam in corda nostra Spiritus Sanctus effudit, & ad nos quotidie magis magisque in statu nostro perficiendos; perfectus quippe amor numquam in cursu subsistit, nec quiescere eum sinit, quem semel jaculis suis confoderit. *Abbas de Monmorel, Sermone in Evangelium 17. post Pentecosten*.

De fervore eorum, qui Religionem ingrediuntur.

Antequam Israelitæ Promissam terram ingrederentur, hanc unam votis omnibus concupiscebant; statim verò ac illam ingressi sunt, contempserunt eam: *Pro nihilo habuerunt terram desiderabilem*. Nullus fervor similis est illi, quo adolescentulus sese Deo devovet, & Religionis sacris initiatur. Nullam hac magis æstuantem curam invenetis; totam domum ædificat; de illius fervore tantum verba fiunt. Attamen nisi diligentissimè primum hunc vocationis suæ spiritum ille tueatur jugi virtutum exercitatione; devotio hæc non diu vigebit, mundi spiritus subinde redit, & claustra, quæ testes fuere ejusdem consolationis, atque lætitiæ, testes fiunt ejusdem mœroris, atque tristitiæ. Non

satis

satis est semel se Dei cultui dicasse; sæpe hæc consecratio, & servor est iterandus. *Ex sermonibus Christianis. Sermone de Sanctitate status Religiosi.*

Contra acediam, & ignaviam fervori oppositam.

Ut Deo placeamus, quotidie magia in virtutis via progrediendum est, semper est incedendum, semper adlaborandum, semper præliandum; *Nemo enim mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei*. Sed præterea semper vigilandum est, ne deprehendamur; semper resistendum est, ut nos defendamus; semper obnitendum, ne inimicorum conatibus superemur. Huic autem rei opponitor acedia, quæ est quædam mentis, & cordis stupiditas, qua fit, ut homo neque velit bonum facere quod potest, neque malum evitare, quod debet, ignaro metu deterritus, ne aliquem ibi laborem, crucemve aliqoam nanciscatur... Hæc ignavia menti offundit caliginem, hebetat animum, avertit voluntatem, aggravat corpus, omnem virtuti agenti vim aufert, ut neque bonum, quod ipsa illis inspirat, facere possunt, nec malo, quod ipsos depravat, resistere. *Auctor Anonymus.*

Similitudo acediæ, ac teporis.

Acediæ vitium oppositum est fervori, sed aliquid amplius, quàm tepotem significat; etenim absolutum est frigus, & quemadmodum frigus obstupefacit corpora eaque indurat, & aggravat, naturalem calorem restringit, eisque omnium membrorum motum aufert; acediæ frigus hoc ipsum præter propter efficit, sed modo longe funestiori in animabus; ibi enim omnino divinum charitatis ignem extinguit, cujus veluti flamma fervor est, atque hoc extincto illas ita hebetat, ut nullo vel divinarum rerum, vel salutis suæ sensu afficiantur.

Malum, quod tepor, & languor gignunt.

Tepor æquè inter illos, qui inter claustra vivunt, ac inter eos, qui in mundo sunt, invenitur; ac per hunc assequitur dæmon, ut sanctissimorum operum merita amittamus. Statim ac languorem, atque sanctarum rerum nauseam parit, ita ut frigidè, atque oscitanter ea obeamus munera, quæ cum zelo, ac fervore essent obeunda; quidquid fit, omni fructu vacuum est; & non solum nihil Deo jucundum facimus, verum etiam

Jer. c. 48.

nobis divinam maledictionem constituimus: *Maledictus, qui facit opus Dei negligenter*. Et si quid est, quod status hujus horrorem nobis ciere possit, sanè est cogitare, quod JESUS CHRISTUS profitetur, se ex corde suo tepidas animas evomere. *Quia tepidus es &c. Abbas Trappensis, Collatione pro prima post Epiphaniam Dominica.*

De fervore indiscreto.

Animum ne umquam advertistis quo usque imprudens quorumdam fervor evadat, qui omni carent regimine, atque consilio? Hic eò tendit, ut omnia in præceps illi dent, quia præcocem illis maturitatem conferre festinant. Ingens hæc sollicitudo, qua deperire videntur, quidquid pium est, efficit, ut votorum suorum fervore ad illud pervolent, & velint factum, quidquid conceperunt, vel faciendum susceperunt; quamobrem eorum actio semper est præceps, & quidquid faciunt, fructus est abortivus. Hinc semper inquieti sunt, ac sexcentis torquentur motibus, ut plurimum inutilibus; saltem nihil ad unguem perficiunt. Nonne hoc vitium est fervoris omnia festinatione sua corrumpentis, ac celeriùs, quàm velit Deus, currere cogitantis? Propiùs ferventes isti spiritua considerentur, inveniemus illos quidem temere multa suscipere, quæ sæpe ita recto sensui opponuntur, ut nonnumquam & scandalum afferant. Dici profectò potest, qui aliquod pietatis opus hujus viæ hominibus commiserit, illud perdere, ac periculum subire omnia corrumpendi. Ita fervor imprudens, qui cuncta studet efficere, ut plurimum parum facit, idque etiam perperam. *P. Guillorè in illusionibus de Fervore.*

Fervor indiscretus singularitatem ingerit.

Nonne singularitatis quædam affectantur nonnumquam, itaut majus aliquando scandalum afferat, qui plura, quàm alii facere velit, quàm qui ab iis, quæ faciunt alii, secum dispensat? Huc enim ut plurimum fervor imprudens tendit; non satis esse putat communem sequi viam, semper ulterius aliquid conatur, quod facienti laudem, atque existimationem conciliet. Si omnia singularitas publicum est scandalum, ac rerum Communitatum virus, probantne possunt fervores illi, qui nos impellunt, ut in omnibus pietatis exercitiis plura, quàm alii efficiamus? Vultisne scire quænam non minus laudabilis quàm tuta via sit? Ea sane est, quæ quin unquam excidat, constanter sequitur ordinem in Communitate constitutum. Certissimè enim fervor requiritur non communis, ut nihil de illius ardore imminuatur, tamdiu & semper æquabili ratione omnia efficiendo, quin ulla relaxatio contingat; & in hac propriè constanti uniformitate generosus fervor elucet, non autem ubi singularitate quapiam aliorum in se oculos convertere studet. *Idem.*

Religiosus sine fervore contentus esse nequit.

Cum regula æquè pro tepidis sit ac pro ferventibus, sine unctione jugum ferendum est, quod quotidie magis intolerabile evadit, & quin fortium pane nutriamur, cum fortibus usque ad montem Domini nobis est conscendendum. Hinc nausea, tædium, vitæ regularis horror; hinc secreta desperatio futurum ut numquam status nostri perfectionem adipiscamur; ac parum abest quominus infidelium Israelitarum exemplo, qui in deserto, quo illos deduxerat Deus, Ægypti desiderio tenebantur, cum dolore ea rursus optemur, quæ relicta fuerant cum voluptate. *P. Cheminais de Fervore.*

Fervoris indicia.

Cum homo in Religionis exercitiis a se numquam dissentit; cum viva fides, ac recta pietas non sinunt videri mutuas, turpesque illas devotionis, ac licentiæ vices; cum talis est secretò, & cum familiarissimis suis, qualis palam, & cum omnibus; cum nullam ob rem vel vivendi, vel loquendi rationem immutat, ac Deo servit non solum cum pietas illum ad optatos fines adducit, verum etiam cum inde illum videtur avellere, ejusque negotia perturbat, tunc audacter affirma, hominem hunc metuere Deum, pietatem illius esse ferventem quandoquidem iis in occasionibus viget, ubi sibi mentiri consuevit iniquitas. *Auctor Anonymus.*

Jugum Filii est ferventibus leve.

Frustra ignaviæ nostræ, virtutis, earumque rerum, quæ Deus petit, difficultatem præteximus; qui enim ipsa veritas est, fatetur jugum suum suave esse, & si crucis pondus grave est, fervore hoc onus leve fieri; si enim pro Deo ullam nobismet ipsis vim adhibere debemus, unctio, quam cum gratia sua effundit in corda nostra, gravissimos quoslibet labores nobis efficit perjucundos. Nonne Christiano turpe est, mundi sectatores plura facere, ac pati, ut mundo satisfaciant, ac se ipsos perdant, quàm nos, ut placeamus Deo, & saluti nostræ consulamus? Quid autem? nos ipsi nonne usque in diem hanc, & inordinatis affectibus nostris obsequeremur, plura præstitimus, quàm quæ petuntur ex nobis, ut munere nostro perfungamur? Tandem verò, o Deus, fervor deesse nobis potest cogitantibus nos pro te laborare, & quidquid in hac vita facimus, vel patimur hoc intuitu, æternam nobis felicitatem promereri? *Pater Nepueu, Tomo 2.*

Charitas agere, & ardere debet, ut ignis. Cant. 8.

Charitas, quæ effusa est in cordibus nostris per legem gratiæ, otiosa esse non debet. Hic est ignis ardens e centro suo ablatus: *lampades ignis, atque flammarum*. Quemadmodum ignis extra sphæram suam nullam habet requiem, eumque semper in motu conspicimus; ita & hic ignis supernaturalis, atque divinus in terris accensus, & quodammodo a Deo remotus in tenebris fidei, semper agere debet, semper agitari, inquietum esse, ac festinantem, nullamque alicui requiem invenire. *Ex Auctore Christianarum actionum, De Acedia.*

Fervor charitatem agere facit.

Charitas semper operatur; nemo eam remorari potest, nemo illius fervori fines statuere. *Charitas operatur multa*, Sanctus Thomas addit, &

repu-

reputat pauca: Operatur magna, & reputat parva. Diu laborat, laboremque suum brevem esse sibi persuadet; hos illi sensus fervor immittit. *Idem.*

Oppositio fervoris, ac teporis.

Si nos charitas animat, Sanctus Chrysostomus ait, ignavia ac tepor exanimat. Si fervor omnia Religionis officia facilia nobis efficit, tepiditas eorum nobis auget impedimenta; si charitas viam virtutis sternit, tepiditas eam nobis arduam, ac salebris, sentibusque præpeditam repræsentat. Si charitatis fervor fuit ut in via mandatorum Domini curramus; tepiditas prohibet, ne in illa ambulemus. Si charitas facit, ut in Dei cultu dulcedine quadam perfundamur, acedia, atque tepiditas facit, ut illius tædio afficiamur. *Idem.*

Solus fervoris defectus in cultu Dei afficit, ut abjiciat nos Deus.

Videmus in Evangelio virgines ex statu suo venerabiles, cum Agnum secutæ fuissent, a cœlesti Sponso non agnosci, reprobari, ac fatuas nuncupari. Cur autem? Oleum sibi comparare non curarunt. Non redarguuntur quasi infideles extiterint, atque adulteraverint; hoc unum animadvertitur, oleum lampadibus earum defuisse; hoc est, ut Patres explicant, in cordibus earum non fuisse illum charitatis fervorem, qui sacrum ignem fovet, qui semper ardere debet in ara Viventis Dei; quod huic summopere non displicere non potest. Non vertitur illis vitio, quod maledicæ fuerint, invidæ, furentes, superbæ, obdormiisse tantum dicuntur, hoc est tepidæ fuisse, atque languentes in cultu Dei; neque aliud requiritur, ut illius contemptus, & indignatio compleatur. *Idem.*

Quid in Apocalypsi tepidis dicatur.

Scribe Angelo Laodicææ: hoc dicit ille, qui ipsa veritas est; novi, quæ sint opera tua, nec frigidus nec calidus es; & utinam horum alterutet esses. Si haberes in te charitatis fervorem, quàm felix esses! quænam tibi congereres merita! quibus præmiis te dignum præberes? Sin autem frigus infidelitatis haberes, minus adhuc esset malum tuum, seu propter peccata, quæ in infideli, quam in Christiano sunt magis excusabilia, seu propter assertas hasce virtutes tuas, propter quas intumescis, atque superbis; sed quemadmodum post susceptam fidem tepiditas sua prohibet, ne ejusdem actus elicias, cumque insigni errore deceptus credas satis esse devotionem præferre, quin fervorem habeas, sentio stomachum nauseantem; mihi factus es tamquam cibus incoctus; neque frigidus, neque calidus es, tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo, *Idem.*

Fideli, qui tepidam duxerit vitam, in morte erit timendum.

Vitæ cum tepore in Dei cultu anteactæ memoria potestne in mortis articulo confidentiæ sensus immittere? Quo animo eo temporis momento, a quo pendet æternitas, esse fidelis potest, serio considerans minimam gratiarum, quæ contemptæ fuerunt, satis esse potuisse, ut Ethnicus converteretur, simulque omnes neque perfectum Religiosum, neque ferventem Christifidelem effecisse? Quam multiplex criminum species, quæ non antea fuerant considerata, vel quæ ob animi ægritudinem, atque teporem levia censebantur, & quæ tunc morituris gravia videntur? Quam solatii causam invenire tunc potest Religiosus imperfectus? Numquid in cogitatione regularum, quibus male paruit? Numquid in clientela sanctorum Ordinis sui, quem mala vivendi ratione dedecore affecit? Numquid in ipso Deo, quem post tot accepta beneficia male coluit? *Pater Croiset, Tomo 1. Recessus Spiritualis.*

Tepidi non sentiunt ferventium consolationes.

Sollicitudo, zelus, desideria Magdalenæ Dominum cogerunt, ut illam consolaretur; illa hunc ex voce cognovit. Proh Deus! quinam fuere beato illo temporis momento amoris impetus, & observantiæ, ac grati animi sensus in hac sancta muliere? Nihil tale experitur, qui in Dei cultu tepidus est, quia parum amatur, neque satis æstimari potest utrum ametur. Vellemus Deo servire; hoc est, Deo nequaquam servimus; sed vellemus, si vellet Deus cor divisum excipere, si vellet Deus ex ingenii nostri libidine servitutem sibi præstari, non autem ut ipse meretur; vellemus perfectionem assequi, at ea, quæ nobis arridet, via; vellemus ducem sequi humanam prudentiam, at quasi nostris tantum viribus esset confidendum, ad minimam quamlibet difficultatem animos despondemus. Sterilia desideria, inepta Deo serviendi consilia, quæ animæ in illius tepiditate soporem inducunt... Centies, Domine, viam ingredi volui, ut te sequerer, ac centies substiti inanibus difficultatibus, vanisque obicibus deterritus; sed ignavia, ac exigua fides mea auxerunt meam infirmitatem. *Idem.*

Cum primis gratiæ motibus agimur, allicimur virtutis specie, ac voluptate, quam in muneribus nostris obeundis experimur: & corde sese effundente in eas dulcedines, quas elargitur Deus, admirabile experientia tanti hujus boni correpti in ea erumpimus verba: *Bonum est nos hic esse*: Quàm dulce est servire Deo, placere Deo, semet propter Deum vincere! In hoc suaviter occupamur, ac idea sola, quæ suppetit nobis ejus boni, tantum nobis ardorem immittit, ut credamus nos satis digne operaturos esse: at felix hic status ullone naturali desiderio perturbatur? Aliquid conandum est, ut amabilem hanc animi dispositionem tueamur, consiliorum omnium, quæ suscepimus, obliviscimur, atque secreto sentimus ad aliud quodvis impelli, quàm ad ea quæ nobismetipsis proposuimus, explenda; attamen non illis, dicit ipsius Veritatis Oraculum, non illis, qui dicunt Domine, Domine, supremam illius majestatem veneraturi, gloriæ præmium tribuendum est, sed illis, qui ea omnia studiosè consectantes, quæ eidem placitura sunt, rebus in omnibus Patris cœlestis voluntatem explebunt. *Sermo Manuscriptus.* Matth. 17.

In ea Apocalypsis verba, quæ Episcopus quidam redarguitur, eo quod aliquid ex primo fervore remiserat. *Apoc. 2. Ibidem.*

Episcopus illi similis, cui hæc Apocalypsis verba dicuntur: *Habeo adversum te, quod charitatem tuam primam reliquisti.* Vir qui tot præclara opera ediderat: *Scio opera tua*, qui tot labores pertulerat, *& laborem*, cujus constantiam in perferendo pro Divini nominis gloria, quin unquam animos desponderet, omnes fuerant admirati: *& sustinuisti propter nomen meum, & non defecisti:* Cujus insignis erat prudentia in dignoscendis iis, qui se dicebant Apostolos, ab iis, qui vere Apostoli erant: *tentasti eos, qui se dicunt Apostolos esse, & non sunt*; & fervens zelus in impiis exterminandis; *quia non potes sustinere malos*: Episcopus, inquam, huic similis, qui deinceps aliquid ex prima charitate remisit, videbaturne subiturus omne pondus iræ Dei ira, ut acerbissimas hasce redargutiones mereretur? Opus erat meminisse, ex quo excidisset statu: *Memento unde excideris*; hortari, ut ageret pœnitentiam, *age pœnitentiam*, ac primorum operum exercitationem susciperet: *Prima opera fac*. Opusne erat illi minas intentare, ac dicere, nisi id fecisset, se quamprimum venturum ad illum, eique præparatam jam coronam ablaturum? *Sin autem, venio ad te, & movebo candelabrum tuum*. Meum non est Dei mentem scrutari, atque eas rationes excutere, propter quas tanta cum severitate in hunc Episcopum animadvertit. Verùm si relaxatio fervoris, quo Deum antea coluerat, gravissimas has prometuit objurgationes: quibus verbis nos aliquando corripiet, si recessimus a felici fervoris statu, in quo olim eramus? *Idem.*

Dolor, quo affici debemus, eo quod prior pietatis fervor intepuit.

Quonam abierunt tot præclari sensus, quos olim fovebam? Promiseram olim me summa officii fide omnia adimpleturum munera, ac sanctiorem, melioremque vitam ducturum; adeo vanitatum hujus mundi tædio eram affectus. Quò autem hæc abiit pietas? Ubi est fervor ille, quo primis conversionis meæ annis flagrabam? Gustabam Deum; levissimum quodlibet scelus perhorrescebam; terribiles Religionis nostræ veritates mihi metum incutiebant; hodie verò me minime tangunt; verum numquid hodie minus terribiles sunt? Peccatum numquid minus malum est? Deus hic, qui in singulos dies recentibus nos cumulat bonis, est minus amabilis? mereturne, ut minus fideliter sibi serviatur? Ubi ea pax, ea interior voluptas, quæ

in

in pietatis exercitiis perfundebar? Quinam est eorum, quæ toties bene a me proposita fuerunt, effectus? Ubi fructus promissionum mearum? Hau! fortasse ex his omnibus nihil mihi reliqnum est, quam tristis memoria, quæ solùm prodesse potest, ut intelligam, quàm longe ab eo recesserim statu, in quo esse deberem, & quàm terribilem rationem redditurus sum Deo ob tot gratias, quibus abusus sum, ob tot talenta, quæ inutilia otiari sum passus, ob tantum temporis spatium, quod perdidi? Illud verò uberiores elicere debet lacrymas, quod cum decem, ac viginti annos in via Domini ambulaverim, fortasse erit occasio primorum temporum pietatem optandi, ac me beatum vocandi, si tunc eo, quo olim, fervore accensus essem, cum stadium currere tantum incipiebam. *P. Croiset. Tomo primo Recessus Spiritualis.*

Modicum in Dei cultu fervorem nos habere ostenditur. Quænam nos urget sollicitudo, ut in terrenis negotiis optatum finem assequamur, ut susceptum munus cum laude perficiamus, ut Principis gratiam aucupemur? at eadem ne sollicitudine urgemur, ut Deum colamus? Quoties servi Dei qualitas cedit qualitati hominis, vel toga sit clarus, vel sago? Quoties mundi hujus placita efficiunt, ut Christiani hominis negligantur officia? Quilibet sua habet consilia, quilibet fines suos: dicendum ast sanè exiguo in pretio haberi tanti Regis gratiam, quandoquidem tanta cum ignavia eidem servitur. *Idem.*

Tepor causa est quod in perfectionis via non progredimur. Quam celeriter ad perfectionem anima fervens festinat? Amor Creatarum rerum nos solummodo fatigat, aggravat, detinet. Toto vitæ spatio in via perfectionis repimus, & elanguescimus, ac mirabitur quispiam si nimis serò pervenimus, si quotidie novis laboribus objicimur? Æterna hæc auditur querela, nullos progressus fieri; & bone Deus, quos conatus exerimus, ut progrediamur? Quænam est sollicitudo nostra? quæ sunt constantiæ nostræ argumenta? Sexcentæ commentitiæ nos morantur difficultates, sexcenta phantasmata animum auferunt; timemus aliquem nobis quotidie inimicum esse vincendum, aliquod onus grave gerendum, aliquem novum obicem superandum; plurimi etiam non audent viam suscipere, vetiti, ne quando vestigia sua relegere teneantur. Vide Magdalenam generosæ animæ, & cordis divino amore succensi verum exemplar. Quænam sancta impatientia non ciet in illa desiderium JESUM CHRISTUM post resurrectionem videndi? Numquid illa deliberat, utrum viam ingredi debeat aum quæsitura? Credit ne illa ut pleræque animæ tepidæ, se illum semper satis citò inventuram? Tota requirebatur Legis auctoritas ad moderandum ardorem illius; reverentia, qua Sabbathi diem colebat, illius festinantem zelum inhibuit; ita tamen ut mora votorum ardorem magis, magisque succenderet. *Idem.*

Fervoris bona. Cœli via numquam nimis arcta invenitur, cum gratia cor ipsum dilatat; numquam Dei lex nimis dura videtur, cum Dominus unctione secreta jugum suum leve efficit, & jucundum. Qua dulcedine perfunditur anima in fervoribus suis! quænam est illius in pietate perseverantia! quàm immutabilis tranquillitas! quænam lacrymæ suaviores, quàm quæ ad Crucifixi pedes effunduntur, ubi purior, ac jucundior voluptas quàm in exquisitissimis mundi conviviis percipitur. In omnibus pietatis exercitiis regula servatur, Religionis difficillima quælibet officia nullo stant impendio, nihil tam arduum est, quod propter Deum magno animo non suscipiatur. Comes, humiles, suaves, pii, officiosi, omnia sumus, cum sumus ferventes; ubi veritates fidei nostræ altè nobis animo insederunt, nonnisi in devotionis exereitationibus veram nanciscimur lætitiam, inanes sæculi nugas fastidimus, profana, ineptaque solatia, quæ mundi sectatores tanta sollicitudine inquirunt, contemnimus. *P. Croiset, Tomo 2. Considerationum Spiritualium.*

Religioso tepido primus fervor est repetendus. Quæ olim promisimus, repetamus, ut primus in nobis fervor reviviscat. Quæ fuit nobis lætitia, cum repente nosmet, tamquam Loth, de prophana regione in terram sanctam translatos conspicimus? Tunc cognovimus mundum hunc non aliud esse, quàm figuram, & figuram prætereuntem; quidquid ibi allicere potest, quidquid magnum est, oculis nostris evanuit, ac sancta impatientia cum eodem omnino sœdus perstigendi correptis nimis diuturnus probationis annus videbatur. Difficultates tunc nobis evanescebant; quidquid molestum erat, facile videbatur, ac satis erat sermonem de mortificationibus accidere, ut illas amplecteremur. Quonam egregii sensus illi abierunt? Numqnid Religio spiritum immutavit, vel nos immutavimus? O parum constantes Galatæ, quis vos fascinavit, ac in errorem induxit, ut veritati rebelles fieretis? Adeo bene currebatis, quisnam currentes remorari potuit? Num mundus? At nonne illum abdicastis? Num occasio? at illamne requirere debebatis? Numquid infirmitas? at nonne satis vos confirmabat gratia? Estisne, dicam etenim, adeo ab omni sensu alieni, ut cum spiritu incœperitis, in carnem desinatis? *O insensati Galatæ. Auctor Actionum Christianarum, de Renovatione votorum.* *Ad Gal. 3.*

Malum Religiosi tepidi. Fervet, ac pietas priorum annorum optatur; quò igitur evaserunt omnia illa spiritualia subsidia, omnes abundantes gratiæ, quarum diligens ratio vobis erit reddenda? Quinam fructus tot Communionum, Missarumque, vel celebratarum, vel auditarum? Si autem adeo valida auxilia inutilia fuerunt, quid futurum est? Quid! frequentes preces, bona opera, quæ omne tempus occuparunt; Regulæ, statusque suscepti austeritates; spiritus submissio, perpetua obedientia, cujus minimis etiam actibus sexcenta cœlestia munera mundi hujus homines promeruissent; hæc igitur omnia facta sunt Religioso viro inutilia, qui satis se meliorem nequaquam evasisse cognoscit, quia frigidè officiis suis perfunctus est, neque adnisus est, ut in virtutis via progrederetur. Quod si tantum adlaboravit, quantum alii, hoc est oscitanter, sine fervore, sine perfectionis desiderio, ideoque sine merito, & fructu; nomine tenus, ac tunica Religiosus est, sed ignavus, & iners. Quid autem respondere poterit Domino austero, ex servis suis rationem reposcenti talentorum, quæ tradidit illis; ac severè in eum animadvertenti, qui ex credito sibi talento nullum quæstum perceperit? *Pater Croiset, in Considerationibus Spiritualibus.*

Religiosus tepidus sub vitæ exitum se nullum adeptum utilis meritum invenies. *Viri divitiarum nihil invenerunt in manibus suis.* Undenam fit, ut qui uberem adeo terram, omniumque fructuum genere affluentem incolunt, egeant? Undenam fit, ut qui meritis, & sanctitate divites adeo videntur, sæpe inanes sibi manus esse conspiciant! *Dormierunt somnum suum.* Confidunt in status sui sanctitate, quin ejusdem officia ferventer obire adnitantur. Putant se omnia fecisse, ubi recentem contraxerunt plura præstandi obligationem. Omnem ferme vitam in sopore ducunt, qui somnus dici potest, sine ulla consideratione, sine attentione, ac vigilantia: sed quàm triste est tunc a somno excitari, cum agendi tempos non est! Religionem fervore, & constantia repleti ingrediuntur. Quæ sollicitudo, bone Deus, primis illis mensibus, quæ conscientiæ religio? Numquid Deus, cui tanta fide tunc famulabantur, meretur ut minori cum ardore post aliquot annos sibi serviatur? *Idem.*

Fervor non semper viget, eoque intepescente omnia fiunt intolerabilia. Putandum non est, fervorem æquè semper in corde servari posse. Hic calor est, qui ut sanctus sit, atque divinus, suos tamen, ut ita dicam, accessus habet, ac recessus, ac ut plurimum tepet potius, quàm ferveat. Cum hanc patitur imminutionem, cor, quod illam experitur, tanto sæpe afficitur tædio, ac languore, ut nulla sufficere possit experientia, nulla constantia, ac sapientia, ut subsistere valeat; statim namque in iis omnibus, quæ

quæ antea leviſſima videbantur, pondus invenit non ferendum. Si ergo Religioſus, qui hoc tepore, hac animi dejectione obrutus eſt, vi, ac lumina exerat, ut ſeipſum tueatur, & regat, certiſſime conſtat, ipſum non multo poſt regulas, ac munera ſua eo loco habiturum, quo antea minimè conſueverat. Tunc omnia illi accidunt moleſta, ac acerba; omnia eum lædunt, & vexant; omnia illi diſplicent, ac nauſeam creant. Cum cordis ſiccitas, atque ariditas omnem procul inde ſuavitatem, & ſolatium ejecerint, ad infelicem ſeſe redactum videt neceſſitatem vanis, alienaſque voluptates emendicandi. *Liber cui titulus: Entretiens de l'Abbe Jean, & du Pretre Eugene.*

Ferventiū exempla tepidos inflammare debent.

Hodie quoque inveniuntur homines in Dei cultu ferventes, qui operibus ſuis palam oſtendunt ſe mundum minime ſequi, niſi quatenus urbanitas, charitas, neceſſitas, & vitæ hujus commoda poſtulant, & illum, ſi olim ab ipſis amabatur, nunc non amplius amari; homines, qui ſomno minus concedunt temporis, quàm natura petat; qui, ut Sanctus Ambroſius inquit, omnibus profanis uſibus vitæ emoriuntur; qui denique, licet ad unguem omnia expleant ſtatus, ac religionis ſuæ munera, ſe tamen nihil ſatis pro Deo, ac ſalute ſua operari arbitrantur. Hi ſunt, quos vobis ad imitandum debetis proponere. Poſthæc nobis occinite, quod vivendo, quemadmodum vivitis, ſemipagani, ac ſemichriſtiani, modò ferventes, modò frigidi, modò procul ab Ægypto, modò murmurantes in deſerto, vos tandem per Domini miſericordiam promiſſa tellure perfruituros: hæc vos decipit confidentia. Quæ illuſio! *Ex Dictionario Morali, Tomo 5.*

Rationes, quæ Chriſtianos inflammare debent, ut Deo ferventer inſerviant.

Numquid fervor deeſſe poteſt cogitantibus vobis Deum eſſe colendum, animam ſervandam, terribiles hoſtes vincendos, graviſſimum judicium ſubeundum, infernum evitandum, & lucrandum Paradiſum? Quæ objecta! quæ fervoris cauſæ! Vobis colendus eſt Deus, eique ſatisfaciendum; ipſe plurima vobis largitus eſt, plurima a vobis exigit, num aliquid vobis prætermittendum, ut illi placeatis? Anima veſtra vobis ſervanda eſt; hoc magnum eſt, unicumque negotium; quid vobis intentatum relinquendum eſt, ut illam ſervetis? Vobis terribiles, vigileſque hoſtes ſunt expugnandi: nonne illi excidium veſtrum impenſiùs, quam vos ſalutem veſtram inquirunt? Cur ergo illi tanto ardore interitum veſtrum petunt, vos verò parum adeo ſolliciti, vel potius negligentes eſtis de ſalute veſtra? Judicium vobis metuendum eſt; proximum eſt, & ſeveriſſimum erit, ejuſque effectus maximè terribiles ſunt; numquid ulla, ut voſmet ad illud diſponatis diligentia nimia eſſe poteſt? Vobis infernus vitandus eſt; qualibet pœna, quantacumque illa ſit, levis vobis videri debet, ſi a tanto vos eripiat infortunio. Paradiſus vobis lucrandus eſt, labores omnes leves videri debent, qui ad tantum bonū aſſequendum impenduntur. *Pater Nepueu, Tomo 4. Chriſtianarum Conſiderationum.*

Senſus, doloreſque animæ tepidæ in ipſo mortis articulo.

Spiritus ſemper ex cordis infirmitatibus infirmatur, anima in Dei cultu ignava non pollet multo lumine; facile ſecum diſpenſat in minutis officiis, vita eſt veluti catena quædam, ac textura exiguorum criminum, quæ ſine ulla religione patrantur; ſed cum mortis inſtat hora, diſſipantur nubes, omiſſiones illæ non videntur amplius levia peccata, defectus non reputantur ultra tamquam ſimplices imperfectiones, eorumque gravitas non amplius infirmitatis verbo imminuitur. Quis dolor eò quòd tanta extiterit in Deo ſerviendo acedia? Hæc anima tepida tunc ſibi repræſentat ingentem confeſſionum numerum omni fructu carentium, ac inutilium communionum multitudinem; reſpicit hos virtutis actus mancos, & debiles, eò quòd illis ſemper comes aderat acedia, & languor, qui omnia bonorum operum merita abſumpſit, quis tunc mœror, quæ triſtitia? *P. Croiſet Tomo 2. Receſſus.*

Ejuſdem argumenti continuatio.

O Deus! Quàm gravis dolor, ne dicam, deſperatio ad Supremi Judicis tribunal accedere cum eo nomine, ac titulo, cujus nullum adimpletum fuerit officium, cujus munera omnia fuerint neglecta! Chriſtianus cum moribus prorſus Ethnicis; Religioſus cum ſtudiis prorſus ſæcularibus; doctor Legis, qui eam non ſervaverit; animarum director in perfectionis via, qui omni prorſus perfectione, & pietate caruerit; quomodo hi omnes ſub ſtadii finem, ac eo momento, a quo pendet æternitas, tanto dolore non obruentur? *Idem.*

Tepiditas in Religioſis omni fere caret medicina.

Si tantopere metuenda tepiditas eſt, quid de Religioſi hominis inconſtantia dicendum? Affirmare non vereor, perrarum eſſe, cum, qui ſeſe Deo Religioſa profeſſione, ac ſtatu devoverit, & qui ita infelix fuerit, ut habituali peccato Deum dereliquerit, in perfectionis viam iterum ingredi: etenim præterquamquod peccatum illius cum multò ſit majus, majorem etiam ingratitudinem continet, minus ille dignus eſt, cui Deus novas conferat gratias poſtquam prioribus, quibus fuerat cumulatus, abuſus eſt; docet experientia, Religioſum fere numquam ad Deum reverti ulla ex iis cauſis, quæ ſæpe efficiunt, ut ſæculi hujus homines peccati vincula infringant. Et profectò donec in mundo ſumus, modò bonus liber, quem fortuito legimus, ædificans ſermo, qui per occaſionem auditur, ſolemnis feſtivitas, quæ nobis in mentem revocat noſtræ Religionis myſteria, ſæpe ſomnum noſtrum excutiunt. Fortunæ mutatio, inopinata calamitas, ejus, cui unicè fidebamus, infidelitas, omnes amaritudines illæ, quibus Dominus per miſericordiam ſuam voluptates noſtras inſpergit, totidem rationes ſunt, quibus utitur Deus, ut nos ad ſe redire compellat; ſed religioſus, qui quotidie de Deo verba audit fieri, nulla re umquam movetur, &c. *Abbas de Monmorel. Sermone pro Dominica 4. poſt Pentecoſten.*

Anima tepida quodammodo pejus ſe habet, quam ſi lethalis peccati labe eſſet infecta.

Multum quidem metuendus eſt animæ ſtatus in mortali peccato; attamen ex ipſius JESU CHRISTI ſententia ſtatus tepiditatis quodammodo pejor eſt, quàm peccati. Utinam, inquit Angelus Apocalypſios, calidus, aut frigidus eſſes, ſed quoniam tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo, tamquam cibum fatuum, & nauſeantem, quem cor meum pati nequit, & quem evomere cogor. Quid autem! Filius Dei nequiſſimos etiam peccatores non perhorruit; omnes in corde ipſius veniæ ſuorum ſcelerum fontem inveniunt, & nihilominus Salvator hic tepidam animam perhorreſcit? Et anima tepida in JESU CHRISTI corde non invenit eum aditum, & eos amoris ſenſus, quos ſæpe ibi peccatores inveniunt? Licet homo graviſſimis addictus fuerit iniquitatibus, licet teterrima quævis peccata commiſerit, licet difficilis ſit ejuſdem converſio, ejus tamen ſalus non eſt deſperanda. Cum ipſe ſua norit crimina, facile eorum odio affici poteſt, ac ea deteſtari. Exhibeantur illi diſertè æternorum ſuppliciorum gravitas, atque diuturnitas; de morte, deque divinorum judiciorum ſeveritate ſermo apud illum inſtituatur; terribilium harum veritatum imago, quæ novitate ſua obſtupeſciunt, ac vi ſua concutiunt animam, quæ numquam fortaſſe ad ea adjecerat animum, parum animam tepidam movet. Hæc omnia, alioquin præſentiſſima pharmaca, illi ſunt inutilia: tepiditas lenta febris eſt, ut ita dicam, quæ in aliquod temporis ſpatium durat, ſed quæ tandem mortem producit. *P. Croiſet, Receſſus tomo ſecundo.*

Anima tepida ſua non cognoſcit peccata & quælibet remedia illi ſunt inutilia.

Cum peccata, quæ ab anima tepida perpetrantur, non ſint ex illis teterrimis graviſſimiſque peccatis, quæ conſcientiis, quantumvis modicè Religioſis, horrorem injiciunt; cumque ut plurimum interiora ſint, & etiam cum nonnullis bonis operibus externis conjuncta, facile fugiunt mentem illius, qui in tumultu verſatur, itaut mali ſui magnitudinem non intelligeos, minimum adlaboret, ut neceſſariam eidem afferat medicinam. Cæterum illi, qui in hoc ſtatu poſitus eſt, omnia ſunt inutilia:

inutilia: Preces, exhortationes, lectiones, meditationes, Sacramenta, nihil illi prosunt, seu quod exiguus fructus, quem inde hactenus hausit, illum fastidiat, seu quod his omnibus medicamentis assuetus, hæc nullum in ipso effectum obtineant. Centies verba fieri audiit de præcipuis Religionis nostræ veritatibus, at semper frustra: centies ille de iisdem apud alios verba fecit, at occaluit. Hæ veritates, quæ tantam ad movendos, & convertendos animos virtutem habent, nullam amplius, in ipsum vim possunt efficere. *Idem*.

Tepidus se non putat tepidum.

Ut ex periculoso statu emergamus, cognoscere opus est status ejusdem periculum, & nos in eodem versari; quod profectò anima tepida ignorat. Si peccator gravissimis abditus est flagitiis, non ita operosum est, ut periculum, in quo est, cognoscat; non desunt illi felicia momenta, quibus aliquo gratiæ radio coruscante tot animæ suæ deformitates agnoscit, ut malum suum, obortis ultro lacrymis defleat; & hæc adeo salutaris cognitio, & confessio conversionem illius minus difficilem præbent. Sed anima tepida numquam se tepidam putat; & dicere possumus, ex quo aliquis se tepidum novit, jam tepidum esse desinere. Sed in fervore tantum tepidæ vitæ mala deteguntur; & hoc adeo difficilem facit animæ tepidæ pœnitentiam: qua enim ratione persuadebis, eam in hoc statu reperiri, quandoquidem cæcitas primus est tepiditatis effectus? *Idem*.

Tepidi character.

Quemadmodum anima sensim tantummodo intepescit, ita paulatim cum vitio init familiaritatem; suis assuescit defectibus; nihil in hoc statu eam lædit, & nihil sibi cavet. Decidit in teporem, quin ne unum quidem ex suis pietatis exercitiis omittat, tepiditas semper ortum ducit ex imperfectionibus, quæ sensim in hæc irrepunt exercitia; ac inanis virtutis species realium defectuum sibi aufert intuitum; quod plurimum confert, ut hoc malum fere incurabile fiat. Visi sunt, Sanctus Bonaventura inquit, nequissimi peccatores ex suis emergere sceleribus, ac sinceram agere pœnitentiam; at anima tepida languorem suum abjicere fere numquam visa est. Quapropter Sanctus Bernardus ait, longe minus operosum esse hominem e sæculo licet nequissimum convertere, quàm religiosum tepidum ad pristinum fervorem revocare. *Idem*.

Angores animæ tepidæ in mortis articulo.

Quinam sunt animæ tepidæ angores paucis ante mortem momentis? Solæ exprobrationes, quibus illam redarguit Deus, & quibus seipsam objurgat, sunt præcox infernus. Cum veritatibus Religionis imbuta sit, immo aliquod temporis spatium in Dei cultu transegerit, in mentem primos revocat annos, quibus propter vitæ suæ integritatem in Dei cultu suavissima perfundebatur voluptate; sibimetipsi repræsentat dies illos fervoris, ac zeli, quibus omnes cœli viæ faciles sibi videbantur, & supernaturali illustrata lumine omnium creaturarum nihilum in tanta luce cognoscit. Quærit illa ex semet, cur in hoc statu felici non perseveraverit; & sciscitatur causam, cur fastidio fuerit affecta cultus Dei; & relaxationis suæ scrutatur originem, neque aliam nanciscitur, nisi pravam voluntatem suam, turpissimamque ignaviam. At quinam tunc sensus illius, quænam in semetipsam iracundia, ubi vitæ suæ flagitia considerat? Satis Deum noverat, ut judicare posset illum cor suum, suamque venerationem mereri; ei verò tanto cum tædio, ac ignavia obsecutam fuisse, ei ex dimidio tantum sui cultum præstitisse, quis dolor! quæ pœnitentia! *Idem*.

Quomodo Deus exprobrare potest Religiosum tepidum.

Inter tot fulgentia lumina, quæ te erudire debuerunt, oblita es, inquit Deus animæ religiosæ in tepiditate viventi, oblita es, inquam mihi alia de te fuisse consilia, cum te ad Religionem vocavi. Putabam fore ut grata ob honorem, quo a me afficiebaris, omne studium, operamque conferres, ut sanctitate vitæ gloriam meam inquireres; putabam fore ut non oblita patrum tuorum, eorum spiritu animata, eodemque zelo succensa in te ignem foveres, ac mox illum in alios effunderes, ut illos mea charitate inflammares. Hoc ex fide tua præstolabar; hoc mihi proposueram te ad Religionis statum accersens. Putabam fore ut tibi cordi esset gloria mea; cumque te evocassem, ut illam latius extenderem, a temet initium duceres, ferventem vitam agens, quæ aliorum charitatem excederet; similis illis, qui te præcesserunt, & quos tibi proposui in exemplum, pro me stare velles, sæcularium tepiditatem impugnares, ac ardoris tui flamma eorum fervorem succenderes. Sed a patrum tuorum virtute degenerans, quam cum illis similitudinem præfers! Hæccine ergo a gratitudine tua expectabam? *Hæccine reddis*? Hæccine rependis tot gratiis, quibus per me cumulata fuisti? Hoc remissum vitæ genus, quod ducis, essene debet fructus tot laborum, ac tot curarum effectus? Repete primum illud tempus, quo vivis illustrata luminibus, quorum beneficio mundum fugisti, atque fallaces ejusdem illecebras fefellisti, ut me sequereris: *Rememoramini pristinos dies*. Reminiscere, quid consilii ceperis futurum ut æterna fide mihi adhærens; Recordare primos illos fervoris annos, quibus cum parata esses, ut omnia pro me faceres, subiresque, nihil tibi arduum videbatur: memento votorum tuorum, quibus ad perfectionis acquisitionem vehementissimè anhelabas, quocumque tandem pretio fuisset acquirenda. Quam te a temetipsa diversam invenies, & quam ægrè quod es cum eo, quod fuisti conciliabis. *Sermo Manuscriptus*. *Ad Heb. 10.*

Tepidi hominis descriptio.

Sanctus Bernardus in imagine, quam ad vivum expressam reliquit, vitæ languentis, atque remissæ infinita propemodum enumerat mala, in quæ certissimè semper hic vitæ languor adducit. Quàm terribilis est status iste, inquit ille, & quàm horrida peccatorum in uno congeries? Inertia, quæ eget aculeo, ut ad currendum in via virtutis excitetur; pusillanimitas, quæ in virtutis exercitatione statim animos dejicit; acedia, quæ suave, ac leve Domini jugum amarum facit; infirmitas voluntaria, quæ statim fatigatur; insana mentis dissipatio, jugis effusio cordis, cogitationes terrenæ, conversatio tepida, inepta, nugatoria, languens, colloquia omni prorsus prudentia, & circumspectione carentia, preces sine attentione, lectiones sine consideratione, ac proficiendi cupiditate, secretum sibimet satisfaciendi, desiderium, quam inferni metus non amplius fere coercet; voluntas, quæ plura proponit, & nihil exequitur; valida in bonum propensio, quæ semper inutilis effecta est vel adspectu commentitiæ difficultatis, quæ admittitur ultro, ut aliqua relaxationis causa prætexi queat, vel affectu aliquo, qui excæcat, ac rapit; vel inconstantia, quæ distrahit, & dissipat, vel voluptate, quæ blanditur, vel fallaci illecebra, quæ seducit, & fallit, vel ignava quadam indulgentia, quæ dominatur, ac retinet. *Sermo Manuscriptus*.

Hæc mentis evagatio, quæ omnem tollit attentionem, qua nobismetipsis invigilare debemus; hic spiritus, qui parum obsequitur Deo, & creaturas tantopere consectantur; uti Deo vacuus, ita seipso plenus, qui rarò de Deo cogitat, qui rarò propter Deum operatur, qui mundum diligit, qui solitudinem fugit, qui orationis exercitium negligit, qui nullam fere sibi vim facit, qui in perfectionis suæ cura languescit, qui sacra se reficit communione sine fructu, qui peccata sua confitetur sine emendatione, qui pietatis exercitia persolvit sine spiritu, qui actiones omnes sine ordine, ac regula operatur. Hæc omnia, ac tot alia, quæ necessariò statum hunc consequuntur, nonne justissimæ causæ sunt, quæ Deum cogunt, ut tepidam animam rejiciat, & derelinquat? *Idem*.

Periculosus tepidorum status.

Quid sentiendum (Auditores charissimi) de imperfectis Christianis, qui cum propter speciosum hoc nomen cum spiritu fervoris operari teneantur, quemadmodum magnus Apostolus jubet,

sibi religioni minimè vertunt tepidè, vapidèque vivere; qui putant, se omnino satisfecisse Deo, quia flagitiosam vitam non vivunt amplius; & satis se christianos esse, quia gravissimis non inquinantur sceleribus; qui boni sunt, quia non sunt omnino mali; qui nulli munerum suorum desunt, quia ea, quæ sunt magis necessaria, persolvunt; qui Dei amici sunt, quia ejusdem non sunt aperti inimici. Quid sentiendum inquam de Christianis hujusmodi, nisi vel jam in peccato esse, vel non multo post in eodem futuros? *Sermo Manuscriptus.*

Discrimen inter justos ferventes, ac imperfectos, languidam vitam ducentes.

Duæ occurrunt in Scripturis diversæ loquendi rationes ad utrumque statum indigitandum. Via justorum, Sapiens ait, similis est Soli, qui oritur, & lumine, atque calore crescit usque in perfectum diem; quo magis progrediuntur, eo magis in virtute procedunt, quia, Sanctus Bernardus ait, numquam se prorsus officio suo satisfecisse putant, & numquam satis dicunt; Sed via imperfectorum similis est vespertino lumini, quod singulis momentis decrescit, ac desinit tandem in tantam obscuritatem, ut in singulos gressus cespitetur, & quin cadendi periculum agnoscatur, in illud decidatur. Heu quàm infelix status est vita remissa, ac tepida! nam vel status est peccati, vel signum, quod e peccato nondum emersimus, vel præsagium non multo post nos in peccatum casuros. *Idem.*

Nisi Peccatores simus insignes nosmet considerare debemus utrum tepidi simus.

Si vita tua ita frugi est, ut hominum approbationem mereatur, satisne fervens est, ut perfectè Deo sit accepta? Nolles scelus admittere, per quod jacturam ejusdem gratiæ subires; at quid magnum pro ejusdem gloria conaris? Quomodo iis pietatis exercitiis defungeris, quæ tu tibimetipsi præscripsisti? Quam multis ab hinc annis virtutem comparasti? Quam adhibes curam, ut eos defectus effugias, qui tibi leves videntur? Quem affectum mortificasti? Quem in perfectione progressum fecisti? Nonne verum est, te semper in eodem statu permanere? Hoc autem unum nonne tibi terrorem debet injicere? *P. Valois, Epistola 5. de Recessu.*

Quisnam fuerit Apostolorum fervor, cum egrederentur de Cœnaculo, ubi acceperant Spiritum Sanctum.

Quinam fuit exitus, ac fructus recessus, quo Apostoli in Cœnaculum se receperunt? Ibi Spiritum Sanctum acceperunt, atque cum Spiritu Sancto incredibilem fervorem, inflammatum zelum, heroicam virtutem. Eo momento, quo super capita sua viderunt mirabiles illas igneas linguas, Sanctus Gregorius ait, in cordibus eorum ardentissimè erga Deum charitatis flamma succensa est; quæ ita illos inflammavit, ut statim inde egrederentur mundum totum igni suo inflammaturi? Non cogitarunt amplius, Sanctus Bernardus ait, fugam, latebras, tenebras: palam prædicare inceperunt illius divinitatem, cujus innocentiam paulo ante defendere ausi non fuerant; & Sanctus Petrus, qui ad ancillæ vocem trepidaverat, imperterritus deinde coram Regibus, ac Tyrannis apparuit. *Idem.*

Necessitas, quæ in Religioso statu invenitur sæpe teporis est causa.

Inde Religiosus oscitanter sua munera adimplet, quòd studia sua iis opponuntur, quæ ab ipso efflagitat Deus; ingenium illius nequit sese huic obedientiæ submittere, natura ejus renuit jugum, quod velit, nolit, ferendum est: hoc ipso momento discedendum est; hæc illum celerius torquet: differenda est discessio; hoc illum angit: ea, quæ præ manibus habet, relinquenda sunt, hoc illi displicet, atque parere detrectat: oculos continere debet; hæc etiam modestia illi accidit gravis: *Abbas Trappensis in explicatione Regularum Sancti Benedicti. Tomo primo.*

Mala tepidorum.

In hoc teporis statu, sine ulla religione periculosas occasiones adimus; nihil boni facimus nisi ex animi nostri libidine; quibusdam pietatis officiis ex mera tantum consuetudine fungimur; & dummodo servata externa quadam religionis specie eorum effugiamus probra, quorum illis interest invigilare, non laboramus, utrum placeamus Deo, & nihil ferme operamur, quin displiceamus eidem. Facilè in omnia peccatorum venialium genera labimur scientes, atque volentes: tædium, & nausea omnibus pietatis exercitiis intersunt, quæ omittere nobis integrum non est. Secreto pios homines odimus, atque aversamur, eorum quippe virtus molesta censura est, cum imperfectis consuescere gaudemus, eorum quippe facta nostram vivendi rationem probare videntur: Et pro omnis infelicitatis cumulo, fallacem nobis concinnamus conscientiam, cujus præsidio, qui alioquin frequens ad Sacramenta accedit, & nonnulla opera bona facit, secretas alit simultates, venenatas invidias, affectus periculosos, & noxios. *P. Croiset. Tomo 2. Recessuum.*

Quomodo sensim in Dei cultu tepescimus.

Qui videret, quanam alacritate nostra peragamus officia, Deumque colamus, quibusdam fervoris nostri momentis, nonne diceret, virtutem hanc solidam esse, ac numquam defecturam? fidem servi, qui adeo fideliter omnia sua munera adimplet, immutabilem fore, & ardorem hunc numquam iri imminutum? Sed tædet vivere semper sub oculis Parentis Optimi; statim ac libertatem nostram unicè amamus, sensim tepescimus; cumque gratiæ motus non sit amplius adeo vehemens, frigescit charitas, & corde sensim in vitia labente, hæc vivendi ratio fastidium creat, cupiditas eò magis crescit, quo magis gratiæ lumina imminuuntur; atque pietatis afficimur tædio. Verùm quid inde evenit? Evenit, ut qui semel gustavit Deum, qui verè virtutem coluit, & ab illa recessit, numquam non nequissimus fiat. Filius prodigus non deserit patris sui domum, nisi ut in longe sepositam regionem concedat: *Abiit in regionem longinquam;* & rarò accidit, ut bis virtute præditus aliquis evadat. *Idem Tomo 2. Considerationum.* *Luc. 15.*

Cum a Deo quis recedit, pejor fit quam antea.

Proh Deus! quam periculosum est, ut te in æternum amittat, qui a te recedit postquam aliquandiu te coluit! Objecta magis terribilia non afficiunt oculos, qui illa intueri consueverunt. Devotus, qui flagitiosus effectus est, nullam fere amplius resurgendi spem habet; terribilibus veritatibus, bonisque exemplis non movetur. Hoc in statu secretum fovemus odium in illos, qui testes fuere, vel conscii gratiarum, quibus divinitus cumulati fuimus, & eorum, quæ Patri Misericordiarum debemus. Eorum præsentia nequit non excitare stimulos nostros; pati non possumus, quod id cogitare cogamur, quod fuimus, cum non sumus amplius id, quod esse deberemus. Nosmet obstupefacere quærimus, atque distrahi cupimus, cum susceptam causam damnare tenemur. Verum sopor iste diuturnus non est, immo in ipsa etiam vita nonnumquam interrumpitur; in morte verò quinam erunt sensus illius, qui hoc pacto Deum deseruerit? Tunc ille obluctari conabitur, & susceptam causam, mordicus tueri? Utrum præferet? Tunc pietati Christianæ honos adhibebitur. Sed qui Deum consultò dereliquerit, ullamne confidentiæ causam in hoc coacto honore nanciscetur? *Idem.*

Sine fervore satis fieri nequit omnibus iis, quæ petit Deus ab inservientibus sibi.

Quænam intercedit similitudo inter hunc languorem, & hanc relaxationem, quam in plerisque fidelibus invenimus, & ardentem zelum, animatamque charitatem, quam in iis, Domine, requiris, qui tibi famulantur, sine qua omnino non possunt eam tibi præstare servitutem, quæ teipso sit digna? Quot enim officia ex iis requiruntur, qui secundum Evangelicas leges vitam velint instituere, ac summa fide tua mandata adimplere? Opus est, ut tibi rationem reddant cordis sui, mentis, rationis, imaginationis, omnium animæ facultatum, sensuum omnium, totius denique interioris hominis, atque exterioris; quam igitur curam, quam vigilantiam, quam sollicitudinem præseferre debent, ut tanto huic muneri satisfaciant? At quomodo illi sine fervore satisfacere possunt? Numquid negligenter, & oscitanter illud obeuntes iis satisfaciunt officiis tanti Domini servituti inhærentibus? *Idem.*

Fervor debet esse constans.

Neque perfunctorius, sed constans fervor esse debet; hæc enim ingenii inæqualitas, hæc jugis inconstantia, quæ ardentissimum quemlibet fervorem

rem in suspicionem vocat; Hæc animi dejectio, quæ in summum discrimen virtutem adducit; hæc pietatis fastidia, hæ recidivæ, hæ species apostasiæ a devotione, quæ sæpe saluti æque funestæ sunt, ac quæ ab ipsa fiunt Religione, omnes istæ deplorabiles vicissitudines tristes sunt effectus virtutis, ac superficialis fervoris, qui amore proprio fovetur. *Idem.*

Ignavia ut plurimum causa est, ut pietas remittatur. Virtus nonnisi validis conatibus potest acquiri, difficilis enim est, atque ut illam acquiratur, opus est, supra nosmetipsos attolli; at nisi diligentissimè adnitamur, nos prohibet ignavia, quæ inertes efficit in suscipiendo, lentos in exequendo, ac infirmos in perficiendo. Hoc ex vitiis omnibus maxime naturale est, & vulgatum; corpus enim nos aggravat, & ad sensuum objecta nos detrahit. Verum est, nos spiritu, ratione, & gratia sustineri; sed naturæ pondere nos deprimente, sæpe nosmetipsos dejicimus, nisi diligentia, & vigor adsit, quibus nosmet sustineamus. Inertes homines, ignavi, ac negligentes naturali ingenio suo vim facere nequeunt; cumque laborem effugiant, intra vitæ communis orbem subsistere malunt. *Dialogi Spirituales P. Surin. Tomo* 2.

Quomodo in teporem decidimus. Non desunt, qui cum fervore vitam devotam amplexi, ac initio statim in via sanctitatis progredientes, deinde ad pristinum morem, ac mundi consuetudinem redeunt. Non desunt Religiosi, qui cum se omnino Deo devovissent, ac in ipsis suæ conversionis primordiis mira pollicerentur, brevi pristinum visi sunt fervorem remittere, ac in eum redire statum, in quo prorsus a se alii fiunt. Quænam, amabo vos, est tantæ hujus mutationis causa? Hæc nempe, quod donec gratia, divinumque lumen illos sanctitatis imaginibus detinebant, facilè, & cum voluptate in via Domini ambulabant: sed ex quo novum vivendi genus ingressi sunt, fervorem amiserunt, humanis se capi voluptatibus passi sunt, quæ illos ab exacta regulæ observantia amoverunt. Eorum conscientia, quæ tenera erat, ac delicata, paulatim in levibus noxis occalluit; quædam erroris placita sensim eorum animos illapsa ibi divinorum luminum, quibus illustrabatur, locum occuparunt. Sibi quasdam urbanitatis leges, & indulgentiæ concionarunt officia, quorum auctoritatem prætexentes eam detrectarunt obedientiam, quam antea Spiritus Sancti afflatibus exhibebant. Natura in ipsis jus recepit suum, eosque de summo statu, ad quem illos extulerat gratia, dejiciens, ad pristinum statum reduxit. Rerum supernaturalium ideæ obscuræ factæ sunt, & confusæ. Identidem per intervalla eos ad se revocat Deus, eisque excellentiam ejus perfectionis ostendit, quam reliquerunt; sed voluntas alligata est, neque satis virium habet, ut sua vincula infringat. *Idem.*

FESTI ET DOMINICI DIES.

Eorum Observantia &c.

M O N I T U M.



Heologi Scholastici, Casuistæ, atque Catechistæ variè hoc argumentum pertractant, & singuli pro modulo suo: sed Concionator, ut de eodem utiliter sermonem instituat, loqui debet modò tamquam Theologus, ut populo tradat hujus præcepti originem, doceatque in quo præcipuè consistat; modò tamquam Casuista, ut ostendat quot modis præceptum hoc infringi consueverit; & quid hac in re liceat, an secus; modò denique ut Catechista edocens, quænam his diebus pietati dicatis sint veri Fidelis Officia.

Quamquam sermo hic nihil habere videatur cum aliis moralibus argumentis commune, nonnulla tamen adsunt, quæ ab hoc omnino divelli non possunt; puta, sacris interesse Mysteriis, Dei verbum audire, & sanctis hisce diebus opera bona exercere. Verum satis Concionator intelligit, se extra argumenti sui fines evagaturum, si velit funditus hæc pertractare argumenta, quæ attingenda tantummodo sunt, quatenus ad præcipuum referuntur, veluti totidem rationes satisfaciendi variis dierum sacrorum obligationibus, quas indigitare tantummodo oportet.

Illud autem monendum censeo, quemadmodum sancta Domini dies Judæorum Sabbatho, ac dies Festi, quos colimus, illis, quæ in Lege veteri præcipiebantur fuerint subrogati: quæcumque a nobis dicentur de Sabbatho ejusque observantia, de festis Dominicisque diebus esse intelligendum; idem quippe nobis propositum præceptum est, eadem obligatio. Supplicia verò, quibus olim animadvertebat Deus in legis hujus fractores, si hodierna die infrequentiora sunt, neque oculis accidunt; non ideo inferendum est, nos lenius hoc præcepto teneri; sed ille a Deo in alteram vitam reservari, & in hac suas gratias, spiritualesque, & sæpe etiam temporales benedictiones auferre ab illis, qui perperam tanto munere perfunguntur.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ Concionum hujus Argumenti Systemata.

I. 

Hristiani hominis vita esse deberet perpetua divini Nominis sanctificatio: quemadmodum enim Patres loquuntur, de nobis non idem sentiendum est, ac de Judæis; *Omne tempus, est tempus diei festi, Christianis*, Sanctus Chrysostomus inquit, si secundum vocationem nostram vixerimus, atque ea munera, quæ nobis Baptismus imposuit, ad unguem adimpleverimus. Sed cum procul absimus ab hoc perfectionis gradu, quem magnus ille Doctor a populo exigebat; non ignoramus Dominum rationem habuisse nostræ infirmitatis, & quosdam sibi delegisse dies, quos peculiari quadam ratione cultui, quem illi debemus, dicatos voluit. His autem diebus a nobis ea petit, a quibus abesse fas est diebus aliis, quin ejusdem subeamus iracundiam. Neminem puto fidelem esse adeo suæ legis ignarum, qui veritatem hanc in dubium revocare velit: verum hic quiescendum non est. Hoc

potissimum agitur, ut præcepti hujus extensionem, & perfectionem intelligamus; videlicet quid sibi velit hunc sanctificare diem; quod ut rite intelligatur, in priori orationis meæ parte varios aperiam fines, propter quos Deus, & Ecclesia hoc præceptum proposuerunt, quod in lege nova æque ac in veteri irrogatum est; in altera verò quid præstare teneamur Dominicis, aliisque festis diebus, ut illud adimpleamus, quod nunc æquè, ac olim Deo curæ est.

Pars Prior. Primum statim supposito, quod Deus, & Ecclesia Fidelibus quosdam proposuerint dies ab illis sancticandos; ut eos intueamur fines, atque rationes, quas sibi uterque proposuit, ajo de diebus Dominicis, nostrisque festivitatibus, habita ratione, idem sentiendum esse ac de Judæorum sabbathis, aliisque eorum solemnitatibus; re enim vera hi dies in Lege veteri idem erant quod Dominici, festique alii in recenti: Moysis enim Lex non aliud fuit, quam Legis JESU CHRISTI quædam veluti umbra, & figura. Tres autem mihi videre videor præcipuos hujus mandati fines, ad quos alii facile referri possunt. Primus est, per hoc voluisse Deum, ut debitus sibi a populo cultus adhiberetur; ita enim ipse loquitur
Exod. c. 31. Deus: *Videte, ut Sabbathum meum custodiatis quia signum est inter me, & vos*. Meminisse vos oportet, meum esse populum, & me Deum esse vestrum. Quippe Creatori vestro, a vobis publicum, solemnemque cultum expetere jus est, & Domini auctoritate hoc vobis præcipere: itaque Sabbathi diem sanctificabitis, illum mihi ex integro dicabitis, nihil tunc temporis a vobis fiet, quod ad cultum meum non pertineat. Primus hic finis sublimem nobis adstruere debet conceptum festivitatum nostrarum, tamquam dierum, qui unicè Deo dicati sunt, unicè destinati, ut debitus illi cultus adhibeatur. Itaque quibusnam cæremoniis primum veteris Testamenti Sacerdotes; mox verò primi fideles hunc observabant diem? qua severitate in eos animadvertebatur, qui apud Judæos Sabbathum temerassent? quanam devotione sanctos illos dies primæva celebrabat Ecclesia? Finis alter, quem, hoc præcipiens sibi proposuit Deus, fuit, ut homines meminisse cogerentur beneficiorum, quibus divina largitas eos cumulaverat. Ideo populus Israel jussus fuit celebrare Pascha, ut memoriam instauraret exitus de Ægypto, non secus ac alias festivitates, ne aliorum beneficiorum recordatio intercideret. In nova autem legé Dies Dominicus memorialis est Dominicæ Resurrectionis, & juris illius, quod sumus adepti, aliquando & nos resurgendi; ita in aliis etiam mysteriis ea beneficia recolimus, quæ nobis divina bonitas contulit &c. His ergo diebus cogitationes nostræ iis sunt impendendæ, quæ debemus Deo, ut conformibus ei fini, quo instituti fuere, sensibus imbuamur. Tertius denique finis, quem in hac institutione sibi proposuit Ecclesia, fuit, ut quidam essent dies, quibus Dominus uberius suas gratias, & munera effunderet. *Innumeris benedictionibus Deus diem Dominicam sanctificavit*. Profectò Mundi hujus creatio ea die cœpit, Manna Israelitis datum fuit, Arca super Armeniæ montibus stetit, Erythræi maris aquæ divisæ sunt. In nova autem lege quot eadem die adimpleta fuere mysteria? Alibi illa enumeravimus. Igitur sancto, & spirituali gaudio repleti hos dies celebrare debemus; quamobrem a Sancto Bernardo Dominicus dies appellatur, *Dies Remissionis, dies Exultationis, dies Jubilei*. Eosdém profectò fines habuit Ecclesia; cum enim a Spiritu Sancto regatur, fieri nequit, ut minimè cogitet secundum mandata Dei; verum præter has rationes dies Dominicos, ac Festos instituit tamquam statos dies, quibus filios suos de eorum officiis erudiret; quamobrem Sancti Patres his diebus populo Scripturas explicabant, & habebant homilias; atque hodierna etiam die Sermones habentur, & christiana Instituta traduntur.

Pars Altera. Hic eumdem, ac in parte priori ordinem sequamur; re enim vera ex quolibet principio naturaliter haurienda est illatio, quæ nobis pro norma esse debet, & ostendere, quæ diebus Dominicis, aliisque Festivitatibus facienda sunt. 1. Vult Deus, ut illis præcipue diebus eum tamquam Creatorem, Dominum, principium, finemque nostrum colamus. Igitur ut secundum Domini mentem hi dies festi celebrentur, opus est illum actibus eodem dignis venerari. Horum alii interni sunt, videlicet devotio, amor, grati animi sensus: externi alii, quos inter præcipuus est Sacrificium; ideoque sanctificationem hanc ad obligationem Missæ audiendæ redegit Ecclesia; non quod alios excludat actus, sed quod unum hunc peccati pœna proposita indicit. 2. Exigit a creatura sua Deus, ut diebus hisce sibi dicatis, meminerit beneficiorum, quibus ab ipso aucta fuit, eisque unicè vacet; quapropter opus est mentem, ab omni quacumque re distrahi possit, avellere, operibus servilibus abstinere (quod quidem quam religiosè servarunt Judæi?) a voluptatibus, & actionibus, quæ in scelus impellere possunt, abhorrere; quamobrem Theologi nonnulli affirmare non dubitant, peccatum hisce diebus patratum multò gravius esse, quàm si alio quovis die fuisset commissum; temporalia relinquere negotia, quæ impedimento sunt, ne hæc quietis dies christiano corde celebretur, quod in Dei charitate consistit. 3. Si Deus hoc præcepto instituere voluit dies misericordiarum, & gratiarum; ergo nosmet præparare debemus ad eas recipiendas, & misericordiam hanc promerendam, atque illis præsertim diebus bonis operibus, ac pauperibus reficiendis vacare debemus. Videtur adfectasse JESUS CHRISTUS diebus hujusmodi ægros curare, morbos depellere, miracula patrare, ut hoc inter nostra officia non postremum esse intelligeremus &c. *Analyses manuscripti Sermonis P. Stephani Chamillart*.

Dominici, festique dies tribus præsertim nominibus in Scriptura appellantur, ex quibus tria in- II.
telligenda sunt munera, quæ nobis indicit Ecclesia.

1. Sunt dies quietis; & præsertim Dominicus, qui Sabbatho Legis antiquæ successit; oportet ergo hoc die non solum a consueto labore cessare, verùm etiam mentem a terrenis curis expedire, mundi rumores evitare, sese colligere, & eas fugere sodalitates, quæ nos possunt distrahere, atque ab officiis pietatis, quæ requiruntur ex nobis, avertere.

2. Sunt dies Sancti; hoc enim nomine vulgò appellantur, quòd divino cultui dicati sunt: debent igitur in piis, bonisque operibus impendi, non autem in solatiis, & commessationibus, &c. absumi, quod plerique e mundo faciunt.

3. Dies sunt, quos semper destinavit Ecclesia, Fidelibus erudiendis, uti conjicere est ex Homilis, quæ a Sanctis Patribus diebus hisce habebantur, nec non ex sermonibus, & Evangelicæ Doctrinæ explicationibus, quæ hodierna quoque die habentur in Ecclesia: igitur illis interesse oportet; & qui hoc munus nequeunt adimplere, huic bonorum librorum lectione supplere tenentur.

1. Nihil enixius imperatum est, quam dierum III.
Dominicorum, festorumque observantia; præceptum hoc explicitè in lege veteri sub Sabbathi nomine irrogatum videtur; quod ipsum in lege nova iteratum est, die tantum mutata: Ecclesia enim, quæ Dominicum destinavit diem, voluit hunc ab omnibus Fidelibus observari, immo ejusdem observandi rationem præscripsit. Concilia generalia, & particularia praxim hanc constituerunt; & Fidelium primitivæ Ecclesiæ exempla liquidò probant nihil religiosiùs, quam sanctos hosce dies fuisse observatos. Plures hujus rei rationes possunt afferri.

2. Illud verò Christianorum nostræ hujus ætatis relaxationem ostendit, quod nihil hodie pejus observatur, nihil impunius violatur, nihil polluitur indi-

indigniùs quàm sancti dies isti Divino cultui dicati. 2. Propter mandati contemptum servilibus interdictis operibus, & propter licentiam, quam sibi vendicant homines laboribus, iisque rebus vacandi, quæ palam prohibentur. 3. Propter abusum, qui invectus est dies hos io profanis solatiis traducendi. 3. Propter effusas io omni intemperantia libidines, quæ his diebus gravius, & frequentiùs, quam aliis patrantur.

IV. 1. Obligatio religiosè Dominicos, festosque dies celebrandi de jure naturæ est, præcipientis, ut dies aliqua assignetur, qua Deo cultus, & honor adhibeatur; de jure positivo, hoc est explicitæ innititur legi, quam nobis irrogavit Deus; & de Ecclesiæ præcepto, quæ ex auctoritate sibi a Deo tradita hoc imperavit. Latiùs ostendi potest nullum esse præceptum, cujus observantia Deo fuerit antiquior, & quæ enixius commendata, sæpiusque iterata fuerit, & cujus violatio sævioribus punita fuerit suppliciis.

2. Quomodo Christianis munus hoc sit explendum; quem cultum Deo præbere debeant, quæ illorum studia, atque exercitia hisce diebus; bona opera ab ipsis exercenda, & communes abusus vitandi.

V. Punctum primum. Bona, quæ religiosè præceptum hoc observantibus cedunt. 1. Sanctis hisce diebus reparari negligentia potest per totam hebdomadam in Dei cultu adhibita; novusque fervor, novæque vires assumi, ut meliùs imposterum eidem serviatur. 2. Hisce Dominicis, festisque diebus Religionis nostræ officiis perfungimur; reliquis enim, si judicium ferendum est ex occupationibus nostris, eaque sollicitudine, qua terrena negotia procuramus, quanam ex re Christifidelis dignosci poteft? 3. Hisce præsertim diebus commodiùs reliqua omnia præcepta, pleraque Evangelica consilia possumus exercere. Verbo: his propriè diebus vivere possumus tamquam perfecti Fideles.

Punctum alterum. Quod patretur malum violando præceptum, quo dies hosce sanctificare jubemur. 1. Non obeditur Deo, neque Ecclesiæ ea in re, quam etiam atque etiam utrerque nobis commendant. Vide, quomodo hanc inobedientiam in lege veteri mulctaverit Deus. 2. Apertius nostrum ingrati animi vitium testamur erga Dei beneficia: hos enim potissimum instituit dies, ut eorum, quæ nobis contulit bonorum, reminiscerentur. 3. Præter scandalum, quod præbetur, plurima omissionis peccata patrantur, negligendo præceptum, quod nobis aperit viam aliis satisfaciendi.

VI. 1. Temporalia bona nullam jacturam pati quod festos dies in pietatem, & cultum Dei transmittimus; e contra vero ita nos bonis, atque temporalibus negotiis cœlestes benedictiones promereri.

2. Nosmet privamus spirituali fructu, quem ex sanctis hisce dibus possemus percipere, cum eos celebraturi externum tantummodo corporis apparatum afferimus; dirioribus tegimur indumentis, tempus in otio, conviviis, solatiis, profanisque recreationibus insumimus.

VII. Tria prohibent, ne Fideles, uti opus est, dies Dominicos, festosque sanctificent; videlicet avaritia, effrænata licentia, & otium.

1. Avaritia, quòd plerique vel paupertatem prætexentes, vel eam metuentes putant sibi licere laboribus exerceri.

2. Licentia, quòd alii quidem laborem suum relinquunt, sed hos dies tamquam solatiis dicatos respiciunt.

3. Otium, quòd alii sibi persuadent satis esse ab opere cessare, quin bonis operibus exerceantur. *Desumptum ex sermonibus Moralibus.*

VIII. Sanctificatio dierum Dominicorum duo officia complectitur: Alterum, colere adorabilia Dei opera, & actiones admirabiles JESU CHRISTI bonorum operum exercitatione: Alterum eorum quieti honorem deferre cessatione ab omni opere servili. In his duobus dierum festorum, Dominicorumque sanctificatio consistit. Hæc autem officia duo immutantur, & corrumpuntur; alterum quidem otio criminoso; alterum verò actionibus profanis, ludis, spectaculis &c. *De la Font.*

Dominici, festique dies considerari possunt, primùm quatenus ad Deum, deinde quatenus ad Fideles referuntur. IX.

1. Quatenus ad Deum, sunt dies gratiæ, misericordiæ, & benedictionum.

2. Quatenus ad Fideles sunt dies pietatis, devotionis, bonorum operum; sunt enim omnino sanctis hisce exercitiis dicati. *Ex libro cui titulus, Essais des Sermons Tome 2. Quadragesima.*

1. Si Dominici, festique dies requiem Domini memorant, eos sanctificare debemus nosmet colligentes, ut reparemus frequentes mentis evagationes, quibus aliis diebus dissipamur. X.

2. Si Dominici, festique dies signa sunt fœderis, quod nobiscum ciere voluit Deus, eos sancte debemus transigere, cultui ejusdem unicè vacantes, ut suppleamus defectui bonorum operum, quæ reliquis diebus negligimus. *Ibidem. Sermone pro Dominica post Pentecosten 16.*

Cum dies festi, ac Dominici Sabbatho, aliisque veteris Testamenti festivitatibus successerint, & hodie quoque, quod olim, sint dies nostris fœderis cum Deo: XI.

1. Debemus ideo his diebus fideliùs legem adimplere;

2. Majori cum fervore pietatem profiteri;

3. Et perfectiùs nostrum metipsorum offerre sacrificium.

Ex Scripturis innotescit triplicem ob causam a Deo Sabbathi diem fuisse institutum, quibus causis nosmet conformare debemus in dierum festorum celebratione. XII.

1. Hos sibi reservavit dies, ut hominum cultum reciperet, quatenus temporum Dominus, & Creator Universorum.

2. Ut populus gratum illi testaretur animum ob insignia beneficia, quibus ab eo fuerat cumulatus.

3. Ut populum suum ab aliis nationibus distingueret: ideoque religiosa sanctorum dierum observantia veri fideles sese ab aliis distinguere debent.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest ad propositas Concionum structuras ornandas.

Origenes *Homil.* 23. *in Num.* loquitur de rationibus rite celebrandi Sabbatha Christianorum, hoc est Dominicos dies. Sancti Patres.

Sanctus Chrysostomus, *Homil.* 10. *in Genes.* rationem reddit, cur Deus benedixit, & sanctificavit diem Sabbathi.

Idem, *Serm. de S. Philem.* docet io celebratione Festorum, spiritus pietatem magis requiri, quam externam pompam, & apparatum.

Idem, *Homil.* 5. *in Resurrect.* loquitur de die Dominico, & mysteriis a Deo eo die patratis.

Sanctus Gregorius Nazianzenus, *Orat.* 6. loquitur de modo festivitatum celebrandarum.

Sanctus Justinus, *Apol.* 2. *ad Antonin.* describit, quid primi fideles Dominicis diebus facere consueverant.

Sanctus Cyrillus Alexandrinus, *Homil.* 29. *de Pasch.* loquitur de festorum celebrandorum ratione.

Nicetas, Orat. 38. ostendit a festorum dierum celebritate ludos, luxus, ac libidines esse proscribendas.

Sanctus Hieronymus, *lib.* 16. *in cap.* 58. *Isaiæ*, docet Dominicis, festisque diebus spiritualiter ea nobis esse observanda, quæ die Sabbathi secundum litteram a Judæis observabantur.

Idem, *lib.* 13. *in c.* 44. *Ezech.* hæc explicans verba, *& Sabbatha mea sanctificabunt*, docet quomodo a Christianis Sabbathum sit observandum.

Sanctus Augustinus, *Serm.* 26. *de Sanctis*, tradit

dit modum Sanctorum Martyrum memoriam recolendi.

Idem, *Serm.* 231. *de Tempore*, docet quomodo dies Dominici, ac Festi sint transigendi.

Idem, *contra Adimant. cap.* 16. ostendit quomodo Judæi diem Sabbathi observabant, sed huoc aliter a Fidelibus esse observandum.

Idem, *Tract.* 122. *in Joan.* de septimi diei sanctificatione verba facit, ejusque rationem adfert.

Idem de hoc fusius etiam loquitur, *l.* 4. *de Genesi ad Litteram*.

Idem, *Serm.* 251, *de Tempore*, rationem reddit, cur voluerint Apostoli, ut pro Sabbatho dies Dominicus coleretur, & cur dies Domini appellatur.

Idem, *Serm.* 136. *de Tempore*, texit elogium diei Dominicæ, ejusque supra reliquos dies prærogativas ostendit.

Idem, *lib.* 4. *de Genes. cap.* 11. ostendit Sabbathi diem Judæis datum fuisse in Resurrectionis Domini, ejusque æternæ quietis figuram.

Idem, *Tract.* 3. *in Joan.* loquitur de abusibus, qui Sabbatho committebantur, deque iis, quos Christiani Dominicis, Festisque diebus committunt.

Idem, *libr.* 22. *de Civit. cap.* 30. loquitur de æterna requie, qua in cœlo fruemur, cujus figura est dies Sabbati.

Sanctus Leo, *Serm.* 3. *de Quadrag.* invehitur contra luxum aliosque abusos, qui in dierum festorum celebratione irrepserunt.

Idem, *Epist.* 82. *ad Dioscorum*, recenset mysteria, atque miracula, quæ operatus est Deus dia Dominico; qoapropter diem hunc cum reverentia celebrare tenemur.

Sanctus Isidorus, *l.* 1. *de Eccl. Offic. cap.* 24. & 35. rationem reddit, cur Apostolorum, atque Martyrum festivitatas celebreotur.

Sanctus Petrus Damiaous, *lib.* 4. *Epist.* 16. docet, in quo festorum dierum celebritas consistere debeat.

Rupertus Abbas, *lib.* 2. *in Nahum*, docet quomodo festi dies sint celebrandi.

Sanctus Bernardinus, *Tom.* 2. *Serm.* 10. loquitur de abusibus, qui in dierum Festorum celebrationem irrepserunt.

Synodi Tridentinæ Catechismus de tertio Dei

Ascetici, aliique. præcepto verba faciens, & Catechistæ omoes, qui de decem maodatis loquuotur.

Sancti Caroli Borromæi *Edictum in Act. Medielan. part.* 3.

Joannes Lopes *In Epit. Sanct. Patrum*, *l.* 3. *c.* 2.

Bellarminus, *Tomo* 1. *l.* 3. *contr.* 6. *c.* 10.

Franciscus Suares, *de virt. Relig. l.* 2. *Tract.* 2. agit de festorum celebratione.

Sylvester *in Summa de die Dominica*.

Raynerius de Pisis *in Pantheologia*. *Titul. de Festis.*

Loberius, *Tom.* 3. *quest. morali*, *velut proœmiali*, ostendit quinam sit fiois institutionis dierum festorum, & quinam fructus inde percipi valeat.

P. Thomassinus Tractatum edidir, qui iogenti volumine continetur, de Ecclesiæ festivitatibus, & initio libri secundi loquitur de Dominicis.

Hortus Pastorum, *Tractatu* 3. *lect.* 8. *de tertio Precepto.*

Concionatores. P. Le Jeune, Oratorii Presbyter, *Tom.* 2. *Serm.* 48. loquitur de dierum Dominicorum observantia.

Idem, *Tom.* 8. *Serm.* 17. de festis Sanctorum verba facit.

La Font, Dominica 16. post Pentecosten Sermonem habet hujus argumenti.

Liber, cui titulus, *Essais des Sermons* pro Quadragesima Tomo 2. propositione secunda pro Dominica Passioois de Festorum, Dominicorumque dierum observantia pertractat.

Alter etiam ejusdem argumenti sermo est in tomo 4. Dominicæ Sermone pro Dominica post Epiphaniam.

Uous quoque inter Sermones morales invenitur.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta hujus oblitus non est io primo particularium Argumentorum Tomo, Sermone quinto.

Stapleton, *Domin.* 16. *post Pent. num.* 4.

Lohner, *Tom.* 3. *tit. Cultus Sanctorum*, & *Festa*. Qui collectanea ediderunt.

Peraldus, *Tom.* 2. *tit. de Superbia*, quinque habet hujus argumeoti capita.

Summa Prædicantium. } *Tit. Festa.*
Labatha. }

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Scripturarum Applicationes huic Argumento.

R*Equies Sabbathi sanctificata est Domino.* Exodi 16.

Memento ut diem Sabbathi sanctifices. Ibidem, cap. 20.

Benedixit Dominus diei Sabbathi. Ibid.

Videte ut Sabbathum meum custodiatis; quia signum est inter me & vos, in generationibus vestris. Ibid. cap. 31.

Custodite Sabbathum meum: sanctum est enim vobis. Qui polluerit illud, morte morietur: qui fecerit in eo opus, peribit anima illius de medio populi sui. Ibidem.

Custodiant filii Israel Sabbathum, & celebrent illud in generationibus suis. Ibid.

Pactum est sempiternum inter me, & filios Israel, signumque perpetuum. Ibid.

Septimus dies erit vobis sanctus, Sabbathum, & requies Domini: qui fecerit opus in eo, occidetur. Ibid. cap. 35.

Observa diem Sabbathi, ut sanctifices eum, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus. Deut. cap. 5.

Quæ est hæc res mala, quam vos facitis, & profanatis diem Sabbathi? Lib. 2. Esdræ, cap. 13.

Neomeniam, & Sabbathum, & Festivitates alias non feram; iniqui sunt cœtus vestri: facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens. Isaiæ cap. 1.

Benedixit Deus diei septimo, & sanctificavit illum. Genes. 2.

Sex diebus colligite manna: in die autem septimo Sabbathum est Domini; idcirco non invenietur. Exodi 16.

Dies septimus celeberrimus, & sanctus erit vobis; omne opus servile non facietis in eo. Num. 28.

Nolite portare pondera in die Sabbathi, & nolite ejicere onera de domibus vestris in die Sabbathi, & omne opus non facietis. Jerem. cap. 17.

Custodite Sabbatha mea; & dabo vobis pluvias temporibus suis; & terra gignet germen suum, & pomis arbores replebuntur. Levit. 26.

Memento quòd servieris in Ægypto, & eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti; idcircò præcepit tibi ut observares diem Sabbathi. Deuter. 5.

Sabbatha ejus in opprobrium, & dies festi ejus in luctum conversi sunt. 1. Machab. cap. 1.

Beatus vir custodiens Sabbathum ne polluat illud; custodiens manus suas ne faciat omne malum. Isaiæ 56.

Calendas vestras, & solemnitates vestras odivit anima mea. Isaiæ 1.

Exempla ex veteri, noveque Testamento desumpta.

NEcessum esse oon arbitror huc afferre, vel institutionem Sabbathi legis antiquæ, vel finem De festis, quæ a Judæis celebrabantur. propter quem dies illa instituta fuerit, vel quantum cordi Deo fuerit ejus observaotia; hæc enim omnia satis communia sunt. Verùm operæ pretium est scire præter hujus diei sanctificationem alios plures fuisse dies festos, atque solemnitates lege populo Judaico irrogatas, inter quas tres erant præcipuæ, quæ majori cum apparatu celebrabaotur ad recolendam insigoium beneficiorum memoriam, quæ populus a Deo illis diebus receperat. Primum

erat

erat Pascha, quod Dei nomine Moyses instituerat post Israelitas Pharaonis servitute liberatos ex Ægypti servitute ereptos, & sicco pede per Erythræi maris fluctus traductos. Alterum erat festum Pentecostes, quod quinquagesimo post Pascha celebrabatur die in memoriam legis ea die per Moysem latæ, qui eamdem a Domino acceperat. Tertium verò, quod appellabatur festum Tabernaculorum, vel *Scenopegia*, & quod per octiduum celebrabatur, ad fovendam memoriam divinæ providentiæ, & charitatis, qua Deus aluerat in Deserto Israelitas nullas habentes domos, sed sub tabernaculis habitantes. Auctores quidam operam collocarunt, ut justum invenirent nexum inter dies festos, qui hodie a Fidelibus celebrantur, & eos, quos populo suo præceperat Deus; verùm satis esse debet, scire, Dominicum diem Sabbatho substitutum fuisse pluribus, iisque justis de causis, & generatim præcipua fidei nostræ mysteria locum obtinere dierum aliorum, qui tanta cum solemnitate a Judæis colebantur.

Quonam cum rigore Sabbathi dies observaretur.

De rigore, cum quo dies Sabbathi observabatur, judicium ferri potest ex facto, quod decimo quinto Numerorum capite refertur, hominis, qui planè pauper fuisse videtur, & qui quod Sabbatho collegisset ligna, Dei jussu interfectus est. Moyses, & Aaron illum in vincula conjecerant, neque putabant ob adeo leve facinus, esse morte plectendum; sed volens Deus populo religiosum suæ potentiæ metum injicere, ac ostendere, quanam reverentia leges suæ colendæ sint, terribili justitiæ suæ exemplo præcepit, ut ab omni populo lapidibus obrueretur. *Morte moriatur .... obruat eum lapidibus omnis turba extra castra.*

Mathathiæ exemplum.

Dies Sabbathi semper religiosè a Judæis fuit observata, ita ut sæpe superstitio quoque intercederet; immo nonnumquam præceptum hoc ita observarunt, ut eo die ab hostibus lacessiti seipsos tueri noluerint, ac se internecione deleri, quam arma attrectare, maluerint. Hoc plane testatur id, quod primo Machabæorum libro narratur de magna Judæorum manu, quæ duce Mathathia potiusquam Sabbathi legem infringeret propulsans hostes, qui hunc diem ad eos prælio lacessendos elegerant, maluit trucidari: *Dicentes, moriamur omnes in simplicitate nostra: & testes erunt super nos cælum, & terra.* Et in iisdem Sacris litteris legimus, alios non paucos Judæos cum in cavernas sese recepissent, Sabbatho ibi ignibus fuisse combustos, quia noluerunt flammas extinguere, ac se præsenti periculo liberare. Admiranda profectò exempla potiùs, quam imitanda; sed talia sane, ut ruborem injicere possint plerisque Fidelium, qui sordido labore dies longè sanctiores, quàm tunc Sabbathum esset, polluere non dubitant.

1 Mach. cap. 2.

2. Mach. cap. 6.

Judæorum hac in re superstitio.

In novo Testamento circa Sabbathi, aliorumque festorum dierum observantiam nihil notandum occurrit præter Judæorum superstitiones, qui ne illud violarent, sæpe charitatis opera omittebant, & perperam scandalizabantur, eo quod die illa Salvator ægros curaret. Sæpe etiam sibi religioni vertebant ea facere, quæ nullo erant in discrimine, nequissima verò scelera committere non verebantur: Veluti cum Pilati Prætorium ingredi noluerunt, ne cum Gentilibus communicatione pollueretur, neque putarunt sibi nefas esse persequi mortem Filii Dei propter odium, quo in illum erant succensi.

Dei Filius religiose observabat dies festos, qui in lege præcipiebantur.

Dei Filius, qui professus fuerat, se venisse non ut legem infringeret, sed ut illam adimpleret; qualibet in occasione præclarum præbuit exemplum exactæ observantiæ festorum dierum, quos illa statuerat; intererat quippe cœremoniis, quæ ibi fiebant, eas præsentia sua probaturus. Verùm ut Judæis illas auferret superstitiones, quas invexerant, ægros ea die curare affectabat; cumque inde Scribæ, & Pharisæi scandali occasionem arriperent, docebat tantum abesse, ut Sabbathi requies charitatis actibus violaretur, quod immo potissimum dies festi celebrabantur; non enim major Deo cultus poterat deferri.

Beatissimæ Virginis, & S. Josephi hac in re obedientia.

Beatissima Virgo, Sanctusque Joseph religiosè Pascha, aliosque Legis festos dies coluerunt; quod conjicere est ex eo, quod narratur in Evangelio, ipsos videlicet remansisse in Jerusalem septem eos dies, quibus Paschatis solemnitas agebatur; quibus elapsis cum domum reverterentur, puerum JESUM in urbe mansisse, quin illi cognoscerent; quod evidens est testimonium diligentiæ, qua legi obtemperabant.

Salvatoris verò circumcisio, Sanctæque ejusdem Genitricis Purificatio, palam ostendunt ipsos reliquis etiam cœremoniis legis fideliter paruisse.

Applicationes.

Cur Deus præceptum hoc magis, quàm reliqua commendaverit.

Memento, ut diem Sabbathi sanctifices. Exodi 20. Nonnulli Sancti Patres, atque Interpretes notarunt, Sabbathi sanctificationem illud esse ex omnibus legis præceptis, quod enixius Deus commendaverit, & unicum, cui hoc verbum adjecerit, *Memento.* 1. Verbum istud huic præcepto præfigitur, ut intelligamus cultum, qui hac die nobis imperatur, partem esse cultus exterioris Religionis, quem debemus Deo; qua de re nos admonendi eramus, quamvis enim lex naturalis nos doceat, destinandum esse statum aliquod tempus, quo Deus exteriori Religionis cultu adoretur, nihilominus nobis nequaquam tempus, illud præscribi, quo istud faciendum est. 2. Hoc admonemur verbo; ut nobismet caveamus, quod plures sese nobis offerent occasiones præcepti hujus obliviscendi; seu nos ad illius violationem inducat exemplum eorum, qui negligunt illud, vel amor spectaculorum, ludorumque, qui vulgò nos a sancto, & religioso hujus diei cultu divellunt.

Deus homini, & laborem, & requiem indixit.

Requies Sabbathi sanctificata est Domino. Exodi 16. Mirum! Deus hominem labori subjecerat, ut peccati sui pondus sentiret; & vult ab hoc labore cessare, ut primam acquirat innocentiam. Illum iratus damnaverat terræ summis laboribus excolendæ, ut intelligeret quàm periculosum sit Supremi Domini obedientiam detrectare; mox verò misericordiæ suæ effectu præcipit, ut post sex dies in professionis suæ exercitatione traductos, septimo tandem quiescat.

Manna Israelitis die Dominico data fuit. Quæ sit hujus figuræ veritas.

Scriptura ipsa notare voluit, manna sex diebus pluisse, septima verò cessasse; hæc enim dies quietis erat, nempe Sabbathum. Manna ergo die Dominico cœpit decidere, quod figura erat, cœli gratiam, verbumque Dei aliquando Ecclesiæ die Dominico distributum iri, & hoc Synagogæ ablatum iri. Hoc animadvertit Origenes, *Hom.* 7. *in Exod.*

Quomodo dies festi celebrandi sunt quin in eos abusus, qui committuntur.

Non ascendam ad diem festum &c. Joan. 7. Horum verborum Filii Dei cum facto ejusdem, quod illis adversari videtur, conciliatio crucem Interpretibus figit. Cum Salvator esset in Galilæa illis, a quibus urgebatur, ut ad Festum Tabernaculorum solemniter Jerosolymæ celebrandum proficisceretur, respondit: *Non ascendam ad diem festum istum.* Ite vos, inquit ille, ad hanc solemnitatem, ego verò huic non interero. Cum autem narret Evangelium, postquam alii discesserunt illuc profecturi, & ipsum quoque eò iter suscepisse; non quidem palam, sed veluti metuentem, ne videretur; Sanctus Bernardinus in sermone quodam difficultatem solvit per illam responsionis voculam, quæ Domini factum probare videtur: *Ad diem festum istum.* Non ascendam ad diem festum ex instituto sacrum, sed iis pollutum abusibus, quos invexistis, sceleribus, atque criminibus, quæ ibi patrantur. Itaque non adfuit ille huic festo polluto, sed adfuit, ut illum sanctè celebraret, & iis sensibus, qui non abhorrerent a mente Dei ejusdem Auctoris; quod ipse clam fecit, & quin ab aliis videretur.

Quomodo exemplo Jeroboam

Excogitato consilio, fecit Jeroboam duos vitulos aureos, & dixit: Nolite ultra ascendere in Jerusalem:

dies divino cultui dicati profanantur.

salem: Ecce Dei tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti. 3. Reg. cap. 12. Salomon, quod nemo unus ignorat, Jerosolymæ magnificum ædificaverat templum, ut omnes veri Dei adoratores ex omnibus regionibus illuc confluerent, Domino cultum præstituri festis diebus, qui in Lege Moysi præcipiebantur: itaut cum solemnitates illæ celebrarentur, admirabilis fieret populorum concursus. Sed post hujus Regis obitum, cum ejus imperium divisum fuisset, Jeroboam conclamatus fuit Rex decem tribuum, quæ divulsæ fuerunt a ditione Roboam filii, ac successoris Salomonis. Quid porrò Jeroboam conatus est, ut sibi adhuc nutantem coronam propriam faceret, atque ut populum in officio contineret? Hæc illi mens incidit, ut altare contra altare statueret, ac sibi duo idola conflaret, eaque duabus in urbibus collocaret, subditosque cogeret ut iisdem thus adolerent; veritus, ne si Jerosolymam pergerent vero Deo cultum adhibituri, cupiditas aliquando illis oboriretur sub Regis Juda ditionem redeundi. Hæc elegans est eorum figura, quæ hodierna die eveniunt festis diebus Dei cultui, ac pietati Christianorum fovendæ dicatis. Donec Fideles Templum adeunt officiis suis defuncturi, ac Domino cultum adhibituri, dæmon, qui veri Dei imperium partiri conatur, ludorum, libidinumque Accademias erigit, ut illos divertat, & Domini cultum prohibeat. Efficit, ut voluptates tantummodo cogitentur, ut voluptatis, & vanitatis idolo litetur, atque ita devotionis, ac pietatis festa in libidinum, solatiorumque festa immutentur.

Quam displiceat Deo sanctorum dierum profanatio.

Calendas vestras, & solemnitates vestras odivit anima mea. Isaia 1. Jure quispiam fortasse miratetur Deum, qui populo suo præceperat, ut diem Sabbathi sanctificaret, aliosque festos dies tanta cum solemnitate celebraret; eidem mox per Prophetam suum significasse, se eorum calendas, aliasque festivitates odisse. Sed facilis patet responsio: cum hæc festa in honorem ipsius celebrata fuerunt, atque illius tantummodo cultus, & gloria quæsita fuit, hæc quidem illi fuisse acceptissima, eisque suas benedictiones, & gratias concessisse; sed cum idem populus inde occasionem arripuit eum dedecore afficiendi sacrilegis profanationibus, tunc ea perhorruisse, ac abominatum fuisse. Hodie de festivitatibus nostris dici potest, in se illas, quidem sanctas esse, & ad optimos fines institutas: Verum quemadmodum corruptio optimi pessima; nihil abominabilius fingi potest ea profanatione, quæ sanctis his diebus fieri consuevit.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum, in hoc Argumento.

Dominica dies, regina & princeps omnium dierum. Sanctus Ignatius Martyr, Epist. ad Magnesianos.

Dominico die, à terreno labore cessandum, & precibus insistendum est; ut si quid negligentia per sex dies agitur, per diem Resurrectionis Dominicæ, precibus expietur. Gregor. l. 11. Epist. 3.

Diei Dominicæ tanta debet esse observantia, ut præter orationes, & Missarum solemnia, nihil aliud fiat. Sent. Concil. Oecumenicum.

Ut in his diebus, ab omni negotio sequestrati, soli divino cultui vacemus. August. Serm. 250. de Temp.

Præponitur Sabbatho dies Dominicus, fide Resurrectionis. Idem, Epist. 18. ad Casulanum.

Domini Resurrectio promisit nobis æternum diem, & consecravit nobis Dominicum diem, qui vocatur Dominicus; nam ipse videtur propriè ad Dominum pertinere, quia eo die Dominus resurrexit. Idem, Serm. 15. de verb. Apost.

Populus Christianus memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat, ad excitandam imitationem, ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adjuvetur. Idem, contra Faustum, c. 21.

Solemnitates Martyrum exhortationes sunt martyriorum; ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat. Idem, Serm. 47. de Sanctis.

Meliùs tota die foderent, quàm tota die saltarent, in festis. Idem in Psal. 32.

Malè celebrat Sabbathum, qui à bonis operibus vacat; otium autem ab iniquitate debet esse perpetuum. Idem, lib. de vera innoc. c. 114.

Verum Sabbathum Christianus observat, abstinens se ab opere servili; id est à peccato. Ibid. cap. 321.

Nihil sollicitius providendum est, quàm ut solemnem diem, non tam ciborum abundantia, quàm spiritus exultatione celebremus. Hieron. in Epist.

Quòd Sabbathum, non otii, sed spiritualis actionis materia sit, dilucidum est ex ipsis rebus. Chrysostom. Serm. 1. de Lazaro.

Martyrum festa, non ex dierum circuitu solùm, sed etiam ex eorum animo qui ea celebrant, æstimantur. Idem.

Festa, non multitudo concurrentium facere solet, sed virtus; non sumptuosus vestitus, sed pietatis ornatus; non mensæ dapsilitas, sed cura animæ: maximum enim festum est conscientia bona, Idem, Homil. 3. de Sancta Anna.

Consecratum est Deo Sabbathum, ut qui non omnem vitam Deo consecrabant, saltem exiguam illius partem Domino velut ingrati famuli largirentur. Joan. Damasc. l. 4. de fide, c. 21.

Ille Sabbathum Domini veraciter celebrat, qui sic ab his quæ mundi sunt, operibus vacat, ut à spiritualibus tamen actibus non quiescat. Petr. Damiani, l. 4. Epist. 16.

Diem Dominicam, ob venerabilem Resurrectionem Christi, non solùm in Pascha celebramus; verùm etiam per singulas hebdomadas, imaginem ipsius Dei frequentamus. Innocen. Pap. Epist. 1. ad Decent. cap. 4.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia penu ad hoc argumentum depromi possunt.

Quid sit Dominicus dies a quo, & cur institutus.

Dominicus dies primus est in hebdomada divino cultui dicandus. Judæi septimum celebrabant diem in memoriam creationis mundi; Deus enim postquam illum creasset diebus sex, septimo quievit; nos verò primum celebramus ex Apostolorum institutione, qui hoc præceperunt, quia dies hæc nobis eamdem repræsentat creationem, quæ die eadem sumpsit initium, & ad hæc alia plurima Christianæ Religionis mysteria significat, quæ die eadem fuere adimpleta, præsertim verò JESU CHRISTI Nativitatem, ejusque Resurrectionem, descensum Spiritus Sancti super Apostolos; ex quibus mysteriis salutis nostræ pendet complementum.

De festorum dierum institutione.

Quemadmodum Apostoli naturæ, ac divino juri innixi Dominicum constituere diem, ut divinæ Majestati, ejusque numini cultus haberetur, eique agerentur gratiæ, beneficiorum, quæ divina bonitas largè effuséque in mortales effundit: iidem etiam Apostoli aliquot ex nostris festivitatibus instituerunt in memoriam nonnullorum insigniorum fidei nostræ mysteriorum, alias verò præcepit Ecclesia, quippe quæ hanc a Filio Dei potestatem obtinuit, eumque in hac institutione sibi finem proposuit, ut Deum in Sanctis suis glorificaret, & tamquam illius amicos, fidelesque servos veneraretur; & ut in omnibus Ecclesiæ necessitatibus ad eorum intercessionem nobis pateret perfugium. Quodcumque autem intercedere possit discrimen inter diei Dominicæ, aliorumque festorum dierum seu veterum, seu novorum institutionem; omnes hi sancti dies eodem a nobis pacto colendi sunt, quod nobis eadem præscribit Ecclesia; ideoque omnes uno comprehendit mandato, quod sine crimi-

ne

ne infringi non potest. Itaque quidqnid de diebus Dominicis a nobis dicetur, easdem ob causas de aliis quoque festivitatibus est intelligendum.

Discrimen inter præceptum Dominicos dies, aliaque præcepta servanda.

Hoc intercedit discrimen inter istud, aliaque legis præcepta, quod cætera omnibus ex partibus snis sunt naturalia, ideoque perpetua, quin ulla quapiam in re possint mutari; hoc verò quoad temporis in Dei honorem adhibendi determinationem est cæremoniale. Et profectò naturæ lege docemur quidem peculiarem aliquem diem divino cultui esse dicandum, . & hunc apud omnes populos morem percrebuisse innotescit: sed quodnam hoc esse tempus debeat, utrum Dominicus potius sit dies, an Sabbarhum, hoc minimè traditur; & pendet a Dei, vel Ecclesiæ institutione tamquam aliquid ad motum pertinens disciplinam. Quapropter Apostoli cultui Dei primum ex septem hebdomadæ diebus consecrarunt, eumque diem Domini nuncuparunt. De hac die loquitur in Apocalypsi Sanctus Joannes; & S. Paulus Apostolus jubet, eleemosynarum a fidelibus oblaratum collectas fieri prima die hebdomadæ, quæ Dominica est, quemadmodum Sanctus Chrysostomus interpretatur: unde liquet Apostolorum ævo diem hanc in Ecclesia habitam fuisse, veluti sanctam, & divinæ majestatis cultui dicatam.

Quænam in re consistat Dominici diei, aliorumque festorum sanctificatio.

Sabbathum sanctificare (hoc ipsum de die Dominico a nobis dicendum est) secundum Scripturarum sermonem significat, ab omni corporis labore abstinere, & ab omnibus terrenis negotiis cessare, quemadmodum sequentia hujus mandati verba palam ostendunt. *Nihil operis facies in eo*. Non solum autem hæc sanctificatio istam ab omni opere cessationem importat; alioquin enim satis fuisset dicere in Deuteronomio: *Observa diem Sabbathi* sed cum ibidem addatur, *ut sanctifices eum*; hoc sane ostendit diem hunc sanctum esse, & Religioni sacrum, ideoque in Dei cultu, ac pietatis exercitiis impendendum. Ita verè diem Sabbathi observamus, atque sanctificamus, cum Deo ea religionis, & pietatis præstamus officia, quæ tenemur. Hac de causa Isaias Sabbathum diem lætitiæ vocat; re enim vera dies festi piorum hominum deliciæ sunt.

Opera his diebus prohibita, & secus.

Servilia opera intelligimus ea, quorum finis merus est particulare, & temporale lucrum, & hæc propriè prohibentur. Unde sequitur ea. 1. Quorum Religio finis est, veluti ornare templa, aras decorare, lege hac non prohiberi; 2. Quæ necessaria sunt ad vitam vel suam, vel proximorum tuendam, vel etiam ad Rempublicam defendendam, veluti communes hostes propulsare; his non esse interdictum; 3. Spiritualia, veluti studere, libros componere, dummodo actiones istæ in se malæ non sint, neque lucrum potissimus sit finis eorum, & hæc interdicto non esse obnoxia; 4. denique ea, quæ necessaria sunt ad jacturam, vel grave incommodum evitandum, puta, messem coacervare, ne tempestatis inclementia corrumpatur, aliaque id genus, non esse illicita; quia licet actionibus hujusmodi aliquis temporalis immisceatur utilitas; hæc tamen non est tamquam primus finis proposita, & opera illa pro servilibus non habentur. Fidelium tamen consuetudo est, ubi similes adsint casus, ad Ecclesiasticos Superiores pro dispensatione confugere.

Quid facere teneamur vi præcepti dierū festorum observantiam imperantis.

Notandum est horum dierum sanctificationem duobus præceptis Divino altero, altero Ecclesiastico inniti. Abstinere ab opere servili, & sacris interesse Mysteriis hoc præcepto omnino jubemur. Sed præterea mandatum Dei non præcipit solum, ut ab operibus servilibus abstineamus, verum etiam ut Dei cultui vacemus, ideoque ab iis omnibus abhorreamus, quæ ab eo nos possunt amovere. Itaque ad dies Dominicos, festosque uti fidelem decet, colendos, illi sanctis in operibus sunt traducendi, qualia sunt divinis interesse officiis, Dei verbum audire, frequenter ad Sacramenta accedere, charitatis opera exercere, pro cujuscumque pietate, & commodo. Itaque dubitandi locus non deest, utrum qui festinanter tantummodo Missam audire satis putaret, & reliquam diei partem in ludos, aliaque solaria, vel inanes, & mundanas occupationes transmitteret, hic Dei præcepto de his diebus sanctificandis satisfaceret.

Quorumdam Patrū, ac Theologorum sententiæ de Sabbathi observantia.

Festos dies sanctificare juxta D. Thomæ doctrinam est hos dies ab aliis separare, nt in Religionis actibus impendantur; eos in Dei opus, & beneficiorum illius gratiarum actione traducere: 2. 2. *quæst.* 122. *art.* 4. *Illa enim dicuntur sanctificationes in lege; quæ divino cultui applicantur*. Sanctus Cyrillus Alexandinus affirmat ad diem Dominicum sanctificandum, præcipuè animum nostrum excolendum esse, atque ornandum, ut mundos, & ab omni labe vacuos nosmet JESU CHRISTO offeramus. Sanctus Augustinus inter cætera hujus diei officia, illud etiam recenset ab omni noxa abstinendi, tamquam opere, quod non servile solum est, sed quod nos dæmonis servos facit; quod locum præbuit quibusdam Theologis asserendi, eum, qui die Dominico peccatum committit, exempli gratia, qui inebriatur; duplex peccatum committere, alterum quod peccat contra temperantiam; alterum verò quia peccat ea die, quæ potissimum divino cultui dicata est; itaut peccatum hoc confitenti in confessione hæc aggravans circumstantia non sit prætereunda. Non omnes in hanc abeunt sententiam, quæ innititur similitudini ex peccato in loco sacro perpetrato, qui per illud polluitur; licet fateantur hac temporis circumstantia peccatum aggravari, non ideo tamen putant tertium lethale peccatum existere: hæc enim peccati accessio non fit propter diei sanctitatem, quæ non est finis festivitatis, qui tantummodo est Deum, vel Sanctos colere. Quod pertinet autem ad peccatum in Ecclesia patratum eadem non constat ratio; quia ibi nihil ferme est, quod non violet directè eam reverentiam, quæ loco sancto debetur.

Dierum Dominicorum supra reliquos dies prærogativæ.

Non in sola ab operibus servilibus cessatione Dominici diei sanctitatem constituit Ecclesia. Ut ejus diei solemnitas fieret augustior, instituit etiam usus quosdam, seu ad ejus diei sanctitatem commendandam, seu ad diem illum a cæteris distinguendum nota quadam spiritualis lætitiæ. Hac mente præcepit, ut hac die, uti cæteris, publicæ preces non fierent flexis genibus; ut minimè jejunaretur, & ab aliis exterioribus pœnitentiæ exercitiis abstineretur. Huc etiam Agapes referri possunt, hoc est charitatis convivia, quæ Dominicis præsertim diebus fiebant in exitu ex Fidelium cœtibus inter primævæ Ecclesiæ Christianos, ubi modesta permittebatur lætitia. Sed abusus, qui deinde gliscere cœperunt, effecit ut hic usus quarto Ecclesiæ sæculo ubique auferretur.

Cur Scriptura ita explicitè memoret diem, quo Deus colendus est.

Quæri posset, cur in Decalogo Sabbathi sanctificationem præcipiente mentio fiat temporis tantùm, quo Deo cultus debitus reddendus est. Ratio, quam Patres, atque Interpretes afferunt, est; non omni tempore eodem pacto hoc munere perfungi licere, quemadmodum non licet singulis momentis somnum capere, & corpus reficere; alia enim plurima sunt nobis necessaria, quibus natura, & ordo Providentiæ nos subjecit. Itaque ne huic deesse possemus officio, quod potissimum esse debet, & ne propter cætera, quæ minus necessaria sunt, vel illud negligeremus, vel penitus omitteremus; opus fuit, non solum statutum præfigere tempus, verùm illud etiam, atque etiam commendare, ac sæpe iterare præceptum, quemadmodum passim præstat Scriptura.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, neotericisque Concionatoribus loci hujus argumenti.

Sabbathum apud Judæos signū

Sabbathum signum erat indigitans debere homines sese divino cultui dicare, & coram Deo mun-

Erat, & quid apud illos significaret.

mundos, sanctosque prodire; 1. quia dies hæc illi erat sacra, & dies sancta non est, nisi quod homines tunc temporis maximè teneantur sanctitatis, & religionis opera facere. 2. Signum erat, & quoddam veluti æternum monumentum admirabilis Universorum creationis. 3. Signum erat Israelitis, totique eorum posteritati, ut meminissent se de duro Ægyptiæ serviruris jugo Dei ope evasisse; quemadmodum ille ipse testatur his verbis: *Memento, quod & ipse servieris in Ægypto, & eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti, & brachio extento. Idcircò præcepit tibi, ut observares diem Sabbathi.* 4. Denique erat figura Sabbathi spiritualis, & sacræ requiei, qua fideles perfruuntur, cum veteri homine sepulto, ut vivant JESU CHRISTO, ad vitam novam resurgunt, atque iis vacant actionibus, quæ sunt pietati Christianæ conformes. *Catechismus Concilii Tridentini in tertium mandatum.*

Quam æquum sit unum saltem diem divino cultui dicare.

Justum, ac rationi consentaneum est, nos certos quosdam dies habere, quos totos divino cultui tribuamus, Dominumque nostrum, a quo summa, & innumerabilia beneficia accepimus, agnoscamus, colamus, ac veneremur; si enim jussisset, nos quotidie Religionis cultum sibi tribuere, nonne pro suis erga nos beneficiis, quæ maxima, & infinita sunt, omnibus opera danda esset, ut prompti, alacrique animo ejus dicto audientes essemus? Nunc verò paucis ad ejus cultum institutis diebus, non est, cur nos negligentes, atque difficiles in hoc officio simus, quod sine gravissima culpa prætermittere non possumus. Qui verò hanc legem omninò negligunt, hi, cum Deo, & Ecclesiæ non obediant, neque ejus præcepta audiant, & Dei, & Sanctarum legum hostes sunt, quod animadverti potest ex eo, quod præceptum hoc ejusmodi est, ut nullo labore servari queat. Cum enim Deus non labores nobis imponat, quos vel difficillimos ejus causa suscipere deberemus, sed quietos illis festis diebus, & a terrenis curis vacuos esse jubeat, magnæ temeritatis indicium est, hujus præcepti legem recusare. *Idem.*

Non prohibentur bona facere die Sabbathi.

Si Dominici præcepti sensum scrutari velimus, Judæis quodvis opus servile Sabbatho prohibentis, liquet, hoc factum, ut illi ad tempus temporalium negotiorum curam abjicerent, divino cultui omnino vacaturi. Itaque tantum abest, quod bonæ actiones die Sabbathi prohiberentur, ut immo hac lege tenerentur magis peculiari attentione eisdem operam dare; & videmus, Dei Filium hunc diem eligere voluisse, quo plura præ cæteris miracula operaretur. Sed opus servile, a quo potissimum erat abstinendum, peccatum erat, quo efficiebantur affectuum suorum mancipia atque dæmoni subjiciebantur. Deus Sabbathum instituens, Sanctus Chrysostomus inquit, ostendit se nihil aliud cupere nisi, quod a peccando abstineatur. Nihil operis, ait ille, facietis, præter ea, quæ animæ sunt propria. Hoc enim die in Templo, uti vulgò aliis fiebat, immo etiam plus quam aliis. *Abbas de Monmorel, Homil. in Evangel. Dominic. 16. post Pentecosten.*

De sanctificatione Dominici diei.

Dies Dominicus Sabbatho successit. Vetamur hoc sancto die quodcumque servile opus facere; & divinis interesse officiis jubemur. Post sex dies in sæcularium negotiorum tumultu transactos, nonne justum est, ut una die nosmet colligamus spiritualibus negotiis impensiùs operam navaturi? *Sex*

Exod. 20.

diebus operaberis, & facies opera tua: Septimo autem die Sabbathum Domini tui est: non facies omne opus in eo. Ut autem sanctos hos dies dignè celebremus, omnes industriæ nervos intendere debemus, ut malum quid vitemus, & operemur bonum. Verum quidem est nullum esse tempus, quo malum facere liceat, & quo bonum operari non teneamur; at verum quoque est peculiares nobis incumbere obligationes statis quibusdam diebus, itaut alterum quidem accuratiùs evitare, alterum verò ferventiùs facere debeamus. O nos miseros! Quis putaret, nisi ipsa suis oculis intueretur? Christiani æque rudes, ac olim Judæi putant se præcepto dies festos, Dominicosque observandi satisfacere manuum labore abstinentes; quasi externa tantum munditia quæreretur, neque anima esset colligenda, ac roboranda, quæ fortasse sæcularium negotiorum sollicitudine dissipata, infirmataque fuit. Hoc adeo verum est, ut illi quorum est mente magis, quam corpore laborare, & quibus non alia cura est, nisi ludis, solatiisque indulgere, minime dies festos ab aliis distinguant, & putent, nulla in re exprobrari posse, si festinanter utcumque Missam audiverint mente negotiis repleta, vel corde affectionibus occupato. Affirmare etiam possumus, generaliter loquendo, diebus festis, Dominicisque plura quam aliis peccata committi; quamobrem Sanctus Chrysostomus dicere consueverat, Sabbathum quidem institutum fuisse, ut anima ab iis elueretur sordibus, quas forte per hebdomadam contraxerat, at in eo graviora, pluraque peccata patrari. *Idem.*

Quam malè, vel negligenter hoc præcepto pareamus.

Quam malè præceptum hoc adimpletur? Quin diebus Dominicis hebdomadæ peccata expientur, affirmari de iis potissimum possunt, qui mercenariam professionem exercent, hac die plura ab ipsis peccata committi. Quærunt diem illum inter compotationes, libidinesque traducere, ac profanæ lætitiæ se prorsus mancipare. Posset igitur hodierna die nobis Salvator dicere, quod olim Judæis per Isaiam Prophetam: *Calendas vestras, & solemnitates vestras odivit anima mea; facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens.* Notanda hæc verba sunt: *Solemnitates vestras*, quasi diceret Dominus; solemnitates meas convertistis in vestras, & dies, qui gloriæ meæ dicandi erant, affectibus vestris sacrastis. *Solemnitates vestras odivit anima mea. Idem.*

Adhortatio Patris Machabæorum ad filios, ut Dei legem observent.

Adnitamur toto pectore, fratres mei, ut fideles simus legis observatores: & cum Propheta dicamus: *Tempus faciendi, Domine, dissipaverunt legem tuam. Psal.* 118. Superbia, & impietas calamitosissimis his diebus triumphant, ajebat strenuus Machabæorum pater ad filios suos; vix ullum legis vestigium dignoscitur; Antiochus omnes solemnitates nostras fœdavit; estote ergo fortes filii, ac liberè vitam vestram impendite, ut Patrum vestrorum Testamentum tueamini. Heu! Christiani pro salute nostra, & Dei nostri gloria ostendamus non deesse hodierna etiam die veras, solidasque virtutes; ostendamus, vigere adhuc fideles, qui eò impensiùs Dei Legem colunt, quò indigniùs ab impiis eam pollui conspiciunt, & qui ex pravo aliorum exemplo nihil aliud percipiunt, quam sanctam indignationem contra eos, a quibus præbetur, ac majorem zeli fervorem, ut illud evertant. Dies sancti inter flagitia traducuntur; effrænis licentia aditum aperuisse videtur sceleribus omnibus; lex impune vertitur in ludibrium, & vix ullum ejusdem in mundo vestigium videtur. Nulla ergo reliqua est Ecclesiæ spes, quam in exiguo filiorum suorum numero, quorum fidelitas aliorum criminibus debet supplere. In manibus nostris gloriam suam collocat: nostrum est, acceptas reparare clades, ejusque decus tueri sanctis hisce diebus per exempla pietatis, quæ æquè publica sint, ac scandala eorum, a quibus dedecoratur. *Liber, cui titulus, Essais de Sermons pour les Panegyriques.* Tomo 1.

Deus hunc elegit diem ut præcipua hominibus conferret beneficia.

Adnotarunt Sancti Patres, Dominum semper Dominicum diem elegisse, quo præcipuas gratias hominibus conferret: *Innumeris benedictionibus diem Dominicam sanctificavit*, inquit Sanctus Gregorius Magnus. Die Dominico, hoc est primo hebdomadæ die Manna pluere cœpit in Israelitarum alimoniam; qua re, ut optimè animadvertit Origenes, significatum est, hunc illum esse diem, quo Deus filios suos Eucharistico Pane, cujus figura Manna erat, alere vult: *Jam tunc ostensum est die Dominica panem cœlestem esse manducandum.* Die Dominico,

minice,

minico, eo videlicet, qui huic respondet diei, JESUS CHRISTUS in deserto mirabilem illam panum multiplicationem perfecit, qua innumeram hominum aluit multitudinem. Hunc ipsum diem pro Resurrectione sua elegit, quæ pignus est Resurrectionis omnium hominum. Hoc denique die misit Deus Spiritum suum ad Ecclesiam, eique omnium gratiarum plenitudinem communicavit. Nonne igitur dicendum est cum Sancto Bernardo diem hanc *diem esse remissionis, diem exultationis, diem Jubilæi? Sermo pro Passionis Dominica.*

Dominica dies signū est fœderis nobiscum initi, quēadmodum Sabbathum signum erat fœderis cum Judæis percussi.

Dominus diem Sabbathi Judæis dederat tamquam pignus fœderis, quod cum illis pactum fuerat: *Videte, ut Sabbatum meum custodiatis, quia signum est inter me, & vos.* Si res ita se habet, inferendum est, Dominicum diem, qui in recenti lege idem est ac Sabbathum in antiqua, signum quoque esse fœderis arctioris, ac nobis esse debere gratiarum omnium fontem, atque benedictionum. Hac enim fidelibus felicissima die Deus illis offert quidquid habet eximium, atque pretiosissimum, divinum verbum, sanctam gratiam, sacrumque suum in Eucharistia adorabili corpus. At quænam est ingratitudo nostra? Quò plures gratias sancta die hac nobis Dominus offert, eò minùs illas recipimus. Excidere sinimus sanctum illius verbum, quin ex eo fructum percipiamus: gratiam, & veniam, quam nobis in Pœnitentiæ Sacramento offert, negligimus detrectantes ad illud accedere ea præsertim die, quæ peccatorum nostrorum remissioni destinata est; neque pasci volumus corpore, & Sanguine JESU CHRISTI, a sancta illius Mensa recedentes. Heu! Si Deus eamdem Ethnicis, ac Idolorum cultoribus gratiam elargiretur, illi fortasse non uti Christiani, eadem abuterentur. *Idem.*

Dies Dominici non violantur solum servilibus operibus.

Liquidò constat, Fideles offendere Deum, cum ob temporalem quæstum die Dominico laboribus corporis exercentur; sanctum quippe profanant diem, quem sibi sacrum Deus voluit, & Domino negant cultum, qui eidem debetur. Nihilominus nocentiores sunt, cum illum in peccatis traducunt; non quod liceat cæteris diebus peccare, sed quod peccata sancto die perpetrata graviora sunt. Si enim Fidelium scelera coram Deo multo graviora sunt, quàm Infidelium, hac una de causa, quia Fidelium scelera sunt; quis ambigit, utrum dierum, quibus peccata committuntur, sanctitas recentem illis adjiciat enormitatem? Ad vos mihi sermo, o effrænes homines, qui Dominicorum, festorumque dierum partem in aleis, ludis, theatris, spectaculisque transigitis: Ad vos, mundanæ mulieres, quæ hos sacros dies deambulationibus, & choreis destinatis, eosque aptiores esse censetis, quibus majori cum scandalo superbiam, vanitatemque vestram ostentetis: Ad vos, artifices procaces, qui religioni vobis vertitis sanctum hunc diem in consuetis opificiis traducere, & censetis vobis abstinendum non esse quin ludis exerceamini, quin cauponas, popinasque adeatis, vosque mero ad ebrietatem proluatis eo die, qui in divino cultu traducendus est; Ad vos, inquam, mihi sermo; vel potius vos ipse alloquitur Deus, cum ait: *Odivi, & projeci festivitates vestras, & non capiam odorem cœtuum vestrorum. Ibidem.*

De operibus vetitis die Dominico.

Quod pertinet ad manuum laborem, hic per se quidem malus non est, neque illum damnare voluit Deus, cum, ut ab eodem sacris his diebus abstineretur, imperavit. Immo neque otium, atque inertiam laudat, quæ per se grave malum est; sed ut indifferens exercitium, vel occupatio, quæ per se bona est, paulisper cedat meliori, & præstantiori, propter quam potissimum creatus est, quæ est Deum cognoscere, eum adorare, illi inservire, ac super omnia diligere. Hic finis est divinæ legis: Sex hebdomadæ diebus operi vacabis, atque suis necessitatibus consules; dies autem septima dies est Dominicæ quietis; omniaque relinques, ut Deum adores, & colas. *Idem.*

De ratione celebrandi Dominicū, aliosque festos dies.

Quoad modum, quo a nobis die Dominico Deus est colendus, consideranda est regula, ab immemorabili traditione profecta, atque inter Ecclesiæ Canones relata. Primi Fideles sancto hoc die simul conveniebant oraturi, divinum verbum audituri, sancti Sacrificii Corporis, Sanguinisque Dominici participes futuri, & nocturnas, diurnasque laudes Domino decantaturi; & Dominicus dies ita celebris erat, quemadmodum Sanctus Augustinus docet, ut plerique matutinis horis, quæ noctu concinebantur, & toti interessent Officio: Utinam mores nostros ad primorum Fidelium exempla componeremus! nequaquam Dei iram in nos accenderemus, uti facimus irreligiona nostra, quæ efficit, ut dies Domini in dies peccati immutemus. *Idem.* *Serm. 51. de Temp.*

Præceptum diei Dominici servandi universale est.

Cum Sabbathum ex S. Bonaventuræ Doctrina a Deo fuerit institutum ad expiandum populum suum, eumque ad officium identidem revocandum; præceptum illius observandi nequaquam haberi debet tamquam simplex, & particulare præceptum, sed tamquam universale mandatum in se quodammodo integrum continens legis complementum. Cum prohibet nobis Dominus blasphemiam, furtum, cædem, aliaque plura peccata; hæ prohibitiones particulares sunt, neque secum alias involvunt; & hæc particularia mandata intra suos limites continentur, quin ad aliorum complementum referantur. Hoc ipsum nequaquam omnino dicendum est de Sabbathi sanctificatione; quod profectò mandatum est ab aliis distinctum, sed non parum aliorum confert complemento. Quare? quia qui illud observat, cum Deo, suisque vacare debeat officiis, agnoscit quid sibi faciendum sit, quid vitandum; ac inde se teneri intelligit ad expianda peccata, quæ patravit, & virtutes exercendas, quarum praxim contempsit. Quamobrem Sanctus hic Doctor animadvertit, Deum hoc insignantem mandatum voluisse, ut Judæi diem hunc sanctificare recordarentur: *Memento, ut diem Sabbathi sanctifices;* & ea præcavisse, quæ numquam in aliis; hoc enim idem est ac si diceret: Si ita nequam fuistis, ut per hebdomadam officiorum vestrorum obliviisceremini, mementote vosmet Sabbatho colligere, ut illis perfungamini. *Memento.* Si criminosa oblivione in multa cecidistis peccata vosmet affectionibus vestris tradentes, usuras, & injustitias committentes, mementote illas expiare, ac legem meam ad unguem adimplere. Non potestis dignè diem Sabbathi sanctificare, quin vosmet ipsos sanctificetis; neque vosmet sanctificare potestis, quin legem eam adimpleatis. *Ibidem Dom. Tom. 1. pro Dom. 16. post Pentecosten.* *Exod. c. 20.*

De malis, quæ Dominicis festisque diebus fiunt.

Veritatem non sine multo rubore, atque confusione fateamur: videtur christiana plebs Dominicos festosque dies non agnoscere, nisi quia tempus tunc illi suppetit sese in omne libidinum genus effundendi, ac in fumosis popinis sese vino ingurgitandi ad insanissimam ebrietatem, quæ post se omnia malorum, criminumque genera pertrahit. Hoc Ecclesiæ Patres impulit, ut toties inveherentur contra Fidelium flagitia, quæ ævo suo festis potissimum diebus committebantur. Audite, S. Chrysostomus inquit, quid Propheta dicat: *Væ vobis, qui venturi estis in diem malum, qui tangitis Sabbatha mendacia.* Quid sibi vult hoc Sabbathum mendax, & falsum? Hoc nempe, quod cum Judæi Sabbatho cessare deberent ab opere, omnesque corporalis vitæ curas, & labores omittere, sobriè, ac modestè vivere, divino se reficere verbo, ac bonis operibus indulgere; prorsus oppositum efficiebant, comessationibus, compotationibus, ludis, & voluptatibus indulgentes. Propheta Dei nomine loquens hoc illis exprobrat vitium, hoc scelus, eisque terribile minitatur judicium, quod ipsi sibi conflant. Si homines illi qui adeo rudes erant, atque carnales adeo justo percussi fuere supplicio, eo quod diem Sabbathi, aliosque festos dies malè insumpserunt; ambigi nefas est, utrum Christiani,

tus

tot luminibus illustrati, tot gratiis adjuti multo sint nocentiores, severioresque pœnas mereantur, cum scelera sua iis potissimum committant diebus, qui divino cultui dicati sunt, eosque Ethnicorum more traducant? *Ibidem, Tomo 4. 1. Dominica post Epiphaniam.*

Nos Sancti exprobrabunt, eo quod festivitates eorum contempsimus.

Mementote, Fideles, Sanctos, cujus festivitates polluitis, aliquando Judices vestros futuros. Heu! quid illis respondebitis exprobrantibus, quod quin eorum virtutes imitaremini, in omne vitiorum genus abiistis, & in speciem memoriam eorum colentes, re ipsa eos dedecore affecistis? Dominus satis aperte professus est se cum omni iræ suæ furore pœnas sumpturum de pollutis solemnitatibus, quæ christianis festivitatibus impudentissimè subrogatæ fuerunt. Non patiar, inquit ille, per Isaiam Prophetam, festivitates vestras infames, & noxios conventus vestros; omnes solemnitates vestras detestur. *Idem.*

Isaiæ c. 1.

Cur Ecclesia statos dies Dei cultui dicaverit.

Docet Origenes, benigna Ecclesiæ erga infirmos indulgentia factum esse, ut statis diebus peculiares instituerentur festivitates, ut quibus satis non esset fervoris, ut jugiter mente, ac animo JESU CHRISTI Mysteriis, divinisque vacarent perfectionibus, possent per intervalla seipsos renovare, ac in se charitatis ignem accendere, qui alioquin negotiorum sæcularium turba extingueretur. Sed quod indulgentiæ, & charitati, quæ est erga infirmos habenda, concessum est, non debet inertiam, negligentiamque fovere. Hæ imbecilles, & carnales animæ novos subinde conatus exerere debent, vel ut sese expediant ab iis omnibus negotiis, propter quæ mundo inhærent, vel ut cor, affectusque suos a bonis, dignitatibusque divellant, quas relinquere vel nequeunt, vel nolunt; ut donec iis vacaverit corpus, spiritus acquirere possit sanctam hanc libertatem vacandi Deo, JESU CHRISTI Mysteriis, & juge, ardentique æternæ vitæ cupiditate flagrare. *Desumptum ex Tractatu de diebus festis Patris Thomassini.*

Festivitates nostræ esse possunt perennes.

Sanctus Hieronymus ait, Fideles argui non posse tamquam judaizantes, iisdemque temporum, mensium, dierumque observantiis addictos, quamquam in singulis hebdomadis diem festum colant, nec non Pascha, Pentecosten, & Martyrum celebrent solemnitates. Et ratio constat; non solum enim JESU CHRISTI Resurrectio, & Spiritus Sancti descensus objecta sunt longè ab illis diversa, quæ Synagoga sibi proponit in Paschate, atque Pentecoste; sed etiam quod adorabilia mysteria, quibus in Paschate, aliisque festivitatibus occupamur, æterna mysteria sunt, non diei vel mensis propria; sed eamdem excellentiam, virtutem, sanctitatem, eamdemque gratiarum affluentiam habentia, omnibus mensibus, omnibus diebus, omnibusque anni momentis. Nullus est in anno dies, si velimus, quo JESUS CHRISTUS pro nobis non moriatur, atque resurgat; nullum momentum est, quo nova Spiritus Sancti in nos effusio non fiat, si illi recipiendo parati simus. Verum quidem est, non omnes fideles sublimem hunc perfectionis, & charitatis attigisse verticem, itaut divina mysteria illis semper æque præsentia sint, & efficacia. Propter hos igitur peculiares institutæ fuerunt solemnitates, ut in illis novam acquirere possent virtutem, sese saltem ad breve tempus sæcularibus negotiis expedientes. *Idem.*

In Epist. ad Gal. c. 4.

Cur stati dies, statæque horæ Dei cultui fuerint destinatæ.

Idem Sanctus Hieronymus affirmare non veretur diebus festis, atque Ecclesiasticis nihil majus inesse, quàm cæteris; sed distinguendos hos dies festos in Ecclesia fuisse, ut magis, magisque instauraretur, atque inflammaretur Fidelium charitas erga Deum, coram quo in Ecclesia conveniunt, & erga fratres, cum quibus conveniunt. Eodem in sensu dici posset, diei festi horas non esse alias aliis sanctiores, omnes enim simul diem sanctum componunt; sed necesse fuisse aliquas ab aliis distingui, & aliquot divino cultui dicari, ac divini Officii diversis partibus addici, ut fervor harum sanctarum horarum in alias etiam horas effusus quodammodo reliquum diei spatium sua pietate condiret. Peculiares anni festivitates eamdem habent rationem cum universali hac, & jugi festivitate, quam divini cultus horæ cum toto die festivitatum particularium. Omnia quodam sensu æquè Deo dicata sunt, quemadmodum a Deo profecta, & ad Deum reditura; sed charitatis flamma, & cordis applicatio orationi cum nequeat semper æque fervens esse, dies aliquot destinandi fuere, & aliquot horæ, immo etiam in qualibet hora aliquot momenta eligenda, ut in illa instauraretur. *Idem.*

De præstantia diei Dominicæ, ejusque institutione.

JESUS CHRISTUS die Dominica resurrexit, & Ecclesia in hanc diem transtulit Sabbathi festivitatem. Evangelistæ diem hanc primam post Sabbathum appellarunt, *Una Sabbathi, prima Sabbathi*; omnesque memorare voluerunt hac die Dei Filium devicta morte triumphantem in gloriosam, immortalemque vitam suam rediisse; dedisseque initium novo mundo efficiendo, ut secum omnia resurgerent corpora, quorum ipse erat caput, *Conresuscitavit. Si consurrexistis cum Christo.* Naturalis mundus die Dominico fuerat creatus; septima enim dies fuit dies Sabbathi, & quietis. Docuit in Actis Apostolorum S. Lucas, Apostolos, ac Fideles deinde eodem Dominico die congregari consuevisse, ut Sacrificium celebrarent, ac prædicarent: *Una Sabbathi cum convenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat.* Ecce palam Dominicus dies, Panis Eucharisticus, Prædicatio. Sanctus Paulus iisdem loquitur verbis, & aliam addit sacrificii speciem, nempe eleemosynas, & collectas, quæ omnibus Dominicis diebus fiebant. Non igitur laborandum est circa mutationem diei septimæ quieti, ac Festivitatis celebrationi dicatæ; cum enim hæc mutatio ab Apostolis fuerit effecta, & fortasse tunc etiam temporis, quo JESUS CHRISTUS post resurrectionem adhuc versabatur in terris, crucem nobis figere nequaquam decet, scire quanam id factum fuerit auctoritate. Neque post hæc mirum est, si deinceps Ecclesia Dominicum diem constituerit, quo Fideles congregarentur, & Sacrificium solemnius, quam reliquis diebus celebraretur; denique ut Verbum Dei prædicaretur, Scripturæ explicarentur, & laudes Deo concinerentur. *Idem.*

Ad Ephes. 2.

Act. 2.

Voluit Deus nobis in memoriam revocare cultû a nobis sibi præstandum, cujus alioquin obliti fuissemus.

Adeò cæci sumus propter affectus nostros, adeo parum officiorum nostrorum cognitioni intenti, & in adeo profunda earum rerum, quæ ad Dei cultum pertinent, oblivione sepulti, ut numquam fortasse animum appelleremus Dominicis, festisque diebus sanctificandis, nisi Deus ipse juberet, nos identidem colligi, ut eorum idea nobis præsentior, & consuetudo vel magis familiaris, vel sanctior efficeretur: *Memento, ut diem Sabbathi sanctifices.* Hæc est Sancti Augustini argumentatio. *Ex Moralibus Sermonibus, Sermone hujus argumenti.*

Exod. 20.

Dominicus dies diligentiùs observandus est, quàm olim dies Sabbathi.

Si Judaico populo interdictum erat quodcumque opus servile, ut in pace libertatis suæ festivitatem celebrare posset, quo potiori jure fideles ab hujusmodi operibus cessare debent, ut diem Dominicum recolant, diem videlicet Resurrectionis JESU CHRISTI, diem salutis suæ, ac libertatis; diem, qua Deus non solum de peccati servitute illos eripuit, sed etiam de Mundi, quæ servitus est consuetorum negotiorum, impedimentorumque suorum? *Idem.*

Hi dies vulgo profanantur.

Tanta est sæculi nostri cæcitas, & sanctorum horum dierum profanatio. Etenim cave, ne teipsum decipias, Sanctus Augustinus ait: malum faceres, si aratro terram foderes, at pejus malum facis diem hunc in ludis, & compotationibus traducens. Malum, o Matronæ, faceretis, si acum, pensumque attrectaretis, sed pejus malum facitis, dum aleis, & choreis indulgetis. Quidquid contra legem est, omni quidem tempore, potissimum verò Dominicis, festisque diebus interdictum est. Mulier quædam religioni sibi maximè vertet do-

mesticæ

mesticæ rei curam aliquam gerere die festo, aut Dominico: at religioni non vertet, plures horas ad speculum sese componere, ancillasque suas in se ornanda occupare, ut in cœtu, vel Templo formosior, ac venustior videatur. Vel quia extrinsecùs præcepto satis fecerit Missam audiens, putabit se omnino officio defunctam suo, licet magnifico ornatu, indiscretaque nuditate pluribus scandali occasionem præbuerit. Opifex quidam, qui nullo se flecti pateretur pretio, ut diebus hisce arti suæ manum admoveret, eos in aleis, ac impudicitiis traducit, hebdomadæ totius lucellum obliguriens, quin cogitet, familiam suam ideo summa laboraturam inopia. Festis dumtaxat diebus, popinæ, cauponæque mortalibus oppletæ sunt; hoc tantùm tempore fideles affluenter ad solatia, & spectacula turmatim concurrunt, quasi insolentiis Deum in ludibrium traducturi, & nequiori impietate hos dies, quæ ad ipsum pertinent, profanaturi. Si deambulationes instituendæ sunt, si visitationes ultrò, citroque excipiendæ, atque reddendæ, si negotia procuranda, & contractus ineundi, ad hæc obeunda Dominici, festique dies eliguntur! *Ibidem.*

Aliqua permittuntur Dominicis diebus solatia.

Quamvis hi sancti dies omnino pietati, divinoque cultui dicati sint, nemo tamen ire potest inficias, honestas quasdam animi remissiones ab Ecclesia permitti; & licet religiosissimi essent sanctorum horum dierum observatores primi fideles, videmus tamen, eo etiam tempore, quo magis Ecclesiastica vigebat disciplina, Christifideles quamdam prætulisse lætitiam nitidioribus, elegantioribusque se vestibus induentes, præsertim verò convivia exercentes, quæ Agapes appellabantur, convivia videlicet charitatis, quæ ita erant instituta, ut cum amicis oblectarentur, & pauperes alerentur; & in quibus non minus pietas quàm solatium quærebatur, ob pia colloquia, quibus dapes, ut ita dicam, condiebantur. Sed post hoc epulum, quod frugalitas, atque devotio magis commendarunt, quam magnificentiam Ethnicorum conviviorum, iidem fideles a mensa ad Ecclesiam consuebant oraturi, itaut dici posset, mensam quamdam esse pietatis dispositionem & fervoris maximam factam fuisse accessionem ex ipsis solatiis; qui profecto hujus institutionis fuerat finis, atque consilium, ut aliquantulum remitterentur, mox ardentius charitatis exercitia, & officia religionis repetituri. Ita de illis loquitur Tertullianus, qui licet severissimus, hæc tamen honesta probat solatia, quæ ego libenter sancta, & christiana vocarem; ita inquam loquitur: Ex his conviviis egressi non pergimus cos spectaturi ludos, ubi nihil præter cædem, & sanguinem videtur; non ad eos conventus properamus, ubi impietas, obtrectatio, impudicitia triumphum referunt de virtute; in exercitationibus, actionibus, sermonibus, solatiisque nostris nihil emicat nisi pietas, modestia, frugalitas, itaut facile intelligi possit, iis in conviviis, quæ a nobis diebus festis habentur, nobis curæ potius esse, spiritum divini verbi pane reficere, quàm corpus dapibus saginare; nostrosque festos dies institutos esse, ut sanctam infundant menti lætitiam, non ut corpori ansam tribuant voluptatibus indulgendi. Ubi sunt beata hæc tempora, o Fideles? O nos miseros! non vigent amplius prima illa verè aurea sæcula; pietatis exercitia, quæ tunc diebus festis consueverant, ita cessarunt, ut pro charitatis conviviis, fiant tantummodo commessationes, impudicitiæ; & quin pauperes, ægroti, & xenodochia invisantur; suspectæ tantummodo, vel periculosæ visitationes habentur. *Ex Manuscripto Sermone.*

De criminibus, quæ sanctis hisce diebus patrantur.

Sanctus Gregorius Magnus refert, primis Ecclesiæ sæculis festis Sanctorum Martyrum diebus dæmones de energumenorum corporibus egredi consuevisse fidelium pietate, ac precibus illinc expulsos; sed calamitoso hoc, quo vivimus, tempore, quis non affirmaret, dæmones confringere vincula, ac fidelibus potiri Dominicis diebus, tanta hi furunt impudentia, adeo enormis est profanatio, qua horum dierum sanctitatem misere polluunt? Et sanè undenam proficisci possunt ludi, aleæ, choreæ, commessationes, & compotationes immodicæ, quæ his diebus vulgò fieri consueverunt, nisi ex dæmonum suggestione, & calliditate, qui homines impellunt, ut hos dies divino cultui dicatos in omne nequitiæ genus impendant, atque eo tempore, quo Deo, & salutis suæ negotio vacandum esset, abutantur, ut effræni licentia impudentissimè in omnes libidines ruant? *De la Font. In libro cui titulus Entretiens Ecclesiastiques in 16. post Pentecosten Dominicam.*

De sanctitate diei Dominicæ quæ Sabbatho subrogata fuit.

Dies Dominicus in lege nova Sabbatho fuit subrogatus: & Christiani eo magis ab omni servili opere abstinere debent, & a consuetis vitæ suæ negotiis cessare, quò magis requies JESU CHRISTI quam recolunt, cultu eorum digna est; hanc enim requiem omnes, & vitæ ipsius labores, & mortis passiones præcesserunt. Sanctus Gregorius Nazianzenus animadvertit, si opus esset, ut Dei recordaremur, eique peculiariter gratias ageremus ob omnia, quibus ab eo cumulati fuimus, beneficia, indesinenter gratiis agendis esse vacandum; quandoquidem indesinenter ille de nobis meretur per quam optime, & ne uno quidem momento vigere possemus, nisi omnipotens ejus dextera, quæ nos de nihilo eduxit, prohiberet, ne in nihilum reverteremur. Attamen ineffabili bonitate a nobis exigere noluit ea omnia, quæ jure poterat; rationem habere dignatus est omnium occupationum nostrarum, quibus vitæ hujus necessitates nos adducunt; ac satis esse voluit, si singuli in hebdomada dies illi reservarentur. *Idem.*

Quod crimen committunt, qui sanctos dies polluunt.

Sanctus Chrysostomus affirmare non dubitat eos, qui sanctum Dominicæ festivitatis diem in mundi hujus occupationibus, ludis, choreis, conviviis, aliisque id genus profanis oblectationibus impendunt, nihilò minùs nocentes esse, quam qui sacrilego conatu sacra Templa diripiunt. Si enim hi ea polluunt quæ divino cultui dicata sunt; illi polluunt diem quem sibi reservavit Deus, & cultui suo sacrum esse voluit. Intelligitisne, Fideles, quodnam peccatum sit ex hujus Patris sententia, hos sanctos dies temerare, atque polluere? Quænam vestra esset sententia de illo homine, qui nostra Templa diriperet, eisque opulentissima auferret ornamenta, quibus majorum nostrorum pietas ea decoravit; vel qui ablata vasa sacra in profanos usus converteret? Video equidem vos hæc perhorrescere crimina, & ad solam eorum cogitationem infrendere; nostis enim ea, quæcumque licet minima, altarium ministerio inservierunt, sacra fieri, ac nemini violanda; verum discite scelus hoc vestrum, quo Dominicum diem profanatis ludis, commessationibus, & ebrietatibus, vel aliis mundi oblectamentis, ex Sancti Chrysostomi sententia non esse minus sacrilegium; sanctum enim hoc tempus, quod profanatis, non minus Deo dicatum est, quàm qualibet Templorum nostrorum supellex. Quomodo igitur illum in alios usus traducere liceat? *Idem.*

A quibus operibus sit abstinendum diebus festis, atque Dominicis.

Næ ille vehementer errat, qui putat pro servilibus operibus, quæ divina lege prohibentur, agriculturæ tantum, vel opificii alicujus, cui per hebdomadam mercenarii occupantur homines, opera esse intelligenda. Interdictum hoc longè plura complectitur; extenditur enim ad omnia profana, & sæcularia negotia, quæ nobis impedimento sunt, ne divino cultui unicè vacemus; extenditur ex Sanctorum Augustini, ac Thomæ sententia ad omnem varietatem occupationum, quibus urbana hominum vita exercetur, & quibus singuli secundum statum, ac professionem cujuscumque per hebdomadam vacant; nisi aliqua necessitatis, charitatis, vel pietatis ratio permiserit, ut his etiam diebus iisdem opera impendantur. Hæc lex etiam extenditur ad venationes, ludos, comœdias, deambu-

lationes,

latlones, inutiles visitationes, vel alias profanas oblectationes, quibus post auditam festinanter Missam indulgemus. Ubi dies Dominicus incipit, quisque fidelis cogitare debet, eam sibi in auribus personare vocem, quam olim in revelationibus suis Sanctus Joannes audivit: *Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis*. Jam dies Dominicus adest; a laboribus abstinere, consueta negotia abdicare, & hac intermissione laborum hujus diei sanctificationem incipite. *Idem la Font.*

* Apoc. c. 14.

Ejusdem argumenti continuatio.

Pro his servilibus operibus, quæ lege prohibentur, omnia intelligenda sunt opera, quæ impedimento sunt, ne unicè divino cultui vacemus nimia cura temporalia consectantes, fortunæ provehendæ rationem quærentes, litem procurantes, ut felicem exitum consequatur, vel alicui operam dantes negorio, ut inde lucrum referamus. Nequicquam, Sanctus Augustinus ait, has occupationes, hæc studia sexcentis speciosis prætextibus contegere adlaboratis; quæcumque a vobis adferatur excusatio, quodcumque opus facitis, nisi ex necessitate, vel ex charitata faciatis, si illud, ut quæstum, vel utilitatem aliquam reporietis, vos facitis, jam hoc opus servile est, quod Divina Lex interdicit; peccatum est, quod Dominici diei sanctificationem infringit. Neque minus falluntur, qui comporationibus, atque voluptatibus vacant, putantes voluptates, & oblectamenta, nequaquam prohiberi, ut ea, quæ pro lucro obtinendo fiunt; & sibi religioni minimè vertunt, postquam divinis adfuere mysteriis reliquum diei spatium in aleas, venationes, theatra, aliaque id genus solatia traducere. Nonne enim apertissimè constat has omnes nugas nihilo minus mentem nostram avertere a divino cultu, & salutis nostræ negorio, quàm serias quascumque occupationes, ideoque nequaquam minus esse diei Dominicæ sanctificationi contrarias? *Idem.*

Præceptum diei Dominici observandi nimis onerosum non est.

Numquid nimis multa a nobis exigit Deus diem in qualibet hebdomada flagitans, quo ejusdem cultui vacemus? hoccine nimis grave jugum est, & pondus nimis onerosum? Longè aliter mundus agit cum sectatoribus suis; illos jugi occupatione obrutos videre vult, ut sibi gravissimam serviant servitutem. At Deus ineffabili indulgentia permittit, ut sex diebus urbanæ vitæ muneribus navemus operam, atque temporalibus negotiis invigilemus, & septimum quemlibet sibi tantùm reservat? Decet ne, quin adeo benignæ bonitati gratias babeamus, meliorem sancti hujusce diei partem in profanas, mundanasque occupationes traducere? Hoccine est unicè divino vacare cultui horæ dimidium eidem impendere? an potiùs hoc est illum fraudare meliori ejus temporis parte, quod sibi voluit reservari? Numquid ad tempus adeo arctum redigenda est gratitudo, quæ illis pro tot benefactis debetur, quibus nos cumulat indesinenter? Huncecine quieti ejusdem adhibemus honorem ut nulla ferme in re consueta exercitia intercidamus? Numquid diei Dominicæ sanctificatio ad brevem tantum Missam coarctanda est? Itane vellemus famulos nostros nostris vacare negotiis, vel opifices nobis eos dies impendere, quibus illos conducimus? Hoccine est sese terrenis expedire negotiis, ut cœlestibus, ac saluti nostræ meliùs invigilemus? *Idem.*

Cur Dominicæ diei festivitas instituta?

Verum quidem est Christiani hominis vitam jugem esse debere divini nominis sanctificationem, & omne illud tempus, quo in terris morati debet, ex S. Chrysostomi sententia eidem esse debere perennem festum diem, quandoquidem esse debet imitatio, at principium vitæ cœlestis. Nihilominus, quia temporales necessitates nostras avertunt cogitationes, neque sinunt nos semper vacare Deo, uti Angeli faciunt; quosdam elegit dies Deus, quos in honorem suum peculiariter dicaros voluit, & quibus nos cessare jussit ab aliis operibus, ut omnino ejusdem cultui vacaremus. Inter hos dies celeberrimus est ille, quem Dominicum appellamus, quasi diem Domini diceremus; dies antonomastice, ita nuncuparus, quia eo die Deus præstantissima edidit sapientiæ, atque potentiæ suæ opera. *Auctor Sermonum Christianorum, Sermone hujus argumenti. Tomo 4.*

Cur hoc die a quovis corporali labore abstinendum.

Potest profectò, immo, & debet coli Deus in ipso labore: cum Christiani secundum Evangelii regulam a Sancto Paulo prædicatam omnia, quæcumque faciunt, in JESU CHRISTI nomine, ac spiritu facere debeant. Sed quam difficile est, hominem, uti oportet, mentem suam ad Deum attollere, nisi cesset ab iis operibus, quæ meliorem vitæ suæ partem sibi vendicant, ac prohibent, ne spiritu communes sequatur preces, quas effundit Ecclesia ad Dei iram flectendam, ejusque promerendam misericordiam! Omnes anni dies Domini sunt; ipse dominus est temporis nostri, uti bonorum nostrorum, ipsiusque vitæ dominus est; & insignis est gratia, quam satis admirari non possumus, quod tantum nobis concesserit temporis, quo negotiis nostris operam demus, & parum adeo suis reservarit. Hinc facilè intelligi potest quàm nocentes sint coram Deo, qui sine extrema necessitate, vel aliqua charitatis causa impellente pro sordido quæstu æque Dominicis, ac reliquis diebus jugi labore exercentur. *Idem.*

Illusio eorum, qui satis putant hoc die Missam audire.

Putatisne, Fideles, vos satis superque Dominicum, aliosque festos dies, quos præscribit Ecclesia, coluisse cum nitidioribus induti vestibus, mane properastis sacris interfuturi Mysteriis, ut reliquum diei spatium aleæ, commessationibus, vestrisque oblectamentis impenderetis? At quis non videt, Sabbathum hoc, quod omnes Deo dignas actiones excludit, non aliud esse quam festivitatem vitiis vestris dicatam, & ex iis festivitatibus unam, propter quas Amus Propheta sancto zelo succensus exclamavit; Væ vobis, qui tanta pompa Domum Dei Israel ingredimini! Væ vobis, qui cum diebus Dominicis cessare ab omni vitæ corporeæ cura, modestè vivere, vosmet divini Verbi pabulo reficere, actionibus pietatis vacare debeatis, in ludos tantùm, & aleas, aliaque oblectamenta mentem, animumque transfertis! Væ vobis, qui tot sceleribus diem malum maturatis, qui vobis dies futurus est perditionis, & calamitatis; *Væ vobis, qui venturi estis in diem malum, qui tangitis Sabbatha mendacia. Idem Auctor Sermonum Christianorum.*

Mundana solatia non minus his diebus interdicuntur, quam Ecclesias similibus actionibus profanare.

Si loci sancti nostris non debent inservire solatiis, divino quippe cultui sacri sunt; cur licebit, in eadem impendi tempus eidem cultui dicatum? Tempus, quod Divinæ Majestati dicavit Ecclesia, num minus sanctum est, quam templum ab eadem illi dicatum? Rationes, quibus innixa consuetos festis diebus labores prohibuit Ecclesia numquid pro venatu, impudicitiis, aleisque non vigent? Dici profectò nequit, quemadmodum Sanctus Thomas argumentatur, ab Ecclesia ideo labores illos his diebus fuisse prohibitos, quia mali sunt; e contra enim sunt necessarii, atque per ipsum laborem sanctificari aliquis potest. Iis ergo diebus prohibiti sunt, obsunt enim, ne spiritus unicè Deo, atque propriæ salutis negotio vacet. At profanum oblectamentum, minusne idoneum est menti a Dei cogitatione avellendæ quàm sit corporis labor? *Idem.*

Indignum est festos dies in ludis transigere.

Idololatrarum festis diebus nihil solemnius erat, quam ludi; hic erat dæmoni cultus jucundissimus; quippe plurimorum scelerum causa. Primus cultus quem a populo Israel expetiit, postquam hic a vera Dei religione recesserat, Vitulum aureum adoraturus, ludus fuit prope Idolum sibi conflatum adhibitus: *Et surrexerunt ludere*. Nonne igitur erubescendum esset Fidelibus sanctos festivitatum dies in iis solatus transigentibus, quæ dæmon pro peculiari suo cultu instituit, ac sacrilega profanatione, veri Dei in dæmonis cultum convertentibus? *Idem.*

Exod. 32.

Die Dominico ad

In creatione Mundi Deus sex diebus operatus est,

examen ea sunt revocanda, quæ reliquis diebus facta fuere.

est, die verò septima, ut Scriptura testatur, ab opere requievit. At in quo hanc Domini requiem stetisse, refert Scriptura? In hoc: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Deus recensionem instituit omnium operum suorum, eaque omnia bona, & perfecta invenit; atque in approbatione sua suam reperit requiem. Hæc præsertim in re a nobis est imitandus: relinquite opera vestra servilia, atque ad examen revocate quidquid a vobis gestum est per hebdomadam. Videte, utrum cum Deo dicere valeatis, quidquid a vobis elapsis sex diebus factum est, bonum esse. Perpendite, utrum Deo, & proximo fideles fueritis, utrum status vestri munera adimpleveritis, utrum in vestris contractibus, & negotiis nulla interfuerit iniquitas; & postquam diligenti examine vos ipsos excusseritis, ea probate, quæ probanda sunt, ea corrigite, quæ corrigenda; & reliquum diei spatium Domino offerte sacrificia, ut vobis illum propitium efficiatis, utque frequentes spiritus evagationes, quas per hebdomadam passi estis, reparare possitis. *Idem.*

FIDELITAS
IN REBUS MINIMIS.

Cura in minutis etiam officiis obeundis, & exiguis defectibus evitandis.

MONITUM.



Oc argumentum tantam habet cum peccati venialis fuga rationem, ut diu anceps fuerim, utrum utrumque uno complecterer titulo. Rebus in minimis fidelitas comprehendit etiam curam minima evitandi mala, eaque peccata, quæ levia, & venialia vocantur: patet enim quidquid discriminis interest ad illud referri, quod genus inter, ac speciem intercedit; videlicet alterum altero latiùs patere; verum hoc discrimen sufficere mihi visum est, ut seorsim de utroque agerem, licet plurimi Concionatores utrumque simul confundant.

Cæterum argumentum hoc ex illis est, quæ nova possunt vocari; quoniam Concionatores veteres hoc numquam pertractarunt, & obiter tantum de eodem verba fecerunt, & unus, quem sciam, Sanctus Chrysostomus hujus argumenti integrum sermonem edidit eo in loco, quem Paragrapho secundo memoramus, quod non prohibet, quò minus maximè necessarium, atque utilissimum sit, religiosis verò præsertim, ac iis, qui pietatem profitentur. Sin autem hinc satis copia non suppetit, ut integer impleatur sermo de fidelitate in minimis rebus adhibenda, consulenda sunt ea, quæ de peccato veniali a nobis dicentur; difficile enim est non dici multa, quæ ad utrumque argumentum pertineant

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ Concionum hujus Argumenti Systemata.

I. 

N virtutum via duo inveni, quæ ut plurimum omnem earum exercitationem partiuntur, res scilicet magnas, & parvas. Inter magnas, quæ a nobis in pretio habentur, præclara recenseo facta, puta animarum conversionem, bona opera, largè in egenorum sinum effundere eleemosynas, civitates integras suo zelo inflammare, immensos labores subire, summas pati austeritates &c. Inter parvas autem adnumero in pietatis exercitiis diligentiam, in status sui obeundis officiis curam cum exemplo conjunctam, vitam procul a mundi tumultu ducere, ac muneri suo non deesse &c. Accidit autem vulgò, ut cum æstimatione, atque approbatione res magnas excipiamus; minutas verò ita modico habeamus in pretio, ut iis animum ne advertendum quidem, neque eam, quæ par est, curam illis impendendam esse censeamus. Quamobrem sermo hic ad eos refertur, qui tamquam infirmos spiritus contemnunt illos, qui hujusmodi rebus adjiciunt animum, atque intra pietatis, & status sui officia se continent; & ad eos, qui magnas tantummodo res, virtutesque océores consectantur, & nugas putant, quæcumque exteriùs non fulgent. Qua in re duo ostendenda suscipio: primum, non minori virtute, vi, & constantia opus esse, ut in minutarum rerum praxi perseveremus, quam ut magna quælibet audeamus, atque ad Religionis incrementum, mirum aliquid adnitamur: Alterum, Deo non minorem afferre gloriam in minimis rebus, quam in maximis, & quarum felix eventus admirationem conciliat, vigilantiam. Hæ duæ sunt hujus sermonis partes.

Pars prima: Non minus virtutis, fortitudinis, & constantiæ in minimis, quàm in rebus maximis requiri. 1. Humana etenim mens suopte ingenio propositi sibi operis magnitudine inflammatur, quod non modicam aufert difficultatem; sperat, futurum, ut si votorum suorum summam consequatur, perfruatur fructu laborum suorum, & felicis eventus gaudium præclara eorumdem sit merces. Sed in minutis rebus nihil nos animat, nihil exteriùs nos excitat: cum quæ exigua facta vulgatiora sint; infrequentiùs illis sese immiscet jactantia, rectior, purior atque integrior intentio est: præterquam quod plurimæ virtutum actiones, licet modicæ, cum frequentes sint, præclarissimæ actionis meritum possunt exæquare, &c. 2. Quia in vulgata rerum minutarum praxi non minus adest laboris, & difficultatis, (ibi enim cura, & exercitatio jugis est, & sine intermissione) quam in maximis, quæ raro tantum accidunt in vita. Facilius longe est sibimet vim adhibere iis in occasionibus, quæ semel, vel & iterum accidunt, quam semper diligentem esse, frugi, compositum, in minimis usque muneribus; ad id enim opus est, seipsum indesinenter superare, contra ipsius ingenii nostri studia operari; cum hominum animus quantùm libertatis suæ cupidus est, tantùm vim sibi facere perhorrescat. Opus est ergo virtute magis constanti, meliusque roborata, ut quis in rebus

bus modicis fidelem se præbeat. 3. Difficultates, interioresque curæ, quæ superandæ sunt in minimarum rerum praxi indigere videntur virtute fortiori, & fortitudine magis confirmata, ne quis fastidiat jugem earum rerum, quibus nulla inest illecebra, exercitationem; ne tædio afficiatur vitæ semper uniformis; ne sexcentis se reculis subjiciant, ex quibus nullam coram hominibus gloriam percipimus, & quæ coram Deo non admodum insignis meriti videntur esse, quà in re plurimi decipiuntur. 4. Quia in modicarum rerum exercitatione maximæ etiam virtutes exerceri possunt, humilitas, patientia, mortificatio, charitas &c.

Pars altera; ubi ostendendum est, in minimis rebus non minus quàm in maximis Dei gloriam promoveri. 1. Ita enim testamur, nobis altissimam esse de Deo existimationem, ac sublimem de ejusdem magnitudine conceptum, cum beatos nos existimamus, si digni habeamur, qui minima etiam illi præstemus officia. 2. Sæpe Deo minima æque ac maxima placent, atque ostendere possumus nihil in oculis Dei parvum esse, ubi pro illius amore, & gloria fiat, præterquam quod de Deo idem dicendum est, ac de terræ hujus principibus, ac Dominis erga famulos suos; quorum fidelitatem in minimis rebus experiuntur, si nihil ab ipsis, vel leve negligatur, ac illis nihil oscitanter unquam excidere deprehendatur. Accidit etiam non raro, quod summorum virorum benevolentiam nobis conciliamus, minutis officiolis, jugibusque opellis, quàm insignioribus benefactis; hæc enim putant sibi tamquam debita reddi, eas verò tamquam amoris argumenta. 3. In minoribus rebus minus sese immiscet philautia; minus ea quærimus, quæ nostra sunt; ideoque ad eas capessendas Dei tantum gloria, studiumque eidem placendi nos potest impellere, & eam avertere nauseam, quæ ut plurimum illas comitatur.

II. 1. Negligentia in minutorum officiorum executione injuriam facit Sapientiæ Dei, quæ eas utiles, ac necessarias saluti, æternæque nostræ felicitati judicat.

2. Ejus lædit amorem, qui amoris nostri diligentiam efflagitat, ne illi ulla in re displiceat.

3. Ejus lædit sanctitatem, coram qua vel levis macula labes est turpissima.

III. In Dei cultu nihil minutum est.

1. Nihil exiguum est inter ea quæ rationem habent ad Deum adeo magnum, & quæ illi vel placere possunt, vel displicere. 2. Nihil exiguum est inter ea, quæ vel prodesse, vel obesse possunt negotio tanto, quale est salutis nostræ, nostræque perfectionis. 3. Nihil exiguum est inter ea, per quæ æternam gloriam, vel mereri, vel amittere possumus. *Pater Nepueu in Christianis Considerationibus.*

IV. Parva res non est ex rebus parvis fructum percipere.

1. Hoc ostendit, virtutem summo haberi in pretio, ac nos ingenti ejusdem amore flagrare.

2. Hoc ex parte quidem Dei non sine peculiari gratia; ex parte verò nostra non sine fideli cooperatione fieri potest.

3. Ita majoribus progressibus assuescimus, & ad sublimiores virtutis gradus adnitimur. *P. Dozenne in Morali Jesu Christi.*

V. Ostendi potest in minimis rebus negligentia; primùm in corruptione cordis, deinde in effectibus ejus.

Quod ad primam attinet, proficiscitur, 1. ex modica divinarum rerum existimatione; 2. ex æternæ salutis incuria; 3. ex magna in Domini cultu tepiditate. Hæ communes sunt causæ, propter quas minutæ res contemnuntur.

Punctum alterum. Hæc eadem negligentia in effectibus suis potest considerari: Aufert occasionem, & animum conandi magna. 2. Efficit, ut nihil unquam pro Deo fiat; majores enim occasiones raro accidunt, & si minores contemnantur, quid fiet? 3. Efficit, ut mox in graviora mala decidatur: *Qui spernit modica paulatim decidet.* Eccli. 19.

VI. 1. Fidelitas servi Dei in minimis melius sese, quàm in maximis prodit.

2. Dei magnificentia magis elucet in mercede, quam minimis virtutum actibus largitur, & pollicetur; quoniam totum Regnum suum pro aquæ sypho, atque æternum gloriæ pondus pro levi tribulatione, quam propter amorem suum perferimus, erogat.

VII. 1. In prima parte ostendendum est, Deum ad cordis nostri superbiam conterendam integram expetere ex nobis omnibus cum magnis, tum minimis legibus suis obedientiam.

2. In altera verò; Ut mentis nostræ cæcitati medeatur, jubet, ubi de religione, & conscientia sermo est, nihil esse modicum, nihilque contemni posse citra reprobationis periculum. *Duplex hæc veritas constituit partitionem Sermonis, quem Pater Bourdalove edidit hujus argumenti.*

VIII. Ostendi potest, 1. Nullum esse tam leve malum, quod effugere quàm maxime nostra non referat. 2. Nullum esse tam modicum bonum, quod exercere nobis non maximè prosit. *P. Giroust in hoc argumento.*

IX. 1. In priori parte ostendendum est ex levissimis etiam malis gravissimos effectus existere, eaque sensim ad quæcumque funestissima extrema deducere. 2. In posteriori verò, minima quæpiam, cum de sanctitate sermo est maximis virtutibus materiam suppeditare, ac efficere, ut veluti per gradus ad perfectionis apicem ascendamus; unde sequitur in Dei cultu nihil esse negligendum. *Auctor Sermonum in omnia Ethica Christiana argumenta.*

X. Minimarum rerum negligentia sæpe ad gravissima adducit mala, 1. Imminuendo in anima Dei metum, qui iteratis levibus offensionibus deficit; 2. tepefaciendo ignem amoris Dei, atque nutriendo in anima incuriam, quæ efficit, ut gravissimis etiam jacturis non afficiamur. 3. Auferendo sensim horrorem, quo naturaliter vitium persequimur.

XI. 1. Qui minima contemnit, ostendit se non satis dignum de Christiana Religione, ac status sui dignitate conceptum fovere. 2. Salutem suam in apertissimum adducit discrimen; unde sequitur nullam esse noxam, quæ levis censenda sit, & nullam virtutis actionem, quæ sit inutilis, vel modicæ utilitatis.

XII. 1. Cura, quam in minimis etiam adhibemus, hoc est, qua minora evitamus peccata, atque minimis pietatis officiis perfungi quærimus, indicio est nihil nobis antiquius esse salute nostra. 2. Ardenti nos charitate flagrare, quia rebus in omnibus Deo placere studemus. 3. nos acquirere, vel brevi eminentem virtutem acquisituros.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque, unde elici materia potest ad propositas Concionum partitiones ornandas.

SAnctus Augustinus, *Epist.* 108. *ad Seleuciam.* Sancti Patres.

Sanctus Joannes Chrysostomus, *Homil.* 87. *in Matth.*

Sanctus Basilius, *Serm. de renunciat. Sæculi, & spir. perfect.*

Idem, *In Constit. Monast. cap.* 2.

Cassianus, *Coll.* 6. *Abbat. Theod.*

Sanctus Leo, *In Extrem. Epistol.* 86. *ad Nicatam.*

Idem, *Epist.* 54. *ad Marcian. August.*

Sanctus Bernardus, *de ordine vitæ, & morum instit.*

A. Rodriguez, *De Perfect. p.* 1. *tr.* 1. *c.* 9. *& in.* Ascetici, aliique.

P. de Bary, *in Solitud. Philagiæ dissert.* 1. *diei prima.*

Granatensis, *Tract. de Oratione cap.* 5. §. 17.

P. Guil-

P. Guillotè in Operibus Spiritualibus ad calcem peculiarem habet de minimis rebus tractatum.

Abbas Trappeosis in Vitæ Monasticæ Officiis, *cap. 6. de Amore Dei quæst.* 3. hoc tractat argumentum.

Pater D'Ozzenes libro, cui titulus, *La Morale de J.C.* titulo de criminum levium fuga.

Pean l. cui titulus *l'Ecole de J. C. cap.* 14. de Spirituali progressu.

J. Nigronus in speciali Tractatu, *De cura minimorum*.

Nicolaus Lancicius, *opusc.* 2. *in proœmio*.

Idem, *opusc.* 5. *cap.* 9. *&* 10.

Dandinus, *In Ethic. Sac. lib.* 48. *cap.* 38.

P. Croiset, *t.* 1. *Considerat. Christian.*

P. Nepueu, *Tom.* 1. *Consideras. Christian. pro* 20. *die Martii*.

Abbas Trappensis in Moralibus Considerationibus in Evang. S. Lucæ 16 hæc verba: *Qui fidelis est in minimo & in majori fidelis est*.

P. Surin, *t.* 2. *Dialog. Spiritual. l.* 5. *cap.* 4.

Concionatores recentiores. P. Bourdalove Serm. pro feria 2. post tertiam Quadragesimæ Dominicam in primis ejusdem sermonibus.

P. Giroust in Quadragesima Tom. 3. Serm. pro Dominica Passionis.

Abbas de Sancto Martino Serm. de devotione pro feria quarta post 4. Quadrag. Dominicam.

Auctor Actionum Christianarum in S. Theresiæ Panegyrico.

Auctor Sermonum in omnia Christianæ Moralis argumenta Serm. pro Dominica sexta post Epiphaniam loquitur de minimorum cura, ac docet in Dei cultu nihil esse contemnendum.

In Collectione Orationum Accademiæ Gallicæ oblatarum anno 1701. sex adsunt sermones de cura minimorum.

Qui collectanea ediderunt. Lohner, *Titulo Minimorum Cura*.

Beirling. *In Theatro vitæ humanæ*.

Qui de veniali peccato disseruerunt.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Applicationes Scripturarum huic Argumento.

P*Ro nihilo salvos facies illos (id est pro minimo opere.*) Psal. 55.

Qui timet Deum, nihil negligit. Eccl. 7.

Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui. Cant. 4.

In pigritiis humiliabitur contignatio. Eccl. 10.

Qui spernit modica, paulatim decidet. Eccli. 19.

Minimum pro magno placeat tibi, & improperium peregrinationis non audies. Eccli. 29.

Lapis qui percusserat statuam, factus est mons magnus. Daniel. 2.

Fons parvus crevit in fluvium maximum. Esth. 11.

Decet nos implere omnem justitiam. Matth. 3.

Quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Matth. 10.

Euge serve bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam. Matth. 25.

Qui fidelis est in minimo, & in majori fidelis est. Luc. 16.

Et qui in modico iniquus est, & in majori iniquus est. Ibidem.

Id quod in præsenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. 2. ad Corinth. 4.

Ecce quantus ignis quàm magnam sylvam incendit. Jacobi 3.

Exempla ex veteri, novoque Testamento desumpta.

IN ipsis mundi primordiis Deus, ut primus homo recordaretur se ab ipso pendere, magnum irrogavit illi præceptum non sine gravissimorum suppliciorum minis in re satis levi, qualis erat, ne ex quodam fructu, eidem indicato vesceretur. Nonne mirum est, illi, quem creavit Deus, ut animantibus cunctis præesset, suiipsius, ac rerum omnium, quæ super terram erant, Dominum, non licere vesci fructu, quem ob oculos habet, quin interdicti ratio ulla afferatur? Probabile est, ipsum multa secum animo reputasse de hoc præcepto, a quo omnis posteritatis suæ felicitas proficiscebatur, & quo collata sibi a Domino potestas coarctabatur. Non alia quærenda ratio est, Sanctus Augustinus ait, nisi quod Deus illius erat Dominus, atque ut homo melius sentiret se ab eo, a quo essentiam habuerat, pendere, magnum illi de re minima præceptum irrogaverat, ut doceret non magnitudinem, neque mediocritatem rerum earum, quæ jubentur, aut vetantur, sed Legislatoris auctoritatem commendare debere legem, & nihil exiguum esse, quod a Deo præcipitur, & pertinet ad cultum ejusdem. Deus Adæ magnum irrogavit de re minima præceptum.

Visne scire quam acceptum sit Deo semet levi aliqua propter ipsum voluptate fraudare? Memento sacrificii illius, quod obtulit David parum aquæ bibere recusans. Rex iste adversus Philistinos prælium miscebat, cum viribus exhaustus, ac ardenti siti vexatus vix significavit desiderium bibendi aquam ex cisterna Bethleem, cujus præ siti, qua urebatur, tunc forte meminerat; cum tres ex fortissimis militibus suis via sibi facta per medios hostes transitum sibi præcludentes ad hauriendam aquam Bethleem proficiscuntur, haustamque sitienti offerunt Regi. Hic tamen animo reputans periculum, quod strenui milites illi subierant, noluit voluptatem hanc adeo charo pretio comparare, & aquam ne gustatam quidem effundens, illam Domino, ut Scriptura ait, obtulit in sacrificium: *libavit eam Domino*. Quod ostendit, non id tantum, quod pro Domino fit, quam modum, quo fit, Deo acceptum esse, & jucundum. David acceptum obtulit sacrificium Deo aquæ quam sitiens bibere noluit. 2. Reg. 23.

Mulier fortis, cujus elogium in Scripturis affert Spiritus Sanctus, hunc nequaquam sibi promeruit titulum heroicis quibusdam actionibus, aut præclare gestis, ut olim Judith, ac Debora, neque laboribus invicta constantia exantlatis, sed minutis actionibus, ac iis præsertim, quæ sexum decent muliebrem: *Digiti ejus apprehenderunt fusum*. Et magnificentia, qua Deus in Cœlo, ac sæpe etiam in terra eas remuneratur opellas, quæ sibi præstitæ sunt, palam ostendit nihil exiguum esse, nihilque contemnendum; ille enim, qui omnia æquis lancibus ponderat, illas æterno gloriæ pondere, quod nullam cum ipsis rationem videtur habere, compensat. Minima non contemnenda probatur exemplo mulieris fortis. Prov. 31.

Naaman, de quo sermo est quarto Regum libro, magnus erat exercituum Imperator, qui lepra percussus ex Syria cum magnifico comitatu ad Eliseum Prophetam venerat, ut ab eodem celerem, tutamque medicinam reciperet. Sed cum Propheta, neque de cubiculo suo illi obviam descendere ferme dignatus esset; satisque duxisset ad eum mittere famulum suum, qui illi nuntiaret futurum, ut, cum septies in Jordane fuisset ablutus, curaretur; hujusmodi responsum ita Principem illum virum offendit, ut quæ sibi ab Elisæo fuerant imperata negligeret: & re infecta rediisset in Syriam, nisi quidam ex ministris illius audacter illum ita increpasset: Domine, siquid arduum, atque difficile tibi Propheta imperasset, illud sane facere debuisses; cum autem parva, & facilia imperet, quam excusationem afferre potes, si illa contemnas? Monitum hoc, adeo prudens Naamano visum fuit, ut ministri hujus argumentis victus ad Exemplum Naaman negligentis remedium sibi ob Eliseo præscriptum, quia nimis leve videbatur.

Jordanem septies abluendus concesserit, ablutusque ab omni prorsus morbo convaluerit.

In Scripturis plurima extant exempla probantia aliorum quidem in minimis fidelitatem maximis exceptam fuisse muneribus; aliorum verò negligentiam sævissimis addictam fuisse suppliciis: verum cum hæc exempla peccati venialis argumentum proprius attingere videantur, cum de eodem agendum erit, tunc afferentur.

Exemplum Salvatoris mundi.

Diligentia in minimis etiam rebus servandis nullibi major visa est, quam in ipso Evangelicæ Legis Auctore, qui est mundi Salvator, Non satis ille censuit, hanc præscribere, & commendare fidelitatem in minimorum etiam officiorum exercitatione; ipse eorum religiosissimus fuit observator; ita ut hac in re præsertim de ipso dici queat: *Cœpit Jesus facere, & docere.* (Act. 1.) Si enim a fidelibus exigit perfectam in rebus minimis fidelitatem, hoc tunc præstat, cum jam primus ejusdem præbuit exemplum. Hoc aperte testatus est, cum Præcursori suo S. Joanni Baptistæ respondit, ubi sese demittere dignatus est, ut ab eodem baptismate ablueretur, quod ille facere detrectabat seipsum tanto honore indignum existimans: *Sine modo, sic enim decet nos implere omnem justitiam*; (Math. 3.) hoc est, decet enim, me minima etiam officii mei munera adimplere, Quoties ille deinde perfectam hanc fidelitatem commendavit? Quibus elogiis eos prosecutus est, qui eamdem servarunt? Quam illis mercedem spopondit? Satis est animum advertere ad talentorum parabolam, ut hoc liquidò innotescat; *Euge serve bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam.* (Math. 25.)

Per minutarum rerum observantiam Sancti fieri possumus.

Beatissimæ Deiparæ, aliorumque primi Ordinis Sanctorum exemplum palam ostendit de meritis, & sanctitate judicium non semper esse ferendum ex magnis actionibus, ex gloriosis muneribus, ex externa specie quæ fulgore suo intuentium perstringit oculos, atque hominum existimationem, & admirationem sibi conciliat; namque ad altissimum sanctitatis apicem attolli possumus communem vitam ducentes, & ea facientes, quæ uni Deo comperta, explorataque sunt, qui de illis judicat ex eo, quod reale, ac solidum in ipsis est, non autem ex exteriori nitore, qui semper fucum facit, ac fallit. Sed summa fide eam adimplentes, quæ Deus exigit a nobis, voluntatem illius perficientes, omniaque status nostri munera rite obeuntes, mercedem nobis a Patre paratam meremur. *Euge serve bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam.*

Evangelii Symbola indicantia magnos rerum minimarum effectus.

Non desunt in Evangelio symbola indicantia, minima quælibet, & quæ in hominum oculis maximè contemptibilia videntur sive in bono, sive in malo sensim crescere, vel magnos, & non contemnendos affectus habere. Granum sinapis, quod minimum est inter semina, ex quorumdam Patrum sententia, nascentem repræsentat Ecclesiam, quæ exiguis profecta initiis, sese in omnes terras effudit; vel ut alii malunt, parvum hoc semen indigitat minimas actiones nostras propter Deum, & in Dei gratia factas meritis fœcundas esse, ac beatæ æternitatis fructus producere. Modicum fermentum totam farinæ massam, cui immiscetur, corrumpit; quod innuit nullam virtutem, levissima licet sit, nullum defectum, vel tenuissimum, contemnendum esse; quia exiguum vel bonum, vel malum gravissimos potest pro nostra felicitate, vel infelicitate æterna fructus producere.

Applicationes,

Quomodo leves defectus sæpe graves gignunt effectus.

QUi spernit modica, paulatim decidet, Eccli. 19. Nituntur suadere quidem, tenuem defectum, peccatum leve nihilum esse; hoc ipsum protoparentibus nostris dicebat dæmon: attamen perpendite quæso quinam fuerint ejus inobedientiæ, quæ in speciem levissima videbatur, effectus. Primi illi peccatores mortui sunt, quod illam commiserunt; omnisque eorum posteritas mortua est, & quotidie moritur, quin aliquis evitare possit communem hanc legem jam ex tunc contra omnes homines latam; quorum maxima pars, licet pro illis mortem subjerit Deus, tamen damnabitur propter funestum primi illius peccati influxum, quæ causa est cæterorum.

Sæpe levis satis est defectus, ut præclarum opus corrumpatur.

Qui offendit in uno, factus est omnium reus. Jac. 2. Hæc verba, quæ optime ad alia etiam transferri possunt argumenta, hoc minime dedecent, Et sanè quemadmodum qui monetæ partem adulterat, eam omninò adulterinam facit, atque commercio inutilem, & qui sacri Vasis partem corrumpit, totum vas profanasse dicitur: ita qui non totam legem observat, eam minimè observat.... Defectus, qui leviores existimantur, majoribus gravioribusque flagitiis aperiunt viam ex ipsius JESU CHRISTI testimonio asserentis eum qui in minimo fidelis est, & in maximo fidelem esse, & qui in minimis rebus se præstat infidelem, hunc proculdubio, & in majoribus infidelem futurum, seu quod hoc a voluntate proficiscatur, quæ ad majora patranda scelera pronior est, ubi minoribus assuevit, seu a Deo procedat, qui suas gratias imminuit, & minora crimina majoribus punit.

Bonorum sanctitas sæpe non aliud est quam exiguarum actionum bonarum congeries,

Ingredieris in abundantia sepulchrum, sicut inferri solet acervus tritici in tempore suo. Job 5. Sanctus vir Job affluentiam, spiritalesque divitias religiosi hominis, qui post diuturnum virtutum omnium usum, tandem senectute confectus ad plures abit, acervo tritici comparat, quem opulentus homo peracta messe infert in horrea. Frugum acervus ex minimis coalescit seminibus; quid enim est quodlibet granum seorsim acceptum? Ita fidelium animarum sanctitas, & eorum, qui verè Dei servi sunt, religio ut plurimum in minutis tantummodo exercitationibus consistit, quæ singillatim inspectæ non magno in pretio videntur habendæ; quod videlicet ferre sciunt cum patientia repulsas quasdam, ac satis leves injustitias; quod sensibus suis quasdam denegant curiositates, ac oblectatiunculas, quas Deo offerunt in sacrificium; quod sibimet vim inferunt; quod quibusdam in rebus in quibus jugi opus est vigilantia, non deficiunt. Hæc omnia simul collecta quemlibet diem sanctificant; dies verò sanctificati annos ipsos sanctos efficiunt.

Quam perniciosa sit in modicis rebus negligentia,

In pigritiis humiliabitur contignatio. Eccl. 10. Spiritus Sanctus significaturus nobis eos, qui modicos defectus contemnunt paulatim in majora lapsuros crimina, ac denique in certum interitum abituros, hac utitur similitudine: Ædificium non repentè subvertitur; at nisi diligenter tecti ejusdem scissuras reparare studueris, putrescet imbribus, contignatio fatiscet, ac domus secum ruinam trahet. Opus non est fusiùs hanc persequi similitudinem, quæ facilè potest applicari: sed facilè inde potest inferri in rebus minimis negligentiam perniciosissimam esse, eamque per gradus ad gravissimum interitum nos deducere posse,

PARAGRAPHUS IV.

Loci, ac Sententiæ Sanctorum Patrum, hujus Argumenti,

IN minimis probandum est conflictibus, quàm viriliter in majore certamine stare possimus, Ambros. l. 1. Offic. c. 19.

Nescio an possimus leve aliquod peccatum dicere, quod in Dei contemptum admittitur, Hieron, Epist, ad Cælant,

Præcavisti magna, de minimis quid agis? An non times minuta? projecisti molem, vide ne arena obruaris. August. in Psal. 29.

In minimo fidelem esse maximum est, Idem, l. 4. de Doctr. Christi, cap. 1.

Regnum Cœlorum venale est, pretium ejus calicem aquæ frigidæ Deus esse voluit. Idem, Homil, 13.

Si

Si curare parva negligimus, insensibiliter seducti, etiam majora audenter pertractamus. Gregor. l. 20. Morsl. cap. 9.

Nihil est minutum, quod Dei causa fiat; sed grande, & ejusmodi, quòd Cælum nobis & cælestia premia conciliet. Basil. Const. Monast. c. 24.

Parva petens, maxima redditurus. Chrysostom. Serm. 5.

Mos Dei est dare magna pro parvis; Dominus noster non quantum detur consuevit attendere, sed voluntatis largitatem, & ob hoc etiam parva magni facit. Idem, Hom. 42. in Genes.

Deus non postulat à nobis quod pretiosum sit, aut sumptuosum, sed panem, sed tectum. Idem, Hom. 44. in Genes.

Nemo repentè fit summus. Bernad.

A minimis incipiunt, & in maxima proruunt. Idem, de ord. vit. & mort.

Ne quis parva reputet quamlibet parva, si scienter delinquere convincatur. Idem, in Sermon. de Convers. S. Pauli.

Perfecta & sincerissima sanctitatis cultores suos volens facere Salvator, jussit ab iis cautissimè etiam minima vitari, scilicet ut quàm pura est pupilla oculi, tam pura esset Christiani hominis vita. Salvian. l. 3. de Provid.

Justi, parvis actionibus magis Deum placant ac flectunt, præ nonnullis, qui multa faciunt. Non enim ad actionem respicit Deus, sed ad propensionem voluntatis, & non intuetur quod fit, sed quo studio ac propensione peragatur. S. Ephrem, Serm. de Pœnit.

Sicut paulatim homo à minimis vitiis in maxima proruit, ita a modicis virtutibus gradatim ad ea quæ sunt excelsa contendit. S. Isidor. l. 2.

Ubi minima districtè custodiuntur, ibi vigor ordinis permanet; ubi verò minimi excessus negliguntur, ordo paulatim dissipatur. Anselm. lib. 3. Epist. 49.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia pena ad hoc argumentum depromi possit.

Quid intelligendū pro minimis rebus, in Dei cultu non negligendis.

PArva ea dicuntur, quæ in communi hominum sensu exiguo habentur in pretio; quæ vulgò negliguntur, vel saltem nobis nequaquam plurimum negotii facessunt. Horum autem duplex est genus, alia enim per se parva sunt, sed plerumque non contemnendæ necessitatis; alia re ipsa parum utilia sunt, ideoqua verè parva. Sæpe malum in se parvum erit, hoc est non erit grave peccatum; bonum parvum erit, hoc est non admodum difficile, neque per se satis laude dignum, & nihilo secius effectus eorum parvi non erunt. Hæc quæ parva appellantur, & quæ nihilominus admodum necessaria sunt, ad tria capita redigi possunt; hoc est ad defectus, ad actus virtutum, quæ quibuslibet in occasionibus exerceri possunt, & ad affectiones, quibus in rebus ferventes animæ fidelitatem suam Domino testantur.

Cur parvi defectus negligendi non sint. Eccli. 19.

Nullus est defectus, quantumvis levissimus, qui toto industriæ nisu evitandus non sit, de illis enim protulit Spiritus Sanctus effatum illud: *Qui spernit modica, paulatim decidet*, hoc est graviora committet. Et constat ratio; facilitas enim, qua levia committuntur peccata, sensim ad graviora patranda disponit, & levis ea fides, quam in Dei cultu prænosserimus, eum cogit, gratiarum suarum partem nobis subtrahere, sine quibus sumus imbecilles, & facile cadimus. Præterquam quod crimen quod in hominum oculis leve est, non tale est in judicio Dei.

De parvis actibus, levibusque affectionibus.

Idem affirmandum est de parvis occasionibus quemcumque virtutis actum exercendi; perfectus enim amor nihil omittit eorum, quæ Deo placere possunt, nihilque eorum patitur, quæ possunt eidem displicere. Ideo fervens Dei amor voluntatem Dei scrutari desiderat, ut eam exequatur; non perpendit, utrum quod vult Deus, magnum sit, an parvum; sufficit eisdem scire, hoc Deum velle, ac divinum dumtaxat spectat imperium. Nihil in hoc leve ducit, & omnia illi magna videntur. Quod ad affectiones pertinet; hoc est spiritualis vitæ magistrorum commune effatum, illum, quicumque in se aliquam vel levem cognoscit cujuscumque rei affectionem, eamque non conatur evellere, se ipsum magno privare bono, sibique insignem injuriam inferre; quæcumque enim licèt levissima affectio est quædam nostri amoris particula, qua Deum fraudamus, illam in creatas res traducturi; ideoque magnum est perfectionis impedimentum.

In hoc argumento aliter de virtutibus, ac de peccatis est differendū.

Ne nosmetipsos decipiamus, parvuli pietatis actus non sunt mediocris meriti coram Deo nisi propter teporem, & negligentiam nostram, non autem propter ipsorum parvitatem seu talis re ipsa sit, seu in speciem talis videatur. Hac in re de virtutibus longe aliter ac de peccatis arguendum est. Sexcenta exigua peccata, quæ levia, & venialia vocamus, unum mortale nequaquam efficiunt; hæc enim duo peccatorum genera diversi sunt ordinis, neque ulla inter ea inveniri potest proportio; at non ita de virtutibus differendum est. Actiones omnes, quæ ad eleemosynam, exempli gratia, vel pœnitentiam referuntur, omnes sunt inter se ordinis ejusdem, ad idem referuntur objectum, intra virtutis ejusdem limites continentur. Hinc inferendum est, plures actiones, licet parvas, actionis alicujus majoris meritum vel æquare posse, vel etiam superare.

Leves defectus nonnumquam magis sunt metuendi, quam majores.

Sancti Chrysostomus, atque Gregorius id asserunt, quod primo quidem intuitu veræ Theologiæ principiis minimè consonum videri poterit, cum nihilominus solidissimæ sit veritati conforme; plurimos videlicet esse, quibus majora peccata quodammodo minus metuenda sunt, quam minora. Et constat ratio; primorum enim enormitas per se horrorem ciet, cum aliis verò quamdam veluti consuetudinem inimus, & diuturno usu nos sensim in ea scelera detrahunt, unde vix, ac ne vix quidem fortasse emergere possumus.

Occasiones maximarū actionum infrequentes sunt, minimarum verò crebræ.

Magnæ occasiones, quæ magnis actionibus aperiunt viam, non ita passim occurrunt, immo compluribus numquam ferie sese offerunt. Velle igitur tunc tantum bene facere, cum adeo infrequentes adfuerint occasiones; nonne hoc est omne virtutum studium prorsus abdicare, ac in iisdem sese nolle unquam exercere? Numquid salutem nostram certam facere, nobisque Cœli gloriam comparare possumus, cum nihil ad eam promerendam adnitamur? E contra verò parvæ occasiones exercendæ lenitatis, patientiæ, humilitatis, charitatis, zeli in singulos ferme gradus nobis obviam occurrunt, in singula fere momenta se nobis offerunt; ideoque eas capessere idem est, ac ex vita sua jugem pietatis exercitationem efficere.

Parvæ actiones puriori fiunt intentione.

Modicæ actiones, eæ videlicet, quæ minus nitent, fieri possunt, & sæpe etiam fiunt unicè propter Deum; nullamque earum partem sibi aut vanitas vindicat, aut jactantia. Nos non allicit fulgor quidam, qui primum quidem mentem perstringit, mox verò ipsam excitat voluntatem. Deus unus ibi nos regit; & quo purior est causa, eo purior est actio, ac divinis oculis acceptior.

In modicis actionibus major est mortificatio, quam in majoribus.

Videtur etiam in modicis actionibus plus mortificationis esse, quàm in magnis. Primum, quia nihil humanum ad illas nos cogit; Secundò, cum earum sit frequentior occasio, indesinenter nobismetipsis invigilare, ac jugiter nosmet abnegare debemus. Nihil autem nos magis mortificat, quam diuturna cura, & perseverantia; hoc bellum est naturæ quasi non ferendum; melius dicam, hæc jugis est mors.

In Parvarū, magnarumque rerum judicio facile fallimur.

In eo, quod de parvis, magnisque rebus judicium ferimus, facile decipimur, non quod pro magnis eas capiamus, quæ per se parvæ sunt, sed quod pro parvis eas sumimus, quæ in se magnæ

ſunt, ſed quod pro parvis eas ſumimus, quæ in ſe magnæ ſunt. Facile, Sanctus Bernardus ait, nugas arbitramur ea, quæ ad ſalutem noſtram maximè pertinent; leve crimen putamus, quod reipſa grave eſt, ac mortale; & videmur ignorare velle nequitiam actionum, ne eorum ponderemus effecta.

Maximarū rerum virtutem in minoribus complexus eſt Deus.

In Religione noſtra quid ſanctius eſt Sacramentis? In illis, ut ita dicam, Deus noſtram juſtificationem, robur, ſalutemque conſtituit; attamen quibuſnam ſymbolis ille pretioſa hæc, & prorſus divina dona contexit? Cuinam materiæ omnem eorum virtutem alligavit? *Infirma mundi elegit Deus*; illi ſanè, quæ præ cæteris vulgatior eſt, atque abjectior; aquæ in Baptiſmo, oleo in Confirmatione, pani in Euchariſtia, & duobus, tribuſve vocibus in peccatorum omnium remiſſione. Hæc autem ipſa Dei Providentia a generali ad particulare deſcendens ſapientia, atque miſericordia ſua noſtram ſanctificationem modicis curis, quarum infirmitas noſtra potens eſt, voluit potius adnectere, quam heroicis actionibus, quæ ſtuporem injicere poſſunt, & quibus non omnes ſunt apti.

Deo non niſi parva poſſumus offerre.

Nihil ſumus, vel certè parum; nihil ergo magnum Deo poſſumus offerre, vel perquam rarò hoc poſſumus. Hinc ſequitur, nos debere ſaltem ſæpe illi parva tribuere, ut quodammodo gratiam illi rependamus. Præterea cum fragiles ſimus, atque infirmi, magnas occaſiones neque cupere, neque poſcere debemus, nobis magnis tentationibus, magnoque periculo futuros.

Quomodo in diligendum ſit, minuta officia violanda non eſſe.

Nihil periculoſius eſt, quam minuta negligere officia; videlicet quàm conſulto ea violare, ac ſibi hanc tamquam vivendi rationem præſcribere; ſi enim hoc aliquando fortuitò, vel ex infirmitate accidit humana, hoc eſt fidelium omnium fatum; ſed ea in propoſito ſenſu violare, hæc via eſt ad maximum flagitiorum omnium adducens; talis enim eſt cordis noſtri natura, ut tunc etiam cum ad perfectionem ſeſe conatur attollere, ſæpe infra ea, quæ debet, ſubſiſtat. Quid igitur erit, ubi mediocritatem ſervare velit, & unicè illa adimplere, quæ in officiis ſuis ſunt eſſentialia?

Periculoſa illuſio eſt, velle Deo fidelem eſſe tantùm in magnis.

Satis communis, ac plurimum periculoſa illuſio eſt, ſatis eſſe, Deo in rebus magnis fidelem eſſe, quin minimas curioſiùs conſectemur, & minuta vel Religionis, vel ſtatus noſtri munera adimpleamus. Ea verò vel potiſſima ratio nobis hoc perſuadere debet, quòd niſi ea, quæ communia ſunt perfecerimus, periculum adeſt, ne quid unquam propter Deum efficiamus: etenim occaſio efficiendi magna, ſeſe rarò offert, & quotidie nobis ſuppetit frequens occaſio faciendi minora; ideoque iſta negligere, idem eſt, ac obire periculum nihil unquam faciendi. Adhæc attendendæ ſunt amoris proprii verſutiæ. Cum parva ſunt facienda, ea prætexitur excuſatio, rem levem eſſe, neque labore ſatis dignam; atque expectandum, donec majorum rerum occurrat occaſio; cum verò magna facienda ſunt; tunc deficit animus, eaque difficilia cenſentur. Itaque ſuperbia minoribus, infirmitas verò noſtra majoribus adverſatur, & nihil penitus agitur.

Magna ſcandala ut plurimum ex minorū criminum negligentia proficiſcitur.

Undenam, quæſo, proficiſcuntur ſcelera, quæ ſcandalum afferunt populo, & Religionem dedecore afficiunt, niſi ex tenui principio, & quod leves defectus primum ſtatim ſatis formidati non ſunt? Quid in ſpeciem levius, quàm curioſitatis peccatum; attamen nonne hæc prima cauſa fuit propter quam tot mala Davidi, ac Dinæ acciderunt? Nonne ille proximo & decus, & vitam eripuit, eo quod ſeſe objecit voluptati videndi? hæc verò nonne propriæ honeſtatis jacturam fecit, eo quod ſe trahi paſſa eſt voluptate, & alios, & ab aliis videndi? In tentatione quidam eſt progreſſus; qui malum diſſimulat, ac tegit, ejuſque partem tantummodo oſtendit. Primum quidam audire, vel videre tantùm deſiderant, neque intelligunt, ita virus gliſcere, mentem falli, cor allaqueari, conſcientiam corrumpi, ac tandem fieri quod nunquam faciendum eſſe putabant.

Ob levia errata in gravia lapſus fit ſcelera.

Exiguarum rerum negligentia ſenſim in malum progredimur. Primum quidem longas conſectamur ambages, longoſque circuitus, qui ſemper in funeſtum hunc decidunt finem. Pedetentim in via iniquitatis progredimur, at tandem in abyſſum ruimus. Poſt omnia verò quid intereſt quonam modo eo perveniamus? Nonne æque perimus, ſi vel fluctus navim repente degluriant; vel aquæ guttatim per ſatiſcentem carinam immiſſæ eam repleant?

Levia mala fiunt magna per eam negligentiam, qua corriguntur.

Quemadmodum auſteri ſpiritus error eſt minimas quaslibet fragilitates ſcelera putare; ita cordis ſibi blandientis illuſio eſt credere poſſe ſemper fragilitatis excuſationem afferri, ubi ea negligitur medicina, quæ ſi modicum attentionis, & curæ adfuiſſet, facile potuiſſet adhiberi. Sæpe impetus, ac affectus noſtri furor, vel noſtræ infelicitatis magnitudo cauſa ſunt, & quodammodo infirmitatum noſtrarum excuſatio; ſed affectata negligentia malum incipit, ejuſque progreſſum producit, ac tandem medicinæ contemptu efficit incurabile.

Deus magna proponit præmia rebus exiguis.

Cum ſingulis ſua obeunda ſint munera ſive magna illa ſint, ſive parva ſecundum menſuram gratiæ, quam quiſque recepit a Deo, quantumvis humile, abjectumque ſit quod illi puro, rectoque corde offertur, Deus tamen ingenti ſemper illud mercede remuneratur. Quorſum iſtud? Quia actiones licet minimæ, atque communes unionem quamdam habent cum infinitis meritis JESU CHRISTI. Noſtræ lacrymæ noſtræque ſolæ afflictiones nihil ſunt; ſed hæ lacrymæ, & afflictiones cum Salvatoris noſtri gratia conjunctæ plurimum merentur: Non ſecus ac flumina in mare ſeſe exonerantia, ſuum nomen amittunt; ſed ut Apoſtolus inquit, *Æternum gloriæ pondus operantur in nobis*. Preces noſtræ, ſuſpitia, in maximè communibus officiis obeundis diligentia modicum quid ſunt; ſed hoc modicum in Deo permanet tamquam abditum ſemen, cujus fructus eſt æternitas beata: *Semen æternitatis*, S. Bernardus inquit. 2. ad Cor. 4.

Deo in minimis fidelem eſſe, magna fidelitas eſt.

At enim parvæ res ſunt parvæ; verum eſt, Sanctus Auguſtinus ait; ſed magnæ fidelitatis nota eſt in minimis fidelem eſſe; & addere poſſumus, fidelitatem, quam debemus Deo hanc diligentiam expoſcere; & amovendum eſſe non id ſolum, quod illi diſplicere poteſt in nobis, verùm etiam id, quod ipſis ſatis placere non poteſt: præterquamquod non multum requiritur, ut offendatur, quemadmodum in Canticis queritur, ſibi vulnus allatum fuiſſe ab uno crine Sponſæ ſuæ, hoc eſt ab uno affectuum, ab uno defectuum, ab una imperfectionum, inani cogitatione, exigua levitate.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, & nuperis Concionatoribus loci hujus argumenti.

Quodammodo magis a gravibus, quam a levibus criminibus cavendum.

Mirabile quiddam, atque inauditum dicere audeo: Solet mihi nonnumquam non tanto ſtudio magna videri peccata eſſe evitanda, quanto parva, & vilia: illa enim ut averſemur, ipſa peccati natura efficit; hæc autem hac ipſa re, quia parva ſunt, deſides reddunt: & dum contemnuntur, non poteſt ad expulſionem eorum animus generosè inſurgere. Unde citò ex parvis maxima fiunt negligentia noſtra.... Hac via omnia ſcelera fieri videbis. Nemo enim repente ad extremam improbitatem inſilit. Habet quippe inſitum quemdam animo pudorem, atque innatum, quem ſubito calcare, atque projicere non poteſt; ſed ſenſim, atque paulatim ex negligentia perit: hoc pacto etiam idolorum cultus aditum invenit, cum ultra quam oportet, vivi, ac defuncti nonnulli honorarentur: hoc pacto ſimulacra, & ſtatuæ adoratæ ſunt, hoc pacto denique fornicatio, & cætera vitia dominantur.... Nullus igitur frivola ſeſe illa ratione conſoletur, quia univerſa protervitas

in

in animam inducitur : illa inquam ratione nullus utatur dicens, quid hoc est, aut illud? Mille certè hinc mala oriuntur. Veterator enim malorum Diabolus cum sit, magna malitia, multa opera, ingenti studio condescensioneque nonnulla ad perditionem hominum utitur. A minimis enim plerumque incipit.... Repellenda igitur malorum initia sunt. Nam etiamsi ad majora prima non progrederentur peccata, non esset tamen negligendum: nunc verò per istam incuriam gradatim semper ascendunt, quapropter omni studio, atque opera funditus principia peccatorum sunt evertenda. *Ex Homilia Sancti Chrysostomi in cap. 27. Sancti Matthæi.*

Minores evitare nugas non religionis tantum consilium est, sed omnibus est necessarium.

Cum vobiscum loquor de minimarum rerum cura, ac vobis probandum aggredior saluti nostræ periculosissimum esse leviora contemnere mala, pariterque minimas etiam actiones pietatis contemnendas non esse; nullus dubito quominus plures in me subirascantur, ac me corripere velint, quasi nimis arctam, atque supra eorum conditionem positam morum disciplinam illis præscribere velim. Hic sermo, inquient illi, ad Religiosos pertinet, qui perfectionis studio vacare debent, quam voverunt; vel saltem ad pios homines illos, qui in mundo vivunt, quin de mundo sint, & qui omnes penitus voluptates, & sæcularia negotia abdicarunt, Deo unicè vacaturi. At nimis a vulgo fidelium exigit, qui ab illis eam expetit diligentiam, quæ statum illorum videtur excedere. Adnitantur illi nobis peccati horrorem immittere; doceant essentialia Religionis officia adimplere; hoc nostrum est, & fortasse etiam supra nos est. Paulisper, auditores, adhuc, hæreat judicium vestrum; vestra paulisper subsideant præjudicia, vobisque palam probabo nullum essa tam leve malum, quod summa cura, studioque non sit evitandum. *P. Giroust in Quadrag. Sermone de minimarum rerum cura.*

Mala, quæ hæreses pepererunt, ab exiguis orta sunt initiis.

Quot mala in Ecclesia Dei peperit hæresis? Infernalis hic ignis in una Provincia succensus brevi in finitimas sese effudit; de regno migravit in regnum, ac transitu suo omnia latè vastavit, immo trans maria etiam pernicissimè pervolans, quam sibi peperit vastitatem? Quæ etiam nunc quotidie infert mala quin tot Apostolicorum virorum sollicita cura, atque tot Martyrum sanguis flammam hanc potuerit extinguere? Immanis hujus conflagrationis inquiramus initia; & sæpe liquebit hæc incendia ex levi orta esse scintilla, ex invidia secreta, quæ unius hominis pervasit animum ex æmulationis studio, ex acerbitate, aut odio aliquo, vel ex docendi, famamque sibi comparandi cupiditate, quas parvulæ occasiones aluerunt, roborarunt, & ad extrema usque protulerunt. Heu! fratres, Sanctus Jacobus inquit, *Ecce quantus ignis quam magnam sylvam incendit!* Utilissimum profectò Principibus, Ecclesiasticisque Superioribus documentum, quo monantur maturato quasdam opprimere contentiones de doctrina, & de Religione, unde seditiones oriuntur æquè & Ecclesiæ, & Reipublicæ funestæ. *Idem.*

Jacobi 3.

Mali effectus rerum minimarum in moribus.

Minimorum malorum funesti exitus in moribus adhuc graviores sunt, atque vulgatiores. Vides duas familias sese invicem ubique laniantes, & quotidie ultro citroque sibi novum facessentes negotium, sese mutuis litibus, quæ nullum finem sunt habituræ, provocantes. Quomodonam huc evaserunt? Propter nihilum, si ita loqui fas est; ob levissimas causas, & simultates, quæ nimis diu nutritæ fuerunt; ob aculeata quædam verba, quæ paulò frequentiùs exciderunt, ob superbum, ac indignantem oris habitum, ob aliquem iræ impetum, ingeniique libidinem. Hæc origo fuit divortiorum, quæ gravissima scandala pepererunt, odiorum, quæ numquam potuerunt extingui, calumniarum atrocissimarum, atque gravissimarum ultionum. *Ecce quantus ignis, quam magnam sylvam incendit!* Vides mulierem illam turpissimæ libidini addictam, cujus fama deplorata est, quæ sexcentis uritur molestiis, angoribus; quæ vicies pœnitentiam aggressa, eam reliquit, & nulla umquam ratione a flagitioso vivendi genere potuit avelli? Verum quomodonam putas illam in abyssum hanc proruisse? Præterita gradatim repetamus tempora, ac ad illud tandem perveniemus, quo modesta erat, honesta, pudibunda; sed imprudens ocularum conjectus, sed obscœnus liber, sed inepta curiositas eam perdidit. At ne putes illam statim omnem penitus verecundiam abjecisse, Sanctus Bernardus ait, ac statim sese gravissimis sceleribus abdidisse. Nemo fere illicò vel omnino peccator fit, vel sanctus omnino. *Nemo repente fit summus.* Hæc veteratoris hostis nostri ars est, animæ adhuc innocentis rationem habere, ac efficere ut sensim progrediatur in vitia, ne illam exasperet, sinatque, ut sese colligere valeat. Primum quidem indumentorum modestia laxatur; blandis vocibus præbentur aures, eisque gratæ vices rependuntur. Ad aliquam licentiam mox fit descensus, cujus nihilominus pudet, & quæ animum torquet. Mox verò audetur, & quid inde tentatur? Dicam melius, quid inausum, intentatumque relinquitur? *A minimis incipiunt, & in maxima prorunnt. Idem.*

Bernard. de ord. vit. & mort.

Occasiones magnum aliquid faciendi obviæ non sunt; obviæ tamen sunt parvas actiones bonas faciendi occasiones.

Magnæ occasiones, quæ magnis actionibus aperiunt viam, plerisque numquam ferme occurrunt; certè sæpe non accidunt. Velle igitur tunc bene agere; ubi adeo infrequentes sese occasiones obtulerint; hoc nonne esset penitus virtutum studia deserere, easque numquam velle exercere? Num, qui hoc fecerit, salutem suam operatur, cœlumque adipiscitur, nihil efficiens, quo illud promereatur? E contra verò parvæ occasiones exercendæ mansuetudinis, humilitatis, patientiæ in singulos ferme gradus occurrunt obviæ, & in singula fere momenta sese nobis offerunt. Ideoque hoc est ex vita sua jugem pietatis exercitationem efficere; hoc est virtutum habitus actibus earum millies repetitis acquirere; hoc est opes opibus aggerere, & qualibet die pretiosum meritorum nostrorum thesaurum augere. Licet igitur parvo haberentur in pretio parvæ virtutis actiones propter suam qualitatem, videlicet, quia parvæ sunt, numquam tamen satis æstimari possent propter quantitatem, videlicet quia frequentes sunt, cumque ultra numerum ad mortem usque repetitæ sint, nos in tumulum inferunt divinis benedictionibus affluentes. *Idem P. Giroust.*

Fallitur, qui putat minima esse negligenda, ut majoribus opera paretur.

Agape fallacia præcepta, quæ fortes quidam spiritus serunt, & quibus ipsi mordicus hærent: studium omne reservandum esse pro magnis occasionibus; illustre factum sexcentis aliis præstare; reliqua verò nugas esse, ac moras inutiles. Falluntur illi; iterum dico gravissimo errore decepti falluntur. Victoriæ a Samsone de Philistiim relatæ non ad lacertorum ipsius robur, neque ad rei militaris scientiam, neque ad eorum virtutem, quorum opera utebatur in præliis, sed ad capitis ejusdem capillos, quos propter explicitum Dei mandatum, vel secundum Nazaræorum consuetudinem, nulla novacula, vel forfices nullæ secuerant, sunt referendæ. Victoria, quæ tibi de salutis tuæ inimicis referenda est, vulgò minime pendet neque ab elatis mentis tuæ luminibus, neque ab indiciis invictæ constantiæ a te præbendis, ubi sese offerent occasiones, quæ fere numquam occurrunt. Hæc salus tua capillis tuis est alligata, videlicet minoribus vitæ tuæ exercitationibus, dummodo secundum Evangelii regulas, & cum Christiano spiritu fiant. *Idem.*

Cum minimarum rerum cura negligitur, cura suæ perfectionis negligitur.

Statim ac flocci eas facis leves infirmitates, quas in naturæ tuæ infirmitatem, & cordis tui fragilitatem rejicis, jam tibi statum simplicis probitatis, hoc est negligentiæ concinnas: jam levibus lapsibus non turbaris, neque pervenies unquam ad eum statum, quo Dei spiritus te clamare non cessat, hoc est perfectionem. At perfectus esse juberis; adniti enim, ut perfectus fias, & perfectio-

nem acquirat, officium est, a quo Fideles exsolvi non possunt; igitur ex quo ad ea teneri te tantum putas, quæ palam in præcepto explicita sunt, ad hanc perfectionem adipiscendam non eunaris; & hæc dispositio nequaquam conformis est voluntati Dei præcipientis, ut omnes perfecti simus, singuli tamen secundum statum suum. *Ex sermone de levium criminum fuga, qui P. Massillon esse perhibetur*,

Qui levia negligunt errata commentitiæ charitati confidunt

Charitatis proprium est malum, quod facit, amplificare, bonum verò, quod item facit imminuere; & enormia scelera putare eas noxas, quæ infirmitatis humanæ effectus sunt. Hinc justi semper se veluti peccatores putant, atque omnibus fratribus suis deteriores. Attamen commentitiæ huic charitati confidis; hæc tua imminuit in oculis tuis flagitia, & bona, quæ operaris, amplificat; hinc putas leves hasce infidelitates labem non offundere integritati tuæ, & gratiis, quibus cumulatus es; hinc levia errata contemnis. At nescis verum charitatis caracterem esse perpetuam humilitatem, de te, deque optime factis suis diffidentiam, sanctamque ambiguitatem, propter quam anima justa dubitat, utrum in gratia sit, & singulis momentis de sua salute sollicita contremiscit? *Idem*.

Deus nobiscum agit, ut nos ipsi sum illo,

Ingredere in judicium cum Deo tuo, & vide, utrum ejus agendi ratio injusta sit; quo magis illi placere studes, eò magis te proteget; negligis omnes fervoris occasiones, quibus tuam illi fidem testatam facere potes; ipse quoque vicissim pristinas amoris, ac benevolentiæ notas denegat tibi. Rationem cum illo inis, quid illi debeas; ac in eo cura omnis versatur tua, ut variis, quæ de te Deus habet, consiliis, limites statuas; dicis illi, uti olim inutilis ille servus; tolle, quod tuum est; nonne convenit tibi mecum de opera a me tibi præstanda? Deus verò tibi amplam illam negat mercedem, quam tuæ fidelitati spoponderat. Num ægrè ferendum tibi est, quod Princeps, & Dominus, in cujus manibus sortes tuæ sunt, tecum agat quomodo tu cum illo, cujus servus es, & creatura? *Idem*.

Leves infidelitates ad majora scelera sternunt viam,

Non solum leves hæ infidelitates semper desinunt in scelus; sed scelus etiam viam sibi sternit in cor, quod illas sibi licere vult; ac fere nullum obicem invenit; etenim in his iteratis infidelitatibus, eo usque proceditur, ut omnis difficultas superetur, quin ne percipiatur quidem, quomodo superata fuerit; neque dæmon novo indigeat ausu, ut in insidias suas cor illud dertahat, quod per se adeo dipositum est. Hæc levia crimina in illud adeo proximas dispositiones sceleris jaciunt, ut ad minimam sollicitationis notam pariat crimen, quin ne ipsum quidem, quem deglotit, fructum mortis agnoscat; quod efficit, ut status iste in quo quis est, eo fiat terribilior, quòd gratiæ moritur, quin ne sciat quidem; usum habet sanctarum rerum, at amittit opem, quam inde recipere potest; vult pœnitentiæ lustralibus aquis emundari, sed in recentes magis magisque infidelitates immergitur &c. *Idem*,

Leves infidelitates sunt causa majorum.

Repete malorum tuorum originem, eamque in levibus infidelitatibus, quas tu tibi licere vis, invenies. Oratio nimis neglecta origo fuit ferme imperceptibilis plurimorum aliorum scelerum. Primum quidem non aliud erat quàm nubecula, quam vidit Elias; sed nubes brevi ita percrebuit, ut illum, neque sentientem, posset auferre. Lapillus erat ille, quem super ingens illud Nabuchodonusor simulacrum casurum esse prædixerat Daniel; sed tantus factus est, ut statuam illam contereret, ac universum terrarum orbem magnitudine sua exæquare videretur. Primum quidem non aliud fuit quam granum sinapis humi satum, sed mox ita crevit, ut avibus cœli præbere posset perfugium. Primum non aliud erat quam parum fermenti, verùm satis fuit, ut omnem farinæ massam corrumperet. Numquam credidisses levia hæc errata paritura fuisse malum illud, quod in corde tuo regnat, Hi sunt gradus, per quos sensim in ima descendis. Memento unde excideris, neque leve censueris, quod recta ducit in præceps. *Idem*.

Leves contemnuntur infidelitates, licet sint periculosæ.

Ne statua sui sentiant infelicitatem, omnes putant culpa vacare quotidianas eas infidelitates, quas solum corruptionis pondus pietati inevitabiles efficit; eas sine ulla religione sibi licere putant, sine ullis conscientiæ stimulis, sine ullo correctionis consilio. Hinc illa proficiscitur negligentia, illa incuria, tepiditas illa in via salutis, quæ tot mortales damnat alioquin cum virtutis sensu, pietatis studio, ac sanctis cœlestis patriæ desideriis natos. Attamen in minimis fidelem esse, nihil indulgere sibi ex iis, quæ ad minimas pertinent infidelitates, hæc potissima est ad Christianam pietatem dispositio; hæc una justos facit, quemadmodum una facit, ut in justitia perseveremus. Nulla vera pietas est sine hac in minimis etiam obeundis officiis diligentia; neque affirmare vereor statum hunc, ubi te salvum fore putas quascumque leves noxas sine ulla religione tibi permittens, chimericæ salutis statum esse, ubi nemo ad veram sanctitatem pervenire potuit, & cujus, qui verè sancti sunt, nullum hactenus præbuerunt exemplum. *Idem*,

Nihil eorum, quæ probat vel reprobat Deus videri potest exiguum & contemnendum est.

Cum Deus ille sit, qui est, nihil eorum, quæ in pretio habet, vel quæ contemnit; nihil eorum, quæ amat, vel odit, parvum esse potest. Verùm si ejusdem æstimatio, & amor ut ita dicam, rebus pondus, ac magnitudinem tribuunt; majorem adhuc illis præbent ejus contemptus, & odium; etenim non metuere Deo injuriam, ac molestiam afferre aliquid majus est, quàm eidem pro virili placere, ac inservire. Verùm scisne, has noxas quas nauci facis, ex eodem contemptu, quo illas negligis, fieri majores? Ne dixeris Dei magnitudinis non esse exigua curare; ejusdem enim est, eos persequi, qui illa, ubi a se fuerint imperata, neglexerit. Credetesne, nequaquam licere hujusmodi negligentiam committere, licet inde totius terrarum orbis conversio esset consecutura; & tantum hæc boni nonquam æquaturum esse id, quod exiguum malum appellas? *P. D'Ozenne libro, cui titulus Moralis JESU CHRISTI, De levium criminum fuga*,

Incipiendum quidem est graviora eradicando vitia, at minora non sunt contemnenda,

Profectò rectus ordo postulat; ut ex graviorum scelerum pugna ducatur initium; sed mox & in leviora acies est convertenda; atque ob majus malum evitandum, ad bonum majus adniti opus est. Hæc negligentia, qua in tuis uteris officiis quæ minoris facienda censes, evertit sæpe consilium, quo Deus te ad eminentis perfectionis gradum cupiebat evehere, te enim indignum præbet hac gratia. Consideratene vales tamquam minutas res eas, quæ adeo magnas prohibent? Si malum est privari bono, tot bonorum jactura leve ne tibi malum esse potest? At cur vis Deum tibi singulis horis insignes conferre gratias, quibus te cumulare non tenetur, nisi illi obedire velis in iis tantum, quæ proposita gravi pœna facere cogeris? *Idem*.

Fidelitas melius in minimis, quam in magnis elucet.

Scisne fidelitatem in minimis rebus magis quam in maximis enitescere, ac Deum videri velle in illis remunerandis magnificum, quia largitas ejus ibi fulgidius elucet: *Parva petens maxima redditurus*, Sanctus Chrysologus inquit? Servi fides minus in quibusdam rebus quæ muneris ejusdem sunt, quam es aliis quibusdam exiguis curis, quibus nequaquam tenetur, deprehenditur; & filius melius suam Patri testatam facit reverentiam nihil faciens, quod illi vel minimum possit displicere, quàm eidem in maximis rebus morem gerens. Sed alterum ex altero sequitur. JESUS CHRISTUS ait: *Qui fidelis est in minimo, & in majori fidelis erit*, quemadmodum e contra qui in minimo infidelis est, erit & in magno infidelis. *Idem*. Luc. 16.

Error est magnus tantum Dei gratias in pretio habere,

Gravissimus error est arbitrari, eas tantùm propriè vocari posse gratias, quæ vulgò electæ, efficaces, aut victrices appellari consueverunt. Si aliæ

tibi

tibi videntur contemnendæ, iniquum sane profers judicium, ac longè diversum ab eo, quod concipis de primis Principis alicujus favoribus, qui tantum tibi gaudium, ac lætitiam afferunt; licet fortasse non aliud sint, quam gratiosus occursus, mite verbum, oculorum officiosa nictatio, os ad affabilitatem compositus. Dicis animam tibi nequaquam satis magnam esse, ut heroicum aliquid coneris; sed fidelis esto, tibimetipsi invigila, gratias, quas tibi dominus confert, excipe cum reverentia, & majores ille tibi, potioresque conferet; efficiet, ut eæ tibi suboriantur occasiones, ubi præstantiùs virtutem exercere poteris, & quæ vires tuas minimè superabunt. *Auctor actionum Christianarum. Sermone de S. Theresia.*

Eæ res, quæ a nobis contemnuntur gravissimos pariunt effectus.

Nequaquam ob énormia scelera in inferno vidit locum sibi paratum S. Theresia; hoc enim accidit ob nescio quos vanitatis sensus, qui in mente illius insurrexerunt, & a quibus satis sibi non cavebat, ob quamdam vagam cupiditatem placendi, aliosque videndi, & ab aliis spectandi; ob quædam oblectamenta, quæ mundus facile permittit adolescentulis, quibus non deest, unde suam alant vanitatem, ob affectatas quasdam officiositates, in quibus non aliud quæritur, quàm amori proprio satisfacere; ob lectiones quasdam, quæ quarumdam affectionum diserte enarratarum textura alliciunt animum, & in mente vanam, ineptamque nutriunt curiositatem. Hæc ea sunt crimina, quæ hodie ad examen ne vocantur quidem, & nihilominus sanctam hanc Virginem in æternam demersissent infelicitatem. Minora peccata ad majora viam pandunt. *Idem.*

Nostræ salutis negotium sæpe ex iis pendet, quæ nullius momenti videntur.

De salutis nostræ negotio idem est ac de catena; complures gratiæ tamquam tot annuli ejus œconomiam constituunt; si primus defecerit annulus, reliqui labuntur, si primæ gratiæ infideles fuimus, secundæ fideles non erimus. At ratio qua dignosci queant gratiæ, quas aliæ subsequuntur, ab illis, quas nulla consequitur, quænam est? Oculorum nostrorum acies nimis est infirma, neque potest hoc mysterium scrutari; & ideo assiduè invigilandum est. Pauper sese oculis nostris objicit, ejus paupertati feramus opem, fortasse nostra salus ab hac eleemosyna pendet. Videmus cadaver efferri, ultimum finem nostrum cogitemus; fortasse æternitas nostra essentialem habet nexum cum hac cogitatione. Accidit manibus nostris Asceticus liber, attentè legamus illum; fortasse conversio nostra ex hac pendet lectione. Num S. Augustinus id esset, quod est, si satis duxisset S. Pauli Epistolas volvere, quin perattentè eas meditaretur? Ita maximum illud negotium, quod in hoc mundo habere debemus sæpe ab ea re pendet, ad quam ne animum quidem advertimus. *Idem.*

Quinam sibi minora licere putantes decidunt in graviora.

Hæ quædam sunt imperfectæ animæ, quæ exiguarum rerum jugum excutere sibi licere volunt. Ea sollicitat gratia, acriterque redarguit; sed propter animi tui affectum, quid illæ non ferunt? Illis dicit gratia, numquid ob ita modicum præstat a Dei servitute recedere, certumque subire damnationem? Affectus verò dicit, num nobismet dimidiatè solùm satisfacere debemus; cum nobis non omnino satisfaciamus? In tanta hac perturbatione quid fiet? Jugum repente non excutitur, sed sensim primis obicibus superatis, vitio assuescimus, ac tandem in gravissima scelera præcipites labimur. Quamobrem Sanctus Bernardus ait, nimiam audaciam, & exiguarum rerum negligentiam gravissimorum malorum omnium, quæ in Christiana Religione acciderunt, originem esse. Et profectò inde profecta sunt omnia scandala, quæ in mundo, & Ecclesia extiterunt; inde ingentes illi hæreseos conatus, inde Ecclesiæ labantis nutatio, Religiosorum ordinum laxatio, omniumque animarum, quæ perierunt, interitus, &c. *P. Bourdalove Sermone hujus Argumenti pro feria secunda post tertiam Quadragesimæ Dominicam, in primis Sermonibus.*

Impietas, atque irreligio a minimis incipit.

Illi, quibus nulla religio est in similem ferme interitum ruunt, ac ferme simili ratione ad eumdem finem perveniunt. Eorum impietas nequaquam repente existit; nequaquam directè animæ immortalitatem, ac Dei essentiam impugnant, sed incipiunt piam populi credulitatem in ludibrium vertentes. Hoc parum est; utique, sed hoc pacto pietatem ipsam perstringunt, ac eas irrident cæremonias, quæ in Ecclesia servantur; Sacramentorum praxim, & usum improbant, vel saltem Religionem tamquam politicum aliquod inventum, aptum populis regundis, ac in officio coercendis existimant. Cum fidem ita labefactare conati sunt, dubitant, utrum sit Providentia, ac nesciunt etiam, utrum sit Deus. Undenam tanta hæc malorum congeries, nisi ex ea, quam sibi vendicant licentia de iis disserendi, quæ ad Christianam pertinent Religionem? Undenam tanta Ecclesiasticæ disciplinæ remissio, nisi ex ea negligentia, qua parvæ res observantur? *Idem.*

Nemo repente prævertitur, sed paulatim levibus criminibus.

Hoc animadvertite quæso; videntur profectò nonnumquam peccatores repente converti, at numquam videntur præverti mortales, ac statim enormia, infandaque peccata committere; cujus discriminis ratio est, quia opus est, ut innocens secum diu pugnet antequam seipsum omnino prævertat, ac penitus nequam fiat. *A vanitate ad iniquitatem mens nostra ducitur*, a dæmone Sanctus Gregorius Magnus inquit; & hoc tunc accidit, cum nostra licentia a parvis incipit rebus, & mox ad majora fertur. Quid hominis Christiani vitam corrumpere incipit? Modica vanitas; & hæc modica vanitas sæpe causa est reprobationis ejusdem. Tumidior ostentatio adolescentulum hunc, & luxus hanc adolescentulam perdit. Vana curiositas, qua profanos, amatoriisque tricis refertos depetit libros, aulici animum corrumpit. Vana hæc indulgentia, qua alter alteri vicissim blandimur magnorum scelerum causa est. Vultis, o mulieres, pretiosissimis ornari indumentis, ut placeatis? hæc vanitas est, quæ corde vestro potitur, ac trahit in scelus: *A vanitate ad iniquitatem mens nostra ducitur*; Impudicos hosce libellos volutare vultis, & omne eorum virus ebibere; affectui vestro satisfacere vultis; cum iis versari quæritis, qui nimium liberi sunt; sed sermonibus vestris sese dæmon immiscet, ac versutia sua in vobis impuritatis ignem accendit. *A vanitate ad iniquitatem &c. Idem.*

Deus, & magnis rebus, & parvis hominum periculum facit.

Quomodonam putas, Sanctus Ambrosius inquit, hominum obedientiam a Deo probari? Magna illis irrogat in rebus minimis præcepta, ut illi magna operentur. Abraham, inquit ille, in rebus maximis Deo paruit, eique non paruit Adam in minimis. At cur ita agit Deus? Cur vult, sibi ab hominibus obedientiam in parvis æque, ac in magnis præstari? Nulla præter hanc ratio est, nisi quod Rex est, & Dominus, & quatenus hoc habens imperium jure nobis imperare potest, quæcumque sibi placuerint, quemadmodum nos illi obtemperare debemus in iis, quæcumque nobis præceperit. *Idem.*

Leviores culpæ metuendæ sunt, nosque in periculum adducunt.

Si scelus tantummodo in scelus adduceret, minus late grassaretur iniquitas naturalis vitii turpitudo, terror judiciorum Dei, æterni metus supplicii, amor proprius nos tueretur, efficeretque ut mali antidota, vel pharmaca in ipso malo inveniremus. Sed nequiores viæ, quæ sine ambagibus impellunt in scelus, non semper sunt perniciosiores; patens præcipitium palam monet, ut ab illo pedem amoveamus. Terribilia mala, quæ in viis iniquitatis occurrunt, eum probant horrorem, quem cient; mala præsentia futurum terribile annuntiant, & miseria efficit, ut illius periculum sentiamus; sed pericula, in quæ leves culpæ nos agunt, eo magis evitari non possunt, quò latent magis; catenæ, quas nectunt, eò facilius roborantur, quò minus onerosæ sunt innocentiæ, & vulnera, quæ infligunt eò magis funesta sunt,

quia cædem inferunt, quin sentiantur. Hæc vita in hoc mundo profectò tecta videtur, sed finis ejus ducit ad mortem. Hæc malacia est ipsa tempestate periculosior; mare tranquillum, sed infidum, & in sinu suo plurimorum naufragiorum causas complectens. *Ex Sermone, qui Gallicæ Academiæ judicio pretium tulit.*

Minori fide Deo, quam mundo serviture.

Bone Deus! itane tibi servitur, vel itane servitur mundo? Homo scelus unicè diligit; & amans te aliquid de sua dignitate putat decedere? Cor illius adeo ingens, atque magnanimum in affectionibus suis, infirmum est, abjectumque in pietate. Si mundo servit, nihil grave illi videtur; currit, pervolat, ea etiam conatur, quæ fieri minimè possunt, sese devovet, propriisque conficitur ardoribus ad idolorum suorum pedes provolutus; coram te verò, o Domine, illum sua deserit virtus, ignis suus extinguitur, ac videtur satis esse illi suum erga te amorem testandum esse, ut omnis imbecillitas illius cognoscatur. Nulla in re vim pati potest, nihil ferre, cum interim se mancipet eorum voluntati, a quibus mercedem aliquam opperitur. Pollicetur quidem pro te quidquid difficillimum, gravissimumque esse potest, efficere; ubi verò fides præstanda est, ne minimum quidem exercere conatum audet. *Idem.*

In minimis rebus negligentia adducit ad rerum maximarum prævaricationem.

Proximi peccato sumus, cum prope ejusdem finea deambulamus. Tranquillo animo infideliter res minimas negligis, quamprimum tentaberis, ut & in maximis eamdem prætereas infidelitatem; inter attentionem, quæ adhibetur, ut ea tantùm serventur, quæ de præcepto sunt, & illius violandi libidinem, atque desiderium breve intercedit discrimen. Cum tandiu cum Deo disputatur, metuendum est, ne invito animo id fiat, quod illi tribuitur; si illi adhuc obtemperatur, hæc est obedientia servi sub ea, quam gestat, sarcina murmurantis; si quid illi sacrificarint, cor lacrymis illud prosequitur sacrificium, quod manus offerre senetur; idolum confractum nos movet, eique sæpe suspiria, lacrymasque nostras offerimus, cum etiam cultum nostrum eidem negamus. *Idem.*

Ejusdem argumenti continuatio.

Transitus de vitio ad virtutem immensus est, at de virtute ad vitium talis, ut vix intelligi queat; facilius descenditur, quàm ascendatur, atque ut cadamus satis est, se suopte ingenio derelinquere. Verumtamen cum vulgatior ad magnas res transitus per minimas fiat, cum medium ad extrema deducat, & naturaliter mediocritas quemvis præcedat excessum, naturale est, ut res minimæ ad maximas aditum sternant. Ita audacissimus quisque peccator timidus fuit, impietas abyssus est, repente non effodienda. Hæret primùm aqua, aliquandiu semper obluctamur, antequam primi obices infringantur; & ratò maxima crimina specimen fuere nequiorum hominum improbitatis.... Primorum non aliud erat, quàm minus essentialium officiorum oblivio; pondus, atque lassitudo, quæ in pietatis exercitiis sentiebatur, periculosa occasio non satis cantè evitata: morosus intuitus voluptatum terræ hujus cor illexit; satis sibi non cavit ab hoste, qui illecebris suis, ac sua sæpe aggreditur innocentia; putabatur futurum, ut horror vitii nos intra virtutis limites coerceret: bonorum desideriorum confidentia tutos nosmet arbitrabamur tamquam imprudens nauta, qui cum mare tranquillum est somno se capi sinit.... Ob hanc sanè cecidimus causam, quia nos stare credebamus. *Idem.*

Ejusdem argumenti continuatio.

Ex omnibus insidiis, quas dæmon hominibus struit, nulla periculosior est, quàm exiguarum rerum negligentia. Naturalis horror satis nos tuetur contra infanda scelera, ac deficiente virtute, conscientia, pudor, metus de media affectuum turba vocem attollunt, eisque silentium indicunt. Non ita est de levibus noxis; eorum deformitas, quæ vix potest dignosci, oculos non terret, sed fallit; & quia illi neque conscientiæ stimulis, neque infamia nos urgens, eisdem sine ulla cedimus resistentia, eæque sua parvitate triumphant. Verum hæ infirmitates, quæ cupiditatis nostræ oculis contemnendæ videntur, non ita sunt in oculis æternæ justitiæ, & nisi mortem uno inferunt ictu, veluti manifestæ iniquitates, sensim tamen in venas secretum virus instillant, quod licet lentè operetur, mortem nihilominus infert. *Ex alio Auctore ejusdem Collectionis.*

Status hominis officia minoris momenti negligentis.

Homo officiis suis persungi vult, quin aliquid suis voluptatibus detrahat, atque in mundi negotiis terit tempus, in Religionis exercitiis transmittendum: ad honores viam non sceleribus sibi sternit, sed illis cum ambitione perfruitur; in jure dicundo satis religiosus, sed quandoque in charitate deficiens; nullum, in speciem, obnoxius vitio, præterquam quod virtutibus caret; interim tranquillus quin animadvertat, quo in statu sit, & timeat illum, in quem labi potest.... Sentit peccati horrorem imminui, & corruptionis studium augeri; ita illum trahit torrens, quia sese eidem committit; vitia ejus augescunt, quia contemnuntur, atque omni excusatione indigna fiunt, quia sibi in illis indulget. *Idem.*

Parvi defectus contempti generalem pariunt corruptionem.

Qui spernit modica, paulatim decidit. Hoc sæpe in religiosis domibus accidit, ubi quilibet perfectioni suæ magis invigilat. Ibi in morum dissolutionem nemo umquam per gravia scelera, sed sensim per exiguas disciplinæ relaxationes decidit; immo neque simul omnes labuntur; malum ab uno vel duobus ducit initium, qui primum nonnullos, mox verò omnes habent sectatores. Per gradus in imum descenditur, primum quidem novitius fervor remittitur, exiguæ contemnuntur regulæ, atque animi sensim dissipantur; mox sequitur murmuratio, inde inobedientia, ac tandem religiosæ disciplinæ fastidium. Interiorem animi recollectionem alii quidem otio, alii nugarum affectu, plures visitationibus, terrenisque negotiis amittunt. Ita ex parvis filaminibus, quæ initio nihil esse videntur Superiorum negligentia magnis tantummodo malis invigilantium, efficiuntur vincula non amplius infringenda. *Liber cui titulus, JESU CHRISTI Passiones.*

Res modicæ facile negliguntur.

Parum adlaboramus, ut quasdam abjiciamus imperfectiones, quæ Deum lædunt, magna a parvis secernentes officia, in his quidem remissiùs agentes, dummodo eorum diligentes observatores videamur, virtutem non amplectentes in omni plenitudine ejusdem, inter præceptum, ac dispensationem hærentes, id tantùm volentes efficere, quod severe imperatum est, & malum etiam operantes, quia sensim ad earum rerum, quæ momenti majoris sunt, contemptum devenimus per negligentiam earum, quæ nobis leves videntur. Huc tandem redit minimarum rerum negligentia. *Ex Moralibus Sermonibus.*

Minuta officia negligi possunt, quin statim & majora negligantur.

Hoc nos cogere debet, ut in omnibus fideles simus Deo, summamque præ nobis feramus diligentiam in muneribus nostris a minimo ad maximum usque obeundis: cum fieri nequeant, nos in aliis quidem fideles esse, in aliis verò infideles. Attamen plurimi Dei legem partiuntur, alii quidem magna, alii verò parva, si quæ tamen parva sunt, contemnentes officia; alii religioni sibi vertentes nisi parva servaverint, interim magna contemnentes, ut Pharisæi Evangelici qui culicem percolabant, camelum verò deglutiebant; qui summa cura humanas traditiones consectabantur, graviora, & maximè necessaria Dei præcepta infringebant; qui summum nefas putassent in lancibus non bene lotis comedere, cum interim seipsos pollnerent iniquitatibus, injustitiis, rapinis, ac aliis criminibus, quæ ab ipsis quotidie committebantur. Talis etiam est plurimorum Fidelium observantia, qui omnem Religionem suam in minutis rebus, majoribus neglectis, constituunt: sed longè major eorum est numerus, qui minuta contemnentes, sufficere putant, si majoribus obsequantur. Addimus tamen fieri nequaquam posse, ut

aliquis

aliquis in minimis rebus infidelis existat, quin suffocet simul certissimum sinceritatis virtutis nostræ testimonium, cujus spiritus sine ulla comparatione magis in minorum, quàm in majorum rerum elucet observantia; quia cum majora negligere nequeamus sine ingenti scandalo, & quin publicam subeamus invidiam; ubi ea facimus, non liquet utrum hominum, an Dei, vel nostræ conscientiæ timore adacti ea faciamus. E contra verò ubi rebus in omnibus diligentes sumus, & minimas etiam circumstantias servamus, quarum contemptus minimè verecundiam ciet, neque ita facilè censoria nota ab hominibus perstringitur; hoc tunc certum est testimonium, quod sincera est virtus nostra. *De Sancto Martino. Sermone de Devotione pro feria quarta post quartam Quadragesimæ Dominicam.*

A levioribus ad graviora crimina transitus fit.

Fieri nequaquam potest quominus in magnam relaxationem decidamus, ubi levia contemnantur crimina propter insensibilem peccati progressum, quod cancrenæ instar paulatim extenditur, & ab una ad alteram partem progreditur, donec totum corpus tabo suo miserè infecerit. Et patet ratio; cum enim neque parvitas, neque magnitudo rei, sed Dei mandatum nos obliget: qui semel illud in parvis rebus negligere cœpit, jam paratus est ad illud in majoribus etiam negligendum; & si illud in majoribus revereri posset, posset quoque in minoribus, hoc enim semper Dei mandatum est, ubique colendum.... Non sola est inobedientiæ qualitas, sed mandatum Dei.... Parva res, profectò parva est; sed in re parva fidelitas, vel infidelitas semper est magna, quia Dei mandatum exigit obedientiam in minimis æque ac in maximis rebus, & servatur, vel infringitur in minimis æque, ac in iis quæ maximi momenti censentur. Hinc tamen nequaquam inferre cum hæreticis volo virtutum, vitiorumque æqualitatem; sed hanc solùm veritatem statuere, nulla videlicet esse peccata, quæ coram Deo magna non sint, & quæ diligentissimè evitare non teneamur; & minima etiam diligentiùs adhuc quodammodo, quàm maxima, ubi facile inobedientiam nostram cognoscimus; a minimis e contra fere nunquam abstinemus propter cordis nostri infidelitatem, quod seipsum fallit, nobisque levia crimina repræsentat tamquam omni culpa carentia, quod efficit, ut sine ulla religione ea committamus. *Idem.*

Quanti facienda sint etiam minima, cum de virtute sermo est.

Antequam magnus hic sanctus leviora perhorresceret crimina, summopere eas consectabatur virtutes, quæ vocantur exiguæ, sed quas animæ magnæ pretiosas appellant: seu quod frequentes occasiones actus earumdem exercendi, quæ quidem sese nobis in singulas horas offerunt, locum ipsis præbeant ingentes meritorum thesauros congerendi; seu quod in hominum oculis non effulgentes, ut speciosæ virtutes illæ quæ populi sibi admirationem conciliant, minus pateant inimicorum nostrorum adstantium in specula depopulationi, & vento vanitatis pulchertimos quoslibet fructus dejicienti. Neque ideo dixerim heroicas Sanctorum virtutes in vita illius miro quodam fulgore non enituisse: Omnia in eo magna erant; sed ille magnis ita vacabat actionibus, ut minimas non negligeret, omniaque in lucro poneret. *P. Novet in Meditationibus suis.*

Se Deum amare testatur, qui nihil eorù negligit, quæ ad ejus pertinent cultum.

Qui Deum verè amat nequaquam negligit minutas eidem placendi occasiones, eas virtutes exercens, quæ sese illi offerunt. Omnibus vacat, ut ex omnibus aliquem fructum percipiat, nullamque sibi elabi patitur occasionem proficiendi.... Hæc fidelitas, & mentis attentio in minimis etiam rebus, quæ ad Dei cultum pertinent proprius & magnarum animarum, servorumque Dei character; hæc miram sanctitatis notam omnibus eorum actionibus, levissimis etiam inurit; hæc illos a cæteris vulgò animabus distinguit, quæ quidem actionibus majoris momenti invigilant, cæteras verò, quas minoris pendunt, negligunt, atque contemnunt. Ad hæc animæ, quæ verè Deum diligunt religiosissimam habent conscientiam, quæ minimis etiam erratis offenditur, propter quæ coram Deo indesinenter lacrymas effundunt. *Idem in Recessu quinto.*

Dæmon bonos non nisi in minimis rebus aggreditur.

In bonis hominibus sanctus virtutis habitus efformatur, adeoque certum in omnibus præcipuis officiis propositum; ut dæmon non audeat ad illa infringenda eos palam provocare. Eminus ergo illos aggredi tenetur; eos parvis lapsibus infirmare conatur, eorum charitatem imminuere, & in quasdam periculosas vias pertrahere, quarum illæ periculum minimè sentiant: in minutis potissimum occasionibus eas lacessit, atque Diaboli consilium est animas paulatim infirmare, ut deinde faciliùs in mortale aliquod scelus eas præcipites agere valeat. Itaque ut dæmoni magnis in occasionibus resistamus, eidem in minimis resistendum est; ad majores lapsus evitandos, leviores contemnendi non sunt, & si fieri possit, omnino evitandi; omni nisu eorum damnum reparare oportet, ac vim elicere ex humilitate, cujus sensum nobis illa debent immittere. *Essais de Morale t. 5.*

In Dei servitio nihil est negligendum.

Hoc nihilum est, inquiunt; leve erratum est, exiguus error, parva gratia, quodnam imminet periculum hæc negligentibus? Nihil parvum est ex iis, quæ ad tantum Deum referuntur, & quæ illi vel placere possunt, vel displicere. Parvum non est in omnibus parvis rebus illi fidelem esse; immo magni amoris indicium est, velle in omnibus placere illi, qui amatur, ac nolle ulla in re, quantumvis levissima videatur, illi displicere. Si præstolaris, donec insignes tibi occasiones occurrant agendi propter Deum, quandonam ages! Quàm infrequentes sunt in hominis vita hujusmodi occasiones! creatura verò, quæ adeo parva est, potestne magnum ducere, quidquid propter Deum adnitatur? Dei magnitudo, quæ auget quidquid contra ipsum audemus, id imminuit quod facimus propter eumdem. *P. Nepueu. Tomo 1. Considerationum Christianarum.*

Parvæ res neglectæ sæpe magnos habent effectus.

Dei Filius affirmat eum qui in modico fidelis est, in maximo etiam fidelem futurum, & eum qui in modico est infidelis, in maximis quoque fore infidelem. Terribile verbum, si illud intelligimus, si credimus! at licetne de eodem ambigere quandoquidem egreditur de ore Dei? Maxima quælibet incendia ex neglecta favilla ut plurimum incipiunt; gravissima peccata ex veniali noxa, quæ patrata est; hominis reprobatio ex gratia contempta. Saul specie quadam necessitatis compulsus non expectat Samuelem, ut offerat sacrificium. Facinus leve videtur, attamen immutat cor Dei erga illum, ac fit reprobationis ejus initium. Quos terribiles effectus inconsideratus oculorum conjectus Davidi non peperit? Leves infidelitates, ac exigua Judæ furta illius confirmarunt avaritiam, eòque evaserunt, ut Dominum venderet. *Idem.*

Status cordis minima negligentis in cultu Dei.

Scrutemur cor hominis ea, quæ minuta sunt, negligentis sive in bono, sive in malo; intuebimur ibi timoris reliquias, cum licentia decertantis; illud saltem ad tempus magnis Religionis institutis subjicere; necnon videbimus ejus vanitatem vulgaria officia ad populum timidum remittere; parumque abesse, quominus horum officiorum pertæsum Deo ipsi non succenseat, ejus vel sapientiam incusans, quæ illa religiosiùs præcipit observari, vel justitiam redarguens, quæ eorumdem contemptum persequitur. Quasdam sibi injustitias permittit, quædam sibi licere vult, quæ ipsi indifferentia videntur, atque sibi futurum pollicetur, ut longiùs minimè progrediatur; sibi fragilitatis suæ cancellos constituit numquam prætergrediendos, se virtutis suæ certum putat, ejusque vadimonium habet audaciam. Putares, hominem hunc licèt infidelem, & ingratum, certum esse amoris Dei sui; & primi ordinis gratias illi deberi. Vos istic tamquam in speculo intueamini, o homines,

qui

qui vestrum metipsorum estis contenti; omniaque, ipsam etiam securitatem vestram metuite. Judicastis inter legem, & legem; minutas regulas contempsistis, at quanti essent illæ momenti ex ea, quæ vobis imminet, calamitate percipietis. *Desumptum ex Collectione Orationum Gallicæ Accademiæ oblatarum anno* 1702.

Ejusdem argumenti continuatio.

Nequicquam putas relaxationes tuas excusari, quia cum periculum adest, non cedis. Licet in hoc subsisteres, ut exiguas virtutes negligeres, ac minora peccata dissimulares, nonne hoc satis est, ut hunc formides statum, quæ maximis te privat subsidiis, maximisque te admovet iniquitatibus? Num expectandum est, donec in horrentem abyssum præceps cecideris, ut illius profunditatem scruteris? *Idem.*

Minimis in rebus attentio rara est in salutis negotio.

Nihil infrequentius est quam in rebus minimis vigilantia, ubi de gravissimo agitur nostræ salutis negotio. Sanctorum præceptorum observantia, quorumdam bonorum operum exercitatio plerisque fidelibus sufficere videntur ad supremum bonum indipiscendum. Inter hujus moralis disciplinæ cancellos sese continentes, sine religione ulla in plurimas leves culpas ruunt, neque eas putant esse infidelitates animam in omne flagitium ducentes. Hic profectò est errorum omnium occultissimus æque ac periculosissimus. Cum enim ex altera parte nostra vivendi ratio divinis videatur legibus conformis, quænam species est, eam apud nos in suspicionem vocari posse? Ex altera verò parte quodnam majus periculum est, quàm fidenter eam terere viam, quæ tuta putatur, sed quæ sensim in abyssum inducit? *Ibidem.*

Cum minima in terrenis negotiis non negligantur cur in salutis negotio sunt negligenda?

Hæc in salutis negotio negligentia infidelitas est, quæ nos eò magis coram Deo efficit nocentes, quò infrequentiùs a nobis res minimæ in sæcularibus negotiis negliguntur. Aliquam ne concipimus animo fortunæ spem, aliquod ambitionis, vel utilitatis argumentum nobismetipsis proponimus? tunc desideriorum nostrorum violentia omnem attentionis nostræ semper excitat vigilantiam. Quanam sollicitudine ea amovere contendimus, quæ nobis esse possunt impedimento? Qua cura consectamur ea, quæ licet minima, tamen consilio nostro profutura speramus? Qua constantia quæcumque sese nobis obtulerint difficultates, superare contendimus? Curæ, studia, humilitas, labor, jugis attentio levia nobis videntur dummodo voti damnemur. Si votorum summam assequimur, inde nostra augetur voluptas quod optatum finem nostris tantummodo laboribus acceptum referre debeamus; sin autem e contra spes nostræ in irritum abeunt, hæc tamen nobis reliqua est consolatio quod nihil intentatum reliquimus. Facilè intelligi potest, unde in nobis ex altera parte tantum vigilantiæ, ex altera verò tantum negligentiæ proficiscatur. Tanto bonum aliquod ardore prosequimur, quanta illius possidendi cupiditate flagramus; atque non sine maxima verecundia fatendum est, nos multòminus salutis nostræ, quàm terrenæ utilitatis negotio teneri. Hinc fit minimas negligentias æque noxias esse, ac periculosas; in nobis enim supponunt incuriam, atque audeo dicere, quemdam nostræ salutis contemptum. *Idem.*

Qui contemnunt modica, de salute sua timeant.

Quamquam homines vulgò ea crimina, quæ levia putantur, contemnunt; liquet tamen sæpe nihil pro salute sua illis magis esse timendum, quam cum in præcipuis Religionis muneribus obeundis solliciti, in minoribus oscitantur. Hæc sententia nequaquam illis inaudita, ac mira videbitur, qui norunt, neminem repente nequam fieri; virtutem, ac vitium paulatim tantummodo addisci; per gradus progressum fieri, & ab uno ad alterum extremum non ita facilem transitum esse .... Quàm periculosus est imperfectorum hominum, vel ut melius dicam, animorum semicorruptorum status, qui jugiter inter legem, atque dispensationem hærent, qui inter majora, minoraque præcepta discrimen constituunt; qui quamdam cum Domino contractus speciem pacisci videntur; & quia in majoris momenti rebus obediunt, jure se eisdem displicere posse putant in iis, quæ momenti minoris videntur. Status sæpe, de quo magis desperandum est, quam de nequissimorum peccatorum statu; & ubi tandem nos longiùs a salute abesse intelligimus, quam si nosmet flagitiosissimis quibuscumque sceleribus abdidissemus. *Idem.*

Eo pacto, quo cum Deo egerimus, eodem ille nobiscum aget.

Deus vobiscum eodem aget pacto, quo vos secum; clauditis illi cor vestrum, ille vobis charitatis suæ viscera obstruet; & negligentia vestra, quæ eum remisit ardorem, quo Dominum diligebatis, remittet etiam amorem, quo vos complectitur Deus. Quemadmodum non sine quadam exceptione vosmet illi tribuitis, ita neque se vobis cum gratiarum profusione communicabit. Ea tantum effugitis scelera, quæ vos omnino perdere possunt; eas solum vobis gratias impertiet, quæ possunt quidem absolutæ saluti vestræ sufficere, cum quibus tamen peribitis: Gratias, quæ potenter ad virtutem excitarent animam, in omnibus Deo placere gestientem, minimisque muneribus suis diligentissimè perfungentem; sed quæ tamen movere non poterunt animam vestram tot periculosis affectibus implicitam, & Deo negantem omnia præterea, quæ negare eidem non potest, quin palam ejusdem in se conflet indignationem. *Idem.*

Oratio ad petendam a Deo gratiam adimplendi omnem justitiam.

Divine Salvator, qui semper te adeo fidelem legis nobis irrogatæ observatorem demonstrasti, qua sermonibus, qua exemplis docens a nobis omnem justitiam esse adimplendam, ne diutiùs patiaris injustum hoc discrimen obedientiæ nostræ, quo majora præcepta a minoribus secernimus, ubi satis esse putantes, si expleverimus alia, ab aliis nobiscum benignè dispensamus. Discute potius periculosas has illusionum mentis nostræ caligines, quæ efficiunt, ut scelera nostra levia nobis videantur, & dissipa hunc cordis teporem, qui efficit, ut illa nullo in discrimine habeamus. Fac, sentiamus infinitæ Majestatis tuæ magnitudinem, ut quidquid ad te spectat nobis magnum videatur; accende in nobis charitatem tuam, ut quidquid displicet tibi, nobis quoque displiceat. Fac, Domine, ut bene tuis gratiis utentes, novas semper promereri valeamus, ac ea fidelitate, qua in minimis etiam occasionibus tibi gerere morem gestiemus, nosmet disponamus eamdem in majoribus etiam adhibendam. *Idem.*

Plures difficilioribus superatis in facilioribus deficiunt.

Complures videmus, qui, ubi magnæ sese offerunt occasiones, omni nisu contendunt, ac seipsos vincunt; qui strenuè magnas tolerant persecutiones, & ultro severissimas exercent austeritates; sed qui turpiter deficiunt in minimis, ubi sibi vim facere nequeunt, neque se regulari vivendi rationi subjicere possunt. Constanter sævissimas sustinent persecutiones; sed ob levissimam contumeliam succensent. Hæ virtutes sunt, quæ validissimis probatæ, ac præparatæ tentationibus misera infirmitate in nugis deficiunt. Homines hujusmodi magna fovent desideria quodcumque ferendi malum, & pro Dei confessione mortem ipsam obeundi, si ita ferret occasio: atque his votis suam alunt vanitatem amorique proprio blandiuntur; sed in minimis rebus, quarum assidua ipsisque gravis vigilantia eos torquet, omnem patientiam amittunt. Quod non aliunde proficiscitur, nisi quod facilius est ad tempus in difficilibus insuetisque rebus vim sibi inferre, quam jugem de se referre victoriam, & toto vitæ suæ tempore, quæcumque ingruant occasiones, ac in omnibus ferme actionibus, quæ sunt suscipiendæ, sibi vim facere. *Pater Guillorè in tractatu de rerum minimarum momento.*

In minimis non minus plerumque meritum est, sed minor vanitatis occasio, quam in maximis.

Ad ambitionem nostram deprimendam, auferendumque proprium amorem in iis, quæ facimus bona, quam maximè prodest mortalium oculos fallere. Hoc perfectè in parvis rebus invenitur, ubi intuentium nos non excitant oculi; quia tunc Deus unus spectator est nostri certaminis, ac testis victoriæ, quam de nobismetipsis reporta-

mus

mus. Et hæc vera est ambitionis humanæ mentis domandæ ratio, quæ ideò bonum aliquod operatur, ut hominum existimationem, atque suffragia sibi conciliet. At magni labores pro Dei gloria suscepti, bonorum suorum in operibus piis erogandorum alienatio, Apostolici cursus, ut plurimum, homines habet testes, & admiratores; & perrarò inveniuntur, qui hominum judicia contemnant, atque laudibus minime alliciantur, cum insignia quædam fuerint operati. E contrà verò in modicis factis nullus jactantiæ sensus nos tangit, & qui operatur illa, vix intelligit se quidquam facere propter Deum ob parvitatem objecti, neque putare potest ea Domino accepta esse posse, quandoquidem illa ipse flocci facit. Longè aliud sentiendum de illis est, qui fulgidioribus funguntur officiis, qui populos convertunt, qui vires ad pietatem excitant, qui centum habere manus videntur, quibus pia opera adimpleant, & qui præterea se ipsos severissimis austeritatibus torquent. Hæc omnia facile mentem inflant, & faciunt, ut dulce secretæ vanitatis virus sensim in animum fluat. Magnas concipiunt eorum, quæ operantur, ideas, quia magis effulgent, quàm cæteri, qui non adeo insigni munere perfunguntur. *Idem Tractatus.*

In rebus magnis sæpe minus propter Deum, quam propter res ipsas operamur.

In magnis actionibus accidit sæpe, ut objecti fulgor mentem magis perstringat, eique majorem motum injiciat, quàm ipsius Dei cogitatio; exempli gratia Concionatorii muneris dignitas, insignis Doctoris celebritas, Missionis fama, sapientis, scitique Confessarii nomen, ad populos erudiendos Institutiones, aliæque id genus charitatis actiones, cum magnæ sint, magis ad eas suscipiendas animos addunt, quàm ipsa Dei gloria. Saltem verum est fere semper ibi divisam esse existimationem; si enim in famosis hisce muneribus obeundis non deest Dei ipsius gloria; non modica etiam gloriæ pars muneris hujus dignitati cedit, quæ humanum cor agitat, atque ita præclarè facta sæpe non minoribus vitiis corrumpuntur. Prorsus oppositum in parvis rebus usuvenit, ubi pro Deo solùm agitur, quia objectorum tenuitate nequaquam ad agendum allicimur. *Idem.*

In paucis rebus nihil pro Deo nos facere putamus, neque inde gloriamur.

In rebus exiguis, quas pro Deo facimus, facilè credimus, nos eidem nihil tribuere, deque munere nostro humiles sensus habemus; harum quippe rerum parvitas efficit, ut non satis amplam de iisdem concipiamus ideam, licet illæ in oculis Dei satis niteant. At in iis, quæ magna pro divinæ Majestatis cultu operamur, facile est, ut magnam actionum nostrarum ideam nobis adstruamus, putemusque non pauca eidem tribuere, cum illi sanguinem, sudores, labores magnos, insignes eleemosynas, omniaque bonorum operum genera, quæ plurimum fulgent, erogamus.

Cur pauci res parvas habeant in pretio.

Liquet paucissimos esse homines verè spirituales, atque perfectionis summum apicem obtinentes, quia paucissimi in minimis rebus sunt diligentiæ. Respuunt animum suum torquere, eique vim facere, sensuum vitam amant, volunt, & probant, ut plurimum, speciosa tantùm officia, magnas actiones, insignes eventus; ideoque interior vita negligitur, quæ petit, ut hæc minima iteratò considerentur, & penitiores cordis latebræ explorentur. *Idem.*

Si res parvas pro Deo facere negligimus, quid tandem pro eodem facimus?

Si parva negligis, quid tandem pro Deo facies? Numquid par es magnis faciendis, eorumque faciendorum sibi suppetunt occasiones? Num cogitare debes te in rebus magnis fidelem futurum, si infidelis fueris in minimis? Denique ignorasne perfectionem nostram nequaquam in eo esse positam, ut magna faciamus, sed ut faciamus bene, quæ a nobis exigit Deus, quin cogitemus utrum magna sint, an exilia; & quæ per se minima sunt, non esse amplius parva, ubi divina eas voluntas deposcat? *In tertio Tomo Operum Asceticorum P. le Valois.*

Potior vitæ nostræ pars exiguis cōstat actionibus, quas bene operari, maximè interest.

Quàm maximè interest scire, ubi seu in bono, seu in malo parvæ res contemnantur, nullum fieri posse progressum. Et ratio constat; nos enim boni sumus, vel mali prout vita nostra ex bonis, vel malis operibus coalescit, in quæ bona, vel mala influunt principia. At potior pars actionum vitam nostram constituentium parvæ sunt, ac in se levis momenti, quippe magnæ occasiones rarò tantum sese offerunt nobis. Communes actiones nostræ sunt vesci, quiescere, consurgere, cubitum ire, cum aliis versari, legere, orare, secundùm vitæ nostræ statum labori vacare; si perperam, vel imperfectè hujusmodi actiones facimus, vita nostra mala erit, imperfecta, & humi repens. Homo non dicitur virtute præditus cum per intervalla temporum aliquem elicit virtutis actum, sed cum habitualiter ipsam possidet virtutem. Si satis nobis esse censebimus virtutem in magnis tantum occasionibus exercere, numquam ad virtutis perfectionem perveniemus. *Ex Tomo primo Epistolarum Patris Surin.*

In parvis fidelem esse opus est quia rarò fideles esse possumus in magnis.

Occasiones magna faciendi sacrificia satis rara sunt; omnis vita parvis repleta est officiis; in quibus si fideles non sumus, servi sumus semper infideles; quid autem ab hac infidelitate metuendum non est? Meminerimus insignes gratias vulgò fructum esse fidelitatis in minimis rebus adhibitæ, quemadmodum hæc eadem fidelitas effectus est magnæ erga Deum charitatis; si per tepiditatem insuetis hisce subsidiis, singularibusque gratiis viduamur, quæ ubi occasio adest magnos animos addunt, quid metuendum non est? *P. Croiset in Considerationibus Spiritualibus.*

Parva Deo sæpe gratiora sunt magnis, & qui ea diligentius observat, majorem Deo fidelitatem testatur.

Si qui parva tantummodo faciunt, majora etiam facere desiderant, atque interiori animo sese attollunt, & indiscriminatum amplectuntur omnia, quæ aliquid ad Dei gloriam possunt conferre; eorum quidem opera in speciem parva videntur; sed vasta sunt desideria; ac parati sunt, ut id agant, quodcumque divina manus illis faciendum obtulerit. His addi potest, sæpe actiones eas, quas parvi momenti putamus, & contemnendas ducimus, & quas vulgò fideles nullo habent in pretio, has Deo magis acceptas esse, & majus apud illum meritum invenire. Non est magni amoris magnum argumentum præcipua servare mandata, non patrare cædem, non evomere blasphemias, aliena non surripere. Pietate enim, & religione careat opus est, qui in hæc scelera ruit; sed inde patet utrum Deo placere gaudeamus; utrum zelo, & charitate eum prosequamur, utrum ita eum diligamus, ut numquam ex oculis, & animo eum nobis patiamur excidere; si nihil eorum, quæ eidem placent, negligamus. Hæc anima, exempli gratia, quæ eidem prorsus devota est, quæ propter illum unicè vivit, quæ illum jugiter concupiscit, ultro a jucunda hominum conversatione recedit; scit enim ibi fore ut nonnulla dicantur, quæ Deo poterunt displicere. Appetitui suo denegat, quod eum voluptate contederet; de consueto somni tempore horæ spatium abscindit; haud ægrè, immo libenter durrusculum patitur verbum; pro virili eorum, cum quibus consuevit, oculos fallere gestit, ut aliquandiu coram Deo versetur; nullam sibi elabi patitur de iis bene merendi, occasionem, quos de se malè meritos novit; denique nihil prætermittit, quod scit, & credit Deo suo placiturum. Omnes hæ animi dipositiones minutæ videntur, attamen in illis te fidelem præbere quiddam magnum est: *Quod minimum est, minimum est; sed in minimo fidelem esse, magnum est*, inquit Sanctus Augustinus.

Religiosæ domus sensim laxantur, quia minoris momenti regulas negligunt.

De regularum sanctitate in Religiosis domibus idem minimè dicendum est, quod de corporum valetudine; habent illæ tempus, & durationem suam, eumque ad eum perfectionis gradum devenerint, cui illas destinaverat Deus, tepescere incipiunt ob defectum fidelitatis in iis, quæ minoris momenti videntur. Hæc veritas est experientia, & usu confirmata, neque ullus umquam coaluit Ordo, vel Religionis corpus, quod illam expertum non fuerit: quod indicio est ad servandum primæ

Insti-

Institutionis spiritum non aliam esse viam, quàm diligentissimè minutissimas quaslibet regulas consectari, Hinc autem sequitur, eos, quibus Deus aliorum curam commendavit, teneri eas tanta cura, & solicitudine tueri, ac si inde tota regularis disciplina penderet, quemadmodum inde pendere jure dici potest; etenim ex minimarum perfractione ad majores infringendas fit transitus, donec totus ordo in omnimodam relaxationem labatur, *Abbas Trappensis Tomo 2. libri, cui titulus, Maximes Chretiennes.*

Ratio, cur ex parvis criminibus in magna cadimus. De levibus criminibus Spiritus Sanctus dixit: *Qui spernit modica, paulatim decidet*; hoc est majora committet. Et ratio est, quia facilitas, qua leviora patrantur, sensim ad graviora viam sternit, & infidelitas illa, quam Deo in minoribus ostendimus, eum cogit, ut suas nobis gratias subtrahat, sine quibus infirmamur, & mox facilius ruimus in præceps. Nonnumquam crimen, quod in hominum oculis videtur leve, coram Deo grave est. Liquet primum perfectionis gradum certum esse consilium numquam audendi ea, quæ contra Deum sunt, & perfectum amorem nihil earum rerum prætermittere, quæ Deo placere, nihilque eorum pati quæ eidem possunt displicere, *P. Surin Tomo 2. Dialogor. Spiritualium lib. 5. c. 4.*

FIDES DIVINA, VIRTUS THEOLOGICA.

Ejus certitudo, prærogativa, & quidquid ad hoc argumentum pertinet.

MONITUM.



Auca reperies argumenta sæpius de suggestu repetita, & de quibus Sancti Patres, Ascetici, atque Theologi uberiùs fuerint locuti. Fides etiam prima est Christianæ Religionis janua, salutis fundamentum, Theologicarum virtutum prima, atque totius Christianæ Disciplinæ principium. Igitur in tam vasto argumento nobismet cancellos statuere debemus, atque melior, utiliorque ejus tractandi ratio ea est, si omnia ad mores referantur.

Cum de Christiana Religionis Institutione verba faceremus, eas rationes attulimus, quibus in hac fide confirmandi sumus; ostendimusque hujus luce omnes idololatriæ tenebras, cæterarumque Religionum caliginem dissipatas fuisse. Alibi etiam seorsim egimus de insana Incredulorum, Atheorum, ac flagitiosorum hominum cæcitate; de qua nihil addemus; & quidquid a nobis istic afferetur, circa fidei certitudinem, ac necessitatem circa usum eximiæ hujus virtutis a nobis faciendum, ac zelum, quem in ea tuenda pro nobis ferre debemus, versabitur; atque docebimus eam hodie rarò inveniri, & in plerisque Christifidelium infirmatam quodammodo esse, & extinctam, Sed hæc omnia moraliter sunt pertractanda, quatenus videlicet ad mores, vitæque nostræ regimen spectant.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ Concionum hujus Argumenti Adumbrationes.

I. 

Idei necessitas, & utilitas, quæ nobis inde cedit, duas hujus sermonis partes constituent, quæ colligens quidquid ad mores hoc in argumento esse potest utilius.

Pars Prior. Fidei necessitas quam Sanctus Paulus ob tres peculiariter causas asseruit, quæ tamen ad unicam, nostram videlicet salutem, rediguntur; hæc enim unicè necessaria est, ad quam reliqua debent referri. 1. Necessaria est ad Deum, uti opus est, & cognoscendum, & diligendum: *Accedentem ad Deum*, inquit Apostolus, *oportet credere, quia est, & inquirentibus se remunerator sit*. (Ad Heb. c. 11.) At per Fidem tantùm cognoscitur, & æque illius magnitudinis, & perfectionis idea concipitur; necnon scimus illum ultimum esse finem nostrum, eumque supremum bonum nostrum futurum. Ad veritatem hanc probandam, satis est, mentis aciem convertere ad exiguam, caliginosamque cognitionem, quam sublimiora naturæ ingenia, felicioresque mentes de supremo hoc ente habuerunt; quin ratio habeatur errorum popularium, in quos homines e trivio in Ethnica antiquitate ceciderunt. Cum homines ratione duce seipsos rexerunt, quænam per tot sæcula super terrarum faciem misera cæcitas versata est? Quomodo potuissent Deum, quem non noverant, vel cujus imperfectissimam saltem cognitionem habebant, diligere? Quomodo illum invenire, vel ad eum pergere nescientes quænam viæ ad illum deducant? Oportuit Deum in terras descendere, ut eas nobis indigitaret, nosque erudiret de veritatibus, quæ sunt necessariæ, ut illum aliquando possideamus, eumque in hoc mundo cognoscamus, & diligamus; quas quidem nos docet Fides ex revelatione, quam Deus nobis conferre dignatus est; sine qua æterna obruti fuissemus caligine, horribilique eorum, quæ ad salutem nostram pertinent, ignorantia sepulti. 2. Fides est necessaria, ut placeamus Deo, inquit Apostolus: *Sine fide impossibile est placere Deo*. (Ibidem.) Per fidem evadimus Filii Dei, & cohæredes JESU CHRISTI; per fidem sui sumus, nosque pro populo suo fideli cognoscit, & signo suo in Baptismo signamur. Nos sumus *initium aliquod creaturæ ejus*, (Jacobi 1.) quam ex tot millibus sibi elegit. Hoc nomen est, & qualitas, sine qua numquam illi placere, eumque possidere possumus. Nihil hac veritate constantius est, nihilque facilius demonstrandum. 3. Fides est omnino necessaria, ut Christianam vitam vivamus, ut virtutes acquiramus; ita ut nulla sit vera virtus, & adeo nulla Cœlum mereri possit citra Fidem, quæ cæterarum virtutum, Charitatis verò præsertim, cujus veluti forma quædam est, fundamentum est, atque principium. Quamobrem Apostolus inquit; *Fides, quæ* (Ad Gal. 5.)

per

per Charitatem operatur. Fides efficit, ut Charitas, ideoque etiam reliquæ virtutes, operentur. Itaque si Deo placere volumus, ad Deum ire, pro Deo agere, illius adspectu frui, cumque æternum possidere, non satis esse debet Fides nobis per Baptismum infusa, actualis etiam fides requiritur, ac ea fide vivendum est quemadmodum idem Apostolus loquitur.

Pars altera, quæ Fidei respicit utilitatem. 1. Nostras mentes ad supernaturalem ordinem attollit, qui nos ad Cœli felicitatem disponit; & quemadmodum efficit, ut in terra cognoscamus Deum, efficit quoque ut divinos illi honores adhibeamus. Latiùs amplificari possunt eæ cognitiones, quas nobis impertit, & quas creatura nulla mentis suæ acumine umquam assequi posset. 2. Eos, quibus persuasum est de iis, quas docet, veritates, sanctificat; sicut enim omnino pura, & cœlestis est, cum vitiis, quæ sunt terræ sordes, ac Inferni semina, subsistere nequit. Illud affirmare non audeo, ejus jacturam fieri quolibet peccatorum genere, neque illam per se posse justificare; verùm cum nobis data sit non solum veluti scientia ad nos erudiendos, sed etiam tamquam practica sapientia ad vitam nostram regendam; qui eadem utuntur ad sanctitatem non pervenire non possunt; qui verò peccant contra testimonium, quod illa ipsis de officiis eorum perhibet, eadem quodam peccati ipsius effectu, ac divinæ justitiæ voluntate privantur. 3. Hæc efficit ut omnibus inimici tentationibus resistamus, nosque contra omnes Inferni potestates imperterritos reddit.

II. Christiani fides tres habere debet qualitates, ex quibus tres sermonis partes constitui possunt.

Prima est perfecta submissio iis, quæ Deus revelavit, & decrevit Ecclesia.

Altera est firmitas, quæ in eo posita est, ut certissimè credamus quidquid revelatum fuit, illud tueamur, neque novis, perniciosisque sententiis circumferamur.

Tertia est Extensio, quæ in eo consistit, ut omnia universè credamus, neque patiamur Fidem hæreticorum exemplo, qui nobiscum fidei hujus quosdam articulos credunt, alios verò rejiciunt. *Biroat in Quadragesima.*

III. 1. Fidei certitudo, qua nulla major esse potest: innititur enim auctoritati Dei revelantis; Prophetiis, quas ad unguem adimpletas vidimus, certissimis miraculis fidem comprobantibus, omnemque de eadem dubitandi occasionem auferentibus. 2. Fortitudo, quam nobis hæc fides immittit ad ardua quæque capessenda, & constantia, quam inspirat ad cruciatus omnes perferendos proposita gloriæ mercede, quam sperare nos jubet, & cujus

Ad Heb. 11. est fundamentum: *Sperandarum substantia rerum.*

IV. Fides in veris fidelibus tres parere debet effectus.

1. Ut credant constanter, ac sine exceptione veritates omnes, quas revelavit Deus.

2. Ut obediant legibus, quas irrogavit; hæc enim fides nos ad omnium Christianarum virtutum praxim impellit, nec in sola speculatione quiescit.

3. Ut omnes nefarios affectus, omnia studia prava coerceant.

V. Vera fides in tribus consistit. 1. Ut credamus ex corde, ac interiori firma, inconcussaque fide, quidquid Deus revelavit; 2. Ut ore profiteamur, quod credimus ea animi fortitudine, quæ Christiano viro digna est; 3. Ut factis id testemur, quod credimus.

VI. Christianorum hujus temporis fides tres potissimum defectus habet tribus sermonis partibus impugnandos.

1. Alii fidem habent curiosam; scire volunt, quomodo fieri possit, quod Deus revelavit; rerum omnium rationem inquirunt, & ea eorum numera sunt, de quibus loquitur Apostolus: *Languens*

1. ad Tim. 6. *circa quæstiones*. 2. Alii fidem habent infirmam, quæ sese prodere non audet, neque palam profiteri quænam sit, ob metum judiciorum hominum. 3. Alii fidem habent morientem, ac fere extinctam sine motu, ac sine actione, numquam videntur agere, ut fideles decet, & suæ Religionis munera obire.

A tribus cavendum est defectibus, qui vulgò contra fidem committuntur. VII.

1. Curiosiùs inquirendum non est, quod nobis occultum voluit Deus: *Scrutator majestatis opprimetur a gloria*. 2. Pertinaciter negandum non est, quod revelavit, ac nobis notum esse voluit; quod faciunt hæretici. 3. Cognitæ veritates nequaquam detinendæ sunt in captivitate, vitam ducendo a fide nostra abnormem; quod mali Catholici faciunt.

Duo hominum genera fidem suam impugnant, ejusque veri sunt inimici. VIII.

1. Qui fidei suæ se arbitros faciunt id credentes, quod sibi arridet, atque pro libidine, religionem sibi concinnantes. 2. Qui putant satis esse habere fidem, ut salvi fiant, quin bona opera exerceant.

Fides, ut talis sit, qualem in Fidele postulat Deus, duas præsertim habere debet conditiones. IX.

1. Esse debet humilis, submissa, docilis, intellectum sub jugo captivans, ut inquit S. Paulus.

2. Esse debet viva, & agens, & efficere, ut eæ, quæ creduntur, veritates exerceantur.

Non sufficit habere fidem, nisi nostris insit consiliis, actionibus, affectibus. X.

1. In consiliis, conatibusque omnibus adhibenda sunt fidei lumina, ne quid fiat contra conscientiam, vel ne quid salutem nostram in discrimen adducat. 2. Inesse debet actionibus ut nobis vim, animumque inspiret magna pro Deo faciendi, nihilque audendi Christiano homine indignum. 3. Nobis solatium esse debet in calamitatibus nostris, cum nobis persuasum esse debeat, breve tribulationum in hac vita momentum æternum nobis gloriæ pondus in cœlo collaturum.

De Sapientum, Fatuarumque Virginum parabola. XI.

1. Vera Christiani virtus est lumina fidei sectari; hoc faciunt veri Fideles, qui sapientes vocari merentur. 2. Hæc stultitiarum omnium insanissima est proprium sequi sensum, ubi de fide agitur, & Religione.

Duplex afferri potest causa modicæ fidei, quæ hodie in mundo invenitur. XII.

Prima est, quia nimis excutiuntur veritates Religionis; volunt palam ea videre, quæ simpliciter, & cum fidei obsequio credenda sunt: hinc oriuntur ambiguitates, hæreses, infidelitates, æternæque de articulis jam constitutis disputationes.

Altera est, quia non satis excutiuntur, videlicet quia eorum magnitudo non satis intelligitur, neque ad eam animus satis advertit; atque inde fit, ut ita vita instituatur, quasi nulla fides esset, neque ullus percipiatur fructus, qui uberrimus inde potest hauriri. *Ex Auctore Sermonum in omnia Ethica Christiana Argumenta in Quadragesima.*

Fidelis, qui a fide vitam ducit abnormem, ostendit, XIII.

1. Sibi nullam esse fidem, eam videlicet, quæ ad salutem est necessaria.

2. Negat fidem, quam in Baptismo professus est: *Verbis confitentur se nosse Deum, factis autem* Ad Tit. 1.
negant.

3. Fidem suam crudeliùs persequitur, quam Tyranni, & Hæretici. *Idem in Adventu.*

Contra malos fideles, quorum vita non est fidei eorum conformis. XIV.

1. Mala fidelium vita justam præbet ansam dubitandi utrum habeant fidem: 2. In dubium etiam vocat, utrum eorum fides sit vera, cum facere non videntur illa, quæ credunt.

Tria a nobis vivam fidem exigunt; scilicet justitia, necessitas, & utilitas XV.

1. Justitia. Justa submissio est, rationem submittere auctoritati Dei loquentis, nobisque revelantia

veri-

veritatem, aot mysterium, quod mente assequi non valemus. 2. Necessaria submissio est; nam sine fide non possumus placere Deo, neque salvos fieri; 3. Utilis est; hac enim plurimum meremur; quandoquidem hoc maximum est sacrificium, quod Deo possimus offerre, maximusque honor, quo illum colere valeamus. *Ex P. Giroust in Quadragesima.*

XVI. 1. Fides nos humillat, sed ut attollat. 2. Nos exeæcat, sed ut illuminet; docet enim eas veritates, quas infirmis rationis nostræ luminibus numquam possemus cognoscere. 3. Quamdam mortis speciem infert, prohibens ne secundum naturæ nostræ impetum vivamus, ut vitam nobis largiatur nobiliorem, atque sanctiorem.

XVII. 1. Quamquam sola fides ad nos salvandos non sufficiat, sed bona opera nostra cum JESU CHRISTI meritis conjuncta nobis jus ad Cœlorum regnum aperiant; tamen vera est hæc propositio, & quæ maximè catholicum sensum habere potest; videlicet nos per fidem salvari, & justificari. 2. Hæc eadem fides, quæ nos salvat, nos etiam condemnat, ac sæpe nostræ infelicitatis causa est. Duarum harum veritatum probatio ostendet eas nequaquam secum pugnare, & pro sermonis partitione posse desumi. 1. Fides nos salvat, & justificat coram Deo. 2. Hæc eadem fides nos damnat. Fides principium salutis est pro animabus sanctis; Fides causa damnationis est pro animabus obduratis. *P. Bourdalove.*

XVIII. Triplex fidei genus distingui potest, quorum unumquodque ad Christiani salutem est necessarium.

Prima vocari potest fides theoretica, seu speculationis, qua credimus quascumque veritates Ecclesiæ Deus revelavit, & Ecclesia nobis credendas proponit.

Altera fides est practica, qua vitam, & actiones ad fidei veritates conformamus.

Tertia fides est exemplaris, qua palam, & constanter fidem hanc profitemur iis perfungentes muneribus, quæ ipsa nobis imponit. *Ex Quadragesima P. Biroat.*

XIX. Nihil humilius fide, nihilque eadem majos, & nobilius. Hinc hæ inferuntur veritates, quæ illius naturam, & effectus ostendunt.

Prior est, nos per fidem humiliari, per eamdem enim Dei magnitudinem, ac nihili nostri humilitatem cognoscimus; hinc nostram intelligimus infirmitatem, discimus enim nos nihil ex nobis posse, ac tandem novimus infelicitatem, in quam nos culpa præcipites egit: quæ omnia ad ambitionem nostram contetendam sunt maximè idonea.

Posterior est; nos per fidem attolli sublimibus veritatibus, quas nos docet, rerum divinarum cognitione, quam tradit, statu, in quo nos constituit, gratiis, quibus nos cumulat, virtute, ac potestate, quam nobis impertit. *Ex Sermone Manuscripto P. Stephani Chamillard.*

XX. 1. Licet fides sit obscura, ipsa nos illuminat nosmet excæcans, detegit enim divina, quæ nec Philosophi, neque perspicacissima hujus mundi ingenia detegere potuerunt. 2. Intellectum nostrum captivat, eumque in servitutem redigit, ut Apostolus loquitur: sed ut nos liberet a servitute opinionis, & falsorum judiciorum hominum de vitæ hujus bonis, & malis. 3. Quamquam ut plurimum mortua sit moriens in hominum spiritu; tamen est vitæ supernaturalis, ac prorsus divinæ

Ad Rom. 1. principium. *Justus autem ex fide vivit.*

XXI. 1. Revelatæ veritates credendæ sunt, quia sunt a Deo. 2. Meditandæ sunt, ac seriò ponderandæ ut in animos nostros impressionem efficiant. 3. In praxim redigendæ sunt, alioquin erunt nobis in interitum.

XXII. Hæ duæ propositiones Concionis partitionem præbere possunt.

Altera est, Fidei nostræ magnitudinem, atque potestatem inde enitescere, quia humanas subjicit mentes. 1. Hæc enim maxima victoria est, quam referre possit. 2. Quia humanæ menti nihil hoc difficilius potest accidere propter ingenitam animo superbiam, qua iis etiam, quæ certissima videntur, sese dedere abnuit. 3. Quia in hoc suprema Dei auctoritas magis elucet.

Altera; in hoc humanæ mentis sitam esse magnitudinem, quia fidei veritatibus subjecta est. 1. Hoc enim latissimam cognitionum ei multitudinem confert, quam studio, & speculatione numquam assequi potuisset. 2. Quia hoc illam supra vires, ac naturæ captum extollit. 3. Quia hoc omnem illi ambiguitatem, atque incertitudinem aufert.

Quamquam fides longè differat a gloriæ lumine, tres tamen habet effectus cum admirabili hac qualitate communes. XXIII.

Primus est; quia nobis Dei magnitudinem, perfectiones, ac mysteria detegit, alia profectò ratione, sed non minus certa: *Videmus nunc per speculum in ænigmate.* 1. ad Cor. 13.

Alter est; quia nos evehit ad statum a naturæ statu prorsus alium, quod præstat lumen gloriæ, quod pares nos efficit, ut Deum cognoscamus &c.

Tertius est; quia nos quodammodo impeccabiles reddit. Si enim Fidei lumina, ac præcepta sequeremur, numquam peccaremus.

Coodiriones, quas veri Christiani fides habere debet, & rationes, quæ nos credere cogunt ea, quæ a fide proponuntur. XXIV.

Conditiones sunt. 1. Fides universalis esse debet, ac ad ea omnia se extendere, quæ revelata sunt. 2. Constans esse debet, & inconcussa, quæcumque in speciem sese menti nostræ offerat contradictio. 3. Esse debet Heroica, itaut parati simus ad vitam impendendam, & sanguinem effundendum, ut eam tueamur.

Rationes verò sunt. 1. Auctoritas Dei. 2. Amor, quem illi debemus, & qui sine fide nequit subsistere. 3. Utilitas nostra; quoniam sine fide ad æternam felicitatem pervenire non possumus.

Sanctus Augustinus ait omne hominis malum errorem esse, & infirmitatem, sed fides utrique medetur. XXV.

1. Errorem humanæ mentis dissipat eique cognoscendam aperit veritatem. 2. Confirmat voluntatis ejusdem infirmitatem æternorum bonorum spe, quæ illi detegit, & ad quorum acquisitionem illam adducit.

Hæ duæ sunt considerationes, vel veritates duæ, quæ nos ad officium possunt revocare. XXVI.

1. Plurimos esse, quibus magna non deest dubitandi causa, utrum fidem amiserint. 1. Cum perpenditur ratio vitæ tot mortalium, qui merè externum Deo adhibent cultum, sed qui factis ostendunt, se nihil credere. 2. Cum eorum dubitationes, sermones, & negligentia in iis, quæ ad Religionem pertinent, considerantur. 3. Cum pauca bona eorum opera existimantur.

2. Plurimi sunt, quibus metuendi ratio non deest, ne illam amittant. 1. Quia Deus eam subtrahit eadem male utentibus. 2. Quia amittitur, quod non exercetur. 3. Quia pretiosum hoc munus non colitur, neque satis habetur in pretio. Quot Regna amiserunt illam, locumque hæresi, errorique tribuerunt &c.

1. Morum corruptio, & licentia fidem ad salutem efficiunt inutilem. XXVII.

2. Fides nefariam Christiani hominis vitam coram Deo efficit nocentiorem, ideoque alterius vitæ suppliciis digniorem.

Punctum Primum. In priori parte id considerabimus, quod fidem efficit victricem, invictamque; videlicet: primò persuasio veritatum, quas docet; tunc enim nihil est, quod non suscipiatur agendum, quemadmodum e contra nihil nos in officiis nostris inertiores efficit, quàm modica fides. 2. frequens meditatio veritatum, ac præceptorum fidei ejusdem; etenim sine hac languescit. XXVIII.

Punctum alterum. Fidem autem infirmam efficiunt,

ciunt. 1. Vitia, & affectus. 2. Rerum terrenarum amor. 3. Difficultates, quæ in Christianarum virtutum praxi occurrunt.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest ad proposita Concionum systemata elaboranda.

Sancti Patres. Sanctus Augustinus Tomo 4. librum habet *de Fide, & Operibus*, ubi peculiariter ostendit sine bonis operibus fidem nos salvos facere non posse.

Idem, *lib. 1. de Doctrina Christi*, docet, cum amittitur Fides, hanc secum trahere etiam Charitatis jacturam.

Idem, *in Enchyridio ad Laurentium*, ostendit eorum illusionem, qui sola fide, sine vitæ sanctitate se salvos fore credunt.

Idem, *contra Manichæos cap.* 17. docet bona opera veram esse fidei notam.

Idem, *lib.* 83. *quæstionum*, ostendit fidem sine operibus ad salutem satis non esse.

Idem, *lib. 5. contra Faustum Manichæum*, & *in Psal.* 127. hoc ipsum docet.

Idem, *contra Epistolam Fundamenti*, egregiè fidei nostræ veritatem ostendit.

Idem, *Serm. 195. de Tempore*, de virtutis hujus præstantia loquitur.

Idem, *Tract. 68. in Joannem*, ostendit fidem in hoc positam, ut credamus quod minimè videmus.

Idem, vel Auctor libri, *de Doctrina Christiana*, fusiùs probat fidei bona opera esse consocianda.

Luc. 18. Sanctus Hieronymus, *in Dialogo adversus Luciferianos*, hæc explicans verba: *Putas cum venerit filius hominis, fidem inveniet in terra?* docet hoc intelligendum de fide perfecta, quam bona opera comitantur.

Idem, *lib. 2. in cap. 3. Habacuc*, in hæc verba: *Ficus enim non florebit, & non erit germen in vineis &c.* quæ ad eos transfert, qui se fidem habere dicunt, & in Ecclesia manent, quin justitiæ opera faciant.

Sanctus Ambrosius, *lib. de vocat. Gentium c.* 3. pluribus Scripturæ locis ostendit, Fidem merum esse Dei munus.

Idem sermone primo, & secundo *de grano sinapis*, ostendit vim fidei in fidelibus.

Idem, *ad Gratianum, & contra Arianos*, fusiùs de fide loquitur.

Sanctus Gregorius, *lib. 4. Moral. in cap. 14. Job*, probat bonorum operum cum fide necessitatem.

Idem, *lib. 29. Moral. in cap.* 15. loquitur de Judæis derelictis & Gentibus ad Fidem vocatis.

Sanctus Chrysostomus Sermonem habet de Fide, Spe, & Charitate.

Idem, *Serm. 24. ad Ephes.* in hæc verba, *sumentes scutum fidei &c.* ostendit fidem verè esse clypeum, quo contra hostium tela protegimur.

Idem, *Homil. 7. in Epist. ad Hebr.* docet fidem sine bonis operibus satis non esse ad nos salvos faciendos.

Origenes, *Homil. 16. in cap. 21. Matth.* loquens de ficulnea, cur maledixit JESUS, quia foliis eam sine fructibus onustam invenerat, docet fidem semper bonis operibus esse consociandam.

Sanctus Basilius, *Homil. 4. & 15.* de fide loquitur.

Sanctus Gregorius Nazianzenus, *Tom. 1. Orat.* 49. de hoc loquitur argumento.

Sanctus Fulgentius *ad Petrum, & Donatum*.

Sanctus Ephrem, Tomo 1.

Sanctus Athanasius, Tomo 1.

Yvo Carnotensis *in Decret. part.* 1. 17.

Sanctus Bernardus, *Sermone 2. in Fest. Pasch.* fidem sine charitate corpori sine vita, motuque comparat.

Guillelmus quoque Parisiensis, & Dionysius Carthusianus hoc argumentum pertractarunt.

Ascetici, aliique. P. Ludovicus Granatensis in Catechismo de Symbolo Fidei.

Cambolas, libro cui titulus: *Vitæ Christianæ exemplar*, fusius loquitur de Christianæ vitæ conformitate cum fide, ubi ea omnia prosequitur, quæ in hoc argumento ad mores referuntur.

P. Caussinus in Aula sancta lib. 3. cap. 4.

Ludovicus a Ponte Tomo primo de Perfectione Tractatu primo cap. 7. 8. 9.

Petrus Sanchez, de Regno Dei *part. 4. cap.* 3.

Pædagogus Christianus, *part. 2. cap.* 23.

Petrus Canisius in Opere Catechistico majori.

Bernardinus Rossignolus, de Disciplinæ Christianæ Perfectione, *lib. 3. cap.* 4.

Moralis Christiana, Tractatu primo præliminari, *sect. 2. art.* 1.

P. Crasset duos edidit Tomos de Fide victrici, ubi ea omnia, quæ ad hoc pertinent argumentum, reperies.

P. Rapin librum quoque edidit de primorum sæculorum Fide.

P. Saint Juré, librum conscripsit, cui titulus, *Les trois filles de Job*; ubi agit de Fide, Spe, & Charitate.

P. Bonal in Christiano Temporis.

P. Antonius de Sancto Martino a Porta ex Carmelitarum familia, *Tract. 6. cap.* 1.

Conradus Clingius *in Catech. lib. 1. & in locis Communibus lib.* 2.

Joannes Cocleus, in Apologia contra Melanctonem.

Toletus in Instructione Sacerdotum lib. 4.

Lipomanus contra Lutherum.

Joannes Franciscus Picus.

Dandinus in Ethicis sacris amplum habet Tractatum de Fide.

Infiniti propemodum sunt Ascetici, Theologi, & Controversistæ, qui agunt de Fide. Quos memoravimus, hi majorem præ cæteris ad concionandum copiam suppeditant

Concionatores Recentes. P. Delingendes tres habet de Fide Sermones.

Biroat, Sermone primo Adventus.

Idem sermone pro feria 5. Cinerum.

Maimbourg in Quadragesima Tomo 1. de essentialibus Fidei qualitatibus disserit.

P. Texier in Adventu duos habet deinceps de Fide sermones.

Idem in Dominicali Dominica 18. post Pentecosten loquitur de fide actuali.

La Font, *Serm. pro 20. post Pentec. Dominica*.

P. Masson Oratorii Presbyter in Adventu.

P. Duneau in Dominic. Dominica prima post Pascha.

Pater De la Colombiere, in Considerationibus Ethicis.

P. Giroust in Quadragesima Tomo 2.

In Sermonibus Moralibus sermo est de Fide.

In Sermonibus Christianis in 23. Dominicam post Pentecosten.

De la Volpilliere in Sermonibus.

Fromentieres.

P. Cheminais, Tomo 2.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta in Adventu ostendit modicam esse in mundo fidem, sub titulo *de Moribus Christianorum*.

Idem Sermone pro feria 5. Cinerum adfert rationes hujus modicæ fidei.

Idem in Sermonibus particularibus, sermonem habet de incredulitate, & infidelitate.

Essais des Sermons pro 20. post Pentecosten Dominica, pro tertia Dominica Adventus, argumento primo pro die Epiphaniæ, pro Dominica Quinquagesimæ; in tertio Adventu tres deinceps sunt hujus argumenti conciones.

Qui collectanea ediderunt. P. Ludovicus Granatensis, *in locis Communibus Titulo Fides*.

Labata. *Titulo Fides*.

Berchorius.

Drexel-

Drexellius, *in rosis select. part. 1. cap. 4.*
Perardus, 1. *part. Titulo Fides.*

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento.

NON fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis. Psal. 147.

Qui scrutator est majestatis, opprimetur à gloria. Prov. 25.

Qui credit Deo, attendit mandatis. Eccli. 32.

Nisi credideritis, non intelligetis. Isaiæ 7.

Justus, in fide sua vivet. Habacuc 2.

Qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso. Ibid.

Vade, & sicut credidisti, fiat tibi. Matth. 8.

Si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis monti huic: Transi hinc illuc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis. Matth. 17.

Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur. Marci 16.

Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam. Marci 9.

Filius hominis veniens, putas, fidem inveniet in terra? Luc. 18.

Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus. Joan. 1.

Qui verbum meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam. Joan. 5.

Multi ex principibus crediderunt in eum, sed non confitebantur; dilexerunt enim gloriam hominum magis, quàm gloriam Dei. Joan. 12.

Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. Marci 9.

Qui non credit, jam judicatus est. Joan. 3.

Qui incredulus est, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. Ibid.

Nunquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit? Ad Rom. 3.

Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam. Ad Rom. 4.

Justus autem ex fide vivit. Ad Rom. 1.

Corde creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem. Ad Rom. 10.

Qui veritatem Dei in injustitia detinent. Ad Rom. 1.

Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. 1. ad Corinth. c. 13.

In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. 2. ad Corinth. 10.

Vosmetipsos tentate si estis in fide; ipsi vos probate. 2. ad Corinth. c. 13.

Gratia estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis; Dei enim donum est. Ad Ephes. 2.

In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela iniquissimi ignea extinguere. Ad Ephes. 6.

Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma. Ad Ephes. 4.

State in fide. 1. ad Corinth. 16.

Christum habitare per fidem in cordibus vestris. Ad Ephes. 3.

Fide stas: noli altum sapere, sed time. Ad Rom. 11.

Fides, quæ per charitatem operatur. Ad Galat. 5.

O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati? Ad Galat. 3.

Habens fidem, & bonam conscientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt. 1. ad Timoth. cap. 1.

Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit. Ad Hebr. c. 11.

Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus legis. Ad Rom. 3.

Sine fide impossibile est placere Deo. Ad Heb. 11.

Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. Ad Hebr. 11.

Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, &c. Ad Heb. 11.

Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci. Ibidem, cap. 13.

Sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est. Jacobi 2.

Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum? Ibidem.

Fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa. Ibidem.

Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum. Ibidem.

Omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis. Matth. 21.

Quia vidisti me Thoma, credidisti: beati qui non viderunt, & crediderunt. Joan. 20.

Confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Ad Titum 1.

Ostende mihi fidem tuam sine operibus, & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam. Jac. 2.

Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco. 2. Petri cap. 1.

De tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum. 1. Petri cap. 2.

Exempla ex veteri, novoque Testamento desumpta.

ABrahæ fides tribus potissimum in rebus ab Apostolo celebratur. Primum, quia egressus est de terra patria jussu Dei in alienam migraturus, quin sciret quò sibi esset eundum: *Exiit nesciens quò iret*: cumque illuc pervenit, non invenit ibi statim certam sedem, ubi permaneret: sed in Ægyptum migrare coactus fuit ad evitandam famem, qua terra Chanaan, quò illum adduxerat Deus, laborabat; atque plurimorum annorum spatio non aliam domum habuit, quam tabernacula. Nihilominus quia pollicitus fuerat Deus, se illi, posterisque illius terram illam possidendam traditurum, constans in sua fide permansit: *Expectabat enim fundamenta habentem civitatem, cujus artifex Deus.* Alterum, in quo magni hujus Patriarchæ admirabilis fides enituit, in Epistola ad Romanos explicatur. Promiserat Deus, illum futurum plurimarum nationum Patrem, & ab eo gignendos esse Reges, & populos, quorum numerus cœli stellas æquaret. Attamen licet jam centesimum annum ageret, & Sara uxor ejus sterilis esset, credidit Deum promissi fidem præstiturum, neque nutavit in fide, quæ spei est fundamentum; & quamvis secundum humanas rationes felicitatis hujus spes ab eodem longè aliena videretur; attamen per fidem spem suam confirmavit: *Contra spem in spem credidit, ut fieret pater multarum gentium.* Tertium denique, ubi hujus Patriarchæ fides eluxit tunc fuit, cum filium suum unigenitum sacrificare fuit jussus. Hic ille filius erat, de quo promiserat illi Deus, *in Isaac vocabitur tibi semen.* Quomodo autem simul conciliari possunt, & imperium, quo filium sacrificare jubetur, & promissio futurum ut per eumdem progenies ejus multiplicaretur? Non hæsit ille hoc præceptum exsecutioni, fretus solida, inconcussaque fide futurum ut Deus, qui & promiserat, & imperaverat, rationem nancisceretur, qua promissionem simul cum imperio conciliaret, illum resuscitans, quem sacrificari jubebat: *Fide obtulit Abraham Isaac, arbitrans, quia & a mortuis suscitare potens est Deus.*

Fides Patriarchæ Abraham. — *Ad Heb. 11.* — *Ad Heb. 11.* — *Ad Rom. 4.* — *Genes. 21.* — *Ad Heb. 11.*

Moysis quoque fides summis ab Apostolo celebratur encomiis; quia cum in Ægypto haberi posset tamquam filius filiæ Pharaonis, quæ adoptaverat illum, maluit affligi cum populo Dei, quàm Ægyptiorum opibus, ac deliciis perfrui, sibi crucis JESU CHRISTI proponens ignominiam:

Fides Moysis fuit admirabilis.

Majo-

Hebr. 11. *Majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi*. Fides sanè illius magna, ac vivida fuisse dicenda est, nam ante tot sæcula usque ad Crucis mysterium extendebatur.

Fides Noë. Apostolus loquens de fide veterum Patriarcharum, peculiariter notat, illos ea credidisse, quæ non videbant, & quæ aliena ab omni veritatis specie videbantur; ut hinc intelligamus fidem eò majoribus laudibus dignam esse, quò magis circa invisibilia versatur. Ita Noe incœpit Arcam ædificare centesimo ante diluvium anno credens constanter illud eventurum, licet adeo remotum esset, quasi ob oculos suos versaretur: *Nec responso accepto de iis, quæ adhuc non videbantur, metuens aptavit arcam in salutem domus suæ, & justitiæ, quæ per fidem est, hæres est institutus*. Noe igitur plenus fide tunc factus est totius terrarum orbis Concionator, ac operibus fecit, quod mox Jonas in Ninive verbis Arcæ hujus constructione clamans quodammodo: *Adhuc modicum tempus, & mundus obruetur*. Nihil aptius fuisse videtur ad homines ad officium revocandos, quàm videre ob oculos suos illam ædificari arcam, qua Noe evasurus erat ex naufragio, quod minitabatur Deus. Attamen defuit mortalibus fides, & nefaria obduratione, quæ prima fuit scelerum suorum pœna, otiosis oculis Arcam hanc extrui spectarunt. In jocum etiam proculdubio verterunt minas, quasi inania terriculamenta, atque ipsa Noe monita, ac præcautiones irriserunt, & quod magis terribile est, illi ipsi, qui Arcæ ædificandæ locarunt operam, nullam inde opem perceperunt, quia nullam Noeticis vocibus fidem adhibuerunt.

Alii Sancti Patriarchæ quorum fides enituit. Quid autem dicam de longa illa tot Patriarcharum, qui in lege cum naturæ, tum scripta floruerunt, nomenclatura? De Abele, Enoch, Joseph, Josue, aliisque, quorum in Epistola ad Hebræos Apostolus meminit? Necesse non est singulorum seorsim elogia contexere; sed dixisse generatim cum Sancto Paulo sufficiat, illos per fidem adeptos fuisse regna, illos justitiæ, ac virtutis munera implevisse, illos promissionum effectus fuisse assecutos, vim ignis coercuisse, gladiorum aciem retudisse, ab omnibus morbis convaluisse, in prœliis fortitudine, & robore fuisse repletos, exterorum castra in fugam vertisse &c. Quod si omnes isti veteris Testamenti viri sancti in fide mortui sunt, licet ab iisdem petitum dumtaxat fuisse Legis complementum videbatur; quantò magis nos eamdem tueri fidem tenemur, ob quorum oculos Auctor; Consummatorque Fidei versatur?

Regum Magorum fides. Regum Magorum fides ex Sancti Chrysostomi, omniumque Patrum, qui de eadem verba fecerunt, sententia non opus fuit Stellæ, quæ illis apparuit, sed Dei ipsius in animabus eorum operantis. Horum Principum virtus admirabilis proculdubio fuit, non solum quod ad novi hujus Syderis, quod Messiæ nativitatem illis portendebat, conspectum, viam corripuerunt, & ex dissitis adeo regionibus illum adoraturi venerunt, sed quod cum Herode tanta cum libertate, ac fiducia egerunt, non populi furorem, non Regis hujus tyrannidem metuentes, quod credendi locum tribuit, hos Magos factos deinde fuisse in regionibus suis veritatis Præcones. Postquam enim audacter, adeo cum alieno populo locuti sunt, fidei consonum videtur, hoc illos liberiùs in patria tellure effecisse, cum præsertim Angeli voce fuissent admoniti, ac Prophetarum testimonium didicissent. Hæc docet Sanctus Chrysostomus, *Sermone 6. in Sanctum Matthæum cap.* 2.

Sanctæ Virginis fides. Quænam fuisse dicenda est Beatissimæ Virginis fides, ut ea omnia crederet, quæ in se erant perficienda? Hoc sanè summam attulit admirationem Elisabeth ejus consobrinæ, cum hæc illam domi suæ excepit: *Beata, quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi a Domino*. (Luc. 1.) Beata fides tua! beata anima tua, quæ satis firmam fidem habere potuit, ut tot crederet, quæ humanæ menti numquam fieri posse videbantur! Credere, te futuram simul matrem, & virginem; credere te Matrem futuram Dei, Patris tui; credere futurum ut creatura Creatori, æternoque Deo vitam posset tribuere: credere futurum ut angustus tui sinus carcer Deum immensum caperet, quem immensi Cœlorum orbes non capiunt; credere, se Spiritu Sancto operante, concepturam Filium, ac divina ejusdem virtute futuram te matrem filii tui, cujus Pater Æternus Pater est. O Deus! Quanta esse debuit fidei tuæ magnitudo, ut firmiter hæc omnia prodigia crederes.

S. Petri fides, & confessio. Ad credendum humilis requiritur voluntatis submissio; qua in re Fidelium fides a dæmonum fide differt, qui manifesta rei veritate credere coguntur. Et profectò Sanctus Petrus dicens, Tu es Christus Filius Dei vivi, non aliam facit Fidei confessionem, quàm quæ olim a dæmonibus facta fuerat. Undenam igitur factum est, ut dæmones participes facti non sint gratiæ illius, quam Sanctus Petrus obtinuit, neque fide sua meriti sunt, ut dicerentur Beati, quod Apostolorum Principi contigit? Hoc est mysterium; Dæmones non credunt nisi coacti, & inviti, neque ideo sese submittunt Deo, ac infallibili verborum illius veritati sese volunt subjicere. Veritatem dicunt, ac fatentur per metum, ejusque manifesta certitudine compulsi, sed Sanctus Petrus eam libentimè, per amorem, ac spiritum submissionis confitetur.

De S. Thomæ Apostoli Infidelitate, ac Fide. Quodnam facit Sancti Thomæ peccatum, cum cæteris Apostolis sibi Filii Dei Resurrectionem nuntiantibus dubitavit? Non fert animus inutiles conatus exerere ad eum excusandum; neque cum nonnullis Doctoribus dicturus sum, eam non tam infidelitatem fuisse, quam curiositatem, quam necessariam putaret, ut melius probaretur Evangelium, cum ipsi persuasum esset futurum, ut populi testimonio suo non possent resistere, si cum S. Joanne illis dicere potuisset: Quod vobis annuntio de Verbo vitæ ita certum est, ut illud meis auribus hauserim, meis oculis viderim, manibus meis attrectaverim. Haud ita, Fideles, Sanctus Thomas infidelis fuit, de Magistri sui resurrectione; ideoque etiam de ejusdem divinitate dubitavit; jurat se non crediturum, nisi viderit in manibus JESU locum clavorum quibus fuerant perforatæ. Majorem Domino suo prætexens amorem crudeli curiositate postulat, Sanctus Petrus Chrysologus inquit, ut sibi liceat rursus aperire vulnera, quæ eidem carnifices fecerant; & diebus octo in sua obstinatione persistit. Quis cogitasset umquam futurum ut Dei Filius Apostolum hunc in ipsius infidelitate conveniret? Quis credidisset, fore ut post hæc audacissima verba, *Non credam*; gratia hanc sibi curam deposceret rebellem ejus spiritum illuminandi? Attamen in hoc errore lumen offert infidelitatis tenebras dissipans; ita ut non sufficiat Thomæ illum pro Deo, Dominoque suo confiteri, sed mox hujus fidei lumina ad extremas usque terrarum plagas ferat.

Fides Centurionis, de quo loquitur Evangelium. Salvator Centurionis fidem ita admiratus, laudibusque prosecutus est, ut asseruerit se tantam in Israel fidem non invenisse. Ita primus Gentilium, qui credidit in JESUM CHRISTUM, commotus fuit prodigiis, quæ Filius Dei operabatur, & gravi morbo servi sui, quem unice diligebat, & qui jam morti proximus putabatur; Narrat Sanctus Lucas virum hunc non ausum fuisse ipsum coram convenire JESUM, quia se ejusdem adspectu indignum putabat. Imitemur fidem, & humilitatem militis hujus, qui ab utraque hac virtute abhorrere debuisse videbatur. Tanta est fides ejus, ut ex sola narratione operum JESU CHRISTI credat in ipsum; vel dicam melius, gratia prorsus divinæ effectu tanta est fides ejus, & humilitas, ut se indignum putet, qui illum domi recipiat. *Domine non sum dignus*. (Matth. 8.)

Post hæc exempla necesse non est aliis immorari, quæ plurima sunt in Evangelio, & in Actis Apostolorum.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic argumento.

Fides simul & clara esse debet, & caliginosa.

DOminus præcedebat eos ad ostendendam viam, per diem, in columna nubis, & per noctem in columna ignis. *Exod. cap.* 13. Hæc nubes, quæ Israelitis in deserto dux erat, non fuisset idonea ad eum finem, in quem a Deo destinata erat, si tota fulgens fuisset; Opus erat partim esse tenebricosam, ut Ægyptiorum copiis caliginem offunderet eodem tempore, quo Israeliticis facem præferebat. Ita fidei veritates, cujus illa typum gerebat, non satis Dei consiliis super homines, & statui, in quo vult eos in hac vita permanere ad spiritum eorum humiliandum, essent accommodata; si in illis mera lux affulgeret, sine ulla tenebrarum, & caliginis immixtione. Fatendum est, Origenes ait, Dei Spiritum, qui locutus est per Prophetas, & JESU CHRISTI Verbum quod erat in Apostolis, noluisse palam veritatis doctrinam patefacere; & obscuritas ista, Sanctus Basilius inquit, qua Scriptura tegit dogmatum suorum intelligentiam, species est silentii, quod tunc etiam servare voluit Deus, cum per Scripturas loqueretur.

Fides firma esse debet, & inconcussa.

Sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. Ad Hebr. 11. Ita Sanctus Paulus fidei exprimit firmitatem. Substantia est rerum, quas speramus, & argumentum, seu persuasio earum, quas non videmus. Videlicet fides est veluti substantia; Substantia enim est fundamentum, quod concuti nequit, ac reliquam ædificiis partem sustentat. Vel argumentum est persuadens, ac efficiens ut ea credamus, quæ non videmus, tanta firmitate, ac certitudine, quanta si oculis viderentur, atque sub sensus nostros caderent; immo & longè certiori modo, sensus enim nostri decipi possunt. Sed cum JESUS CHRISTUS verum sit principium, & inconcussum fidei nostræ fundamentum, ipse nos fallere nequit argumento; neque nos decipere verbo, quod ipse hominibus prædicavit. Admirabile fidei nostræ privilegium; quod exigit, ut in mentibus nostris inconcussam illi firmitatem tribuamus; atque mentibus nostris cordium, & voluntatum nostrarum submissionem consociemus ad omnes superandas dubitationes, quæ de eadem possent oboriri.

Fides nos excæcans nobiliora detegit objecta.

Nox illuminatio mea in deliciis meis. Ps. 138. In naturæ ordine sol visibilis nos suis radiis illuminans aperit nobis tantùm objecta terræ, & communes pulchritudines, flores, arbores, agros, ædificia; sed cum occidit, ac tenebris locum relinquit, alia tunc videmus objecta, cœlestesque pulchritudines, astra, sydera, lunam, planetasque, quæ omnia longè sunt magis admirabilia, quam quæ videntur in terris. Similiter cum intellectus noster, qui est veluti sol, propriis nos illustrat luminibus communia tantùm videmus objecta, quæ sensus nostros afficiunt, vel ea saltem, quæ extra captum nostrum non sunt; sed cum sese recipit, & locum obscuris fidei fulgoribus tribuit: tunc divina videmus, pulchritudines miras; pulchritudines, quæ, ut Sanctus Augustinus ait, non imminuuntur, neque annorum diuturnitate marcescunt. Itaque cum Deo mentis nostræ sacrificium offerimus, ex tenebris nostris vera lumina mutuamur: *Et nox illuminatio mea in deliciis meis.*

Fides est omnipotens ad obtinendum quidquid vult.

Omnia possibilia sunt credenti: Marci 9. inquit Dei Filius, & illud notandum mihi videtur, quod fere numquam voluerit ille operari miracula in eorum gratiam, qui ad eum confugiebant, nisi antea ab illis actum fidei exegisset. Archisynagogo, cujus filia mortua fuerat: Ne metuas inquit, crede tantùm, & puella sanabitur. Cum duobus cæcis visum redditurus esset, nonne antea dixit illis; Creditisne me facere posse, quod cupitis? Et responderat illi; Credimus, Domine. Tunc verò tetigit oculos eorum dicens: fiat secundum fidem vestram, ac statim aperti sunt oculi eorum, quemadmodum Sanctus Lucas Evangelista testatur.

Fides indivisibilis est.

Nec tibi, nec mihi, sed dividatur. 3. *Reg. c.* 3. Scimus, fidem esse veluti matrem illam, quæ passa non est, ut filius bifariam secaretur, sed integrum voluit permanere. Judicium a Salomone prolatum in lite duarum matrum filium sibi vendicantium, quem falsa mater veræ surripuerat; edixerat, ut filio bifariam cæso, quælibet earum suam partem auferret; Sapiens profectò judicium, quod veram prodidit matrem, cujus amor divisionem hanc pati non potuit, quam falsa mater haud gravatè ferebat, quia filius ad eam non spectabat. Hæ duæ matres, Sanctus Augustinus ait, errorem referebant, & fidem. Idololatria, sive error, tamquam falsa mater non egrè fert dividi veritatem, bifariam secari, aliquam in sensibus suis locum illi tribuens; sed fides veluti vera mater, ac veritatis, quæ filius est ab eadem genitus, amantissima, pati nequit, neque permittit, eam umquam dividi, immo neque minimam particulam ab eadem auferri.

Fides intellectum humanum captivat.

In captivitatem redigentes omnem intellectum. 2. *ad Corinth. cap.* 10. Eruditus quidam Interpres hæc Sancti Pauli explicans verba, ait captivitatem duo inferre; Obscurum, caliginosumque locum, ubi captivus continetur, & libertatis eundi, quò libet, jacturam. Ita per fidem humanus spiritus obruitur, ut ita dicam, profunda mysteriorum nostrorum caligine: fidei fax illum in tenebricoso carcere illuminans, ut Sanctus Petrus ait, satis tutò illum deducit; sed non satis coruscat, ut sanctas, atque adorabiles tenebras penitus dissipet. Secundò; hæc eadem mens humana libertatem amittit ratiocinandi, quæ propria est mentis actio; ut Sanctus Thomas inquit, & quæ *discursus* nomine indigitatur; mens enim arguendo de una ad aliam discurrit propositionem; & hoc hominis ambitionem lacessit, qui vellet semper frui sua libertate, & captivitatem hanc pati non potest.

Increduli, qui fidem amiserunt.

Arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ. Hoc nomine S. Judas Apostolus in Canonica Epistola incredulos, & qui fidem amiserunt, appellat; Sunt, inquit, Arbores autumnales, nullum ferentes fructum, radicitus evulsæ, bis mortuæ! Ex ea voce *infructuosæ* satis intelligimus, homines hujusmodi nulla bona opera efficere, & esse arbores eradicatas; fides enim, quam amiserunt, est veluti radix eos nutriens, eisque vitam tribuens. Sed cur illos arbores bis mortuas appellat? puto, quia non solum amiserunt charitatem, quæ est animæ vita, sed etiam fidem, quæ est quodammodo vita prima, vel origo vitæ spiritualis. *Justus ex fide vivit.*

PARAGRAPHUS IV.

Sanctorum Patrum loci, ac Sententiæ in hoc Argumento.

F*Idei simplicitas omnibus argumentis antecellit.* Ambr. in 1. Hexam. cap. 6.

Fides virtutum omnium stabile fundamentum est. Idem, in Psal. 40.

Fides principium Christiani est; plenitudo autem Christiani, justitia. Idem, in Psal. 118.

Citò fides inexercitata languescit. Idem, in Psal. Beati immaculati.

Christianus ante omnia fidem custodiat, hac enim salva facilè reliquas virtutes custodiet aut reparabit. Idem, Orig. cap. 4.

Increduli audacia verborum, terrenis armis contra cœlestia dimicant, & carnalibus adversus spiritualia, & prudentes se dicere non erubescunt, quasi humana sapientia Dei sapientiam superaverit. Idem, in cap. 5. Epist. ad Roman.

Quid est fides, nisi credere quod non vides? August. variis in locis.

Turbam non intelligendi vivacitas, sed creden-

di

di simplicitas tutissimam facit. Idem, contra Epist. fundamenti.

Fides quidem sine charitate potest esse, sed non prodesse. Idem, l. 15. de Trinitate.

Nulla sunt majores divitiæ, nulli thesauri, nulli honores, nulla mundi hujus major substantia, quàm est fides catholica. Idem, Serm. 1.

Adjungite fidei rectæ vitam rectam, ut Christum confiteamini, & verbis vera dicendo, & factis benè vivendo. August. Serm. 31. de verb. Apost.

Fac quod dicis, & fides est. Idem, Serm. 137. de Tempore.

Fides est origo justitiæ, sanctitatis caput, unde omnis justitia sumit initium. Idem.

Christiani nominis non facit sola dignitas Christianum, nilque prodest quod Christianus vocetur in nomine, si hoc non ostendit in opere. Idem, Serm. 38. de Tempore.

Divina operatio, si ratione comprehenditur, non est admirabilis; nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Idem, Homil. 26. sup. Evang.

Cum dilectione, fides Christiani; sine dilectione, fides dæmonis. Idem, lib. 10. de Civit.

Quisquis adhuc prodigia quærit ut credat, magnum est ipse prodigium, qui mundo credente non credit. Idem, lib. de utilit. credendi.

Difficile est, ut malè vivas, qui benè credis. Idem, Serm. 237. de Tempore.

Si vides, non est fides, credenti colligitur meritum, videnti redditur præmium. Idem, tract. 68. in Joannem.

Non sunt bona quæ per fidem & dilectionem non fiunt, quia alterum sine altero nullius virtutis fructum parit. Idem, l. de vera innoc. c. 224.

Inseparabilis est à bona vita fides, quæ per dilectionem operatur. Idem, lib. de fide & operibus.

Antequam videas quod videre non potes, crede quod nondum vides; ambula per fidem, ut pervenias ad speciem. Idem, Serm. 18. de Verbis Dom.

Noli intelligere ut credas, sed crede ut intelligas; intellectus merus fructus fidei est. Idem sup. Joann.

In homine carnali tota ratio intelligendi est consuetudo cernendi. Idem, Serm. 151. de Temp.

Res est audax fides, perveniens quò non pertingit intelligentia. Idem.

Non capiunt fidei magnitudinem angusta impiorum pectora. Ambros. lib. 3. de Spiritu Sancto, cap. 18.

Quod mens humana rationis investigatione non potest comprendere, fidei plenitudo complectitur. Idem, in Luc. c. 5.

Fides est argumentum non apparentium; quæ enim apparent jam fidem non habent, sed agnitionem. Gregor. Hom. 26. in Evang.

Vera fides est quæ in hoc, quod verbis dicit, moribus non contradicit; ille verè credit, qui exercet operando quod credit. Idem, ibid.

Domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur. Augustin. Sermon. 9. de verb. Apost.

Laudo fructum boni operis, sed in fide agnosce radicem. Idem, in præfat. in Psal. 32.

Fides magna credit, & majestate Dei digna. Idem.

Divino sæpè judicio contingit, ut per hoc quidem quod nequiter vivunt, perdant quod salubriter credunt, & per hoc exinaniantur usque ad fundamentum. Idem.

Sicut planta absque radice fructum non profert, ita absque fidei fundamento non provenit sermo doctrinæ. Chrysostomus, in hæc verba Apostoli, habentes eundem spiritum fidei.

Fides excludit dubia, tenet certa, promissa consignat: hanc qui tenet, felix est; qui deseruerit, miser. Idem, Serm. de fide, spe, & charitate.

Fides est religionis fundamentum. Idem, ibid.

Sicut in mari, nisi anchora figatur, navis ventorum ludibrio exposita hinc inde jactatur; ita nisi intellectus noster per fidem firmetur, ab opinionum variarum fluctibus semper circumfertur instabilis. Idem, Hom. 11. in Epist. ad Hebræos.

Dignus est perdere inutilem fidem, qui non exercuit charitatem. S. Prosper.

Habet non tam veniam quàm præmium, ignorare quod credas. Hilarius, lib. 7. de Trinit.

Fides catholica contra omnes morbos animi medelam affert. Idem, lib. 2.

Nihil fide nostra iniquius fingi posset, si in eruditos tantùm caderet. Gregorius Nazianz.

Est fides eorum quæ dicta sunt assentiens, approbatio sine hæsitatione. Basilius, de vera ac pia fide.

Huic unitati fidei inconcussis mentibus oportet inhærere. S. Leo, Serm. de Nativit.

Magnum præsidium est fides integra, fides vera, in qua nec augeri ab ullo quicquam, nec minui potest; quia nisi una est, fides non est. Idem.

Fides est fundamentum salutis æternæ. Euseb. Emissen. Hom. 2.

Per fidem potest Deus ignotus requiri, quæsitus credi, creditus inveniri. Idem, ibid.

Regula quidem fidei una omnino est, sola immobilis, & irreformabilis. Tertullian. lib. de veland. Virg.

Censores divinitatis (hæretici.) Idem, l. 2. contra Marcionem.

Fides est virgo integerrima, talisque nobis à Christo tradita, quam ut constuprare conantur hæretici, sic Catholicis eam omnino incorruptam castè tueri necesse est. Idem, de præscript.

Magnarum hic vigor est mentium, & valde fidelium; hoc lumen est animorum, incunctanter credere, quæ corporeo non videntur intuitu. S. Leo, Serm. de Ascens.

Fides & bona opera indissolubili vinculo connectuntur, itaut ubi alterum desit, alterum penitus non stet. S. Eucherius.

Nihil egentius, nihil stultius illa mente, quæ de Deo extra Deum philosophatur. Diadocus Episc.

Mater martyrii fides est. Ambr. Serm. de Sanctis Nazario, & Celso.

Fides æquè necessaria, ac ei qui in hoc mundo vivit, ad vivendum respiratio. Clem. Alexand. in Proph. Abacuc.

Principium vitæ est fides, finis verò ejus, dilectio; ambæ enim simul junctæ hominem Dei perficiunt. S. Ignat. Epist. ad Philipp.

Cum inciderit hujusmodi necessitas, ut discedere à Deo, atque ad ritus gentium transire cogamur, nullus nos metus, nullus nos terror inflectat, quominus traditam nobis fidem custodiamus. Lactantius, in Epist. divin. instit.

Christiani, mori sciunt, disputare nesciunt. Pacian. Episc. Barcin.

Non licet in fide putare, vel disputare, pro libitu; non hac illacque vagari per inania opinionum, per devia errorum, substantiæ nomina; aliquid tibi certum fixumque præfigitur, certis clauderis finibus, limitibus coarctaris. Berhard. contra Abaillardum.

Absit ut in fide nostra aliquid sit dubia æstimatione pendulum, & non magis tutum quod in ea est, ac solida veritate subnixum, oraculis, & miraculis divinitus persuasum! Idem, Epist. ad Innocent. Papam.

Fides attingit inaccessa, deprehendit ignota, comprehendit immensa ipsam denique æternitatem suo illo vastissimo sinu quodammodo circumcludit. Idem, Serm. 76. in Cant.

Hæc est quæ velut quoddam æternitatis exemplar, præterita simul & præsentia, ac futura sinu quodam vastissimo comprehendit. Idem, Serm. 6. in vigil. Nativit.

Quid est fides quæ non operatur, nisi cadaver exanime? Idem, Serm. 24. in Cant.

Verbum ejus (nempe Dei) summa mihi ratio est. Cassianus.

Fides est generositas, & fortitudo nostri intellectus. Guill. Parisiensis.

Fides est crepusculum gloriæ. Idem.

Qui fidem integram non servaverit, proculdubio in æternum peribit. In Symb. S. Athanas.

Domine, si error est, à te decepti sumus; nam ista in nobis tantis signis, & prodigiis confirmata sunt, & talibus, quæ, non nisi per te fieri possunt, Richard. à S. Victore Sent. 1. de Trinit. cap. 2.

Fides à te exigitur, & sincera vita, non altitudo intellectus, neque profunditas mysteriorum Dei, De Imitat. l. 4. c. 4.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ penu ad hoc argumentum depromi valeat.

Fidei definitio.

FIdes, ut loquuntur Scholæ, actus est nostri intellectus, quo firmiter, & non hæsitanter credit quidquid Deus revelavit, licet obscurè, idque unicè, quia Deus revelavit, quem scit primam esse veritatem, & quem neque falli, neque fallere posse cognoscit; ita ut hoc testimonium satis valida sit ratio ad eum captivandum, atque adciendam in eo hanc certitudinem, quæ fidei veluti basis est, & fundamentum. Verum cum fides homini non sit data, ut in hac cognitione subsistat; sed potissimùm ad hoc tendat, ut ad agendum impellat, reor hæc duo separanda non esse. Definitio hæc, quæ sanè fusa nimis est, paucioribus potest concludi verbis, si dicamus fidem virtutem esse supernaturalem animabus nostris infusam, per quam intellectus noster gratia adjutus, ac divina revelatione illustratus voluntariè acquiescit veritatibus sibi Dei nomine propositis.

Fides est donum Dei.

Fides est donum Dei, quod per bonitatis, ac largitatis ejusdem effectum habere possumus. Possemus quidam ex nobis nutanter credere, ac sine certitudine; sed hæc humana fides esset, non divina, qualis esse debet fides Christiani hominis, non ambigua, non labans; qua suo adhæret objecto, ut loquuntur Theologi firmius, quàm intellectus noster veritatibus liquidioribus hæreat. Hoc autem in nobis operatur Deus, cum nos justificat, ac per fidem salvat, uti docet Apostolus. *Gratia estis salvati per fidem, at hoc non ex vobis; Dei enim donum est*. (Ad Eph. 2)

Fides ita Dei donum est, ut in nobis sit credere; vel secus.

Fides ita Dei donum est, ut homini integrum sit credere, vel secus; non secus ac in hominis potestate positum est Deum amare, vel non amare; quamquam Charitas sit donum Dei, quod in corda nostra Spiritus Sanctus effundit. S. Augustinus hanc quæstionem proponit in libro *de Spiritu, & littera*: Utrum fides, quæ est salutis nostræ principium, sit in nostra potestate? & respondet, in cujusque potestate esse, quod facit, si vult, & si minimè vult, non facit: *Hoc quisque in potestate habere dicitur, quod si vult facit, si non vult, non facit*. At certum est, quemlibet credere si vult, & si non vult, minimè credere. Quid enim est credere, nisi putare ea, quæ dicuntur, vera esse, quod pendet a voluntate? Quærit deinde, utrum voluntas hæc sit donum Dei? & affirmativè respondet; *quia est a Deo vocante consentientibus nobis*. Qua responsione docet, quædam esse Dei dona a consensu nostro pendentia, & ex eorum numero fidem esse. Quod mirum videri non debet, cum enim homo sit liber, acceptare, vel rejicere potest non quidem omnia donorum genera, sed ea, quibus æternam vitam meretur, puta fidem, Spem, Charitatem, & aliarum virturum actus. (Lib. citato c. 33. & 34.)

Quomodo sit intelligenda fidei definitio ab Apostolo allata. D. Thom. 2. 2. q. 4. a. 1.

Fides ab Apostolo vocatur: *Sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*. Sanctus Thomas definitionem hanc explicans dicit, fidem, quatenus est argumentum vel persuasio, distinctam esse a suspicione, dubitatione, opinione, ac fide humana, quibus nulla est certitudo, quatenus verò est argumentum non apparentium, distinctam esse a scientia, cujus cognitio perspicua, & evidens est; quatenus tandem appellatur substantia rerum sperandarum, involvere quemdam ordinem voluntatis, & intellectus ad fidei objectum.

Quodnam sit objectum, vel materia fidei divinæ.

Divinæ fidei objectum, vel materia vocatur, quidquid creditur secundum Dei revelantis testimonium; sed quamvis cum eadem certitudine, eademque mentis submissione credendum sit, quidquid revelaverit Deus, quocumque modo a Deo revelatum fuisse innotescat; hic de Catholicæ tantum Ecclesiæ fide sermonem habere proponimus: itaut si peculiaribus revelationibus Deus quædam aperuerit, hæc ad nos nequaquam pertineant, neque referantur ad objectum fidei, de quo hoc in loco agimus. Mihi videtur non posse planiùs, atque apertiùs indigitari ad quid universa fidei nostræ materia redigatur, quàm quomodo præstitit Tertullianus capite 21. Propositionum; ad id videlicet quod Ecclesia ab Apostolis acceperat, Apostoli a JESU CHRISTI, & JESUS CHRISTUS a Patre. Hæc propriè est fides Catholica. JESUS CHRISTUS id tantum docuit, quod acceperunt a Patre; quamobrem doctrina illius sua non erat, sed doctrina Patris, qui miserat illum, quemadmodum ipse testatur in Evangelio: Apostoli nihil prædicarunt, nihilque Ecclesiis tradiderunt a se institutis, nisi quod a JESU CHRISTO unico Præceptore didicerant; & hoc traditum sibi depositum, quod fidelissimè conservarunt Ecclesiæ, id est, quod credimus, & quod nobis credendum est de fide divina.

Ut aliquid de fide credamus, certi nos esse debemus de revelatione.

Certos esse oportet de revelationis facto, alioquin credi non potest: donec enim locus erit dubitandi, utrum Deus fuerit locutus, semper dubitabitur, utrum credendum sit; quoniam credendum non est, nisi Deus fuerit locutus. Sed quia certi esse possumus de veritate vel per evidentiam, vel per fidem; statuendum est, utra nos certos efficere possit de facto revelationis. Humanæ fidei comparatio statim ostendit, nos revelationis certos esse non posse per divinam fidem; fides enim necessariò hanc supponit certitudinem. Quemadmodum non credimus, hominem aliquid dixisse, sed illum dixisse scimus, ubi illum dicentem ore proprio, nostris auribus hausimus, vel aliunde hoc intelleximus; & posito, quod sciamus, ab eo hoc dictum, illud credimus verbo ejusdem innixi. Itaque ut aliquid de divina fide credamus, aliunde certi esse debemus a Deo revelatam fuisse.

Per Ecclesiam nos docet Deus eas quas revelavit veritates, & quæ sunt a nobis credendæ.

Hæc veritas ex Sancti Pauli verbis infertur dicentis Ecclesiam esse columnam, & basim veritatis. Apostolus autem non innuit Ecclesiam basim, & columnam esse veritatis, ad veritatem videlicet fulciendam, quæ cum æterna sit æque ac ipse Deus, nullo, quo regatur, indiget fulcro, sed per se subsistit sine ope creaturæ alicujus, vel potestatis quæcumque illa sit in cœlo, & in terra. Dicendum est igitur, innuere voluisse, Ecclesiam basim esse, & columnam veritatis, quia cognitio veritatis, quam habemus, inniti debet certissimo Ecclesiæ testimonio; hæc immobilis est basis, hæc columna inconcussa, quæ fidem nostram usque ad sæculorum finem est sustentatura. Eatenus certi sumus veritatis, quatenus illam invenimus in Ecclesia, cui eam commisit Deus, & quæ illam tamquam sacrum depositum diligentissimè servat. Hæc illa columna est, cui fidei nostræ ædificium debet incumbere; hæc basis est, super qua tamquam solido fundamento tutissimè potest ædificari; ubilibet alibi in arena tantum extruitur nullam firmitatem habente.

Quodnam sit fidei objectum, quod formale appellatur.

Veritas prima est objectum formale fidei; objectum enim formale fidei non aliud est, quàm ratio, propter quam rebus fidei acquiescimus. Quemadmodum verò qui credit, & veritatibus fidei acquiescit, eas credit, quatenus revelatæ fuerunt a prima veritate, quæ Deus est, qui nec falli, nec fallere potest: hinc veritas prima, cui nostra

fides

fides innititur formale fidei objectum vocatur. Hoc explicitis verbis docet D. Thomas, nullo adversante Theologo. *2. 2. q. 1. art. 1.*

Articuli fidei nostræ substantialiter sunt semper iidem.

Si fidei nostræ articuli secundum ipsorum substantiam considerantur, temporum decursu nequaquam aucti fuerunt; quæcumque enim in nova lege credita fuere, virtualiter in fide veterum Patriarcharum, Prophetarumque continebantur, & involvebantur. Quædam illis dumtaxat propter explicationem accessio facta est, ut idem loquitur D. Thomas; hoc est, ea quæ ad fidem pertinent distinctiùs, & enucleatiùs cognita fuere in Evangelica lege, quàm in lege Prophetarum. Quo magis veteres Patres propiùs Messiæ adventum attigerunt, seu ante, seu statim post ipsum florentes, eo majorem distinctioremque de fidei mysteriis cognitionem habuerunt, non secus ac qui lumini propiùs adstant, magis illuminantur, quam qui longiùs absunt. *Idem art. 17. q. 2.*

Quid necessum sit distinctè credere.

Saluti necessarium est quædam distinctè credere, ea videlicet, quæ per se ad fidei objectum pertinent, quales sunt fidei nostræ articuli: actus enim virtutis, quæ nobis de præcepto injungitur, ejusdem est necessitatis, ac imperata virtus; cumque fidei nostræ articulos credere sit actum fidei nostræ proprio objecto, & iis, quæ per se eidem conveniunt, determinare; hinc fit necessarium esse, distinctè, non autem confusè hos articulos credere. Hæc est Sancti Thomæ doctrina, cui addit: Non omnibus hominibus necessarium esse distinctè cætera credere, quæ per se non conveniunt objecto fidei, & quæ ejusdem sunt veluti additamentum aliquod; sed satis esse, si confusè credantur, nostræ mentis submissione iis omnibus, quæ revelata fuere. Animadvertendum est enim inter ea, quæ sunt nobis ad credendum proposita, & quæ credenda sunt nobis, quædam propriè, atque per se ad objectum fidei pertinere, qualia sunt quæcumque in cœlo constitututa sunt nostræ beatitudinis objectum, puta divinæ unitas naturæ, Personarum Trinitas, & Incarnationis Mysterium; quædam verò extrinsecus tantùm ad fidei objectum accedere, qualia sunt credere historias, quæ continentur in Bibliis. Idem Sanctus Doctor deinde concludit, non omnes homines teneri ad habendam fidem æquè distinctam rerum revelatarum, sed opus esse, ut Doctores, ac Præsules, quorum est alios edocere, hæc præ cæteris calleant, ac distinctiùs cognoscant. *Idem q. 2. art. 5.*

Quæst. 2. art. 7.

Hæc autem D. Thomas docet de iis, quæ sunt distinctè credenda. 1. Ad salutem necessarium est, Adultos omnes distinctè credere Incarnationis Mysterium, seu quod nemo salvari possit, neque a peccati morte liberari nisi per CHRISTUM JESUM, unicum Mediatorem inter Deum, & homines, ut Sanctus Augustinus ait; seu quod de salutis necessitate credendum sit, quod essentialiter ad fidei objectum pertinet, & quod esse via debet, qua ad beatitudinem pervenitur: Cumque hujusmodi sit Incarnationis Mysterium quatenus sola via est, qua pervenimus ad beatitudinem; hinc fit, ut distincta hujusce Mysterii fides sit de necessitate salutis in adultis omnibus, quamquam simplices personæ, atque e trivio non teneantur eas habere subtiles cognitiones, quæ ad hoc ipsum pertinent Mysterium.

Quæst. 2. art. 8.

Quoad Mysterium Trinitatis, cujus quoque cognitio est ad salutem necessaria, hæc Sanctus hic Doctor tradit. Ante JESU CHRISTI Nativitatem, Doctores, & simplices Mysterium hoc tenebantur credere, illi distinctiùs, hi verò confusè; seu quod ejusdem in veteri lege quædam lumina inveniantur, seu quod Incarnationis Mysterium, quod fuerat illis revelatum sine cognitione Mysterii Trinitatis agnosci non possit. Post promulgatum Evangelium fideles omnes distinctè hoc Mysterium tenentur credere, quia renati sunt in JESU CHRISTO per Baptismum non sine invocatione Sanctissimæ Trinitatis Patris, Filii, & Spiritus Sancti. Ante JESUM CHRISTUM Fides Trinitatis in simplicibus, rudibusque abdita erat, & confusa in fide suorum Prophetarum, atque Doctorum; sed post JESUM CHRISTUM hujus Mysterii cognitio facta est omnibus manifesta per Baptismum, quam tem omnes illud distinctè credere tenentur.

Quomodo actus fidei sit meritorius. Idem art. 9.

Actus fidei actio est meritoria, namque secundum Apostolum, Sancti per fidem adepti sunt æternæ vitæ mercedem, quod sanè esse non potest, quin actus fidei sit meritorius. Et ratio constat; quia actus fidei pendet a nostro libero arbitrio, & per motum gratiæ refertur ad Deum. Actionis enim meritum a duobus pendet, primum quidem a gratia, & promissione Dei, deinde verò a nostræ voluntatis concursu, ac præstita cooperatione. Quibus addendum, fidem mereri non posse vitam æternam sine charitate, quæ est fidei, & cujuscumque meritoriæ actionis forma.

Utrum ratio, qua impellimur ad ea credenda, quæ de fide sunt, fidei meritum imminuant.

Hanc ipsam Quæstionem proponit articulo decimo Sanctus Thomas, & hanc adfert distinctionem; videlicet cum humana ratio fidem nostram præcedit, vel si illa causa est fidei: quam revelatis rebus habemus, tunc ratio fidei meritum imminuit, ac illud etiam penitus delere potest hoc posito, quod propter humanam tantummodo rationem credatur. Fides enim, quæ in iis credendis consistit, quæ non videntur, eò meritoria magis est, quò res credenda obscurior videtur, & occultior. Quod si ratio accedat in auxilium fidei, jam in nobis constitutæ, tunc auget meritum fidei, tantùm abest, quod illud imminuat. Non secus enim ac in moralibus virtutibus passio, quæ subsidium affert actui virtutis alicujus, eam magis confirmat, ac indigitat voluntatem magis docilem, meliusque dispositam; ita ratio, qua nostra fides confirmatur, ac roboratur, ejusdem meritum auget.

De exteriore fidei confessione.

Exterior fidei confessio præcepti est affirmativi; quamobrem necessaria non est omni tempore, omnique in loco, sed quibusdam dumtaxat in occasionibus, cum illam requirit Charitas, vel de Dei gloria, aut proximi nostri salute agitur: tunc enim silentium criminosum esset, atque eo tempore, quo fides periclitatur, eique imminet ruina, omnes tenentur confiteri, ac palam facere fidem suam seu ad proximum confirmandum, & erudiendum, seu ad infidelium, & hæreticorum impetus infringendos.

Quomodo Charitas est fidei forma.

Charitas est forma fidei, quatenus perficit actum fidei, namque in moralibus, vel voluntariis actibus finis pro eorum actuum forma habetur; cumque actus fidei sit voluntarius, & Deus, qui est Charitatis objectum, sit etiam finis fidei; inde sequitur, Charitatem esse formam fidei, quatenus Charitas est fidei perfectio, & complementum, & sine Charitate fides informis est, sine merito, & ad salutem inutilis. Quod non obest, quominus fides subsistere queat in anima in statu peccati, & peccatum, cujuscumque generis sit, nisi contra eamdem fidem sit, cum fide simul esse possit; licet enim diu, & habitualiter in anima permanet, illam sensim ad fidei jacturam disponat. Hinc jure fides spiritalis ædificii fundamentum vocatur.

Fides prima est omnium virtutum. Quæst. 4. art. 7.

Fides prima est virtutum supernaturalium; seu quod substantia est, hoc est, principium, ac basis rerum sperandarum, & per christianas virtutes assequendarum; & quemadmodum principium semper aliquod primatum infert earum rerum, quæ eidem innituntur, fides hoc in sensu virtutum prima est; seu quod fides in se, naturaque sua considerata est habitus, quo novissimum finem nostrum cognoscimus, tamquam nostræ beatitudinis objectum; cumque finem hunc cognoscere debeamus antequam illum amemus, vel speremus; fides non solum præcedere debet spem, & charitatem, verum reliquas etiam virtutes; quia virtutes Theologicæ, quæ novissimum finem habent pro objecto, reliquas præcedere debent, quatenus

finis in moralibus idem est, quod principium, quod prævenit conclusiones in theoreticis, ac naturalibus. Fides ergo prior est ordine, non dignitate; quæ est Charitatis.

Qui unum fidei non credit articulum nequit aliorum fidem servare.

Qui unum ex fidei articulis non credit, non potest amplius habere habitum fidei seu formatum, sive etiam informem in articulis reliquis; quia pertinax audacia, qua unum credere articulum detrectat, idem est ratione fidei, quod peccatum mortale ratione charitatis: & quemadmodum uno peccato mortali amittitur charitas, ita si in uno articulo fides divina deficiat, omnino perit. Hinc Theologi dixerunt, fidem esse individuam ratione causæ, quæ est prima veritas, & auctoritas Dei, quæ non minus in una revelata re, quàm in aliis falli non potest. In scientiis conclusiones aliquot sciri possunt, licet aliæ ignorentur, quia diversis rationibus innituntur. At de rebus fidei aliter sentiendum; unicæ enim causæ insistunt, quæ non aliud est, quàm prima veritas æque in omnibus infallibilis. Qui Ecclesiæ doctrinam, tamquam certissimam regulam sequitur, ea omnia credit, quæ ab eadem docentur. Quod si quis eorum partem recipere, aliam verò partem pertinaciter velit respuere; tunc proprium sequitur sensum, & non Ecclesiæ doctrinam; quamobrem hæreticus pertinax non habet habitum fidei, sed humanam tantummodo fidem, vel opinionem aliquarum veritatum Ecclesiæ, quibus videtur acquiescere.

Quæst. 5. art. 2.

Fides non theoretica solum est, sed & practica.

Fidei munus non est solum illuminare intellectum, sed agere etiam in voluntatem, suamque actionem in peculiares virtutes, quæ in Christiani vita exercentur, effundere; hoc est secundum omnem latitudinem suam considerata fides in sola speculatione nequaquam subsistit, sed ad praxim excitat, quia principium est omnium christianarùm actionum: ita ut dici queat, ubi nulla christiana effulget actio, ibi non esse fidem, non quod verum non sit, quod creditur de Mysteriis, & non credatur, quia illud revelavit Deus, sed quia fidei natura non est illic subsistere, sed efficere, ut juxta id quod creditur, actio formetur.

Quo in sensu fides nos justificet.

Cum Sanctus Paulus ait nos justificari per fidem, non ait fidem per se, ac sine bonis operibus posse nobis justitiam conferre, cum operibus Sanctus Jacobus justificationem acceptam, referendam esse pronuntiet. Theologia duos hosce Apostolos ita conciliat: Immediatè per bona opera, & charitatis, atque pœnitentiæ actiones justificamur; sed mediatè per fidem, hæc enim in nos bona producit opera, opera videlicet pœnitentiæ, continentiæ, charitatis, & quemdam veluti generalem habet in omnes virtutes influxum, & ad eas exercendas voluntatem disponit.

Cur voluerit Deus homines per fidem salvare.

Cum decrevit Deus salutem nostram operari per fidem, viam aperire voluit, quæ mortalibus omnibus esset idonea. Et sanè non omnes homines abstrusiores ratiocinationes assequi possunt, neque de sublimibus, difficilibusque rebus disputare: sed omnes eum gratiæ subsidio, quæ nemini denegata est, credere possunt. Ideo Deus fidem impertiens eam tribuit tamquam medicum ad salutem operandam, quod in potestate est divitum æque ac pauperum, doctorum, & indoctorum, nobilium, & ignobilium.

Ad credendum pia requiritur voluntatis propensio.

Ad credendum, inquiunt Theologi, pius requiritur voluntatis motus, qui intellectum inclinet; quamobrem omnes infidelitates sunt, non solum in mente; sunt etiam in voluntate, & dici potest hæc esse causa propter quam minime credunt, quia nolunt; nolunt autem, quia superbia, licentia, vel affectus aliquis, quem nolunt abjicere, validum, invictumque obicem statuit.

Quo in sensu fides Cœlum in mercedem mereatur.

Neque putes, cum dicitur clara Dei visio fidei nostræ merces futura, vel fides cœlum, æternamque vitam mereri, intelligendum esse de fide a charitate seorsim accepta, quæ charitas illius forma est atque perfectio, quemadmodum jam ante monuimus; nam docet Apostolus, licet satis vivida nobis inesset fides, ut montes ipsos transferre possemus, ubi charitas desiit, nos nihilum esse coram ipso. Frustra te Christianum, & Catholicum jactas, quasi hoc ad salutem sufficeret, si tibi deest erga Deum, & proximum Charitas; hoc est, si propter inobservata Dei mandata lethali peccato obnoxius es, ideoque cares gratia sanctificante, & charitate, sine qua nullum pro vita æterna meritum esse potest. Necessaria quidem ad salutem fides est, non autem sufficit; justificationem incipit, non absolvit; docet quid faciendum; hoc autem non per se, sed per charitatem facit, ut Apostolus inquit: *Fides, quæ per Charitatem operatur.* *Ad Gal. 5.*

Essentiales fidei proprietates obscuram esse, sed certissimà.

Apostolus per hæc verba, quæ de Moyse dicit: *invisibilem tamquam videns sustinuit*; duas hasce admirabiles divinæ fidei proprietates indigitat, quæ in humana fide inveniri, & conciliari non possunt; inde enim intelligimus æquè constanter divinam fidem ei rei adhærere, quam credit, illam non videns, ac si eamdem videret. Deus est invisibilis: sed qui in Deum credit, ita certò tenet Deum esse, ac si illum intueretur. Hoc ipsum de omnibus Fidei nostræ Mysteriis dicendum est. Illa æque firmiter credimus, ac si propriis oculis ea coram conspiceremus, & certiùs adhuc; oculi enim fallere non possunt, fides non potest.

Qualitates, quas Tridentinum Concilium fidei tribuit.

Tridentina Synodus tres notatu dignas fidei tribuit qualitates: *Fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis.* Hæc tria differunt, licet aliquam inter se rationem habere videantur; initium enim minus significat, quàm fundamentum, & utroque amplius aliquid radix significat. Fundamentum sustinet quidquid inceptum est, & radix præterquamquod est arboris fulcrum, & initium, efficit etiam, ut illa flores, fructusque producat. Fides hoc in sensu verè initium est, fundamentum, & radix salutis nostræ; omnium virtutum prima, quæ reliquas fulcit, efficitque, ut fructus, hoc est bona opera germinent.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, recentioribusque Concionatoribus loci hujus argumenti.

Quamvis fides sit donum Dei, illam tamen acquirere possumus.

INter Fideles hic error latè vagatur, fidem nempe ita donum esse Dei, ut in eorum potestate non sit illam acquirere, vel confirmare; eo usque ut facile fateantur sibi modicam esse fidem, immo hunc ipsum defectum tamquam cæterorum vitæ defectuum excusationem prætexant: Hinc fit, ut quamvis crebrò ob modicam fidem redarguantur, nihil magis afficiantur, quam si miraculorum donum illis deesse diceremus: virtutem hanc in Sanctis tamquam gratiam merè gratuitam admirantur; sibique persuadent nequicquam contendere posse aliquem; ut fidem suam augeat, sed otiosè expectandum, donec Deus hanc illi gratiam impertiat; omnem lusurum operam, qui credere conatetur; ac nullam patere viam, qua illam assequi possit. Sentio quidem, inquiunt, infirmam esse in me fidem; sed frustra majorem habere contendo; sentio enim hoc in potestate mea non esse positum. Optarem eorum Sanctorum lumina, qui haud ægre ea reliquerunt omnia, quæ Deus non sunt; sed quid vota prosunt, nisi eam mihi conferre Dominus statuit? Error hic abjiciendus est, videndumque, cujus culpa non credamus. Hæc sanè nostra est, & jure dicere possumus, non credimus, quia credere nolumus. *P. de la Colombiere in Christianis Considerationibus.*

In pluribus Christianis fides ambigua, & labans est.

Fides in primorum Fidelium carceribus libera erat; postquam fideles liberi sunt, fides est vincta, & captiva. Fides in re est; frustra te atheum, & incredulum simulas; verum est fidem in te esse captivam; sed conatus, quos exerit, ut libertatem acquirat, terrores, quos identidem tibi in-

cutit

cutit conscientiu tua, dubitationes, quas singulis momentis de fide communi proponis, satis ostendunt a te illam abesse malaciam, atque tranquillitatem, quam integra perfectaque persuasio parere consuevit: videreris dubitationum tuarum solutionem perquirere, quamquam reipsa te in errore tuo confirmare quæras eruditorum hominum auctoritate, quos sententiæ tuæ putas suffragaturos. Id quæris, quod invenire non cupis. *Idem.*

Nihil certius est, quàm fidei veritates.

Pro certo habeas, nihil certius esse Christiana, & Catholica fide. Fide hac in mysteriis suis adeo sublimi, in dogmatibus adeo pura, & sancta, tot auctoritatibus confirmata, u Prophetis prædicta, tot miraculis confirmata, martyrum oblita sanguine, a tot doctis, sapientissimisque viris propugnata, quam tot populi amplexati sunt, quæ tot sæculis viget; quam neque Ethnicorum persecutio, neque Hæreticorum error, neque Catholicorum improbitas quatere potuit. Improborum Catholicorum licentia rationes inquirens sua vitia palpandi, fovendique efficit, ut hanc sibi arrogent libertatem divinas scrutandi veritates, ac de illis judicandi humana ratione, quæ in minimis etiam rebus decipitur, & per hanc libertatem illos in dubitationem impellit, de dubitatione in malos sensus, & secretos abditosque errores detrudit, qui eos ducunt in interitum. *Gobinet. in adolescentiæ Institutione parte 5.*

Fides petit ut intellectum, & voluntatem captivemus.

Curiositas hanc evertit fidei simplicitatem, quæ petit, ut intellectum, ac voluntatem nostram submittamus, atque captivemus sub pondere divini verbi, quin scrutari velimus penitiora mysteriorum ejus adyta, & quin inanes, curiosasque disputationes consectemur .... Hæc simplicitas innititur reverentiæ, quæ Deo debetur, & fidei, quæ verbo illius est adhibenda. Liquet mentem debere iis omnibus subjici, quæ Dominus inquit, quemadmodum voluntas iis, quæ præcipit, esse debet subjecta; & quemadmodum singulis sua coercenda sunt studia, ut divinæ obtemperent Legi, suis etiam sententiis, ac repugnantiis obnitendum est, ut divinis acquiescant veritatibus. Neque ideo dicendum est, fidei suam deesse rationem, atque prudentiam; quamvis enim sese supra rationem attollat, debet tamen, ut Sanctus Bernardus animadvertit, & ipsa suam habere rationem, super quam doctrinæ, quam accepit, veritatem veluti fundamentum constituat. Non constituo fidem meam super mentis meæ perspicacitatem, sed super auctoritatem Dei, qui nec fallere potest, nec falli. Veritas, quam minime detego, suo est involuta principio. Quin illam extra Deum requiro invalidis mentis meæ nisibus, illam veneror in sino Dei, ubi subsistit; licet ibi invisibilis sit, & humanis oculis abdita. *Flechier Panegyrico S. Thomæ.*

De iis, qui miracula expetunt, ut se in fide confirment.

Sæpe hæc auribus nostris quorumdam accidit querela; unum tantummodo sufficeret miraculum, & in omne vitæ spatium converterer. Falluntur; satis esse putant cognoscere, Deum esse, eique honores illos adhibere, quos Ethnici idolis afferebant: eorum quidem imaginatio hoc afficeretur spectaculo; sed levis hæc impressio cor ipsum nequaquam pervaderet. Dei potentiam admirarentur: sed in charitate non proficerent ultra: magis essent convicti, non ideo melius conversi; & quoniam neque Scripturarum auctoritas, neque interni conscientiæ sensus, neque Evangelii prædicatio, neque cœlestes afflatus illum ad credendum non excitant; miraculi impressio quàm citiùs deleretur. Hæc in singulos actus esset iteranda, ac desiderium miracula videndi prætextus est, vel solarium, quod duritiæ suæ quærunt, non remedium, & subsidium, quod ad fidei suæ perfectionem desiderent. *Idem.*

Fides habet sua lumina, suamque caliginem.

Fides est illa columnu nubis, de qnu loquitur Scriptura, quæ interdiu quidem tenebras, noctu verò lucem effundebat. Hæc sacra est tenebrarum, luminumque, certissimarum veritatum, parumque sensibilium rationum commixtio; hæc enigma illud, de quo loquitur Sanctus Paulus, sensus involvens humanis mentibus non evolvendos. Hæc denique ea veritas est, quæ revelata, gaudium, ac felicitatem constituit Sanctorum in cœlo, & adhuc sua nube contecta Sanctorum spem, ac lætitiam in terra constituit. Hanc ob causam JESUS CHRISTUS quemdam ex Apostolis suis exprobrat: Vidisti, & credidisti: Debes oculis, manibusque tuis, quod nuicè verbo meo poteras debere. Visibili, atque palpabili veritati acquievisti. Curiositas hæc est, non devotio: fruere ea gratia, quam tibi permittere dignatus sum, sed præmia illis relinque, qui non viderunt, & crediderunt, & qui fidem habentes verbo meo, quamvis ratio, ac sensus renitereatur, palam eam veritatem profitentur, quæ certè ignota non est, & quæ nihilominus est incomprehensibilis. *Idem.*

Elogia fidei.

Non id mihi consilii est, ut hoc in loco afferre velim omnia munificentissima elogia, quibus Patres fidem prosecuti sunt, ut illius dignitas innotescat. Neque vos moror ostendens, illam secundum magni Apostoli mentem, esse veluti basim, & ædificii spiritalis virtutum omnium fundamentum; ac per illam hominem accedere ad Deum. Neque cum Sanctis Chrysostomo, atque Augustino dicam, hoc donum esse mere gratuitum Dei, quod nulla merita nostra præcesserunt, sed ex quo omnia nostra merita originem ducunt; & fontem esse, atque initium omnis justitiæ in hominibus: *Origo justitiæ, sanctitatis caput, unde omnis justitia sumit initium.* Neque cum S. Bernardino Senensi asseram hunc excellentissimum honorem esse, quem Deo mortalis valeat conferre, mentem subjiciens, quæ inter omnes facultates suas est superbissima, cæca submissione credendo veritates omnes, quas ille revelavit, licet nequeant comprehendi. Neque hic mea subsistet oratio, ut vobis ostendat, omnium præstantissimorum virorum, quorum elogia D. Paulus concinnat, tot, ac tam præclaras victorias, quas de tyrannis, ac dæmonibus retulerunt, & per quus omnes naturæ leges susque deque verterat, integrasque nationes JESU CHRISTI imperio subjecerunt, uni fidei acceptas esse referendas. Denique nec illud vobis conabor ostendere, per fidem nos ad sublimem cognitionem magnalium, ac perfectionum Divini Entis attolli, quæ humanæ rationis lumen investigare non potest; ab hoc toto cœlo superari naturalem cognitionem, qua fruuntur Angeli; & hoc illi esse commune cum lumine gloriæ, quòd Deum respicit, qualis in se est, divinumque hoc objectum in ipsius plenitudine; omnique magnalium ejusdem extensione complectitur; cum hoc tantùm discrimine, quod fides obscurè solùm ac per quoddam veluti velum, & nubem videt, quod lumen gloriæ Sanctis palam, ac ipso meridie apertiùs ostendit. *La Fone. Sermone pro 20. Dominica post Pentecosten.*

Quomodo justus, ex fide vivat.

Qui verè justus est, ex fide vivit, ut Apostolus inquit in Epistolu ad Romanos; hoc est per illam suos regit sensus, affectus, vota, & studia; hanc unam consulit vel de certo vivendi genere amplectendo agatur, vel aliquo munere subeundo; ita ut fides ad hoc ut perfecta sit, consecrare, ac immolare debeat Deo totum hominem, ut perfectum efficere mentis, voluntatis, corporisque ejusdem holocaustum, mentis quidem cæca submissione omnibus, quas proponit, veritatibus, licet ratio eas assequi nequeat, ut cultus adhibeatur supremæ divinæ vocis auctoritati: voluntatis verò humili, exactaque obedientia legibus omnibus, quas imponit, licet validioribus, vividioribusque affectionibus nostris adversentur; corporis denique generali sensuum, desideriorumque omnium mortificatione. *Idem.*

Honor, qui per fidem exhibetur Deo.

Sciunt Fideles, mysteriis nostris nihil admirabile futurum, si mens illa assequi posset, nihilque singulare, si quædam eorum exempla in rerum natura invenirentur: sciunt divinam revelationem

in Scripturis testimonium vocari, quo vocabulo ostenditur nullo indigere testimonio, ut sit fide digna; ideoque nullam illius rationem, aut probationem expetunt, dicentes verbum Dei unicam esse rationem, quam petunt: *Verbum ejus summa mihi ratio est*, Alioquin quinam Deo honor adhiberetur, si ea, quæ dixit, tunc tandem crederentur, cum rationis lumen illius veritatem palam ostendit? Nonne hujusmodi fides hominibus haberi consuevit, quantumvis suspecta sit eorum auctoritas? Quod si injuriam faceret honesto viro, qui ab eo rationes expeteret rerum omnium, quas profert, ut crederentur; quam injuriam afferret Deo, qui eidem crediturus, rationes eorum, quæ revelavit, exposceret? Fides quæ contumeliosa esset honesto viro, potestne digna esse Deo? *Idem*.

Divina auctoritas majorem in mentibus nostris vim habere debet, quam omnes rationes.

S. Augustinus respondens infidelibus quibusdam nonnulla fidei mysteria impugnantibus, eo quod intelligere non poterant, quomodo fieri potuissent, ait, unicam harum rerum rationem, quæ illis reddi potest, esse infinitam Auctoris omnipotentiam: *In hujusmodi rebus, tota ratio facti est potestas facientis*. Dicamus similiter in iis, quæ ad fidem pertinent, & quæ sensuum experientiæ obnoxia non sunt, immo rationis captum exsuperant, rationem unicam, quæ ea nobis persuadere debet, supremam esse auctoritatem illius, qui illa nobis dignatus est revelare: *In hujusmodi rebus tota facti ratio est auctoritas dicentis*. Quotidie videmus quo majorem aliquis in nos obtinet auctoritatem, eumque aliqua in arte, vel scientia peritiorem putamus, hunc nobis faciliùs ea persuadere, quæ dicit, quin pluribus indigeat hanc in animis nostris fidem sibi conciliaturus; attamen hujus viæ homines licet scientia, rerumque peritia præstantes & falli possunt, & possunt velle fallere; cum e contra Deus æque in cognitione sua falli nequeat, nihil enim ejus scientiam fugere potest, neque fallere in iis, quæ revelat, quoniam ipsa est veritas essentialis. Grave igitur videri potest rationem nostram iis, quas revelavit, veritatibus submittere, quamvis nequeant comprehendi? Num molestum nobis videri debet eam verbo Dei fidem habere, quam hominibus habere non dubitamus? *Idem*.

Fides non est mentis imbecillitas.

Non est mentis imbecillitas, ut putant flagitiosi homines, & qui se spiritus fortes jactant, atque de fidei nostræ mysteriis tamquam judices audent disceptare, illis rationem submittere; quinimmo Guillelmus Parisiensis ait; vis est, ac generositas spiritus offerre divinorum oraculorum majestati sacrificium luminum infirmorum: *Fides est generositas, & fortitudo nostri intellectus*. Omnes Philosophorum cognitiones de perfectionibus Dei, ejusque magnalibus inferiores illi fuere, quam fidelium minimo fides tradit: illæ pluribus sunt permixtæ erroribus; admodum ambiguæ, incertæque fuerunt; cumque illi præclaras hasce cognitiones per ratiocinationem tantummodo nacti fuerint, partem dumtaxat eorum mirabilium, quæ refulgent in Domino, detexerunt. Cum verò fides nequaquam innitatur luminibus rationis, quæ sunt fallacia, sed revelationi divinæ, quæ est certissima, nulli est errori obnoxia, immo ab erroribus eos præservat, qui ipsius lumina sequuntur. *Idem la Font*.

Fides non intellectũ tantummodo illuminare, sed & voluntatem regere debet.

Parum est, si fides mentes nostras divinæ revelationis auctoritati submittat, nisi & voluntates quoque subjiciat: non satis est, si doceat quosnam de Deo sensus fovere debeamus, nisi simul impellat ad supremum, qui debetur, Domino cultum adhibendum: Opus est, ut nostros regat affectus, vota, studia, desideria; opus est, ut postquam intellectum sibi mancipavit, voluntatem etiam in suam redigat servitutem, & facultati huic adeo superbæ, atque imperiosæ jugum injiciat perfectæ obedientiæ difficillimis Evangelii præceptis. Libertas voluntatis est propria, atque tanta cura gestit de omnibus motibus suis disponere, prout ipsi placuerit, ut nulla umquam te cogi possit ad amandum, quod sibi non placet, vel ad fugiendum, rejiciendumque, quod sibi maximè arridet. Attamen fides eam de hoc jure decedere jubet, ut Supremum Dei veneretur imperium, sibique magnam vim facere, quæ ad ipsam usque inimicorum dilectionem, ac sui ipsius odium procedit.

Fides debet cum bonis operibus esse conjuncta.

Fides debet cum bonis operibus esse conjuncta. Nam, ut Sanctus Jacobus inquit, quid prodest, nisi ea fiant, quæ illa præscribit? Nihil sanè prodest mentem submittere iis credendis veritatibus, quas fides proponit, nisi omnes cordis motus, affectusque omnes fidei conformet. Hæc est fides mortua, inquit Apostolus; fides inanis, sterilis, inutilis; fides, quæ ita fidei nomen non meretur, ut mortuus homo hominis nomine indignus est. Sanctus Joannes ait, eum, qui jactitat se in Deum credere, & mandata illius non observat, mendacem esse, ac nebulonem. *Qui dicit se nosse Deum, & mandata ejus non custodit, mendax est*. Visibili operum testimonio redarguitur inanis fides illius; actiones mentiuntur nomen fidelis, & eam, quam præsefert fidei professionem: ille ex eorum numero est, de quibus loquitur Sanctus Paulus, qui *verbis confitentur se nosse Deum, factis autem negant*. *Idem*.

1. Joan. c. 5.

Ad Tit. c. 1.

Ejusdem veritatis continuatio.

Justus autem ex fide vivit. Quid sibi vult S. Paulus his verbis, nisi Justum fidei vitam suam conformare; in iis, quæ facit, eorum quæ credit, fidelem imaginem enitescere; suos mores, suam agendi rationem, actionesque suas, non secus ac sensus ad fidei normam componere; Significat ille veros fideles nequaquam subsistere in speculativa earum veritatum fide, quæ revelatæ fuerunt, has enim & dæmones credunt, ac illis longè magis, quam nobis de iisdem persuasum est; sed fidei addendam esse Evangelicorum dogmatum praxim, spiritus submissionem cum voluntatis subjectione esse consociandam, ac in tota vitæ suæ ratione eos sensus ostendendos, quos de rebus divinis, de spei suæ magnitudine, deque ea morum puritate, quam Christianæ Religionis professio postulat, conceperunt: *Ostende ex operibus fidem tuam*. Sed heu! summa cum verecundia fatendum est paucos esse veros fideles, si ex hac nota de eorum fide judicium ferendum est. Quod enim videtur discrimen inter plurimorum Fidelium vitam & vitam Infidelium, qui fidei luminibus illustrati non sunt, & qui cæcè omnibus affectionibus, omnibusque naturæ corruptæ desideriis se mancipant? Numquid in mundi hujus bonorum conquisitione minus ardentes sunt, in falso hujus mundi honore afferendo minùs studiosi, minus affectibus suis inservientes, minus commodorum suorum amantes, minus ob levissimas injurias ad ultionem proni? Num minor videtur ambitio, minor invidia, minor dissimulatio, atque irreligio in Principibus viris? &c. *Idem*.

Jacobi c. 3.

Injuris querimur nos a Deo cogi rationem fidei submittere.

Umquamne vestræ naturæ sortem congemuistis, quæ ad id vos redegit, ut nihil nisi ex homine, qui vobis similis est, audire, ac dicere possetis? Haud ita sanè; immo vosipsi omnium primi eum vituperandum censeretis, qui tamquam primum principium statueret, nihil esse credendum, nisi quod rationis suæ luce detegeret. Querela vestra, vestræque obmurmurationes Deum igitur unum spectabunt; hic unus erit, cujus sinceritas apud vos suspicione non careat? Præter verbum illius, ut tutiores essetis, res ipsas per vosmet cognoscere velletis. Hoc vos quidem dicere non auderetis, atque has illationes tot veluti blasphemias detestamini; huc tamen vos ultrò adducit curiosum istud examen rationum, quibus voluit Deus mentem nostram captivare, ac nos per fidei vias deducere; sed rationis lumina efficere debent, ut tandem intelligamus, nihil tutius esse, iis cognitionibus, quas per fidem acquirimus; quoniam illarum certissima sunt principia, nihil nobis utilius, quia Deus ipse se nobis ducem, ac rectorem præbet; nihilque Deo gloriosius, quia nostra magis enitet obedientia; quæ rationes satis esse deberent, ut tot con-

considerationes ruminare prohiberemur. *Desumptum ex Manuscripto Sermone P. Stephani Chamillard.*

Bona opera fidei addenda.

Bona opera testes sunt veræ fidei, Salvianus ait; sine fide nulla sunt opera bona, sine bonis operibus nulla fides, quæ justificet; sine bonis operibus, & sine fide nulla salus. Propter fidei defectum tot egregiè facta pseudosapientum, quos jactat antiquitas, fructu caruerant; propter bonorum operum, fideique defectum, fieri nequit ut aliquis justus fiat, & cœli gloriam assequatur. Fides sine operibus est dæmonum fides, & corpus sine anima, Sanctus Jacobus Apostolus inquit. Credit Deum, hoc est ejus existentiam, perfectiones, justitiam, misericordiam: credit Deo, videlicet credit theoreticas veritates, quæ Dei nomine Apostolorum, Conciliorum, Ecclesiæque voce annuntiantur; sed non credit in Deum; hoc est non constituit spem suam in illius bonitate, neque illum considerat tamquam omnium cogitationum, omnium desideriorum, omniumque cordis sui motuum principium, & finem. *Ex Christianis Sermonibus: sermone de qualitatibus Fidei.*

Deus fide nos privat, qui non faciunt opera bona.

Cur Dei Filius Judæis abstulit fidem, quam Dei regnum appellat, quia est gloriæ semen? Cur expulit illos de Ecclesia sua, ut ad eam Gentes evocaret? Sola ratio, quam ipse tradit hæc est, quod Judæorum fides proferre cessaverat bonorum operum fructus, & Gentiles parati erant, ut ex eorum calamitate quæstum facerent bonis operibus vacantes. Et quamvis unum infidelitatis peccatum palam fidei adversetur, possitque efficere, ut illius jacturam faciamus, attamen extra omnem dubitationis aleam positum est, eos qui bona opera negligunt, tandem pervenire ad infidelitatem, sin minus apertam, quam morum decor non patitur, saltem secretam, quæ efficit, ut in vera Religione ita vivamus, ac si verè infideles essemus. *Ibid.*

Quomodo sensim fides amittatur, cum bona opera deserun tur.

Hodie unum bonum opus omittitur, cras alterum; paulatim pietatis exercitia relinquuntur; pretium illud, in quo habebantur, vilescit; cor sequitur mentem; ubi non habentur in pretio, statim eorum interit amor; amore defervescente fastidium creatur, fastidium in contemptum, contemptus in irrisionem, irrisio verò in apertam licentiam, aperta denique licentia in omnimodam fidei jacturam desinit, quam justo judicio eripit Deus, ut Sanctus Prosper ait, illi, qui per negligentiam, qua charitatis opera exercet, se eadem præbet indignum. *Dignus est perdere inutilem fidem, qui non exercuit Charitatem. Idem.*

Quid sit elicere actum fidei.

Ad actum Fidei eliciendum, credendum aliquid est, quod illud dixit Deus, alioquin nulla fides est. Cum oculi mei nihil vident, ac ratio mea per se nihil statuere, aut detegere potest, ac licet in summa rerum omnium caligine verser, unicè ob Dei testimonium ei rei, quam mihi annunciat, vel nomine suo mihi nunciari jubet, integram habeo fidem; cum ad eam tuendam præsto sim sævissimis quibuslibet cruciatibus perferendis; effundendo sanguini, vitæque ipsius jacturæ subeundæ tunc intellectum meum jugo fidei subjicio, atque in captivitatem redigo: *In captivitatem redigentes intellectum.* Deo quæcumque mea lumina sacrifico, atque divina opem ferente gratia per actum voluntatis meæ illi offero sacrificium voluntatis, quæ sui ipsius est domina: Si enim credo, ideo credo, quia credere volo, ac volens possem nolle; nihil enim eorum, quæ sensibus meis accidunt, ad id me cogit, eique etiam contradico, illos mendacii insimulo, eos abrenuncio. *P. Giroust in Quadrag. Sermone de Fide.*

2. Cor. 10.

Contra impios de sanctissimis fidei Mysteriis ratiocinari volentes.

Fateor equidem, fideles, me secreta indignatione agitari, cum in mundo quosdam intueor, qui de mysteriis nostris disceptare non dubitant, & qui vix, ac ne vix quidem primis eorum imbuti sunt rudimentis; qui pleno jure, non alium præseferentes titulum, quam insignem audaciam, qua impia dogmata sua venditant, judicare audent de rebus maximi momenti, pro libidine sua decisiones afferunt, ac apertissimum bellum indicunt iis rebus omnibus, quæ in JESU CHRISTI Ecclesia atque inter probatissimos Doctores, qui eamdem tutati sunt, sanctissima, sapientissima, & absolutissima inveniuntur. Ex illis libentissimè quærerem, undenam hanc hauserint eruditionem, quam tanto fastu jactitant; utrum ex compitis, spectaculis, aleisque, an ex libidinoso vivendi genere, atque impudentissimo voluptatum omnium volutabro? ibi enim vita eorum transigitur. Illud verò magis mirandum est, quod flagitiosissimi adolescentes, quibus nemo vellet vel minimum negotiolum committere, nihilominus de gravissimis, difficillimisque quæstionibus disputant, eoque vocis tono, quo nihil firmius est, & ad imponendum accommodatius, effutiunt. Quid tunc? Si nihil respondes, illis cedere videris, atque intumescunt; Si illos redarguere conaris; hoc tibi integrum non est; non quòd ea, quæ contra reponi possunt, non sint ad persuadendum idonea, sed quod hæc illi non intelligunt, atque in pertinaci, superbaque ignorantia intelligere nec volunt, nec possunt. *Idem.*

Ratio cum de religione agitur dux, & regula esse non potest.

Cum de Religione agitur, ratio neque certa, neque tuta regula est: cur? quia non omnibus eædem sunt ideæ, & hic alia, ille verò rursus alia ratione cogitat. Hinc tot varia systemata, totque diversæ scholæ extiterunt. Voces excipe, magistros consule, Academias, olim celeberrimas adi: hic quidem aliud, aliud alibi audies. Inter tot secum pugnantia, quid sequendum, quid credendum est? Sufficietne ratio, ut mentes omnes in iisdem sensibus concilientur, ut omnes ad idem dogma redigantur, ad eorum sententias jungendas, cum hæc ipsa illas in diversa rapiat? Quot prælia, quot contentiones hæc peperit nullum unquam finem habituras? Quilibet suarum cogitationum cultor est, ac patronus. Ex quo supra vulgus aliquem cognitionis superiorem gradum vel habemus, vel habere credimus, longiùs quàm cæteros nobismet videre arbitramur; aliena sequi vestigia pudet, recentesque vias tentare juvat; nostris præjudiciis præoccupari patimur, iis replemur, nobisque gloriæ vertimus illa tueri. Igitur si ratio sibimet tradita fuerit, nisi alius adsit judex, qui sententiam ferat, neque alius suppetat locus, ubi in unum corpus religio tota congregetur, hæc perpetua erunt schismata, quæstiones erunt nullum finem habituræ; nulla erit definitiva sententia, certitudo nulla. *Idem.*

In fidei materia mentes omnes divinæ auctoritati subjectæ esse debent.

Voluit Deus sapientum disputationibus tradere quorumdam naturæ effectuum cognitionem. Integrum illis est, ut libuerit, eos explicare, suamque exercere mentem varia excogitando systemata ad mundi structuram, tot entium subordinationem, ac tot partium contrarietatum congeriem spectantia; *Mundum tradit disputationi eorum.* Sed in hoc ipso, ac in cæteris, ubi immiscetur fides, opus est, ut sapientes æque ac alii privatas sententias abjiciant; ut non fidem doctrinæ, sed fidei suæ doctrinam etiam accommodent; huc illam adducant, ac humilient, & si incredula est, pertinax, curiosa, illam reprobent. Nullæ distinctiones, & interpretationes, nullæ quæstiones, & examina, ideoque unitas perfecta; nullum discrimen, nulla varietas, nulla novitas in Religione. *Idem.*

Eccle. 3.

Fides firma esse debet, & inconcussa.

Fides efficit, ut contra fidem omnem credam; atque ut sperem contra omnem spem: *Contra spem in spem.* Vis autem, quam sibi ob hanc rem inferre debet, fidelis, tanto habetur in pretio, ut a Patribus sacrificio Abrahæ comparetur. Abraham unum tantummodo habebat Isaac: unicus est spiritus noster. Abraham filium suum unicè diligebat; spiritus autem noster nonne ex omnibus naturalibus bonis illud est cujus curam diligentissimè gerimus? Nonne hoc est commune oblectationum nostratum argumentum? Attamen præcipit Deus Sancto Patriarchæ, ut filium sibi dilectum sacrificet,

Ad Rom. 4.

ret, & Patriarcha licet illum summa benevolentia complecteretur, imperata facere non detrectat. Sed nos longius adhuc procedimus; non solum victimam ducimus ad aram, ut olim Abraham, non solum ut ille, stringimus gladium; non ut ille solum brachium attollimus, sed ictum ferimus; spiritum hunc, qui jugum ferre non potest, subjicimus; spiritum hunc adeo superbum deprimimus; spiritum hunc nobilissimam nostrum metipsorum partem immolamus. Hoc igitur sacrificium Deo non acceptum esse non potest. *Idem Pater Girous.*

Fidei elogia.

Non miror, Deum fidei nostræ tot privilegia concessisse. Per hanc nobis sigillum suum inurit, ac filiorum suorum caracterem impertit: hæc nobis salutis aperit viam, ac cœlestis Regni januam pandit. Hæc, inquiunt Theologi, principium est omnis justitiæ, radix, fundamentum justificationis nostræ. Sine fide nulla sunt opera bona, nullæ virtutes supernaturales. Vigila, jejuna, corpus tuum mortifica, eleemosynas eroga, esto castus, sobrius, patiens, suavis; nihil es, nihil facis, nisi talis per fidem es, talia per fidem operaris. E contra habeto fidem, sed fidem cum charitate conjunctam; tunc nulla erit cogitatio, nullum desiderium, actio nulla toto vitæ tuæ spatio, quæ consecrari, ac sanctificari non possit. Habeto fidem, sed vivam, atque animatam; tunc nulla erunt exercitia tam operosa, vel tam contraria naturæ, vel tam heroica, quæ te vel deterreant, vel ardua tibi videantur. Habeto fidem, sed humili, sanctaque confidentia suffultam; tunc nulla erunt miracula, audeo dicere, quæ tuas vires excedant. *Idem.*

Per fidem corrigit Deus errores rationis.

Humana ratio, quò redacta es? audesne adhuc post adeo turpes evagationes hominem adducere ad Deum? Agnosce infirmitatem tuam. Tui unius est, o Domine, ubi de Religione sermo est, humanum spiritum tegere. Si sapientem simplici exæquas, hoc facis, ut per fidem errores utriusque corrigas; ita sublimiora prohibes ingenia ne evanescant in cogitationibus suis, ac in reprobum decidant sensum, in quem Ethnici Sapientes impegere; ac simul simplicium, rudiumque mentes supra popularia præjudicia attollis. *P. Cheminais, Tomo 2. Sermone de Fide.*

Oppositio morum, & fidei.

Serius perpenderetur, vellem, hujus oppositionis, quæ inter hominum mores, & fidem adest, indignitas, quæ quidem ab hominibus videtur; nec non hypocrita hæc animadverteretur contrarietas actionum, & intentionum, cujus testis est Deus. Mirum sane est, quod credentibus veritates adeo terribiles, quales fidei nostræ objectum constituunt, tanta sit morum licentia; quanta hominum, qui in sæculo vivunt, plerique impudentissimè furunt. Hæc diabolici species est miraculi, quæ tantum adfert stuporem, quantum inaudita quæcumque miracula, & nisi propter mundi corruptionem ab adolescentia monstrosæ huic contradictioni assuevissemus, nos æque ad hujus prodigii conspectum tanta caperet admiratio, quanta infideles populos ubi primum, & fidei nostræ articulos, & morum nostrorum corruptionem audiunt. *Idem.*

Effectus, quos in nobis generet fide si eam nossemus exercere.

Eheu! fideles, si bene fide vestra uti nossetis, quam citò hæc periturorum bonorum, quorum præsentia nos perstringit, ac allicit, phantasmata evanescerent? Optarem, ut ad breve tempus mundi tumultu relicto, clausoque ostio secundum Evangelii consilium ex vobismetipsis de fidei vestræ statu rationem repeteretis. *Vosmetipsos tentate, si estis in fide: ipsi vos probate.* Coram Deo cordis vestri latebras scrutamini: Fidemne amisi? flagitiosa vita mea est; Ethnicorum more vitam traduco; hoc novi, hoc fateor; sed videre volo, quid mihi faciendum? Ullane mihi superest religio? Religio hæc, quæ donec bene vixi, mihi fuit charissima, hodiene mihi amplius placet? Sed credere, atque ita vitam instituere: scire æterna supplicia peccatoribus, æternam verò gloriam bonis esse pro-

2. ad Cor. 13.

positam; scire me non procul abesse ab hoc fatali termino, in quo de alterutra æternitate pro me decidendum est, atque inter utramque tranquillam vitam ducere! Quid inter duos fatales terminos, in quos felicissimi cujuscumque hominis vita aliquando tandem allidere debet, nugis tero tempus, chimerica spe alor, in mobili arena fortunam meam ædifico, sæculi hujus amore inebriari patior, ea consector, quæ singulis momentis fugiunt invitum! Quid! credo propediem me vel in teterrima prolapsurum mala, vel bonorum omnium maximo perfruiturum; & vitam transigere possum in hac incuriosa stupiditate, quin alterum metuam, & alterum cupiam! Nonne hæc insania, hic furor est? Numquid, Domine, tradidisti me in obdurationem cordis mei, quam impiis es minitatus? *Idem.*

De fide viva, & operativa.

Ad hoc ut viva, atque operativa fides habeatur, non sufficit bona opera facere; hæc facienda insuper sunt ob fidei principium, non autem ob humanas causas, temporeasque rationes. Ad hoc autem parum attendunt mortales: qui frugi vitam vivunt, satis putant ita vitam instituere, quin ad examen revocare velint, quam ob causam ita illam instituant; & quemadmodum hæc nobis sors obtigit, ut eo viveremus sæculo, ubi licentia latebras quærere tenetur, & ubi cum imperio virtus dominatur, nihil vulgarius est, quàm hujusmodi Fidelium phantasmata invenire, qui propter auram gloriolæ, vel quæstus cupiditatem operantur, qui extrinsecus quidem omnis pietatis speciem præseferunt, & qui re ipsa neque primis Christianæ Religionis rudimentis imbuti sunt, quia ex fidei principiis non operantur. *Idem.*

Viva fides sufficeret ad omnia vitia exterminanda.

Viva tantum sufficeret fides ad omnem terrarum orbem latè reformandum, ad omnia vitia ab Ecclesia exterminanda, ad avertendos omnes homines a viis, quæ ad perditionem adducunt, licèt pro vitæ hujus commodis perquam utiles videantur. Tandem enim fieri ne posset, ut qui, exempli gratia, inferni æternæque infelicitatis horrore perculsi sunt, qui sciunt fœnus illud, quod exercent, illud ultionis desiderium, quod fovent, turpe illud commercium in quo vivunt, versutias, quibus ob ditescendum in negotiis utuntur, has ambages captiosas, quibus lites producunt, vias esse, quæ ad æternum ducunt interitum; nihilominus tam ægrè, atque gravatè ferrent nefaria hæc commercia sibi esse relinquenda, sibi a dolis, & captionibus esse abstinendum, a fœnore cessandum, & hæc odia, has lites intercidendas? Itane in mundo fieri consuevit, ubi de Principis gratia agitur, ac iis in rebus, in quibus in periculum fortunæ nostræ adducuntur? Si fidei veritates altiùs impressæ nobis animo insiderent, longè alia esset morum, vitæque nostræ ratio, ac disciplina; omnesque vitæ status, ac munera secundum ea lumina æstimarentur, quæ illæ nobis suppeditant. Itaque tantum abesset, ut mundi hujus nitorem, opes, atque delitias tamquam res optandas intueremur, quod immo hæc tamquam aleæ plena intueremur. Quin tanto nisu contenderemus, ut de paupertatis, atque humilitatis sordibus emergeremus, in quibus nos Deus constituit, cum gaudio paupertatem nostram amplecteremur, tamquam medicum ad salutem nostram operandam idoneum. *La Font. Sermone pro 3. Dominica post Epiphaniam.*

Fides omnes animæ facultates debet subjicere.

Cum duplex in anima nostra facultas distinguatur, intellectus, atque voluntas, duo fides exigit, ut intellectus cum submissione Dei lumina recipiat, atque suum præstet consensum veritatibus, quas Deus revelavit. Ad hæc exigit fides, ut cor cum amore amplectatur leges, quas Deus servari vult, ac sese illis subjiciat eas amando, & hic sese prodat in operibus amor. Superbus, ac rebellis homo a duplici hoc deficit officio. Suas tantùm ideas sequi vellet, nihil admittere, nihilque credere, nisi quod vult, nihilque facile intelligit, nisi quod evidens illi videtur. Queritur gravissimum sibi

jugum

jugum imponi, cum jubetur mentem suam captivare, ut obediat fidei: vel si tandem propria detrectat lumina, easque credit veritates, quæ sibi a Deo proponuntur, cor sese illis submittere negat, ubi ex his veritatibus aliquid est inferendum, quod cum studiis, affectionibusque suis non cohæreat. Donec in speculationa subsistimus, cor non murmurat, vel saltem in querimonias non erumpit, sed cum ad praxim procedendum est, & aliquod amplectendum est dogma, quod ad mortificationem pertineat, tunc ille vim hanc pati non potest. Attamen hæc duo invicem separari non possunt; opus est, ut fides, absit verbo invidia, sit in toto homine; opus est ut sit in mente, & in corde; opus est, ut sit in manibus; hoc est opus est, ut fidelis credat eas veritates, quas proponit Deus; amet præcepta, quæ irrogat, ac fidem suam operibus ostendat. *P. Masson Oratorii Presbyter Sermone tertio Adventus.*

Fides omnipotens est, ut a Deo omnia, quæ petit obtineat.

Omnia possibilia sunt credenti, ipse ait Dei Filius; atque animadvertendum puto, ipsum fere numquam miracula operari voluisse in gratiam eorum, quorum votis fatigabatur, nisi antea ab illis actus fidei poposcisset. Archisynagogo, cujus filia extremum diem clauserat, pro ejusdem vita laboranti ait: ne timeas; habe fidem, & sana erit. Cum cæcis oculorum aciem redditurus esset, nonne antea dixit illis: Creditisne a me fieri posse, quod cupitis? iisque annuentibus, utique Domine; tunc tetigit oculos eorum dicens, fiat vobis secundum fidem vestram; ac illico, Sanctus Lucas ait, aperti sunt oculi eorum. At enim inquies, undenam factum est, quod per fidem modò similia non obtinemus miracula, & plerumque ne minimam quidem eorum, quæ petimus, partem precibus iteratis assequimur? Numquid minor erga nos Dei liberalitas est; an minor providentia? Neutrum profectò, sed fides nostra minus perfecta est, & sæpe etiam nulla. *Idem.*

Quid sit vivere ex fide.

Vivere ex fide est agere secundum principia, ac motus fidei. Accidit nonnumquam ut simulacro motus aliquis imprimatur, ita ut caput, brachia, pedesque moveantur, & hisce motibus vivere videatur. Attamen hæc vita fallax est, vita apparens, & quæ ex interiori, viventique principio nequaquam procedit; Sed aliena machinamenta hujus motus sunt causæ. Similiter aliquem intueris in speciem habere motum pietatis, atque religionis; ad templum se confert, Dei verbum audit, aliquot preces effundit; hunc putates viventem esse in pietate: attamen hæc fallax, & apparens est vita, quam extrinseca tantum movent machinamenta: propter humanas tantum rationes operatur. Mortua est, quia fides illius non vivit; neque secundum fidei veritates operatur. *Idem.*

Christiani fidem sua nefario vivendi genere dedecorant.

Quid ex plerorumque fidelium vitæ genere inferendum est, nisi dicendum sit illos in religione sua esse deceptores, vel Deum, quem colunt, infirmum esse, vel injustum, qui talia patiatur flagitia; ita ut, Salvianus ait, JESUS CHRISTUS dedecore afficiatur, & religioni ab ipso institutæ fides abrogetur: *In nobis patitur Christus opprobrium, lex Christiana maledictum.* Etenim ex nefaria Christianorum vita inferre Ethnici possunt, Deum nostrum invalidum esse, fidemque nostram falsam, atque chimericam. Et profectò si Christiano de Religione sua persuasum esset, si infernum esse crederet, illum metueret; *Si crederet, timeret*, Sanctus Cyprianus ait, si verò metueret, nihil intentatum relinqueret, ut pœnas illius evitaret. *Si timeret, evaderet.* Verum cum nil tale efficiat, cum nullum conatum exerat ob corrupta studia, pravasque animi sui affectiones infringendas, dicine potest habere fidem? Vel si fidem habet; fides est dæmonum fidei simillima. *Idem.*

Oppositio inter Christianorum fidem, & mores.

Fatemur Dei Filium hominem factum, pauperem, humiliatum, calumniis petitum mortem omnium crudelissimam æque ac turpissimam subiisse, humilitate, ac passione, cruentisque vestigiis nobis viam, quæ ad Cœlum adducit, indicaturum. Verbo; Evangelium credere profitemur, ac paratos nos esse effundendo sanguini ad eas veritates, atque præcepta, quæ tradit, propugnanda. Quid inde sequitur? O Deus! Quodnam est hoc prodigium, quod nihilominus quotidie videmus! non solum non fiunt actiones magnis hisce principiis conformes; sed miro nostrummetipsorum in nosmetipsos prælio, ac insana cogitationum, actionumque, eorum quæ credimus, & eorum quæ facimus oppositione, terrena tantum bona, voluptates, honoresque diligimus; passiones, humilitatemque perhorrescimus; animam negligimus, corporis rationem diligentissimam habemus; quærimus præsentia, futura contemnimus; pœnitentiam fugimus, & quotidie sexcentis modis offendimus Deum perinde ac prorsus oppositum crederemus. *Maimbourg, Sermone pro feria secunda post primam Quadragesima Dominicam.*

Cur fides non eosdem habet amplius effectus, ac olim.

Defectus virtutis fidei, quæ non operatur amplius eadem miracula, quæ primis temporibus crebrò accidebant, acceptus referendus non est ipsis mysteriis, quæ semper fuere, qualia hodie sunt, & quæ eadem omnino sunt qualia tunc erant; immo neque morum corruptioni adscribendus est, quoniam fidei consonum non est, Fideles universè hoc tempore nequiores esse, quàm Romanos, ad quos Sanctus Paulus scribebat. Quænam igitur hæc esse causa potest, propter quam in fidelibus fides parum hac hodierna die efficax est? Nullam apertiorem, certioremque causam intueor, quam fidelium in fidei hujus exercitiis negligentiam, qui otiari illam sinunt, ac fere numquam exercent. Hoc ipsum Sanctus Ambrosius inquit: *Fides inexercitata languescit.* In hac inertia plurimis rationibus tentatur, atque oppugnatur: *Crebris otiosa tentatur incommodis*, idem addit; & salutis nostræ inimicus fidem torpere videns eam lacessit, & sæpe etiam superat, ac penitus delet. *P. Texier in Dominicali. Sermone pro 18. post Pentecosten Dominica.*

Difficultas eliciendi actum fidei.

Ex omnibus actibus intellectus solum credere bellum habet, Guillelmus Parisiensis inquit. Difficile non est ratiocinari, ac menti nostræ persuadere ea, quæ per se patent, vel sub sensum cadunt experientia, vel quæ manifesta aliqua ratione demonstrantur. Non opus est ut intellectus noster supra se extollatur, vel suos sensus impugnet, ut has credat veritates, hos actus eliciat; hac in re sua tantùm sequitur studia; at vim sibi faceret, suæ rationi adversaretur, si luminibus ejus obsisteret. Sed cum fidei actus sunt eliciendi, credendæque veritates quæ non solum rationem exsuperant, sed eidem videntur oppositæ, tunc secum pugnet, oportet, spiritus noster, atque de propriis studiis victoriam reportet. *Biroat in Adventu, Sermone primo.*

Christianus, qui male vivit, sensim fidem amittit.

Quomodo fieri potest, ut Christianus verè credat in JESUM CHRISTUM, quoniam ipsum offendit, simulque illum, & verbis confitetur, & factis negat? *Qui verbis confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Mali Christiani vita fidem in se occidit, ut Tertulliani verbis utar, hæc enim dispositio est ad illius jacturam faciendam; Ratio autem est, quia ferè nequit fieri, ut homo Christianus diu, & constanter in peccato perseveret, quin primum quidem corrumpat, deinde verò amittat fidem formali, consummataque infidelitate; quemadmodum de impiis ævi sui loquitur Sanctus Paulus: *Quam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt.* Cum diu conscientiæ suæ stimulis restiterint, fidemque suam morum nequitia impugnaverint, tandem miserabile naufragium perpessi sunt. *Idem.*

1. ad Tim.

Fides est solum intellectus nostri sacrificium, quod Deo offerre possimus.

Fides solum est intellectus nostri sacrificium, quod Deo possimus offerre; alii quicumque actus neque magni sunt, neque difficiles; opinio, quæ in se fluctuans est, & ambigua, non magnum Deo tribuit honorem, quippe innititur experientiæ, &

ratio-

rationis, tantùm sequitur sensus; sed fides eximia est, atque difficilis; hæc enim una est, pro qua præliandum. *Ex omnibus actibus intellectus, solum credere bellum est:* quoniam abdicanda est sensuum nostrorum experientia, ac naturalia ingeniorum nostrorum studia, quæ id credunt unice, quod manifesta ratione probatur, & nihilominus propter Deum mentes nostras submittimus simpliciter credendo obscurissimas, difficillimasque veritates, quin eorum discutiantur, conquiranturque rationes. Eheu! Auditores, ex divino hoc testimonio intelligamus eam reverentiam, qua has veritates debemus excipere, & cognoscamus quænam esse debeat obedientiæ nostræ submissio. Sanctus Paulus eam humani intellectus captivitatem, Deique triumphum appellat. *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. Idem Sermone, pro feria 5. Cinerum.*

Guillel. Parisi. l. de Fide.

2. ad Cor. cap. 10.

Rebus fidei sine curiositate, atque examine acquiescendum.

Cum Christianis, quorum sensus his verbis Tertullianus explicat, dicendum est: *Nobis curiositate opus non est post Christum, nec inquisitione post Evangelium.* In cæteris rebus, quæ nobis proponuntur, curiosi, jus nobis vendicamus rationes earum excutiendi, antequam illis fidem habendam esse statuamus; Sed ex quo Filius Dei prodiit tamquam fidei nostræ principium, nobisque attulit Evangelium, sileat humana ratio; taceat spiritus incertitudinis, atque perquisitionis; mihi humiliter est, constanterque credendum. *Idem Biroat.*

Repellendæ sunt dubitationes, quæ de fidei nostræ mysteriis oboriuntur.

Omnes involuntarias dubitationes, quæ in ratione nostra oboriuntur, & nubium obscuritatem, quæ contra fidem nostram insurgunt, prohibere non possumus; sed fidei nostræ magnitudo in hoc posita est, ut his dubitationibus bellum indicamus primorum fidelium constantiam imitaturi, de quibus Sanctus quidam Episcopus olim dicebat: *Mori sciunt, disputare nesciunt.* Sciunt pro fide mortem oppetere, & contra illam, pro illa nesciunt disputare. Adeo illis persuasum est de ejus veritate, ut minime dubitent vitæ jacturam facere pro eadem tuenda; illam verbis probare nesciunt; de illius mysteriis discernere non audent; sed fides efficit, ut cruore confirment, quod sermone probare non possunt. *Idem.*

Pacian. Epist. Sermone.

Mala Christianorum vita eorum fidem oppugnat.

Quid mala facit Christianorum vita? Duplex perhibet fallax testimonium; efficit, ut jure ambigi queat, utrum verè habeant fidem, & utrum fides, quam habent, sit vera; nullam enim actionem operantur, quæ verè fidem eorum ostendat; e contra verò oppositas actiones faciunt, ita ut cum Sancto Paulo dicere possimus ipsos fidem verbis quidem profiteri, factis autem negare. Corde Fidei præcepta contemnuntur, & ore tenus excipiuntur. Improba Christianorum vita opprobrium est, & perpetua fidei confusio; Deum credunt, sed illum offendunt; sciunt illum pro se mortuum fuisse; sed in ludibrium vertunt passiones ejus. Quid dicant Hæretici? quid Ethnici, cum vident actiones nostras Evangelii nostri principiis adversari? Quam varia est a primorum fidelium fide nostra fides; & quam pauci sunt veri fideles in terris. Et sane cum actiones nostræ sint sententiarum nostrarum effectus, nonne verum est, nisi vita nostra fidei regulis conformetur, dici posse nobis fidem non esse? *Idem.*

Omnium virtutum Christianarum praxis a fide viva pendet.

Omnis Religionis Christianæ labor in sola fidei exercitatione positus esse videtur; crede, inquit Dei Filius, & quæcumque petieris, fient tibi: *Omnia possibilia sunt credenti.* Crede, & facile humilitatem, patientiam, mortificationem exercebis; quem enim laborem invenis in boni supremi dilectione, cum illud tibi exhibet fides? Quam experiris difficultatem in suprema felicitate speranda, cum hanc tibi fides promisit, ejusque certissima tibi tradidit vadimonia...? Si unicam haberemus fidei ejus scintillam, quam Spiritus Sanctus in anima magnorum virorum accendit; si nobis optimè persuasum esset de magnis illis veritatibus, quas nobis Christiana proponit Ecclesia, invisibilem nempe adesse oculum ea omnia, quæ facimus, explorantem; terribilem esse judicem, apud quem de omnibus actionibus nostris rationem reddituri sumus; post hanc vitam bonorum, malorumque æternitatem adfuturam; si has omnes veritates animo reputaremus, quid pro Dei gloria acquirenda intentatum relinqueremus? Quem in perfectionis via progressum efficeremus? Quàm suaves nobis viderentur omnes Evangelicæ austeritates, quam levia omnia legis mandata! Quàm exiguo haberemus in pretio fluxa omnia, atque fragilia! Quanti verò bonum, quod nullum umquam finem habiturum est, faceremus? *Ex Sermonibus Moralibus. Sermone de Fide.*

Ignavia plerorumque Christianorum in fide sua tuenda.

Fideles, accepistis fidem patrum vestrorum, & hæc pretiosissima hæreditas est, quam vobis reliquerunt. Attamen hæc fides, quam immediatè a JESU CHRISTO exceperunt, & ad vos usque transmiserunt eam in terrarum orbe perennaturi; hæc fides, quæ vobiscum nata est, & quam cum lacte hausistis; fides hæc, quam tot Sapientes homines signarunt, quam tot celeberrima ingenia tutati sunt, quam tot fortes animæ coram tyrannis illam ex eorum corde convellere, eamque ipsorum sanguine extinguere conantibus, confessæ sunt, hæc a vobis, ubi prima sese obtulit occasio, derelicta est. *Ibidem.*

Cæcè fidei veritatibus non submittimur nisi post allatas invictas credendi rationes.

Non vult JESUS CHRISTUS, ut cæcè mentes nostras captivemus; distinctione uti jubet, ut bonam doctrinam secernamus a mala: nobis tot præbuit indicia, quæ satis superque sunt, ut nos in via salutis esse intelligamus, & si ratio exigit, ut sexcenta credamus, quæ neque vidimus, neque audivimus, quonam obsequio excipere debemus fidem, quæ non innititur solum verbo infinitæ propemodum multitudinis mortalium, quorum vita ab omni criminis suspicione vacua est, verùm etiam innumeris miraculis, quæ omnibus in terris, occasionibus, atque temporibus contigerunt? Hinc Sanctus Augustinus ajebat, in gravissimam decidere insaniam eum, qui &c. .... Quam rationem prætexere potest flagitiosus homo, ut de fide, ac Religionis nostræ Mysteriis ambigere possit? Hanc nempe quod ea non assequitur mente: hæc esset insignis pertinacia; numquid ideo suis tantum oculis fidem habere vult, atque cum S. Thoma dicit: *nisi videro non credam?* Hoc gravissimus est error. Ego verò Dei ipsius testimonio, ac infinitæ miraculorum multitudini innitor; ego sum in ejus fidei possessione, quam mortalium sanctissimi non sine vitæ suæ periculo asseruerunt; fides mea falsa esse non potest; ipsa tot errores delevit, tot Sanctos effecit, tot suffragiis probata fuit, tot Conciliis fuit propugnata, &, ut Sanctus Joannes inquit, de toto mundo insignem victoriam reportavit. *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra. P. Bourdaloue in iis sermonibus, qui sub ejus nomine circumferuntur.*

Joan. 20.

1. Joan. 5.

Si Lex ex altera parte obscura est, evidens est ex altera.

Cavete, ne fides vestra neque independens sit, neque labans, neque cæca; quippe iis innititur rationibus, quæ eos etiam, qui maxime delicati erant, ac alieni, persuaserunt; & celeberrima mundi converterunt ingenia, quæ earum vi resistere non valuerunt; quoniam rerum, quas revelavit, obscuritati certam divinæ revelationis addidit evidentiam, nobisque tenebras offundit, ut in magnam veritatis lucem adducat, cumque Philosophi, ac spiritus fortes in eos illidant scopulos, ubi naturalia lumina naufragium patiuntur, hæc nos feliciter statuit in portu, ubi vera scientia invenitur.... Cum recedo a fide mea, vel cum disputare volo contra fidem meam, intellectum meum sexcentis turbis, atque inquietis dubitationibus trado. Opus est, ut Deum ignorem, ut negem JESUM CHRISTUM in mundum venisse, ut omnia rejiciam oracula Prophetarum, qui eum nobis polliciti sunt; ut omnia impugnem miracula, quæ mundi Salvator operatus est, ut susque deque vertam ea omnia, quæ Historici non sacri

solùm,

solùm, verùm etiam profani narraverunt; eaque omnia temere, ac sine causa, nisi quod hæc mihi incredibilia videntur, eaque propriis oculis minimè intuitus sum. *Idem*.

Impiorum nihil credentium infelicitas.

Impio nihil credere volenti dicam, in hac sententiarum varietate, uter nostrum majora subit pericula, tune, qui nihil eorum credis, quæ docet Religio, an ego, qui ejusdem me fidei submitto? tune qui omnia credere detrectas, ut solutiorem vitam ducas, an ego, qui credere non abnuo, ut vitam fidei meæ conformem? Ut omnia cadant deterrimè, credens quod credo, simplex homo censebor omnibus rebus fidem habens, & aliqua voluptate, quam ipsa quoque ratio prohibet, carebo; hoc mihi imminet periculum. Tu verò, si quod minime credis, verum est, certissimum ndis damnationis discrimen, tuaque reprobatio inevitabilis est. Te vero hac, me illa ratione viventibus uter majori fruitur tranquillitate? uter tutiorem, pacatioremque vitam ducit? *Idem*.

Ethnici fidem non habentes nihil cœlo dignum possunt operari.

Cum Ethnici non habuerint fidem, nihil pro Cœlo meriti sunt, plura licet bene fuerint operati. Qua in re Sanctus Augustinus nautæ similitudinem adfert, qui scitè navim gubernat, magna vi illam impellit, prudenter retinet, sed procul a via, quam sequi deberet; Qui illum secundis iter facientem ventis videt, quin sciat, quonam sibi eundum sit; hic profectò itineris felicitatem admiraretur, licet reipsa iter illud esset infelix. Ita infidelem bona facientem opera si videres, Sanctum diceres, quamquam si spectetur via, quæ eidem esset ingredienda, actiones illius nullius sint meriti pro æternitate, non secus ac nautæ illius irriti conatus sunt, quia non sunt in via: *Magni conatus, sed extra viam. Joly.*

Non sola fides habitualis, sed actualis etiam in fideli requiritur.

Profectò propter fidei in cordibus nostris effusæ virtutem Christiani sumus; sed per actus fidei, non autem habitum tantùm vivimus, ut Christianos decet. Usum, & exercitationem fidei requirimus; hoc Cœlum petit ex nobis, & Spiritus Sanctus divinis afflatibus suis hoc sæpe flagitat: *Fides inexercitata languescit*, Sanctus Ambrosius inquit. Fides quæ non exercetur languet, & in jugi otio squallescit, & quemadmodum pecunia, quæ in arca asservatur, quin in usum redigatur, non augetur; sed si in mercaturis adhibeatur, atque in utilem aliquam emptionem impenditur, vel in lucro ponitur, crescit substantia, atque insignis eidem fit divitiarum accessio; hoc ipsum de fide sentiendum est, quæ si in corde otiosa permaneat non crescit, ac nullum in perfectione progressum facit; e contra verò infirmatur, ac imminuitur; eique nullam præbere occupationem idem est, ac illius amittendæ subire periculum. *Ex libro cui titulus; de Fidei usu, & exercitatione.*

Fidei præstantia, ac dignitas.

Qui fidem invenit, omnia invenit; nihil illum latet, nihil fallit; sese illa effundit, & quocumque extendit; ipsam etiam capit quodammodo immensitatem; altissima, atque remotissima assequitur; immo ipsam etiam æternitatem vasta extensione sua comprehendit, & continet. *Idem*.

Fides contra virtutes omnes necessaria est.

Mirum non est, ubi de necessariis agitur subsidiis ad dæmonis, infernique suggestiones repellendas, fidei tantummodo mentio fiat: *Cui resistite fortes in fide*. Quasi hæc innueret verba, nos fatis in omnibus, & contra omnes fortes esse, si illius protegamur annis, atque sub ejusdem vexillo prælicmur ..... Quidnam, quæso, est, secundum Sancti Pauli conceptum *vitam æternam apprehendere*? Est sanè non manu, sed mentis acie cœli coronas, & gloriæ pretium apprehendere. Quid est bonum fidei certamen certare? nisi se tentationibus invictum præbere, spe, & consideratione bonorum, quæ nobis nostra exhibet fides, & quæ jucundissima expectationis nostræ objecta constituunt. *Idem*.

1. ad Tim. 6.

Fides in tribulationibus solamen nobis esse debet.

Paulisper aliquod fidei dogma meditemur; & hæc fides mentibus nostris injiciat eam, exempli gratia, Apostoli sententiam; omnes vitæ hujus passiones nihil esse, ubi conferantur cum pretio mercedis illius, quæ ipsis parata est, & cum ejus gloriæ magnitudine, quæ nos manet in cœlis; tribulationem, quæ statim cessat, levemque afflictionem, quæ momento præterit, in nobis æternæ gloriæ semen producere: quisnam constanter hos omnes labores non perferet, quis has passiones non diliget, quis gaudio non exultabit inter ærumnas, quibus cumulabitur? Quis interim inanes mundi honores non contemnet? &c. *Idem*.

Usus fidei a nobis in occasionibus faciendus.

Quid porrò efficiet fidelis, ubi in occasionibus, atque periculis intereundi versabitur? Hoc aget. Cum jamjam casurus eris, antequam scelus committas, elice actum fidei, & dic intra te; corporeis quidem oculis intueor hanc voluptatem, hoc injustum lucrum, hanc illecebram suavitatis refertissimam; sed credo etiam, & oculis mentis video, hac dulcedine lethale virus inspergi; credo, ubi hoc unum crimen patravero, hac una tantum nefaria actione deletum iri quidquid boni fecero, me amissurum quidquid hactenus adeptus fuero, omniaque præteritæ vitæ merita eodem momento peritura: credo, ac certissime scio, me in præceps ruiturum, atque æternam calamitatem subiturum, si ulterius gradum produxero. Ad hæc scio postquam lapsus fuero, incertum fore, utrum rursus consurgam, ac neminem esse, qui hac de re mihi sponsionem possit efficere. Diligenter igitur cavebo, ne hoc faciam, ac memet tanto periculo objiciam. *Idem*.

Cur malè vivatur, licet habeatur Fides.

Scio equidem, quod Sanctus Augustinus ait, *difficile esse, ut male vivat, qui bene credit*; Sed ita credi potest, ut fides æque, ac vita nostra vitiosa sit. Credimus aliquando quadam in occasione, at non semper ubi opus est; credimus habitualiter, sed nihil re ipsa exercetur; si habitus intrinsecùs tantùm subsistat; cum ipsa etiam habituali fide perire possumus, & plerique actu etiam sæpissimè pereunt. *Idem*.

Quam rara sit fides.

Heu! quàm difficile est veram invenire fidem, etiam inter eos, qui se bene credere profitentur; cumque video in Evangelio Dei Filium eos, qui ad ipsum accedunt gratiam aliquam impetraturi, secundum singulorum fidei meritum excipientem, eisque dicentem audio, fiat tibi, sicut credis; secundum fidei tuæ mensuram meas recipe gratias: fateor equidem me totis artubus contremiscere. Nollem quippe, a Deo excipi secundum fidem meam, nihilque mihi boni conferri nisi hac conditione proposita: cumque bonitatem illius exoraturus accedo, nollem mihi responderet ille: *fiat tibi, sicut credidisti*. Videtur tamen hæc jam prolata fuisse sententia, secundum fidei mensuram plures, pauciores ve a liberali clementissimi hujus Regis manu recipi; atque patet, ipsum largitates suas, magnificasque profusiones recipientium fidei magnitudini aptare. Qui ingentibus situlis aquam hauriunt, hi sane plurimum hauriunt aquæ; minus verò illi, qui angustiori vasculo utuntur. Similiter qui magnam habent fidem, ex inexhausto hoc bonorum omnium fonte magna beneficia, insignesque favores hauriunt, qui verò minorem habent fidem, hi minores gratias recipiunt. *Idem*.

Pietatis languor ex defectu fidei proficiscitur.

Divina favente gratia facile est de Cœlo ignem detrahere, & in corde nostro charitatis flammas accendere, cum ad aram accedentes, vel nosmet Communioni præparantes fidei actus elicimus; quemadmodum e contra, quis nescit nostræ devotionis defectum, languores nostros, tædium, atque nauseam in precibus, communionibus, & sacrificiis, quæ offerimus Deo non aliunde proficisci, nisi quod fidem nostram captivam detinemus in mentibus nostris, neque præbemus illi facultatem detegendi nobis id, quod efficere posset, ut corda nostra in charitatis, ac pietatis sensibus liquescerent, statim ac voluntati nostræ illud palam fuisset exhibitum; atque energeticè repræsentatum? eligitur si mali nostri causam videmus, illi medicinam afferamus. *Idem*.

Per

Deus ad superbiam nostram conterendam utitur fide.

Per fidem voluit Deus superbiam nostram conterere, quæ judicare vult de iis, quæ sunt credenda, illi mysteria proponens, humanitus non credenda. Mens humana illa quidem partim gloriosa esse vellet, partim captu facilia; sed si JESU CHRISTI mysteria gloriosa sunt, ut Resurrectio, sunt quoque incomprehensibilia, & si facilia sunt, quæ comprehendantur, ut Passio, sunt etiam humilia. Ita semper miseræ rationi nostræ crucem figunt, quæ humilia detrectat, & incomprehensibilibus obruitur. *Liber cui titulus. Tractatus de Religione contra Atheos, & Deistas.*

Fideles plurimi, quin mentem fidei submittant, curiosius illius mysteria eadem scrutari.

Quot fideles quin sese Dei verbo submittant, & ea credant, quæ Ecclesia voluntatum Domini sequester illis ejusdem nomine dicit, omnia ad examen redigere volunt, scrutari, ponderare, ratiocinari? Quot non aliam, quam *sensuum, & rationis fidem*, ut Salvianus loquitur, habentes, ad duo hæc Tribunalia accersere volunt quidquid sibi proponitur, parati ad improbanda, reprobanda, negandaque ea, quæ sibi non conceduntur? Quot quin hæreant incerti in rebus difficillimis, cæcè in eas partes se tradunt, quæ passionibus suis blandiuntur; vel qui postquam Deus locutus est, & Ecclesia sensus ejusdem enucleavit tum in iis quæ ad morum disciplinam, tum in iis, quæ ad Doctrinam pertinent, adnituntur omnia in sensuum suorum gratiam detorquere, atque tandem in superbiæ suæ pœnam in miserrimam decidunt apostasiam? *Ex Moralibus Sermonibus. Sermone de Annuntiatione.*

Qui vivam habent fidem sæpe mysteria nostra meditantur.

Quò minus fidei habet anima, eò minus cogitat, ac meditatur; quò verò plus fidei habet, eò magis eidem animum appellit, eamque considerat. Itaque prout animæ fides major est, eò plura invenit, quæ in revelatis veritatibus meditetur; tunc millies eamdem veritatem recogitat; tunc id agnoscit, quod ratio & sensus cognoscere non potest, quod Philosophia, atque perspicacissima ingenia detegere nequeunt; tunc denique, omnes veritates sub eodem ferme adspectu videns sese in Dei æternitatem immergit, cujus veluti quoddam sibi concinnat exemplar, vasto sinu suo non præterita solùm, verùm etiam præsentia, & futura comprehendens. Hæc Fides magna erit in oculis Dei, si fecerit, ut subinde vosmet per intervalla colligatis, si vos ab erroribus, & evagatione mentis revocaverit; sed si satis vobis esse censueritis ea, quæ dicuntur, credere, ac frigidè fidei vestræ articulis acquiescere, quin inde eas illationes eruatis, quæ vobis aperiant infinitam Dei bonitatem, qua evocati estis in admirabile lumen suum, & necessitatem, qua eidem respondere tenemini; timeo, ne hæc sit fides inutilis, neque magis vestræ justificationi proficiat, quàm speculum homini, qui seipsum in illo conspiciens abiret, quin ne maculas quidem sui vultus abstergeret. *Ibidem.*

Alterius vitæ veritates non timentur, quia non creduntur, vel non recogitantur.

Infidelis nihil timet, Sanctus Ambrosius ait, quia neque Paradisum credit, neque Infernum. Fidelis qui numquam adeo terribiles veritates animo reputat, nihil ferme timet; non enim nisi debili fide credit, Paradisum, & Infernum adesse. Sed ille, qui fidem suam operari vult, qui ex fide sua vivit, ut loquitur Apostolus, has veritates expavescit. Deus pro me humanam carnem induit, secum ipse ita loquitur; ego verò quid illi præstiti? Deus plurimas mihi gratias elargitus est; sed abusus earum nonne meam damnationem augebit? Deus mihi Paradisum aperuit; at nonne ego me præcipitem daturus sum in Infernum? Hæc peccatori metum incutiunt; hæc illum humiliant. *Ibid.*

Verus fidelis secundùm fidem agere debet.

Homo fidelis non alium ducem, columenve habet, quàm fidem; ambulat in tenebris sequens ducem, quem minime videt, & quamvis sensus rebellent, atque circumstantibus seducantur affectibus, audet contra seipsum æternum sustinere prælium pro Deo, cui tanto zelo, ac fervore famulatur, quanto si illum ipsis oculis intueretur. Hoc elogio Scriptura Moysem commendat: *Invisibilem tamquam videns sustinuit. P. Cheminais Sermone de sanctitate vitæ.*

Ad Heb. 11.

Plurimi sunt Christiani, qui inanem tantum habent fidei speciem.

Metuendum maximè est, ne de hoc nostro potissimum sæculo dixerit JESUS CHRISTUS se, cum venerit, nullam inventurum fidem. Nostra plerumque exterior est fides, ac in speciem tantummodo. In Templum convenimus, quia mos est; ad Sacramenta accedimus, quia jubet devotio; preces recitamus, veritates credimus; hoc enim patres nostri fecerunt, qui hoc nobis reliquerunt exemplum, & in hanc consuetudinem educarunt. Verùm hæccine vera fides est? De semifidelibus hisce, qui hujus generis fidem habent, idem est ac de illis, qui morales virtutes exercent sine ulla ratione virtutis. Æquius judicium, quod de eleemosynam erogante sine ulla supernaturali ratione ferri potest, hoc est, nullam mereri laudem, nullam vituperationem, nullam mercedem, nullum supplicium. Hoc ipsum de tot mortalibus sentiendum est, qui sine ulla consideratione, ac vera fidei ratione credunt. Nullum coram Deo meritum habent; & si nulla merentur supplicia, certum est tamen nulla quoque præmia mereri. Hinc conjicite quam fovere debeamus opinionem de his, qui Christiani sunt consuetudinis, qui temere, & inconsideratè, ac sine ulla vera fidei ratione credunt; de his Christianis, qui ut Sanctus Hilarius ait, fidem habent *temporum, non Evangeliorum*, fidem, qua summatim credunt, quæ sibi dicuntur, non autem fidem cui personali luminum suorum sacrificio sese subjiciant. *Fromentieres.*

Hoccine est habere fidem, omnia quæ ad salutem pertinent, fastidire, ac Deum nullo in discrimine habere? Hoccine est veram habere fidem, eam suis negotiis, ambitioni suæ, atque utilitati mancipare, atque Ethnicorum more vitam traducere? Heu! quot idololatræ, quot apostatæ in ipso Christianæ Religionis sinu inveniuntur! *Idem Sermone de Fide.*

Miracula non sufficiunt, ut fide divina credamus.

Miracula non sufficiunt, ut nobis tribuant fidem: hæc quidem satis apta sunt argumenta, ut credere cogamur; sed opus est, ut Deus intellectum captivet, quod si desit, solus miraculorum intuitus nullam in mentem, minorem adhuc in cor nostrum vim obtinet. Quot prodigia Moyses operatus est Pharaone inspectante, quæ tamen nihil profuerunt, immo infelicissimi Regis cor indurarunt? Quot miracula Martyres operati sunt coram tyrannis, quin aliud efficerent, nisi mortem eorum celeriùs maturarent? Sed quot etiam Salvator ipse patravit, quæ non aliud profecerunt, nisi ut Judæorum invidia, & obstinatio augeretur? eousque ut Lazari resurrectio eos compulerit, ut conjuratione facta illius necem molirentur. *Idem Sermone de miraculis.*

De Christianis quorum mores, & vita a fide sunt absoni.

Quodnam monstrum inter Christianos video, exclamabat olim Sanctus Hieronymus? Video mortales, qui tamquam fideles credunt, & vivunt tamquam cultores idolorum. Si eorum audimus verba, ibi fidem invenimus, si respicimus mores, ibi infidelitas innotescit. Nihil sanctius eorum disciplina, nihil flagitiosius eorum vita: Omnes sapientiæ thesauri in doctrina eorum sunt absconditi, omnes licentiæ effusioris libidines in eorum vita videntur .... Quem in mundo videmus vitæ suæ rationem ad fidei suæ norma componentem? Quis Evangelii sequitur lumen, quis ob religionis causam, atque æternitatis propositam sibi cogitationem operatur? Nonne omnes ita præsenti inhærent vitæ, quasi fides non alteram longè beatiorem nobis detegeret? Nonne tanta confidentia peccatur, quanta si nullus crederetur infernus? Et peritura hujus mundi bona deperimus æque, ac si post hæc nulla æterna bona essent futura? .... Ethnici, & Infideles, qui magis frugi, quam nos vitam duxerunt, nos pudore suffundent; atque illis responsuri hæc tantum verba proferre poterimus: *Ego erravimus a via veritatis!* Miseri! eramus in via, & ab illa aberravimus; facem manu *Sapient. 5.*

præfe-

præferebamus, ut femitas videremus, & evagati sumus; apertisque oculis nosmet in abyssum præcipites dedimus. *De la Volpilliere, Sermone de Fide.*

Curiositas in fide semper est periculosa.

Ex hac curiosa perquisitione in fidei materia Christianus decidit in dubitationem: credit, & non credit: hæret in criminosa incertitudine, quæ cum fide simul esse non potest, quæ efficit, ut incertus consilii inter credendum, & non credendum credere cesset. Ita anceps passionis suæ proclive sequitur, quæ illum quotidie magis avertit a fide, & efficit tandem, ut omnes religionis veritates tamquam somnia, & illusiones existimet; ita ut nullum ultra illi terrorem incutiant, vel Dei judicia, vel inferni supplicia; atque hoc pacto sensim infirmata fides omnino in anima ejus extinguitur. *De la Volpilliere, Sermone de Fide.*

Confessio, qua mundi sectatores sibi nihil fidei esse fatentur.

Profectò, dicet aliquis, nulla nobis est fides. Nulla tibi fides est? Hæc sane est ingenua confessio. Quomodonam? numquid Christianæ Religionis principiis abrenuntiasti? aliquam ne religionem es nactus, quæ tibi videatur præstantior illa, in qua natus es? ullamne satis validam rationem comperisti, quæ omnia evertere possit argumenta probantia omnes fidei veritates a nobis esse credendas? Negabis, puto. De religione mea, non dubito; Quid igitur ais? Non igitur vivam fidem habes; Quid causæ est? Deum ne precibus enixis rogas, ut augeat fidem tuam: *Domine adauge nobis fidem*? Contendisne fidem excitare tuam bonorum operum exercitatione? Quin immo e contra fidei tuæ facem vitiis extinguis. *P. Texier Sermone de Cœco nato.*

Luc. 17.

Fides cæteras virtutes exercet.

Non jubet solum D. Paulus, fidem motricem esse causam, quæ alias virtutes excitet, sed eamdem virtutum reliquarum formam esse jubet, itaut virtutes cæteræ non aliud sint, quàm fidei instrumenta, itaut non tam illæ cum fide, quàm fides per illas operetur; quod egregiè explicat in Epistola ad Galatas: *In CHRISTO JESU neque circumcisio aliquid valet; neque præputium, sed fides, quæ per dilectionem operatur.* Dilectio ipsa, seu Charitas, quæ virtutum omnium est præstantissima, nullam sibi propriam actionem habere videtur; ipsa fidei hujus instrumentum est, quoniam non nisi per illam fides operatur. Hinc fit, ut fidei acceptum referatur quidquid magnum, heroicum, eximium, sanctum est; & per illam dicitur Abraham consilium iniisse sacrificandi filium Isaac &c. *P. Bourdaloue in Sermone de Fide.*

Ad Gal. 6.

Quare tam modica fides in mundo sit.

Undenam fit, ut fides cum hodie in terris tam latè pateat, ibi tamen tam modicum fidei reperiatur? Hæc est objectio, quam Ecclesiæ Patres jampridem occuparunt, cui, fateor equidem, quid respondeam, non video, nisi principium negetur. Abjiciamus aliquando errorem hunc, Auditores; Evangelii prædicationem pro fide nostra accipimus, atque utramque confundimus. Evangelii quidem prædicatio in omnem terram latè diffusa est; at fides non est; & inter hæc duo plurimum discriminis intercedit. Evangelii prædicatio exterior tantùm est; fides verò virtus interior, & donum Dei; illa communis est, hæc rara; quod palam ipsa Christianorum vita confirmat. *Idem.*

Fides aliquando erit nostræ damnationis causa.

Ad Rom. 2.

Fides nos extremo Judicii die damnabit: *Testimonium perhibente conscientia, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus.* Hæ cogitationes Sanctus Chrysostomus inquit, de quibus Apostolus verba facit, sunt cogitationes fidei, & conscientiæ. Fides reprobo dicet, tu hæc credidisti: conscientia verò eidem: tu hæc fecisti. Duplex hæc cogitatio licet opposita maximè juridicam criminationem efformabit: fides stabit contra noxiam conscientiam; noxia verò conscientia se contra fidem tueri conabitur; sed hæc fides tandem victoriam referet, & criminationum pondere conscientiam opprimet. Hæc est S. Chrysostomi paraphrasis. Terribilis cogitatio! fides me judicabit; gravissimum verbum, si fecteram illius vim assequi liceret! fides me judicabit, fides hæc adeo pura, sancta, innocens in præceptis suis; adeo meis affectibus opposita, amori meo contraria, & cum flagitiis meis irreconciliabilis: fidea hæc adeo severa, atque in decisionibus suis æque inflexibilis ac Deus. Hæc me judicabit, neque ab ejus judiciis provocare potero, neque petere, ut secundum alia principia causa mea peragatur; namque quodcumque dicam, me ad illam remittet Deus, nihilque in ejus sententia mutandum inveniet. *Idem.*

Contradictoria quædam credenda sunt; & eorum, quæ creduntur, non vulgares probationes petuntur. Omnes veritates, quæ fidem nostram componunt, certæ sunt, tutæ, immutabiles, necessariæ; ex quo nobis semel hæc felicitas contigit eas cognoscendi, iisque adhærendi, integrum nobis non est pati, ut submissio nostra juxta naturalis ratiocinationis libidinem fluctuet, & alias adhuc rationes inquirat, quasi adhuc liceret ambigere; hoc enim idem esset ac revocare docilitatem, ac servitutem nostri intellectua, & voluntatis. Si putas te in fide firmiorem futurum, cum ex miraculo recitati major accesserit auctoritas, hæccine nonne illusio est? nonne major aderit dubitandi causa de facto miraculoso, quàm de veritate, ad quam probandam usurpatur? Et quæ oculis nostris accidunt, habere nequeunt certitudinem illi parem, quam nobis proponit Ecclesia: nisi peculiaris adsit revelatio, ratione longe poriori dubitare licebit, utrum actio, quæ nostram cier admirationem, sit divinæ potestatis effectus. Post tot adeo insignes fidei probationes, fide se carere ostendit, qui novas inquirit. *Liber cui titulus; Remarques sur divers sujets de Religion, & de Morale.*

Non licet Christiano de fidei veritatibus ambigere.

Fides animæ eam dignitatem tribuit, quam infidelis ignorat, & qui mundum sequitur, non satis intelligit. Fides animam ita attollit, ut per submissionem illius eidem aperiat altissima mysteria ab infirmitate, naturalique lumine remotissima. Nihil credere nisi quod oculi detegere possunt, nisi quod cogitatio potest comprehendere: nihil hic est, quod omnium mortalium indoctissimi captum excedat. Sed magnas credere veritates, quin illas meditemur, colamus, admiremur, hæc stupiditas est, & ingratitudo numquam satis deploranda. Ploramus infidelis infortunium, qui in incertitudine, tenebrisque mentis suæ repit: Conamur excitare fidelis gratum animum, qui caracteris sui magnitudinem, & dignitatem dedignatur advertere. Fides in anima conjunget veritates maximè admirabiles simulque maximè insociabiles; & hac conjunctione quodammodo mentis elationem ipsarum veritatum magnitudini exæquat. Deus & Homo; Mater, & Virgo. Quæ Mysteria! Quam adorabilia sunt! quam supra captum nostrum posita! Horum duorum Mysteriorum fides in hominis anima, nonne aliquid in se habet sublime, quod nobis injicit stuporem? Si mortalis eos conciperet sensus, quos habere debet de fide, num illam adeo facilè actionibus suis dedecoraret? *Idem.*

Fides nostras elevat mentes, sed illius veritates sunt meditandæ.

Virtus aliqua meritum invenit in difficultatibus illis, quas superat. Homini rationabili nihil est difficilius, quàm cor, mentemque suam sacrificare, quàm rationem, ac lumina sua abdicare, quàm sese ultrò excæcare, atque ut ita dicam semet de hominis gradu dejicere, quàm rationis, sensuumque suorum testimonia recusare, quàm naturæ sensus, atque omnium hominum experientiam repellere, quàm sibi persuadere, ea non videri, quæ videntur, ea non gustari, quæ gustantur, ea non attingi, quæ attrectantur. Attamen nos fides cogit hoc obsequium præstare verbo Dei, atque ut illi pareamus, quoscumque obices perfringere, quos superba, & imperiosa hominum ratio constituit. *P. Crasset Tomo 1. de Fide victrici.*

Fidei meritum ex pluribus, quæ superandæ sunt difficultatibus procedit.

Fides est pretiosa, quippe Dei donum est, quod quibuscumque bonis operibus, quæ antequam illam reciperemus, facere poteramus, mereri non

Fidei præstantia.

porti-

potuimus: hæc prima est omnium supernaturalium virtutum, basis, ac fundamentum Religionis, spiritualis oculus Christiani, qui sine hoc lumine cæcus est, ac profanus sine hac virtute, quæ illum consecrat, atque sanctificat; hæc cœli janua est, Ecclesiæ ostium, prima animæ vita, & Filiorum Dei caracter, *Idem*.

Christiani ut plurimùm duplicem habent fidem theoreticam, & practicam.

Si de Christianis ex eorum moribus judicium ferendum est, videntur, arbitrari se posse duplicem fidei speciem separare, theoreticam alteram, & alteram practicam; alteram, quæ ut ita dicam, in intellectu, alteram, quæ in voluntate residet, quin ne minimum quidem cum intellectu illi conveniat. Primam sibi honori vertunt, alteram sibi negotium facessere nolunt; hoc est, credere volunt, at fide nullam sibi volunt crucem figi; quasi mente quidem Christiani esse possent, corde verò idololatræ; quasi possent fidei suæ amplecti principia, & ea, quæ ex his consequuntur, rejicere. Attamen liquidò constat fideli non solum cogitandum, verùm etiam agendum esse prorsus aliter, quàm infideli; quia veritates, quæ religionem componunt, æquè sanctæ sunt, & revelatæ. Christianus fidem suam retinere nequit, si Ethnici disciplinam adoptat, *Liber, cui titulus; Remarques sur divers sujets de Religion, & de Morale.*

Libertas, quam quisque sibi vendicat ea, quæ ad fidem pertinent, discutiendi.

Fidei magnitudo postulat, ut sine ulla coarctatione obediatis, ut sine ulla exceptione vosmet submittatis, ut demittatis oculos coram augustis tenebris, quas penetrare non potestis. Fides æquè ferme delicata est, ac pudicitia. Unicum verbum, unicus oculorum conjectus, cogitatio unica eam coinquinat, dedecorat, minuit. Unica disputandi, vel cogitandi licentia, unicus fidei articulus audaciùs ad examen vocatus, unicus religionis actus contemptus, efficere potest, ut omninò amittatur. Ac vulgò ad impietatem via patet; attamen quam sibi quisque libertatem vendicat in iis, quæ sanctissima sunt, omnique veneratione dignissima? Hæc sermonum fit argumentum in profanis congressibus, & impii sanctiora mysteria in jocum, ludibriumque traducunt; nefariorum hominum consessus vertuntur in collationes devotionis, vel potius impietatis; ibi de rebus omnibus definire volunt, eaque scrutari, quæ infirma rationis lumina prætergrediuntur. Ibi videntur quæcumque colenda sunt; sanctissima Ecclesiæ instituta cachinnis excipiuntur. Conventus habentur, ubi homines, qui sibi superiorem inesse arbitrantur caracterem, non aliam afferunt doctrinam, quam impudentissimam temeritatem, neque aliam præseferunt scientiam, quam dubia quædam vulgaria, quæ ipsi audiverunt, non quæ excogitarunt; homines qui in dissipata, mundanaque vita ne unam quidem temporis horam impenderunt veritatibus fidei, & qui nihilominus audent sententiam ferre in iis, in quibus integra precum, pietatis, atque meditationis vita aliquid tamquam certum vix audeat afferre. *Ex Sermone, qui Patri Massillon attribuitur; de Religione.*

Frustra fidei mysteria penetrare conamur.

Ratio sine fidei subsidio infirma est: nescimus quod sumus, vel extrinsecus, vel intrinsecus: nescimus quomodo compactum sit nostrum corpus, quomodo singulæ partes simul cohæreant, nescimus quænam sint infinita propemodum machinamenta, ac varia libramenta, propter quæ illud movetur. Quis nostrum præfuit mirabili artuum omnium concentui, justæque proportioni, quæ in corporibus nostris elucet? Nescio, ajebat olim illustris Machabæorum Mater filiis suis, quomodo vos in sinu meo effinxerim; non ego eam, quam recepistis, vitam vobis contuli.... Explicate nobis varias syderum virtutes, varios eorum aspectus, naturam, & proprietatem. Quænam causa est, propter quam tanto ingenio agere videntur bruta ratione carentia? Quænam est metallorum natura; quomodo in terræ visceribus aurum coalescit? Nobis industrem aperite artem, ac materiam, quæ in insectorum formatione invenitur; denique vosmet quocumque convertite, sursum, deorsum, introrsum nihil invenietis nisi ænigmata, cœlum ac terram, elementa, & naturam, quæ omnia densissima caligine involuta sunt, & quæcumque minima sunt, hæc vobis impenetrabiles tenebras offundunt. O Mortales! quænam est temeritas vestra! Ea quæ circa vos sunt ignoratis, ea quæ quotidie ob oculos vestros versantur, nescitis, & cognoscere illa contenditis, quæ supra vos sunt? Natura vobis est obscurum mysterium; & eam cognoscere vultis religionem, cujus potissima laus est, quod nemo eam valeat penetrare? Vosmetipsos non nostis, eas verò cognoscere vultis veritates, quæ supra vos sunt? *Idem.*

Fidei necessitas.

O pretiosa fides! o fax divina populis illuminandis destinata, quàm igitur necessaria es rationi hominum, quæ nimis per se infirma est, ut illis opem ferre valeat! O regula certissima ad mores nostros corrigendos proposita! quæ semper eadem es, & nullis umquam vel locis, vel temporibus immutaris! Quam igitur necessum est, ut sis tamquam frænum rationis nutantis, & deerrantis! O ignis columna adeo simul & lucens, & obscura! Quam opus est, ut Domini populum semper deducas, ne intereat, eumque traducas incolumem per tot pericula, ut olim populum Israel in deserto duxisti. *Idem.*

Qui sese fidei non submittit numquam circa Religionem tranquillus est.

Magni Augustini infelicitas exemplum est, quod permisisse ideo videtur Deus, ut omnipotenti veritatis vi admirationem conciliaret. Donec ratiocinandi intemperantia, inquieta curiositas, sciendi cupiditas, aviditas gloriæ magno huic dominatæ fuerunt ingenio, miserabile fuit errorum, humanarumque passionum ludibrium. Ille, quem elegerat Providentia, ut esset Ecclesiæ quidem oraculum, hæresum verò omnium flagellum diu in insanissima hæresi versatus est. Manichæorum errores, quorum chimeræ omnem rationis compotem avertunt animum, mentem illius fascinarunt; perspicacis hujus ingenii lumina, cum non possent omnino ecclypsim pati sub densis nubibus, quas menti voluptas offundit, in fallaces fulgores conversa fuerunt, qui illum de præcipiti in præceps magis, magisque trahebant; & quemadmodum extra viam ambulabat, cursus celeritas efficiebat, ut semper magis aberraret, *Abbas du Jarry.*

Fidei privilegia & proprietates.

Fides, per quam id cognoscimus, quod est maximè incomprehensibile, ac mysteriis refertum in Religione, ipsa est maximum mysterium: ipsa semet sublimibus, elatisque ingeniis abscondit, ut exilibus, humilibusque aperiat. Hominibus religionem proponit nebulis offusam, ac plenam mysteriis, quæ sunt superbis mentibus excæcandis idonea, donec superbos sub salutaribus tenebris humilians, erudit humiles simplici, sinceroque corde quærentes Deum. Illud verò admirabilius est, quod sua aufert lumina iis, qui habebant illa, ea collatura iis, qui non habebant. Ratio perspicacissima, quæ sua tantum lumina consulit, in adeo sublimi, atque admirabili providentia nihil omnino videt; mentes acutissimæ nihil ibi cognoscunt, & quò magis scrutantur, eò majores tenebras nanciscuntur; cæterum per fidem efformatur in nobis nova illa creatura, quæ opus est gratiæ. Nostra carnalis nativitas est hominis operatio, sed spiritualis regeneratio nostra opus est Dei: hic in nobis producit fidem, ex qua efficitur ille caracter adoptionis, per quem evadimus filii Dei, & Regni ejus hæredes. Per hoc ipsum fidei donum illum exuimus spiritum timoris, atque servitutis, qui in veteri Testamento regnavit, ut spiritum amoris novæ legis recipiamus; per hoc vi prorsus cœlesti induimur, ut religionem nostram ipsius sanguinis, vitæque pretio profiteamur. Hoc Deo hominem subjicit illum docilem, ac verbo ejusdem obtemperantem efficiens. Hoc denique sub divinæ auctoritatis pondere ferocissimam æque, ac superbissimam inter animæ facultates, videlicet intellectum,

ctum, mancipat, ut sub obedientiæ jugo captivet. *P. Rapin libro, qui inscribitur: Primorum sæculorum fides cap. 1. & 2.*

Fortitudo, ac vis, quam fides inspirat.

Fides adhuc majore præstat in fidelium corde: efficit enim ut prælie gravissima sustineant, ut Dei partes tueantur, ut magna ineant consilia, quæ divinæ gloriæ zelus illis inspirat, ut ea, quæ hic zelus suadet, exequantur, abusus evertant, reforment mores, injustitiam persequantur, errorem debellent, religionem confirment, atque iniquitatis, & corruptionis torrenti obnitantur. Nihil aptius fidelibus inspirare potest hos magnæ fortitudinis sensus, hæc sublimis perfectionis documenta, & principia heroicæ hujus virtutis, quæ in hoc gloriam suam sitam putat, si seipsos coram Deo ad nihilum redigant. *Idem.*

Fides non caecè Dei auctoritati submittere debet.

Ne ulla umquam in vobis suboriatur suspicio, propter quam intra vosmet taciti dicatis, quomodo hoc fieri potuit? numquid illud revelavit Deus? Quando, & cur hoc dixit? quomodo credi possunt hæc omnia recto sensui palam opposita? Namque bujusmodi sermones ubi incœperint, nullum inveniunt finem. Cum ratio rationi tantum eequiescere possit, nibil scire potest, quod non scrutetur, nihil scrutari, quod non comprehendat. Sed fidei proprium est omnia humanæ mentis lumine abdicare, & uni tantum Dei voci aures præbere, ut illi obtemperet, statim ec locutus est. Alioquin homo omnibus patet mentis suæ infelicitatibus, quarum non postreme est dubitatio. Per fidem Deus bumanæ rationis superbiam conterit, quæ eo quod se satis scire putat, majoribus est erroribus obnoxie. Ex quo in fide nimis multe aliquis videre conatur, & semet persuadere contendit, ut plurimum nibil videt, quie numquem persuaderi potest. In ea religione, quæ adeo submissa est, ac nostra nibil rem longè abhorret a ratione, quam fides ratione confirmate. Ratio, Sapientia, sæculi doctrina nimis estis imbecilles; sæpe enim pro lumine tenebras, ac pro veritate speciem desumitis. Hi sunt vulgares humanæ mentis errores. Que in re admirabilis est Dei Pruvidentia, quæ voluit hominem regere fidei, non rationis luminibus; videlicet submissione, non speculatione; omnes enim mentes vel sublimes illæ sint, vel humiles sese submittere possunt, ac imæ plebi aditus ad fidem suisset interclusus; si mysteria mente essequi debuisset ad hoc, ut esset Christiana. *Idem cap. 9.*

De fide, & scientia.

Penitus Religionem evertere vellet, qui eam nimis a ratiocinatione pendere vellet. Rerum omnium probationes qui quæreret, hic de rebus omnibus dubitationem ingereret, & quia nimis sapiens esse vellet, fieret infidelis. In id unum adnitendum est, ut scite ratio cum fide, & scientia cum religione consocientur. Ratione utendum est, ut mens ad fidem præparetur, & utendum fide, ut illa constans, firma, inconcusseque fiet. *Liber cui titulus, L'Eloquence de la Chaire.*

Discrimen inter primorum fidelium & hodiernam fidem.

Ad Rom. 1.

Hoc adeo manifestum discrimen inter primos fideles, & eos, qui hodie vivunt non ex fidei netura procedit, quæ semper est eadem, sed quod fides hæc in captivitete detinetur. *Qui veritatem Dei in injustitia detinent.* Hoc discrimen inde procedit, quod vobis bonori vertitis, captivas, vinctasque detinere veritates per incuriam, & inertiam, quæ numquam ad ectionem progreditur; inde, quod mentibus quidem vestris satis est sibi de illis esse persusum, sed corda vestre iisdem ne minimum quidem efficiuntur. Cum res ita se habeat, mirumne est, si hujusmodi veritates levissimam tantummodo, in vobis impressionem efficiant? Verum est, apertissimam quamlibet vivendi licentiam delere non posse bas ideas, neque auferre hæc lumina fidei a credentis animo; at cor ne dispositum est, ut iisdem utatur? Dicitis vos credere, sed sexcentis impediti obstaculis, ne hanc fidem exerceatis; ego vero dico opus esse practicam esse fidem ad hoc ut sit vera, *Sermo, qui Patri Massillon tribuitur, pro feria 3. post quartam Quadragesimæ Dominicam.*

Non satis est fidei veritatem fateri, nisi fides exerceatur.

Ore quidem setis fidei nostræ veritates fatemur, sed in mundo, quot fiunt protestationes, quæ nullo stant nobis impendio? Quot honesti sermones, qui in auras evanescunt, quot inepta, officiosaque verba, quæ ex corde non proficiscuntur? Similiter in Religione, Salvianus ait, licèt eximia, magna, magnifica, nitentia sint elogia, quibus fidem, ejusque sanctitatem, perfectionem, & bona celebratis, si eam non exercetis, cui bono laudes vestræ proficiunt? *Laudatur amor cum fide, non fides sine amore.* Dei emor tune celebratur cum est cum fide conjunctus; sed sterilis non laudatur fides, cum usque ad Dei amorem non pervenit. *Idem.*

Iis fidei veritatibus nosmet submittimus, quæ nobis non adversantur.

Attendite, ac abditam detegetis hypocrisim, quæ efficit, ut eos sensus, quos nobis fides inspirat applicemus, non ad ea, ad quæ essent applicandi, sed ad ea; quæ nullo in discrimine habemus. Apud avarum loquere de ultionis crimine: dic illi, nibil gravius est, nihilque in sectis litteris toties repetitum, quàm hujus peccati damnatio; non diffitebitur ille, immo nerrebit mira de hac re; at dic illi, fidem, ac religionem eamdem, quæ ultionem condemnat, nigrum quote thita præfigere avaritiæ, ac eas omnes damnare injustitiæ vies, quibus evari ditescunt; licet fidem se habere jactitet, numquam assentietur, quie audire nequit damneri, neque ipse damnere vult id, quod unicè diligit. Apud impudicum hominem sermonem institue de morum suevitate, honestate, urbanitate, quem nobis christiana Religio suadet; ipse fidei elogia exagerabit: sed huic ipsi dic eadem fide minimas etiam reprobari affectiunculas, cum noxiæ sunt; ostende illi, quæcumque licet prætexatur ceusa, nibil hac in re adeo esse leve, quod magni momenti habendum non sit, & diligentissimè evitendas esse visitationes, hæc secreta colloquia, periculosos recessus, societates. Eheu! exclamabit ille, quàm incommode est hæe mihi fides! sed cur potius tibi, quam elteri cuipiam? quia eum impugnat affectum, cui es obnoxius. *Idem.*

Fides nostra nos aliquando damnabit.

Luc. 19.

A fide tua, o serve nequam, aliquando damnaberis: *De ore tuo te judice.* Credidisti cœli viam arctam esse, ec difficilem, attamen semper deambulasti per latam voluptatum, terrenarumque deliciarum viam: credidisti, Fidelem, non nisi io crucibus, mortificationibus, pietete selutem suam invenire posse; tu tamen his omnibus posthabitis vitam tuam traduxisti de spectaculo ad spectaculum pervolens, de negotiis ad negotia animum transferens, in commessationibus, aleis, omnique solatiorum genere inquirens quomodo tuæ libidini, affectibusque tuis satisfaceres. O præclarum fœdus, o insignem conformitetem actionum tuarum cum fide rua; tuæ vivendi rationis cum Evangelio! & putasti selutem tuam sub perfunctoriæ devotionis integumemo, & conficta quadam pietatis specie certam futuram! Quid autem ex mortua fide hac potest expectari, nisi Deum dicentem eudire: *De ore tuo te judice.* Hæc credidisti, ita vixisti, quænem fidei cum tua vita conformitas? *Idem.*

Fides omnium supernaturalium rerum est fundamentum.

Amittere possumus quidquid in nobis est supernaturale, ac fidem nostram tueri. Verum si fidem amisimus, necessario effectu cætera etiam amittimus: spes cujus illa fundamentum est, gratia, charitas, & cætera Spiritus Sancti dona evanescunt. Quamobrem quidquid boni pro Cœlo facimus, vulgò fidei tribuitur, non quod ea sole sit bonorum operum anima, & perfectio, sed quia sine illa nihil gloria dignum efficere possumus. *Auctor Anonymus.*

Bona, quæ fides nobis confert.

Fides mentes nostras attollit usque ad rerum divinarum cognitionem; & momento aperit nobis, quidquid Sapientes ignorarunt, & Philosophi intelligere nequiverunt. Mens humana ex se est infirmissima, sed cum fide particeps fit virtutis, potentiæ, Spiritus Dei: *Magnum est habe-*

re firmitatem Dei cum infirmitate hominis, Sanctus Gregorius inquit. Ad hæc fides cordibus nostris summam conciliat tranquillitatem, quæ prælibatio quædam est æternæ pacis, quæ in Cœlo tantùm invenitur: idem quodammodo facit, quod intuitus Dei; cor efficit intrepidum, firmum, & constans, semper tranquillum, & quidquid in vita acciderit, semper contentum. Qui bene credit, nihil timet, & qui in hoc mundo nihil timet, hic beatus est. Denique per fidem bonorum æternitatem meremur; minima quælibet actio, quæ in se pro nihilo haberetur, per fidem ad eum ordinem, & gradum attollitur, qui eam dignam efficit præmiis omnibus, quæ in cœlis sunt locupletissima. *Essais de Sermons pro feria 4. post Passionis Dominicam.*

Sine fide bona opera nihil ad salutem valent.

Quemcumque nitorem, quodcumque meritum habeant actiones nostræ nihil ad salutem valent; Idem de illis, ac de monetis dicendum, Sanctus Joannes Chrysostomus inquit, quæ nisi certam præseferant notam, nullius sunt pretii; argentuìo sunt, aurum sunt, non inficior, sunt etiam aliquid pretiosum, sed nisi Principis nitear imago, in vulgi commercium non recipientur. Similitudo hæc est accommodata. Nisi actiones nostræ fidei caractere notatæ fuerint, nullius sunt pretii. Pœnitentia, charitas, patientia, modestia, omnia laudem merentur; at si fides absit, hæ virtutes tales esse desinunt quatenus ad æternam pertinet salutem: Martyrium ipsum cujuscumque sit apud Deum meriti, nihil prodest, nisi per fidem subeatur. *Ibidem; & ex Sermone Patris Bourdalove de Fide.*

Fides efficit ut cæteræ virtutes agant.

Fides ratione justorum idem est ac primum mobile ratione causarum naturalium. Si primum hoc mobile quiescit, omnia cessant, sin autem agit, omnia sunt in motu perenni. Hoc ipsum de fide dicendum est; hæc quoddam est veluti primum mobile in justis; hæc efficit, ut virtutes omnes operentur, hæc illis motum impertit; hæc, ut ita dicam, norma est, ac mensura virtutum. Si multum mihi fidei est, multum habeo patientiæ, multum humilitatis, multum charitatis; si fidei modicum, modicum quoque facio pro Deo. Sanctus Paulus aliquid amplius dicit: & virtutes alias non aliud quam fidei docet esse instrumenta: *Fides, quæ per Charitatem operatur*; quasi charitas esset opus fidei. *Idem.*

Ad Gal. 5.

Fides modò captiva est.

Primis illis temporibus, quæ nescio utrum felicia, an infelicia vocare debeam; sæculis illis, quibus Tyranni contra Ecclesiam sævè adeo furebant, cum Fideles ferreis vinculis vincti squalebant, fides erat libera; hodie verò monstrosa inversione fides est captiva, & Christiani sunt liberi, ac libertate sua non nisi ad peccandum contra fidem suam abutuntur. Quis pudor? quod probrum Religioni JESU CHRISTI! Tertullianus ait futurum ut dæmon Christianos per Idololatrarum fidem confundat; fecit, ut Ethnici ridicula, ineptaque crederent, ut confundere posset Fideles, qui adeo æqua mysteria credere nolunt: *Agnoscamus ingenium diaboli, ut homines de Fide confundat.* At nos idololatrarum non egemus fide, ut confundamur, satis enim superque nostra nos fides confundit. *Idem.*

Fides rationis locum tenere debet in lege Christiana.

Fides non aliud est quàm divina ratio humanæ rationi substituta. Opus est, ut hæc perfectè primæ illi submissa sit. Humana ratio, Sapiens Parisiensis Antistes ait, per peccatum fuerat infirmata, nihilque amplius comprehendere poterat; ad hanc verò pœne extinctam rationem reparandam Deus homini fidem tradidit; opus ergo est, ut impostrrum fides apud illum rationis locum teneat, & ille lumina sua non sequatur. Fidelium hujusce nostri calamitosi sæculi fides non minus ignava, ac timida est, quàm curiosa; statim ac vel levis labor ferendus est, vel minimum adeundum discrimen, nos fideles esse ne reminiscimur quidem. Jubet fides paratos nos esse martyrio subeundo, si sese nobis afferat occasio, & si de religionis nostræ veritate tuenda agatur. Fides, Tertullianus ait, peculiarem habet nexum cum martyrio: *Debitricem martyrii fidem; Christiani nomen non meretur, qui mortem timet. Essais de Sermons pro feria quinta post Cineres.*

Prohibet fides ne inconstantes simus, & incerti.

Fides nos liberat ab incertitudine, ac jugi agitatione, quæ Christiani fidem inquietam efficit, & fluctuantem, cum nimis curiosè ad examen revocare vult fidei principia. Hic autem satis admirari nequeo providentiam Domini, quem Sanctus Paulus auctorem, & fidei nostræ consummatorem appellat, quod mox collocaverit in hoc centro unitatis, quæ in Romana tantum Ecclesia invenitur, quam nobis in matrem dedit, & tamquam normam proposuit. Hæc si desit, quænam confusio, quænam doctrinarum varietas! Scio equidem Scripturam sanctam esse oraculum ab omnibus consulendum; at hoc oraculum non loquitur; neque eas explicat difficultates, quæ possunt oboriri. Video apertissima Scripturæ verba, de quibus disputatur; hinc inde rationes video, quæ sensum, qui utrimque appingitur, probare videntur; sententiæ magis oppositæ iisdem utuntur armis, ut sese ultro citroque evertant. Quis unquam inter tot tenebras veram doctrinam dignoscere poterit? Nisi, o Deus, constituisses Judicem, qui lucem iis afferret, quæ in Scripturis obscura sunt, quid in sacro hoc deposito reliquisses præterquam schismatis, scandali, ac licentiæ in credendo occasionem? *P. Cheminais Sermone de Fide.*

Quomodo fides nos deprimat, & humiliet.

Nemo nescit quid discriminis intercedat inter videre, & credere: visus quidem nullam habet difficultatem; sed fides mixtam habet cum obscuritate confusionem; varia sunt eorum objecta; quod creditur, non videtur, & rectè loquendo, quod videtur, non creditur. Videre est per seipsum cognoscere; credere est cognoscere alienis oculis. Unde sequitur, arduum non esse, assequi mentem Apostoli dicentis, Dei voluntatem esse ut per fidem, non autem per visum ambulemus, quod innuit nobis abdicanda esse mentis nostræ lumina, ut sequamur lumina revelationis, & ut ex Dei testimonio veritates salutis amplectamur .... Sed hæc Dei agendi ratio mentium nostrarum libertatem constringit, superbam hominis rationem deprimit, eique aufert privilegium videndi iis in rebus, quæ maximi habentur momenti. Mundum, quem videmus, abdicamus, videre vellemus objecta, quæ in altera lance Religio constituit: attamen hoc renuit Deus; satis esse debet ea credere objecta, propter quæ iis abrenunciare debemus, quæ videmus; & quamcumque conformitatem habeant cum sensus communis principiis, non ratio, sed fides præcipuè debet efficere, ut ea recipiamus. *Ex quodam Tractatu de Religione.*

Fides nos excæcans illuminat.

Excæcamur oculorum mentis aciem nimis audacter in mysteria conjicientes; sed cum oculos demittimus, tunc Dei lumine afflamur. Sapientes sumus cum ea tantùm scire volumus, quæ Deus nobis revelat, & nihil scimus, cum omnia scire volumus. Cæteris quibuscumque in rebus cognitionis gradus peritiorem efficit; hic verò gradus est submissionis, & magis, per cordis humilitatem, quàm mentis perspicaciam in salutis scientia erudimur .... Deus sanctam obscuritatem mysteriis Religionis offudit, & permisit etiam, ut mortales illi suas adderent tenebras. Sed illud æque admirabile est, atque solatium nobis afferre debet, quod non docti, sed qui suam doctrinam abjiciunt, hi in religione meliùs præ reliquis vident. *Confiteor tibi Pater: quia abscondisti hæc a sapientibus, & revelasti ea parvulis.*

Matth. 11.

Mysteriorum nostrorum obscuritas ratio non est, quæ prohibere debeat, ne credamus.

Infinita propemodum sunt, quorum novimus existentiam, & ne unum quidem quantulumcumque sit, inveniri potest, cujus rationem intelligamus, quin tamen homini alicui, dummodo sensus communis sit particeps, in mentem venerit illa in dubium revocare. Cur ergo cum adeo ra-

riona-

tionabiles in natura simus, parum adeo æqui simus in religione? Nisi quod mens nostra in natura, naturaliter agit, in religione verò suis decipitur affectibus, non aliud quam dubitandi materiam inquirentibus. Prædestinatio, gratia, doctrina de originali peccato sunt abyssi, qui statim eorum mentem deterrent, qui ea cum naturali lumine conciliare conantur. Doctores omnes contra humanam curiositatem invehuntur, ac monent, nobis non adeundum esse periculum horum mysteriorum altitudinis investigandæ, quæ nos eo magis confundit, quo propiùs atque attentiùs illam perspicere audemus. Verùm mihi asserere liceat has res minus difficiles visum iri, si major nobis inesset simplicitas, & si cogitaremus longè plurima fecisse Deum, quæ humana mens assequi nequaquam potest. *Idem*.

Fides non accersabit & erit aliquando nostræ damnationis argumentum.

Quæritur, utrum adhuc fides erit in mundo, cùm Dei Filius judicaturus accedet. Utique tantum aderit fidei, quantum necesse erit, ut damnémur, efficiet enim, ut nobiscum fides nostra resurgat, eique hoc erit cura, hanc eodem tempore excitare, quo nostra corpora e tumulo evocata reviviscent. Hæc autem fides ita resuscitata, atque per Filii Dei præsentiam animata jus sibi fieri petet; at contra quem! Non sanè contra Tyrannos, qui eam fuerint persecuti, sed contra malos fideles, qui eam prophanaverint; rationem deposcet, quod se otiosam, inertemque reliquerint; & coram mortalibus contumelia coinquinaverint. Quam autem rationem afferre poterit Christianus? Dicetne, fidem hanc sibi certam visam non fuisse? Eheu! mirum profectò erit, quòd ea fides, quæ satis fuit, ut totum terrarum orbem converteret, ea fides, cui celeberrima sæculi ingenia sese submiserunt, ea fides adversus quam Augustinus licet tanto ingenii polleret acumine seipsum tueri non potuit; mirum, inquam, erit, quod hæc omnia illi satisfacere non potuerint. Dicet illi Deus, antequam audacter id consilium caperet, ut pro infideli vellet haberi per adfectatam infidelitatem, maturatò omnia fuisse ponderanda, cum docilitate, ac sola inquirendæ veritatis cupiditate agendum. Ratio impio huic dicet, in divinis ad superiorem rationem fuisse confugiendum; quantumvis magno præditus esset ingenio, plurimis tamen in rebus de mentis suæ infirmitate, ac imbecillitate ipsi persuasum fuisse, ideoque non decuisse, ut temere hanc sibi vendicaret audacissimam libertatem judicandi de fide, ac sibi ex libidine novum religionis genus concinnandi; si illi causa fuisset, quamtumvis parum, ambigua, futurum fuisse ut dementiæ nomine redargueretur, quod in re dubia proprium secutus fuisset judicium, quin doctiores consuleret; ipsum tamen in re maximi momenti, eaque impeditissima omnes has curas posthabuisse. *P. Bourdalove. Sermone de fide*.

Quid sit credere, & actum fidei elicere.

Statim ac nos promittimus credere veritates, quas annuntiat Ecclesia, mentis acumen, curiositas, ratiocinatio, subtilitas omnia ad fidem pertinent, & eidem sunt sacrificanda. Eam recipere, S. Chrysostomus inquit, est per illam simpliciter agere illam vitæ nostræ arbitram, nostrarumque cogitationum normam efficere; illi in omnibus nosmet submittere; sensus nostros mendacii redarguere, propria cohibere lumina, suam fateri ignorantiam, divinæ auctoritati honorem deferre prompta, cæca, ac universali obedientia .... Per fidem Divinitatis mysteria cognosco; supra naturam elatus in Cœlo requiro quidquid ibi magis absconditum est, atque ineffabile; per illam in abyssos descendo ibi spiritualibus oculis æquè certe, ac si corporeis viderem, sævitiam, atque æternitatem malorum, quæ in Inferno damnati patiuntur, lustraturus. Præclarum quidem sui ipsius faceret sacrificium, qui ea rejiceret, & approbaret, quæ maximè vellet; ac semper curiosus, vanus, superbus a fide ad sensus, & conjecturas suas provocaret! Quanam in re vim sibi faceret? quomodo rebus in omnibus fidei obtemperaret? *Ex sermonibus Moralibus. Sermone de fide*.

De Fide, & bonis operibus.

Sine fide nulla sunt opera bona, sine bonis operibus nulla fides; sine bonis operibus, & fide nulla salus. Ob fidei defectum tot præclara gesta, quæ de Ethnicæ Religionis sapientibus leguntur inutilia fuerunt; per bonorum operum defectum tot Fidelium fides vel extincta est, vel irrita; per bonorum operum, fideique defectum Deo placere non possumus. Bona opera sunt tamquam pignora, testes, vadimonia, ac fidejussiones fidei nostræ Salvianus ait; Bona opera, quorum testimonium novissimis hisce temporibus primorum sæculorum testimonio, miraculis, martyrio, & innocentiæ substituit: *Actus boni Christianæ fidei testes sunt*. Bona opera sunt veræ fidei testimonia, quidam ait. Si Christianus nulla facit, fidem suam probare non potest, cumque eam probare nequeat, nisi nomine tenus, Christianus non est. *Ibidem*.

Plerorumque fidelium fides cum eorum moribus conciliari non potest.

Cum Ethnici nos interrogant de mysteriorum nostrorum incomprehensibilitate, difficile non est illis Religionis nostræ veritatem ostendere: sed quid esset respondendum, si propiùs nostram vivendi rationem intuiti quærerent, quomodo fieri possit, ut Christiani vivant eo modo, quo vivunt, & credant, quod credere tenentur? Si dicerent, quomodonam fieri possit, ut cum Christiana lex adeo sit pura, & sancta; tanta sit corruptio in moribus eorum, qui legem hanc sequi profitentur? Quomodo fieri possit, exempli gratia, ut credatur JESUS CHRISTUS realiter in altari præsens, & qui hoc credunt coram eodem altari, tot scelera admittant? Ut credatur supremus hominum judex, æternæ sortis nostræ arbiter, Deus noster, & Dominus, & Templa, ubi residet, ut plurimum, cultoribus careant; & cultores ejus plerumque sine ulla reverentia, ac fere semper oscitanter coram eodem adstare? Ut inter Dei viventis ministros inveniatur aliquis, cujus vita religioni, ac Templo dedecus afferat, & Doctores legis, qui disertissima apud alios de inevitabili ejusdem servandæ necessitate verba faciunt, eam ipsi infringant, & hi animarum duces a via salutis aberrent, donec alios tutò, ac feliciter ad eamdem adducunt? His omnibus dubitationibus non temere propositis, adeo urgentibus interrogationibus, atque probris adeo bene concludentibus, quid esset reponendum. *P. Croiset in Considerationibus Spiritualibus*.

Ejusdem argumenti continuatio.

Cuinam cordato viro, qui Christianorum mores satis non calleat, persuaderi poterit unquam, hos homines, qui cuncta suæ cupiditati sacrificant, quibus tempus non est, quo salutem suam operari valeant, qui ad salutis suæ negotium numquam animum transferunt, nisi ut illud in certum tempus rejiciant, & in illud tempus, quo minimis quibuslibet negotiis minus idonei sunt, cuinam, inquam, cordato viro persuaderi poterit id genus homines credere, salutis suæ negotium alicujus esse momenti, & ex bono, vel malo hujus negotii eventu eorum æternam felicitatem, vel infelicitatem pendere? Se ipsos nimium amant itaut damnari minimè velint; ac satis ne christianè vivunt, ut non damnentur? Videntes autem quid credunt, & quomodo vivunt, sperare ne possumus illos salutem consecuturos? *Idem*.

Deus fidei nostræ rationem deposcet.

Quid respondebimus supremo Judici rationem deposcenti, & eorum quæ fecimus, & eorum, quæ credidimus? Morum disciplina non minus est fidei nostræ objectum, quam dogma; facile esset credere, quidquid credendum proponeretur, nisi fidei, morumque conformitas expectaretur. In Religione nostra credendum est, sed vivendum est, uti creditur. Nolle credere, quod proponit Evangelium, insania est, sed non vivere secundum legem, quæ creditur, excessus insaniæ. *Idem*.

Morales Religionis veritates, æque ac theoreticæ sunt credendæ.

Undenam est, quod credimus, saltem uti videtur, facile mysteria, quæ supra captum nostrum sunt posita, & quæ rationi nostræ videntur contraria, qualia sunt Mysteria Trinitatis, Incarna-

tionis, &c. Ea sane causa est, quod hæc omnia affectibus nostris non adversantur. At eadem ne facilitate creduntur aliæ Evangelii veritates de suiipsius abnegatione, de mundi contemptu, de crucis, & humilitatis amore, & necessitate, de paupertatis merito, deque sincera venia injuriatum? Attamen utraque certissimo Dei verbo æque innituntur. Non minus verum est, nobis cœlorum aditum interclusum iri, nisi nobismetipsis vim fecerimus, nisi mortificatam vitam duxerimus, nisi nosmetipsos abnegaverimus, nisi inimicos dilexerimus, nisi mundi instituta oderimus; quam verum sit, interclusum iri, nisi sacro baptismatis fonte abluti fuerimus. *Idem*.

Fidei defectus, ut plurimum ex morum corruptione procedit.

Mirum sane est, quod homines sublimi ingenio præditi pertinaciter, mordicusque ita crassioribus erroribus hæreant in iis, quæ ad Religionem pertinent, ut illos veluti dogmata audeant tueri. Evolvantur cordis mysteria, auferantur illusiones, atque statim mentis conversio conversionem cordis sequetur. In aere quidem coalescunt nubes, sed omnes illuc de terris ascendunt. Hæresis sedem habet in mente, sed illius origo, & progressus cordis nequitiæ semper accepta referenda est. Dubitari incipit, statim ac parum christiana vita incipit duci; fides semper morum fortunam sequitur; neque puritatem suam integram tuetur, ubi illi corrumpuntur. Non videtur amplius, quod nobis incommodum adfert, verum esse, cum facilem commodamque viam tantummodo sequimur. Cor affectuum mancipium brevi mentem corrumpit. A dubitatione ad errorem fit gradus, cum ambitio, impudicitia, atque alio dominari incœperunt. Mens non adnititur amplius, ut suas illusiones impugnet, sed ut illas tueatur, atque sectetur. *Idem, Tomo secundo Considerationum*.

Ejusdem argumenti continuatio.

Inter miserrimas has cordis affectiones maximè terribiles Religionis veritates tamquam nativitatis præjudicia spectantur. Mens cordis malignitate corrupta sibi de fide judicium vindicat, neque alia, quam sensuum, petit suffragia. Sed si mens tantum cordis sui studiis tribuit, cor quoque non minus tribuit naturalibus mentis luminibus, quamquam caliginosa illa sint, atque parum nitentia. Quidquid illa non intelligit, abjicitur, omnia ideis illius submittuntur. Mens, & cor sibi mutuò suffragantur; & mirum posthæc erit, si novi semper suboriantur errores, ac tot adeo monstrosæ religionum sectæ in singulos propemodum dies existant? Ipsa errorum repetatur origo, quæ non ita gravi negotio invenietur; ac non alia fuisse hæresum principia innotescet. Addi etiam potest ex affectuum varietate tantam dogmatum varietatem fuisse profectam. Schismatum auctores spiritus, & cordis sui caracterem sectæ, quam gignebant, inustum reliquerunt. Rebellio adversus Ecclesiam, furor contra fidei veritates, superbiæ ipsorum effectus fuere; nova religionis systemata, systema quoque cupiditatis eorum; & licentia, basis, & fundamentum morum eorumdem. *Idem*.

Sine cordis corruptione error mentis facile deleretur.

Si in mente dumtaxat error esset, non ita operosum esset plurimis ipsorum errores ostendere; & conversiones non essent amplius fructus adeo rari; sed cor semper ante omnia rebellat, ac post omnia cedit. Illud incontinentia, & impudicitia prævertetunt? Mens in id unum incumbit, quomodo rationes excogitet, quibus cœlibatus improbetur: fallaces argumentationes mentis totidem sunt cordis sophismata. Morum moderatio amorem proprium torquet. Mens, ut hoc jugum excutiat, statim reprobat Sacramenta. Jejunium, & abstinentia homini carnali incommodum afferunt; mens facta cordis interpres severas pœnitentiæ leges abrogat, atque repellit. Cor, ut ita dicam, semper primum in hæresim incidit; ac mentis errores ideo fere subsistunt, ut cordis illusiones tueantur. Affectus vehementiùs clamant, quam ratio; cum cordis, & mentis licentia sibi conveniunt, semper fides pro victima jacet. Frustra conatur aliquis sibimet proprii cordis illusiones dissimulare, inanibus subtilitatibus mentem fatigans. Nullus est hæreticus, qui in corde suo non inveniat idolum, ac solum novæ suæ Religionis oraculum; Conterat ille hoc idolum, ac fallax oraculum obmutescet: auferat ex corde illusiones, & quamprimum in Ecclesiæ sinum redibit; una cum præstigiis illius omnes dubitationes, difficultates, fastidia evanescent.

Divinæ intererat Sapientiæ Religionem instituere, ubi mens humana fidei submitteretur.

Suprema sapientia in duobus consistit, in hoc ut sibi optimum, præstantissimum, perfectissimumque finem proponat, & ut tutiores, vetioresque vias eligat, quibus ad finem hunc possit pervenire. Hoc posito optimus, ideoque unicus finis, quem sibi proponere potuit Deus homini Religionem tribuens, hic fuit, ut & ipse, uti par est coleretur, & homo ipse sanctificaretur. Ad duplicem hunc finem assequendum, seu quatenus ad Deum, seu quatenus ad hominem pertinet, nulla tutior esse poterat via ea quam contulit nobis, quæ videlicet perfectam mentis submissionem fidei veritatibus experit. Si enim e contra Deus eam nobis tribuisset religionem, in qua ratiocinari liceret; 1. hæc Religio neque una fuisset, neque vera in doctrina sua; ideoque Deus minime adoratus fuisse, uti decet, & vult; 2. hæc religio in fide sua non fuisset meritoria, & homo nequaquam sanctificatus fuisset; ideoque non potuisset Deus assequi fines suos; & necessariò Deus sapienter egisse dicendus est homini talem, qualem ei tradidit, tribuens religionem. *Sermo Manuscriptus*.

Sine mentis submissione veritatibus Religionis, fides non potuisset esse una, quæ illius qualitas est essentialis.

Sine humanæ mentis submissione fidei veritatibus, doctrinæ unitas adeo necessaria, & quam meritò in Christiana Religione admiramur, minime reperiretur. Quis enim vulgatissimos ambitionis effectus ignorat? Licet experientia docti sciamus propriis nequaquam fidendum esse luminibus, tamen juxta eadem nosmet regere volumus. Aliquamne præ aliis habemus, vel habere censemus auctoritatem ingenii præstantiam? Quis autem hac in re se aliis præstare non putet? Hoc satis est; ab aliis secerni volumus, novam nobis aperire viam conamur, atque iter a communi prorsus diversum ingredi cupimus. Doctus cum indocto confundi minimè vult; uti neque sapiens cum simplici, nobilis cum ignobili. Quilibet abundat in sensu suo; sibi persuadet, se præ cæteris majori mentis acie pollere; ratiocinatur, ponderat, cogitat, animadvertit, invenit; sententiarum suarum cultor, illas sibi probare vult, aliis etiam probare ac persuadere contendit: easque ardenter, atque insectanter propugnat. Hoc ipsum quotidie in scientiis videmus usuvenire, quæ quidem nostris luminibus subjectæ sunt. Hinc tam multiplex eadem de re doctrina, tot oppositæ sententiæ, tot diversa systemata, quæ sophorum scholas in totidem sectas partiuntur. Quod autem in scientiis accidit, in religione quoque contingeret, si hæc quoque, ut illæ humanis subjectæ forent luminibus. Ibi etiam hanc dogmatum varietatem, hanc sententiarum oppositionem videremus; & quomodo neminem nobis superiorem agnoscere vellemus, qui has omnes sententias conciliaret, has quidem approbans, alias verò proscribens; quilibet mordicus hæreret suæ, eam pro viribus latiùs protenderet, quàm maximam suffragatorum manum colligeret, ac sibi honori verteret, quod nullis unquam conatibus de gradu potuerit deturbari. Hoc posito aliqua ne doctrinæ unitas inveniri posset, cui quidem maximè essentialis est Religionis caracter? Quinimmo quænam potius esset confusio! quæ perturbatio, qui tumultus! Hæc essetne religio, an accademia? Essetne cætus fidelium, an pertinacium congeries? Homo tuam ne, o Deus, gloriam quæreret, an potius suam? *Idem*.

Si in humanis sæpe mens humana fallitur; quo magis sine fide in divinis deciperetur?

Si in humanarum, naturaliumque rerum perquisitione adeo, & facile, & crebrò decipimur, quomodo in divinarum, & supernaturalium perquisitione sine fide non deciperemur? Si hæc ignoramus, quomodo alia cognoscere posse putamus?

Vos

Vos testes appello doctos homines tum antiquorum, tum nostrorum temporum, vos qui sæculi vestri ornatus, ac lumen fuistis; vos, qui tamquam oracula habebamini; vos qui cum humanæ mentis gloriam constitueretis, intus & in cute illius imbecillitatem, terminosque novistis. Ex vobis quæro, quonam pervenerint omnes perquisitiones vestræ? quinam fuit harum vigiliarum, laborumque fructus, quos penitioribus naturæ latebris explorandis impendistis? Opiniones, arbitriumque vestrum secuti estis, at veritatem invenire non potuistis; plura excogitastis, at nihil certum reliquistis. Natura vobis erat profunda abyssus, quam penetrare non licuit. Mens vestra ubique densissimam caliginem altissimasque tenebras inveniebat: inter hanc noctem nihil detegere potuit, vel si quid detexit, præclara hæc inventa majorem adhuc caliginem offuderunt. Vos ipsi sæpe in cordis vestri effusione confessi estis, ac sine tali confessione hoc satis palam ostendunt chimerica illa adinventa, quibus quodammodo celare voluistis inscitiæ vestræ verecundiam. Quid autem, o auditores, adeo angusta lumina possunt, ubi de religione agatur? Hi Sapientes seipsos explorare non poterant, ut se cognoscerent; quomodo verò infirmam oculorum aciem usque ad thronum Divinitatis potuissent intendere illius perfectiones scrutaturi? Natura densissimis erat involuta tenebris, ne ab iis cognosceretur, quid ergo mysteria nostra fuissent? *Idem*.

Intellectus noster nimium infirmus est ad Divinitatis arcana scrutanda; & Deus nimium nostras cogitationes excedit.

De Majestate Dei, Sanctus Gregorius inquit, idem est ac de Sole; quem si attentius spectare volumus, non solum nihil videmus, verum etiam oculorum aciem obtundimus. Similiter si nimis Dei majestatem scrutari velimus, si illam attentiùs consideremus, non solum nihil in illa detegere possumus, verum etiam nos in aliis quoque rebus excæcat. Cum intra mentis nostræ angustias nequeat contineri, omnia illius machinamenta perrumpit, & inanem nostram sapientiam in veram commutat insaniam. Nonne vos præclarum hujus rei præbetis exemplum, ex præclara antiquitatis ingenia? Nonne hic fructus est, quem ex temeritate vestra percepistis! Quos Deos non coluistis? Sol, ac sydera nonne numina vestra fuerunt? Ullane adeo abjecta creatura est, cui thus non adolevistis; & coram qua genua flectere non erubuistis? O Dei mei fidem! pretiosam fidem, lumen divinum semper lucens, quin consummatur unquam; quàm igitur necesse est, ut nostras mentes illustres, ne in turpissimos errores ruamus! Certissimam regulam, quæ semper es eadem, & quæ cuicumque personarum generi convenire potes; quam necesse igitur est, omnes te gressus nostros dirigere, ut ad veritatis cognitionem perveniamus! Sacra columna, quæ cum tenebris tantam lucem conjungis; quàm igitur necesse est, ut per Ægypti deserta Domini populum deducas, & illum ab impii Pharaonis exercitu protegas! Quam metuendum est, ne qui temeraria curiositate sanctissima nostra mysteria scrutari audet, pondere gloriæ Domini obruatur. *Idem*.

Fides in plerisque fidelibus languet, & cur.

Omnino mirum est plerisque fidelium adeo languidam esse fidem; at mirum non est, si eorumdem vivendi ratio advertatur. Homines, qui a cæteris hominibus per fidem secernuntur, parum curant illius veritates, ac mysteria cognoscere; hoc satis mirum est. Fides est sublimis, obscura, certissima, necessaria, fundamentum virtutum omnium, via, & quemadmodum pignus æternæ felicitatis, & negligitur. Quid existimandum est de hac negligentia adeo temeraria, & ingrata? Offert illa objecta adorabilia, terribilia, incomprehensibilia, quod obsequentissimam curiositatem excitare deberet. Illa nobis proponit actionum nostrarum finem, rationes, & regulas; & quoniam inevitabilis adest necessitas nosmet sanctificandi, quonam ardore meditanda nobis essent principia, & morum disciplina, quam continet? Gravissima subimus pericula, nisi illud sequimur lumen, quo nos illuminat, ac certi sumus, nos deerraturos, & perituros, statim ac ab ea recesserimus. Illam sumus amplexi, eam profitemur, hanc nobis gloriæ vertimus; nobis quæ sufficit vaga, & confusa idea ejusdem essentiæ, quin ejus articulos singillatim scrutari velimus; quasi aliquid studio nostro indignum contineant. Hæc quorumdam fidelium incuria in fidei veritatibus persequendis, nobis incredibilis videretur, nisi esset familiaris. *Liber cui titulus. Remarques sur divers sujets de Religion, & de Morale*.

Intellectus noster nimis infirmus est, & fidei veritates sine profunda meditatione comprehendere nequit.

De oculis animæ idem præterpropter est ac de oculis corporis; vix objecta a nobis semota perspicere possumus, cum ea magis, minusve pro eorum longinquitate distinguimus. Oculorum nostrorum imbecillitas nimis magnum penetrare spatium non potest; Aer, qui interjacet, fallaces colores offundit iis rebus, in quas eminus oculorum aciem conjicimus; & oculus facili negotio distrahitur, ubi magnum aliquod intervallum debet lustrare. Supernaturalia immenso a nobis distant intervallo, nisi seria animi attentione ea quodammodo oculis nostris admoveremus, sperare ne liceret futurum esse, ut illa unquam cognosceremus? Sin autem infinitis distrahimur objectis, quæ illa semper efficiunt obscuriora, ac minus perceptibilia, quomodo fieri posset, ut aliquam eorum nobis fingeremus imaginem? Christiani terræ huic nimium hærentes quot obices sibimet ipsis statuunt, ne veritatis cognitionem assequantur? *Idem*.

Non satis est credere nisi exequantur veritates, quæ creduntur.

Si res in eo tantùm versaretur, ut credenda essent mysteria sublimia, admirabilia, ac rationi invia, Idolorum cultor haud ægrè in Christianorum castra transiret. Mens quadam voluptatis afficitur specie ea eminus prospiciens, quæ comprehendere nequit, easque recipiens veritates, quæ in se aliquid magnum habent, mirabile, & incredibile. Sed qui Christianam Religionem profitetur, hic amplecti debet mysteria, quæ necessarium habent nexum cum cordis sensibus, & affectibus: Fidelis morum disciplina, & fides separari non possunt. Fides, quæ nihil aliud, quàm simplicem submissionem exequeretur, fidelem non decet: nisi fidelis est, ut sanctus sit; ideis quidem, eo caractere suo fidelis erit; at dicere non poterit, se nomen replere suum, & id esse, quod esse debet. *Idem*.

De vana curiositate in fidei materia.

Deus duplicem nobis gratiam confert, cum fidem impertit, ac simul prohibet ne illius mysteria altiùs investigemus. Adeo temeraria curiositas nos in periculum adduceret fidei jacturam faciendi; & inæstimabile hoc nobis donum elargiens in eo statu nos constituit, ubi humili docilitate eam tueri possimus. Deo injuriam afferret hæc noxia præsumptio, qua auderemus inexhaustas essentiæ suæ magnitudines, & impenetrabilia sapientiæ suæ secreta scrutari. Numquid creaturas infirmas, cæcas, contemptibiles deces eousque suos obtutus attollere? nonne esset vim infinitæ ejusdem majestati inferre, velle eam nostra cogitatione complecti? Jure in nos irritatus quodnam posset nobis supplicium infligere temeritati nostræ magis conforme, quàm hujus jacturam fidei, quæ criminis nostri fuisset occasio? Nos ipsi divinum hoc lumen sensim extingueremus, si hanc nobis facultatem vindicaremus objecta adorabilia, quæ nobis proponit ex mentis nostri parvitate metiendi. Quò longiùs in immensum hoc perfectionum Oceanum progrederemur, eò magis incredibiles inveniremus veritates, quæ in eo continentur. Quotidie nova detegeremus, atque ab intellectus nostri captu semper remotiora; verisimile sensim ex oculis nostris evanesceret, ac verum tandem omnino ab illis auferretur. Vanitas nostra ob adinventa sua plauderet sibi, ac simul ob insuperabilem ea comprehendendi difficultatem irritaretur; nihil autem fidei magis oppositum est, quàm superbia. Superbia suis fidit cogitationibus; fides præcipit, ut nemini credamus, nisi auctori suo, & Ecclesiæ, quæ inter-

pres est revelationum auctoris sui, itant magis magisque mysterium scrutantibus illud ex oculis elaberetur. *Idem*.

Quam difficile sit credere mysteria, & veritates fidei nostræ.

Magno nobis stat credere, & fides donum est inæstimabile; mentem submittere contra quæcumque humanæ rationis præjudicia: ea venerari mysteria quæ non videntur, & quæ nequeunt comprehendi: Sola Dei gratia nos dociles præbere potest veritatibus, quæ a sensibus nostris absunt longissimè, atque nostras cogitationes excedunt. Quam mercedem sperare possemus, quia credidimus, nisi quæ credimus abdita essent oculis nostris, & menti? Æquum est, ut submissionis nostræ pretium mereamur; quomodo autem mereri possumus, nisi sub jugum fidei intellectum nostrum captivemus? Sed istic Dei bonitatem admiremur; ille nobis altissima proponit arcana ad nostram docilitatem experiendam, & ad eam animandam promittit futurum ut ea palam nobis aliquando operiat; itaut quod nobis in hac fide crucem figere potest, hoc ipsum nostra esse debeat spes, atque solatium. Credimus, quod non videmus; videbimus, quod credidimus. Si fides est difficilis, tanti meriti est, ut locupletissimam inventura sit mercedem in eorum cognitione mysteriorum, quæ nunc sunt ejusdem objectum. O quant bonum est credere! Bonum, quod virtuti nostræ nihil pollicetur minus, quàm possessionem earum rerum, quas modo credimus. *Liber cui titulus. Remarques sur divers sujets de Religion, & de Morale*.

Fides veram animæ magnitudinem nobis inspirat.

Cor fide repletum, quod se fidei impressionibus mancipat, solum potest veram, semperque sibi æqualem magnitudinem præseferre. Supra omnes creaturas intra angustos terræ fines non continetur, & contemnit quodcumque supra seipsum non est. Omnia citra audaciam aggreditur, quia confidentia sua est sine incertitudine; sese omnibus perferendis exponit, quia omne robur suum a cœlo expectat: in consiliis suis non hæret, non enim consulit nisi veritatem; futurum illud non sollicitat, illi enim satis est ambulare ad fulgorem luminis ipsum illuminantis; periculis, & laboribus non deterretur, nihil enim habet, cujus sibi habenda sit ratio. Dummodo glorificetur Deus, labor, & requies, honor, & ignominia, vita, & mors æquo sunt illi in discrimine. *Idem*.

Quomodo fides sit fidelis gloria.

Fides est præcipua fidelium cujuscumqoe status gloria: & æque in omni personarum genere elucere potest. Supra sanguinis nobilitatem, corporis qualitates, terræ bona de omnibus temporibus, locis, & occasionibus triumphat, submissionem tantummodo, ac docilitatem petit, ut suum exerceat imperium, & omnes animæ, quæ receperunt illam, sub jugo illius possunt captivari. Eosdem sensus inspirat animis, quos natura, & educatio ad eadem studia non effinxerunt. Quicumque verè credit, & secundum fidem suam operatur, nihil habet, quod aliis invideat eorum, quæ nos coram Deo magnos possunt efficere. Cogitemus, quomodo sit nobis de fide cogitandum, ac vereblmur, ne augusto Christiani caracteri per nos dedecus inferatur. *Idem*.

Quomodo in hoc sæculo fidei veritates rationi submittere mortales conentur.

Numquam fortasse tam modicum fidei, & Religionis, quànt hoc sæculo, extitit: numquam enim hanc sibi quispiam facultatem vindicavit fidei veritates humanæ ratiocinationi subjiciendi. Quotidie nova proferuntur systemata. Curiositas potest ea comminisci in scientiis, quæ traditæ sunt hominum disputationi; sed impietas conatur insipientibus commentis fidei mysteria submittere. Ita est petulans, ac temeraria, ut pro libidine statuat terminos miserationi, ac meritis JESU CHRISTI; ut Deo regulas præscribat in providentiæ ejus ordine servandas, ut juxta cæcitatis suæ arbitrium quid deceat, quid non docilitatem, cultumquè fidelium edoceat. Effodit pertinaci studio quodcumque in dubium revocare potest ea, quæ magis authentica traditio confirmat. In ipsa Sacramentorum essentia, atque usu, aliquid indecorum, inutile, & contrarium nanciscitur. Obscurissimam perscrutatur antiquitatem, ut affectata pompa in medium proferat cogitationes suas, quæ sacris litteris, Sanctorumque Patrum Operibus fidem valeant abrogare. Veterum hæreticorum vestigia relegit, ut in eorum factis aliquid inveniat, propter quod immeritò damnatos fuisse contendat, Dei vias scrutatur, ut ibi illusiones, & falsitates inveniat ad æquissimam confidentiam in purissimis, rectissimisque animabus extinguendam aptissimas. Denique nihil sacrum, sanctumque est, quod attrectare non audeat, ut illud suis decisionibus, argumentisque corrumpat. *Idem Tomo 2.*

Fides ultimam curiositatem pati non potest. *Lib. 10. de Trinitate.*

Fides esse non potest satis simplex, satis curiositatis inimica, satis attenta ad inquietam Philosophiam reprimendam, quæ explicatura, quod credit, sæpe evertit, quod credere debet: *In simplicitate fides est; non per difficiles nos Deus ad beatam vitam quæstiones vocat*. Sanctus Hilarius ait. Coram Deo omnia tacere debent, ratio æque ac sensus; quia nihil rationi magis consonum est, quam illum loquentem audire. Laquei sunt illis parati, qui nimis scrutari volunt, nimis investigate. *Auctor Anonymus*.

Christiani male viventes fidem suam dedecorant, & sunt scandali occasio. *Isaia 52.*

Si Christianorum vita, quæ esse deberet lux coram hominibus lucens, ac in mundo refulgens, ipsa æquè tenebris involuta est, ac vita Ethnicorum, atque Infidelium; Jure maximo Deus id nobis exprobrabit, quod olim Judæis per Prophetas: *Dominatores ejus iniquè agunt, & jugiter tota die nomen meum blasphematur*. Homines vulgò de Religione, ac Deo, qui colitur, judicium ferunt ex vita, bonisque eorum motibus, qui eum colunt. Quantobrem cum Christiani, qui JESU CHRISTI fidem amplexati sunt, & qui Evangelicis veritatibus sunt illustrati, vitæ suæ sanctitate religionis, quam profitentur, sanctitati minimè respondeant, non postremum quod hac in re scelus committitant, est malum exemplum, quod illis tribuunt, qui sunt extra Ecclesiam, & de his scriptum est, quod Dei nomen blasphemant. *D. Bartholomeus Caranza. Tractatu de Oratione Dominica*. *Isaia 52 & Ezech. 36.*

Aliquando fides nostra rationem ex nobis repetet, eo quod vita fidei conformis non fuerit.

Præclara est D. Augustini sententia, fidem aliquando apud Deum jus esse postulaturam. In quem? non contra Tyrannos, qui illam persecuti sunt; gloriæ enim sibi vertet eorum persecutiones; non contra Ethnicos, qui eam non cognoverunt; eorum quippe infidelitas ipsos quodammodo minus nocentes efficiet; sed contra nos; at quare? ob omnes contumelias sibi a nobis allatas; quòd illam in inertia, & otio vitæ mundanæ languescere passi sumus, quin unquam illam exerceremus, ac propter Deum in actum redigeremus; quòd illam detinuimus captivam in statu peccati, in quo per cordis obdurationem sine ullo conscientiæ tumultu plurimos transegimus annos; quòd illam coinquinavimus actionibus eo, quod gerimus nomine, & quo induti eramus, caractere indignis; quòd illi fidem abrogavimus apud hæreticos infensissimos hostes illius, qui certe allatum a nobis scandalum, & in illam, & in nos ipsos convertere non cessarunt; quòd denique, cum per se nos efficere posset sanctos, culpa nostra satis virium non habuerit, ut probiberet, ne impii essemus, æternisque ignibus adjudicaremur. *P. Bourdalove in veris sermonibus recens editis. Sermone primo de extremo Judicio.*

Dei Filius Deus est absconditus in Eucharistia.

Deus non esset id, quod est, nisi incomprehensibilis esset; ejusque miracula hoc nomine appellanda non essent, si mens humana illa assequi posset. At voluit magis adhuc, quam in Incarnatione, & Passione, propter quas Propheta admiratione captus exclamavit, *Vere tu es Deus absconditus*, voluit inquam in Eucharistico delitescere Sacramento. Sed quò minus penetrari possunt velamenta, quibus tectus est, eo magis hæc illum esse præsentem annuntiant, & obscuritas, quæ mihi admirationem injicit, mihi veritatis est *Isaia 45.*

argu-

Lib. 11. de Trinit.

argumentum. *Deum te in his, quorum intelligentiam non complector, intelligo.* Verba sunt Sancti Hilarii, qui ait, unicam veritatis adorandæ rationem, esse illam credere; fidem unam cum Dei infinitate aliquam habere rationem, quoniam tam latè patet, quam ejus essentia, & perfectiones; & quemadmodum ille nullis terminis coercetur, ita hanc nullum docilitati suæ finem statuere. *Liber cui titulus, Dispositio pro sacris Mysteriis.*

Fides non in hoc solum posita est, ut credatur, sed ut fiat.

Fides, quæ adeo perfecto cultu Deum veneratur, longiùs opinione procedit, & adeo rara est, ut Dei Filius hanc quæstionem proponat; utrum cum homines judicaturus accedet, inveniet fidem, *Indubitata apud Deum fides ardue reperitur*; Sanctus Hieronymus inquit. Ratum, ac difficile est habere pro Deo fidem nihil dubitantem, neque hæsitantem. Hæc autem non in eo posita est, ut mysteria, aut veritates credamus solùm, sed ut secundùm illas operemur. Hæc non mentem tantummodo, verùm etiam cor ipsum submittit. Hæc origo est sanctarum actionum, ac prodigia fierent, si esset perfecta. *Idem.*

Per fidem nosmetipsos superamus, mens nostra ad altissimum gloriæ suæ verticem attollitur, quippe per illam de sæculi sapientia triumphum gerimus, quæ eò usque pertingere nequit, quò cognitio, & intellectus noster pervadit. Quænam fidelibus dignitas, ea gloria! Ipsos in terris easdem cognoscere veritates, quas Beati in cœlo, & cum eadem certitudine; ipsorum mentibus affulgere quemdam Divinæ Sapientiæ radium, ac supremæ illius intelligentiæ particulam, ut sublimia ejusdem mysteria cognoscant. *Ex collectione delectorum sermonum. Sermo de Fide.*

Fides nostram cohibet curiositatem.

Ratio, quam nobis dedisti, Domine, recensenda non est inter postremos inimicos, cum quibus nobis sit decertandum; hæc omnes animæ morbos fovet, hæc nova quotidie vulnera infligit, criminosa curiositate sese attollens ad omnia mysteria curiosius investiganda. Sed cum tibi per misericordiam suam placuerit, quemadmodum arena omnes intumescentis maris fluctus conterit; fides omnes mentis tumores infringit, omnesque humanarum argumentationum fluctus repellit, quibus mortalis in Dei viventis Sanctuarium introire conatur. *Auctor Anonymus.*

Sola fides ad salutem non sufficit.

Si ad salutem assequendam satis esset credere, prædestinatorum numerus ita modicus nequaquam foret; nobis integrum relinquatur pro libidine vitam ducere, quam plurimi dicerent, facile quæcumque nobis dicta fuerint, credemus: sed fides sine operibus mortua est. Dicant, quantum libuerit, se credere Evangelio; nulla tamen salus est speranda, nisi, ut creditur, ita vivatur. Dæmones melius, quàm nos credunt, sed theoreticam habent fidem, væ nobis, si solum ut illi credunt, & nos crediderimus. Fierine posset, ut tota, quanta est Christianæ Religionis sanctitas, fructus omnes exemplorum Hominis Dei, totum Sanguinis ejusdem pretium, omnis Sacramentorum, & gratiæ ejusdem effectus ad hoc redigeretur, ut ad summum quamdam extrinsecùs speciem præ nobis ferremus, & mensuras quasdam servaremus, quæ minimè prosunt nisi ut minori cum metu pereamus, eos dissimulando defectus, qui sunt nobis communes cum infidelibus? *P. Croiset Tomo 1. Recessum pro una singulorum mensium die.*

Fides inutilis est, nisi vitam nostram regat, ejusque lumina sequamur.

Quid nobis prodest fidem per densissimas idololatriæ tenebras ad nos usque pervenisse? si ea contemnentes lumina, quibus mentem nostram illustrat, ut Deum cognoscamus, atque maxime essentialia officia nostra edoceamur, ita vivimus quasi nullam receperimus fidem, vel saltem quasi dubitaremus de iis, quæ per fidem docemur. Hoc nobis pudorem debet incutere, hoc fidem nostram dedecorat, atque evertit. Frustra nobisinet plaudimus, eo quod nos elegerit Deus, quos de tenebris in admirabile lumen transferret, atque in fidelium albo recenseret: ita vivimus; quasi fidem non haberemus; vel ita vivimus quasi ambigeremus de iis, quæ nobis fides, tamquam morum, vitæque normam proponit. *Sermo Manuscriptus.*

Utrum verè fidem habeamus, necne non nisi ex actionibus nostris judicari potest.

Cum fides ex earum sit virtutum numero, quæ extrinsecus sese proferre debent, ut ab aliis cognoscantur, utrum in nobis adsit, necne, nonnisi ex effectibus potest judicari. Hæc in nobis mortua est. Sanctus Jacobus inquit, cum per bona opera sese nobis minimè ostendit; cum ea, quæ facimus, iis, quæ credimus non respondent; cum naturalem tantummodo vitam ducentes, fidei vitam tamquam nobis incommodam abjicimus, cum adhærentes falsis argumentationibus rationis adeo fallacis, qualis est humana, iis, quæ fides proponit, nosmet submittere detrectamus. Quod si fidei spiritu non movemur, si ejus lumina minimè sequimur, necessariò inferendum est, vel nobis non esse fidem, vel nos ita vivere, quasi nulla nobis esset fides. *Idem.*

Mens, & cor contra fidei veritates rebellant.

Scrutemur mentem nostram, & cor ipsum examinemus, quid plerumque ibi inveniemus, nisi pertinacissimam rebellionem contra ea quæ nobis fides proponit, nisi ea cum ratione nostra consenserint? Per hunc submissionis defectum semper principium, & causa repetitur; dubitatur, ambigitur, ac sensus fiunt norma, atque arbitrium fidei; humanitùs de rebus divinis judicatûr, ac foventur repugnantiæ, quæ ibi suboriuntur, dubitationes, quæ percrebrescunt, & suspiciones, quæ temere concipiuntur. Præ cæteris in fidei materia longius ire quilibet studet, ut nova adinveniat; de mysteriis disputat, ut censoria nota illa perstringat; inanes proponit quæstiones de iis, quæ in Ecclesia optimè constituta sunt; humanis interpretationibus divinas decisiones corrumpit; ea comprehendere adnititur, quæ credere tenetur, omniaque curiosiùs investigare, ut illa apertiùs intelligat: quasi in ea religione, in qua tanta mentis submissio requiritur, nihil æquiùs inveniri posset, quàm fides rationibus consitinata. Per hos mentis errores in illud labimur malum, quod olim Sanctus Hilarius nonnullis fidelibus exprobrabat, qui diurnam tantum fidem habebant, & hodie credebant, quod cras non erant credituri. *Fides diurna. Idem.*

Plerique Fidelium non aliter vivunt, quam infideles non habentes fidem.

Si viveremus, ut fideles decet, qui receperunt fidem; aliter proculdubio ab infidelibus viveremus. Eorum cum nostris vota, affectus, consilia comparemus, eorum vitam, ac mores cum nostris conferamus: eheu! quidnam discriminis interest? Iis instituti præceptis, quæ nobis tradit fides, ea omnia, quæ Deus non sunt flocci esse facienda; numquid terrenis rebus minus adhæremus, quam infideles? numquid sumus minus affectuum nostrorum mancipia, minus voluptatum amore inebriati, minus corporum nostrorum idololatræ, minus ad contumeliam ulciscendam parati, minus ardentes, iracundi, immites, avari, impudici? Aliane cupimus bona, quam quæ cupiunt infideles? numquid minori furore injurias persequimur? numquid minus nobis dominatur ambitio? minus fixas terræ hujus opes solidis, perfectisque Cœli divitiis præferimus? Cum hæc consideramus, quàm procul ab eo termino, quò fides adducit, abesse nos comperimus? *Semo Manuscriptus.*

Sine sanctitate, ac bonis moribus nihil proderit habuisse fidem.

Quid nobis proderit glorioso Christiani nomine fuisse nuncupatos, si infidelium instar vitam transigimus? Quid proderit credere, si factis id evertimus, quod credimus? JESUS CHRISTUS edixit, qui non credit in ipsum jam in antecessum judicatum esse: *Qui in me non credit, jam judicatus est.* At nonne addere possum, eum qui credit, jam per fidem esse damnatum? Opusne igitur est, quod secundum Dei mentem esse debet salutis nostræ principium per nefarium ejus abusum, proximam fieri nostræ reprobationis causam? Opusne hoc pharmacum in præsentissimum virus converti, & ob cæcam, nefariamque vivendi rationem fidem, quæ nos admovens Deo esse debet nostræ felicitatis causa, nobis diem dicere, ac fieri

irreprehensibilem testem, acerrimum accusatorem, ac severissimum judicem, qui nos æternæ adjudicet calamitati. *Idem*.

Opus est, ut nos fides roboret, atque confirmet.

Dei mei fides, quæ tot primis Ecclesiæ temporibus miracula operata es, quæ abusus abstulisti, reformasti mores, errorem debellasti, religionem confirmasti, torrenti iniquitatis adversata; quæ fecisti ut Apostolorum vox in extremis usque terrarum plagis resonaret, quæ illos tanta constantia ante reges stare fecisti; qui tantam Martyribus fortitudinem tribuisti, ut Tyrannos ipsos, atque carnifices superarent, nos quoque confirma, nobis eam animi fortitudinem elargire, quà Christianos illos Heroas donasti; fac, ut nos etiam quemadmodum illi, ea diligenter servemus, quæ nobis proponis, fac nos eadem amare, cupere, in pretio habere; vitam nostram institutis suis conformem effice, & spiritum tuum omnibus actionibus nostris infunde. Alioquin jure dici poterit, nos vivere, quasi fidem non haberemus, vel quasi de iis veritatibus, quas nobis proponit fides, dubitaremus. *Idem*.

Solatium, quod ex fide percipere possumus.

Seu præterita defleamus peccata, seu ob præsentes infirmitates ingemiscamus, seu propter vitæ hujus doleamus ærumnas, quæ quidem juge est exilium, ac perennis tentatio; in Dei verbo, in Scripturis, quas Spiritus Sanctus dictavit, in fide illud quærere debemus solatium amaritudinibus nostris, atque illud gaudium, quod nulla humanarum consolationum mixtura turbatur. Anima, quæ divina hac saginatur esca mox eum contemptu, ac nausea ima hæc solatia fastidit, quæ tamquam a se aliena arbitratur; per fidem quippe didicit neque eum mente carnem, neque cum Cœlo terram esse consociandam; & in secreto cordis sui experitur, quam verè Deus a Sancto Paulo appellatus fuerit: *Deus totius consolationis*. *Liber, cui titulus: Christiana Documenta; in epistolam Dominicæ secundæ Adventus*.

Qui contra fidei veritates operatur ostendit, sibi satis de illis persuasum non esse.

Vitæ parum christianæ hæ vulgò prætexitur excusatio, satis jam de religionis nostræ veritatibus esse persuasum; ego verò prorsus oppositum infero, & assero modicam illam attentionem, quæ his omnibus impenditur veritatibus, quæ nos a peccato prohibere, ac post illud patratum ad sinceram perducere pœnitentiam possunt palam innuere nobis de hisce veritatibus satis persuasum non esse. Quorsum autem? quin homo quantumvis parum boni sensus, ac rationis habeat, numquam illud negligit periculum, quod subit, cum de bonorum omnium, honoris, vitæque ipsius agitur detrimento. Qui non omnem prorsus abjecit spem, semper cogitabit, illud non esse propinandum, quod venenum esse novit, neque gressum proferendum, quo scit se lapsurum in præceps. Igitur cum peccator satis non attendat veritatibus æternis, quæ suppliciorum æternitatem minitantur; liquet huic non satis esse de illis persuasum, ut decet. *Pater Gegovv, Libro cui titulus: Usus Sacramenti Pœnitentiæ*.

De contradictione fidei cum moribus.

Satisne persuasum est nobis de magnis illis veritatibus, quas credere profitemur; & nostra vivendi ratio probatne illas a nobis credi? Arctus esse debet nexus inter fidem, & mores; actionesque nostræ, quam religionem sequamur, testari debent. Vocis Jacob vix habetur ratio; solæ manus gratias, & benedictiones merentur. In theatris tantum patimur eos, qui plures gerunt personas, sed cum de religione agitur nihil Deo contumeliosius est, quàm operibus suam fidem mentiri. Mimum agere turpe, ac indecorum est; homo se Christianum profitetur, hoc est se credere profitetur omnes christianas veritates, cum interim vitam ducat iis, quas credit, veritatibus prorsus abnormem. *P. Croiset in Spiritualibus Considerationibus*.

Ejusdem argumenti.

Mirum est, inter fideles inveniri quosdam, qui ea non credere conantur, quæ metuunt; at numquid minus mirum est in Religione Christiana aliquem reperiri, qui quod metuit, non credat? Hoc impenetrabile est iniquitatis mysterium. Mentis legi submissio, cordis contra illius præcepta rebellio; religio sancta, corrupti sectatorum ejus mores; fides earum rerum, quæ inevitabilem injiciunt necessitem ducendi vitam integram, scelerisque puram, licentia, ac flagitiosa vivendi ratio, quæ omnibus, iis quæ creduntur, palam repugnat. Nimis aperta hæc est contradictio, mentem statim avertit; subito ad indignationem provocamur; sed pauci ad illam animum advertunt, quia pauci in se corrigere volunt, quod damnant. *Idem*.

Ejusdem argumenti continuatio.

Deplorabilis sanè est sors infidelium, at plurimorum fidelium corrupti mores ullamne sortis melioris spem adstruunt? Quæ infelicitas non esse in Ecclesiæ sinu, nullumque habere jus ad æternam beatitudinem? at numquam minus est malum esse filium Ecclesiæ, ac se indignum præbere æterna hac felicitate, ad quam nobis jus est. Et sanè utrum præstat, nihil ferme credere ex iis, quæ credere tenemur, an nihil facere eorum, quæ tenemur facere? Si nihil eorum credimus, quæ fides Christiana proponit, nonne dici potest, quantulumcumque est illud, quod facimus, semper nimium esse; sed si credimus ea, quæ credere profitemur, fateamur necesse est nos id faciendo quod facimus, nequaquam ea facere, quæ satis sunt ad æternam salutem consequendam. Cui bono diutius huic veritati immorari, ut pacatius intereamus? *Idem*.

Difficile est, eos qui mundum sequuntur, habere fidem.

Profectò mens nostra obstupescit, cum reputat hos mortales qui inanibus tantùm pascuntur fortunæ cogitationibus, inanibusque ideis magnitudinis, qui bonis viris, & iis, quos populum vocant, relinquunt curam adimplendi hominis Christiani officia; mortales, quorum omne tempus otio absumitur, & qui non nisi ob Evangelium erubescunt; hos mortales, inquam, sincere credere maximè terribiles Religionis nostræ veritates, & quidquid Salvator ait de inevitabili necessitate secundum ejus instituta vivendi; magis enim verisimile videtur, illos nihil omnino de magnis hisce veritatibus credere. Credunt Evangelium unicam esse regulam morum; aliud quodcumque vitæ systema ad interitum ducere; in viis Domini regulam alteram inveniri non posse; & procax ille adolescens, impudica mulier, & illi, qui mundi voluptates, & solatia depereunt, hoc credunt. Vellesne te hujus fidei vadem præbere; Sed quid cogitandum est de moribus huic fidei prorsus oppositis? *Idem*.

Quid nos doceat fides, & quomodo in mundo vivatur.

Jugis violentia, numquam intermissa mortificatio, novæ in singulos gradus cruces, ac nulla crux sine aliqua victoria: hæc esse debet Christiani hominis vita. Præterea quænam pietas humilis, atque perseverans? Quæ modestia exemplaris? Quæ purior charitas ea, quam ab omnibus Christianis exigit Evangelium? Quæ puritas! quæ omne cum sensibus commercium interdicit, immo ipsam mali prohibet cogitationem? Quænam æquitas! quæ te jubet contra ipsos etiam consanguineos sententiam ferre; potiusquam vel minimam committere injustitiam? Hæc pars est legis Christianæ; sed mortales, qui tempus omne in voluptatibus terunt; hæc multitudo, quæ propter avaritiam, aliamve cupiditatem, jugibus negotiis fatigatur; hi omnes semper hanc legem sequi profitentur, & putant, minimam hujus legis prævaricationem majus esse malum, quam bonorum omnium, ac ipsius etiam vitæ jacturam. Mundus, ut ait Evangelium, hostis est JESU CHRISTI infensissimus; & quidam, qui ex lege debent JESU CHRISTI sequi Evangelium, aliam sibi certissimam irrogant legem secundum mundi instituta vivendi. Monstrosarum harum contradictionum per se satis patet iniquitas, longus tamen usus earum horrorem consuetudine imminuit. At putasne adeo contumeliosum legis contemptum umquam præscribere posse? Habes

fidem,

fidem, verum putasne ee per fidem sine operibus salutem consecuturum? *Idem.*

Qui fidem habet, non eget miraculis. Qui verè credit, non eget miraculis, neque insignibus gratiis, ut confirmetur in fide. Quid me hujusmodi visiones docerent, hæc ille secum, quod jam minimè norim? Nulla opus est illustratione, ubi de nulla re dubitatur; cur ego non vivam æque sanctè ac illi, quibus singulares has gratias contulit Deus, quandoquidem credo, quidquid illi viderunt? Nonne æque certus sum Paradisum adesse, ac si illum hisce oculis conspexissem, atque ad tertium, usque cœlum cum S. Paulo raptus fuissem? Numquid opella mea Deo minus erit accepta, quàm si vel apparitione, vel alio quopiam miraculo me cogeret, ut illi inservirem? *P. de la Colombiere in Christianis Considerationibus.*

Indignum est ratiocinari velle de veritatibus fidei. In omnibus humanis scientiis, fides rationem præcedit; in religionis tantummodo scientia fidem sine ratione habere detrectamus. In hominum disciplina hominis spiritus spiritui hominis sese submittit, in disciplina Dei spiritus hominis contra Dei auctoritatem rebellat: JESUS CHRISTUS satis non est, ut nostram curiositatem cohibeat. Quodnam discrimen est inter præsentem Ecclesiæ statum, & illius incunabula? Primi fideles pro fide mori noverant, sed de fide disputare nesciebant; sanguinem habebant, quo illam confirmarent, non habebant intellectum, ut illam discuterent; hodie verò Christiani temeritatem tantummodo habent ut illam intus, & in cute inspiciant, at ne guttam quidem sanguinis, qua illam tueantur; satis impii sunt, ut futilibus argumentationibus illam impugnent; at infirmi sunt, ut morte sua illi triumphum promereantur. *De Sancto Martino in Quadragesima.*

Contra eos, qui fidei veritates ad examen volunt revocare. Flagitiosi, languentes animæ, quæ omnia sensu vestro metiri vultis, numquamne intelligetis sacrilegam esse temeritatem plus velle scire, quàm quod vobis liceat? Numquamne hoc cogitabitis, creaturam quidem rationibus, testibusque indigere, ut eorum, quæ dicit, veritatem confirmet; at eum Deus sit ipsa veritas, verbum illius invictum esse testimonium? Mentem vestram per singula fidei mysteria circumfertis, de quæstione in quæstionem languenti curiositate festinatis, neque ad curiositatem hanc coercendam satis est nosse Deum fuisse locutum? *Nobis inquisitione non est opus post Evangelium. Idem.*

Fides Christianorum hujus temporis infirma, & languens. Sanctus Chrysostomus loquens ad tyrannos, qui Evangelium flammis addicere volebant, ut fidem extinguerent, dicebat inutilem esse eorum conatum, etenim Christiani qui illud credunt, & opere complent viventia sunt Evangelia. Fides hodie in solis propemodum libris invenitur, non est amplius in cordibus nostris: primorum fidelium scientiam habemus; at non habemus conscientiam; Primi fideles habebant spiritum, & opera fidei; nos verò non habemus opera, quia spiritum non habemus. *Idem.*

Fides est constans, ac inconcussa. Fides secundum S. Leonis sententiam *magnarum vigor est mentium.* Hæc mentis est constantia invariabilis, & quæ labefactari non potest. Sanctus Joannes Climacus ait; postquam Veritas humanam carnem assumpsit, & locuta est, omnes Academiæ dubitationes, atque incertitudines cessarunt, omnesque vagæ cogitationes, & ratiocinationes evanuere: firmiter loquimur, sine ambiguitate, sine æquivocis, & fortiter argumentamur, quia credimus. Sed quodnam lumen curiosa, & impia mens fidei substituit? quodnam est illud principium, cui innititur? Hæc inquit Augustinus, sola est humana ratio: *In homine carnali tota ratio intelligendi, est consuetudo cernendi.* Quæro autem, aliquidne infirmius est, ac errori magis obnoxium, quam fides huic innixa fulcro? Quantumcumque sit hominis ingenium, & summo acumine polleat, magnis obnoxium est infirmitatibus propter nexum, quem habet cum sensibus, & materia; & quod nonnisi per corporis organum potest operari. Non alia probatio requiritur præter nostram experientiam; quot in rebus nosmetipsos quotidie decipimus! *P. Texier in Adventu de Impio infelice.*

De fidei necessitate, atque certitudine. Omnis scientiarum certitudo, quæcumque illa sit, cum hac comparari non potest; semper illa quodammodo a sensibus pendet, qui sunt fallaces, ab experientiis, quæ sunt variabiles, ab argumentationibus, quæ parum rectæ sunt, ab inductione, quæ universalis esse non potest, ab effectuum connexione cum causis, quæ ut plurimum est nobis ignota. Ita vix aliquod, vel celeberrimum, reperitur ingenium, quod aliquando in sat is crassos non lapsum fuerit errores; & plerique fateri senentur, postquam diu naturalia meditati sunt, omnem speculationum suarum fructum illum fuisse, ut paulò æquius, quam homines vulgò, dubitare didicerint. At fides me certum facit, immotumque: ita enim fieri nequit ut fallar, quemadmodum fieri nequit, ut fallatur Deus. *P. Nepueu in Christianis Considerationibus.*

Cum fide actiones sunt conciliandæ. Fidem nostram honorare debemus, nostram vivendi rationem cum fide conciliantes; credere enim Deum infinitè magnum, ac illum non adorare; infinitè bonum; & non diligere; infinitè justum, & non timere; infinitè sanctum, & peccare, hæccine concordant? Credere ea, quæ coram hominibus magna sunt, coram Deo esse detestabilia; & magnitudinem illam votis omnibus concupiscere, credere, Deum maledicta ejaculari in divites, & voluptatibus deditos, atque festinanter ditescere; credere ab ipso beatitudinem in paupertate, ac lacrymis pœnitentiæ constitui, & has perhorrescere; credere per humilitatem in cœlum aditum patere, ac semper honores conquirere; credere, carnem nostram crucifigi oportere, ut Christiani simus, eamque palpare; credere vim nobismetipsis esse inferendam, ut salvi simus, ac nulla in re pati velle: hæccine concordant? Vel fidem immutate, vel mores. Has veritates non credere idem est, ac esse infidelem; eas credere, & vivere eodem pacto, ac si minime crederentur, hoc est esse insipientem: *Magna insania Evangelio non credere, sed longe major credere, & ita vivere, ac si Evangelio non crederes, Idem.*

Mentes perspicacissimæ sese fidei submiserunt. Huic unico verbi divini fundamento innixi integri præstantissimorum virorum, qui unquam extiterint, cœtus sese confirmarunt in fide earum veritatum, quæ nulla ratione possunt comprehendi: hoc lumine illustratæ mulieres, puerique sine ullo studio eam didicerunt doctrinam, quam veteres ignorarunt Philosophi; atque mentem meam incomprehensibili omnipotentis, æternique Dei magnitudini submittens, eamdem ad supremæ magnitudinis cognitionem attollo. Sed e contra quod divinum hoc lumen sequi noluerunt tot eximia, ac celeberrima ingenia sua præsumptione excæcata, olim in idololatriæ errores, atque in infamem licentiam ceciderunt. *P. D' Ozenne, In libro cui titulus; Mundus a seipso damnatus.*

De fide sine bonis operibus. Qui inutilem, ac omni vacuam fructu in plerisque Christianis fidem intueretur, nonne cum Sancto Bernardo diceret, illos fidei cadaver habere, sine anima, sine actione, sine motu, quemadmodum accidit nonnumquam, ut mortuum corpus deambulet, caput, manusque moveat, & exteriora quædam vitæ suæ præbeat indicia. Hoc tamen automa est; actiones, motusque vitales esse non possunt, non enim ex interiori, viventique principio procedunt. Hi motus ad summum fieri sina alienis impressionibus nequeunt. *Fromentieres.*

De bonis operibus sine fide. Testatur Sanctus Hilarius Constantium Imperatorem ædificasse templa, ingentes pauperibus erogasse divitias, dum Catholicos Episcopos haberet in carcere, & in Imperio suo Arianam hæresim tueretur. Adeo verum est sanctissima quoque opera sine fide, ac sine submissione Ecclesiæ ad salutem consequendam minimum valere; ipsa etiam magis cruenta carnis, corporisque sacrificia meræ

sunt

sunt illusiones, nisi comes accesserit mentis, atque voluntaris sacrificium. Cordis quoque error est JESU CHRISTI doctrinam credere, nisi & morum disciplina credatur; mysteriis quidem animum addere, moralibus verò præceptis non item. De JESU CHRISTI Incarnatione non ambigitur, sed necessitas imitandi illius humilitatem respuitur &c. *P. Rapin de salutis momento.*

Diu vitiosi esse non possumus, quin tandem amittamus fidem.

Cum arduum, ac difficile sit diu sustinere prælium fidem inter, & animi affectum, ut majori cum tranquillitate persui possimus vitæ voluptatibus, alteram delemus, vel infirmamus, ut roboremus alterum; videlicet ne intermittamus inconditarum affectionum nostrarum curriculum, in corde nostro puriores Christianæ Religionis sensus, ipsaque rationis lumina extinguimus. Ita exacerbatæ conscientiæ stimulos retundimus; sine ulla anxietate in licentia prava persistimus, & quasi affectuum lex suavior esset lege rationis, & æquitatis, vel quasi magis gloriosum esset brutorum, quàm hominum more vitam ducere, malumus non esse rationis participes, ut brutales esse perseveremus. *Ex Morali dictionario Sermone secundo de Bacchanalibus.*

Fides omnibus præstat cognitionibus, quæ in hac vita possunt haberi.

In cognitionibus nostris non deest quædam subordinatio, graviores, nobilioresque sunt pro objectorum suorum gravitate, ac dignitate. Sensuum cognitio minus est perfecta, non enim nisi sensibilia respicit objecta. Rationis cognitio nobilior est, quia versatur circa objecta intelligibilia, vel ea saltem, quæ ratiocinatione sua quodammodo efficit spiritualia: Longè adhuc perfectior est fidei cognitio, quia Deum unice respicit. Hanc una gloriæ cognitio superat; sed ad illam ita prope accedit, ut eruditissimus Parisiensis Antistes eam *Crepusculum gloriæ* vocaverit. Gloria palam, ac in pura luce ostendit Deum; sed fides illum dimidiatè dumtaxat nobis agnoscendum proponit. Dies nondum perfecta est, at neque nox adhuc incubat atra; partim dies est, partim nox; quædam albescit claritas, quædam tenebræ adhuc sunt reliquæ; & olim ita Deus populum suum ducere voluit. Cum illum interdiu duceret, obscuræ, atque nubis instrumento utebatur; cum noctu, igneam columnam illis præfulgere jubebat, semper fulgori tenebras, & obscuritati lucem commiscens. Ita Sancti Patres fidem cum hac comparant columna. *P. Musson in Adventu.*

Qualnam esse debeat fides ad salutem necessaria.

Fides, quæ ad salutem est necessaria, & sine qua Deo placere non possumus, non est fides abstracta, atque theoretica, quæ mentis tantùm lumina submittit, quin domet affectus cordis; hujus generis fides æquè dæmonum fides est, atque Christianorum, & in justis æquè ac in peccatoribus inveniri potest. Fides viva ea est, quæ efficit, ut vita iis, quæ creduntur, conformetur; quæ non majorem voluntati ardorem, quam intellectui lumen affert, nobisque vim confert earum, quas docet, virtutum exercendarum. Hæc fides potissimum est necessaria, ut anima inter afflictiones roboretur; tunc enim inveniri non possunt vera solatia, nisi ad Deum confugiamus; quomodo verò ad Deum confugere possumus, nisi nos doceat fides, in uno illo confidentiam nostram esse constituendam? *Essais des Sermons pro vigesima post Pentecosten Dominica.*

Quomodo justus ex fide vivat.

Quid est vivere ex fide? Est cogitare, uti præcipit fides; de magnis, parvisve rebus, utilibus, inutilibusve, justis, vel injustis, non secundum arbitria, desideria, humana, corruptaque studia, sed secundum divini verbi regulas, Evangelicasque leges judicium ferre. Est metum, spem, gaudium, tristitiam, amorem, odium non secundum depravatum corrupti cordis gustum, sed secundum Dei & veritatis lumina regere, quæ omnes cogitationes nostras illuminare, consilia omnia efformare, omnia animare desideria, cœptaque omnia deducere debent. Vis mederi infirmitatem tuam? incipe eas affectiones compescere, quæ illam gignunt; incipe credere ex corde, ac statim & mente credes. Omnes voluptates abdicabo, inquis, si mihi fidem Deus dederit; ego verò dico, non defuturam tibi fidem, statim ac voluptates abdicaveris. *Flechier. Sermone de S. Thoma Apostolo.*

Ubi ratio in fidei materia locum habeat.

Ratiocinandum est, atque ratione utendum, ut sciamus utrum Religio nostra a Deo fluat; cumque semel hac in re illuminati fuerimus, ratio est deserenda, ut cætera credantur. Si Religionem aliquam amplecteris, quin scias, unde existat, insipiens es; si de Religione dubitas, cum scias Deum ejusdem auctorem esse, es infidelis. Quamobrem in credente duo sunt consideranda; ratio propter quam fidem amplectitur, ejusque actus elicit; atque habitus, & actus ejusdem fidei. Causa propter quam fidem sequimur, est, quod videlicet scimus e cœlo fluxisse, & hac in re ratio est necessaria. Actus fidei est eas credere veritates, quas docet fides, quia Deus illas revelavit; ubi nulla ratione opus est. Hoc nobis præsignabat ignea illa columna, quæ noctu ducebat Israelitas. Inter fidei tenebras in hujus vitæ deserto ambulamus, sed rationis fax hac in nocte nobis prælucet, quæ quidem non satis est ad dissipandas tenebras, sed satis est, ut nos deducere possit. Itaque licet in fide summa mentis submissio requiratur, illam non exigeret Deus, nisi ratione probaretur; hoc jugum est, quod rationem captivare debet; sed hæc antequam illud subeat, scire vult, utrum sibi a legitimo Rege imponatur. Tunc illi sine labore obtemperat, quia nihil adeo æquum est, quam credere quod dicit Deus; Deum enim putare non possumus, qui fallere possit. *Essais des Sermons, pro tertia Adventus Dominica.*

De Fide sine bonis operibus.

Sanctus Jacobus fidem bonis destitutam operibus cadaveri comparat, a quo anima recessit. Quid demortuo corpori prodest magnifica efferri sandapila? num ideo minus vermes nascuntur? Ibi æque ac in sepulcro computrescit, & non solum tamquam inutile objectum respicitur, quia animatum non est, sed homines inde avertunt oculos, quia citra horrorem illum amplius aspicere nequeunt; quod ipsum faciet Deus, ubi fidem mortuam invenerit. Audeamne addere, fidem hanc a Sancto Jacobo cum dæmonum fide comparari, qui Deum & esse credunt, & contremiscunt? Aliquod tamen discrimen inter dæmonum, hominumque fidem intercedit: nostra Scripturarum testimonio solùm innititur, fides verò dæmonum experientiæ; experiuntur enim divinæ justitiæ supplicia, quæ in inferno patiuntur, atque ita de illius existentia dubitare non possunt: hæc tamen fides illis est inutilis. *Ex Anonymo Auctore.*

Inspiciendum est utrum opera fidei respondeant.

Homines illi, qui fidem, severamque morum disciplinam profitentur, perpendere debent utrum Aaronis oleum a capite ad extremam usque vestimenti oram defluxerit: videlicet, utrum hæc cognitio influxus suos in omnia vitæ officia pertulerit, ut coram Deo optimum odorem emittant; utrum praxis lumini respondeat, utrum Dei amor sit ejus principium, utrum gloria ejusdem sit finis; utrum eadem foveantur peccata, quæ corripiuntur in aliis. Familiare quippe est aliena facta redarguere, ac sibi parcere; aliis præclara morum documenta tribuere, quæ illi in nosipsos convertant. *Idem.*

De pravis Fidelium moribus.

Quid prodest fidem, legemque Christianam profiteri? nisi ut nosipsi intelligamus quidquid in nobis religionis est, meram hypocrisim esse, & divino cultui exteriores quasdam cœremonias impendentes præcipuas nobismet reservare curas amori proprio impendendas. Utique; nostræ hujus ætatis fideles, plerique saltem, sunt, quòd Sanctus Hieronymus de ævi sui Christianis dicebat, tamquam monstrum ex oppositis, atque contrariis conflatum; videlicet ex fide, & infidelitate, ex religione, & impietate, ex obedientia & rebellione; fide quidem, religione, & obedientia in speciem, infidelitate verò, impietate, & rebellione in praxi.

Si

Si gravissima dementia est, ajebat sapientissimus quidam ævi sui Princeps, Evangelio non credere, post tot rationes, quæ suppetunt nobis, quis furor est de veritatibus illius dubitare, ac ita vitam instituere, ac si eas esse fabulas non ambigeremus! *P. D'Ozenne, libro de Divinitate JESU.*

Rara fides est etiam inter fideles.

Vobisne incesserit admiratio, si dixerim, raram esse inter Christianos fidem, nec loquor solum de iis, qui nomine tenus Christiani sunt, qui hanc sibi religionem constituentes, ut nullam habeant, damnant, quod minimè norunt, quin revocent ad examen; qui communes leges contemnentes ignorantiam suam sibi gloriæ vertunt, ac de omnibus dubitant, ne in vulgi abeant opinionem. Cupiditas qua flagrant, omnia secum interire, ne divinæ justitiæ materia relinquatur, solidissimæ sunt eorum rationes, atque hoc lumen, quod illis importunum est, conantes extinguere, omnem confidentiam suam statuunt in nihilo. Hos incredulos in reprobo sensu ipsorum relinquo, ad Christianos loquor, quibus de religione sua persuasum est, & fidem, quæ justos efficit, affirmo inter ipsos quoque raro inveniri. Profectò fides non in hoc tantùm consistit, ut credas; hæc enim fides, S. Jacobo teste, nobis cum dæmonibus communis est: vera fides viva est, per charitatem operatur, & ex bonis operibus cognoscitur. Quæ cum ita sint, quomodo nefas est dubitare, quin religionis fundamenta evertamus, de fide ex operibus feramus judicium. Hic homo, qui fratrum suorum malia non tangitur, cujus cor eorum egestati clausum est, non patitur manus suas eorum necessitatibus apertas esse, creditne in JESUM CHRISTUM, qui æternam pollicetur felicitatem iis solum, qui alienis moventur calamitatibus? Adolescens ille, cujus cor nequam a Dei amore divellitur, ut creaturas depereat, & qui nullis parcit laboribus, sumptibusque, ut suam expleat libidinem, creditne in JESUM CHRISTUM, qui fideles suos unicè ex cordis puritate cognoscit? Obtrectator ille, cujus levis, ac indiscreta lingua tot illi conflat inimicos, quot profert verba, creditne in JESUM CHRISTUM? *Ex Manuscripto Sermone.*

Ejusdem argumenti.

Ne miremini, si JESU CHRISTI fides in tam paucis reperitur; omnes quidem credunt JESUM CHRISTUM, Sanctus Augustinus ait; sed heu! quam pauci credunt in JESUM CHRISTUM, & hoc fides contradictoria potest appellari: *Multum interest, quis credat esse Christum, & credat in Christo.* Credere JESUM CHRISTUM articulus est omnibus hominibus communis, fides & reprobis, & prædestinatis, bonis & malis communis: *Dæmones credunt, & contremiscunt.* Sed credere in JESUM CHRISTUM est sequi ejus Evangelium, amare præcepta, legibus obtemperare; quod cum mundus fortasse nondum satis comprehenderit, quotidie opposita vivendi ratione contradicit. Et sanè, fideles, qui adestis, parati ne essetis ad ea, quæ JESUS CHRISTUS præcipit, efficienda? Et si ex vobis quærerem utrum in JESUM CHRISTUM credatis, parati ne essetis ad annuendum; an tantum abesset quod fidei vestræ professionem instauraretis, ut illam potiùs statim abnegaretis? Si vestrum singuli juxta sensum suum mihi responderetis, fortasse pro fidei professione, tristem, funestamque illius abjurationem faceretis. Ita sane, fides abjuratur; nam leges JESU CHRISTI, quas sequi oporteret, contemnuntur, iisque contradicitur. Nihil nisi oppressio in paupertate, murmuratio in afflictione, fastidium in humilitate, mœror in pœnitentia, invenitur. Hoc nonne est religionem JESU CHRISTI abjurare, præceptis illius contradicere, contra Evangelium rebellare? Nonne hoc est eam negare fidem, quam vos in JESUM CHRISTUM habere gloriamini? *Ex Sermonibus, qui P. Massillon esse perhibentur. Sermo de obligatione credendi, & imitandi JESUM CHRISTUM.*

Jacobi 2.

Cur voluerit Deus homines per fidem deducere.

Quantumvis ingenii acumine destituaris, queri tamen non potes, tibi bonam deesse voluntatem; hac autem unicè opus est, ut credas. Ideo voluit Deus sapientissima misericordia, fidem aptam esse omni spirituum generi, seu crassi illi essent, seu subtiles, docti, vel indocti; cum enim absolutè sit ad salutem necessaria, atque mentium acumen adeo diversum; simplices, rudesque ab eadem fuissent exclusi; sed illam in voluntatis submissione constituit; qua in re docti ab indoctis non differunt. Hæc ratio est ab incertitudine, quam supponunt increduli ad integram fidei nostræ certitudinem gradum faciendi. *P. Mauduit Tractatu de Religione contra Atheos.*

Iniquum est non credere nisi ea, quæ concipi possunt.

Velle omnia rationi tribuere cum de Religione sermo est, iniquissimum est; Deus enim, atque mysteria, quæ divinitatem respiciunt, cum per se sint infinita, omnes humanæ rationis conatus excedunt, quæ licet multo polleat acumine, semper tamen arctis, exiguisque finibus coarctatur. De Deo, divinisque Mysteriis id tantum credere, quod mente concipi potest, atque comprehendi, gravissima insania est; etenim incomprensibilitas non minus essentialis est vero Deo, quam bonitas, sapientia, atque potentia; nam si unus est Deus, hic essentialiter infinitus est, atque finitis, terminatisque mentibus, quales nostræ sunt, nequit comprehendi. Hinc autem Propheta inquit Deum in consiliis suis magnum esse, atque humanis mentibus incomprehensibilem: *Deus magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu.* *Breteville in Eloquentia Ecclesiastica.*

Jerem. 2.

Per fidem indoctiores docti sunt.

Quis non admirabitur, quod per fidem rudes mulieres, puerique, qui per ætatem humanis scientiis ediscendis pares non sunt, perspicacissimi sint in divinorum mysteriorum cognitione, & gravissimas possideant veritates, quas Philosophi ignorarunt, cognoscant unum tantummodo esse Deum, se immortalem habere animam, peccatum fontem esse malorum omnium in mundo, Dei Misericordiam illius esse remedium, Deum a nobis legum suarum observantiam deposcere, ipsum actionibus nostris invigilare, & nostrum singulis vel pœnas præparare vel præmia? O quàm amabilis est veritas! Quàm speciosa lumina illius, quàm felix nostra sub fidei lege conditio! Mundi sapientes, qui illius jugum detrectarunt, vitam suam in errore, & tumultu transegerunt, erraverunt in cogitationibus suis, secundum ea, quæ dixit Sanctus Paulus, & post tot speculationes, in quibus dies suos traduxerunt, invenimus omnem eorum doctrinam meram esse ignorantiam, si cum crassioribus omnium Fidelium luminibus comparetur. *Ex quodam tractatu de Fide.*

Fides omnino est necessaria ad cognoscenda, quæ Dei sunt.

Hominem sumo in naturæ suæ puritate, atque in omnibus creationis suæ privilegiis. Esto, habeat ille hoc in statu tantum lumina, quantum satis esse possit ad cognoscendam elementorum qualitatem, metallorum varietatem, plantarum, animaliumque proprietatem, cœlorum motus, & syderum influxus; & post hæc seipsum quoque cognoscat. Omnes hæ cognitiones eidem congruæ sunt, cumque in his nihil adsit supernaturale, esto, in ipso sint naturæ dona, eorumque capax sit ejus mens, quin illa altiùs amendicemus. Sed cum ad Dei cognitionem deveniendum est, qui infinite super hominem est; illuc ejus intellectus sine supernaturali auxilio pervenire non potest; hoc autem auxilium fides est. Verum est creaturas omnes Creatorem suum celebrare, & Vetus quidam jure dixit eos, qui vivunt in Dei sui ignorantia, nullam habere suæ cæcitatis excusationem, ille enim satis se prodit in operibus suis; sed illum bene cognoscere sine fide non possumus. Hæc mentem nostram attollit ad ordinem supernaturalem, qui ad Cœli beatitudinem nos disponit, efficitque ut Deum cognoscamus in terra, eumque summis honoribus prosequamur. *Ibidem.*

Præstantia cognitionum, quas

Quod de Deo, deque adorabili Trinitate per fidem scio, quod de Incarnatione, de justorum gloria

per fidem habemus.

gloria scio, &c. idem est, quod ipse Deus scit. Quamobrem merito Sanctus Paulus, fidem *Dei Sapientiam* appellat; ideoque judicium, quod facit Deus de honoris vanitate, de divitiarum periculo, de delitiarum hujus vitæ veneno, & pretium, in quo habet contemptur, labores, & charitatem; qui fidem habet, idem facit judicium, hoc excepto, quod in Deo fides esse non potest, quia in divino hoc intellectu obscuritas esse non potest. Sed inter certitudinem, quam Deus, & quam homo habet, nullum discrimen est; utraque enim Deo ipsi innititur, atque ita iisdem oculis, quibus Deus videt omnia, quoad certitudinem, eodem judicio, quo judicat illa, eadem statera, qua illa appendit, fidei veritas illa judicat, ponderat, & cognoscit. Hinc fit, ut hoc fidei lumen attollat hominem super se, eumque in aliam quodammodo regionem transferat, doceat illum agere, & cognoscere alia ratione ab ea, qua lumen naturale docet; jam possidet aliquid humano majus, atque in eam plagam ingredi incipit, quæ ab hac inferiori longè diversa est. *Liber cui titulus, Vita Justi per fidem.*

Sæpe major habetur fides profanis historicis, quam Doctoribus sanctis probata referentibus miracula.

Videtur hodie non aliud assumi fidei fundamentum quam humana ratio, errori atque illusioni obnoxia; & mirum est, mundi sapientes, inter quos nonnumquam viri boni inveniuntur, sæpe adeo crasso errori fidem adhibere. Namque dubitari incipit, ubi aliquid rationi duriusculum, neque ita facile credendum occurrit: revelationes pro ineptiis, miracula pro fabulis, infernæ flammæ dæmonesque pro poeticis inventis habentur. Sine ullo discrimine in dubium revocantur omnes Sanctorum Vitæ, quia ibi insueta, & naturæ vires superantia, atque ut ipsi dictitant, recto sensui opposita, leguntur; cumque chimericis fides adhibeatur, commentis, quæ a profanis auctoribus referuntur, fides negatur Sanctis, Sapientibusque, Doctoribus, qui id narrant, quod viderunt, vel quod ex viris fide dignissimis acceperunt, neque alia negandi affertur causa, nisi quod istbæc rectum sensum offendunt. *Pater Crasset. Libro de fide victrici.*

Vita fidei juxta fidei præcepta instituenda est.

Judicia, ac voluntates Evangelicis regulis sunt conformanda, neque agendum est nisi secundum fidei principia. Hoc primi faciebant Christiani, qui gaudio exultabant, cum ad supplicia raperentur, ac inaudita in se crudelitas exerceretur. Disputare nesciebant, at sciebant mori. Mors eorum Religionis nostræ veritates efficacius persuadebat, quam dissertissimorum Oratorum eloquentia, acutissimorumque Philosophorum argumentationes. Sciebant mori; hoc satis erat; nihilque ulterius requirebatur, ut Religioni, quam tuebantur, fides adjiceretur. Sed proh sæculi nostri infidelitatem! nostram impugnare fidem scimus, propugnare nescimus. *Idem.*

Aliis indigemus luminibus, quam rationis, ut æternas veritates comprehendamus.

Nemo dubitare potest, quominus Deo sit infinita potestas, ideoque ea possit efficere, quæ infinitè mentis nostræ captum excedunt; eò magis quod quidquid videmus in natura, quæ, ut ita dicam, intra rationis nostræ fines posita est, omnibus luminibus nostris invium est, atque mentibus nostris incomprehensibile: quod ostendit, nos superiori, quàm naturæ, lumine indigere, ut æternas veritates, postremum finem nostrum, ac vias, quæ ad illum adducunt, cognoscere valeamus; & rationis impotem esse, qui nihil credere vult, quod rationem nostram excedat. Sensus, qui nos erudiunt, falsa vulgò referunt; imbecillia sunt nostra lumina, affectus violenti, judicia opinione, ac depravatis præventionibus corrupta. Quamobrem Philosophus inquit, errorem, citiùs sese menti nostræ offerre, quàm veritatem, atque omnium hominum studiosissimum potiori vitæ suæ parte rudem esse, quàm doctum. At cum omnes homines nihil vehementiùs concupiscant, quàm felicitatem, omnesque cordis, mentisque eorum motus ad hunc finem intenti sint, si non aliud nobis esset lumen, quàm rationis, omnes non indocti solum, verum etiam docti metuerent, ne fallerentur. *Idem.*

Fides est omnium virtutum principium.

Sine fide nulla virtus est, sed cum fide virtutes omnes. Hæc earum principium est, & fundamentum, nec non ad eas acquirendas instrumentum universale: nascuntur, & occidunt, crescunt, atque decrescunt cum illa. Fides nos in humilitate continet docens, quid Deus sit, & quid nos simus: magnitudine æternorum bonorum, quæ pollicetur, spem nostram excitat; ciet charitatem nostram ob oculos nobis statuens perfectiones Dei, ejus beneficia, & maxima in nos merita; fervorem nostrum inflammat præsentia Domini, cui famulamur, ac certitudine mercedis eximiæ, quam nobis promittit: patientiam fovet, affirmans breve levis tribulationis momentum nobis beatitudinem æternam promeriturum; denique summam nobis inspirat reverentiam, ac insuetam in precibus nostris devotionem, sublimem nobis adstruens ideam magnitudinis, & majestatis illius, coram quo loquimur. Eheu Domine, auge fidem meam, ut augeantur virtutes meæ. *P. Nepueu. Tomo 3. Christianarum Considerationum.*

Mirum est, ea credi, quæ sunt credenda, & ea non fieri, quæ facienda sunt.

Frustra fateris, te Christianum esse, ac habere fidem, si cor non consentit cum lingua, si quod voce profiteris, non confirmas operibus. Ad quid hæc divina fax, quæ nos illuminat, prodest, nisi eam ingrediaris viam, quam tibi sternit, atque monstrat? Cum fideli rubore injicere vis propter improbè factum, nonne quæris ex eo; habesne fidem? Videlicet; fieri ne potest, ut fides te non deterreat, ne ea peccata committas, quæ ab illa damnantur? Christianus essene potest Ethnico similis? Adeo mirum est, ut qui credit, quæ credenda sunt, non faciat, quæ sunt facienda. Hæc est S. Bernardi sententia: *Nihil valet fides cordis, sine fide oris; nec fides oris, sine fide cordis. P. la Pesse. De necessitate agendi secundum fidei lumina.*

Serm. 3. de S. Andrea.

Fides in omni statu, omnibusque vitæ circumstantiis nos illuminat.

In qualibet circumstantia, in quavis fortuna, in adytis penetralibus, in negotiorum impedimentis, in ipso mundi tumultu, ubique fides nostra affectuum nostrorum torrenti adversatur. Rerum affluentia, prosperoque fortunæ cursu lætaris? hæc te suo lumine illustrat, ut hujus terræ bona contempleris modò veluti munera, modò tamquam cœli supplicia, modò veluti laqueos virtuti tuæ positos, modò tamquam terribilem materiam rationis serius, ocyus Judici reddendos, qui majora ab iis, quibus plura contulit, exiget. Num adversa fortuna jactaris? hæc docet, te a Deo percuti, ut oculos aperias, tuamque inertiam, languorem, ac nequitiam consideres, illud tibi longè aliam præparare mercedem ab ea, quam hoc in mundo ab illius largitate potes expetere. Si te colunt homines, vel contemnunt, nonne fides te cogit animum advertere ad injustitiam, inconstantiam, ac iniquitatem judiciorum eorum, & ad sapientiam, & æquitatem judiciorum Dei, coram quo uno id appares, qualis es? In iis obeundis officiis, quæ plurimum temporis, atque attentionis deposcunt, illane te sinit ambigere, utrum salus tua potissimum esse debeat studium tuum, & utrum illuc motus omnes tui contendere debeant? In solitudine tibi gustandam præbet illius hominis felicitatem, qui mundi hujus erroribus detectis, vanitatibusque contemptis, uni Deo potest vacare. In mundo inter suavissimum spectaculorum cœtuumque clamorem nonne teipsum revocat, ut te colligas, secretis mœroribus, amara pœnitentia, spe decepta, & inquieta anxietate? Si in habituali peccato versaris, illa contra te excitat conscientiam tuam clamantem, proximæ mortis incertitudinem, inevitabilis exitus terrores, gravissima dilatæ pœnitentiæ pericula. *Idem.*

Fidei lumina arcemus, quia nostra turbant solatia.

Eheu! Auditores, pretiosa hæc fides, qua divinæ placuit misericordiæ nos illuminare, ad id unum proderit, ut nos nocentiores efficiat? Potiusquam eam ingrediamur viam, quam nobis ostendit, clau-

demus

demus oculos, ne certissimum ducem sequamur? Davide Absalonem filium suum fugiente, Sadoc summus Sacerdos, ac Levitæ attulerunt arcam, ut illum dolore confectum consolarentur. Merito crediderunt futurum ut tutissimum hoc divinæ protectionis erga populum suum pignus ex Regis animo tristitiam, metumque omnem expelleret. At David, eruditus quidam Scriptor ait, arcæ adspectum pati non potuit, præcepitque ut Jerosolymam reveheretur. Quare? ne e contra illa mœrorem augeret criminum illius memoriam instaurans. Nonne similis quædam ratio, Auditores lectissimi, vos jubet fidei lumine avertere? Hæc fides acriter vobis exprobrat ea flagitia, quæ afflictim amatis, & in quibus perseverare decrevistis. Quid enim proficeret, vobis ostendens, hæc scelera, quæ mundus probare vellet simul esse non posse cum Christiana Religione, quam profitemini? Heus, clamatis, auferte ab oculis meis hanc arcam: quomodo liberi esse possumus tristia hæc intuentes objecta, quæ nobis exhibet fides? Sola æternitatis, atque salutis cogitatio nobis auferret quidquid in solatiis nostris suavissimum est, atque jucundissimum. *Idem*.

F I L I I.

Filiorum erga Parentes Officia.

M O N I T U M.



Oc in loco agimus tantum de Filiorum erga parentes officiis, quin de Parentum officiis erga filios verba faciamus, de quibus alibi recurret sermo. Argumentum hoc non adeo angustis finibus continetur, ut pro utili, atque ad erudiendum accommodata Concione satis uberem rerum copiam nequeat suppeditare. Mihi quoque stupor incessit, quod paucissimi Concionatores argumentum hoc pertractaverint, eumque Catechistis, Casuistis, Theologisque fere intactum reliquerint, qui de Dei Mandatis agunt inter quæ hoc non postremum obtinet locum. Latius etiam differere licet de hujus præcepti justitia, de naturali lege, deque civili jure, quod hoc etiam, atque etiam commendat, ejusque infractoribus pœnas infligit, de jure patriæ potestatis, deque maledictionibus, quas ipse Deus in filios rebelles, atque inobedientes ejaculatur. Ex his omnibus patebit via, qua hoc argumentum procul a Catechismi stylo, atque ordine possit pertractari.

Nemo unus ignorat præceptum hoc parentes honorandi, latiùs patere, quàm primo statim intuitu videatur; extenditur enim ad Patres Spirituales, Confessarios, Directores, Præsules, & eos, qui dignitate aliqua sive Ecclesiastica, sive sæculari insigniti sunt; sed hæc nostri non sunt argumenti, vel ad alia referuntur, quæ alibi a nobis tractata fuerunt.

Cæterum quamvis hoc argumentum Concionatoribus æquè, & Catechistis commune sit, non deesse tamen debet discrimen in ipsa ejus pertractandi ratione cum hoc temperamento, quod si Concionator sese ad singula demittere debet, quod facere tenetur Catechista, necessaria tamen præcepta non debet negligere, ut adfectata elevatione ordinem, stylumque Cathechista relinquat.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ Sermonum hujus Argumenti delineationes.

I. 

E videar vobis, auditores, augere velle præcepta Dei, filiorum erga parentes officia multiplicans; quandoquidem mandatum illud, ubi de hac re sermo est, reverentiam dumtaxat parentibus filii præstare jubentur, cum dicat: *Honora Patrem tuum*. Illa, fateor equidem, sine ulla necessitate multiplicarem, nisi a viris doctis didicissem, honorem, quem deferre jubentur liberi in hoc præcepto tria continere; videlicet dilectionem, submissionem, & operam. 1. Honor amorem, & dilectionem complectitur; hic enim dilectionis actus honori adeo est essentialis, ut Theologi illum hujus originem, fontem, atque radicem esse testentur: *Dilectio radix est honoris*. Profectò amorem aufer a reverentia, nihil restat nisi inane officium, atque exterior urbanitas: ita, ut oporteat, honorem, quem parentibus suis adhibet filius ex amoris, & dilectionis principio procedere. 2. Honor etiam submissionem designat, non enim satis est a me eos coli, a quibus in hanc lucis usuram editus sum, opus est etiam, ut rebus in omnibus ab eorum nutu pendeam, atque me ipsum dicto illorum ita obtemperantem ostendam, ut nihil sine eorum jussu, aut facultate aggredi audeam. 3. Honor non solum amorem, & obedientiam efflagitat, sed præcipuè operam ipsam deposcit; Deo enim satis non est simpliciter vel cor amans, vel mens submissa, manuum etiam effecta requirit; neque filius, qui parentes honorare jubetur, Dei gratiam mereri posset, nisi huic honori vera accederent in parentum necessitate subsidia. Hæc mea quidem sententia S. Bonaventura triplici verbo indigitavit, cum de hoc præcepto verba faciens, ac de honore, quem parentibus liberi adhibere tenentur, differens ait, hunc in tribus positum esse debere, in dilectione, reverentia, & obsequio: *Est honor dilectionis, est honor reverentiæ, est honor obsequii*. Libenter ejus sententiæ subscribo, sed ut faciliorem adstruam ideam, & quam omnes retinere possint, ad amorem id transfero, quod ille de honore, ac reverentia generatim adfert; & huic innixus fundamento ostendendum propono, eo in præcepto quod nobis hodie irrogatur de parentibus honorandis, triplex amoris genus requiri, reverentiæ, obedientiæ, & obsequii. Tria hæc officia quæ facilè palam fient argumentis deinceps afferendis, sermonis hujus partitionem constituent.

II. Constans est veritas, atque in morali disciplina generale principium est, parentibus erga eos, quos genuere, duplicem esse qualitatem, vel prærogativam, quæ a genitis duplex officium requirunt, & illis duo inevitabilia irrogant munera. Primum est cognationis vinculum, quo nullum arctius in natura; alterum dignitas, quam Deus, & natura patri-

patribus in liberos conferunt. Ex duplici hac autem qualitate consequitur, Deum, rationem, atque civilia jura, amorem, & reverentiam in filiis expetere erga eos, quibus hanc vitam debent. 1. Propter hanc cognationem illis filialem debent amorem, quo nullus major, & æquior, post illum, qui impenditur Creatori, creaturæ ulli est impendendus; quapropter mandatum hoc, quod irrogavit Deus, statim iis subnectitur officiis, quæ sibi præstari jubet, atque in altera tabella primum obtinet locum. 2. Propter hanc dignitatem, atque superiorem auctoritatem, filii parentibus integram debent submissionem, & obedientiam omnibus eorum imperiis, quæ non sint Dei mandatis opposita; obsequium omnibus eorum sententiis, & consiliis in iis, quæ ad negotia, fortunas, omnemque hujus vitæ rationem pertinent.

III. Filiorum erga parentes officia ad tria rediguntur. 1. Ad honorem, & reverentiam, quia erga illos Dei obtinent locum, & filii ab illis vitam, & quidquid habent receperunt. 2. Ad obedientiam, & submissionem, eum enim adolescentia consilio, ac regimine indigeat, undenam hoc melius recipere possunt, quàm a genitoribus suis, qui maxima pollent experientia, qui summo illos amore prosequuntur, & quorum interest liberorum suorum utilitas? 3. Ad opem, subsidiumque quod laborantibus patribus filii præstare tenentur.

IV. Tres rationes ex Sacris depromptæ litteris nos parentes nostros colere, eos amare, eisque famulari cogunt.

Prima desumpta est ex D. Paulo *cap. 6. Epist. ad Ephes.* Filii, *obedite parentibus vestris, hoc enim justum est*. Hoc justum esse, & ad hoc omnia justitiæ jura nos compellere, ostendendum est.

Secunda, quia Deus hoc jubet, atque explicitè præcipit: *Filii obedite parentibus per omnia, hoc enim placitum est in Domino*, inquit idem Apostolus *ad Colossenses cap.* 3. Ostendendum est, hoc præceptum a Deo irrogatum rationi esse conforme, & eidem maximæ esse curæ, quandoquidem tantam in hac etiam vita mercedem pollicetur illis, qui eidem parebunt, atque adeo terribiles minas intentat illis, qui ipsum perfringent.

Tertia, quia ad id nos cogit grati animi sensus, quod inferri debet ex illis Ecclesiastici verbis cap. 7. *Honora patrem tuum, & gemitus matris tuæ ne obliviscaris: memento quoniam nisi per illos natus non fuisses: & retribue illis, quomodo, & illi tibi*. Ostendendum est, quemadmodum post Deum nemo est, a quo majoribus, quàm a parentibus, cumulati fuerimus beneficiis, neminem quoque esse, cui majorem animi grati sensum testari debeamus, iis officiis, quæ a nobis sunt iisdem præstanda.

V. Filii parentes suos, ut par est, reverebuntur, si tria præstiterint, quæ concionis partitionem possunt efficere.

1. Si illos amaverint vera, sinceraque charitate, quæ in eo posita est, ut de illis per quam optimè mereantur, a quibus vitam acceperunt.

2. Si eorum defectus, atque infirmitates cum animi, tum corporis pertulerint.

3. Si eorum voluntatibus, atque imperiis obtemperaverint.

VI. De iisdem officiis, quæ liberi parentibus suis præstare tenentur tres proponi possunt quæstiones pro concionis divisione, & argumento.

1. Utrum filius patri suo par pari unquam rependere possit, & ea, ad quæ tenetur, explere? Ethnici uno ore docent, cum vita, quam a parentibus accepimus, sit cæterorum bonorum fundamentum, ac beneficium, cui nullum æquari possit, nihil pro illis fieri posse, quod hoc debitum dissolvere valeat: ita etiam ut si aliquo casu, qui infrequentissimus est, filii parentum suorum vitam servarent, eosque tuerentur a morte, quam sine illorum ope certissimam erant subituri, nihil præstarent, quod non deberent. In morali autem JESU CHRISTI disciplina affirmare audeo, posse filios paria facere, & aliquid etiam magis pretiosum ipsa naturali vita, quam acceperunt, conferre; illis enim vitam animæ, æternamque salutem procurare possunt.

2. Utrum filii teneantur semper rebus in omnibus parentibus suis obtemperare, quod his verbis asserere videtur Apostolus: *Filii obedite parentibus per omnia*. Attamen certum est obtemperandum non esse in iis, quæ sunt contra Dei Legem, vel contra cultum illius, veluti eum parentes prohibere volunt filios suos ne Religiosum, vel Ecclesiasticum statum, ad quem Deus illos evocat, amplectantur &c. *Ad Col. 3.*

3. Utrum filii teneantur semper opem parentibus ferre, quod de jure naturæ esse videtur. Nequeunt tamen illis opitulari eum per vim, atque injustitiam aliquid consequi cupiunt; neque illis indigentibus illicita quapiam ratione gratificari. Quæstio est utrum liber Religiosum statum relinquere debeant, ut patribus non in extrema necessitate positis, subveniant, qua de re consulendi sunt Theologi.

De obedientia, quam filii parentibus debent: Tria sunt, quæ parentes filiis præcipere possunt, juxta quorum discrimina filii obedientiam suam regere debent. VII.

1. Quibusdam in rebus obtemperare debent, qualia sunt ea, quæ spiritale, ac temporale bonum suum, institutionem, Dei cultum, bonum exemplum, immo ea etiam quæ neque mala sunt, neque bona, & quæ ad rei domesticæ tantùm regimen spectant.

2. In aliis nunquam obedire debent, talia sunt quæ contra Dei honorem jubentur, vel quæ per se noxia sunt, puta ultio, injustitia, vis &c.

3. In aliis tandem obedire possunt, sed non semper tenentur, veluti in vitæ statu eligendo, in uxore ducenda &c.

Quomodo filii sese gerere debeant cum parentibus suis, ut satisfaciant præcepto, quo illos honorare jubentur a Deo. VIII.

1. Debent illis afferre solatium senectute, morbo, aliave quapiam necessitate laborantibus.

2. Debent pro virili eorum vitia, ac defectus contegere, quorum bona existimatione nihil sibi esse debet antiquius.

3. Ferre debent pravam eorum indolem, impatientiam, asperitatem, ac meminisse laborum, atque curarum, quas adolescentiæ suæ tempore patribus attulerunt.

Hæ duo veritates justæ Concionis partitionem possunt efficere. IX.

Prima; Permittet Deus, ut filii vestri vobiscum agant, quemadmodum a vobis cum patribus vestris actum fuerit.

Altera; Quemadmodum longa, & felix senecta merces est amoris, & reverentiæ filiorum erga patres; ita mors immatura, & præceps erit eorum inobedientiæ supplicium.

Hæ Sapientis verba nos docent, quomodo nostris perfungi debeamus officiis erga parentibus: *In Opere, & sermone, & omni patientia honora patrem tuum.* X. *Eccli. 3.*

1. Tuam patri reverentiam testaberis *Opere*, cum nihil magni momenti aggredieris illo inconsulto: cum monitis ejus præbebis aurem bibulam, cumque cavebis, ne tua vivendi ratione, vel facto aliquo, quod illius iram, atque indignationem conflare tibi possit, illi afferas molestiam.

2. Tuam illi significabis observantiam *Sermone*, non solum numquam verborum asperitate ejus reverentiæ, quam debes, fines prætergrediens, neque ex oris habitu, qui contemptum redoleat, illi respondens; sed humilibus, atque ad obsequium compositis vocibus utens &c.

3. Hanc denique reverentiam, & honorem præstabis, si non ægrè, neque gravatè feres illius defectus, infirmitates, morosum ingenium &c. *Ex Aucto-*

Auctore Sermonum in omnia Ethica Christiana argumenta.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest ad propositas Concionum structuras amplificandas.

Sancti Patres. SAnctus Augustinus *contra Adimantum*, docet quonam in casu præceptum amandi parentes cedere debeat præcepto diligendi Deum. Hoc ipsum ostendit etiam, *Conc. 1. in Psalm.* 70.

Idem, in Psalmum eumdem exemplo Jonadab ostendit, quomodo Deus benedicat obedientiæ, quam filii parentibus præstant.

Idem, *vel quisquis est auctor Serm.* 40. *ad Fratres in Eremo*, adfert exemplum obedientiæ, quam Isaac præbuit Abrahæ.

Sanctus Ambrosius, *lib.* 1. *Offic. cap.* 17. hac in re Isaaci, & Josephi exemplum proponit.

Idem, *l.* 3. *Offic. c.* 12. *ad calcem*, celebrat exemplum filiæ Jephte, quod omnibus hac in re veterum præponit exemplis.

Idem, *lib.* 5. *Hexameren cap.* 16. exemplum adfert quorumdam brutorum, quibus natura inspirat amorem erga eos, a quibus vitam receperunt.

Idem, *l. de benedict. Patriarch. cap.* 1. filios hortatur, ut hoc erga Parentes munere defungantur.

Idem, *l.* 6. *in c.* 8. *Luc.* in hæc S. Matthæi verba:
Matth. 7. *Qui facit voluntatem Patris mei, hic mater, & frater, & soror est.*

Sanctus Hieronymus, *Epist.* 1. *ad Heliodor.* docet ubinam Dei cultus paternæ auctoritati sit præferendus.

Idem, *l.* 3. *in c.* 6. *epist. ad Ephes.* in ea Apostoli verba: *Filii obedite parentibus vestris in Domino*, ostendit obligationem, quam filii parentibus obtemperare tenentur, ac præstantiam hujus præcepti, quod nobis Deus irrogavit.

Origenes, *Homil.* 8. *in Genes.* 22. eloquentem habet descriptionem sacrificii, quod Abraham offerre voluit, & obedientiæ, quam Isaac ea in occasione præstitit.

Sanctus Cyrillus *l.* 7. *de Adorat.* tractat de præcepto honorandi parentes.

Clemens Alexandinus, *l.* 5. *Stromat. cap.* 1. ostendit in quæstionem revocandum non esse, utrum parentes colendi sint.

Philo Judæus *l. de Decal.* contra filios invehitur, qui parentibus non obsequuntur.

Cassiodorus, *l.* 2. *Epist.* 14. similem habet invectivam contra filiorum impietatem.

Ascetici pluque. P. Cordier, in Familia sancta parte prima prolixum habet tractatum de filiorum erga parentes amore.

Auctor Ethicæ Christianæ *in Pater lib.* 1. *sect.* 3. *art.* 12. fusiùs hoc argumentum persequitor.

Pædagogus Christianus, *cap.* 6. §. 3. loquitur de filiorum peccatis erga parentes suos.

Gobinet in Adolescentiæ Institutione *par.* 4. *c.* 4. agit de filiorum amore, & obedientia erga genitores.

Pean in Schola JESU cap. 28.

Bellarminus in Opusculo de septem verbis JESU CHRISTI in Cruce cap. 15.

Abbas Trappensis in Vitæ Monasticæ Officiis, tomo 2. cap. 16. quæst. 13.

Liber cui titulus, Regimen Familiarum, a P. Sandret editus, tertia parte de filiorum erga parentes officiis.

P. Caussinus, lib. 3. Aulæ sanctæ sect. 40.

Concionatores. Joly in operibus mixtis, sermone de educatione filiorum loquitur de officiis filiorum erga patres.

In moralibus sermonibus, non deest hujus argumenti sermo.

Pater le Jeune, vulgo Pater cæcus appellatus, Sermone 52.

Idem, in tomo Sermonum de Præceptis Domini Serm. 49. & parte hujus Sermonis altera, loquitur de filiorum erga genitores officiis.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta in Domin. tomo primo. Sermo pro Dominica in Octava Epiphaniæ totus est hujus argumenti.

Hortus Pastorum, *Tract.* 4. *lect.* 1. *de quarto Precepto: Honora Patrem, & Matrem.*

Mathias Faber, in Auctuario, *Domin.* 17. *post Pent. Tom.* 4.

Caignet in Pastorum Dominicali, Dominica prima post Epiphaniam.

Engelgrave in Lucæ Evangelium Dom. 1. post Epiphaniam.

Qui collectanea ediderunt.

Summa Prædicantium.	Titulo *Filius.*
Berchorius.	
Langius.	
Labatha.	

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento.

H*Onora patrem tuum, & matrem tuam, ut sis longævus super terram.* Exod. 20.

Qui percusserit patrem suum aut matrem, morte moriatur. Exod. 21.

Maledictus qui non honorat patrem suum, & matrem. Deut. 27.

Audi, fili mi, disciplinam patris, & ne dimittas legem matris tuæ. Prov. 1.

Stultus irridet disciplinam patris sui. Prov. 15.

Qui affligit patrem, & fugat matrem, ignominiosus est & infelix. Prov. 19.

Qui maledicit patri suo, & matri, extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris. Prov. 20.

Qui subtrahit aliquid à patre suo, & à matre, & dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est. Prov. 28.

Oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corvi de torrentibus, & comedant eum filii aquilæ. Prov. 30.

Qui timet Dominum honorat parentes, & quasi dominis serviet his, qui se genuerunt. Eccli. 3.

Quàm malæ famæ est, qui derelinquit patrem: & est maledictus à Deo, qui exasperat matrem. Ibidem.

Fili suscipe senectam patris tui, & non contristes eum in vita illius: & si defecerit sensu, veniam da, & ne spernas eum in virtute tua. Ibid.

Benedictio patris firmat domos filiorum, maledictio autem matris eradicat fundamenta. Ibid.

Sicut qui thesaurizat, ita & qui honorificat matrem suam. Ibidem.

Qui honorat patrem suum, jucundabitur in filiis, & in die orationis suæ exaudietur. Ibid.

Qui honorat patrem suum, vita vivet longiore. Ibidem.

In opere & sermone, & omni patientia honora patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio ab eo. Ibidem.

Honora patrem tuum, & gemitus matris tuæ ne obliviscaris: memento quoniam nisi per illos natus non fuisses: & retribue illis, quomodo & illi tibi. Ibidem, cap. 7.

Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus: memor enim esse debes, quæ & quanta pericula passa sit propter te in utero suo. Tobiæ 4.

Filii, obedite parentibus vestris in Domino: hoc enim justum est. Ad Ephes. 6.

Filii obedite parentibus per omnia: hoc enim placitum est in Domino. Ad Coloss. 3.

Mandatum primum in promissione, (nempe honorandi parentes.) Ad Ephes. 6.

Exempla ex veteri, novoque Testamento deprompta.

PRæter minas, quas in Scriptura intentat Deus filiis suorum officiorum erga parentes oblitis severissimam legem hanc in veteri Testamento Deus irro- Severa veteris testamenti lex contra filios inobedientes.

irrogaverat; quæ cum attentius sit consideranda, illam de verbo ad verbum exscribere placuit: *Si genuerit homo filium contumacem, & protervum, qui non audiat patris, aut matris imperium, & coercitus obedire contempserit: apprehendent eum, & ducent ad seniores civitatis illius, & ad portam judicii, dicentque ad eos: Filius noster iste protervus, & contumax est, monita nostra audire contemnit, comessationibus vacat, & luxuriæ, atque conviviis: lapidibus eum obruet populus civitatis, & morietur, ut auferatur malum de medio vestri, & universus Israel audiens pertimescat.* Severam hanc legem contra rebelles filios irrogaverat Deus; quam licet in Evangelio non confirmaverit, non debent illi minus Dei iram, ultionemque vereri, cujus frequentissimi quotidie videntur effectus, in iis pœnis, quas palam serius, vel ocyùs infligit filiis, qui adeo sanctam, intemerandamque legem perstringunt.

Deut. 21.

Animadversiones D. Chrysostomi in legem hanc. *Chrys. serm. 4. de variis formis locis.*

Notandum est, Sanctus Chrysostomus inquit, in lege nequaquam dici, protervum hunc contumacemque filium a carnificibus esse arripiendum, sed ducendum a patre; neque illum extra urbem mulctandum, sed in medio foro audito dumtaxat parentum testimonio, sine ulla quæstione, aliave judicii forma ab omni populo esse lapidibus obruendum, & jure; fidei enim consonum non est, parentes, qui unicè diligunt filios suos viscerum suorum fructus, & qui alioquin pro illis bona omnia, vitamque ipsam impenderent, velle eos palam accusare, nisi justissima causa compellerentur? Illum igitur in forum adducunt, eumque accusant, quibus auditis omnes, qui adstant lapidum ictibus nocentem occidere debent; ita ut legislatori, nequaquam sufficiat, eos spectatores adesse supplicii, sed velit auctores, atque ministros esse, ut quicumque intuitus fuerit manum, quæ in parricidæ hujus caput lapides jecerit, admoneatur sibi sapientius agendum. Neque hoc una de causa divinus Legislator legem hanc irrogavit, verum etiam ut scirent omnes filium, qui indignè parentes suos excipit, non illis tantum injuriam afferre, quibus vitam debet, sed hominibus omnibus; ideoque vult omnes aliquid illius supplicio conferre, quippe qui ab eodem fuere dedecore affecti. Vult civitatem omnem, populumque cogi ad hanc persequendam injuriam, quæ illis communis est, & non ex urbe tantum, sed ex orbe etiam exterminari hominem, quem omnes tamquam publicam pestem odisse debent, eò quod in parentibus suis totum humanum genus offenderit.

Exemplum obedientiæ Isaac.

Hoc est celeberrimum filii exemplum, qui sua patri obedientia nomen suum immortalitate donavit, omnibusque sæculis præbuit ejus submissionis exemplar quam filii parentibus debent. Hic Isaac est filius Abrahæ gaudium, atque solatium parentis optimi, ac spes frequentissimæ sobolis, quam illi promiserat Deus. Cum illum e somno excitasset Abraham, præcepit, ut se præeuntem sequeretur. Pergamus, inquit, remotum in locum Deo sacrificaturi. Dicto citiùs surrexit Isaac, cumque emenso trium dierum itinere pervenissent ad montis radices cum duobus servis, & jumento sacrificii ligna deferente, Abram hoc exonerato, impositisque lignis super humeros Isaac cum eodem montem ascendit. Cum uterque gradibus æquis incederent, Abraham quidem manu cultrum, ignemque sacrificii gestans, Isaac vero ligna ad extruendum rogum afferret, Pater mi, inquit Isaac; hic habemus quidem ignem, & ligna, at sacrificii victima ubi est? Ne hoc tibi negotium facessat, fili, Deus sibi victimam providebit. Cum verò in summum montis cacumen evasissent, Abraham altare composuit, extruxit rogum, atque oculos in Isaac convertens: Tu fili, inquit, victima debes esse; hoc namque Dominus imperavit. His auditis quin ne verbum quidem redderet, sese super rogum extendit, patrique suo facultatem reliquit de se holocaustum Domino offerendi.

Pœna Chă filii Noè, eò quòd parenti suo non præstitisset honorem.

Refert Scriptura Noe cum ex viris, quam ipse plantaverat, & cujus vis illi nondum explorata esse poterat, fructu epotasset, sensum amisisse, atque in ebrietatem cecidisse, quam tristis casus excepit. Cum enim ille vino madidus, non satis decoro corporis statu crapulam edormiret, ejus virilia nudata sunt; quod cum agnovisset Cham ejus filius secundo loco natus, rem vertit in ludibrium, fratresque simul accersivit, ut secum in cachinnos erumperent; qui cum sapientiores essent, ac parentis optimi observantiores, cui dupliciter debebant vitam, tum quod ab eo geniti, tum quod ex universalis cataclismi fluctibus fuerant erepti, quin patris nuditatem riderent, eam suis vestibus post tergum rejectis operuerunt. Cum autem evigilasset Noe, & quid a filiis effectum fuerat intellexisset, Semo, & Japhetho quidem ob testatam eorum hanc in occasione pietatem benedixit; Chamo autem, paternæ benevolentiæ affectibus in imprecationes versis, maledixit. Zelus naturam vicit, Oblitus est, Cham filium suum esse, quia Deum ipsum offenderat contumelia patrem afficiens, quem Deus coli jubebat, irrisorisque patris filios perpetuæ servitutis pœna damnavit. Noè fortasse festinantiùs æquo in levem, imprudentemque filium maledictionem suam maturasse videri potest; attamen quia Patrem filius in jocum, & ludibrium traduxerat; Patrem votis damnavit Deus, & noluit, ut unquam cum impudentissimi hujus filii minoribus populus suus fœdus perciperet, ut omnes homines intelligerent, quæ pœna inobedientes rebellesque filios maneat, cum non solum aculeatis dicteriis parentes irrident, verum etiam cum contumeliosiùs in eos agunt, neque injuriis, & opprobriis abstinent.

Josephi Patriarchæ reverentia erga patrem Jacob.

Ad quemcumque honoris, virtutisque gradum evehamur, numquam eorum oblivisci fas est, quibus debemus, quidquid sumus. Hunc S. Patriarchæ Josephi sensum fuisse liquet ex iis, quæ ex Scripturis didicimus; qui cum divina providentia principem in Ægypti regno post Regem obtineret gradum, Jacob parentem suum senio confectum eodem excepit honore, quo Principem excipi decuisset, eoque fato functo, regia, magnificaque pompa corpus exanime jussit efferri, ut in Chananæam tradnctum in majorum sepulcra inferretur.

Funestus exitus rebellis Absalon.

Ut exemplum vobis proponam, ubi tamquam in speculo videre possitis pœnas, quas ex inobedientibus filiis reposcit Deus, oculos in calamitosissimum Absalonem convertite; qui cum omni scelere filii erga patrem officia violasset, tandem delectas improbitatis suæ pœnas dedit funesta, miseraque morte, quam Scriptura nobis enarrat. Cædes fratris Amnon primum illi Davidis Parentis optimi indignationem conflaverat, qui ad quinquennium procul ab ædibus patriis solum vertere jussit. Verum simul, ac ab exilio fuit revocatus, insignem contra Regem ipsum rebellionem molitus est, atque versutè populi sibi conciliata benevolentia seipsum Regem jussit inaugurari. Deinde arma in ipsum patrem convertit, cumque Jerosolyma trepide egredientem persecutus fuit valida militum manu, quos collegerat, ut Patri coronam auferret. At divina justitia passa non est inhumanissimum filium, qui omnes naturæ sensus abjecerat. David a filio lacessitus vim vi debuit propulsare, & exercitus Absalonis licet numero, viribusque superior occidione deletus fuit; qua in clade cum Absalon sibi fuga consuleret, & sub ingentem quercum transiret, divino certe consilio factum est ut capitis cæsaries arboris ramis innecteretur ita, ut equo, quo vehebatur, pernicissimè procurrente, pendulus ipse in aere permaneret, quin utcumque sese inde posset expedire. Hunc ita pendentem cum Davidis milites conspexissent, lanceis illum transverberarunt, occideruntque; licet incredibili charitate David illos in prælium mittens præcepisset, ut ab Absalonis sanguine abstinerent.

Exem-

Honor, quo Salomon matrem suam dignatus est.

Exemplum afferam prorsus oppositum in Salomonis persona, cujus suavissimum ingenium penitus abhorruit a feritate Absalonis fratris ejusdem, de quo nuperrime sermo fuit. Rex iste Sapiens, quem omnes finitimi populi venerabantur, numquam majorem promeruit laudem, quàm cum pro tribunali sedens instrui jussit solium ad dexteram suam, ubi matrem sedere voluit. Numquam profectò majorem invenire laudem poteritis, quàm cum summo honore, atque reverentia illos, a quibus vitam recepistis, excipietis.

Ipsius JESU CHRISTI exemplum Matri ac Josepho obtemperantis.

Sæpe recogita admirabile exemplum non hominis quidem, sed ipsius Filii Dei, qui propter nostram salutem Homo factus, subditus esse, & obedire dignatus est Sanctissimæ Genitrici, & Sancto Joseph usque ad tricesimum vitæ suæ annum, cum esset universorum Dominus, ut omnibus filiis suo monstraret exemplo, quem parentibus suis honorem debeant, atque ut intelligeremus indignissimum esse, hominem eorum imperium detrectare, a quibus genitus est, cum Deus Cœli, atque terræ dignatus fuerit sese illi submittere, a qua temporalem nativitatem recipere non erubuit.

Idem Dei Filius ostendit, singulos teneri parentibus suis ad mortem usque opitulari.

Salvator huic erga matrem suam officio satisfacere voluit, cum illam omni humana ope destitutam relicturus in locum suum Sanctum Joannem substituit, qui eidem, donec in terris degeret, famularetur: *Mulier*, inquit illi; *Ecce filius tuus*. Nihil oblitus eorum est, quæ filius optimus efficere poterat matri ætate jam provecta, & quæ per se sibi victum comparare non poterat. Illi dedit in filium unum ex discipulis suis, eum verò potissimum, quem præ cæteris diligebat, & a quo unicè se diligi noverat, & cujus fides sibi comperta erat, atque explorata. Denique tunc afflictæ matris hujus solatio consuluit, cum aliò cogitationes suas convertere debuisse videbatur, cum sævissimi dolores, quibus corpus ejusdem torquebatur, & proximæ mortis angustiæ omnem illius occupare mentem debebant. Attamen umquam oblivisci potuit illius, quam semper dilexerat, ita ut inter gravissimos cruciatus, eidem solatium afferre admiteretur.

Dei Filius acriter in Legis Doctores invectus est, qui præceptum colendi parentes evertebant.

Judæorum Sacerdotes, Pharisæi, Legisque Doctores, ut suam explerent avaritiam, genuinum corruperant sensum præcepti de colendis parentibus impia traditione, quam in populo studebant invehere sub specioso religionis, atque pietatis in Deum prætextu: hanc enim prætexentes causam, Deum videlicet rebus omnibus esse præferendum, ipsis etiam consanguineis, immo nobis etiam metipsis, palam docebant, opus esse magis, offerre Deo, quàm parentibus adesse, qua de re acerrime illos redarguit Salvator, exprobrans Dei mandatum ab ipsis deleri, ut humanam traditionem eamque consuetudinem, quam contra jus, fasque instituerant, tuerentur: nam opus est, ut quod meræ devotionis est, iis cedat, quæ necessariò facere tenemur. Nulla autem pietatis erga Deum opera illi possunt accepta esse, ubi sanctissima lex ipsius perfringatur, & non expleantur naturalia officia, a quibus dispensari nullo modo licet, quale est parentibus necessitate laborantibus opem afferre.

Quorumdam Scripturæ locorum huic argumento Applicatio.

Quomodo filius Patrem honorare possit, in illum omnem convertens honorem, quem ipse acquirit in mundo.

E*Go honorifico Patrem meum. Joan.* 8. Ita Dei Filius respondit Judæis, a quibus sævissimis calumniis impetebatur. Non alia in omnibus actionibus meis, quæ improbè damnatis, mihi mens est, quàm Patrem meum colendi, eique debitam gloriam procurandi. Oportet (Fideles,) ut filius qui post Deum a patre suo vitam, nomen, bona, & sæpe etiam honorem, qui generi suo, ac nobilitati defertur, accepit, in hoc suam gloriam constituat, ut colat principium, ac fontem, unde hæc omnia bona procedunt, ita ut moribus, verbis, factisque dicere possit cum JESU CHRISTO: *Ego honorifico Patrem meum*. Si illustre a patre genus accepit, nihil admittat, quo eodem indignus videatur, sed immo tueatur illud, & caveat ne a patria dignitate degeneret, vel maculam aliquam nomini, quod gerit, offundat: *Ego honorifico Patrem meum*. Hæc eadem ratio est, quæ ad illos adhortandos assumitur. Si communi, imo etiam humili loco natus est, gloriam, quam adipiscetur, pro virili in vitæ suæ auctorem transferat, illum celebrem, atque commendatione dignum efficiat, quod in lucem ediderit filium qui præclarè factis inclaruit, quod non paucis contigit, quorum parentes, atque majores a filiis nominis immortalitatem sunt nacti. Hoc sane est parentibus avisque gloriosam in hominum memoria vitam pro brevi, perituraque vita referre; hoc est ex tenebris patris nomen eruere per filii gloriam, qui efficit, ut pater cognoscatur, eumque, ut ita dicam, proferr in lucem.

Quam venerabile sit nomen, & dignitas patris.

Si pater ego sum, ubi est honor meus? Malac. 1. Non modica ratio est, nec parum apta ad ostendendum honorem, & reverentiam, quam parentibus debemus videre in Scripturis Deum Patris nomen sibi vendicantem, quasi omnes Dei, Creatoris Cœli, atque terræ, aliique omnes tituli, quibus super creata omnia extollitur, non satis significarent necessitatem eorum officiorum, quæ ipsi debentur. *Si Pater ego sum, ubi est honor meus?* Unde colligi potest, quanta sit enormitas sceleris, quod filii committunt, qui adeo necessario muneri desunt, ac illis honorem detrectant, qui erga se Dei locum obtinent; & quam venerabile sit nomen, & dignitas Patris, quandoquidem ipse Deus qualitatem hanc non dedignatur, & sub hoc nomine exigit honorem, atque reverentiam, quæ sibi tot ob causas debetur.

Pœnam, quam reposcit Deus ex illis qui parentes suos contemnunt.

Oculum qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ; effodiant eum corvi de torrentibus, & comedant eum filii Aquilæ. Prov. 30. Non satis virium habere possunt verba mea ad innuendam ultionem, quam reposcit Deus de filiis parentes suos irridentibus, cum effœta jam ætate sunt, vel gravi aliquo morbo laborant. Sacra Biblia prorsus novum, & peculiare adinvenerunt supplicium ad eos plectendos, cum ajunt oculum filiis, patrem subsannantis a corvis eruendum esse, & ab aquilis devorandum. Hæc non est oculi contemnentis nictatio, non frons ad ejus occursum in rugas contracta, non gestus indigitans illum nullo in discrimine haberi, non parvus contemptus est; haud ita sanè; sed est contra parentes, qui a nobis summo sunt habendi in honore contemptus; hinc autem quid concludit Spiritus Sanctus? *Effodiant eum corvi*. Volo, oculum hunc indignantem, & subsannantem fieri rabidorum corvorum prædam; volo pabulum fieri aquilarum jampridem collecta fame sævientium. Hæc verba in naturali sensu significant filium hunc non mereri diei lucem cernere, indignum esse, quem tellus sustineat, cumque cæteri post mortem humo condantur, hunc in sterquilinium projiciendum esse carnivoris animantibus prædam.

Patribus obediendum non est, si quid contra Dei legem præceperint.

Qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus. Matth. 10. Verba hæc, ex D. Ambrosii sententia significant, Dei cultum semper esse præferendum pietati, quam parentibus nostris debemus; itaut eo amore, quo illos prosequimur, vel obedientia, quam illis præstamus, nullum unquam Dei præceptum infringatur; & cum illis in hujusmodi occasione resistimus, vel cum gravissimis etiam eorum sollicitationibus adversamur, tunc adimpleamus præceptum, quo illos odisse jubemur; hoc est, duriusculè extrinsecus cum illis agimus, quemadmodum ageremus cum iis, quos vel contemneremus, vel odio persequeremur, illos deserentes, iisque resistentes ob effugiendam gravissimam illam sententiam, quam Dei Filius in illos pronuntiat, qui amorem suum erga parentes reverentiæ, amori, atque obedientiæ, quæ Deo debetur, anteferunt.

Et erat subditus illis. Luc. 2. Dei Filius subditus erat Matri suæ, & Sancto Joseph. Quodnam submissionis prodigium! In Æternitate Verbum non pendet a Patre, quia quatenus, & ipse Deus est, illi æqualis est; homo verò factus per temporalem regenerationem non solum pendet a Patre Æterno; verum etiam a Matre sua, & Sancto Joseph, Virgo enim quatenus Sancti Joseph conjux huic subjecta est. Ita qui nemini obedire poterat, quatenus nullum superiorem noverat, nostram naturam induens vitam suam ad Mariæ, & Josephi nutum instituit, suamque eorum subjicit voluntati, Incomprehensibile Mysterium, videre Deum creaturis suis subditum. Quàm potiori jure nunc dici potest, quàm de eo tempore, quo Josue præcepit ne sol moveretur, Deum voci hominis obedire. Quis pudor, o pueri, qui ea, qua debetis, non excipitis, reverentia illos, a quibus vitam accepistis, cum vobis ob oculos versetur exemplum Dei creaturis suis obedientis.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, ac Sententiæ Sanctorum Patrum, hujus Argumenti.

Nihil charius filiis debet esse quàm pater. Aug. l. 2. de Serm. Dom. in Monte.

Malos filios, ne de iis erubescant, etiam parentes abdicare solent. Idem, in exposit. Epist. ad Galat.

Honorandus est pater, sed obediendum est Deo; amandus est generator, sed præponendus est Creator, Idem, Serm. 7. de Verb. Dom.

Amate parentes, sed præponite parentibus Deum, Idem, ibidem.

Amorem parentum & filiorum, Christus non abstulit, sed ordinavit; non dixit qui amat, sed qui amat super me, Idem. Serm. 3. ex additis per Sirmundum.

Parentes honorare debemus, & eos tamen propter annuntiationem regni Dei, nulla impietate contemnimus, Idem, contra Adimantum, cap. 6.

In ea re sola filius non debet obedire patri suo, si aliquid pater ipsius jusserit contra Dominum Deum ipsius. Idem, in Psal. 70. Serm. 1.

Ornamenta juvenilis ætatis sunt, & adolescentium honor, timorem Dei habere, parentibus deferre. Ambr. lib. 8. Offic.

Pasce, o fili, parentes, illis debes quod habes qui debes quod es. Idem.

Ideo improbum habere meruit filium quia improbus fuerat patri. Loquitur de Chamo filio Noe, Idem, l. de Noe & Arca.

Justum est ut filii reverentiam exhibeant eis, per quos sunt, Idem, in Epist. ad Ephes. cap. 6.

Utrum admirer & obstupescam justiùs? fortemne spiritum Patriarchæ (Abrahæ) an pueri Isaac obedientiam, quòd nec reluctatus est, nec factum ægrè tulit, sed cessit & obtemperavit? Chrysostom. in Genes.

Tolle radium à sole, & non lucet: rivum à fonte, & desiccabitur; ramum ab arbore, & arescet: sic separa filium à devotione paterna, & jam non erit filius. Chrysologus.

Sola causa, qua non liceat obedire parentibus, Deus est; ipse enim dicit, qui amat patrem, & matrem plusquàm me, non est me dignus. Bernard. Epist. 111.

Si impium est contemnere matrem, contemnere tamen propter Christum piissimum est. Idem Epist. 104.

Perpende quanta crudelitatis sit, illos despiciendo contemnere, per quos habes & ipsum esse. Petrus Damiani, Epist. ad Albertum.

Qui patri non obsequitur, Deo non obsequitur. August. l. de Obedientia.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ penu ad hoc argumentum possit depromi.

Ad quam virtutem referatur reverentia parentibus debita. D. Tho. 2. 2. q. 101. art. 1.

HOnor, & reverentia, quam filius, quatenus filius præstat parentibus suis ex D. Thoma, actus est pietatis, quæ, ut Sanctus hic Doctor ait, non omnibus indiscriminatim hominibus, sed parentibus tantùm, patriæque nostræ debetur. Ratio verò, quam adfert, est, quòd pietas, quatenus virtus moralis, locum tenet statim post Religionem. Cum autem Religio cultum Deo deferat propter singularem, atque infinitam ejus præstantiam quatenus est primum rerum omnium principium; pietas quoque parentibus, patriæque præstat obsequium, ac reverentiam, quam illis debemus tamquam secundis vitæ nostræ principiis; cumque parentes solum, & patria haberi queant secunda vitæ nostræ principia, hoc propriè tantùm respicit pietas. Quamvis in parentum honore, & reverentia contineatur etiam honos, quem consanguineis nostris debemus, quatenus ex eodem genere sunt præceptoribus, a quibus erudimur, directoribus, Patribusque Spiritualibus: hic tamen honor his debitus non nisi per analogiam, atque latiori in significatione pietas nuncupatur.

Post Deum parentibus nostris, magis cæteris quibuscumque debemus. S. Thom. q. 122. ar. 5.

Deus est universale, ac supremum essentiæ nostræ principium; parentes verò sunt veluti secunda particularia principia; unde sequitur post Deum nos plus parentibus nostris, quam cæteris quibuscumque mortalibus debere. Hinc S. Thomas concludit, præceptum, quo parentes colere, atque revereri jubemur in Decalogo, positum esse statim post ea præcepta, quæ Dei cultum, honoremque respiciunt. Itaque talis est nexus, tantaque affinitas inter hæc hominum officia, ut Philo Judæus referatur præceptum colendi parentes partim scriptum fuisse in priori tabula, quæ ea continebat, quæ Deo præstare debemus; partim in altera, quæ ad proximum pertinet; parentes enim in terris eam exibent auctoritatem, quam in nos obtinet Deus.

Deus in hoc præcepto complexus est omnia filiorum erga parentes officia.

In hoc Decalogi præcepto paucis verbis omnia filiorum erga parentes officia complexus est Deus.

Quæ verba tria continent præcipua filiorum officia; primum est, parentes colere, & amare; alterum illis obtemperare; tertium eos alere, & indigentibus opem ferre. Hæc autem officia ita arcta sunt, ut iis, qui illa rite non expleverint maledictionem suam Deus minitetur, eosque ultimo damnet afficiendos supplicio, tamquam indignos ejus vitæ, cujus auctores contempserunt. Hæc est Sancti Pauli animadversio. Honora parentes tuos; hoc primum est mandatum, cui adjacet promissio; ita ut diuturnitas vitæ non solum in futura gloriæ vita illis promittatur, qui parentes suos coluerint, verùm etiam in vita præsenti; quamquam secundum secretum providentiæ ordinem, atque judicia Dei quidam eorum, qui parentibus suis obsequuntur, nequaquam diu in terris permaneant, ne illos corrumpat nequitia; & e contra nonnulli eorum, qui parentibus suis sunt contumeliosi, diutiùs, quàm cæteri vivant, ut illis pœnitentiæ spatium relinquatur.

Cuinam ratione innitatur obedientia, quam parentibus debemus.

Inter officia, quæ parentibus nostris præstare tenemur, primum, & quod eminenter cætera continet, quodque præsertim a Sancto Paulo commendatum accepimus, est obedientia: *Filii obedite parentibus vestris in Domino, hoc enim justum est*. Hujus autem officii fundamentalis ratio est quoddam jus principatus, ut Sanctus Chrysostomus loquit, quod natura in nos illis concedit; quapropter Sapiens dixit, filios parentibus suis obtemperare debere tamquam Dominis omnem in se potestatem habentibus; cujus rei causam statim adfert, cum ait: Mementote, sine illis vos nascituros non fuisse. Quandoquidem igitur hac in re illis reddere non potestis, quæ accepistis; saltem

illis

illis præstate quæ debetis; tamquam subditi Dominis suis.

Charitatis ordo postulat ut parentes nostros amemus plus quam alios.

Nemo inficias ire potest, in iis, quæ ad Charitatem pertinent, constantem, atque immutabilem a Deo constitutum fuisse ordinem; & quamvis ipse sit unicum nostri amoris objectum, ejusque finis esse debeat, quemadmodum est principium, hoc tamen non prohibet quominus remotiora adsint objecta, quæ amare nobis licet, & per quæ, tamquam per media affectiones nostræ traducendæ sunt, ut ad illum, tamquam extremum finem referantur. Si enim aliquid extra ipsum, at non propter ipsum diligeremus, eum inordinatè diligeremus, ut docet Sanctus Augustinus. Circa verò hæc diversa objecta certus proponitur ordo, qui mutari non potest, secundum quem in cordibus nostris varios obtinent gradus, & sunt alii aliis præferendi; quæ res officiorum nostrorum distinctionem, & inæqualitatem constituit. Deus ergo est præcipuum objectum primum in charitate obtinens locum. De eo, quem nobismetipsis debemus, amore non loquimur; deinde succedunt patres, inde fratres, consanguinei, aliique. Hæc officia universalia sunt, nihil umquam illa immutat, aut delet, neque alterum alteri debet obesse.

Quonam amore parentes sunt diligendi.

Illi singulari amore a nobis diligendi sunt: *Memento*, Sapiens ait, *quod nisi per illos natus non fuisses*: & tanto huic bono gratias referre stude. At eam referre non licet, nisi illos amando; verum attendite, amor hic non naturalis tantùm, & sensibilis esse debet, sed rationabilis, & secundum Deum; amandi sunt, & quia Deus jubet, & quomodo jubet; hoc est ita, ut præsertim spirituale bonum, ac salutem eorum diligas, atque precibus, aliisque rationibus omnibus, quibus potes, eam illis procures.

Obedientia illis præstanda. *Ad Coloss. 3. Ad Eph. 6*

Illis morem gerere debemus præcipientibus, quemadmodum Sanctus Paulus præcipit: *Filii obedite parentibus per omnia, hoc enim placitum est in Domino... Obedite parentibus vestris in Domino, hoc enim justum est*. Sed *in Domino* obedire debemus videlicet, quia Deus vult, ac respicientes Deum per illos nobis imperantem: ipse enim imperat, ut illis obtemperemus, cumque hoc facimus, obedimus Deo, quemadmodum e contra Deo obedire detrectamus, cum illis parere renuimus. Ad hæc docet Apostolus officium, quod filius patri suo præstat, actum esse justitiæ: *Hoc enim justum est*; atque hac in re videtur necessaria quædam esse ratio, nexusque inter parentum filiorumque officia: Si enim parentum interest filios regere, & educare, ita ut hac de re severissimam Deo rationem sint reddituri; hinc sequitur filios debere parentum jussa capessere, illis obtemperare, & ab eorum nutu pendere. Supponendum tamen est nihil ab illis imperari, quod divinæ legi, vel nostræ utilitati adversetur; si enim nobis plane exploratum esset duplici hac de causa eorum voluntatem divinæ esse oppositam, altera esset relinquenda, ut alteram sequeremur; tandem enim Deus noster est primus parens, & salus animæ nostræ nobis præ cæteris quibuscumque rebus esse debet antiquissima. Addit Apostolus: *Obedite parentibus vestris per omnia*, seu bona, sanctaque sint, seu nullo in mali, bonive discrimine posita, quia obedientia nostra efficiet, ut opera nostra coram Deo meritum nanciscantur; de iis enim, quæ planè mala sunt jam diximus illis obtemperandum non esse, puta si injustitiam, ultionem, scelus, aut quidpiam simile imperarent.

En, in quibus peculiariter filii parentibus obtemperare tenentur.

Parentes jus habent imperandi filiis. 1. in iis, quæ ad Dei cultum, & honorem pertinent, ubi filius sub peccati mortalis pœna illis parere tenetur; exempli gratia, ut Missæ intersit sacrificio festis diebus, aliisque id genus essentialibus ad salutem muneribus rite perfungatur; si enim refractarius hic filius non obedierit, duplicis sceleris reum se statuit, & quod primum perfregerit præceptum, & quod parentes suos debito officio fraudaverit. 2. Non in iis tantum, quæ ad Dei cultum spectant obedire fas est, sed in iis ipsis quæ ad urbanam vitam referuntur. Exempli gratia, pater filium jubet vacare studiis, ad hæc, vel illa munera incumbere, ut honestus fiat vir; si filius hic iners fuerit, ignavus, vagus, & erro, mortaliter peccat, neque hac de re est ambigendum. 3. Cum gravissimum vitæ nostræ negotium sit status electio; filius ubi primum Deum ipsum consuluerit hac in re parentibus inconsultis nihil aggredi debet; semper eorum voluntati debet indulgere, nisi a Deo ad alterum statum evocetur, vel invictam animi sui repugnantiam superare nequeat, vel gravissimis non intelligat indiciis, hoc saluti suæ obfuturum esse, vel ea in vivendi ratione omni animi tranquillitate esse cariturum; tunc enim pater filium jure cogere nequit. Itaque post Sanctum Thomam Theologi filiis optionem relinquunt generatim statum eligendi, neque eos cogunt parentum libidini obsequi, illos ad nuptias, vel religionem, ad ecclesiasticum, vel sæcularem statum amplectendum, prout voluerint, compellentium. Putant conditiones has nimis onerosas esse, ut filii eas inviti subire debeant, atque ubi de toto vitæ nostræ curriculo agitur, nobis optionem integram esse debere. Verum ubi Dei voluntatem exploravetimus, nequaquam licere putant, parentibus inconsultis aliquid audendum esse; sed illis honorem hunc deferendum, ut saltem non invitis id faciamus, quod ipsis auctoribus facere non possumus.

D. Tho. 2. 2. q. 104. ar. 5.

Obedientia, quam filii parentibus debent non eo fertur, ut illos a Deo ad religionem vocatos, inde deterreat.

Ea in obedientia, quam parentibus suis filii præstare tenentur, una excipienda occasio est, cum hi quidem a Deo ad religiosum statum evocantur, & parentis huic vocationi obnituntur. Hæc est Sancti Augustini sententia respondentis Adimantio hæretico, qui eò impietatis evaserat, ut hac in re Evangelium vituperaret, affirmaretque illud divinæ legi adversari. Sanctus enim hic Doctor respondet, Evangelio nequaquam prohiberi, quominus debitus parentibus honos præbeatur; sed ubi agitur de cultu Dei, & progressus in regno ipsius; posse illos citra impietatem relinqui, immo si jubeat occasio, contemni; honor enim, quem illis debemus ordinem sequi opus est; cumque nullo modo conferri possit cum eo, quem debemus Domino, si contigerit illum huic adversari, vel obicem statuere, sine ulla religione illum deseri posse, ut Dei honorem tueamur. Alteram quoque rationem Sanctus hic Doctor affert, quemadmodum enim jus patrium emanatio quædam est auctoritatis Dei, *ex quo omnis paternitas*, ut loquitur Apostolus; hinc fit, patres non aliud esse, quam Ministros, & Vicarios Dei eorumque actoritatem semper a suprema hujus auctoritate pendere. Si acciderit ergo, Deum aliquid præcipere, parentes verò aliud flagitare, vel obniti, ne obtemperemus Deo; quis dubitat, quominus hac in re patris potestas deficiat, quoniam illi est opposita, a qua vim obtinet suam? De hac autem occasione intelligenda, & explicanda sunt illa JESU CHRISTI verba. *Qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus.*

Ad Eph. 3.

Matth. 10.

Filii tenentur adesse parentibus suis licet omni honore indignis.

Excusatione qualibet filii carent, si parentibus nequissimis, atque omnium libidinum genere inquinatis senio, morboque confectis eam negent opem, subsidiumque, quod ipsi acceperunt. Etenim mandatum colendi parentes eos etiam comprehendit, quos vitia, & scelera obsequio indignos videntur efficere; & non secus ac amor, quem debemus Deo, exigit, ut inimicos nostros diligamus, quamcumque illi nobis odii occasionem præbuerint; ita honor, & reverentia, quam debemus Deo, sufficit, ut parentibus nostris jussu ejusdem illud præbeamus obsequium, quod noster animi dolor eos non mereri vellet ostendere; & filios, qui hoc munus nequaquam expleverint, coram Deo patrum suorum nequitia minima excusabit. Mandatum hoc est generale; neque excipiuntur filii,

quos paterna libido ad summam egestatem redegit; sed quicumque huic præcepto non obtemperaverit, ex eorum erit numero, quos puniet Deus, quòd illud perfregerint.

Quidquid contra hoc præceptum committitur, grave est.

Cum parentes Dei locum teneant erga filios suos, de criminibus, quæ contra illos committuntur, quadam cum proportione, idem dicendum est ac de illis, quæ contra Deum perpetrantur; ideòque inferendum est; 1. Nulla hac in re levia esse crimina, & licet contemptus sit levis, noxam tamen semper gravem esse propter eum, de cujus honore agitur. Non secus ac docent Theologi, omnia peccata nostra malitiam habere propemodum infinitam, licet levia, & venialia vocentur, eò quòd Deum lædunt qui infinitè supra peccatorem attollitur; ita patris nomen est titulus in natura adeo præstans, ut in se nescio quid infinitum habere videatur; & idem ferme inter patrem, & filium, ac inter Creatorem, & creaturam discrimen inveniatur. Illud autem constans est, ubi filius quid in patrem peccat, longe nocentiorem esse, quàm si in alium quemlibet hominem peccaret. 2. Hinc etiam inferendum est, eum qui patrem contemnit, vel lædit, scelus committere numquam reparandum; quemcumque enim honorem deinde illi deferat, & quocumque dolore afficiatur, nemo contractum æs alienum dissolvere potest, cum in ære suo non est, & ea, quæ possidet, ad suum pertinent creditorem: Ita quodcumque sua conetur obedientia, & obsequio filius, nihil præstat, nisi quod debet, ablatumque patris honorem reparare non potest.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, & recentioribus Concionatoribus loci hujus argumenti.

Filii parentes colere tenentur.

Certum est, necessitatem parentes colendi, amandique inevitabilem esse, non solum propter positivum præceptum, quod a Deo accepimus, verùm etiam conformis est æternæ veritati, quæ semper est eadem, & quæ neque vicissitudinem patitur, nec mutationem. Patris titulus in filio statuit necessariam grati animi relationem; illi hujus principium communicat, eidem vitam communicans, & gratitudo quam illi debet, nequaquam minus essentialis est, quàm dependentia, qua pendet a patre quatenus effectus, & productio naturalis a causa. Hoc igitur officium ætatibus, & conditionibus omnibus commune est, ac nemo se ab eodem immunem ostentare potest, licet rationes illius adimplendi sint variæ: *Abbas Trappensis Tomo 2. de Vita Monastica Officiis cap. 16. qu. 13.*

Dei timor efficit ut parentes colamus.

Si Dei metum in corde habueritis, coletis parentes vestros; quibus ille contulit auctoritatem in vos, quia hoc ille & poscit, & jubet; & si illos non colitis, neque Dei amorem, & metum habetis. *Qui timet Deum, honorat parentes, & quasi dominis serviet his, qui se genuerunt.* Et sane Deum timere non est, rem adeo sanctam contemnere, quam ipsa nobis inspirat natura, & quam præcepit Deus, qui nullas non intentavit minas in eos, qui hoc munus minimè expleverint: Veluti cum ait, *Qui affligit patrem, & fugat matrem, ignominiosus est, & infelix. Qui maledicit patri suo, & matri, extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris. Quam mala fama est, qui derelinquit patrem, & est maledictus a Deo, qui exasperat matrem.* Utinam hæ minæ in omnium filiorum, qui quid parentibus suis debeant, obliviscuntur, altius animis infixæ inhærerent. *Gobinet, Instruction de la Jeunesse part. 4.*

Prov. 19. Prov. 20. Eccli. 3.

Quinam esse debet erga parentes amor.

Singulari amore parentes diligendi sunt. *Memento*, Sapiens ait, *quoniam nisi per illos natus non fuisses.* Grati verò illis esse potestis illos amando: quid enim tanto beneficio par illis potestis rependere? Verum animadvertite amorem hunc non esse debere naturalem tantummodo, atque sensibilem, sed rationalem, & secundum Deum. Ut autem parentes secundum Deum diligantur, amandi sunt, quia hoc præcipit Deus, & quomodo idem jubet; videlicet ita ut primum spirituale eorum bonum, ac salus ametur, eaque precibus cæterisque quibuscumque fieri potest, rationibus procuretur. Illos summo obsequio excipite, eosque considerate tamquam vitæ vestræ post Deum auctores; cavete, ne illos unquam contemnatis quacumque ex causa, neque intrinsecus aliqua cogitatione contemptus, neque extrinsecus verbis, gestibus, aliisve actionibus, quæ contemptorem animum indicent. Reverenter eorum monita, castigationes, & correptiones excipite. Illorum egestatibus subvenite, ægros, pauperes, senio confectos, & generatim quacumque vel temporali, vel spirituali necessitate pressos levate. Illos hujusmodi in necessitatibus deserere scelus est divinam ultionem deposcens. *Idem.*

Numquam satisfacere possumus ea, quæ parentibus nostris debemus.

Si S. Paulus Apostolus dixit, charitatem, & amorem, quem fratribus nostris debemus, debitum esse numquam dissolvendum: potiori jure dicere possumus, amorem, & obsequium, quod filii parentibus debent, debitum esse, cui solvendo non sunt; ideoque licet imperfecti, importuni, molestique sint genitores, filii quacumque ex causa, & sub quovis prætextu numquam jus habere possunt in cordibus suis debitum amorem extinguendi. Ratio verò, quam ipse Spiritus Sanctus affert hæc est, quia post Deum patres sunt vitæ nostræ origo, & principium: *Memento quoniam nisi per illos natus non fuisses.* Opus est, ut amor, & reverentia, quam genitoribus debes ex ipso corde tuo ducat originem; Quod in eo positum est, ut de illis optimè sentias, eos colas, & diligas; deinde verò existimationem tuam testeris, cum laude verba faciens de eisdem. Attamen non officiosam a te duntaxat reverentiam, inaniaque verba expetit Deus; sed charitas efficax esse debet; ideoque coram illis humiliter loquendum est, illi beneficiis prævertendi, atque omni studio contendendum, ut illis placeas. *Auctor recens.*

Eccli. 7.

Contra rebelles filios, ac inobedientes.

Quid cogitandum est de rebellionibus, inhumanisque filiis, qui parentum suorum existimationem proscindunt, qui manum in illos audent attollere, eisque minas intentant? Jubet Scriptura lapidibus obrui hos filios, qui omnem naturæ sensum abjecerunt; verum hæc scelera adeo rara esse reor, ut de illis verba nequaquam facere satiùs ducam: illudque potiùs dicere lubeat, quod vetus olim legislator respondit quærenti, cur inter rogatas a se leges, nullam irrogasset pœnam in filios, qui parentes suos percutiunt, vel afficiunt contumelia? ideo videlicet, quia numquam in terris esse posse putabat filios adeo inhumanos, qui adeo grave scelus committerent. Sed heu! lex, quæ apud Ethnicos inanis existimata fuit, inter Christianos erit necessaria, ubi videmus filios manum attollentes in patres contumeliosè, illis maledicentes, mortemque cupientes; conviciis, probrisque illos insectantes, injustè in jus rapientes; vel illis in gravissimis necessitatibus opem detrectantes. Hæc monstra sunt, quæ in lybicis arenis vix, ac ne vix quidem inveniuntur, & quæ lex vetus sine ulla veniæ spe turpissima morte damnabat. *Auctor Anonymus.*

Magna culpa est ingrati animi vitium erga parentes.

Si nosse cupis quibus in occasionibus filii graviter peccent contra honorem, & reverentiam, quam parentibus debent, cum celeberrimis Doctoribus dicam, certum esse, qui eos percutit, vel se percussurum minitatur, qui factis, aut dictis illos lacessit, qui illos contemnit, quia pauperes sunt, vel qui eos agnoscere erubescit, vel in re alicujus momenti illis obtemperare detrectat, præsertim verò si id cum pertinacia, & per contemptum efficiat, qui illis indigentibus pro virili opem non affert; hic procul dubio mortali culpa Deum lædit; non enim citra nequissimæ ingratitudinis notam obedientiam, atque amorem iis negare potest,

quibus

quibus post Deum acceptam referre vitam debet, & a quibus tanta cura, labore, sollicitudine educatus fuit, atque institutus. Hac ratione Tobias filium suum hortatur, ut matrem colat; *Memor esse debes, quæ, & quanta pericula passa sit propter te in utero tuo. Honora patrem tuum*, Sapiens ait, *& gemitus matris tuæ ne obliviscaris: memento quoniam nisi per illos natus non fuisses: & retribue illis, quomodo, & illi tibi. Ex Pædagogo Christiano.*

Tob. 4.
Eccli. 7.

Filii parentibus obsequi tenentur.

Si tenetur famulus obsequi domino suo propter victum, quam illi præbet, vel propter leve aliquod pretium, quod inde refert, quid filii parentibus suis præstare tenentur propter vitam, quam ab illis acceperunt? Tantum est eorum debitum, ut leges antiquæ parentibus jus ipsum tribuerent filios vendendi, efficiendique de illis quidquid ipsis luberet; tanta est patrum auctoritas! Cum ergo illis obedire detrectant filii, næ vehementer errant. Profecto facinus filii eos contumelia afficientis, a quibus vitam obtinuit, coram Deo ita abominabile est, ut in lege veteri non ille solum, qui occidebat, vel percutiebat, verum etiam qui patri, vel matri suo maledicebat, extremo supplicio afficeretur. *Qui maledixerit patri suo, vel matri, morte moriatur*; quæ lex extendebatur usque ad filium rebellem, & qui insigni audacia obedientiam nollet præstare. *Lapidibus eum obruet populus civitatis, & morietur*. Hujus generis lex numquam nimis dura censebitur: ex quo enim in parentes tuos rebellas, temet in periculum adducens, ne per improbitatem mortem eorum prævertas, qui tibi vitam dederunt, nulla unquam sceleri tuo par pœna potest inveniri. Quænam sævitia est nequissimis criminibus tuis; flagitiosisque moribus illis dolorem inferre, qui te aluerunt, & educarunt. Liber inscriptus: *Regimen familiarum*.

Exod. 21.
Deut. 21.

Deus inobedientes filios gravissimis afficit pœnis.

Opus non est, civilibus, humanisque legibus hujusmodi refractarios filios extremo damnari supplicio; divina enim Providentia hanc sibi eorumdem puniendorum provinciam deposcit. Magnarum urbium xenodochia oppleta sunt filiis familias profugis, & rebellibus, qui in ipsa rebellione sua contra parentes suum dedecus, suumque supplicium inveniunt. Satis, superque docet experientia, eos, quos turpi infamique morte justitia persequitur propter furta, cædesque patratas, omnes ferme confiteri, ipsorum calamitatis initium ex eorum contra parentes rebellione fuisse profectum. Non unus in terris est Absalon, qui in defectione sua justum supplicium, atque in ipsa inobedientia suam calamitatem inveniat; cum interim, nullus unquam pacatus, & virtute præditus extiterit filius, cui non benedixerit Deus, & quem parentum benedictione non confirmaverit: *Benedictio patris firmat domos filiorum. Pater le Jeune, Sermone de filiorum erga parentes officiis.*

Eccli. 3.

Quid filiis agendum cum patribus nequam.

Nihil est, quod intentatum filiis sit relinquendum, ut parentum suorum saluti consulant, eosque ad Regni Cœlestis acquisitionem inducant; Quod si ab hac via parum christiano vivendi genere aberraverint, eosque etiam a Dei servitio avertere, atque in flagitia sua pertrahere studuerint; quin filii parentes suos corripiant, quod profectò illos irritaret, & exasperaret magis, eos patienter ferre debent, ac se coram Deo per cordis effusionem, cum precibus, lacrymisque prosternere, ad eorum conversionem petendam, & secreto aliquam pro ipsis pœnitentiæ austeritatem exercere, ut eorum misereri, eorumque cor immutare dignetur Deus. Attamen ubi commoda fandi tempora sese obtulerint, aliquot bona verba objicienda sunt, & salutaria monita non sine singulari obsequio tradenda. Ita nonnulli facti secundum spiritum patres eorum, quorum erant secundum carnem filii; cujus rei plurima in Sanctis occurrunt exempla. *Moralis Christiana in Pater l. 1. sect. 3. art. 12.*

Reverentia generatim,

Inter præcipua officia, quæ vult Deus parentibus præstari, non extremum in eo positum est, ut omnem illis adhibeamus honorem, illius auctoritati nosmet submittamus, eorum acquiescamus judicio, quin obmurmuremus, vel si quando illis morem gerere non possumus, rationes cum humilitate afferamus, quin unquam illos contemnere videamur, licet pauperes sint, senio confecti, mente infirmi, ac malæ indolis. Quibuscumque defectibus sint obnoxii, meminisse opus est, nos ab illis natos fuisse, neque perpendere debemus, quinam in se sint, sed quid erga nos sint, parentes videlicet. Ad quemcumque honoris gradum evehamur, semper illis gratias habere debemus, neque oblivisci ejus reverentiæ, qua parentes prosequi nos decet. Quæ cum ita sint, quòd graviter contra hoc præceptum peccant illi, qui eam, quam patribus debent, reverentiam non adhibent, qui ex illis sibi dedecus imminere putat, qui illos agnoscere erubescunt, qui cum illis agunt imperiosiùs, eosque sibi in ludibrium vertunt, hac in re imitati impietatem Cham filii Noe. Ut filios ab hac avertat impietate, ita illos alloquitur Sapiens: *Ne glorieris in contumelia patris tui; non enim est tibi gloria ejus confusio. Gloria enim hominis ex honore patris sui, & dedecus filii pater sine honore.*

quam erga parentes suos filii debent adhibere.

Deus maledixit illi, qui patri non obedit.
Eccli. 3.

In Scripturis Sanctis ejaculatur Deus terribilia anathemata in filium, qui parentes suos non colit, nec diligit. *Quam malæ*, Sapiens ait, *famæ est, qui derelinquit patrem, & est maledictus a Deo, qui exasperat matrem*. Neque Deo satis est illum suo maledicto percutere, sed vult etiam, ut mortales omnes ei maledicant. Hoc ille præcipit in Deuteronomio. *Maledictus, qui non honorat patrem suum, & matrem: & dicet omnis populus, Amen.* At hæc maledictio ad ejus honorem pertinet, ac bona, illum ad turpissimam redigens egestatem; ad voluptates illum mœrore, ac tristitia conficiens; ad filios permittens, ut & ipsi patri suo sint rebelles, ad vitam præmatura morte dies ejus imminuens; ad nominis existimationem, æternam eidem ignominiæ notam inurens. Hæc expectare debent filii, qui parentibus suis dolorem afferunt, qui illos contemnunt, qui illos afficiunt ignominia, qui illos subsannant, atque in necessitatibus deserunt. Hos jubeo, Deus inquit in Lege, sine ulla venia ultimo damnari supplicio, atque lapidibus obrui. *Auctor Anonymus.*

Parentes colere debemus propter ea, quæ pro nobis passi sunt, mala.
Eccli. 7.

Nonne monet Spiritus Sanctus, ne dolorum, ac gemituum matris tuæ obliviscaris: *Gemitus matris tuæ ne obliviscaris?* Quos vitium defectus, quæ tœdia, quæ incommoda pro te passa non est, cum te suis gestaret visceribus? Quos dolores, quos metus, quæ pericula, quos angores, cum te in lucem ederet? Quos labores, quas sollicitudines, quas molestias cùm te aleret? Quoties somnum illius intercidisti? Quot pertulit incommoda, cum ex papillis ejus exsugeres lac, ac sinu tuo te complecteretur? Quas curas, quas sollicitudines, quos motus pater tuus non perpessus est, ut arctam hæreditatem tibi tueretur? Felix, si nondum illis dolorem attulisti! Cum in infantia, vel minimo laborabas incommodo, illi summo conficiebantur mœrore, veriti ne tui jacturam facerent. Parentes miseri! qui nesciebant, se sinu suo anguem fovere, viscera, a quibus genitus fuerat, dilaniaturum; Tanta ne sollecitudine sese torquere debebant, ut domi suæ aliquando inobedientem, protervum, rebellemque filium viderent? *Pater le Jeune.*

Parentibus laborantibus opem ferre tenemur.

Naturaliter filii tenentur corporalibus parentum suorum necessitatibus opitulari, ita ut si fieri possit nihil illis desit, & in hoc pietas vera consistit. Hujus rei præclarum in juniore Tobia habemus exemplum, qui patrem labore manuum suarum alebat, eique maxima cura, & infatigabili studio in extrema ejusdem senectute serviebat, tunc etiam postquam oculorum aciem amiserat, divina hoc permittente providentia, ut & patris patientiam, & filii pietatem experiretur. Hoc autem pacto parentibus in necessitate positis subvenire, in Bibliis

eos honorare vocatur, & hæc præcipua est quarti præcepti sententia. Quod si hæc parentibus suis præstare tenentur filii, quàm nocentes coram Deo illi sunt, qui non solum necessaria negant subsidia, verum etiam illis, quod habent, surripiunt, ac suffurantur? Ad id sufficiat audire, quid per os Sapientis Spiritus Sanctus loquatur: *Qui subtrahit aliquid a patre suo, & a matre, & dicit hoc non esse peccatum, particeps homicida est*. Quod idem est ac si diceret, hic scelus committit illi simillimum latronum viatores necantium; quoniam rapit bona illi, cui & sua etiam debet. De illis etiam hoc ipsum dicendum est, quibus parentes bona sua diviserunt, & qui horrendo ingrati animi vitio ne respicere quidem illos dignantur, eosque fame sinunt interire. Ad hujus impietatis cursum inhibendum hæc Auctor Ecclesiastici monet. *Filio .... non des potestatem super te in vita tua; & non dederis alii possessionem tuam, ne forte pœniteas te, & depreceris pro illis. Melius est enim, ut filii tui te rogent, quàm te respicere in manus filiorum tuorum. Moralis Christiana in Pater.*

Prov. 18.

Eccli. 33.

Ejusdem argumenti continuatio.

Tristissimum profectò spectaculum est videre parentes, qui postquam sese bonis omnibus exuerunt, ut filios suos locupletarent, eò infelicitatis redactos, ut panis offam quasi charitatis titulo ex eorum accipiant manu, a quibus bonis fuere spoliati; at longè tristius est aliquot adeo duros animos inveniri, qui parentes suos fame languescere, & emori sinant, illis victus partem detrectantes. Hæc ferrea, æneaque corda non ab hominibus, sed a brutis ipsis animantibus essent edocenda. Non sine summa voluptate legi posse reor apud Sanctum Ambrosium (neque enim post tantum Doctorem hoc exemplo uti vereor) qua cura ciconiæ parentes suos senio confectos alant, & nutriant, Illos, cum præ senectute avolare nequeunt, suis humeris gestant; illis cibum afferunt, cum per se illum quærere non possunt, cumque illis exciderint plumæ, eos suis alis fovere non desinunt. Itane, o Deus, ex hujusmodi animantibus homines pietatis documenta percipiant? *Auctor recens.*

Ambr. l. 5. Hex. c. 16.

Quid parentibus debeamus.

Infinita sunt, quæ parentibus nostris debemus: etenim præterquam quod nobis vitam dedere ab infantia nostra, quæ plurimis patuit periculis, atque infirmitatibus, omnia quæ nobis necessaria fuere, suppeditarunt: eo tempore nobis opitulati sunt, quo sine illorum præsidio eramus perituri; bonitas eorum omnes infelicitates nostras avertit, quemadmodum eorum prudentia omnes errores nostros pertulit. Hi primi sunt, qui de nobis optime meriti fuerint; alii, quidquid nobis conferant, nonnisi super eorum fundo ædificant; prima nostri cordis officia illi tamquam fundi Dominis debentur; ipsi ante cæteros jus suum sibi debent vendicare. Ab illis vitam accepimus, hoc primum est ex omnibus naturæ bonis, & cæterorum fundamentum, quæ nihil sunt, nisi huic innitantur. *Desumptum ex Sancta familia Patris Cordier.*

De amore, quem illis debemus.

Licet omnia naturæ lumina essent adempta, in ipsa agrestis animæ obscuritate, dummodo non omnis sensus extinctus sit, & locum habeat instinctus, quo feræ reguntur, filius patrem amabit. Post Deum parentes amoris nostri primas sibi vendicant partes; nullus frater, vel soror est, non uxor, nec filius, qui amorem sibi hunc præripere debeat. Decalogus omnes erudiens homines, & cui tamquam divino verbo auscultandum est, omnibus amoribus ordinem præfignans, filiorum erga parentes amorem vel tamquam postremum primæ, vel primum secundæ tabulæ præceptum proposuit. Medium illi inter utramque locum constituit; hic enim amor medium inter Deum, & homines locum debet habere. *Idem.*

Ejusdem argumenti.

Plurimum interest veritatem hanc menti nostræ altiùs infigere, de parentibus aliter esse dicendum ac de aliis amicis, cum quibus toties simultas oriri potest, quoties nos læduntur illos amare tenemur, donec intra fidelis amicitiæ fines sese contineant; e quibus si egrediantur, cupiditati suæ satisfacturi, nobis pristina libertas redit, qua primum erga ipsos indifferentiæ statum acquirimus; eosque satis est communi charitate complecti, quin tamquam amicos peculiari necessitudine prosequamur. Familiaritates, visitationes, cordis effusiones, secretorum communicationes non sunt amplius in usu, nisi quatenus nobis arrident & leges amicitiæ nos ab hujusmodi minutis officiis exolvunt. At cum patribus nostris longè aliter faciendum est; eorum amor alium quemlibet superat, libertas qua ea dicunt, quæ displicent nobis, nocens non est, neque filium excusat. *Idem.*

Honor, & reverentia, quam filii parentibus debent.

Vetus quidam Philosophus corripiendum censuit, si quis quæreret utrum parentes sint a filiis colendi. Honor Deo debitus hominibus distribuitur eò longiùs, quò propiùs ad illum accedunt, vel quò magis perfectionum illius participes sunt. Coram Regibus contremiscimus, neque nisi cum summa reverentia eorum mandata excipimus, ac ita de cæteris, qui aliquem divinitatis caracterem gerunt. At parentes plures divinitatis caracteres erga filios suos obtinent, quàm cæteri mortalium; ea omnia habent, quæ venerationem possunt conciliare; simul ea omnia tenent, quæ cæteri tantum per partes, ætatem, potestatem, jus, auctoritatem, &c. Quamobrem vetus quidam palam ajebat nullam in terris esse divinitatis imaginem, quæ majorem præ parentibus reverentiam mereatur; quos visibiles Deos appellabat. Domi eorum nascimur, tamquam in templis ipsorum, ita ut illis offerre debeamus amoris, honoris, & reverentiæ sacrificia; & ad eos accedere, eadem modestia, & humilitate, qua prope aras adstamus, Sapientis hujus Ethnici sententiam Scriptura confirmat, cum filii in patrem blasphemiam, atque irreverentiam condemnat. Licet enim blasphemiæ Dei tantum, Sanctorumque nomen respiciant; nihilominus paterna, maternaque qualitas eos divinitati ita similes facit, ut injuria, quæ illis infertur, ejus peccati nequitiam, quod in Deum fit, imitetur. Quod si crimina, quæ contra parentes committuntur, blasphemiæ nomen merentur, profectò honor illis adhibitus non alio nomine vocandus esset, quam sacrificii, cultus, pietatis, & venerationis; ideoque hæc ipsa vocabula in usu sunt posita. *Idem.*

Obedientia filiorum erga parentes.

Inter omnes subjectiones, quas homo homini habere potest, nulla æquior est ea, qua filius parentibus subest: Si enim eadem principia, quæ pro rerum productione constituit Deus, earum etiam conservationi conferre debent, filius a Patre non minus vitæ regimen quàm vitam ipsam recipere debet; eumque non solum tamquam benefactorem, sed etiam veluti dominum imperandi jus habentem respicere debet. Oportet ergo, ut filius, qui Deo rebellis esse non vult, & qui intra officii sui terminos vult contineri, parentibus suis præstet obedientiam, videlicet eorum voluntatem spectet veluti omnium actionum suarum normam, & credat illas eò gratiores Deo futuras, quò magis erunt huic normæ conformes; eosque audiat, quasi per os eorum Dominus loqueretur. Patrum, Deique jura ex eadem manant origine, & parentibus nihil contra Dei legem imperantibus obedientiam detrectare non possumus, quin illam Deo ipsi negemus. *Idem.*

Ejusdem argumenti.

Ne errent filii; hæc obligatio ex iis non est, quibus citra noxam, modò graviorem, modò leviorem, pro ut majoris, minorisve momenti res imperata fuerit, deesse possimus. Non opus est diutiùs huic argumento immorari, satis est, filios *parentibus non obedientes* a Sancto Paulo inter nequissimos peccatores cum sicariis, proditoribus, maledicis &c. connumerari. Ad hoc paulisper advertite animum, o filii patris jugum detrectantes; illi non detrectatis fortasse palam hæc officia, quia vel minimè audens, vel quia non potestis; verum cum obeditis, hoc adeo ægre, & gravate

Ad Rom. 1.

agitis,

agitis, ut ipsum obedientiæ meritum amittatis; non desunt enim querelæ, quæ miseri patris cor laniant; non desunt moræ, ac repugnantiæ, quæ vos invitos parere demonstrant. Pater hic, qui Deo rationem est redditurus bonorum, malorumque morum vestrorum prohibet, ne eorum utamini familiaritate, qui in omne libidinum genus vos impellere possunt; vos autem hoc invito illis familiarissimè utimini! Vobis interdicit ludum illum, vel pravam consuetudinem, quæ nominis vestri jacturam prænoscit allaturam, vos autem ejusdem maledictionem præstolamini, ut eam relinquatis! Nisi juraverit, nisi minas intentaverit, nisi terrorem vobis incusserit, suam iram, & indignationem ostendens, nullam in vobis obedientiam inveniet. Vos Dei ultionem in caput vestrum convertitis, atque estis ex eorum improborum numero, de quibus loquitur Sanctus Paulus, in quos Deus in hac etiam vita iræ suæ tela ejaculatur. *Idem*.

Parentibus in necessitate subveniendum est.

Ne vos pigeat aliquot sumptus efficere, ut parentum vestrorum necessitatibus opem feratis; eorum enim industriæ omnes vestras opes, vel saltem commoda vestra debetis. Vobis brachia, manusque dedere, ut laboribus victum vobis compararetis, pedesque, ut quod vobis deest, quæreretis; quoniam fundus eorum est, citra injustitiam fructus illis negare non potestis. Si parentes vestri diu a vobis alendi sunt; si grandior ætas illos morosiores efficit; si eorum triste ingenium vos avertit; si injustis questubus, & injuria dolent se male a nobis exceptos fuisse, postquam pro virili nihil prætermisistis, ut illis opitularemini, ne despondeatis animos; illis ne denegetis subsidium, & quodcumque solatium a vobis expetere possunt. Eheu! nonne sæva barbaries est eorum, qui ne parentibus laborantibus subveniant, rem familiarem ab illis imminutam prætexunt, ac putant, se culpa vacare, ubi eorum vivendi rationem improbaverint. Plurima habebat bona, si illis uti novisset, commodè viveret; sed nullos nisi insanum caput suum voluit consulere. Neque desunt, qui patribus se benefacere non debere putant, quia neque patres sibi benefecerunt; qui dicunt se præclaris nonnisi pollicitatiunculis nullum effectum habituris domo emissos fuisse ac uxori consociatos. Alius inquit, plures mihi alendi sunt filii, tempora mala sunt, alius ait, præter se non deesse alios filios patri; ubi reliqui symbolum contulerint, se quoque pro virili opem laturum; atque interim pater hic necessitate oppressus conficitur. Quænam crudelitas! Quæ barbaries! Aliud quoque est in filiis ingratitudinis vitium, quod non adeo grave videtur, sed nihilo minus criminosum est; cum videlicet filius præ verecundia patrem contemnit. Diceres enim omnes animi affectus in filii nequam corde consenuisse, ut sui erga parentes officii obliviscatur; præ avaritia illi victum negat: præ insatiabili cupiditate mortem illorum concupiscit, ubi diutius vitam producunt, ut eorum spoliis potiatur; præ ambitione illos semovet; pudet enim illos tamquam patres agnoscere, cum pauperes sunt. Hujus generis filius, qui ob parentum humilitatem erubescit, majori seipsum afficit contumelia illos dedignans, quàm si, quales re ipsa sunt, palam profiteretur. *Idem ex parte*.

De honore, & amore, quem parentibus debemus.

Quinam est proximus, qui nobis propiùs adhæreat, quam ipsi parentes: & quænam post Deum esse possunt prima amoris, & reverentiæ nostræ objecta, nisi illi, a quibus vitam accepimus? Omnia debemus Deo tamquam universali principio essentiæ nostræ, omnia parentibus debemus, tamquam particularibus causis, quæ ad productionem nostram concurrerunt. In Deo prima est, atque increata paternitas, in parentibus verò communicata, & subalterna... Itaque illis honorem, & operam, quam merentur, deferre, idem est, ac Deum, cujus referunt paternitatem, colere eosque diligere, & prædilectionis amore inter proximos præferre eos, qui primum propinquitatis gradum obtinent, & quibus carnis, sanguinisque vinculis specialiter sumus conjuncti. *Ex Moralibus Sermonibus*.

Gratitudo, & opera, quas illis debemus.

Cum parentes nostri sint imagines Dei, qui suæ potestatis partem in ipsos transtulit, plurimum ipsis obedientiæ, honorisque debetur; cumque in creatis rebus nihil magis prope nos tangat, quam illi, nec aliunde in nos majora fluant beneficia, gratum animum, operamque nostram deposcunt. Hæc duo sunt fundamenta; propter quæ filii parentibus suis parere, eisque indigentibus pro virili opem ferre tenentur, & quæ simul duo magna damnant peccata, quæ erga illos patrantur; quorum alterum est defectionis, & ambitionis spiritus, quo illos contemnunt, eorumque auctoritatem eludere quærunt procaces filii; alterum est ingrati animi vitium, atque durities, qua illis calamitate, morboque laborantibus subvenire detrectant. *Idem*.

Filii nihil parentibus inconsultis agere debent.

Deus parentibus ea tribuit lumina, quæ filiorum regimini sunt necessaria. Adolescentia præceps est, procax, cæca; prima, quæ illi sese offerunt objecta, illam afficiunt; fallaces amici decipiunt, propria consilia corrumpunt; atque passim sese immiscens judicium subvertit, ac in præceps trahit. At hoc de patribus dici non potest; qui filiorum suorum utilitatem respiciunt... Ita nullum est alicujus momenti negotium, ubi filiis eos consulere propter propriam utilitatem non teneantur. In veteri Testamento tanto in pretio paternæ benedictiones habebantur, ut patres sollicitarentur, atque madentibus genis rogarentur; putabatur quippe Deus in promissionibus suis adimplendis fidelis magna semper patrum benedictionibus bona conjungere. At hæc patrum auctoritas si contemnatur, ut filii procaces minima pendeant ab illis, a quibus fuere geniti; si ad patrias admonitiones, correptionesque indurentur, ut cæcè in omnia ruant objecta, in quæ passiones illos propellunt; Deus ira succensus jurat setius ocyus de eorum licentia pœnas sumpturum, modo insignibus suppliciis, modo illos cordis eorum corruptioni tradendo. *Ibid*.

Gratitudo poscit, ut parentibus filii opitulentur.

Gratitudo, ac pietas exposcit, ut patribus re ipsa, non verbis tantùm feramus opem. Cæteris in occasionibus alienis, externisque hominibus opitulamur, in hac verò optimè de nobis meritis, a quibus bonorum omnium primum, accepimus, videlicet vitam. Alibi quæcumque cum pauperibus habetur affinitas, & est, quam JESUS CHRISTUS inter fideles omnes constituit; hic verò consanguinei sunt, parentes, cum quibus sanguis idem, communisque vita insolubilia vincula efficiunt, & qui in una, eademque familia continentur. *Ibid*.

Quantum sit eorum scelus, qui parentes contemnunt, aut lædunt.

Ex iis omnibus, quæ hucusque dicta sunt, conjice quam improbi illi sint, qui parentes suos vertunt in ludibrium, qui seu ambitione, seu negligentia monitis, minisque eorum aures obstruunt, & oris habitu ad iracundiam composito sua nihil referre putant, utrum illi irascantur; qui amarissimis verbis respondent; qui modò flagitioso contemptu illos irritant; modò nullum amorem illis testando lacessunt, modò subsannant, modò etiam impune eorum imperfectiones, defectusque carpiunt. Frustra dicis illos morosos esse, atque ob levissimas causas irasci; Angelica opus esse patientia ad pravam eorum indolem perferendam; nam vel jure succensent, vel injuria: si primum, cur quereris? Omnis indignatio sua nonne in te ipsum est convertenda? Nonne tibi acceptas referre debes causas, propter quas irascuntur? Sin alterum, numquid tu ideo jure illis adversaris? Exerceatur, opus est, virtus tua infirmitate, ac pravo eorum ingenio; ac lenitas, & obedientia apud te pœnitentiæ locum obtineat; atque ut ostendas, quomodo a te colantur, patienter provectioris ætatis, eorumque asperitatis effectus. Tantò autem magis ad hoc teneris, quod sæpius accidit, ut fortunarum tuarum curæ, quas Tertullianus conjugii cruces appellat, illis negotium facessunt. Quot domesticis negotiis, quot laboribus, atque sollicitudini-

bus modò pro felici litis alicujus eventu, modò verò pro impeditionis alicujus negotii administratione miseri patris animus excruciatur? Si agit, si sudat, si seipsum torquet, si valetudinem, viresque suas exhaurit, ea, qua te complectitur, benevolentia ad hæc illum redigit mala; in quibus si quid illi accidit adversi, atque ideo impatientia corripiatur, tu sane illum æquo animo ferre debes. *Ibidem.*

De mutuis patrum in filios, filiorum in patres officiis.

Hæc mutua sunt, Sanctus Chrysostomus inquit, officia; in aliis quidem submissionis, & gratitudinis, in aliis verò vigilantiæ, & protectionis. In filiis amor est obediens, ut parentum auctoritatem colat; amor gratus, ut eorum beneficiis respondeat; amor officiosus, ut indigentibus opem ferat. In parentibus tener est amor, ut filios educet, atque secundum statum ipsorum enutriat: amor sapiens ut illos in salutis via deducat; amor fortis, ut deerrantes corrigat. Hæ mutuæ sunt obligationes, & reciproca officia. *Ibidem.*

Justitiæ officium est parentes colere, sed officium hoc ut plurimum violatur.

Officium hoc adeo justum est, ut vetus quidam Philosophus affirmare ausus fuerit, rem esse dignam supplicio, quærere solum, utrum parentes colendi sint. Non vereor autem hoc tempore palam de hac re verba facere, atque filios hortari, ut hoc adeo essentiale munus adimpleant, quandoquidem a plerisque negligitur. Natura hanc reverentiam inspirat, leges præcipiunt, omnium populorum consuetudo confirmat: sed licentia, & ingratitudo hominum natura ipsa, & sanguine, nec non legibus, & consuetudinibus omnibus validiores, sæpe hæc omnia patrum jura, filiorumque officia perturbant, nobisque in natura proponunt monstra in iis conspicienda, qui nobis vitam contulere. Parentis nomine nullum vel augustius, vel sacratius, vel magis inviolandum in natura invenitur: non desunt homines tamen, quibus hoc nullum benevolentiæ, & pietatis sensum inspirat. *Sermo Manuscriptus.*

De patria potestate.

Antequam urbes ædificari, & regna usurpari cœptum esset, nulli Principes erant, nisi patres familias domi suæ. Natura, & ratio hoc jubebant; quis enim in familia obtineret imperium, nisi dominus? Quis verò dominus esset, nisi qui prior esset ingressus, qui major esset natu, & qui de subditis omnibus æquè bene meritus esset? A quo filii vitæ suæ incolumitatem expectarent, nisi ab eo, a quo vitam acceperant? Quem consulerent, nisi quem rebus omnibus, ætate, experientia, sapientia præstare viderent? Cui obtemperarent, nisi illi, quem Deus in locum suum constituerat? Patris igitur intererat non solum filios alere, & erudire, verum etiam jus illis dicere, ac nocentes punire. Solus Principis aulam constituebat, proferebatque sententias, a quibus provocare non licebat. Nunc autem licet incolarum multitudine terra oppleta sit, atque ut vita, tutò, ac pacatè duceretur contra vim impiorum oportuerit ad majorem potestatem confugere, ac Reges eligere, qui tamquam totius populi patres essent, auctoritas patrum familias imminuta non est, jura semper sunt eadem, ac filii eamdem illis semper debent obedientiam. *Ex sancta familia P. Cordier.*

Filii parentum voluntatem consulere, & sequi debent.

Quid efficere potest imbellis ratio in negotio difficili, vel periculoso? Ratio, quæ neque præterita recordatur, neque futura prænoscit? Ratio, cui non aliud nisi ex animi ægritudine, & ignorantia lumen accedit? Quæ non nisi per nubes oppositas videt quid sibi possit efficere? Ratio, quæ omnia credit, quæcumque sibi libido proponit, quæ de negotio statuit, antequam illud agnoscat? Ratio puerilis, quæ externam tantùm consectatur speciem, & quæ rei alicujus ipsam substantiam non penetrat? Judicate, pueri, utrum justa adsit causa vos admonendi, ne quid parentibus inconsultis aggrediamini. Opus non est tragica congerere exempla ad veritatem hanc confirmandam; licet pueri sitis, hoc per vos discere potestis. Si Italiæ xenodochia ingressi fueritis, ea vestratibus adolescentibus oppleta videbitis, qui invitis parentibus suis in alias regiones peregre proficisci voluere. Exercitus petite; nullos ibi fortasse miseros videbitis, nisi qui militiæ nomen dedere, ut parentum suorum jugum excuterent; privatas domos explorate, ubi inauspicata conjugia, ubi lites, ac dissidia dominantur, ea esse videbitis, quæ contra eorum voluntatem, quibus conjuges illos subjecerat Deus, consociata fuere. Illud verò pejus est quod refractarii, & inobedientes filii tunc solum suum errorem intelligunt, cum facto nulla amplius superest medicina. Quamobrem ex alienis malis sapite; nihil aggredi audete, quin prius domestica consulueritis Oracula, quæ vobis tradidit Deus, omniaque eorum verba bibulis auribus excipite, tamquam ex Sanctuarii penitioribus adytis, atque ex tripode prodeuntia. *Idem.*

Quomodo filii cum parentibus sese gerere debent cum ad religionem vocantur.

Cum filii ad satis maturam pervenerunt ætatem, ut de vitæ suæ statu consilium capere possint, si Deus illos validis prævertit afflatibus, ut vulgò solet cum illis, quos ad sanctiorem vitæ statum elegit; ad Deum confugere debent tamquam vitæ suæ dominum, supremumque fati sui arbitrum, ejusque implorare lumina, ut quod sibi optimum, faustumque futurum est, vitæ genus amplectantur; ubi ne quid temere fiat, docti, sapientisque Directoris consilium petendum est. Sin autem Deus illis mundi hujus fastidium cier, eisque tutum Religionis aperit portum; eidem obtemperare debent quocumque pretio, ut vocanti Domino summa cum fidelitate respondeant. Si parentes tales sunt, ut gratiæ motibus cedere possint, filii nihil movere debent, quin Dei vocationem, suumque propositum illis communicent. Hæc illis debetur reverentia omni officiorum, & urbanitatis genere; quam si negligas, jure conqueri possunt sibi præclaram meriti occasionem fuisse præreptam, ac dicere, si filii Deo sunt offerendi, non alia meliori manu, quàm sua offerri posse. At si pateat parentes Dei voluntati non adhæsuros, si constet illos omnem navaturos operam, ut id prohibeant, rectius, utiliusque consilium esse, eos de re jam perfecta certiores facere, ac deinde omnem movere lapidem, ut divinæ voluntati acquiescant, eorumque animis tranquillitas afferatur. *Idem.*

Quid filiis faciendum, ubi ad Religionem non vocantur.

Quod si filii sese nimis infirmos putent ad perfectum Religionis statum amplectendum, atque postquam divinam voluntatem consuluere, judicent se ad conjugalem statum vocari, cum reverentia expectare debent, donec pater eos de hac re alloquatur; sin autem sese affinitatis occasio offerat, quæ patri quidem placeat, & cui non nisi ægrè, & gravatè filius possit assentiri; potestne pater filium cogere, ut assentiatur? Negative uno ore Doctores respondent; & pater si invitos cogere adoriatur, se reum facit malorum omnium, quæ ex hoc conjugio possunt oriri. Non quod filiis jus adsit renitendi, ac renuendi nuptias, quæ sibi nullum dedecus, plurimam verò utilitatem videntur allaturæ, hac sola de causa, quia parentes priores in hanc mentem venerunt, vel quia ipsi alias mallent nuptias, quæ parentibus non arrident: debent filii itineris dimidium metiri; alterum verò dimidium parentes, ut obvii simul occurrant. Tribuant opus est parentes nonnihil filiorum suorum studiis; sed opus est etiam, ut filii plurimum parentum rationibus tribuant. *Idem.*

Filios tenetur opem ferre parentibus egestate laborantibus.

Cum parentes seu ob rem familiarem male procuratam, seu ob aliquem adversum fortunæ casum, vel ob aliam quamcumque causam in egestatem ceciderint, filius eos alere, subsidium illis afferre, eorum necessitatibus diligentissimè consulere debet. Portentum; nequissima injustitia; crudelis barbaries! Patrem videbis, cujus frons sanguine, ut ita dicam, manavit, & aqua, ut filio suo bona congereret; qui potiori bonorum suorum parte, vel etiam rebus necessariis seipsum fraudaverit, ut filium vel ad aliquem honorem proveheret, vel illi felicissimas nuptias procuraret; & hoc filio rerum omnium affluentia, & nominis existimatione perfruente,

fruente, patrem derelictum videbis, rebus omnibus carentem, ac nihil habentem, unde reliquum languentis vitæ spatium producat. Terribilem hic in ingrato filio duritiem inveniet, qui modicum illi in singulos annos subsidium eum querela, & murmure afferet, qui partem eorum, quæ ad victum sunt necessaria subtrahet; qui pro virili conabitur sese excusare, ne officium hoc adeo pium, sed simul adeo necessarium persolvat. Quænam supplicia, quas pœnas hæc sæva barbaries, hæc inhumana duritia meretur? *Sermo Manuscriptus.*

Filii parentibus opem ferre debent in iis maximè, quæ ad animam spectant,

Gravissimum, & maximè necessarium officium, quod filius parentibus suis præstare debeat, illud est quod ad animam spectat, præsertim verò cum ad extremum vitæ spatium jamjam ad plures habituri sunt, illis Sacramenta procurando, suadendo, ut æs alienum dissolvant, hortando, ne in familia sua nihil causæ relinquant, quod dissidium, ac discordiam parere valeat, eosque monendo, ut bona exerceant opera salutem suam certam facturi. Nimis frequenter videntur filii, qui ab omni humanitatis sensu prorsus alieni, prohibent, ne quid in pia legata parentes erogent, ne male parta restituant, & qui, sin minus audeant ore, corde suo dicunt, felicem eum esse filium, cujus pater reprobus est. O funestam posteritatem! O terribilem sensum! Illud tamen mihi magis miserum videtur, quod nihil hoc sensu in terris vulgatius est. Pater filios hæredes scribet ducentorum, vel trecentorum millium aureorum; & si moriens quibusdam egenis domesticis, vel xenodochio cuipiam ducentos, vel trecentos legaverit argenteos, filii has tabulas rescindere conabuntur, easque in quæstionem vocabunt. Hoccine justum est? Hoc non Religioni tantum, verum etiam bonæ fidei adversatur. *Idem.*

De obedientia, quam mundi Salvator Matri, & S. Josepho præstabat.

Quidquid narrat Evangelium de Salvatoris vita ab anno ejus duodecimo, quo in Templo fuit inventus, ad tricesimum ætatis annum, quo in publicum prodiit Evangelium prædicaturus, in hoc vertitur, quod videlicet Matri Mariæ, Sanctoque Joseph erat obediens: *Et erat subditus illis.* Ad hoc tota illius occupatio tanto temporis spatio redigebatur; hæc illius fuere miracula, hæc prædicatio, hæc sola exempla, quæ triginta annis præbere dignatus est. Quid hac obedientia admirabilius, seu omnes illius circumstantias, seu omnia ejusdem mysteria perpendas? Primùm qui obedit, ac se regi tamquam puer sinit, Deus est, Æternum Patris Verbum, ille, qui tanta sapientia æquè ac facilitate regit Universa, & qui, ut inquit Scriptura, molem hanc tribus digitis sustinet. 2. Quibus obedit? Mariæ, quæ sua Mater erat, & Josepho, qui pater ipsius putabatur, videlicet Creatoris, quæ licet perfectissimæ, ac sapientissimæ, finita tamen habebant lumina, quæ cum infinitis Dei luminibus comparata toto cœlo minora sunt, quàm si cum sole exigua scintilla compararetur; nihilominus verò illis eadem submissione obedit, qua Patri, cujus auctoritatem in illis venerabatur. 3. Quomodo obedit? Celeriter, perfectè, integrè; neque satis erat illi quæ sibi præcipiebantur, efficere, sed illis omnino suam submittebat voluntatem, neque aliam nisi Mariæ, & Josephi voluntatem habebat. Quartò quibusnam in rebus obedit? In humillimis sane rebus, atque cum summo labore conjunctis, quæ prorsus Deo videntur indignæ, Mariæ, atque Josepho ea præstans officia, quæ famuli dominis, & pauperum filii suis parentibus solent. *P. Nepuen libro de Spiritu Christianismi, Tractatu tertio capite tertio.*

Remuneratur Deus obedientiam filiorum.

Quamvis de jure naturali sit parentes colere, atque illis inservire, non ideo indonatos abire patitur Deus illos, qui hoc faciunt, quasi hoc non esset necessarium, atque inevitabile eorum officium, *Honora patrem tuum, & matrem ... ut longo vivas tempore, & bene tibi sit in terra.* Hanc ille Judæis mercedem pollicebatur, & ea, quam Christianis pollicetur, intra vitæ hujus fines nequaquam subsistit. Cum his longè præstantiori ratione agit; promittit enim post hanc vitam æternam etiam felicitatem, unde S. Augustinus concludit cum Christianus fideliter hoc Dei præceptum de parentibus colendis adimpleverit, Deum in promissionibus suis semper fidelem illi eam collaturum mercedem, quam huic obedientiæ spopondit: *Ecce debitum reddidisti, accipe premium.* Tuum munus erat amor, & obedientia: *Tuum opus obedientia*; præmium accipe; sed *quod premium? Resurrectio sine morte*, atque æternæ gloriæ possessio. *Sermo Manuscriptus.*

Amor, quo parentes prosequi debemus.

Amor, quo pater filios suos complectitur, ingens est proculdubio, & matris amor vulgò major est: verùm difficile est, neutrum a filio æquari posse, nisi felicissimo, atque locupletissimo sit ingenio. Fatendum nihilominus est, jucundum, præclarumque spectaculum esse, parentum dilectionem cum amabili filiorum reverentia certantem videre; ubi si cum voluptate hæc suavis contentio videtur, præclara sane eorum est gloria, qui victoriam reportant. Verùm licet primo intuitu æquo, ut ita dicam, marte certare pars utraque videatur, liquet tamen, hactenus penes parentes victoriam stetisse; neque hic ordo cum sæculo interiturus videtur. Sin autem aliquando filii parentum amorem superant, fatendum est, nullum in terris jucundius spectaculum Deo posse præberi. Eheu! fili, si bona tibi mater est, quæ te unicè diligat, ne illi sis filius ingratus. Scias te illi primam curam, primamque sollicitudinem attulisse. Inter dolores, ac gemitus illius natus es? *Gemitus matris tuæ ne obliviscaris.* Memento viscerum, quæ te portaverunt, & uberum, quæ te lactaverunt. Quoties somnum ejus æquè ac requiem interrupisti? Numquam levi etiam casu lapsus es, quin illa gravi dolore conficeretur; & quoniam gaudia ipsa, quibus illam affecisti, eidem periculosa fuere, hinc conjicere potes, quas pœnas, quos mœrores ex ingratitudine tui, ex contemptu, ac duritia cordis tui experiatur. *Ex Petrarchæ Dialogo hujus Argumenti.* Eccli. 7.

Magnum est ingrati animi vitium parentes non colere.

Ob has causas, aliasque plurimas jure dictum est, nullum nequius ingrati animi vitium, quam quod oblivionem inducit beneficiorum, quæ a parentibus nostris accepimus. Aliis in occasionibus ingratos esse, nonnumquam peccatum est contra justitiam, hic verò contra naturam. Omnem navemus operam, ut aliqua ex parte de parentibus nostris bene mereamur, cum ipsi de nobis toto vitæ nostræ tempore, imo ante ipsam nativitatem nostram de nobis, perquam optimè meriti fuerint; & eò celeriùs maturare debemus nostra erga illos beneficia, quò citius proxima eorum mors, vel etiam nostra fortasse, spatium temporis præripere potest, ita ut nobis integrum non sit hoc defungi munere, ac potest efficere, ut cum ingrati animi turpi nota moriamur. *Idem.*

Compendium officiorum, quæ parentibus nostris debemus impendere.

Filii, parentes vestros colite, tamquam a Deo vobis præpositos, ut pro ipso vos regant. Ne ullum usquam vobis excidat verbum, quod debitam illis reverentiam imminuat; ne pertinaci studio illis adversemini; ne frigidè, aut per contemptum illis respondeatis; monitis eorum bibulas aures adhibete; illorum correptiones humiliter suscipite; illos summa complectimini benevolentia. Deus hoc jubet, docet natura, grati animi virtus exposcit, namque post Deum nemo est, cui bis plura debeatis. At ne putetis tamen amorem hunc in sola benevolentia debere consistere; fortis esse debet, & efficax; hoc est illum effectibus præ vobis ferre debetis. Illis quæcumque a vobis pendent, officia præstare; cavete, ne ob lucellum aliquod illis intenteris litem, eos crudeliter excipiatis, atque senectutem eorum doloribus repleatis; quæ res nonnumquam mortem eorum prævertit. Econtra illis laborantibus opem, mœrentibus solatium afferte; ægros invisite, senio confectos, si victum sibi comparare nequeant, enutrite. Præsertim verò post mor-

mortem deferendi non sunt: ne exiguam denegetis stipem, ut illos ex purgatorii flammis eruatis, quò fortasse lapsi sunt, quia vobis curam suam enixiùs, atque attentiùs impenderunt, ita ut Dei ipsius obliviscerentur, vestris utilitatibus, & commodis invigilaturi. *Auctor Anonymus.*

In officiis nostris erga parentes cum amore conjungenda sit reverentia.

Reverentia sine amore perfecta non est; amor sine reverentia inordinatus; sed amor cum reverentia conjunctus eam simul obtinent perfectionem, quam seorsim non possent acquirere. Ajo reverentiam sine amore esse imperfectam; non enim aliud est, quàm inane cordis officium, operæ nostræ inutilis oblatio, cujus numquam videtur effectus, urbanitas re vacua. Amorem sine reverentia inordinatum affirmo, suam enim affectionem consulis tantùm, & ut plurimum prætergreditur urbanitatis fines, quos Christiana Religio permittit. Reverentia aliquid ex prudentiæ natura participat, quæ nimis diu res meditata, eas numquam exequitur; amor verò particeps est naturæ ignis, qui cum nimis violentus sit, nimioque feratur impetu, funestissima parit incendia. Hæc sunt ista duo, cum invicem sunt separata; at ubi conjuncta sunt quodnam officium amori præstat reverentia? Hoc. Cum amor sit ardens, hæc impetus illius moderatur. Altera verò ex parte quodnam officium amor præstat reverentiæ? Cum reverentia sit lenta; amor illam excitat, ac ad opus impellit; hæ in bene nato puero conditiones duæ requiruntur; opus est, ut amorem, ac reverentiam erga parentes suos præseferat, vel ut melius dicam; reverentialis amor in ipso perquiritur. *Sermo Manuscriptus.*

Nulla potestas solvere potest filium a necessitate parentes suos colendi.

Verum est, plurimas a Jurisprudentia tradi rationes, per quas filios e patris potestate mancipari potest, ac suam acquirere libertatem: at nulla civilis lex, vel humana potestas filium exsolvere potest a naturali necessitate parentes suos honorandi ad extremum usque vitæ spatium. Primum istud officium palam, conceptisque verbis in lege præcipitur, ac a Spiritu Sancto sæpius in Scripturis commendatur; & addit rationem: *Memento, quoniam nisi per illos natus non fuisses, & retribue illis, quomodo & illi tibi.* Eccli. 7. Parentes nostri sunt imagines Dei, ac post illum vitæ nostræ fontes, atque principia, nec non instrumenta, quibus ille usus est, ut nobis vitam tribueret, eamque servaret. Auctoritas ipsorum divinæ potestatis est radius, atque ideo illos honorare debemus, quicumque illi sint. Quamvis pater nequam sit, iracundus, bonorum suorum dissipator, immo etiam impius; semper tamen pater est; & organum, quo Deus usus est, ut tibi vitam largiretur; ipse divinæ paternitatis est imago; ac tu debes illius revereri auctoritatem tamquam sanctam, atque divinam. *Pater le Jeune.*

De præcepto a Deo instituto de parentibus honorandis. *Ad Eph. 6.*

Hoc de parentibus colendis mandatum ab Apostolo *Primum in promissione* vocatur; videlicet primum, cui Deus præmii promissionem adjecerit. Alia æquè intemeranda, ac ejusdem momenti præcepta Deo irrogata fuerunt, equidem fateor; sed hoc primum est, quod maximo naturalium bonorum omnium, vita nempe, remunerari voluerit; perinde ac nemo diu beneficio hoc dignus esset, nisi filius, eum colens, a quo illud recepit, volente Deo nos ad præceptum hoc servandum excitare, & ex nostra utilitate, & eo præmio, quo non aliud jucundius in hac vita nobis accidere potest. Atque ut hæc merces amplior esset, vitæ hujus diuturnitati bona addit temporalia, quæ illam beatiorem efficiunt, quandoquidem illis benedicit, quibus parentes benedictionem impertiunt; quæ quidem in lege veteri maxima erat, atque pretiosissima hæreditas, quam filiis pater relinquere posset. *Auctor Sermonum in omnia Ethica Christiana argumenta Tomo 1. Dominic.*

F U R T U M,

Aliena Bona, Restitutio.

M O N I T U M.



Oc etiam ex illis argumentis est, quæ cum illis, cum quibus aliquam rationem habent, ita cohærent, ut inde omnino separari non possint; nam aliena bona injustè parta, furtum, ac restitutionis necessitas naturaliter cum Avaritia, Divitiis, & Usura, de quibus alibi sermo est, necessariò conjunguntur; quod tamen non obest, quominus varii fieri sermones possint, & tamquam diversa argumenta tractari. Interim sub hoc Furti titulo colligemus quidquid ad aliena pertinet bona, & restitutionem eorum necessariò efficiendam, cum injustè retinentur; quibus addemus de necessitate æris alieni solvendi sermonem; quoniam vel solutionem renuere, vel differre non licet, quin contra justitiam peccetur.

Hoc argumentum, quod Moralis Theologia tamquam non postremam ex quæstionibus suis tractat, non cedit utilitate cæteris, quæ de suggestu possunt pertractari, propter necessitatem qua tenetur unusquisque, hac in re se ipsum excutere, & propter multitudinem eorum, qui huic subjacent noxæ, nec non propter periculum salutis, quod subeunt, qui hoc munus non explent, vel qui minimè quærunt, quid hac in re sibi faciendum sit, intelligere.

Cum autem hujusmodi argumentum de suggestu non eadem ratione tractandum sit, quâ tractatur in schola; & nihilominus sit iisdem principiis insistendum; concionator eam sequi regulam, monitumque debet, quod directoribus tribuitur; videlicet ut caveat, ne quid exaggeret, ne secundum sua præjudicia decidat, ne quid proferat, quod certum, tutumque non sit, sive ne tumultum conscientiis inferat, sive ne quis ad restitutionem ineptè cogatur, sive ne aliis restituere jubeatur, quàm iis, quibus damnum, & injuria collata fuit, ita ut acriter hortatus ad ea restituenda, quæ injustè quæsita sunt, atque ostendens necessitatem hujus muneris adimplendi suadeat semper, ut hac in re doctorum virorum, & eorum, qui explorata sunt probitatis, consilia quærantur. Hæc autem nequaquam relaxationem invehit, quin immo e contra, & Concionatorem, & Auditorem cogit, ne quid temere ille dicat, hic faciat.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ Concionum hujus Argumenti Systemata.

I. E necessitate restituendi aliena bona, seu quæ injustè acquisita sunt, quomodocumque possideantur. Tres propositiones Concioni argumentum, ac divisionem possunt præbere: prima nullum esse statum, nullum officium, conditionem nullam, ubi aliquis se ipsum excusat hac in re, uti debet, neque justam habeat metuendi occasionem, ne aliquam alieni boni particulam habeat, quam ideo restituere teneatur. Altera est, nullam humanam considerationem prohibere debere, ne illud bonum restituamus, quod injuste a nobis usurpatum cognoverimus, & quod nostrum non est: 3. Neminem a restitutione dispensari, nisi qui solvendo non est ea, quæ surripuit.

Quod ad primam pertinet, tamquam principium constitui potest, cupiditatem, hoc est affectum, quo aurum, argentumque congerere appetimus, quibus necessitatibus nostris consulere possumus, latè in terris dominari, atque in omnium mortalium corde impetium exercere. Inde verò quot doli, quot fraudes, quot sophismata, ut bona vel juste parta fuisse, vel æqua conscientia retineri posse persuadeantur? Instituenda est variorum statuum inductio, ubi facile est, immo & facillimum proximo injuriam inferre. Qui juridicundo, & militiæ vacant, Domini, Servi, Principes, Subditi, Magistratus, Artifices, Divites, Pauperes ad id sexcentas habent occasiones, modos, atque prætextus: itaut non facile tantùm sit, sed ferme etiam inevitabile, aliena habere bona, vel rapta, vel hæreditario jure accepta ab iis, qui usurparunt illa; post quæ ostendenda est inevitabilis eadem restituendi necessitas.

Quod ad alteram spectat propositionem, nulla est humana ratio, quæ prohibere nos debeat, ne male parta restituamus. Hic refelli possunt omnes prætextus, quos nobis cupiditas suggerit, desumptos ex conditionis suæ fulgore, qui non poterit amplius sustineri; & ea necessitate, in quam erimus redigendi; ex familiæ filiorumque utilitate, ex metu boni nominis amittendi &c. quarum cogitationum nulla salutis nostræ negotio est anteferenda.

Quoad tertiam, ostendendum est, tunc solum nos a restitutionis necessitate liberari, cum solvendo non sumus; sed hac in re non deesse periculum arbitrandi nos impares solvendo esse tunc etiam, cum pares sumus. Quod si te ipsa desit, unde male parta restituere valeamus, docendus est Auditor, quid hoc in casu eidem faciendum sit.

II. De furto, alienisque bonis, quæ retinentur.

1. Nullum vitium est, propter quod tam male audiamus, quam suffurari, & aliena bona retinere. 2. Nullum vitium est, quod confiteri magis pudeat, & quod melius dissimulare noverimus. 3. Nullum vitium est, quod magis illaqueet, impediatque conscientiam, propter aliena bona, quæ restituenda sunt.

III. De eodem furti subjecto. Ostendi potest. 1. Licet pauperias, atque egestas suffurandi præbeat occasionem, divites tamen, magis quàm pauperes in periculo aliena retinendi versari, eò quòd habendi cupiditas cum ipsa crescit pecunia. 2. Seu divites seu pauperes indiscriminatim ad restitutionem justitiæ titulo deberi; ubi docendum quænam sit hujus restitutionis necessitas.

IV. In eodem furti, rapinæque argumento ostendere etiam possumus: 1. Inertiam, ignaviam, laboris fugam pauperes ad furandum impellere; & qua cura evitandum sit illis hoc scelus, quod reparari facile non poterit: 2. Vanitatem, luxum, & avaritiam suadere divitibus ut proximo importentia, concussione, & injustitia inferant damnum. 3. Hoc peccatum efficere, ut divites, pauperesque sibi mutuo fidere nolint; ideoque commercium omne, ac civilem societatem perturbari.

De alienis bonis generatim, ostendi potest, ad tria nos necessariò teneri. V.

1. Restituenda esse aliena bona, quæ surrepta fuere, vel quæ retinentur injustè.

2. Æs alienum dissolvendum esse, neque retinendam esse mercedem eorum, quorum opera usi sumus.

3. Non exigendum aliquid ultra id, quod nobis debetur, quod accidit in fœnore.

Aliena bona esse restituenda. VI.

1. Justitia hanc præcipit restitutionem, ita ut nulla alia virtus huic supplere valeat officio. 2. Pœnitentia, quæ omnia delet peccata, hinc incipit, & hoc si desit, neque valida esse potest, neque sincera.

Alienum æs dissolvendum esse; hæc est justitiæ obligatio, alienumque bonum, quod injuste retinetur. Tres autem hominum species huic desunt muneri; iisque persuadendum est, ut eodem perfungantur. VII.

Primi illi sunt, qui se debere negant; si hoc improbè negant, quia nulla superest syngrapha, qua debitum probetur, nequissima est injustitia creditorem fraudare, qui bona fide mutuum dedit. Si putant se non debere; opus est seipsos hac in re diligentissimè excutere, omniaque singillatim ad examen revocare, ut facti veritas innotescat.

Secundi illi sunt, qui debitum quidem fatentur, sed qui solvendo non sunt; quo in casu docendi sunt, quid ipsis faciendum, ut & justitiæ, & conscientiæ suæ satisfaciant.

Tertii, qui debitum fatentur, & illud possunt dissolvere, sed procrastinando efficiunt, ut sui creditores elangueant; his gravissima, quam committunt, injustitia ostendenda est. *Ex Auctore Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta in Dominicali. Sermone pro 21. post Pentecosten Dominica.*

De alienorum bonorum restitutione ostendi potest. VIII.

1. Inevitabilis male parta restituendi necessitas: necessitas præcepti, necessitas medii, necessitas medii unici, quæ, cum hæc restitutio fieri possit, aliunde suppleri non potest.

2. Necessitas concomitandi restitutionem hanc cunt omnibus necessariis conditionibus ne inanis, & inutilis fiat: quia fieri debet illis, quibus aliquid ereptum est, vel damnum aliquod illatum; debet etiam quamprimùm fieri, neque mors expectanda, ut testamento legetur.

3. Integra esse debet, non solùm ex parte, quod faciunt illi, qui cogunt creditores suos, ut sibi debiti partem remittant, ne amittant totum. *De la Font Tomo 4. Sermonum Ecclesiasticorum pro 22. post Pentecosten Dominica.*

De eadem alienorum bonorum restituendi necessitate. 1. Nihil facilius, & vulgarius in mundi commercio, quam aliena habere bona, & alicui damnum inferre. 2. Nihil difficilius, quàm aliena bona restituere, vel illatum damnum reparare. *Auctor Sermonum in omnia argumenta, in Quadragesima feria secunda majoris hebdomadæ.* IX.

Hoc ipsum argumentum aliter efferri potest hoc pacto. 1. Moraliter impossibile esse, divites aliena non habere bona. 2. Moraliter impossibile esse illos hæc restituere propter summas, quæ ibi occurrunt difficultates. *Desumptum ex Sermonibus Abbatis de Bretteville.* X.

1. Ne-

XI. 1. Necessitas aliena bona restituendi. 2. Unde hæc necessitas proficiscatur. 3. Deplorabilis cum pro temporali, tum pro spirituali eorum statu, qui hoc munus non explent.

XII. 1. Impossibile est, absolutè loquendo, aliquem salvum fieri posse, nisi male parta restituat, cum possit. 2. Impossibile est, moraliter loquendo, & quasi absolutè, hominem terrenis inhærentem bonis facere restitutionem saluti suæ necessariam. *Biroat parte tertia ejusdam Sermonis in Adventu.*

XIII. Cum generatim constet restitutionis necessitas, duo peculiares errores impugnari possunt.

1. Alii nimis facile sibi persuadent se nullius injustitiæ coram proximo reos esse.

2. Alii agnoscunt damnum injustè illatum, at se ab eo reparando dispensant fictas prætexendo rationes, quibus amor proprius speciosum colorem tribuit. *Ex P. Cheminais.*

XIV. 1. Injustè quæsita restituenda sunt, & quæ rationes hoc inevitabiliter jubeant. 2. Quinam hanc facere debeant restitutionem; vel ad quos hæc restitutio pertineat. 3. Cui sit restituendum. *P. le Jeune Oratorii Presbyter.*

XV. Cum bona aliena sublata, vel usurpata semper sint restituenda: in alienis bonis tria considerari possunt, ex quibus tres Sermonis partes possunt constitui.

1. Injusta acquisitio quocumque modo fiat. 2. Injusta detentio eorum etiam, quæ sine crimine sublata sunt. 3. Damnum proximo illatum bona illius usurpando, vel retinendo.

XVI. Tres sunt injustitiæ species, quæ ad restitutionem erga proximum obligant, ut ex quibus totidem fieri possunt Concionis partes.

Prima species manifestarum est injustitiarum, quæ in magnis mundi negotiis fiunt.

Altera injustitiarum prætextus, quæ palam quidem, sed cum quadam conscientiæ specie fiunt.

Tertia injustitiarum inventionis, quæ callidè exercentur, & quibus non modica mortalium pars utitur, ut locuples fiat. *Ex Biroat.*

XVII. Alienorum bonorum restitutio in mortis articulum triplici de causa differenda non est.

Prima est, quod semper has restitutiones procrastinantes tandem in eam cordis indurationem labimur, ut ulterius restituere nolimus; itaut quò magis hoc munus adimplere differimus, eò magis illud contemnamus, & negligamus.

Altera est, quod licet hæc sit facienda restitutio, ab invitis fit, cum in mortis articulum rejicitur, vel cum hæredibus efficienda relinquitur.

Tertia est, quòd licet libenter fiat, eam tamen plura præcesserunt peccata, quæ evitari potuissent, si statim reddita fuissent bona, quibus diu gavisi sumus.

XVIII. In furti materia tria hæc possunt considerari. 1. Quam invisum Deo, & hominibus sit hoc scelus: 2. Quam nihilominus inter homines familiare. 3. Quàm difficile sit ejusdem remedium.

XIX. De restitutione; triplicem considerare possumus personarum caracterem.

Primi quamvis sciant se aliena possidere bona, illa non restituunt, quia ipsius satis persuasum non est de absoluta restituendi necessitate: quibus ostendendum est sine restitutione nullam ipsis ad salutem patere viam.

Secundi illi sunt, quibus licèt persuasum sit de arcta, & essentiali hac necessitate, summa vi sibi persuadere contendunt, nihil a se possideri, quod sit restitutionis materia.

Tertii denique ii sunt, qui videntes se plurima habere non sua, inanes requirunt prætextus, inceptasque excusationes, ne adeo inevitabili necessitati, qualis est restitutio, satisfaciant.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque, unde aliquid hauriri posset ad propositas Concionum structuras exornandas.

Sanctus Augustinus, *Epist. 54. ad Macedonium*, in hac Epistola, quæ satis prolixa est, loquitur de iis omnibus fere, quæ ad hoc pertinent argumentum, præsertim verò de pœnis Canonicis, quibus ævo suo puniebantur, qui aliena bona restituere detrectabant, & docet, Pœnitentiam sine restitutione esse inutilem. Sancti Patres.

Idem, *nona ex quinquaginta homiliis; & Serm. 19. de Verbis Domini*, de iis loquitur, qui restituere tenentur, & docet, fas non esse ex malè partis eleemosynas erogare, ubi sciri possit, cui damnum fuerit illatum; atque antea esse restituendum.

Sanctus Chrysostomus, *Homil. 14. in caput 5. prima ad Corinthios*, ostendit hæredem illius, qui injustè bona adeptus est, ad eorum restitutionem teneri.

Idem, *Homil. 85. in S. Matth.* eleemosynas ex alienis bonis erogatas condemnat, nisi lateat, quibus sint restituenda.

Idem Adhortatione secunda in cap. 25. ejusdem S. Matthæi loquitur de restitutionibus, ac de eo, quod veras a falsis distinguit.

Idem Adhortatione prima in cap. 27. S. Matthæi contra eos invehitur, qui Templa donariis cumulant ex eo, quod proximis surripuerunt.

Catechismus Concilii Tridentini in septimum mandatum fusiùs omnes furti species prosequitur, ac ostendit necessitatem injustè quæsita bona restituendi. Ascetici.

Eos prætereo qui ediderunt Summas casuum Conscientiæ, qui hoc exhauserunt argumentum: infinitus quippe est eorum numerus. Lessius, & Molina de Justitia, & Jure, *nihil reliquum fecerunt, quod in hoc argumento probari possit; quorum decisiones inoffenso pede a Concionatore perlegendas esse reor.*

Raynerius de Pisis peculiariter id pertractavit, quod ad furtum pertinet.

Marchantius in libro, cui titulus *Hortus Pastorum*, hac de re fusius verba facit, ut Theologum, & Concionatorem decet.

Liber, cui titulus. *La Guerre aux vices*, ostendit furtum ex omnibus peccatis illud esse, quod maximè calamitosos efficiat homines, eosque impediat.

P. Nepueu Tomo 4. Christianarum Considerationum, unam habet de alienorum bonorum restitutione.

Ex quo Moralis prædicari incœpit, etiam de restitutione, quæ antea Casuistarum tantummodo propria erat, agi cœptum est. Hi sunt Concionatores, quos editos invenire potui. Concionatores.

P. Bourdaloue inter sermones, qui sub ejus nomine circumferuntur.

Abbas de Breteville in Specimine Sermonum pro feria secunda hebdomadæ majoris.

Fromentieres.

De la Volpilliere.

Auctor Sermonum moralium.

P. Cheminais, Tomo 3.

P. le Jeune Oratorii Presbyter.

La Foor Tomo 4. Ecclesiasticorum Sermonum Dominica 22. post Pentecosten.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta, Tomo 3. Quadragesimæ.

Idem in Dominicali Sermone pro Dominica 21. post Pentecosten Sermonem habet de necessitate alieni æris solvendi.

P. Mathias Faber, *Conc. 3. de Dedicatione*, per occasionem Evangelii hac solemnitate recurrentis, verba facit de restitutione.

P. Ludovicus Granatensis, in locis Communibus. V. *Furtum.*

Summa

Summa Prædicantium: V. *Furtum*, *&* *Restitutio*.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento.

F*Urtum non facies*. Exod. 20.

Si inventum fuerit apud eum quod furatus est, vivens, sive bos, sive asinus, sive ovis, duplum restituet. Ibid. 22.

Si læserit quispiam agrum vel vineam, & dimiserit jumentum suum ut depascatur aliena: quidquid optimum habuerit in agro suo, vel in vinea, pro damni æstimatione restituet. Ibidem.

Si furto ablatum fuerit, restituet damnum domino. Ibidem.

Alii dividunt propria, & ditiores fiunt: alii rapiunt non sua, & semper in egestate sunt. Proverb. 11.

Multi homines misericordes vocantur: virum autem fidelem quis inveniet? Prov. 20.

Qui cum fure participat, odit animam suam. Prov. 29.

Qui subtrahit aliquid à patre suo, & a matre, & dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est. Prov. 28.

Qui festinat ditari, non erit innocens. Ibid.

Immolantis ex iniquo oblatio est maculata. Eccli. 34.

Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui. Ibidem.

Videte, ne fortè furtivus sit: reddite eum dominis suis, quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere. Tob. 2.

Væ qui prædaris, nonne & ipse prædaberis? Isaiæ 33.

Cùm multiplicaveritis orationem, non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Ibid. c. 1.

In alis tuis inventus est sanguis animarum pauperum & innocentium. Jerem. 2.

Si egerit pœnitentiam, & pignus restituerit impius, rapinamque reddiderit, nec fecerit quidquam injustum, vita vivet, & non morietur. Ezech. 33.

Hæc est maledictio, quæ veniet ad domum furis, & commorabitur in medio domus ejus, & consumet eam. Zachar. 5.

Hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem omnis terræ: quia omnis fur judicabitur. Ibid.

Væ ei, qui multiplicat non sua. Habac. 2.

Furtum, & adulterium inundaverunt. Osee 4.

Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari. Matth. 22.

Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus; & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. Luc. 19.

Neque fures, neque rapaces, regnum Dei possidebunt. 1. ad Corinth. 6.

Qui volunt divites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli. 1. ad Tim. 6.

Thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus. Jacobi 5.

Exempla ex veteri, novoque Testamento desumpta.

Exemplum Achan.

QUantum Deus horreret furtum patet in lege veteri, hoc satis patet ex supplicio Achan, quod in septimo libri Josue Capite enarratur. Surripuerat Achan supellectilem aliquam, pecuniamque ex iis, quæ ex Jerichuntinis Manubiis in Domini thesauros inferenda reservabantur. In sacrilegi hujus furti pœnam non solum permisit Deus, ut tria hominum millia de Israelitarum copiis ab exigua hostium manu vincerentur, & conjicerentur in fugam; sed præterea Josue sciscitanti turpissimæ hujus cladis causam, responsum est, esse in exercitu ipsius sacrilegum furem, qui surripuerat, ac in proprium usum converterat partem eorum quæ Deo fuerant devota, & donec qui tantum scelus patraverat, lapidibus non obrueretur futurum esse, ut Deus populum suum hostium furori traderet; ita ut horum impetum sustinere minime valens, quæcumque se offerret occasio, sese daturus esset in fugam. Hoc satis fuit, ut Josue in sceleratissimum caput animadverteret; simul ac enim delectus fuit nequissimus fur, omnia quæ ab eodem possidebantur, flammis absumpta fuere, ipse verò ab universo populo lapidibus obrutus. Mirum sane spectaculum fuit videre nongenta hominum millia numerata in calamitosissimum hunc raptorem lapidibus petendum intenta, & non mulierem, non puerum destitisse, qui in sceleris execrationem in illum non mitteret lapidem.

Tobiæ metus, ne quid alienì haberet.

Oportet est, ut quilibet seipsum diligentissimè examinet, utrum bona, quæ possidet, jure quæsita sint, & utrum bonis suis aliquid alienum immixtum sit. *Videte*, ajebat uxori suæ Tobias, ubi auribus ejus accidit hædi balatus: *Videte ne furtivus sit*. Videte, utrum hoc animal ad aliquem ex accolis nostris pertineat, an furto surreptum sit, volo enim, statim domino reddi: namque non licet nobis comedere aliquid ablatum, immo neque attingere, cujuscumque illud sit.

Exemplum Achab.

Restitutio, ubi fieri queat, sola est, & unica ratio obtinendæ veniæ ob damnum proximo illatum; & quæcumque fiat pœnitentia, inutilis est, nisi jactura, quam ille passus est, reparetur. Hæc fallax est pœnitentia, ac similis illi, quam præ se tulit Achab, qui ab Elia Propheta correptus, sese coram Domino prostravit, ac membra sua texit cilicio; sed non reddidit vineam, quam eripuerat Naboth, ideoque nec veniam obtinuit. Idem accidet quoque illis omnibus, qui inanes quærunt prætextus, ut alienorum bonorum usurpationi, vel retentioni fucum aliquem, coloremque allinant. Nisi restituerint, nulla ipsis venia spetanda est.

Judæ exemplum.

Judæ exemplum, de quo jam locuti sumus, cum de avaritia sermo esset, satis notum est, quin ulterius de illius furto sint verba facienda.

Zachæi exemplum pro restitutione.

Qui se reos esse cognoscunt eo quod aliena retineant bona imitari debent Zachæum nuper verè conversum. Ingens illi erat patrimonium; & difficile erat ne in publicis negotiis, quæ egerat, transegeratque, nemini damnum intulisset, atque male parta non possideret, eò quòd fortasse aliquid ultra quàm par erat, exegisset Judææ exercens vectigalia. Quid autem fecit ille, ut repararet damnum, quod exactionibus nimium severis forsan attulerat? Erogat ille pauperibus dimidium omnium bonorum suorum: quæ quidem insignis est eleemosyna, sed non ex alienis bonis effusa; simul verò addit, se, si aliquem defraudasset illi quadruplum redditurum.

Applicationes.

Bona aliena, quæ usurpantur, comparatur hamo, quem cum esca piscis deglutit, vel laqueo, quo avicula capitur.

D*Ivitias, quas devoravit, evomet, & de ventre illius extrahet eas Deus*. *Job* 20. Eos, qui injustis rationibus bona acquisiverunt, Sanctus Gregorius aviculis comparat, festinantibus comedere escam, quæ illis exhibetur, & quæ capiuntur laqueo sub esca latente; vel pisci avidè hamum deglutienti; qui inevitabilem illi mortem infert: hamus enim, quem cum esca deglutivit, ita visceribus ejus infigitur, ut evomi minime possit, quod necessarium esset, ut a morte liberaretur. Hæc illius est infelicitas, qui ditescere festinavit aliena eripiens bona. Deglutivit hamum, quo necatur; quia simul obligationem subiit reddendi ea, quæ suffuratus est; quod tamen non nisi maxima cum difficultate fieri potest, perinde ac ipsi viscera essent evomenda: *Divitias, quas devoravit, evomet*. Sin autem fur hic, & fœnerator, qui tantum bonorum habet, quæ ad alios pertinent, ea statim reddere abnuit, illa licet invitus evomet in morte, sed non nisi summa vi, quasi ipsa viscera evomeret: *Et de ventre illius extrahet eas Deus*.

Succi-

Ideo in hac vita patitur Deus eum, qui aliena eripit, ut illa restituat.

Succidite arborem &c. Daniel. 4. Princeps quidam in Scripturis Sanctis arborem vidit quæ illi admirationem injecit. Arbor hæc verticem in cœlum usque attollebat, ramosque suos super terræ faciem latè protendebat: cuncta animantia fructibus illius vescebantur; & arbor hæc illis tegmen, umbramque suppeditabat, sub qua requiescerent. Sed Princeps ille vocem audiit clamantem: *Succidite arborem: verumtamen germen radicum ejus in terra finite.* Mihi quidem non est ea ingenii vis, qua Daniel Propheta insignitus erat, ut visionem hanc valeam interpretari; sed hic mihi videre videor, quod facit, & facere debet ille, qui aliena possidet bona. Homo iste ingentibus auctus opibus verticem suum in cœlum usque extulit, ramosque suos in terram protendit: hic plurima habet negotia, officia, mandata, quæ aliis committat; atque in statu hoc affirmare potest se umbram, pabulumque præbere plurimis, qui domi ejusdem versantur. Sed hæc de cœlo vox auditur: *Succidite arborem*: auferenda est hæc servorum turba, hæc relinquenda vestium pompa, hic mensæ sumptus imminuendus, ut bonorum male partorum justa fiat restitutio: *Verumtamen germen ejus in terra finite.* Sed adhuc in terra hic homo relinquendus est, ut si hactenus rapinis, & fœnoribus edidit fructus iniquitatis; imposterum fructus ferat pœnitentiæ, ab alienorum bonorum restitutione ducens initium.

Thesaurizat tibi iram in die iræ. Ad Rom. 2. Verba hæc aptius applicari non possunt, quàm illis, qui vi, furto, ac fœnore opes congerere student; etenim si quodlibet furtum, fœnus concussit, Deum ad iracundiam provocat; nonne qui hoc pacto thesauros accumulat, hic sibi iræ thesaurum thesaurizat?

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus Argumenti.

SI res aliena, propter quam peccatum est, cùm reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur: si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Aug. Epist. 54. ad Macedon.

Justè dicitur Advocato: Redde quod accepisti, quando contra veritatem stetisti, iniquitati adfuisti, judicem fefellisti, justam causam oppressisti, de falsitate vicisti. Idem, ibid.

Quod invenisti, & non reddidisti, rapuisti; quantum potuisti, fecisti; quia non plus potuisti, ideò non plus fecisti. August. de verbis Apostoli.

Lucrum in arca, damnum in conscientia: tollit vestem, & perdit fidem; acquirit pecuniam, & perdit justitiam. Idem.

Pessimum hominum genus commemoras, cui pœnitentia medicina nihil prodest. (Loquitur de iis qui restituere nolunt quod rapuere.) Idem, Epist. ad Macedon.

O lucra damnosa! Vide quid perdit, & quid invenit; rapit pecuniam, & perdit animam. Idem, in Psalm. 61.

Furti nomine benè intelligitur omnis illicita usurpatio rei alienæ. Idem, lib. Quæst. in Exod. q. 71.

Præda ista tibi muscipula est; tenes, & teneris. Idem, in Psal. 61.

Lex scripta in cordibus hominum, quam ne ipsa quidem delet iniquitas: quis enim fur æquo animo patitur furem? Idem, lib. 2. Confess. cap. 4.

An crudelior est qui subtrahit aliquid vel eripit diviti, quam qui trucidat fœnore? Hæc, atque hujusmodi malè utique possidentur, & vellem ut restituerentur. Idem, Epist. ad Macedon.

In latronibus est aliqua scelerum verecundia, sed avaritia palàm sævit. S. Cyprianus.

Qui successit hæreditati plena iniquitate, etiamsi ipse non rapuit, habet ea quæ sunt aliorum; alius spoliavit, sed tu possides; ille rapuit, sed tu frueris. Chrysost. Hom. 14. in cap. 5. 1. ad Corinth.

Eleemosyna reputanda non est, si pauperibus dispensetur quod ex illicitis rebus accipitur; quia qui hac intentione malè accipit, ut quasi benè dispensee, gravatur potius quàm juvatur. Gregor. lib. 7. Epist. 112.

Si tanta pœna mulctatur qui non dedit sua, qua feriendus est qui abstulit aliena? Idem, super illa Matthæi verba, esurivi enim, & non dedistis, &c.

Rapiendi nullus modus, ubi nulla mensura cupiendi. Ambr. lib. de Abel.

Si sterilitas in ignem mittitur, rapacitas quid meretur? Aut quid recipiet qui aliena tulerit, si semper ardebit qui de suo non dederit? & si judicium sine misericordia erit illi, qui non fecerit misericordiam, quale judicium erit illi qui fecerit & rapinam? S. Fulgentius.

Si pauperibus non dare tulisse est, pudeat illic tollere quibus jubemur offerre. Cassian. lib. 5. Epist.

Quid tibi proderit ita peccati veniam impetrasse, ut tamen ei quem læseris, damnum non sarciatur? cùm tu duplici scelere constrictus teneris; altero, quia sceleratis artibus facultates tuas auxisti; altero, quia malè partas opes retines. Gregor. Nazianz. Orat. 40.

Falsa fit pœnitentia, si aut odium in corde gestatur, aut si offenso non satisfiat. Concil. Lateran. 4. Canon. 39.

Non multum interest quoad periculum animæ, detinere injustè, ac invadere alienum. Idem, Canon. 39.

Possessiones quæ de usuris comparatæ sunt vendi debent, & ipsa pretia his, à quibus usuræ extortæ sunt, restitui. Decisio Alex. Tertii in append. Lateran. 3. p. 17. c. 5.

Natura æquum est neminem cum alterius detrimento locupletiorem fieri. Axioma juris.

Publici prædones non erubescunt. Seneca.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ penu ad hoc argumentum depromi valeat.

Furti definitio.

FUrti definitio ex Sanctis Augustino, atque Thoma desumpta est. Est injusta, & occulta usurpatio, vel ablatio alieni boni. Distinguitur autem a rapina, quod hæc palam apertaque vi fiat, illud verò clam, atque furtim. Theologi cum Angelico Doctore affirmant hæc duo esse variæ naturæ peccata; ni mavis dicere, aperta vi rapere quod nostrum non est, esse tantummodo circumstantiam criminis aggravantem. Quidquid sit, liquet furtum, atque rapinam sæpius confundi, atque sub eodem nomine contineri; atque Sacrosanta Tridentina Synodus animadvertit, Deum in mandatis suis præcipientem, ne quis sibi aliena usurpet bona, furti potiùs, quàm rapinæ usum fuisse nomine; facilè enim judicium patet, tunc cum minora prohibentur peccata, quæ in data materia committi possunt, graviora multò magis prohiberi. Quibus addendum est sub hoc vocabulo usurpandi aliena bona, quomodocumque id fiat, contra illius voluntatem, ad quem pertinent, contineri etiam interdictum illa retinendi, & obligationem eadem restituendi, quamvis contingere possit, ut illa citra peccatum aliquis acceperit, vel arripuerit. Hoc autem multò magis ad illos extenditur, qui damnum aliquod intulerunt, etiamsi inde nullum quæstum perceperint.

Cujus necessitatis sit restituendi obligatio.

Sanctus Thomas *quæst.* 2. 2. *art.* 2. de restitutionis necessitate verba faciens, concludit hunc esse actum justitiæ, ideoque de necessitate salutis; hoc est, nisi restituatur id, quod nostrum non est, quidquid aliunde fiat, nullam nobis sperandam esse salutem. Quod semper intelligendum est, cum hoc facere liceat, & solvendo pares simus; quod semper supponendum est. Itaque licet nullum adeo

enorme

enorme sit crimen, cujus remittendi facultatem non habeat. Ecclesia, dummodo verus dolor adsit, atque constans illius ulterius nequaquam perpetrandi propositum; attamen si vel unum tantummodo ex alienis bonis habeas argenteum, quantumvis te illud surripuisse pœniteat, ac imposterum nihil tale ausurum proponas, nisi restituas illud, vel sincerè illud te quamprimum, ubi licuerit, restituturum pollicearis, nemo te in terris absolvere potest; & quantumvis invenias, qui te crimine absolvat; coram Deo nulla erit, & invalida absolutio.

Necessitatis hujus explicatio.

Theologi, cum Sancto Thoma, tres necessitatis species distinguunt; primam præcepti dicunt, alteram medii, tertiam verò præcepti simul, & medii. Dicunt aliquid primo in sensu necessarium esse, cum Deus illud præcipit proposita æternæ damnationis pœna: in altero sensu necessarium vocant, cum medium est a Deo, ita ad finem aliquem institutum, ut sine ullo finis hic obtineri nullatenus valeat: Denique aliquid tertio modo necessarium appellant, cum duplex hæc qualitas simul concurrit. Hoc in sensu Baptismus necessarius est, ut ab originali peccato expiemur: quippe hinc quidem præceptus nobis est, inde verò non alia suppetit ratio, qua illius defectui supplere possimus: & in hoc etiam sensu ad eumdem finem necessaria est malè partorum bonorum restitutio, vel sincera illius efficiendæ voluntas. Non alia patet via in gratiam cum Deo redeundi, nisi plena, integraque restitutione, damnum proximo illatum reparetur.

Restituendi impotentia obligationem suspendit, non aufert.

Cum de restituendi necessitate loquimur in hac materia, supponitur semper restituendi facultas; quæ si desit, obligatio suspenditur, licet non auferatur. Hæc enim reviviscit, statim ac nobis suppetit, unde bona injustè vel rapta, vel retenta restituamus. Etenim Concilia iisdem censuris percutiunt, iisdemque pœnis addicunt & raptores, & injustos alienorum bonorum retentores; etenim ex utraque hac specie injustitiæ proximus idem patitur præjudicium.

Restitutionis præceptum affirmativum simul est, & negativum.

In dubium revocari non potest, quominus præceptum adsit de alieni boni restitutione: Præceptum, quod non solum affirmativum est, quatenus imperat, ut cuique, quod suum est, & quod illi ereptum est, restituatur; verùm simul & negativum, quatenus vetat, ne aliena retineantur bona, ubi illis restituendis pares sumus; tunc enim restitutionis omissio par est furto, ac rapinæ; quippe nullum interest discrimen inter ea damna, quæ proximo inferuntur, sive illius bona eripias, sive retineas.

Restitutio ejusdem est necessitatis, ac pœnitentia.

Ex hoc principio, quod a Sancto Augustino invictis probatur argumentis, videlicet post aliena bona erepta, criminis veniam obtineri, & veram pœnitentiam fieri non posse, nisi priùs ablatum fuerit restitutum; justa illatione infertur, restitutionem non minus ad salutem necessariam esse, quàm pœnitentiam in adultis, qui peccaverunt, nam sine ablati restitutione inutilis est pœnitentia; qua in re Theologi ita argumentantur. Dolor ob Deum læsum, & emendationis propositum, ut loquuntur, quod est essentiale pœnitentiæ, necessariò complectitur efficacem voluntatem recedendi a peccato, & iis omnibus satisfaciendi, quæ ad id requiruntur. Sed Christianus, qui aliena bona usurpavit, arctissima tenetur necessitate eadem restituendi, & nisi habeat voluntatem muneris hujus explendi, actu in peccato est, quia in injustitia patrata perseverat. Ut igitur habeantur necessariæ ad hoc reconciliationis Sacramentum dispositiones, opus est, ut verum adsit propositum peccati hujus relinquendi, & huic muneri satisfaciendi, hoc est restituendi perperam acquisita, si hoc fieri possit, & nisi hæc cordis dispositio habeatur, licet speciosum videaris habere dolorem, habes tantummodo pœnitentiæ phantasma. Si pœnitentia necessaria est ad peccatorum, cujuscumque sint generis, patratorum veniam obtinendam, restitutio boni injustè quæsiti ejusdem est necessitatis, quippe conditio est, sine qua criminis hujus pœnitentia nulla est.

Cuinam rei innitatur præceptum aliena bona restituendi.

Opus non est argumentis, ut probemus, eamdem justitiam, quæ probibet, ne cui vim inferamus, exigere, ut celeri, plenaque restitutione reparemus damnum, quod fratribus nostris attulimus. Sola rationis lumina, quin ad divina confugiamus oracula, sufficiunt, ut obligationis hujus veritas ita liquidò pateat, ut in dubium vocari minimè possit: hoc enim officium legis naturalis principio innititur apud omnes ita probato, ut non Ethnicorum errores, non terribilis illa corruptio, quæ in hominum mores irrupit numquam ex eorum animis potuit delere: scilicet a nobis nequaquam erga alios ea facienda, quæ in nos ab aliis fieri minimè cuperemus; atque cum aliis ea fide, & probitate nobis agendum qua alios erga nos in re simili uti maxime optaremus. Quis autem non cupit sibi ea bona restitui, quæ retinentur injustè? Quis non vult, illatum sibi damnum reparari, eaque omnia sibi reddi; quibus per vim fraudatus fuit? Itaque justitia eadem, quæ prohibet ne alienis potiamur bonis, prohibet etiam ne illa retineamus, nobisque arctam, inevitabilemque, indicit necessitatem illa ad ultimum usque quadrantem domino restituendi.

Retinens aliena, quæ reddere potest, semper est in statu peccati, & actu peccat.

Plurimorum, eorumque gravissimorum Theologorum sententia est, eum, qui injustè aliena retinet, actu peccare toto eo tempore, quo illa retinet contra rationabilem voluntatem illius, cujus sunt, & cui illa posset restituere. Hoc enim simile est, inquiunt, ac si quis manum semper extensam teneret, atque proximi bonis rapiendis intentam; qui profecto actu semper peccaret, donec actu eriperet non sua. Retinere quod suum non est, idem est ac aliena bona eripere, & usurpare: qui non restituit, semper retinet; semper igitur eripit, & usurpat; idemque semper peccat. Actualis non restituendi voluntas, libera omissio hujus officii, & voluntatis, quam habere deberet, restituendi, est, inquiunt illi actuale peccatum, quo jugiter violat hoc mandatum, quo id, quod suum non est, suffurari, & usurpare prohibetur. Quidam longius etiam procedunt eò usque ut affirment, qui injustè aliena bona detinet, in somnis etiam mortaliter peccare; dormiens enim exequitur injustum consilium, quod vigilans cepit, de non restituendo; vel quia in somnis in hac injusta usurpatione perseverat, quæ licet ipse in utramque aurem stertat, semper officit proximo. Cum autem Doctores isti videant, & sentiant nonnihil arduum esse in hac sententia, illam scholasticis terminis explicare tenentur, & asserere, hominem hunc peccare, sed non formaliter, quia ea caret libertate, quæ peccando omnino est essentialis; sed consequenter, quia damnum proximo illatum effectus est detentionis injustæ, quam prævidit, & voluit, vel debuit prævidere. Mallem ego tamen affirmare hoc continuatum crimen esse, ac novum non committi, nisi cum te aliena retinere cogitas, atque illa restituendi consilium non suscipis; alioquin dicendum esset, tot peccata patrari, quot sunt ejus temporis momenta, quo aliena restituere moraris; quod quidem rationabiliter affirmari non potest.

Quando liceat differre restitutionem.

Si verum est, hominem bonum malè partum restituentem ad extremam, ut dicunt, inopiam redigi, itaut seipsum privans hoc bono, quod restituendum est, subsistere nequeat, manifestum est, atque Doctores omnes unanimi consensu affirmant, citra nostram restitutionem posse differri; dummodo semper hanc animo foveat sinceram voluntatem, quamprimum, ubi potuerit, restituendi; atque interim nihil eorum omittat, quæ homo ejusdem conditionis efficere potest in eorum gratiam, quibus obæratus est; atque tunc creditores ex christiana charitate tenentur non urgere illos, qui pro virili ipsis satisfacere adnituntur.

Nihil

Quibus male parta restituenda sint.

Nihil vulgatius est eorum errore, qui se in conscientia tutos putant, atque opus sacere arbitrantur, quo dispensentur a necessitate malè parta restituendi, in aliquot erogantes eleemosynas partem horum bonorum, vel donaria aliqua Templis inferentes, vel Cœnobiis insignem auri, argentique vim legantes. Consentiunt Auctores, ubi ignoratur, & sciri nequit quibusnam damnum fuerit illatum, tunc muneri suo satisfieri, si non pars, sed quidquid alienum est in pauperes erogetur; verum fatendum est, ubi cognosci possit, quisnam damnum acceperit, huic non pauperibus, neque Ecclesiis, esse satisfaciendum.

Neganda illis absolutio, qui cum restituere nunc possint, differunt.

Confessarius non debet, neque legitimè absolvere potest Pœnitentem, cui non est voluntas, ubi primùm potuerit, restituendi; illum exempli gratia, qui cum in præsentiarum solvendo sit, in horam mortis rejicere vult restitutionem dicens, se testamento jussurum ab hæredibus ea solvi, quæ debet, vel qui cum integram efficere possit restitutionem, illam ex parte dumtaxat vult efficere; vel qui cum statim omne æs alienum dissolvere possit, atque creditoribus suis satisfacere, dicit, se morientem eorum non ablaturum bona, atque hæreditatem suam illis, quibus debet, relicturum; qui interim hac mora insignia detrimenta patiuntur. Confessarius, inquam, non potest, neque debet hujusmodi homines absolvere; quia, uti dictum est, restituendi necessitas juri innititur naturali, a quo, quamcumque facultatem obtineat Confessarius, dispensare non potest.

In omni peccato contra proximum, & Deo, & proximo satisfaciendum est.

Hoc principium est in argumento proposito diligenter advertendum, in omnibus injustis rationibus aliena eripiendi bona, vel eadem usurpandi, duo esse consideranda; Primum, injuriam, quæ Divinæ infertur auctoritati per ejusdem interdicti contemptum; deinde verò injuriam illatam proximo per boni ejusdem usurpationem, vel retentionem. Hæc duo mala sunt, quæ ab hoc scelere sejungi non possunt, unde duæ existunt diversæ obligationes, altera quidem injuriam Deo illatam, altera verò damnum, quod proximus passus est, reparandi. Non sufficit ergo a Deo veniam deposcere criminis, quod contra ejusdem gloriam patratum est; reparandum quoque est damnum illatum illi, cujus bona usurpata fuerunt; neque sperandum est futurum ut Deus remittat injuriam suæ illatam auctoritati, propter legis prævaricationem; nisi prius reparata fuerit proximi injuria per boni ipsius usurpationem illata.

Cur Deus adeo gravibus pœnis propositis alienorum bonorum restitutionem præceperit.

Quæri posset, cur Deus, qui alioquin ita divitias contemnere videtur, ut illas plerumque nequissimis impertiat peccatoribus, & jubeat eas a Fidelibus etiam contemni, nihilominus gravissimis propositis pœnis inevitabilem irrogaverit necessitatem restituendi bona, quæ proximo erepta fuerunt, vel quæ eidem retinentur. Verumtamen responderi potest, curam publicæ rei, humanæque societatis, cujus auctor est, & cujus ideo rectum ordinem tueri debet, poposcisse, ut singulorum bona ipse tueretur, atque omnia præcaveret, ut illa ab avaritiæ conatibus tutò defenderet. Jam prohibuerat furtum; sed providentiæ intererat suæ sub hoc præcepto complecti mandatum, injustè quæsita restituendi; si enim minimè imperasset, ut malè parta restituerentur, nemo sibi religioni vertisset proximo damnum inferre, & semel remisso furti crimine, sibi facilè persuasisset, licere sibi, ea, quæ rapta fuerunt, retinere.

Tenemur ipsa etiam commoda nostra relinquere, ut æs alienum dissolvamus.

Qui aliena possident bona, vel qui debent illis, qui damnum aliquod patiuntur ex solutione dilata, hi, ut conscientiæ suæ officiis satisfaciant, aliquid demere debent de voluptatibus, commodis, mensaque sua, si per scelus impares facti sunt solvendo; eo enim tempore, quo omnes, iique etiam, qui nihil cuiquam debent, parcè vivunt, velle in voluptatibus, commessationibus, alea, & ambitione insumere, quod per justitiam collocari debet ad æs alienum dissolvendum, hoc est palam sese decipere, atque in apertam ruere damnationem. Propriæ necessitates cum necessitatibus eorum, quorum bona retinentur, comparandæ sunt; quæ si utrimque pares inveniantur, conscientia poscit, ut aliena propriis negotiis anteferantur: etenim si alteruter pati debet, æquum est, ut injustus usurpator, non autem legitimus dominus patiatur.

Restituendi necessitas ipsis etiam Charitatis, & Religionis officiis est anteferenda.

Obligatio restituendi, æs alienum solvendi, & injuriam proximo illatam reparandi, cum ad justitiam pertineat, omnium prima esse debet; quodammodo enim præcedit ipsam Religionis obligationem. Exempli gratia si quis Templo, aut pauperibus centum argenteos se daturum vovit; virtus Religionis exigit, ut voto huic satisfaciat; attamen certum est, si post etiam nuncupatum votum proximo suo centum argenteorum damnum intulerit, restitutionem hanc voti ipsius satisfactioni esse præferendam; idemque multò magis eleemosynæ, quam charitate actus ultro distribuit: & si ille de centum argenteis tantummodo potest disponere, opus est, ut illis utatur illatum damnum reparaturus.

De furti prohibitione.

Hanc in omnium mortalium cordibus legem insculpsit Deus, ne quis proximi sui bona audeat usurpare. Nullo opus est magistro, ut doceamur, manum in aliena non esse inferendam; hoc principium est, ita generatim probatum, constitutumque, ut nemini liceat diffiteri. Procacissimus quisque divina, humanaque alia jura susque deque subvertens huic paret; & se justum esse gloriatur. Huic etiam paruerunt Ethnici, atque barbaræ gentes, tamquam primo humanæ societatis fundamento, sine quo mundus omnem ordinem, omnemque pacem amitteret. Justitia, & naturalis æquitas postulant, ut quisque pacatè iis perfruatur, quæ sua sunt; & Deo quoque ita curæ fuit, hanc observari justitiam, ut satis non putaverit explicitis, peculiaribusque præceptis furtum prohibere; sed ipsam etiam radicem stirpitus convellere voluerit, prohibens, ne quis aliena concupisceret bona. *Rem alienam non concupisces.*

Variæ furti, & rapinæ species, quæ obligant ad restitutionem.

Tot sunt furti, ac rapinæ species, ut eas omnes singillatim recensere difficillimum sit. Hæ tamen sunt præcipuæ, nec prætereundæ in eorum recensione, qui ad restitutionem tenentur; illas ex Tridentini Concilii Catechismo descripsimus. Præter furtum, quod clam, & rapinam, atque latrocinium, quæ vi aperta, palamque fiunt; illi contra supradictum præceptum peccant, qui emunt ea, quæ furto sublata, rapta, vel inventa esse norunt, illi qui ementes, aut vendentes fraudibus utuntur, atque decipiunt; qui pro bonis eas distrahunt merces, quas nauci æstimari, vel corruptas esse norunt; qui adulteratas habent stateras, atque mensuras; artifices, qui mercedem repetunt operæ non locatæ; servi, qui eam, quæ decet, bonorum domini sui curam non gesserunt; qui conducti, ut provinciam, opusque aliquod subeant, illud negligunt: qui operariis pactam mercedem non solvunt; qui non solvunt, vel sibi vendicant, vel solvi prohibent vectigalia, decumas, aliaque id genus, quæ Ecclesiæ, Principibus, atque Magistratibus debentur: fœneratores, qui usuris pauperes opprimunt; Judices, qui argento, muneribusque corrupti justitiam vendunt, atque injustè lites dijudicant: divites, qui cum sævitia reposcunt, quod mutuum dederunt iis, qui solvendo non sunt; vel qui retinent, quod pignoris loco sibi traditum fuit, licet necessarium sit, ut obærati sustinere valeant; qui non solum furati sunt, sed qui etiam furantibus opem tulere, qui auctores, participes, socii, vel consentientes fuere; vel tandem qui cum furtum prohibere possent, non prohibuerunt, licet ex justitia prohibere tenerentur.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, Recentioribusque Concionatoribus loci hujus Argumenti.

Difficile est, ne ditescere cupiens aliena bona non habeat.

HAc agi cupiditate quocumque pretio divitias congerendi, & suis sarcinulis contentum esse; nihil injustum conari, nullas violentas concussiones exercere, immodicos quæstus contemnere, injusta negotia detrectare; neminem in errorem inducere, in negotiis neminem fallere in delicatis occasionibus, ubi nemo redarguere potest malam fidem, fidelem esse: Ultra omnem terminum, atque mensuram locupletari velle, & modico lucro esse contentum, acquiescere communibus muneris sui emolumentis, quæ cupiditati semper videntur modica; heri sui negotiis non officere, ut propriis accessio fiat; nullis uti dolis ad accolæ agellum usurpandum; Ecclesiastica bona cum sæcularibus non permiscere: Velle celeriter ditescere, & ad finem suum legitima tantum via, quæ semper lentissima est, incedere, nihil eorum retinere, quæ ad subalternos sunt transmittenda: verbo, hujusmodi habentem principia, nemini obesse, nullius bona usurpare, atque se nulli restitutioni obnoxium arbitrari, hæc profectò (Auditores) chimera est. *P. Cheminais Sermone de restitutione.*

Ubi hæc in re dubitatio oriatur, se ipsos diligenter excutere oportet.

Ubi de alieno, atque injustitia sermo est, & dubitas; hoc jam præjudicium est, quod te tem intus, & in cute inspicere, ad examen revocare, seriòque discutere cogit. Verum quid agis, ubi aliqua tibi oboritur dubitatio de injustis rationibus, quibus consuevisti? Qua cura eos obtundere stimulos quæris qui conscientiam tuam vexant! Locuples hæres in defuncti conscientia animi sui tranquillitatem constituit, ac refugit, inquit ille, discussiones, quæ injuriam afferrent nomini illius, a quo scriptus est hæres; horret cineres suscitare mortuo, quem honestissimum fuisse, jactat: detrectat diligenti examine disterere obligationes donantis, qui largè, effusèque ea bona impertit, quæ justitia alibi vellet impendi: non vult singillatim minuta quædam scrutari, hanc prætexens causam, quodlibet singillatim leve esse, licet omnium summa gravissimam injustitiam constituat. Ad omnem auferendam dubitationem satis est, si scelus non totum sese simul ostendat. Aliquando inter scrupulos rejicietur dubitatio, & quin lucem inquirendo resolvatur, putant satis esse eam suffocare, contra eamdem agendo. Interim mysterium iniquitatis latet in tenebris; & post hæc dicunt: ego quidem aliena bona non habeo; nihil cuiquam debeo. *Idem P. Cheminais.*

Plurimi sunt abusus in lucro, quod ex pecunia recipitur.

Cum de quæstu agitur, maximum ex pecunia lucrum, quod inveniri queat, percipiendum esse putatur; cui perniciosissimo principio incumbentes quid non excogitarunt homines, ut usuras Judaicis fœdiores palliarent, probarent, sanctificarent? Ratio adinventa fuit lucri societatem ineundi cum iis, quorum vita suspicione non vacat; brevi tantum referendi quæstum, quantum sortem ipsam exæquet; proficiendi ex proximi calamitatibus, quis adhuc felix censetur, quia hoc opis nanciscitur; mari, terraque negotiantur, & licet mare suas habeat procellas, ac terra suam sterilitatem, inventa est ars dividendi fructus fertilitatis, atque tranquillitatis, quin ullum imminere possit periculum. Quot ambages, quot prætextus, quot colores ex ipsa temporum calamitate, atque mercatorum passim deficiente fide comminiscuntur? Hæc omnia, inquiunt, consuetudine comprobantur; quiescunt, parto fruuntur, at nihil male partum a se fuisse arbitrantur. *Idem.*

Sub prætextu dignitatis tuendæ æs alienum nõ solvitur.

Sub prætextu tuendi gradus illius, quem in terris obtinent, dignitatem, quas injustitias sibi non licere homines putant? Utraque manu fœnerantur; eos oppignorantur agros, qui ære alieno jam sunt exhausti, non artifici, non mercatori, non famulo pacta pecunia persolvitur: quamvis afflictæ sint substantiæ, aliena vivunt quadra, quasi opibus affluerent; Una affertur excusatio, videlicet consuetudo; nemini se damnum inferre putant; quieta conscienna in hoc statu moriuntur. Verum quis hæc omnia mala reparaturus est? *Idem.*

Nobis minime noxæ vertimus damnum, quod nostro nomine infertur.

Illud fortasse reparare conabimur damnum, quod ipsi per nos cuipiam inferimus; illud verò quod nomine, consilio, hortatu, consensu, approbatione, ipsoque etiam præsidio nostro infertur, nullo in discrimine habetur; & satis esse ducimus, nullum inde lucrum percepisse, ut omni culpa careamus. Itaque quot patres familias negotia sua cognoscere nolentes, habent Procuratores suos, qui eorum nomine, causaque peccant, injustamque subscribunt syngrapham, & altera delinquunt manu, donec eleemosynam erogant altera? *Idem.*

In omnibus conditionibus injustitiæ committuntur.

Quis dignoscere posset dolos omnes, qui exercentur, & quibus ex consuetudine auctoritas videtur accedere? In foro, quot meditatæ moræ, quot fallaces spes, quibus clientes inflantur, ut in litium agendarum proposito mordicus hæreant? Quot noxiæ incuriæ, quot consilia, quæ non ratio, sed cupiditas suggerit? In negotio quot consuetudines, quæ in regulam abeunt? Nonne hoc probatissimum principium est cariori, quàm fieri possit, pretio merces distrahere, adulterare, dissimulare, & injustè in hoc reparare velle jacturam, quæ in altero relata est? In Ecclesia, quisnam ad restituendum se teneri putat, eo quod beneficio suo non inservüit, quod redditus illius obligurivit, quod illos in aleis, commessationibus, venatibus, & fortasse in fœdiores, nequioresque usus impendit? Nullus est, iterum dico, nullus status est, qui non habeat sua iniquitatis mysteria, injustitias suas; & volunt, hæc omnia consuetudine probari, atque in hujusmodi articulis nolunt attingi. Quæro autem, utrum consuetudo justum efficere possit, quod per se injustum est, utrum vel numerus, vel qualitas personarum præscribere possit Evangelio? Quisnam secum dispensare potest, ne damnum proximo illatum reparet, vel bona injustè quæsita restituat? *Idem.*

Prætextus, qui afferuntur, ne restitutio fiat.

At enim mihi quoque damnum infertur, nihil mihi restituitur, æs mutuo datum non persolvitur; cur ego cum aliis id agam, quod mecum alii? Hæc prima est excusatio, quæ prætexitur, ne restituatur. Putas ergo, ut inquis, licere, ut illatum tibi repares damnum, iis a quibus tibi illatum fuit, damnum inferre? Quid huic reddam non habeo, saltem in iis, quæ ad injustitiam pertinent; quamvis re ipsa non desit unquam periculum in secretis hujusmodi compensationibus. Hæc profectò reparatio semper odiosa est, & rarum est non excedere, atque intra ea, quæ verè debentur, subsistere; ac sæpe ultra, id quod pactum fuit, retinetur, eaque prætexitur causa, pecuniam pactam nimis modicam esse. *Idem.*

De illis, qui nimia severitate id exigunt, quod sibi debetur.

Si qui æs alienum, ubi solvendum sint, non dissolvunt, agunt injustè; altera ex parte meipsum continere non possum, quominus istic redarguam barbarorum creditorum sævitiam, qui omnem humanitatis sensum abjicientes, nulla acti necessitate recuperandi, quod sibi debetur, obæratos crudelissimè vexant, & quin ad examen revocent, utrum solvendo sint, quin ullam legitimam admittere velint excusationem, quin lacrymis moveri sinant, quin cogitent, se hominem ad ipsam ferme desperationem adigere, gutturi eorum pedem infigunt, ut nequam ille servus Evangelicus: *Redde quod debes.* Non desunt tamen creditores magis humani, qui ut debitores suos urgeant, suam tantummodo consulunt necessitatem utendi iis, quæ sua sunt, atque solent, donec negotia sua eos præstolari patiuntur. *Idem.*

De illis, qui mortis tempus expectant ut restituant.

Præclarum sane sacrificium erit, cum jamjam morituri aliena bona, quæ amplius retinere non licebit, restituetis! si ulla est eo temporis puncto fallax pœnitentia, hæc sane est. Sed cuinam peri-

culo objicitis proximi vestri bona? Nonne toties infringi hujusmodi testamenta, atque tamquam deliramenta haberi vidistis? Quot ab hæredibus, qui vobismetipsis avidiores sunt, legata adimpleta non sunt? Speratis futurum, ut bona Templis, & xenodochiis legata vobis sint profutura? at hæccine reparant damnum, quod frater vester perpessus est? De tuo eleemosynas eroga, atque eas Deus tuis meritis apponet. *Idem*.

Quam commune inter homines furtum.

Rarum est, ac difficile avaritiam sejungi posse a furto, vel saltem a damno, quod proximo infertur. Hac de causa Propheta Oseas ait, furtum sese tamquam diluvium in omnes mortales effudisse. Haud ita (Auditores:) ne celegetis fures in nemora, & saltus ubique inveniuntur; & licet hoc vinum sit infamissimum, non desunt tamen homines, qui honesti habentur, licet improbi sint. Verum quidem est, si hoc nomine, ut vulgò assolet, ii tantum appellentur, qui latrocinantur in via, vel qui clanculum interdiu, nocturve domos ingrediuntur, ut quidquid possunt, inde auferant; nulli hoc in numero honesti homines erunt; sed postquam probatum fuerit plures esse furtorum species, quæ in mundo fœdæ minime habentur; immo non deesse quasdam, quæ honestæ putantur, haud ægrè subscribetis veritati, quam annuntiat Propheta: Furtum videlicet diluvii instar terram omnem inundasse. *P. le Jeune, Oratorii Presbyter, Sermone de furto*.

De restituendi obligatione.

Mirum sanè, atque notandum est, Dei Filium majorem adhibuisse curam, ut proximorum nostrorum utilitati consuleret, gravioresque constituisse pœnas pro injuriis quibus illi afficiuntur, quàm quibus ipse lacessitur. Juris sui, earumque rerum, quæ ad ipsum pertinent, Sacerdotes suos arbitros facit; eisque facultatem impertit dimittendi peccata, quæ ad ipsum unicè referuntur, & dummodo verus pœnitentibus dolor adsit, omnia eorum judicio remittit. At non item cum agitur de injuriis proximo illatis: tunc enim in Confessariorum potestate non est, absolutiones largiri. Neque enim absolvere possunt, nisi hac proposita conditione, quòd proximis bona reddantur; quæ clausula necessariò huic dispositioni cohæret. Ita sane, Sacerdotes Dei viventis, vos quidem estis gratiæ ministri, atque cœlestium thesaurorum sequestres; vobis quidem facultas est de iis, quæ ad Deum, non autem, quæ ad homines pertinent, disponendi: potestis quidem quibusdam in occasionibus homines dispensare, ne Deo, quæ debent, reddant, vel saltem debitum eorum imminuere; sed his bona auferre, aliis conferenda, non potestis: de his disponere vestrum non est, & qui retinent illa, indigni sunt, qui absolvantur, ac vos impares absolvendo, nisi actu illa restituant. *Idem Sermone de restitutione*.

Quam difficile est a divitibus aliena fieri restitutionem.

Si omnino fieri non potest, ut divites, qui aliena rapuere bona, sine restitutione salventur, ubi restituere possint; æquè ferme fieri non potest, ut cum inordinata habendi cupiditate tenentur, restituant. Dici potest hoc impossibilitatis genus in moralibus hominum actionibus inveniri, cum tot, tantæque difficultates circumstant, prohibentes, ne id fiat, & cum difficillimè vinci possunt, & fere numquam vincuntur, & gratiæ miracula requiruntur, ut insueti hujusmodi conatus fiant. Satis esset ipsam consulere experientiam, ut innotesceret malè partorum bonorum restitutionem inter hoc genus impossibilium esse recensendam; quandoquidem in fere infinito hominum numero, qui injustè aliena rapiunt, paucissimi inveniuntur, qui rapta restituant. Omnes ferme restitutiones, quæ fiunt, in aliquot argenteis consistunt, quos hero suo famulus suffuratus est; sed fures illi, qui ingentes alienorum bonorum summas retinent; fœneratores, quorum omnia fere bona ex fœnoris lucro conflata sunt; rabulæ, qui forensibus jurgiis, amicorumque favore obtinuerunt id, quod suum non est, ubi de restitutione incidit sermo, aures obstruunt, & ægrè patiuntur. Hoc ostendit non deesse quamdam secretæ impossibilitatis speciem in hoc actu justitiæ, quæ illius praxim adeo efficit infrequentem. *Idem*.

Desiderium derelinquendi filios divites prohibet, ne tunc etiam restituamus, cum morti proximi sumus.

Facti sumus carnalis benevolentiæ servi, ajunt hujus viæ homines apud Salvianum, & fallax charitas tamquam captivos nos vinxit, & alligavit: caro, & sanguis de fide victoriam retulerunt; & nos velut inviti, maximè essentialia Religionis officia reliquimus, ut fictitia naturæ officia sequeremur: metus relinquendi filios minus opibus affluentes, minusque commodos, prohibet, ne justitiæ munus adimpleamus, videlicet, ne damnum a nobis proximo illatum reparemus. Quid ergo? vultisne æternis ignibus uri pro ingratis, qui ne recordabuntur quidem vestri, ubi naturæ concesseritis; qui patrimonia, quæ tanto labore, ac parsimonia quæsivistis, vel quæ tot injustitiis peperistis, obligurient? Si hæc non est omnium maxima insania; si hic furor non est, ubi inveniri possit, nescio.

Prætextus eorum, qui in testamento volunt restituere.

At enim, inquies, hæc nobis non est mens, ut cum alienis bonis ex hac vita discedamus; illa testamento restituturi sumus; in præsentiarum verò nihil nos urget. Heu! si vos nondum testatos mors inopina præripiet, quid erit? Si testamentum forensem non sequatur formam, itaur hæredes illud infringere adnitantur, vel illi differant in mortem testamento satisfacere, vos imitati, quid fiet? Et licet nihil horum contingeret, nonne videtis, differentes eam restitutionem, quam statim explere potestis, eam difficiliorem, atque magis onerosam efficere; quandoquidem non sors tantum erit restituenda, sed etiam reparanda erit jactura, quam hæc dilatio pepererit? *Idem*.

Conscientiæ stimulos retundere adnitimur admonentis, ut restituamus.

Cum nondum omninò indurati sumus, scimus, aliena, quæ retinentur, bona esse restituenda; sentimus conscienciæ stimulos urgentes, qui palam nos admonerent, si illis aurem adhibere vellemus. Sed illos retundere adnitimur; nihil intentatum relinquimus, ut nosmetipsos fallamus, atque ut sine anxietate possideamus, quod sine crimine retinere non possumus. Cavemus, ne in illum incidamus Confessarium, qui integer, atque peritus sit, ne nos ad restitutionem, uti oportet, compellat; immo illum effugimus tamquam austerum, molestumque hominem, atque Templa lustramus, ut eum nobis inveniamus, qui sese præbeat indulgentiorem. Deus verò, qui terribilis est in consilus suis, justo, sed formidabili judicio sæpe permittit, ut tales inveniamus animarum nostrarum rectores, quales inquirimus, atque evagantes per voluntariam cæcitatem, quam nobismetipsis procuravimus, miserè decidamus in foveam, quam ipsi nobis effodimus. Hoc autem passim usuvenit illis, qui bona habent aliena, eaque restituere morantur. *Idem*.

Eleemosynam erogantes ex rapto.

Audite, Sanctus Chrysostomus inquit, vos omnes, qui pauperi, orphanoque lacrymas extorquetis, cum in eleemosynas bonum illud erogatis, quod violentiæ pretium est, vel ex pauperum substantiis exceptum; Judam imitamini Templo inferentem pecuniam, quæ pretium erat Sanguinis JESU CHRISTI; & eleemosynæ vestræ diabolicæ potiùs sunt, quàm Christianæ. Pauper, cui stipem tribuitis, gaudet, ac pro vobis Deo suas preces effundit; sed ille, cui aufertis bona, gemit, & ultionem deposcit contra vos; uter vestris damnabitur: Si cum pauperem alitis, ut ipse testatur, Dei Filium alitis; Dei Filium simili ratione expilatis pauperem expilantes. Cum in jus furem accersitis, qui vobis aliquid suffuratus est, si ille partem rapinæ judici largiretur, ut salutari littera absolutus judicio discederet; & si judex hoc munus reciperet, nonne illum æque furem, ac furem ipsum esse diceretis? Licet injusti sitis, hanc tamen probare injustitiam non posseris; & putatis, Deum hanc committere velle, cum rapti partem, quasi ad illius corrumpendam integritatem tribuitis. *Idem*.

Non

Præstat toto cœlo aliena restituere, quam expectare donec mors illa nos relinquere cogat.

Non poteſtis ſemper poſſidere malè parta, quæ vobis dolorem afferent numquam deſiturum; tandem enim vel invitis, mortis tempore, relinquenda erit pecunia, qua modo carere non poteſtis, atque tunc ex neceſſitate, & ſine fructu vobis illud erit faciendum, quod hodie ex voluntate, & cum merito fieri poteſt. Heus! Nonne præſtaret ultro, & ex animo, atque cum utilitate ea, quæ veſtra non ſunt, reſtituere, quàm cum dolore id agere jamjam morituros, invitos, & ſine præmio? Nonne ſatius foret, Sanctus Bernardus ait, hæc bona cum honore, atque interiori conſcientiæ hilaritate reſtituere, quàm illa cum magno, inutilique dolore amittere? Nonne prudentis eſſet, ultrò propter JESU CHRISTI amorem illis carere, quàm invitos eadem in morte relinquere. Nunc ſupplicis tono, quandoquidem de animæ veſtræ ſalute agitur dico: *Redde quod debes*. Heus, frater mi, tuiipſius miſerere, redde mercatori, opifici, famulo, quod illis debes; redde egenæ Viduæ, cujus retines bona; redde, quod malum attuliſti pauperi forenſibus jurgiis; denique redde, quod tuum non eſt: *Redde quod debes*. Hoc equidem ſupplicis tono dico, ſed mors aliquando hoc imperioſa voce clamabit: Egredere miſer, egredere de domo hac, quam jure numquam poſſediſti, relinque invitus pecuniam hanc, quam tecum ferre non potes. *Idem*.

Imprudentia eſt æs alienum non ſolvere, & aliena bona non reſtituere.

Inſignis eſt imprudentia æs alienum, ubi fieri poſſit, non ſolvere, quin præſtoleris, donec creditores cunctationibus fatigati jus ſuum perſequantur; atque tunc ſolvendo te minimè parem nacti de negligentia, vel mala fide tua, ut moreris, pœnas repoſcant. Sed hæc procul dubio major adhuc eſt Chriſtiani hominis imprudentia, hoc citiùs, quam fieri poſſit, non reſtituere, quæ debet, quin in incertum futurum eemittat, atque in illud differat tempus, quo ex ſe id fortaſſe efficere non poterit, neque affectæ eorum probitati confidere, quibus hoc faciendum committet. *Eſſais de Sermons in Dominicali Sermone pro vigeſima ſecunda poſt Pentecoſten Dominica.*

Nihil magis periculoſum eſt, quam reſtitutionem differre.

Cupiditas opum affectus eſt impetuoſus, & avidus: quò major illi creſcendi locus præbetur, eo magis hominem in impœnitentiam conjicit, & in quamdam cordis duritiam, cui nonniſi inſigne divinæ miſeriæ miraculum mederi poteſt. Quid facit fur diu aliena retinens bona? Auget vincula ſua, & ea, quæ ſtatim facili labore potuiſſet infringere, deinceps ferre minime poteſt. Samſon bis funes diſrupit, quibus ab hoſtibus vinctus fuerat; ſed tertiò vinctus illos non valuit perfringere. Dives injuſtus putat, ſe, ubi voluerit, injuſtitiæ ſuæ fructus relicturum; hoc enim illi pollicetur dæmon, ſuadens, ipſum melius tunc rapta reſtituturum, cum aliquantò majores opes cumulaverit; ſed profitetur Sapiens, calamitoſum hunc ignarum eſſe, & minimè videre, quod ſeipſum vinculis obruit: *Ignorat, quod ad vincula ſtultus trahitur*. Cæterum, Sanctus Chryſoſtomus inquit, furtum, ut vibia eatam, alterum trahit; & quo magis homo differt ea reſtituere, quæ rapuit, eò ad plura rapienda paratior eſt, ideoque ab efficienda reſtitutione magis abhorret. Cupiditas illius, velut ignis eſt, eo magis procedens, quo plus habuerit nutrimenti; velut fluvius eſt, qui cum ex fonte parvulus emanaverit, ſenſim aliorum fluviorum acceſſione intumeſcit, ac fit ita impetuoſus, & rapidus, ut qui primum nullo detorqueri labore poterat, omnia tandem proſternat valla, aggereſque, qui ejuſdem tranſitum prohibent. *Idem*.

Quid cogitandum de illis, qui æs alienum diſſolvere detrectant, & ingentes ſumptus efficiunt.

Quid de illis putas, quibus luditur alea pernox, qui magnificos ſumptus efficiunt, emuntque honores, & officia ſumptibus eorum, a quibus mutuati ſunt pecuniam, quam ſolvere abnuunt? Quid de Magiſtratibus, Præfectiſque putas, qui dignitatum ſuarum poteſtate abutuntur, ut æs alienum non ſolvant, ut creditoribus metum incutiant, ut juſtitiæ curſum remorentur? Quid de opulentis hominibus, qui quotidie mercatoribus merces auferunt, quin onquam pactam pecuniam perſolvant? Quid de illis, qui opificum utuntur induſtria, atque contra explicitum Dei mandatum non menſes tantum, ſed & annos, plurimoſque annos abire ſinunt, quin illis mercedem tribuant, eoſque conviciantur, & contumelioſis verbis inſectantur, cum ſudorum, laborumque ſuorum fructum expoſcunt? Quid de illis, qui ſervos dimittunt, quin ſtipendium perſolvant, vel tamdiu illud perſolvere differunt, ut injuſtiſſima dilatione exiguam eorum fortunam prorſus evertant? Ego quidem puto hujuſmodi homines apud Deum pro injuſtis uſurpatoribus, vel improbis alienorum bonorum detentoribus haberi; puto, niſi ubi quamprimum poſſint, reſtituerint, indignos eſſe, qui ad Sacramenta accedant, atque in caput ſuum ea omnia maledicta convertere, quæ illis minitatur Scriptura. *P. Texier. In Dominicali Sermone pro vigeſima ſecunda poſt Pentecoſten Dominica.*

Sola impotentia, non autem difficultas a reſtitutione diſpenſare poteſt.

In morum doctrina graviſſimus error eſt, opinari illis, qui illicitis rationibus locupletati ſunt, & ad honeſtam conditionem aliquam evecti, licere ea retinere, quæ neceſſaria ſunt, ut ſtatus ſui dignitatem tueantur. Audiendi non ſunt, cum ajunt ſe nihil habere præter ea, quæ neceſſaria ſunt ut ſecundum conditionem ſuam vivant. Audiendos non eſſe dico, 1. quia ſtatus, in quo ſunt, non eſt ille, quem a nativitate ſortiti ſunt, ſed ille, ad quem ſuum ſcelus, & injuſtitia illos provexit. 2. Nihil legitimè ſuper peccato poteſt conſtitui; at ea quæ poſſident, bona, redditus, dignitates, omnia criminoſa ſunt, & injuſta, nihil ergo ſuper his poteſt conſtitui. 3. Nullum a natura jus niſi in id, quod neceſſarium, non autem quod ſuperfluum eſt, habemus; ideoque ut ea reſtituamus, quæ debemus, relinquenda eſt eheda, & alea; aliquid menſæ, aliiſque ſuperfluis ſumptibus detrahendum eſt. *Idem*.

Unde oriatur difficultas reſtituendi.

Inordinata habendi cupiditas, amor, quo opes depereunt homines, extrema difficultas, quam experiuntur, in iis relinquendis, quæ tamdiu poſſederunt, dulcedo, qua in hoc ſtatu perfruuntur, ad quem injuſtitia aditum ſibi aperuerunt, & dolor, quo conficerentur, ſi quid eſſet detrahendum aleæ, & commeſſationibus, ſi de ſtatu, quo lætantur, decidendum eſſet: hæc omnia ita inebriant voluntatem hoc bonorum inordinato amore, ut intellectus ſe nullo negotio præverti patiatur; atque poſtquam ita excæcati ſunt, ſexcentas excogitant fallaces rationes, ut reſtitutionem hanc nequaquam neceſſariam eſſe ſibi perſuadeant, atque hoc pacto in fallacis conſcientiæ tranquillitate ſeſe confirmantes, in hac injuſtitia vivunt, atque moriuntur. *Idem*.

Facile eſt aliena bona eripere, eaque reſtituere, difficile eſt.

Nihil facilius, quàm aliena uſurpare bona, ſed nihil difficilius, quàm eadem reſtituere. Cupiditas, neceſſitas, omnes ferme affectus noſtri, ſexcentæque fallaces rationes ad illa uſurpanda nos agunt; eæque omnes cauſæ ſunt prohibentes ne reſtituamus illa. Hac in re conſcientiæ aculeos retundimus, lumina, quæ ab eadem afferuntur, infirmamus, & ſpecioſis prætextibus eludimus eas rationes, quæ nos ad reſtitutionem impellerent. Extrema neceſſitas, qua nos laboraturos metuimus, impotentia, quæ falsò aſſeritur, commentitium ſtatus ſui tuendi jus, præſcriptio, quam ſine ratione ulla cenſemus eſſe legitimam, chimericæ injuriæ reparatio, fallax pietas, quæ ſuadet, filiorum ſuorum fortunæ alienis ſumptibus conſuli poſſe, inanes ſunt prætextus, quibus abutuntur homines, ut ab alieni boni reſtitutione ſe excuſent; at hæ rationes ab hac reſtituendi neceſſitate nos ſolvere nequaquam poſſunt. Hi prætextus nos quidem fallere, homineſque decipere poſſunt; non autem noſmet coram Deo juſtificare. *P. Nepueu, Tomo 4. Chriſtianarum Conſiderationum.*

Reſtitutionis neceſſitas.

Si aliena bona reſtituere, difficile eſt, non ideo minus eſt neceſſarium. Difficultas non minuit neceſſita-

cessitatem; & labor, quem in hoc munere explendo, invenimus, nos ab eodem obeundo nequaquam dispensat. Inanes prætextus nostri resistere nequeunt sanctionibus Legum naturalium, divinarum, humanarumque, quibus statutum est, ut quæ sua non sunt restituantur. *Idem*.

Restituendum prius, quam eleemosyna eroganda.

Vultisne christianam, Deoque acceptissimam erogare eleemosynam? perpendite quomodo bona vestra quæsita fuerint; & si quæ malè parta possideris, satisfacite justitiæ, mox etiam charitati satisfacturi. Fœneratores, reddite pecuniam, quam ex multiplicatis usuris, & quæstubus congessistis; O vos, qui pro rebus emptis male solvitis pecuniam, mercatoris, cui duram injecistis necessitatem levissimam accipiendi summam, ne omninò ita frustraretur, quæ sibi debentur, damnum reparate. Reddite mercedem, atque stipendia opificum, & famulorum, qui tot ab hinc mensibus, & fortasse annis etiam languent. Forenses ministri, qui tot dolis usi estis, qui chirographa vel sustulistis, vel adulterastis, qui effecistis, ut clientes vestri suas substantias amitterent, inutilibus sumptibus attritas, reddite clientibus, quos cunctationibus fatigastis, versutiis decepistis, ignorantia, vel mala fide evertistis. Reddite hæc omnia, sed quibus? illis, quos læsistis; vel si naturæ concesserunt, filiis, aut hæredibus eorum; vel si nullos hæredes habeant, vel illos absolutè ignoretis, pauperibus erogate, quos Deus in eorum locum substituit. *Joly Sermone pro octava post Pentecosten Dominica*.

Quomodo cupiditas nos impellat, ut alienis bonis potiamur.

Fieri non potest, ut infelix ista cupiditas legitimas tantum vias sequatur; omnibus enim utitur illicitis æquè, ac licitis, fandis æquè ac infandis. Nonne inordinatus hic amor neque sanctissimis rebus parcit, atque in ipsum usque sanctuarium impunè invehit mercaturam, efficitque ut quidquid faciamus est, venum plus offerentibus prostet? Ita Templorum ministri inexplebilis hujus cupiditatis propensioni parentes propriis adnumerant bonis fidelium oblationes; ita subditus sibi conscientiæ minimè verit, si Principem fallit, & Princeps non refugit subditos opprimere, atque evertere. Ita plenis eripiunt manibus; pupillorum, viduarumque bona auferuntur, atque publicæ auctoritatis abusu civitates, atque Provinciæ depopulantur. *Abbas de Breteville, in Specimine Sermonum, Sermone pro feria secunda majoris hebdomade*.

Filiorum consideratio prohibere non debet, ut malè parta restituantur.

Quidam ait, si restituere velit, futurum esse, ut filii sui ad ultimam redigantur egestatem. Quid? egone videbo filios meos ostiatim panem emendicantes? Cor mihi divellerem, si illis auferrem, unde honestè vivere possint. Sed e contra, nisi restituas, filios tuos perdis, illos enim in damnationis periculum adducis. Aliena bona, quæ in tuis manibus sunt, ad eos transmissa naturam mutabunt; cur autem illis relinquere cupis illius boni possessionem, cujus restitutio tantam illi conflabit calamitatem? Si enim filii tui ita duri, atque ab omni rationis sensu alieni sunt, ut restituere nolint bona, quæ illis reliquisti, nonne illos scelerum tuorum participes facis? atque illos in hoc mundo felices efficere cupiens, nonne in alteri æternum facis miserrimos? *Idem*.

Neque consideratio status sui, quem tuendum pro dignitate opinantur.

Alius ait, cum status sui dignitatem debeat tueri, se restituere non posse, atque non decere, se suis fraudare bonis, & de suæ conditionis gradu descendere. At nostin quænam sit conditio tua? Hæc est, te Christianum esse: hunc unicè statum necessariò tueri debes necesse ne est, ut status mundanus cum status christiani jactura servetur? Nisi domum tuam alere potes, quin aliis inferas damnum; illius sumptus moderare; ne extollas illam ultra quam opus est; contine te intra mediocritatem; vitam institue secundum tuæ Religionis præcepta; descende de gradu, ad quem te peccatum evexit, si nonnisi per peccatum, illi conformare te potes. Quid de illo diceres, qui sumptibus suis status sui dignitatem tueri vellet, atque bonorum suorum jactura fastum suum alere? Nonne diceres; si dignitatem hanc tueri cupit, eam sumptibus suis, non alienis, neque meis tueatur; si magnus haberi vult, magnificamque habere supellectilem, hanc ære suo emat, non meum mihi eripiat? Hanc ad teipsum regulam transfer, quæ omnibus hominibus eadem esse debet: Si assertam hanc dignitatem tuam retinere desideras, de tuo, non autem de alieno illam retineas. *Idem*.

Neque prætextus necessitatis, quæ laborandum erit.

Si restituo, inquit alius, iis etiam carebo, quæ ad victum sunt necessaria, atque extrema egestate laborabo. Hic abusus est, S. Augustinus respondet; etenim præterquamquod hæc diceret etiam latro vias obsidens, certum est peculiarem in Deo esse providentiam, speciali protectione invigilantem illis, qui illud etiam relinquunt, quod sibi est necessarium, ubi hoc male partum fuerit, ut illius pareant imperio. Numquid aliena bona destinata sunt, ut illis alamur? Numquid honestæ, licitæque viæ homini desunt, quibus de squalore egestatis emergat? Nonne laboribus victum sibi potest comparare? Nonne uti sua potest industria, ut quæ necessaria sunt, sibi acquirat? Immo nonne honestum est de suo vivere; & magna conscientiæ tranquillitas est scire in sua, licet mediocri fortuna, se non rapto, neque injustitiæ suæ fructibus vivere? *Idem*.

Furta, & injustitiæ passim prætextu aliquo dissimulantur.

Non desunt injustitiæ quædam prætextus; hoc nomine illas appello, quæ non sine aliquo conscientiæ prætextu patrantur; id genus sunt doli, qui in commerciis adhibentur; simoniæ, quæ in Beneficiis committuntur; usuræ, quarum usus adeo vulgatus est. Quid Christiani, quibus aliquis adhuc religionis superest sensus? Student, ut Propheta ait, injustitias suas concinnare, atque accommodare, ut illis auferant, quidquid horroris peccato inest, atque illas licere sibi persuadeant: *Injustitias manus vestræ concinnant*. Conantur morum disciplinam suæ cupiditati submittere; Theologos consulunt, aliquem inveniunt, qui sibi hoc nefas esse negent; atque volunt utilitatem suæ normam esse conscientiæ. *Biroat tertio Sermone Adventus*.

Psal. 57.

Rarò fit alieni boni restitutio.

Nonne mirum est, quod cum nihil æque vulgatum sit, ac fœnora, concussiones, violentiæ, sexcentaque alia invisa, atque detestabilia adinventa, quibus homines suis bonis fraudantur, nihil tam rarum esse, quàm plenam, perfectamque tot bonorum malè acquisitorum restitutionem? Non negant, furtum, quo aliena rapiuntur bona, Divina lege esse interdictum; attamen ubicumque occasio tulerit, qualibet via sibi utraque manu aliena usurpare non cessant. Non negant, plena restitutione reparandum esse malum proximo illatum; sed eadem lucri cupiditas, quæ illos impulit, ut alienis bonis potirentur, sexcentos inanes prætextus suggerit, quibus seipsos dispensent, ne rapta restituant: licet officium hoc tantæ sit necessitatis, ut nisi adimpleatur, jam de salute ipsa sit actum. *De la Font pro vigesima secunda post Pentecosten Dominica*.

Quam difficultatem homo locuples factus inveniat, ne restituat.

Homo postquam male acquisitis usus est, ut sibi ingentes, magnificasque domos ædificet, ubi nullum vitæ commodum desideretur; ut filiis suis eos honores, & gradus procuret, quæ longè eorum conditionem, & genus excedunt; ut uberrimos Provinciæ agros sibi comparet, nonne opus est, hunc maximam sibimetipsi vim inferre, ut de adeo sublimi gradu seipsum dejiciat, atque infra conditionem suam se submittat restituens ea, quæ undequaque rapuit, & singulis reddens ea, quæ ipsis debentur, & quæ ab illo retinentur injustè? Communis, & quæ vulgò omnibus conceditur gratia, satis non est, ut consilium adeo generosum amplectatur; inusitata opus est gratia, gratiæ miraculum requiritur, ut adeo fortia vincula, iniquitatum suarum misertimos fructus infringat, ut sibi succenseat, atque seipsum fraudet iis opibus, quas semper duxit suæ domus præsidium, at-

que

que suæ existimationis, quietis, & felicitatis originem. Attamen hæc est necessitas inevitabilis. *Idem*.

Quam justum sit restitutionis præceptū.

Deus postquam lege sua illum instituit cultum, quem ipsi debemus, præcipere debuit etiam officia illa, a nobismet ultro citroque præstanda, ut foveretur consensus, atque concordia, quæ inter unius societatis membra requiritur. Itaque videmus illum sua usum auctoritate in Decologo, ut hominum vitæ, honestati, bonisque consuleret, ut prohiberet ne quid in alterius detrimentum aliquis aggrederetur. Verumtamen cum præviderer interdictum suum satis non futurum ad compescendam intra justitiæ fines violentam divitiarum cupiditatem, qua homines passim rapiuntur, primo huic præcepto, quo vetat, ne proximi bona furemur, alterum addidit, quo jubet, illa restitui, ut malum reparetur, quod per furtum fuerat illatum, atque singulis, quæ sua sunt, reddi. Præceptum hoc in Ezechiele Propheta expressum est, ubi Deus postquam impio mortem minitatus est, addit futurum ut si ille conversus fuerit, egerit pœnitentiam, ea, quæ rapuit, vel quæ injustè detinet, restituerit, vivat, & non moriatur: præterquamquod præceptum hoc in eo continetur, quo cautum est, ne quis aliena surripiat, atque retineat. *Idem*.

Necesse erat, ut Deus legem ferret, ne quis aliena bona raperet, vel retineret.

Heu! videmus quam frequentes inter Christianos sint injustitiæ, doli, concussiones, sexcentæque aliæ execrabiles locupletandi rationes præter eos qui aliena furantur, & detinent: Quid futurum fuisset, nisi æternæ damnationis proposita pœna restitutionem Deus imperasset? Nisi illis, qui proximum de bonorum possessione deturbarunt, præcepisset, ut iterum ad eorum possessionem illum revocarent, eumque pacatè frui finerent jure illis utendi, ac de iis, ut ipsi libitum fuerit, disponendi? Quænam generalis fuisset omnium æquitatis, & justitiæ in humana societate perturbatio? Quod frænum coercere potuisset cupiditatem, ne in ea irrumperet, quæ illi placuissent. Aliasne desideriorum suorum regulas consuluisset præter quam vires, atque potentiam suam? Et dummodo commodè, ac sine tumultu alienæ dominationis fructibus licuisset frui, ulline eorum proprietatem denegare voluisset? Divinæ igitur Providentiæ, sapientiæque intererat, minime pati, ut ordo inter homines circa bonorum divisionem constitutus impune furto perturbaretur, atque ut ille semel violatus reparatione careret, atque usurpatores jucundè, atque tranquillà iniquitatum suarum fructu perfruerentur. *Idem*.

Qui aliena possident bona, habere nequeunt justos eadem retinendi prætextus.

Hinc facilè conjici potest, quàm inanes, ineptique sint varii prætextus, quos afferunt tot Principes, ne teneantur restituere nova jura, quæ a subditis exigunt, longè exuperantia legitima tributa, quæ ipsis debentur; tot mercatores, qui insignes fecere quæstus dolosis ponderibus, atque mensuris vendentes, vel adulterantes merces suas, vel illas iniquiori pretio distrahentes; vel fraudolenter se deficere simulantes, atque interim quidquid pretiosissimum habent seponentes, ut decepti creditores oblatæ compositioni acquiescere teneantur; tot causidici, qui forensibus jurgiis, inanibusque quæstionibus protrahunt lites, atque clientum erumenas exhauriunt, ita ut licet victores judicio abiarint, sors eorum nequaquam sit præferenda adversæ partis, quæ victa fuit, calamitati; tot opifices, qui opus faciendum redimentes, illud neque, uti opus est, faciunt, neque illud eo modo præstant, quo se facturos receperant. Quamcumque speciosam causam id genus homines suis prætexant iniquitatibus, inevitabilis eos urget necessitas reparandi damnum quod alii perpessi sunt. *Idem*.

Eleemosyna non est ex bonis alienis erogãda.

Quæ alienis fit sumptibus eleemosyna, vera non est; ex propriis, ac legitimè partis bonis est eroganda. Quamvis charitas ex se virtus sit nobilior, atque præstantior justitia; rectus ordo postulat, ut prius justitiæ, quàm charitatis munera obeamus; hæc enim bene instituta non est, nisi prius satisfactum fuerit justitiæ. Itaque ordinem divina constitutum lege prævertit, qui ex bonis male partis, & quæ restituenda sunt, erogat eleemosynam. Vera charitas injustitiam pati nequit; eaque suadet, ut singulis ea reddantur, quæ ipsis debentur, & ut damnum aliis illatum reparetur, antequam erogentur eleemosynæ. Hoc igitur non est verum charitatis principium, quo usurpatores aras donariis cumulant, & pauperum necessitatibus opitulantur; superbia est, cupiditas est sibi nominis existimationem conciliandi atque humanas aucupandi laudes, iis actionibus, quæ tantopere elucent. *Idem*.

Quare malunt homines eleemosynas erogare, quam restituere.

Undenam quæso hæc ordinis perturbatio? Quia eleemosynæ, quæ fiunt, ultro fiunt, & nemo illas cogitur erogare, at cum nemo nisi coactus, & quodammodo invitus restituat, in hoc maximam nanciscitur repugnantiam. Præterea qui eleemusynam erogat, tantum largitur, quantum vult; at qui restituit, perfectam servare debet æqualitatem inter ea, quæ rapta fuerunt, & quæ restituuntur. Denique in eleemusyna tribuenda, vel in pio opere instituendo, gloria non deest; sed restitutioni quædam semper adjacet turpitudo; & restitutio aliquam semper supponit injustitiam, quemadmodum pœnitentia supponit peccatum. Mirum ne igitur est, si quis efficere mavult aliquod charitatis opus, vel pietatis, quod laudes, & gloria concomitantur, quàm actum justitiæ, quod latet, vel quod ruborem, & dedecus affert? *Idem*.

Injustitia est eorum, quæ debentur, partem dumtaxat dissolvere.

Næ ille vehementer errat, qui tuta conscientia se retinere posse credit eorum partem, quæ debet, si omnia solvere possit, etiamsi creditor coactus debiti alteram partem illi remiserit. Etenim nonne patet hoc injustissimum esse? hoc esse furari, & quod æquum est, proximo denegare? Cum latro secus viam mortem minitatur, ni omnem illi tribuas pecuniam; atque cum illo pactus es dimidium eorum, quæ habes, te illi traditurum, putasne pactum vi, ac mortis extortum metu eidem jus aliquod conferre ejus summæ, quam illi concedis? Ita fit cum mercatorum desinit fides, & creditor sibi debitæ pecuniæ dodrantem cedit, ne as totum amittat. *Idem*.

Restitutio non est differenda.

Non desunt, qui licet sibi restituendum esse sciant, diu cunctantur, & nonnumquam in ipsum vitæ extremum restitutionem rejiciunt; verum ne dicam sæpe homines ab hac restitutione deterreri, a filiis, vel consanguineis metuentibus, ne status sui dignitatem amittant; de hisce restitutionibus idem dicendum est, ac de pœnitentia, quæ in extremum vitæ spatium differtur, vel de eleemosynis, quas ultima cera aliquis legat postquam vivens pauperum clamoribus, lacrymisque inexorabilis fuit. Quemadmodum passim metus merè servilis pœnarum alterius vitæ peccatores impellit, ut aliquem delictorum suorum, a quibus potiùs relinquuntur, quam ipsi illa relinquere cogitent, dolorem testentur: hæc eadem causa illos nonnumquam cogit, ut præcipiant ejus boni restitutionem, quod per nefas diu retinuerunt, cum jam nequeant amplius vel illo frui, vel illud secum auferre. Ne igitur tam serò velitis hoc explete munus inevitabile, si saluti vestræ consulere vultis. Ne bonæ hæredum fidei confidatis: insania est putare, illos diligentiores post obitum vestrum fore in persolvendis debitis vestris, quàm vos adhuc viventes fuistis; illi haud multum profectò laborabunt reparaturi damnum, quod injustitiis vestris, quarum participes non fuerunt, intulistis &c. *Idem*.

Ejusdem argumenti.

Omnes hæ considerationes vos ad sequendum Zachæi exemplum inducant Felicis illius Publicani Evangelici, qui domi suæ hospitem excipere meruit Redemptorem; cui dixit, *Ecce dimidium bonorum meorum Domine, do pauperibus; & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* Luc. 19. Non ait ille, se hæredibus suis restitutionem hanc imperaturum, sed statim in arena se satisfacere velle testatur. Cum in extremo vitæ discrimine laboramus, nihil intentatum relinquimus, ut inde eripiamur;

piamur nulli rei parcimus, omnia in mare projicimus, navem exoneraturi, quæ procellis agitata jamjam naufragium est subitura. At scias, te æterna periclitari vita bonis injustè quæsitis onustum; horamque mortis tempus esse gravissimæ tempestatis. Nulli igitur rei parce, si mihi credis, ut tanto te periculo eripias; projice quamprimum ex arca, domoque tua, quidquid onerat conscientiam tuam. *Ex libro, qui inscribitur; Le preparation a la mort.*

Bene nihil alieni nos habere putamus.

At enim manus nostræ nequaquam sunt bonis proximi plenæ; opes, quas possidemus, debita sunt vigiliarum, atque laborum nostrorum præmia. Verum esto. Sed si dicerem, vos pro tribunali damnantes alios, ut justas restitutiones persolvant, præ aliis magis teneri ad exequendam, quam in illos fertis sententiam; si dicerem purpuream fortasse togam, qua circumdati estis, egenorum, artificumque sanguine imbutam elucere; si dicerem dolosis ambagibus, atque morulis vos omnem exhausisse hujus Clientis substantiam, qui vobis suam causam commiserat, ut quamprimum suum jus consequeretur; si dicerem vos caliginosa quæstionum chymia in aurum vertisse forensia jurgia; si dicerem fœnoribus redditus vestros auctos fuisse, & ad summam inopiam redegisse illum, cui mutuam dedistis pecuniam; si dicerem domi vestræ injustam esse stateram, si denique dicerem vobis esse restituendum quidquid mala fide, fraude, injustitia, aleaque congessistis, quo animo hæc monita exciperetis? Quænam consuleretis oracula, ut conscientiam perturbatam sedaretis? *Ex Manuscripta Sermone P. Massillon de bono usu divitiarum.*

Qui in foro tenentur restituere.

Quidam fortasse Magistratum iniit, cui ea mentis, ingeniique vis deest, quam munus hoc postulat; qui cum assequutus honorem, quem majores sui obtinuerant, non satis jura, legesque callet, ut in tanta variarum causarum multitudine, quæ pertractantur in foro, rectè judicare valeat; qui per negligentiam, laboris fastidium, jugemque voluptatum, aleæque amorem diu protrahet litem, quæ intra paucas horas posset absolvi; qui eas acceptabit causas, quas malas nutantesque cognoscet; hic profectò plures restitutiones efficere debebit; hic enim justitiæ defectus idem est ac si potitus fuisset bonis eorum, qui apud ipsum lite agunt, atque illa in suam utilitatem vertisset. Quidam martis castra secutus rationem reddet pro militibus suis, qui impune ubicumque diripient omnia; qui dimidium fere eorum persolvent, quæ emere cupient; qui vastitatem inducent, quocumque transibunt; qui plura exigent iis, quæ sibi debentur, qui quibusdam utentur ambagibus, ac dolis, ut publicè alantur, & reliquam habeant pecuniam; qui in cohortes suas inducent ultra numerum milites, qui iisdem ac reliqui privilegiis utantur; ut verbo me expediam, qui plurimas exercebunt vexationes tamquam totidem actus hostilitatis in ditione Regis, cui militant. Hic militum præfectus postquam plura stipendia meruerit, insignes restitutiones facere debebit. *Ex Manuscripto Sermone P. Stephani Chamillart de Restitutione.*

Sancti Tobiæ exemplum ad aliena pertinens bona.

Ad evitanda pericula, & mala, quæ aliquando ex injusta alienorum bonorum usurpatione sunt oritura, quacumque ratione illa fiat, utendum est diligentia, sapientique monito Tobiæ prudentissimi viri, cujus auribus cum quadam die accidisset belatus hœdi, quem uxor attulerat domum in familiæ cibum, statim servis suis dixit; *Videte ne furtivus sit*; videte, utrum hœdus iste sit alicujus ex accolis nostris; & si cujus est, illico illi reddite; volumus enim honestè, atque ut honestos homines decet, vivere: *Non licet nobis aut edere, aut contingere aliquid ex furto*: Non solum nefas est edere, sed ne contingere quidem, quod raptum est. Ita, o Fideles, vobis nuptui tradenda puella est, atque in eam inducenda familiam, ubi spes est futurum, ut opibus diffluat? Heus, hinc incipite: *Videte ne furtivus sit*. Bonum, quod his nuptiis, consequuturos putatis, malè ne partum est? Numquid filia eam familiam ingredietur, quæ brevi ingentes congessit opes rationibus parum æquis, & non omni suspicione carentibus? Terra hæc, cujus adeunda est possessio, terrane est alienis bonis comparata? *Videte ne furtivus sit*. Pecuniam in lucro ponere vultis; cavete, ne fœnus adsit. Ecclesiasticis initiari sacris, & Beneficium aliquod assequi cupitis; cavete, ne Ecclesiæ bona vestris excidium afferant: Videte, an filius vester ad statum hunc vocetur; attendite, utrum vobis animus sit inserviendi Ecclesiæ, an Ecclesiasticum statum amplecti velitis ex mera cupiditate, atque ut Crucifixi bonis locupletemini. *Videte ne furtivus sit. Ex Sermone Manuscripto.*

Non solum peccatur aliena eripiendo, sed retinendo etiam, ac restitutionem differendo.

Non restituenda tantummodo sunt aliena bona, sed ubi quamprimùm liceat, statim restituenda; non enim tunc solum peccatur, cum illa eripiuntur, verum etiam cum invitis dominis retinentur, si reddere valeas; præterquamquod rationabiliter metuendum est, ne si restitutio differatur, illam deinceps efficere nequeas; hoc enim quod timere potuisti, & quod prævidendum, ideoque etiam præoccupandum fuit, poteritne te coram Deo excusare? Ad hæc, si adeo essentiale munus, quale est restitutio, a te fuit neglectum, ideoque in periculum conjecta salus tua propter restituendi difficultatem, quæ oborta est, putasne cupidos, & plerumque ingratos hæredes majorem pro salute animæ tuæ zelum, quàm reipsum habituros? putasne minorem illis, quam tibi in restitutione facienda difficultatem futuram; paucioresque ab illis, quam a te prætextus iri excogitatum, ut sese hoc munere absolvant? *P. Nepueu, libro cui titulus: La maniere de se preparer a la mort.*

Cum de restitutione agitur conscientiæ stimuli suffocantur.

Quotusquisque est, qui cum indirecta aliqua ratione damnum proximo intulerit, putet, sibi reparandam esse jacturam, quam ejus consiliis, vel imperio alter perpessus est? Quilibet hujusmodi in occasionibus fallacem conscientiæ malaciam sibi concinnat; cumque nemo se peccasse credat, nemo censet, a se id restituendum esse, in quo se omni culpa carere arbitratur. Attamen possent, si vellent, hanc excutere cæcitatem. Non desunt essentiales, atque primitivæ leges, quæ facile consuli possunt; intra nosmetipsos gerimus tribunal, cui insidet judex, qui nondum ab affectibus corruptus semper pro Deo, atque proximo loquitur; extra nos non desunt fideles consiliarii, sapientes videlicet, integerrimique Confessarii, qui in hujusmodi negotiis impeditissimis æquissimas proferunt sententias, omnesque avaritiæ prætextus eludunt. Si hæc omnia audiremus testimonia, quamprimùm errorem omnem abjiceremus; at non id inquirimus, non hæc amamus remedia, sed lenimenta consectamur. *Ex Moralibus Sermonibus.*

Salutis cogitatio prævalere debet quibuscumque prætextibus, qui restitutionem impediunt.

Salvare me volo, deberis dicere; detrimentum patiatur familia, jactura filiis impendat, pereant negotia, omnes conatus mei in irritum cedant, me cognati, atque necessarii condemnent; quid ad me? Salus mea mihi pretiosior est, quàm isthæc omnia: salvare me volo. Si restitutio consilium esset, atque opus supererogationis, eam prætetire possem, eique precibus, jejuniis, eleemosynis supplere conarer; atque his uterer adminiculis ad evitanda mala, quæ imminent mihi; sed cum necessaria sit de necessitate præcepti atque medii, omnino illam explere volo. Hoc mihi certum est; hoc statuo. *Ibidem.*

Illusio eorum, qui restituendi loco, donariis templa cumulant.

Non desunt, qui quod in se actus justitiæ est, in superbæ, hypocritæque pietatis opus convertunt, offerentes Deo sudores, sanguinemque familiarum, quas everterunt, onerantes altaria fructibus fœnorum, & iniquitatum suarum, imperantes, ut stemmata, & nomina, quorum memoriam omnis posteritas execrabitur, & ipsis viventibus, & vita functis, in sanctuario insculpta permaneant; quærentes Judicem suum rapinarum suarum sequestrem facere, atque cum eo in gratiam redire, stu-

dentes

dentes sanctæ victimæ oblatione, quasi de eodem rapinarum suatum pretio possint benemereti. At assertæ hujusmodi restitutiones, in quarum partem ex æquo superbia simul, & injustitia vocantur, inutiles sunt, abominabiles, a Deo damnatæ, atque reprobatæ. Nequicquam in pia legata, in Ecsiarum, Sacellorumque ornamenta convertitis, quod vobis quatenus furibus pœnitentibus est restituendum. *Ibidem*.

Restitutionis difficultates sunt imminuendæ.

Etenim si mihi restituendum est, quidquid alieni mihi est, opus igitur est, ut decidam de statu meo. Opus omnino est: si dignitatem vestram sina injustitia tueri non potestis, innocentis conditio proculdubio nocentis conditioni est præferenda: super innocentis jacturam fortunam vestram ædificastis, opus est, ut super jacturam vastram innocentis fortuna restituatur. At ad hanc restituendam opusne est, pro fure, ac latrone me haberi? Consulite nomini vestro, per me licet, non vero; sed animæ vestræ etiam consulite, quæ vobis longè majori esse debet in pretio, quam nomen, & res. Adhibete sapientem virum, qui vestram reparet injustitiam, qui illam prodat, ac muneri vestro satisfaciat, quin nomini officiat, & ne in minimam quidem infidelitatis suspicionem vestræ integritatis existimationem adducat. Hac ratione facili quidem, & cura animæ, nominique vestro consuletis; sed hoc vobis minori sit curæ, quàm illa. *De la Volpilliere, Sermone de restitutione*.

In omnibus conditionibus quisque aliena usurpat bona.

Cum hujus mundi bona finita sins, atque inter plures divisa, quilibet ea acquirere, & accumulate eum aliorum detrimento conatus. Princeps a subdito plus exigit æquo: & subditus semper jus Principis minuit. Dux militem frustratur, miles depopulatur agros; Judex se moveri sinit sollicitantium auctoritate; Causidicus lucri spe, contra animi sensum consilia stibuis, & causas contra fas, & jus tuetur; Medicus eamdem ob lucri causam morbos vel simulat, vel producit; Mercator quin cogitet, utrum quæstus liceat, an secus, majoris, quam potest, & ultra quod debet, merces suas distrahit; artifex civem fallit, civis artificio pecuniam non solvit; servus suffuratur hero, herus servo mercedem negat; verbo, omnes homines, Propheta inquit, fures sunt quin illi ipsi excipiantur, qui propter Sacerdotii dignitatem, vel ministerii sui sanctitatem, justitiam docere debent,

Jerem. 6.

& exercere: *A minore usque ad majorem omnes avaritia studene. Idem*.

Pauci aliena restituunt.

Quisnam restitutionem facit, atque hoc munus adimplet? Hic profectò non est vir ille princeps, qui subditum coegit assiduè vim illi inferens, ut sibi cederet hæreditatem, ac bona sua quàm minimo pretio venderet. Credit illum ad officium santummodo redegisse, & quamquam agros illius modico pretio sibi comparaverit, sibi persuadet, ob emptionem hanc damnum reparandum non esse. Non illi sanè, qui sub interpositis nominibus dominis suis ipsorum pecuniam fœnerantur; qui agros eorum locant, non quidem plus offerentibus, sed offerentibus majorem auri vim, ut aliis præferantur; credunt enim hæc jura officio suo inhærere. Non ille mercator, qui se defecisse simulat, ut creditores exiguo contentos ære dimittat: non alius, qui merces immodicè majori pretio vendit, quia credita vendit, non numerata pecunia: ait enim, consentienti non fit injuria. Non ille Notarius, qui fœnori dedit, vel fœnerantibus subscripsit; Non hæres ille, qui testamentum sustulit, ut meliorem referret partem, quàm fortasse pia legata absumpsissent: omnes enim sibi persuadent se nihil injustum committere. Veruntamen vehementer errant; nullus enim ex his casibus est, in quo restituere non teneatur. *Auctor Sermonum Moralium*.

Labor ingens, quo divites malè parta restituunt.

Videte, quos conatus exerat homo, quam vim patiatur, ut cibum semidigestum evomat, ut ex imo stomacho illum revellat, cum jamjam fere transiit in ejusdem substantiam. Numquid illum potest evomere, quin violentis convulsionibus omnia viscera discerpantur? Tales exerere conatus debet, qui alienis bonis saginatus est, quæ undequaque, plenisque manibus rapuit; ubi hæc illis, quorum sunt, debes restituere? Manus habuit semper apertas, ut iis potiretur, quæ sese oculis ejus obtulerunt: quantumvis injustum esset lucrum, satis erat, illius referendi occasionem adesse, ut ad illud festinanter advolaret. At agiturne de injuria, quam proximus passus est reparanda, restituendo agello, domo, pecunia, quam citra scelus retinere non potest? manus non habent; obriguerunt, at motu omnino carent. *De la Font, in Sermonibus Ecclesiasticis pro 22. post Pentecosten Dominica*.

Injustitiam in aliis longè aliter, quam in nobis consideramus.

Sanctus Chrysostomus loquens de injustitiis, quæ erga proximum committuntur, & de alienorum bonorum rapina notat, se dixisse, injustitiam ex omnibus vitiis illud esse, quod quisque in se minus damnat, atque in aliis severiùs redarguit. Et sanè vitium hoc in nobis respicimus tamquam naturalem affectum, cui consuescimus, qui temperamentum imitatur, at qui sexcentis versutiis contegitur. At non ita in aliis consideratur; respicitur enim tamquam enorme, indignumque vitium summa cum severitate divinis æque, ac humanis legibus coercendum, itaut quod in nobis venia dignum videtur, in aliis sævioribus suppliciis constringendum videatur. Hinc illa oritur cura, qua nobismet cavemus in iis, quæ ad nos pertinens, & negligentia, qua nosmetipsos expendimus in iis, quæ proximo eripimus; hinc illa vigilantia, qua studemus, ne aliquod nobis damnum inferatur, & tranquillitas illa, qua fratribus detrimentum inferimus, atque ut ad S. Chrysostomi sententiam revertar; hinc fit quòd ad aliena quidem rapienda natura ipsa ferri videmur, ad eadem verò restituenda insuperabiles nanciscimur difficultates: *Ad aliena rapienda avidissimi, ad reparanda frigidissimi. Ex Sermone de Restitutione, qui sub nomine P. Bourdalove circumfertur*.

Quam pauci reparent damnum proximo illatum.

Sanctus Augustinus in eximia illa, quam ad Macedonium scribit, Epistola quærit; Ubi inveniatur causidicus, qui sibi religioni vertat, si clientes causa ipsius causam amittant, vel qui etiam omni non utatur dolo, ut illorum crumenam emungat, exhauriatque? Ubi sint judices illi, qui ab injustitiis patrandis abhorreant, & qui post prolata judicia, quæ injusta esse nolunt, & quæ illos bonis everterunt, contra quos adimpleta sunt? Ubi inquam, sint id genus judices, qui illata reparent damna? Ubi Ecclesiasticus, qui postquam per fas, & nefas Beneficium aliquod carpere conatus est, illud tandem per simoniam assecutus ejusdem redditus in prophanos, nefariosque usus convertit, debitam restitutionem efficiat? Materia hæc sceleribus diffluit; peccatum alio peccato excipitur. Ubi illi, qui æs alienum dissolvere curant; & iteratis dolis creditorem fallere non conantur? Mercatori, postquam nobili alicui viro suas merces suppeditavit, quoties eundum, ac redeundum est, ut referat pretium? Tamquam importunus, & gravis ejicitur; respondetur, non adesse pecuniam, licet minimè desit, qua magna servorum alatur caterva, quæ in spectaculis, alea, solatiisque insumatur; & nihilominus se Christianos esse gloriantur. *Idem*.

Mala, quæ furtum parit.

Si pauperes occidit, qui eos fame sinit emori, ut Sanctus Gregorius ait: *Non pavisti, occidisti*; qui rapit bonum illis destinatum, nonne crudelissimus est homicida? Heu! cum herus servo stipendium negat, cum domina ancillæ mercedem non solvit, uterque non fures tantum sunt, sed interfectores; & si sunt in causa, quod famulus furetur, ancilla sese impudicitiæ prostituat, ipsi de eorum sceleribus rationem sunt coram Deo reddituri, atque gravissimis suppliciis puniendi. Si nobilis, dives, aut alius quilibet, artifici, quod debet, non præstat, & ob negatam mercedem plures hujus elanguent filii, sicarius est ob eorum

calamitatem, ac mortem pœnas persoluturus. *Ex Manuscripto Sermone.*

Injustitiæ graves, quarum se Deus ultorem profitetur;

Furtum, concussiones, & rapinæ sunt ex numero earum injustitiarum, contra quas qui hujusmodi oppressiones patiuntur, vocem attollunt, ut a Deo ultionem deposcant, vel potius contra quas miseri indesinenter cœlum sollicitant: *Vindica, Domine, sanguinem nostrum, qui effusus est*, Eheu! quot sunt pauperum voces in cœlum clamantes; Quot ora viduarum, pupillorum, egenorum divinam implorantium justitiam, atque de illatis sibi injuriis conquerentium! Paupercula mulier, cui non deerant antea vitæ commoda, & cui nunc panis offa deest; pupillus, cui & domus, & hæreditas erepta fuit; miser, qui improbè excitatis litibus ad inopiam redactus fuit; infelix pagus vectigalibus, ultra fas, & æquum oneratus, familia eversa ita, ut emendicato pane victitare teneatur, nonne totidem voces sunt apud Deum de damno sibi illato querentes? Proh juste judex! numquid tandiu in terris improbum hunc hominem sines, qui me de bonorum possessione dejecit? Unica mihi erat domus ejusdem ædibus contigua, quam ille absorbuit. Numquid opiparè ille convivabitur, me præ fame pereunte? Numquid ille in mollibus, sericisque stratis accumbet, me, quem ille bonis exturbavit, humi jacente? Ubinam, o Deus, justitia tua? *Ex Manuscripto Sermone.*

Cur patiatur Deus aliquos a potentioribus opprimi;

Abite statim, o terræ divites, abite inexplebiles avari, egenos evertite, orphani domum expilate; viduam injustis litibus, forensibusque jurgiis opprimite. Miserorum sanguine, atque substantia saginamini; utraque manu eripite; ubique rapinam exercete; verùm scitote nullum pro vobis Paradisum futurum. Nunc patienter tolerat Deus; videtur nullo in discrimine habere, quæ ad pauperem pertinent; & illis, qui oppressi lugent, atque suspiria in cœlum emittunt ultionem imploraturi ob ea mala, quibus obruuntur, ne aures quidem adhibere. Sed ille vult, pauperem, viduam, pupillum patientia, atque animi submissione ex allatis sibi incommodis proficere; & e contra furem, ac latronem in altera vita gravissimis, æternisque suppliciis punire præstolatur &c. *Idem.*

Omnino restituendum est: Durum, & grave illis verbum, qui alienis potiti sunt; continens tamen veritatem, quæ naturæ legibus, publicæ utilitati, explicitoque innixa est mandato, quo Salvator ablata jubet restitui. Mandatum quidem, quod non aliud est, quàm illius confirmatio, quod in veteri Testamento fuerat irrogatum; Illius prima basis est justitia, quæ servari jubet æqualitatem; quæ prohibet, ne mihi vindicem, quod meum non est, vel quæ præcipit, ut ea, quibus potitus sum, restituam; quæ pati non potest, me bonis exui, mihi auferri jus, quod in aliquid habeo, vel quæ præcipit, ut si quid mihi ereptum fuit, me nihilominus illius dominium, atque proprietatem tenente, illius, de qua fueram deturbatus, fruitio mihi reddatur. Visne præclarum hunc justitiæ ordinem perturbare? visne hanc auferre æqualitatem, quæ illius essentiam constituit? Mundus jam non est, nisi latronum caterva, atque omnino evertitur quidquid maximam vim obtinet ad societatem, & necessariam inter homines subordinationem alendam.

Obligatio aliena bona restituendi innititur juri naturali justitiæ &c.

Si nulla est vera, & sincera conversio sine alienorum bonorum restitutione, ob quot hodie sunt pseudopœnitentes! Etenim in ardenti hac cupiditate, qua alienis potiundi bonis flagramus, quæ quidem periculosissima syrtis est, in quam tot Christiani allíduntur (Tertullianus ait,) quisnam ad Sacramenta accedens restituit? Numquam tot extiterunt fraudes, tot concussiones, furta, injustitiæ; ubique auditur querela accepti damni, at umquamne pauciores visæ sunt restitutiones? Quilibet alienis sumptibus ditescere festinat. Sed in tanto hoc injustorum hominum numero, quotusquisque injustitiæ suæ fructum restituit? Attamen hoc discamus hodie, numquam obliti; licet millies ad pœnitentiæ Sacramentum accederemus; licet lacrymarum torrentes effunderemus; licet omnia bona pauperibus distribueremus, eos tamen frustrati, quibus detrimentum attulimus, numquam cum Deo in gratiam redibimus, nisi ea, quæ proximo abstulimus, restituamus: *Si res aliena, propterquam peccatum est, cum reddi possit, non redditur; non agitur pœnitentia, sed fingitur. Idem.*

Sine alieni restitutione nulla est conversio.

G L O R I A,

Jactantia, Vanitas, Ostentatio, Laudes, Plausus &c.

M O N I T U M.



Admonuimus jam, cum jactantia sit ambitionis vel species quædam, vel effectus, de quo in titulo de Humilitate verba facimus, illic afferri meritò potuisse ea omnia quæ de eadem collegimus; verùm operæ pretium futurum nos censuisse, si peculiarem hujus argumenti titulum institueremus, quippe satis copia suppeditat, unde plures Ethici sermones haberi possint; & alioquin nimis uberes materias simul nos fuisse confertim pertractaturos, si cum aliis hanc permiscere placuisset, quæ per se satis ampla est, & abundans.

Istic igitur afferemus ea, quæ de jactantia collegimus, quod vitium adeo familiare est hominibus etiam alioquin bonis, & qui virtute præditi habentur, & quod hac ipsa de causa deterius est aperta superbia, quam Deus, & mortales oderunt; saltem difficilius ab eodem nobismet cavere possumus quoniam clanculum in optimè etiam facta solet irrepere, eorumque merita omnia disperdere. Addenda verò putavimus ea, quæ plerumque hanc jactantiam parere consueverunt, laudes scilicet, & plausus: & illa, unde superbiendi ansam arripimus, necnon signa, quibus hoc prodimus seu verbis, seu factis fiat; verbo quidquid ad hoc pertinet argumentum.

Licet tamen jactantiam prorsus a superbia distinxerimus; facile tamen quivis intelligit, operosum esse, ac perdifficile de altera verba facere, quin aliquando ad alteram sermo recurrat, vel saltem, quin aliquid utrique huic vitio commune afferatur; non secus ac vix, ac ne vix quidem jactantiæ fugam suaseris, quin ad humilitatem amplectendam horteris: Nimis enim hæc inter se argumenta cohærent, ita ut nihil non utrique commune possit inveniri,

PARA-

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Sermonum hujus Argumenti lineamenta.

I. Ihil magis injustum jactantia; nihil eadem vel Deo magis contumeliosum, vel magis funestum hominibus; quæ tria sermonis partitionem possunt efficere.

Punctum primum. Nihil magis injustum. Etenim hominum existimationem, & laudes aucupor, vel quia mihi bonas inesse puto qualitates, & hæc inanis est vanitas; cur enim, Sanctus Paulus ait, ob illud glorior bonum, quod ex me non obtineo, & quod mutuum tantummodo accepi? vel quia me aliquid bene, & cum virtute fecisse reor, eaque periculosa, & injusta vanitas est: hæ quippe virtutes vel in speciem tantummodo sunt, vel sunt veræ virtutes; si primum, erubescere debeo, non gloriari; sin alterum, Deus primus est earum auctor per gratiam, ego verò vel minimam earum mihi vindicare partem jure possum. Si bene ago, ut hominum consequar existimationem, tunc virtures ipsæ fiunt vitia, & bonæ actiones peccata. Si Deo simul, hominibusque placere contendero, hominibus quidem fortasse non placebo, Deo verò certissimè displicebo, ac nullum apud eum meritum obtinebo. Si non quæsiras hominum laudes, ubi mihi deferuntur, lubenti animo excipio, meritum tunc quidem meum nisi penitus interit, non mediocriter saltem atteritur.

Punctum alterum. Jactantia Deo contumeliosa est; ad Deum unicè pertinet gloria; *Soli Deo honor, & gloria.* Hoc ipsius bonum est, quod alienari non potest; hoc ille sibi omnino reservat; cæterorum quidem in partem nos dignatur accersere, gloriam verò suam nemini vult communicare. Qui ejus particulam sibi vendicare velit, hanc rapit, & apud Deum sacrilegus usurpator est, quicumque minimam gloriæ ejusdem speciem sibi arrogare contendit. Deum non novit, qui aliquem præter ipsum gloriam mereri posse arbitratur; Deum contemnit, qui hominum existimationem flocci non facit, ut Dei existimationem, quæ hoc uno emitur pretio, sibi conciliet: Sed Deo contumeliam adfert qui humanam divinæ præfert existimationi; nam statim ac ago humanam aucupaturus, divinæ jacturam facio; hoc est in discrimen adduco eam existimationem, quæ verorum meritorum norma est, ut ineptam, fragilem cæcamque consecter existimationem, qua nec melior fio, nec beatior; sed qua, simul ac eam conquiro, nequior fio, ideoque calamitosior; quæ quidem est injustæ, indignæque prælationis merces æquissima.

Punctum tertium. Jactantia homini funesta est, illum enim durissimis torquet laboribus nullum fructum habituris; gratia non majores suadet severioribus Pœnitentibus austeritates, non majorem ex ferventioribus Cœnobitis sollicitudinem exigit, non ad graviores labores Apostolicos viros adigit, quam quibus vanagloria suos asseclas vexat. Sed vanagloria, quæ hominem gravissimis curis exercet, illum viduat fructu, quem inde consequi posset; cumque hic, ut Scriptura loquitur, ventum severit, ventum tantummodo metet. Verùm illum non viduat solum fructu laborum suorum, efficitque ut jacturam faciat meritorum omnium, quæ poterat indipisci; sed etiam bonum in malum convertit, atque in damnationis argumentum immutat. Jactantia rationem invenit, qua hominem in infernum præcipitem deducat per eamdem viam, qua ille in cœlum facile ascendere poterat. Numquid potest aliquid pejus excogitari? Numquid satis vitium hoc perhorrescere possumus, quod effectus adeo mali consequuntur?

II. Jactantiæ peccatum tria habet, quæ in nobis odium ciere debent, nosque cogere, ut ab eo equis, & quadrigis abhorreamus.

1. Peccatum est, quod inutile appellari potest, ex quo nullum fructum, nullam percipimus utilitatem: hæc enim inanis existimatio, hæc nominis celebritas, qua cor nostrum tantopere inflatur; ventus est, ac ut plurimum inanis. Nullum umquam nobis adfert fructum; inde neque majores evadimus, neque perfectiores; sed vacua est imaginarii, vacuique boni oblectatio. 2. Servile vitium est; nemo enim magis servus est, quàm qui inanis gloriæ studio servit. Hoc gravissima nos angit servitute, hoc ad humillima quæque nos submittit, gravissimos labores imponit, & difficillima quæque imperat, ut dubiam, fragilem, atque inconstantem nominis celebritatem consequamur. 3. Vitium est maximè noxium; efficit enim ut bonorum operum fructus, & merces intercidat; sæpe etiam nos in mortalium contemptum adducit, ubi illi inanem gloriæ cupiditatem, qua flagramus, intellexerint; ac tandem causa est plurimorum gravium peccatorum, quæ deinde nostram damnationem, atque interitum pariunt.

III. Hoc inanis gloriæ peccatum respicere possumus.

1. Quatenus refertur ad Deum, quem debito honore fraudat; furtum est; quod ille in nullo, quicumque tandem ille sit, se passurum decrevit: *Gloriam meam alteri non dabo.* 2. Quatenus in nobismetipsis est, qui gloriam hanc usurpamus, perquirimus, nobis vendicamus; sed quin eam nobis afferat utilitatem, quam tamquam naturalium bonorum omnium pretiosissimum ducimus, nobis aufert virtutum nostrarum mercedem, omnia rectè factorum merita eripiens. 3. Quatenus ad ipsum refertur bonum, quod vel adipisci, vel adeptos nos esse contendimus, quod quidem est hominum laus, & existimatio; bonum fragile, inconstans, ac sæpe etiam commentitium. *Isaia 42.*

IV. Subsistere possumus etiam in solo, quod inanis gloria parit, detrimento.

1. Efficit ut frustra laboribus exerceamur, cœlestium præmiorum spem auferens. 2. Non aufert solum bene factorum, virtutumque merita; sed has ipsas virtutes in totidem vitia convertit. 3. Divina in nos detorquet supplicia, sæpe etiam dum vivimus adhuc; Deus quippe jubet, in nostræ vanitatis pœnam, nos gravissima confusione suffundi.

V. Vanitas, vel mundanæ gloriæ cupiditas vitium est, quod nobiscum oritur, vel potius, quod nos nascentes nobiscum afferimus. Illam a primis parentibus hæreditario quodam jure traditam accepimus, eisque accepta referre possumus mala, quæ in nobis producit. 2. Vitium est, quod omnium novissimum superamus, hostis est, qui ad mortem usque eos maxime imperit, qui summa sanctitatis laude renident, & qui sæpe nos vincit per eam victoriam, quam de ipso retulimus. 3. Hoc potissimum est vitæ nostræ negotium, plerique enim mortales inanis gloriæ stimulis agitati exercentur; alii quidem, ut inanem gloriam acquirant, vel aucupentur; alii verò, ut alienam foveant vanitatem, ut opifices, aliique, qui ex hominum vanitate lucellum, victumque percipiunt.

VI. Magna Christiani hominis sapientia est gloriam fugere, ac omni nisu contendere, ut illam virtutibus, & recte factis acquirant. 2. Mundi sectatorum dementia est illam perquirere, atque ad eam promerendam nullum lapidem non movere.

VII. Tria considerare possumus in ea gloria, quam ab hominibus expectamus, vel quam tanto nisu, & cura perquirimus.

1. Vana

1. Vana est, atque hoc nomine appellatur; hoc est vacua est, nihilque solidum habet, nullumque ex ea fructum, nullam utilitatem sperare debemus. 2. Fallax est; hoc est nihil in se habet reale, in sola enim hominum imaginatione consistit, qui sibi fingunt, vel quæ reipsa non sunt, vel quæ longè aliter sunt. 3. Fluxa est, fragilisque; sæpe enim mortales ab uno ad aliud extremum eadem die dilabuntur, a plausu ad imprecationem.

VIII. 1. Nihil umquam facere ob inanis gloriæ cupiditatem debemus, humanas laudes, plaususque aucupaturi. Malum, quod inde procedit grave est, ac maximè metuendum. 2. Neque a bono opere cessare debemus, ne inanis gloriæ tentationibus objiciamur; neque hanc debemus inertiæ nostræ prætexere excusationem. Hæc duplex est illusio summa sollicitudine evitanda, atque, si lubet, pro concionis partitione assumenda.

IX. Vanitas in Ecclesiasticis quantopere sit periculosa.

1. Illos veritati annuntiandæ ineptos facit; Pravum quippe illorum exemplum verborum effectum prohibebit, ubi auditor intelliget eos ad inanem gloriæ auram captandam loqui. 2. Efficit, ut suo abutantur ministerio in sacratissimis etiam cæremoniis hominum laudes, plaususque captantes; 3. Injustos reddit, & cupidos in ipsa charitatis exercitatione propter personarum acceptionem; quippe aliis quidem parcunt, alios verò lacessere non verentur.

X. Ob triplex bonorum genus, quæ quidem sunt veluti objectum, & causa vanitatis, gloriari possumus.

1. Propter naturæ bona, qualia sunt ingenium, vires, forma, venustas; atque tunc injusta vanitas est: *Quid habes, quod non accepisti?* 2. Propter externa bona, quæ in nobis non sunt, puta opes, amicos, dignitates; quæ vanitas est ridicula. 3. Propter virtutes, & supernaturalia bona; & impia est.

1. ad Cor. 4.

XI. 1. Qui gloriam cupiunt, & persequuntur, eam a se ignorari palam ostendunt; docendique sunt quid illa sit, quàm vana; quàm fragilis. 2. Qui præ cæteris eadem sunt digni, hi magis illam contemnunt, minusque perquirunt.

XII. Pro Concionis partitione desumi potest hic Sancti Augustini locus in Psalm. 7. *Inanis gloria hujus sæculi fallax est suavitas, infructuosus labor, & perpetuus timor.*

1. Gloria *fallax est suavitas*, placet, sed fallit; ubi quomodo, & quare fallat ostendendum est. 2. *Infructuosus labor*; ex quo nullus fructus, utilitas nulla percipitur. 3. *Perpetuus timor*; jugi enim metu trepidamus, ne illius jacturam faciamus, & ne partam nobis celebritatem amittamus.

XIII. Tres sunt veluti gradus, per quos superbiæ spiritus eos rapit, quos ad inanis gloriæ cupiditatem vult trahere.

Primus est illis persuadere, ipsos aliquid esse; ut ex iis, quæ possident, bonis inanem oblectationem percipiant; ad quam vanitatem rejiciendam ostendendum est, nullam nobis esse causam, propter quam jure existimatione aliqua digni habeamur.

Alter est; hanc illis mentem injicere, ut se aliis præstare putent; ideoque ostendendum est eos a plurimis iis ipsis in rebus superari, quibus ipsi aliis se anteferunt; & si quapiam in re aliis præstant, ab his pluribus aliis in rebus, quæ majoris momenti habendæ sunt, antecelli.

Tertius est illos eò compellere, ut credant, nihil supra se esse, quæ quidem superbia est non ferenda. Itaque dæmon primo gradu illos cæcos, altero injustos, tertio demum efficit impios.

XIV. Sanctus Chrysostomus tres agnoscit fontes, seu ut ipse loquitur, inanis gloriæ radices, quæ justa concione in ludibrium, atque contemptum possunt adduci.

Prima est insania; insanum quippe est rem fugientem perquirere, labentem umbram amplecti, & fragili, inconstantique admodum rei inniti.

Altera est cordis, animique turpitudo; quamvis vulgò animæ tantùm magnæ inanis gloriæ stimulis urgeri credantur.

Tertia est Dei, æternarumque rerum ignorantia, quæ efficit, ut vacuum, fluxumque bonum tanto habeamus in pretio.

1. Ostendi potest injuria, quam peccatum hoc infert Deo; eripit enim illi gloriam, quæ illius proprium bonum est, & quam se alteri nequaquam permissurum affirmat. XV.

2. Injuria, ac damnum, quod nobis infert bonorum operum fructu, meritisque nos privans.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest ad propositas Concionum structuras exornandas.

Sanctus Augustinus, *l. 5. de Civit. Dei c. 13. & 14.* Ostendit quam periculosum sit hoc inanis gloriæ vitium, & quomodo inordinata ejus cupiditas vincenda sit; postquam capite duodecimo docuit, quid propter eamdem Romanis acciderit; & cap. 19. affert discrimen inter dominandi libidinem, & gloriæ acquirendæ cupiditatem. Sancti Patres.

Idem, *lib. de vita beata*, jactantiam tamquam scopulum considerat, in quem allidunt, qui in hujus mundi pelago ad æternitatem contendunt.

Idem, *in Psal.* 48. docet eos, qui in hoc mundo inanem gloriam dilexerint, contemnendos in altero.

Idem, *lib. de corrept. & grat.* ostendit quam injustum sit ob merita nostra gloriari, quoniam omnis potestas nostra a divina gratia procedit.

Idem, *in Psal.* 102. hæc explicans verba: *Homo sicut fænum dies ejus*, docet nihil in hoc mundo esse, quod existimationem nostram mereatur, & de quo gloriari possimus.

Idem, *Serm. de verbis Apostoli*, in hæc verba: *Qui gloriatur in Domino glorietur*, ostendit gloriam omnem ad Deum pertinere, ac ne minimam illius particulam ab homine esse sibi vindicandam.

Idem, *Serm. 2. de Verbis Domini*, docet cavendum esse, ne quid ob inanis gloriæ cupiditatem fiat, quod ipsum docet, *lib. de Ovibus c. 9.*

Idem, *in Psalm.* 147. eorum imprudentiam, & insaniam redarguit, qui in præclarè factis gloriam aucupantur.

Idem, vel quisquis est Auctor Soliloquiorum, probat quæcumque facimus bona, a Deo proficisci.

Idem, vel Auctor libri *de conflictu virt. & vit.* docet ita coram hominibus bene agendum esse, ut non ideo bene agatur, ad intuentium laudes quærendas.

Sanctus Gregorius, *part. 4. Past.* docet inanem gloriam spiritualem esse fornicationem.

Idem, *lib. 31. Moral.* ostendit in quo hoc inanis gloriæ peccatum consistat.

Idem, *lib. 2. Moral.* ostendit eos etiam, qui majori sanctitatis, & perfectionis laude florent, sæpe in hoc peccatum ruere; & *lib. 4. cap. 21.* docet, quasdam in illis semper a Deo imperfectiones relinqui, ut ab hoc malo curentur.

Idem, *lib. 16. cap. 5.* hæc Jobi verba explicans: *Et fluvius subvertit fundamentum illorum*, eorum ostendit cæcitatem, qui æternam contemnentes gloriam fragilem, fluxamque depereunt.

Idem, *lib. 17. cap. 5.* de mundanæ gloriæ fragilitate verba facit.

Idem, *lib. 6. cap. 5.* hæc explicans verba, *Vidi stultum firma radice*, docet mundi hujus gloriam flocci esse faciendam.

Sanctus Hieronymus in Vita Sancti Hilarionis fusiùs de inanis gloriæ contemptu verba facit.

Idem in cap. 4. Zachariæ docet paucissimos esse, a quibus inanis gloria contemnitur.

Idem, *Epist. ad Pammachium*, ostendit Sancto viro mundi gloriam flocci esse faciendam.

Idem

Idem in Epistola ad amicum, quem in divinæ Legis scientia erudiit. Sanctorum exemplo, docet inanem hanc gloriam esse contemnendam.

Idem, *in cap. 10. Ecclesiastis*, ostendit honorem, & gloriam in mundo injustè, perperamque distribui.

Sanctus Ambrosius, *lib. 4. in S. Lucam*, hæc explicans verba: *Ostendit illi omnia regna mundi in momento*, docet honorem, & gloriam, quæ in hac vita recipitur brevi evanescere.

Sanctus Chrysostomus, *Homil. 3. in S. Matth.* docet bene facta oblivioni esse tradenda, ne intumescamus.

Idem, *lib. 1. in tertium Ezechielis caput*, ostendit quid intersit discriminis inter Dei, & inanem mundi gloriam.

Idem, *Homil. 3. de Verbis Isaiæ*, inanem gloriam Piratæ comparat navem pretiosis mercibus onustam aggredienti.

Idem, *lib. 2. de compunct. cord.* docet quanam præsertim in re inanem gloriam metuere debeamus.

Idem integram habet hujus argumenti Homiliam, nempe 43. Tomi quinti.

Idem, *Homil. 24. in cap. 11. secunda ad Corinth.* hæc verba interpretatus: *Quoniam multi gloriantur secundum carnem*, ostendit insanam esse vanitatem de externis bonis gloriari.

Idem, *Homil. 7. in cap. 3. Epist. ad Colossens.* honoris, & gloriæ hujus mundi vanitatem describit.

Idem, *Homil. 17. in Epist. ad Rom.* humanas quærentium laudes insaniam ostendit.

Idem, *Homil. 47. ad Popul. Antioch.* mundanæ gloriæ cupiditatem procellæ pelagus agitanti comparat.

Idem, *Homil. 15. in S. Matth.* inanem gloriam tamquam peculiare vitium reputat.

Idem, *Serm. 58. in eumd.* contra eorum vanitatem declamat, qui suum jactitant genus.

Sanctus Basilius, *in Constit. Monast. cap. 16.* ea mala describit, quæ ex hoc vitio proficiscuntur.

Idem, *in Regul. brevior. regul. 282.* docet operatios esse iniquitatis, qui propter gloriæ cupiditatem, operantur.

Idem, *in Oratione 17.* de vitio hoc verba facit.

Cassianus, *libr. 7. de Institut.* fusius de eodem loquitur.

Sanctus Cyprianus, *Serm. de Jejunio, & tentationibus*, satis fusè docet bona opera clanculum esse facienda, ne inanis gloriæ oblectatione capiaria.

Idem, *lib. 3. in 3. cap. Epist. ad Rom.* docet nihil nobis esse, de quo jure gloriari possimus.

Sanctus Bernardus, *Serm. de Nativ. S. Joan. Bapt.* inanis gloriæ cupidos lunæ, cujus figura mobilis est, comparat.

Idem, *Serm. 14. in Psalm. 90.* inanem gloriam basilisco solo obtutu occidenti similem dicit.

Asceticæ aliique. Granatensis in peccatorum Duce lib. 2. cap. 4. de jactantia loquitur.

Sanctus Franciscus Salesius, Introduct. ad Vitam devotam, *Parte tertia capite quarto.*

Alphonsus Rodriguez, *Parte 1. Tract. 3. cap. 2. & sequ.*

Jacobus Alvarez, *de extinct. vitiorum, Tomo 2. lib. 1. cap. 15. & 16.*

Drexellius, *in Amussi cap. 5. & 5.*

Eusebius Nierembergius, *de Adorat. in spir. & verit. lib. 2. cap. 2.*

P. Suffren, Tomo 1. Anni Christiani Tractatu de Conversatione sect. 7. ubi ait jactantiæ, & ostentationis verba esse abscindenda.

Joannes Lopes, *in Epist. Sanct. lib. 18. cap. 5.*

Dandinus, *in Ethicis Sacris*, uberem habet tractatum de vanagloria 21. capita habentem.

Bernardinus Rossignolus, *libr. 2. de Disciplina cap. 24.*

Didacus de la Vega, *de Virtutibus, & Vitiis, titulo Superbia.*

P. Haineuve, *parte quarta Ordinis sermone 42. de Humilitate.*

Liber cui titulus, *Guerre aux vices*, de jactantiæ vitio fusius verba facit.

Quicumque de humilitate locuti sunt, hoc jactantiæ vitium illa contrarium non prætermiserunt.

Concionatores. Ludovicus Granatensis, *Domin. 10. post Pentec.*

Matthias Faber, *Conc. 3. in feriam Cinerum, & Domin. 3. post Epiph. in auct. Them. 5. & Them. 2. in Domin. 4. post Epiph.*

P. Grizel in Quadragesima peculiarem habet hujus argumenti sermonem.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ sacræ argumenta Tomo 3. argumentorum peculiarium; & in sermone pro feria secunda post primam Quadragesimæ Dominicam.

P. Duneao Serm. pro 15. post Pentec. Dominica de vanitate honorum mundi loquitur & de periculo iisdem abutendi.

P. De la Colombiere in Christianis Considerationibus unam habet de ostentatione, quæ haberi potest tamquam Argumenti hujus absolutissimus sermo.

Considerationes quoque Patris Nepueu in hac re sunt compendiosæ Conciones.

In Moralibus Homiliis tertium punctum Homiliæ pro prima Quadragesimæ Dominica est de inani gloria, de qua a dæmone JESUS CHRISTUS tentatus fuit.

In libro cui titulus, *Essais des Sermons pour la Careme*, secunda propositione pro feria tertia post quartam Quadragesimæ hebdomadam de hoc vitio sermo est.

Qui de humilitate, & superbia disseruerunt, de ostentatione quoque, vanitate, inani gloria, tamquam iis, quæ mutuis inter se vinculis continentur, habuere sermonem.

Qui collectanea ediderunt. *Eorum plerique qui de inani gloria locos ediderunt, eos superbiæ nomine comprehenderunt. Qui sequuntur, magis peculiariter de hoc vitio locuti sunt.*

Busæus, *in Panario.*) Titulo. *Vana Gloria.*
Labata, *in Thesauro.*)

Raynerius de Pisis in Pantheologia collegit quidquid Teologia hac de re potest suppeditare.

Hortus Pastorum, *in Tuba Sacerdotali Tract. 1. lect. 5.*

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Scripturarum applicationes huic argumento.

Nolite declinare post vana. 1. Reg. cap. 12.

Nolite multiplicare loqui sublimia, gloriantes. Ibid. c. 2.

Hoc scio à principio, ex quo positus est homo super terram, quòd laus impiorum brevis sit, & gaudium hypocritæ ad instar puncti. Jobi 20.

Superbiam numquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas. Tob. 4.

Vir vanus in superbiam erigitur. Jobi 11.

Ipse (Deus) novit hominum vanitatem. Ibid.

Universa vanitas, omnis homo vivens. Psal. 38.

Homo vanitati similis factus est. Psal. 143.

Qui hominibus placent, confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos. Psal. 52.

Qui in multitudinem divitiarum suarum gloriantur. Psal. 48.

Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? Psal. 51.

Mox ut honorificati fuerint, & exaltati; deficientes, quemadmodum fumus deficient. Psal. 36.

Filii hominum, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Psal. 4.

Non nobis Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam. Psal. 113.

Laudet te alienus, & non os tuum: extraneus, & non labia tua. Prov. 27.

Noli extollere te in faciendo opere tuo. Ecclesiastici 10.

Cuncta subjacent vanitati. Eccl. 3.

In vestitu ne glorieris umquam, nec in die honoris tui extollaris. Eccli. 11.

Vanitate seducti sumus. 2. Esdræ c. 1.

Gloriam meam alteri non dabo. Isaiæ 48.

Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quasi flos agri. Isaiæ 40.

Da gloriam Domino Deo Israel. Josue 7.

Ambulaverunt post vanitatem, & vani facti sunt. Jerem. 2.

Vana sunt opera eorum, & risu digna. Idem 51.

Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei. Sapient. 13.

Quasi qui apprehendit umbram, & persequitur ventum; sic & qui attendit ad visa mendacia. Eccli. 34.

Non glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur dives in divitiis suis; sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire & nosse me, quia ego sum Dominus. Jerem. 9.

Ponite corda vestra super vias vestras; seminastis multum, & intulistis parum. Aggæi 1.

Ventum seminabunt, & turbinem metent. Oseæ 8.

A verbis viri peccatoris ne timueritis: quia gloria ejus stercus, & vermis est: hodie extollitur, & cras non invenitur. 1. Machab. cap. 2.

Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in Cælis est. Matth. 6.

Cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Idem, ibid.

Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, & gloriam, quæ à solo Deo est, non quæritis? Joan. 5.

Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit. Joan. 7.

Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est. Joan. 8.

Dilexerunt gloriam hominum magis, quam gloriam Dei. Joan. 12.

Evanuerunt in cogitationibus suis; dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Ad Rom. 1.

Non qui seipsum commendat, ille probatus est; sed quem Deus commendat. 2. ad Corinth. 10.

Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? 1. ad Corinth. 4.

Mihi pro minimo est ut à vobis judicer, aut ab humano die. Ibidem.

Sufficientia nostra ex Deo est. 2. ad Cor. 3.

Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. 2. ad Corinth. 1.

Non est bona gloriatio vestra. 1. ad Cor. 5.

Si gloriari oportet, quæ infirmitatis mea sunt, gloriabor. 2. ad Corinth. 11.

Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes. Ad Galat. 5.

Qui gloriatur, in Domino glorietur. 1. ad Corinth. 1.

Quorum gloria in confusione ipsorum. Ad Philippens. 4.

Nolite gloriari, & mendaces esse adversus veritatem. Jacobi 3.

Exempla ex veteri, novoque Testamento deprompta.

Saulis exemplum ostendit, honores, & dignitates vanitatem immittere.

NIhil facilius cor aliquod corrumpere potest, eique inanis gloriæ sensus fovere, quàm seipsum ad altiores honorum, dignitatumque gradus provectum intueri; tunc enim docet experientia, prorsus alios mores indui, ac superbè eos despici, qui antea veluti pares censebantur. Hoc nobis Saulis exemplum ostendit, qui antequam ad regiam eveheretur dignitatem, insignibus effulgebat virtutibus, innocuam ducebat vitam, præsertim verò humilis erat, & modestus, quemadmodum palam ostendit, cum Samuel nuntiavit, illum à Deo in Regem Israel electum fuisse, dixitque, illius futura optima quæque Israel. Tunc enim humiliter respondit, se generis sui humilitatem non ignorare, familiamque suam novissimam esse ex Tribu Benjamin, quæ inter cæteras Tribus minima erat. Mox etiam testatus est, quàm altè in corde suo humilis de seipso sensus infixus hæreret, cum populo a Propheta ad Regem eligendum coacto in ipsum sortes cecidere: adeo enim delituerat hanc fugiens dignitatem, ut non ita facile fuerit inventus. Sed eheu! quantum ejus mores immutati sunt, cum regni solium ascendit; ita enim gloriæ suæ sollicitus custos fuit, ut æquo ferre non posset animo laudes, quibus David extollebatur propter interfectum Goliath, qui toti exercitui Israel terrorem incusserat: Adeo furore correptus fuit, ut numquam benigno oculo intueri potuerit virum de Regno tantopere bene meritum.

Davidis exemplum docet benefactorum gloriam Deo acceptam esse referendam.

Plurima inveniuntur in Scripturis eorum exempla, qui tantum abfuit, quod eorum quæ feliciter evenirent, gloriam sibi vendicarent, ut immo illam Domino referrent acceptam cum solemnibus gratiarum actionibus, eique gratum animum testarentur. Hoc præstitit David post obtruncatum gigantem; & diu post præclarum hoc facinus, cum ea omnia collegit, quæ ad Templum ædificandum erant necessaria; populo præ lætitia exultante, ac Regis pietatem, atque prævidentiam laudibus celebrante, David his plausibus, encomiisque aures non adhibuit, omnemque Deo uni gloriam acceptam retulit præclaro eo Cantico, quod capite 29. primi Paralipomenon libri refertur; ubi humillimæ, atque eo Rege dignissimæ, qui Deo uni omnem dignitatem suam referat acceptam, gratiarum actiones leguntur.

Quid fecerit Joab ut Davidi cederet capti cujusdam oppidi gloriam.

Secundo Regum libro tamquam generosè factum Joabi Davidicarum copiarum Ducis submissionem concelebrat. Obsidebat ille urbem Rabbath Ammonitarum caput; cumque oppugnatio eò usque perducta esset, ut brevi civitas posset impetu facto expugnari, misit, qui Davidi nuntiaret, quo loco esset oppugnatio, cumque urgeret, ut maturato ad exercitum vellet properare urbis captæ gloriam relaturus, atque ingressurus in illam, ne tanti facinoris gloria sibi, sed Regi deferretur. Hoc in omnibus ministeriis nostris imitari debemus, ac velle, ut Deo uni referatur gloria eorum omnium, quæ eo auctore, vel adjutore facienda suscipimus. *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam*. *Psal. 113.*

Quomodo Deus ostentationis peccatum percusserit.

Quamvis hoc jactantiæ peccatum ex iis videatur, quæ leviora ducuntur, & quorum faciliùs nos reos esse cognoscimus, illud tamen tantopere perhorret Deus, ut in hac etiam vita severioribus, quàm atrocissima quæque scelera, suppliciis illud constringendum putaverit. Satis est in Bibliis legere, quomodo illud in Davide punierit, licet hic vir esset secundum cor Dei, hac de causa, quia imperii sui vires cognoscere voluit, atque scrutari quot milites ad arma cogere posset, si validus sibi conscribendus esset exercitus. Davidi enim hæc ostentatio stetit plurimorum militum cæde. Ezechias licet inter Reges Israel sanctissimus fuerit, cui ob pietatem Deus vitam produxit, eo quod jactantiùs thesauros suos Nunciis Regis Assyriorum ostentasset, a Propheta correptus, monitusque fuit futurum ut illi cum filiis suis Babylonem non multo post traducerentur. Prætereo autem Nabuchodonosoris, Sennacherib, Antiochi, Herodis Agrippæ, aliorumque exempla, quorum vanitas ad extremum usque ambitionis evasit.

Exemplum JESU CHRISTI.

Exempla, & præcepta, quibus Dei Filius laudes, inanemque gloriam contemnendas esse docuit, passim occurrunt in Evangelio. Modò se non suam, sed unicè Patris sui gloriam quærere profitetur. *Ego non quæro gloriam meam, sed ejus, qui misit me*. *Joan. 8.* Modò a populi turba recedit eos evitaturus acclamationes, quas miraculis suis merebatur. Aliquando

quando etiam post multiplicatos panes in montem se recepit; explorata quippe ipsi erant saturatæ multitudinis studia, quæ illi Regni solium deferre cupiebat. Modò ad Patrem suum omnem actionum suarum gloriam remittit. Ut plurimum iis, in quorum gratiam operabatur miracula, præcipiebat, ne cui illa narrarent. Tribus Discipulis, qui Transfigurationis ejusdem testes fuerant, præcepit, ne de eadem, antequam ipse a mortuis resurgeret, verbum facere auderent. Dæmoni etiam silentium indixit, cum magnitudine miraculorum Domini coactus ipsum Dei filium esse prædicabat. At non suffecit illi isthæc exemplis docuisse, nisi præcepta etiam Apostolos de hac summi momenti doctrina edoceret. Corripuit eorum inanem oblectationem, qua suffundebantur in nomine JESU miracula operari, eisque protulit Angelorum omnium antesignani lapsum inde profectum, quod ob perfectiones suas sibi complacuerat: *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem:* (Luc. 10.) Eosque admonuit, ut tunc maxime cum aliquid Divina opem ferente gratia bene operati fuissent, non solum non intumescerent, & gloriarentur, sed se ipsos tamquam inutiles servos reputarent; ac tandem præcepit illis, ne bona opera facerent, ut ab hominibus viderentur, hoc est ut eorum laudes, atque approbationes aucuparentur. Ad hanc etiam inanem oblectationem auferendam prohibuit, ne vanum magistri nomen adiectarent, & in quapiam re distinctionis signa perquirerent.

(Beatissimæ Virginis exemplum.) Sanctissimæ quoque Virginis exemplum hac in re commendandum est. Liquet enim qua ratione eas exceperit laudes, quibus decorabatur ab Angelo eam tamquam Dei sui Matrem salutante, quo pacto insignem hanc gratiam celaverit, omnemque illius gloriam Deo acceptam retulerit, cum Sancta Elisabeth eidem tantam gratularetur dignitatem. Donec Salvator in terris versatus est, nullibi videmus, ipsam ob laudes, & plausus, quibus Filius suus celebrabatur, sibi placuisse, neque se matrem illius ostentasse, quod in ejusdem cruce, atque humilitate solum ostendit.

(S. Joannis Baptistæ exemplum.) Neque prætereundus hoc in loco est dignus cum humilitatis, tum divinitatis Messiæ Præcursor. Non solum passus non est sibi Christi qualitatem, quam non merebatur, deferri, verùm etiam prophetæ dignitatem, qua a Deo auctus fuerat, celavit. Dicere potuisset, sibi Eliæ spiritum, & virtutem inesse; Angelus enim, qui ejus nativitatem prænuntiavit, illum dixerat ante Messiam in spiritu, & virtute Eliæ præcursurum. Respondere potuisset, se Prophetam esse, quandoquidem eodem JESU CHRISTO teste, erat plusquam Propheta; attamen se nihil horum esse affirmavit. Compulsus tandem fateri quis esset, & quid de seipso sentiret, cum alius quilibet generis sui nobilitatem, & honorem cognationis cum Expectato Gentium jactasset; atque propria existimatione propriisque meritis tumidus eam nominis ostentasset celebritatem, quam sibi comparaverat, numerum, & qualitatem Discipulorum qui eum secuti fuerant; ipse inanem hanc gloriam prohorrescens, insigni ea legatione, qua honoratus fuerat, ne minimum quidem commotus, se vocem esse respondit.

(Exemplum S. Pauli.) Quid de seipso, quod verum non esset dicere poterat Sanctus Paulus, cum dicebat: Si alii Israelitæ sunt, sum & ego; si Discipuli, & Apostoli sunt, sum & ego: *In quo quis audet, audeo & ego.* (2. ad Cor. 11.) Si in ministerii sui exercitatione passi sunt; non minus & ego sum passus; quænam terra marique obeunda mihi fuere pericula? Quoties naufragium feci? quoties verberibus affectus fui? Sed vix hæc enumeraverat, cum in se reversus confessus est, se in his dicendis minus sapientem fuisse: *ut minus sapiens dico;* (Ibidem.) fratresque suos obtestatus est, ut sibi parcerent, & si quid in sui ipsius laudem liberiùs dixisset, illum excusatum haberent, & ipsius infirmitatem æquo animo ferrent; *sed supportate me;* nec non professus est illos ab invito extorsisse hoc, quod de se perhibuerat testimonium, & hæc verba, quæ illi non satis cautè loquenti fuerant elapsa: *Factus sum insipiens, vos me coegistis.* (2. ad Cor. 12.)

Quorumdam Scripturæ locorum huic argumento Applicationes.

(Quædam gloria inanis est, quædam autem solida, & vera.) *Non est bona gloriatio vestra.* 1. ad Cor. 5. D. Thomas proponit problema non curiosum minus, quàm festivum, utrum videlicet vitium sit, an virtus amare gloriam, ad eam contendere eamque concupiscere; quod quidem problema reipsa difficilius est, quàm ex sola ejusdem expositione videatur. Si enim bonum est, atque virtus, quid erit christiana humilitas, quæ in ejus gloriæ contemptu consistit? Quidque dicendum de cœlestia Magistri doctrina, qui verbo, & exemplo docuit fulgorem, nitoremque fugiendum, caliginem vero, & oblivionem quærendam? Sin autem malum, & vitium est, quomodo gloria erit virtutis pretium, & quomodo Deus illam in virtutis præmium promittit? *Nimis honorificati sunt amici tui Deus.* (Psal. 138.) Problema hoc explicari, ac solvi potest distinguendo gloriam, quæ inanis est, ab ea quæ solida, & vera est, de quibus locuti sumus, & quas infra apertius explicabimus.

(Quænam sit vana, quænam solida gloria.) *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi.* Ad Gal. 5. Apostolus his verbis non omnem gloriæ cupiditatem condemnat; hæc enim cupiditas homini naturalis est, & quodammodo insita. Homo nobilis est creatura, ad gloriam natus, ad quam incredibili rapitur studio. Præterquam quod cum vellet Deus ipsum cum sanctitate, ac virtute vitam traducere, eidem gloriam proposuit in præmium; quamobrem restatur Sanctus Paulus gloriam, honoremque pro illis esse, qui rectè operantur: *Gloria, & honor omni operanti bonum.* (Ad Rom. 2.) Apostolus igitur, Magistri sui verbis, inanem, non veram, solidamque gloriam condemnat; eam videlicet, quæ ab humana pendet opinione, quæ ex vana virtutis, divitiarum, nobilitatis, naturaliumque talentorum ostentatione procedit; hoc enim vanæ gloriæ nomine intelligitur; cum e contra solida gloria a Dei de nos judicio pendeat, quod licet nobis ignotum sit, scimus tamen bonum, virtutem, & bona opera illi placere, cumque id facimus, quod possumus, tunc, ut idem Apostolus inquit, testimonium conscientiæ nostræ gloriam nostram constituit: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* (2. ad Cor. 1.)

(Vanagloria meritò umbræ comparatur.) *Quasi qui apprehendit umbram, sic & qui attendit ad visa mendacia.* Eccli. 34. Inanis gloriæ fragilitas, & inconstantia numquam melius exprimi potuit, quàm hac umbræ comparatione; non solum quod, uti vulgò dicitur, gloria fugit persequentem se, quemadmodum umbra ex manibus evolat eam apprehendere cupientis; verum etiam quod confusè tantùm, atque imperfectè repræsentat corpus illud, cujus est umbra; quia quantumvis illud formosum sit, pretiosisque ornatibus locupletatum, illud exhibet nigrum, deforme, sine coloribus, ac signis, quibus distinguatur; ita ut ex rudi hac, crassaque figura vix illud valeat cognosci: ita gloria, terrenæque laudes, undecumque fluant, non exhibent, neque inspiciendam tradunt laudatam personam, qualis re ipsa est. Præterquamquod umbra, cum pendeat a solis lumine, eam producente per opaci alicujus corporis oppositionem, modò major est, modò minor, modò lævorsum incedit, modò dextrorsum: ita & gloria, quæ ab hominum opinione, ac libidine pendet, nequaquam diu in eodem statu subsistit.

(Mundi gloriam nobismet in idolum convertimus.) *Populus meus mutavit gloriam suam in idolum.* Jerem. 2. Prophetæ, vel etiam ipsi Deo incessit admiratio videndi populum suum, qui verè dici poterat gloriosus post tot admiranda prodigia, quæ Deus in illius gratiam fuerat operatus, gloriam suam in idolum mutasse. Quæritur horum verborum explicatio

plicatio; quæ ab erudito quodam Interprete ita affertur. Cum Dei populus veræ, solidæque gloriæ possessio esset, quandoquidem ab ipso Deo proficiscebatur, illam in idolum convertit, quod nihil est, ex Apostoli sententia, hoc est, inanem perquisivit gloriam, fluxam, fallacem, quæ cum ab hominum pendeat existimatione, non nisi in eorum imaginatione consistit. Illud verò magis miserum est, quod homines ex fallaci gloria hoc sibi idolum effingunt, cui sæpe vitam, salutem, cæteraque omnia sacrificant.

Quam mobilis sit hominum existimatio, & opinio.

Stultus, ut luna mutatur. Eccli. 27. Sanctus Bernardus ait, vanam gloriam efficere ut homines, a quorum judicio pendet, nobis eodem agant pacto, quo sol cum luna prout variis modis eidem opponitur. Videmus lunæ lumen, quia hoc a se non habet, sed a sole mutuatur, numquam in eodem statu consistere: *Crescit, decrescit, extenuatur, annihilatur, & penitus non comparet.* Ita qui se ab hominibus laudari expectant propter bona opera, quæ faciunt, *modo magni, modò parvi sunt, modò nulli, secundum quod adulantium linguis vel vituperare placuerit, vel laudare.*

Exitus inanis gloriæ, quæ vulgo desinit in contemptum.

Succidite arborem, & præcidite ramos ejus. Daniel. 4. Vanagloria similis est arbori, quam Nabuchodonosor in somnis vidit, & quæ eidem ad cœlum usque assurgere, ac terram omnem coma sua contegere videbatur, cujus ramis volucres omnes insidebant, umbra omnia tegebat animantia, & fructus, quidquid viventium est, nutriebat; arbori videlicet, quæ procera erat, solida, extensa, summopere speciosa, & fructibus onusta. Verum cùm Rex pulcbritudinem ejus admiraretur, repente de Cœlo vox hæc intonuit: Mittite securim ad arboris hujus radices: succidite arborem, præcidite ramos ejus, ac frondes ipsas excutite: bruta, quæ sub ejus umbra quiescunt, in fugam conjicite; ita ut arbor hæc tantum sit in suo fine funesta, quantum initio videbatur gloriosa. Hæc affabra est terrenæ gloriæ descriptio, & hic exitus eorum, qui ridicula jactantia se super alios ostentant, ac tandem in omnium contemptum, ac ludibrium cadunt.

Inutilitas eorum, quæ per vanitatem fiunt.

Telas araneæ texuerunt. Isaiæ 59. Nemo est, cui hæc Prophetæ verba aptius quadrent quam illis, qui ob inanis gloriæ spem operantur; hi enim omnem virtutis laborem experiuntur, ac nullum ejusdem meritum, fructumque referunt; araneis similes, quæ omnem substantiam suam jugi labore consumunt telas texentes, quæ profectò tenues, subtilesque sunt, & quas ars imitari non posset, sed quas dissipat ventus, & muscis tantummodo illaqueandis inserviunt. Ita qui ex vanitate tantummodo operantur, laudes inanesque plausus capturi sæpe majoribus, magisque assiduis laboribus seipsus exercent, quàm alii turpes aucupaturi laudes, quibus pascuntur; at nullius laudes extorquent, nisi eorum, qui sola rerum specie capiuntur, & cæci in oppositos laqueos labuntur.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus Argumenti.

INanis gloria hujus sæculi fallax est servitus, & infructuosus labor, & perpetuus timor, & periculosa sublimitas. August. in Psal. 7.

Laudamus mendaciter, delectamur inaniter; & vani sunt qui laudantur, & mendaces qui laudant. Idem, in quadam Epist.

Alia quæcumque iniquitas in malis operibus exercetur, ut fiant; superbia vero & vana gloria bonis operibus insidiatur ut pereant. Idem, Epist. 109. ad Monachos.

Qui benè didicit vel expertus est vitiorum superandorum gradus, intelligit hoc vitium inanis gloriæ, vel solum, vel maximè cavendum perfectis. Idem, in Psal. 7.

Homo de ipso vanæ gloriæ contemptu vaniùs gloriatur. Idem lib. 10. Confess. cap. 38.

Qui de vanitate gloriantur, hæc non est gloria, sed vera miseria. Idem, in Soliloq.

Non ferè quisquam est, qui non humanam appetat gloriam. Idem, in Psal. 1.

Quid sunt sæculi honores, nisi perversæ vanitates? Idem.

Nonne falsa gloria, quando putatur id bonum esse quod malum est, & vitium virtus esse creditur & ladatur? Idem, in Joan.

Attende quo fine agis: si ut glorificeris, hoc prohibuit (Christus;) si ut glorificetur Deus, hoc jussit. Idem, in Psal. 95.

Si placentes, multum tibi displicent: non tantùm de non bonis quasi bonis, verùm etiam de bonis tuis, quasi suis. Idem, lib. 10. Confess. c. 39.

In quantis sis minor tibi cogitandum est, non in quantis sis major; si enim cogitas quantum præcessisti alterum, time tumorem; si verò cogitas quantum tibi deest adhuc, non inflaberis. Idem, Sermon. 53.

Fugiendo gloriam, gloriam Paula merebatur, quæ virtutem quasi umbra sequitur, & appetitores sui fugiens, sequitur contemptores. Hieron. in vita Sanctæ Paulæ.

Onusta incedis auro, bonis scilicet operibus; latro tibi vitandus est; hoc est vana & inanis apud homines gloria. Idem, Epist. 2. ad Eustoch.

Martyrium si ideo fiat, ut admirationi & laudi habeamur à fratribus, frustra sanguis effusus est. Idem, in c. 5. Epist. ad Galat.

Nihil tam periculosum est quàm gloriæ cupiditas, & animus conscientia virtutum tumens. Idem, ad Fabiolam de 42. mansion.

Tuba est omnis actus vel sermo, per quem ipsa operis jactantia designatur; tuba ergo canere est pompam vanæ laudis appetere. S. Chrysost. super Matth.

Non potest gloriæ servus homo, non omnium servus esse, & ipsis servilior mancipiis. Idem, Hom. 43. ad Popul. Antioch.

Nullus est in nobis appetitus tam tyrannicus, atque dominans ubique, & qui etiam facilè possit sapientum oculos perstringere, nisi temperetur. Idem, Homil. 43. ad Popul. Antioch.

Evanida est, & nihil habet stabile, neque firmum, sed solum est oculorum deceptio, & priusquam appareat, avolat. Idem, Hom. 23. in Gen.

Fieri non potest, ut qui gloriæ dulcedine capitur, magnum aliquid & egregium sapiat; sed ignominia illicò ipsum notari necesse est, & animi abjecti, infamis, atque exigui æstimari. Idem, Homil. 2. in Joannem.

Ut tinea & vermes corrumpunt, ita & inanis gloria. Idem, Homil. 42. in Genes.

Perfice opus, ne dum vis cogitationi vanæ resistere, perdas opus bonum. Idem, in imperfecto opere in Matth.

Intolerabilis quædam mentis ebrietas est inanis gloria, quæ pestifera tabe inficit animam. Idem, Homil. 2. in Joan.

Ille maximè seipsum novit, qui se nihil esse existimat. Idem, Homil. 26. in Matth.

Thesaurum, qui non abscondit, prodit. Chrysol. Serm. 7.

Virtutes comitatur gloria, inhæret vitiis cognata confusio. Idem, Serm. 31.

Quæ utilitas homini, si ipsum totus orbis admiratur & laudat; conditor autem omnium & judex, qui decipi nequit, in die illo terribili condemnaturus sit? Chrysost. Hom. 23. in Genes.

O insipiens! quid tibi prodest hominum memoria, si ubi es, torqueris, & ubi non es, laudaris? Idem, in Matth.

Inanis gloria est dulcis spiritualium operum exspoliatrix, jucundus animarum nostrarum hostis, blandissima bonorum nostrorum deprædatrix. Basil. in Const. Monial. cap. 10.

Scopu-

Scopulus sub aquis latens est inanis gloria; huic allisus virtutis merces amisisti. S. Nilus.

Vicinum rectis actionibus superbia malum, & de proximo semper virtutibus insidiatur elatio: quia difficile est, ut laudabiliter viventem, laus non capiat humana. Sanctus Leo, Serm. 9. de Quadrages.

Sæpè bono operi dum laus humana obviat, mentem operantis immutat, quæ quamvis quæsita non fuerit, tamen oblata delectat. Gregor. in Moral.

Valdè perfectorum est, sic ostenso opere autoris gloriam quærere, ut de illibata laude nesciat privata exaltatione gaudere. Idem, lib. 22. Moral.

Qui pro virtute quam agit, humanos favores desiderat, rem magni meriti vili pretio venalem portat; unde Cœli regnum mereri potuit, inde nummum transitorii sermonis quærit. Idem, lib. 8. Moral. cap. 28.

Inventus thesaurus absconditur, ut servetur: quia studium cœlestis desiderii à malignis spiritibus custodire non sufficit, qui hoc ab humanis laudibus non abscondit. Idem, Hom. 11. in Evang.

Deprædari desiderat, qui thesaurum publicè portat in via. Idem, ibid.

Qui inchoata virtutis ab humano honore laudem receperit, quasi ligni plantati fructus ante tempus comedit. Idem, l. 8. Moral.

Sub hoste quem prosternit moritur, qui de culpa quam superat, elevatur. Idem, l. 20. Moral.

Laus sua justos cruciat, iniquos exaltat. Idem.

Inanis gloria cùm mentem vani hominis impleverit, in illa arrogantiam, hypocrisim, impietatem gignit. Ambrosius.

Plerique in suis lapsibus gloriantur, & putant laudis esse, quæ criminis sunt. Gregor. Nazianz. Orat. 1.

Omnia vitia marcescunt, & devicta per singulos dies infirmiora redduntur; hoc vero dejectum acrius resurgit ad luctam, & cùm putatur extinctum, sua morte vivacius convalescit. Cassianus, lib. 11. Institut. cap. 7.

Hæc est subtilis inimici versutia, ut militem Christi propriis faciat telis occumbere, quem hostilibus armis non potuit superare. Idem, ibid.

Dæmon quos non potest vincere vitiis suis, vincit virtutibus alienis. Armis quibus eliditur, surgit, & virtute qua dejicitur, dejicit. S. Fulgentius, Epist. ad Probam, cap. 15.

Si opera virtutum foras exieris, rarus est qui hominum judicia conspuat, & laudes humanas contemnat. S. Cyprian.

Quisquis ex deteriore jam melior esse cœpit, caveat de acceptis extolli virtutibus; ne graviùs per vanam gloriam corruat, quàm priùs per lapsum vitiorum jacebat. S. Isidorus, lib. 8. de Summo bono.

Quas vires nocendi habeat humanæ gloriæ amor non sentit, nisi qui bellum ei indixerit: quia etsi cuique facile est laudem non cupere cùm negatur, difficile tamen est in ea non delectari cùm offertur. Anselmus, in Commentar. in epistolam ad Thessalon.

Time sagittam, quæ leviter volat, leviter penetrat; sed dico tibi, non leve infligit vulnus, citò interficit: nimirum sagitta hæc vana gloria est. Bernard. in Sermone quodam.

Nemo vestrum velit laudari in vita ista, quia quidquid hic favoris captas, quod ad Deum non retuleris, ipsi furaris. Idem, Serm. 13. in Cant.

Nec propter te cœpi, nec propter te desinam. Idem.

Fraus in opere Dei timenda est; fraudem autem facimus Deo, quando non Deum, sed nos ipsos de bono opere nostro laudamus. Idem.

Sæpè sibi de se mens ipsa mentitur, & fingit se de bono opere amare quod non amat, de gloria autem mundi non amare quod amat. Gregor. lib. 1. Past. cap. 91.

Si martyrium subierimus, ut nostras velimus ab omnibus reliquias venerari, & si opinionem vulgi sectantes intrepidi sanguinem fuderimus, huic operi non tam præmium, quàm pœna debetur, & perfidia magis tormenta sunt, quàm corona victoriæ. Hieron. sup. Epist. Pauli ad Galat.

Subtile est malum, secretum virus, venenum latens, virtutum fucus, tinea sanctitatis. Sanctus Chrysolog.

Omnis gloria humana, omnis honor temporalis, omnis altitudo mundana cœlesti gloriæ comparata, vanitas est & stultitia. De Imitat. Christi, lib. 3. cap. 6.

Brevis gloria, quæ ab homine datur, & accipitur. Idem, lib. 2. cap. 6.

Vanitas morbus est, quo seipsos homines seducunt, & videntur se esse aliquid cùm nihil sint. Augustin. in Psal. 121.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia penu hoc in argumento depromi possit.

Quid sit vanitas, & vanagloria.

VAnitas propriè est inordinata inanis gloriæ cupiditas: ad quam definitionem intelligendam ignorandum non est, gloriam generatim, ex Divo Ambrosio, non aliud esse, quam claram, atque perspicuam cognitionem virtutum, ac meritorum alicujus: *Clara cum laude notitia*. Hæc autem cognitio debet esse cum laude conjuncta; vel, ut inquiunt alii, est existimatio, & bona opinio, quam alii de nobis habent, meritis nostris innixa: itaut si hæc existimatio, ac opinio in solo hominum conceptu subsistat; existimatio tantummodo appelletur: Sin autem extrinsecus verbis exprimatur, laus, aut elogium dicatur: At si exterioribus signis palam significetur *honoris* nomine nuncupatur. Hinc facile potest intelligi, vanam gloriam, quæ cum vanitate confunditur, esse, quemadmodum a Sancto Francisco Salesio explicatur, immoderatam cupiditatem, sollicitamque humanæ existimationis, laudum, honorisque perquisitionem; seu propter ea quæ in nobis non sunt, seu propter ea quæ cum in nobis sint, propriè nostra non sunt, seu propter alia plurima, quæ cum & in nobis sint, & nostra sint, non merentur, ut ob eadem gloriemur.

Qua in re vanitas, vel vanagloria differat a superbia.

Differt vanitas a superbia, quod illa alienam potius, quàm propriam opinionem requirit, & minime curans, quænam sit nostra de nobismetipsis cogitatio, totum omnium requirit existimationem, qui nos cognoscere possunt, vel qui de nobis verba fieri audiunt. Verum est eam non adeo insolentem esse uti superbia est; at nequaquam minus ridicula est, & insana; modò enim vult, ut ab aliis pluris habeamur, quam a nobismetipsis; modò exigit, ut in nobis ea celebrentur virtutes, quas nobis deesse, certò scimus; modò ab illis existimationem emendicat, qui nominis nostri celebritati ne minimum quidem possunt conferre, Quamquam autem in eo consistat, quod extrinsecus existimationem perquirat, vanus tamen ille etiam vocatur, qui seipsum pluris æquo facit, & credit sibi illud inesse meritum, quod deest, idque aut vocibus, aut factis ostendit.

Quanam in re vitii hujus gravitas consistat.

Vanagloria licet non sit tam noxia, atque odiosa, quàm superbia, quam Deus, hominesque ferre non possunt, tamen vitium esse non cessat, & vulgo a superbia non differt, nisi quia levior est; ejus verò gravitas in eo consistit, quod honorem virtuti, hominum existimationem conscientiæ nostræ testimonio, ac honori Dei, mendacium veritati censet anteferendum, ac sæpe se ad humilia, ac sordida facta submittit, ut inanem laudem aucupetur. Sin autem vanitatis, vanæque gloriæ nomine intelligimus vanam ob talenta nostra, perfectiones, virtutesque oblectationem, tunc species est superbiæ, quæ non eousque procedit, ut putet hæc omnia bona uni sibi debere, vel ut Deo gloriam

riam deferre, gloriasque habere detrectet, quæ fuit rebellis Angeli superbia; sed tantummodo inde gloriam percipere oblectatur, gaudet hæc omnibus nota esse, atque comperta, ea cunctis enarrare studet, & in illis sibi complacet, quod verè peccatum est. Neque hæc dicimus, quasi humilitatis virtus excæcare nos debeat, ne merita nostra videamus; sed quia non ideo hominum existimationem captare, laudesque, vel plausus aucupari debemus, qui si liberaliter nobis tribuantur, non debemus secreta exultare lætitia, quam cohibere difficillimum est.

Ethnici quoque duplicem agnovere gloriæ speciem, alteram fallacem, inanemque, alteram veram solidamque.

Ethnici quoque Philosophi duplex gloriæ genus distinxerunt, alterum fallax, & inane, alterum verum, & solidum. Fallacem appellarunt gloriam, quæ ex laudibus, plausibusque cæcæ multitudinis fluit, quæ laudum prodiga eas ut plurimum impertit illis, qui indigni sunt; & veram dixerunt eam, quæ ex doctorum hominum, quibus merita perfectè explorata, compertaque sunt, existimatione procedit. Hac in re Christianæ Religionis discrepat sensus; pro vera enim gloria eam tantummodo tenet, quæ talis est secundùm judicium Dei, cui unicè placere contendimus rectè factis, & cujus fidele testimonium nobis perhibet conscientia. Non vult illa quidem bonorum approbationem negligi, vel contemni, quibus bonam ædificationem præbere debemus: *Curam habe de bono nomine*: Verum non vult, hanc haberi veluti unicum virtutis pretium, & ad eam tantummodo acquirendam bona opera fieri. Quod ad populi laudes, hominumque existimationem pertinet, hanc nullatenus debemus perquirere, nisi quatenus necessaria est ut munus nostrum probetur, ut pondus verbis nostris accedat, atque aptiores fiamus ad majorem de illis fructum percipiendum.

Eccli. 41.

Honor non semper rejiciendus est, & quid agendum.

Honor in se malus non est, non secus ac cætera bona. Hæc est justa virtutis merces, quæ ab omnibus coli meretur; & in Ethicis virtus admittitur, cujus munus in hoc positum est, ne honore abutaris. De hac verba facit Philosophus libro 4. Ethicorum, ubi illi nomen non tribuit, sed illam statuit inter duo extrema vitia, quorum alterum est nimia, & immoderata honorum cupiditas, quam dicimus ambitionem; alterum est actionum, quibus honor debetur contemptus ob animi abjectissimam infirmitatem. Virtus, quæ inter hæc duo extrema locum obtinet, modestia nuncupatur; Ethica enim, quæ Theologiæ integrum de Humilitate sermonem relinquit, modestum vocat, qui non adfectat inordinata cupiditate honores, & cum eos fuerit assecutus, non superbit: *Modestus dicitur, quasi modum in honoribus tenens*. Verùm sæpe accidit, eum hominem, qui virtute præditus erat, & qui mundi honorem non requirebat, ubi vel ob virtutem, vel ob dignitates, ad quarum verticem elatus fuit, se ab aliis coli, & in honore haberi videt, evanescere in cogitationibus, neque amplius esse, qui erat antea.

Inanis gloria duplici ratione homines fallit.

Ad cupiditatis hujus inanis gloriæ secretum intelligendum, cum Sancto Bernardo notandum est eam duplici ratione hominibus interitum afferre, efficiendo, vel ut de iis, quæ possident, bonis glorientur, vel ut glorientur de iis, quæ minimè possident. Primi illi sunt, qui putant bona seu gratiæ, seu naturæ, quæ possidentur ab ipsis, sibi propria esse, & naturalia, vel saltem fere numquam cogitant, se illa a Deo recepisse, ideoque illi fere numquam accepta referunt, eique gloriam tribuunt, quæ superbiæ species est Deum ad iram, & ultionem irritans. Alteri verò sunt mortales propria existimatione tumidi, egeno ad extremam paupertatem redacto similes, qui nihilominus se locupletissimos possidere thesauros arbitrantur. Status hic cæcitas est periculosa, atque funesta; si quis enim, Apostolus inquit, se aliquid esse putat, seipsum fallit, quia nihil est.

Tres vanitatis species quæ in mortalibus deprehenduntur.

Tres distingui possunt vanitatis species, quæ universos mortales occupant; quarum aliæ delicatæ sunt, aliæ furentes, aliæ tandem ridiculæ. Delicatæ vocantur illæ, quæ ad mentem spectant, eorum propriæ, qui magni haberi volunt, qui ea jactitant bona, quibus a natura cumulati fuerunt, vel quæ studio sibi compararunt, & quæ in seipsis augent bona opinione, ac sublimi conceptu, quem de ingenii sui præstantia conceperunt. Furentem vanitatem, ac superbiæ nomine dignam eorum voco, qui omnia suæ ambitioni sacrificant, qui non metuunt omnia naturæ, & religionis infringere vincula, ut seipsos extollant, vel ut aliquo facinore nominis celebritatem consequantur. Ridiculam denique hominum quorumdam vanitatem appello, qui genus suum, Principum favorem, populique plausus ostentant; hæc omnia extra illos sunt, sed vel in majoribus eorum, vel in vulgi opinione, quæ quotidie potest immutari. Illi verò magis adhuc ridendi sunt, qui ob divitias, vestimenta, familiam, magnificas domos, pretiosam supellectilem, aliaque id genus gloriantur: quæ infirmitas! quæ insania!

De honore, aliis deferendo.

Gloria non facit meritum, illud tantùm detegit, ideoque virtutis existimatio vocatur: honor extrinsecum est testimonium, quod meritò perhibetur. Cum honor hic indigno præbetur, actus est vel ignorantiæ nisi illius, cui defertur, indignitas cognoscatur; vel adulationis, si hæc perspecta, illi nihilominus deferatur; vel prudentiæ, si ad frænandum impetum, ac inhibendos pravos effectus adhibeatur: ita enim fumo ignis suffocatur, quod sane malum non est, nisi aliter possit extingui. Cum verò digno tribuitur, actus est justitiæ cujus interest cuique tribuere, quæ propria sunt; honor autem meriti proprium est. Denique actus est Sapientiæ, quæ hoc pacto eos, quibus meritum adest, ad illud perficiendum, illudque in optimum usum convertendum excitare cupit, eos verò, quibus deest, ad illud laboribus acquirendum studet impellere.

Gaudendū est, si ab iniquis minime celebramur.

Non desunt homines, quorum contemptus majorem honesto viro honorem afferunt, quam laudes; & quemadmodum ab improbis celebrari, honesti hominis nota non est; ita ab iis contemni, qui scelus tantummodo habent in pretio, detrimento non est. Neque ideo putes virtutem ab improbis intrinsecus nauci fieri, verum eum doleant, quod inde absunt; ideoque scelera sua damnari vident eorum moribus, qui virtutem profitentur, dolorem hunc lenire student exteriori virtutis contemptu.

Remediū, quod sæpe Deus vanæ gloriæ affert.

Vanitas virus est, quod amor proprius sensim, & clanculum immittit in cor, quin ne sentiatur quidem; itaut nisi bonitate sua Deus medicinam afferret, venenum hoc in dies magis percrebrescens mortem animæ inferret. Remedium autem, quod sæpe Deus utilissimum, atque præsentissimum putat contra hujusmodi interiora vulnera, est sinere, homines in quædam labi peccata, propter quæ, qui ceciderint, rubore suffundantur. Hujusmodi enim peccatis hæc insita qualitas est, quòd vanitatem enecant, animamque ipsi animæ objiciendo, mirum in modum dejiciunt. Hæc est Sancti Augustini sententia, qui non dubitavit asserere, vanis animabus perutile esse in grave aliquod crimen labi, quo confusione suffundantur, ut verecundia illas a lapsu relevet, quem nimia complacentia pepererat.

Lib. 14. de Civit. Dei cap. 13.

Veritates, quæ esse possunt vanæ gloriæ medicina.

Sanctus Chrysostomus hac in re duas præclaras docet veritates; alteram, quemadmodum inter colores quidam veri sunt, quidam apparentes, & sicuti inter margaritas aliæ genuinæ sunt, aliæ adulteratæ, quas oculus sæpe secernere nescit; ita rebus in reliquis sæpe veritatem cum mendacio confundi: ideoque laudibus hominum fidem non esse adhibendam, non enim dignoscere fas est vera a falsis, & sinceras a fucatis: alteram verò, hominum opinionem non posse mutare naturam, neque substantiam rerum vitiare; æs nunquam esse poterit aurum, licet plurimi æs in aurum mutatum

tatum

tatum esse arbitrentur. Itaque licet improbi virtutem flocci faciant, nihil de pretio ejus deperit; ideoque hominum judicium, & opinio negotium nobis negotium facessere debet, neque debemus propter eorum æstimationem, & approbationem intumescere, vel propter eorum contemptum animos abjicere; sed facere quod faciendum est, neque testes alios nisi Deum nostramque conscientiam inquirere.

Actiones in quibus vanagloria magis est metuenda.

Quamvis hoc vitium in omnibus rectè factis metuendum est, videmus tamen in Evangelio Dei Filium suadentem, ut ab eodem in jejunio præsertim, eleemosyna, & oratione nobis caveamus. Neque ideo putes ab hujusmodi actionibus esse cessandum, ubi aliquis vanitatis sensus suboriri intelligatur, sed opera tibi danda est, ne hoc veneno actiones Deo adeo jucundas, sanctasque corrumpas.

Ratio a vanitate cavendi est laudibus oblatis aures obstruere.

Gustare non debemus ea, quæ in laudem nostram dicuntur; quippe nobis persuasum esse debet, laudem propriè loquendo virus esse, quod mortem plerumque infert quin sentiatur. *Amor laudis periculosissima tentatio.* Duplex est ab ea cavendi ratio. Altera est nosmet dejicere, cum ab aliis extollimur, nostramque indignitatem fateri coram illis qui de nobis ea dicunt, quæ famam, & existimationem nomini nostro possunt conciliare. Altera est silere perinde ac auribus careremus, vel laudes nobis allatæ ad nos minimè pertinerent, ac sermonem immutare, ut quam celerrimè ex ea elabamur occasione, in qua diu citra periculum stare non licet. Prior illa minus certa est, laudantibus enim præbemus occasionem magis, magisque elogia sua producendi, quò magis nosmet deprimere conamur; & facile evenire potest, ut qui primos elusit impetus, repetita oppugnatione vincatur. Altera certior est, laudantis enim oratio statim desinit; sermonis immutatio illum de prima cogitatione deturbat.

Laudes, quæ nobis tribuuntur, per se malæ nõ sunt, sed operæ pretium est bene illis uti, & non intumescere.

Animadvertendum est, quantumvis improba sit vana gloria, tamen laudem, cujus ut plurimum filia est, nihil in se mali habere. Sancti hominum existimationem sibi conciliarunt, ab aliis in pretio habiti fuerunt, & auctoritas, quam meritis suis sibi comparatunt, non minimum profuit, ut Domini gloriam magis provehetent, cum optimo effectu loquerentur, & populis Dei jussa, & voluntatem annuntiarent. Nihilominus adeo rarum est propriis non tangi laudibus, easque in verum usum convertere, ut felix dici possit, qui latentes vixit, qui Deo clanculum famulatus est, & qui numquam eo in statu fuit, ut hujusmodi actiones posset efficere, quæ excipi solent cum laude eorum, a quibus videntur: *Bene vixit, qui latuit.* Et si laudes inter, ac injurias daretur optio, hæ quidem enixius essent optandæ, illæ verò respuendæ.

Amor, & cupiditas laudum affectuum omnium vehementissimus est, & difficillimè cohibendus.

Fatendum est affectuum omnium vehementissimum esse amorem gloriæ. Avarus sua dividit bona, impudicus suarum voluptatum objecta commutat, helluo fatigatur sensibus suis ea tribuens, quæ flagitant; ad ultionem pronus inimici sui malorum, ubi gravia fuerint, miseretur. At hoe ipsum de gloriæ, famæque cupiditate, cui nihil umquam satis est, dici non potest; hæc cupiditas est, quæ semper perctebrescit, neque aliquis umquam laudibus, plausibusque saturatur. Desiderium, atque perquisitio laudum est veluti ignis, qui quò magis progreditur, eò magis inflammatur; atque tu unus, o Deus, illum cobibere, atque exstinguere vales. Ad hæc ista gloriæ cupiditas est injustitia, & scelus magis improbum, & quod magis directè, quam alia, Deum lacessit. Velle enim gloriam, propriè loquendo, idem est ac auferre Deo, quod proprium ejusdem est: *Gloriam meam alteri non dabo*; idem est ac sacrilega usurpatione sibi vendicare, quod Dei est contra id, quod quotidie profitemur: *Soli Deo honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.*

1. ad Tim. 1.

Houdry Bibl. Tom. II.

Constans est apud omnes spiritualis vitæ Magistros sententia, laudes, quibus celebramur, longè magis periculosas esse calumniis, quibus proscindimur, ac minori virtute opus esse, ne injuria affecti doleamus, quàm laudum blanditiis illecti superbiamus. Qui enim nos commendant, & laudant ut plurimùm nobis officiunt, ni diligentissimè nobismetipsis caveamus, atque omnem laudis sensum abjiciamus, itaut nulla ejusdem oblectatione capiamur. At aliter accidit, cum ab aliis arguimur; nam si paulisper nosmetipsos propius inspexerimus, non difficile erit aliquid in nobis deprehendere, quod persuadeat justa dici, & merito de nobis ea cogitari.

Laudes, quæ nobis tribuuntur, sunt magis periculosæ, quam calumniæ, quibus proscindimur.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, recentioribusque Concionatoribus loci hujus argumenti.

Docet experientia cippum, quo defuncti hominis ossa teguntur, ejusdem quoque memoriam obruere. Quid superest tot Principum, Victorumque, quorum olim celebritas universum orbem repleverat? Licet præliis, ac victoriis nomen suum immortalitati commendare studuerint; licet superbas urbes solo æquaverint, ut æternam sibi gloriam acquirerent; licet ingentia sibi poni jusserint mausolæa, quid tandem superest? *Periit memoria eorum cum sonitu.* Eorum memoria cum funebri pompa dissipata est; tempus evertit superba illa monumenta, quæ vanitas eorum extruxerat; eosque ingentium horum ædificiorum obruit ruina; immo nobis etiam cinerum, ac loci, ubi positi fuerant, cognitionem eripuit. *De la Volpilliere. Sermone de S. Benedicto.*

Vanitas terrenæ magnitudinis, & humanæ existimationis.

Psal. 9

Qui inanem persequitur gloriam, jugiter in labore, & actione versatur, seu ad pudorem avertendum, seu ad ulciscendam injuriam, seu ad eluendam calumniam, seu ad eum promerendum honorem qui defertur alteri, seu ad alterum semovendum, qui ejusdem officit gloriæ, seu ad alios in dignitatum distributione prævertendos, seu ad bravium in multorum candidatorum concursu præripiendum, seu tandem ad viam sibi ad aliquem honorem sternendam, ad quam sexcenta curis, ambagibus, nisibus, versutiis, secretis conatibus, artibusque variis pervenire non potest. *Idem.*

Inquietudo, & anxietas inanem gloriã persequentis.

Numquamne, o mulieres, hæc animum vestrum cogitatio subiit, cum circa caput vestrum tot manus sedulò elaborare vidistis, tantum occupatas, ut ex personis vestris tot idola concinnarent, quantum olim Israelitæ mulieres, ut Tabernaculo, & Arcæ Testamenti cortinas, & papiliones acu phrygio depingerent, atque consuerent? Heus! quinam tantus labor impenditur? cui tantus honor defertur? umquamne Deo tantum honoris detuli, quantum mihi ab aliis deferri desidero? Opusne est tot cincinnis, & calamistris peccatrici, in quam si Deus jure suo vellet uti, illam æternæ confusioni, æternoque igni adjudicaret? Numquid umquam vobis in mentem subeunt JESU CHRISTI opprobria, & ignominiæ? Horum participes esse non vultis, quandoquidem gloriæ ipsius vultis esse consortes? Neque metuitis, ne ipse ille vos dejiciat, quandoquidem vosmet humiliate detrectatis? *P. Caillon, in Adventu.*

De mulierum vanitate.

Nonne mirum est, quod Sanctus Joannes fugiat honorem, laudem sibi debitam respuat, se Prophetam neget, eos repellat, a quibus Elias esse putabatur, cum Eliæ & virtutem haberet, & munere fungeretur; nos verò tanta facilitate blandientium laudes excipiamus, ac patiamur encomia illorum, a quibus ob ea etiam laudamur, quæ nobis non insunt? Quis dolor, quæ tristitia, cum nobis non defertur honor ille, quem proprius amor optaret? Quænam cordis amaritudo, cum nobis anteferuntur, vel etiam comparantur illi,

S. Joannis hominum existimationem fugientis exemplum.

qui fortasse meliores nobis sunt? *Ex Manuscripto Sermone.*

Gloria desiderium est fidei obstaculum.

Mundi Salvator olim dicebat Judæis: Quomodo eas, quas annuntio veritates credere potestis, cum vanitati tantummodo studeatis, & quæratis, quomodo gloriam comparetis, ac apud alios in pretio sitis? Hæc non est ad credendum via; doctrina quippe mea docet dumtaxat terrenæ gloriæ contemptum, ac prima, quæ ad eam percipiendam requiratur, dispositio, est humiliter de semetipso sentire, propria abdicare lumina, ac sese tamquam docilem puerum præbere. Quis crederet (Auditores) ad obscurissima detegenda mysteria omnem mentis, ingeniique vim esse amovendam? Quis crederet unicam viam, qua ad supremam perveniri possit sapientiam esse intra sanctæ ignorantiæ terminos sese continere? Hoc mundi Sapientes, ac superbi Philosophi inani gloria inflati, ac tumidi intelligere non potuerunt: hoc eorum mentes contra Evangelium exacuit, effecitque, ut illud putarent insaniam. Cum veritas sese illis obtulit, ut sua ipsis lumina communicaret, illam dedignati sunt, tamquam sordidarum, humiliumque animarum propriam, quas gloriæ cupiditas minimè movet, quæ una ingenia sublimia a vili plebe secernit. *Idem.*

Nosmet laudare nō debemus, neque recte facta ostentare.

Cave, ne ea, quæ bene facis, alteri dicas; hoc enim. *Tuba canere* in Scripturis vocatur; nisi forte quodammodo te charitas cogat, quemadmodum aliquando Sancto Paulo accidisse comperimus. Immo neque illa animo reputa, nec ea, quæ fecisti bona, repete cogitatione, ne eorum oblectatione capiaris. Hoc enim Scriptura his verbis indigitat: quod facit sinistra tua, nesciat dextera, alioquin mercedem omnem amittes. Dei oculis tantum ut placeas operam navare debes; hic unus te videt, hic remuneratur. At non remunerabitur eo modo, quo te videt; te enim clam videt, sed palam, & coram omnibus remunerabitur. Quod videt, parum est, quia in te est, sed quod tibi tribuet, in ipso est: quod videt, creatum est, ideoque magni faciendum non est, at quod largietur infinitum est, quippe est ipse Deus. *Ex Manuscripto Sermone.*

Quid faciēdum, cum non requisitis laudibus decoramur.

Si ex me quæritis, quid vobis faciendum, cum laudamini; cum Sancto Augustino respondeo laudes, cum falsæ sunt, esse rejiciendas; cum veræ sunt avertendas, vel contemnendas, & cum deferuntur, semovendas, ac uni Deo referendas: Hæc tria sunt eximia christianæ charitatis elogia. Eas excipere quas non meriti sumus, furtum est, & injustitia: cum voluptate eas delibare, quas nos mereri censemus, vanitas est, & insania: illas, quæ deferuntur, sibi vendicare, quin referantur ad Deum, sacrilegium est, & idololatria. *Ex Morali Dictionario de humilitate.*

Facile est honore, qui nobis defertur, abuti, ac superbire.

Fatendum est longè facilius esse eo, qui nobis defertur, honore abuti, quam uti; & quemadmodum Salvator asseruit, rem maximè difficilem esse, quod dives æternam salutem consequatur, ita citra quemcumque erroris metum dici potest, difficillimum est, quod qui ab omnibus celebratur, & colitur, salutem suam operetur. Et constat ratio: Honor enim aliud non est, nisi testimonium, quod perhibetur alicui de virtute, atque præstantia, quæ in eodem deprehenditur; unde fit, ut qui ab aliis celebrantur, facile de se ipsis bonam opinionem concipiant, seque dignos iis laudibus putent, quibus decorantur, merito suo adscribentes id, quod adulatio, vel aliena nobis defert utilitas. Hæc autem fallax existimatio, quam de se aliquis concipit ita cor inflat, ut sibi ob proprias perfectiones complaceat; quamvis plerumque fictitiæ sint, & inanes; atque mox alios contemnat, & nonnumquam etiam non ferenda superbia intumescat. *P. Duneau, Sermone pro Dominica 15. post Pentecost.*

Vana gloria omnes actiones, & rectè facta Ethnicorum corrumpebat.

Cum antiqui Romani gloriæ cupiditate maximè ducerentur, virtutem exercere adnitebantur, ut gloriam acquirerent, atque præclarum aliquod facinus edere conabantur, ut laudes mererentur. Vanitas tunc omnia eorum consilia, ac facta regebat; si patriam tutabantur, si subditis præerant, si cum hostibus decertabant, magis amore gloriæ, quàm zelo justitiæ ducebantur. Licet mentem hanc simulare adniterentur, hæc tamen in omnibus operibus suis elucebat; & cum in eorum labiis frequens justitiæ nomen adesset, satis intelligebatur vanitas delitescere in corde. *P. Sennault. Libro de Corruptione naturæ per peccatum.*

Vanitas fuit veterum Philosophorum noxe.

Hujus criminis rei veteres erant Philosophi; vanitas excæcabat Socrates, atque Platones, atque hæc delicata gloriæ cupiditas perdidit quidquid præstantium ingeniorum in Atheniensi, Romanaque Republica floruit. Aliis, quibus tantum non erat acuminis, satis erant plausus populorum, neque aliud virtutum suarum pretium, quàm triumphos, trophæa, & victorias expectabant. Et sanè de divina conqueri nequeunt justitia, quæ illos voti damnavit, atque actionibus eorum sua accommodans præmia, falsas eorum virtutes fallaci coronavit honore; eorumque labores tot laureis remunerata est, omnesque populos ambitioni eorum, ac insatiabili gloriæ, imperiique cupiditati subjecit. Hæc est Sancti Augustini sententia: *Non est, quod de summi, & veri Dei justitia conquerantur, receperunt mercedem. Lib. 5. de Civit. Dei cap. 15. Idem.*

Ideo vivimus, ut Deum glorificemus, atque Dei gloriam nobis usurpare debemus.

Deus, qui unicè ad gloriam suam hunc terrarum orbem creavit, non enim alium in actionibus suis ampliorem finem proponere poterat, hominem in terris posuit, ut cæterorum animantium laudes eidem offerret; quamobrem nulla res est, quæ tantum illi dolorem afferat, quàm videre eum, quem laudum suarum sequestrem constituit, fieri earumdem usurpatorem. Homo virtute præditus est veluti Moyses de monte, ubi cum Deo fuerat collocutus, descendens. Mortales omnes capti fulgore, qui ex facie illius enitebat, illi plaudebant, uno illo fulgoris hujus nescio. Virtus similiter quocumque suos radios emittit, seu se illos emittere ignorat, vel nisi ignorat, rubore suffunditur, resistit honori, qui sibi defertur, se ipsam negat; & quò magis ab aliis extollitur, eò magis se humiliat, quò magis honoratur, eò magis se deprimit. *Auctor Anonymus.*

Homo omnia facit, & patitur, laudes sibi conciliaturus.

Nihil jucundius est, quàm laudari; reipsa nulla vita est, licet austerissima, quam minimè amplectamur, cum sciamus futurum, ut hominum laudes consequamur; nulla opus est gratia, ut eam suscipiamus, natura satis virium nobis suppeditat; ideoque Sanctus Bernardus ait, nos minus laborare in iis perficiendis, quibus nequaquam tenemur, atque inter gravissimos errores, illud esse periculosissimum, cum ea prætermittimus, quæ a nobis jure facienda sunt, ut operibus supererogationis vacemus. Quare? quia non deest gloria quædam, quæ universa nobis efficit facilia; cum e contra ea facientibus, quæ nostri muneris sunt, non aliam nisi inutilium servorum laudem mereri possumus. *P. Bourdalove.*

Deus gloriam suam nemini vult cedere.

Rerum a se Creatarum utilitatem nobis relinquit Deus, gloriam verò omnem sibi reservat. Hanc nemini cedere aut vult, aut valet: hoc divinitatis suæ jus est, quod alienari non potest: hoc imperium est, quod ab illius corona nequit separari; quod si quis usurpare audeat, novit ille quidem suum asserere, atque tueri. *Gloriam meam alteri non dabo.* Hinc illa oritur inimicitia, quam contra superbos suscepit; hinc bellum, quod illis indixit; hinc minæ, quas toties illis in Scriptura intentavit, se illos eò magis dejecturum, quò magis voluerint extolli. *Liber cui titulus: La Vie reglee dans le monde.*

Nihil enixius commendavit Deus, quā gloriæ contemptum.

Nulla veritas est, quam Dei Filius enixiùs in Evangelio commendatam voluerit, & quam difficiliùs ipsis etiam Apostolis persuaserit, quam terrenæ gloriæ contemptus. Non semel illis dixerat,

a se

a se novum inter subditos suos ordinem constitui: opus esse, ut qui omnium primus erat, postremum occupare locum affectaret; illum, qui inter discipulos suos dominus esset, omnibus famulis inservire debere; neminem sese attollere posse nisi per humilitatem: hæc omnia illis dixerat ad vanæ gloriæ contemptum illis immittendum satis apta; attamen liquet ipsos pridie quam Magister illorum moreretur inter se oratione certasse, quis eorum esset major. *P. de la Colombiere in Christianis Considerationibus.*

Gloria Deo uni debetur, & homo ingratus est, si hanc illi aufert.

Satis constat, Dei esse laudes exigere, & a creaturis, quæ illius beneficiis cumulatæ fuerunt, & quotidie cumulantur, laudari. Hic fructus est gratitudinis, quam jure ab illis debet expectare; hæc illa gloria est, cujus zelotes est, quandoquidem eam se nulli communicaturum profitetur: *Gloriam meam nemini dabo.* Paratus semper cæteris quibuscumque bonis in nos effundendis, numquam tamen hanc gloriam relinquit, quæ ad ipsum unum pertinet; hic enim primus est suæ justitiæ ordo; hic finis, & fructus operum suorum; & quomodo facere nequit, quo minus creaturas suas cumulet beneficiis, cessare quoque non potest, quominus inde referat gloriam. Superbus autem occupare studens Dei locum in mentibus aliorum hoc pacto vult quoque sibi vendicare partem gloriæ Dei seipsum plurimi æstimans, & ab aliis etiam cupiens æstimari: in corde suo, & alienis etiam cordibus illum contendit occupare locum, quem sibi uni Deus reservavit, & quemadmodum humanum cor thronus est, ubi Deus regnare vult super terram, videtur hac ratione superbus Deo velle fieri æqualis. *Ex Manuscripto Sermone, qui P. Massillon esse perhibetur.*

Isaia 48.

Vanitas omnes virtutes evertit.

Vanagloria nonne in eos etiam irrepit, qui majoribus sunt ornati virtutibus? Et licet non æquè noxia sit, ac superbia, nonne saltem omnes virtutes aufert, quas in illis deprehendit? Satis enim est earum laudes, & encomia perquirere, ut illarum meritum, fructusque amittatur. Quis autem ex iis, qui virtutibus magis prædiri sunt, secretam hanc vanitatis tentationem non sentit? Nonne hic laudum amor omnem rectè factorum fructum decerpit, ac dissipat? Inter eos, qui meliori fide operantur, ac maxima simplicitate nonne hoc vitium maximè naturale est? Statim ac in se aliquem virtutis sensum percipiunt, nonne ipsi quidem sibi complacere, alios verò contemnere solent? Statim munerum suorum obliviscuntur, ut commentitiæ perfectionis suæ recordatione pascantur. Si clam aliquid laude dignum committunt, nonne illico illud in lucem proferre gestiunt? quod si ipsi palam prædicare non audent, nonne aliis curam ejus rei amplificandæ relinquunt? Hoc pacto inanis gloriæ cupiditas cor, mentemque plurimorum fidelium corrumpit. Nihil prodest ex animo alia expulisse vitia, satis est huic aditum aperuisse: parum juvat virtutum collegisse thesaurum; hoc enim vitium satis est ad omne earum meritum auferendum. *Idem.*

Hominum laudes quærendæ non sunt.

In pietatis, virtutisque actionibus satis esse debet oculus Dei, quin oculus hominis emendicetur, & requiratur; atque conscientiæ nostræ testimonium uberrimus est eorum laborum fructus, quibus in pietate excolenda exercemur, quin hominum exquiramus approbationem, quorum intuitus, & existimatio nihil conferunt, ut bonæ actionis pretium augeatur. Cur autem tantopere laboremus, ut humanos plausus mereamur? Deo uni placere debemus: *Cui vivendo operam damus, huic nos approbemus*, ajebat Ethnicus quidam, qui hac in re nobiliores fovebat sensus, quàm Fideles quamplurimi. Quid prodest nos ab hominibus virtute præditos haberi, si Deus hoc falsum esse cognoscat? & quid ad nos, si ab hominibus tales non habeamur, cum Deus tales esse judicet? Hac de causa Isaias propheta testatur Dei judicium iis præferrim gravissimum futurum, qui externa tantum virtutis specie oblectantur: *Dies Domini super omne, quod visu pulchrum est.* Quandoquidem merces nostra ab hominibus nobis expectanda non est; virtutum nostrarum merita, ac veritas non sunt ex eorum sensu, oculisque metienda, sed ex oculis Dei unius, qui eorum futurus est judex, & remunerator. *P. Grizel, Sermone de Vanagloria.*

Opera bona facienda non sunt, ut videantur ab hominibus.

Dei Filius nequaquam omnino prohibet, ne opera nostra bona ab hominibus videantur: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona.* Cum hæc sint opera lucis; dies, non autem nox pro illis facta est; hoc est non tenemur semper secreta conquirere loca, & recessus, ubi fiant: illud verò prohibetur, ne faciamus ea, ut ab hominibus videamur, quemadmodum hipocritæ Evangelici facere consueverant: *Omnia sua opera faciunt, ut videantur ab hominibus*, & hoc explicitè Salvator vetat: *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* Ubi non ait simpliciter, opera bona non esse facienda coram hominibus, sed ait facienda non esse ut videantur, atque hoc pacto humanæ laudes, plaususque concilientur; quia tunc bonum, quod pertinet ad Deum in criminosos usus impenditur. Opus bonum non est uni referendum homini illud facienti, sed Deo ejus faciendi gratiam tribuenti; ideoque ipse Dei Filius vult ab hominibus ea videri bona, quæ facimus: *Ut videant opera vestra bona*; non ut in hoc moremur intuitu; sed ut altius illum provehamus. Quò autem? ad gloriam Dei: *ut glorificent Patrem vestrum.* Videant ea, quæ bene, sanctèque a vobis fiunt, non ut vos laudibus cumulent, sed ut inde mentem ad Deum attollant, ejusque glorificandi occasionem arripiant. *Idem.*

Matth. 5.

Matth. 6.

Matth. 5.

Quam fragilis sit gloria, quam ex bene factis in terra percipere quærimus.

Si considerare velimus gloriæ qualitatem, qua vanitas ea, quæ bene facimus, hic in terris remuneratur; nomen vanæ, quod hæc illi appingit; satis ostendit, non esse eidem fidendum. Ea quippe adeo fragilis est, & caduca, ut brevi corruat; adeo exilis est, ut nullum corpus habeat; ideoque SS. Patres ad illius vanitatem quidem exprimendam ex iis, quæ in terris sunt magis inania, ad brevitatem verò indigitandam ex iis, quæ magis fluxa, atque fragilia, imagines sunt mutuati. Dicere satis est illam ab hominum opinione, & ore pendere; illi non majorem inesse soliditatem, quàm verbis eorum, neque majorem diuturnitatem, quàm tempus, quo ea proferuntur. Quapropter Sanctus Augustinus ait, eum qui gaudium suum in vano plausu constituit, super fundamento laborante, atque nutante ædificare; lingua enim hominis nihil solidum habet. *Idem.*

De terreni honoris, & gloriæ vanitate.

Cogita primum honoris brevitatem, qui tandiu viget, quandiu ardor populi commoti, ac singulis momentis opinionem mutantis. Deinde, numquamne tu ipse expertus es hujus honoris cui nihil solidum inest, ruinam, & vanitatem? levis aura, non aliud; inanis fulgor statim evanescens; sonitus aurem feriens, ac statim quiescens; tumultuaria acclamatio, quæ majorem strepitum edit, quàm afferat fructum. Ad hæc mundi ignorantiam considera, qui sæpe in gloriæ distributione decipitur, quam non merenti benigne largitur, merenti verò detrectat. Præterea quæ in ejus plausu inconstantia deprehenditur! Quot nobis ob oculos versantur illorum exempla, quos nudius tertius populus venerabatur, & quos non multo post contrivit, dejecit, ac per compita, atque trivia detraxit? *Idem.*

Post honorem, & gloriam major est confusio.

Confusio, cui gloria præcessit, eò magis crescere videtur, quò major fuit honor, quem est subsecuta. Profectò si post confusionem gloria aliquam habet suavitatem, atque si homo de caligine, & squalore carceris eductus, diei radiis majori cum lætitia perfruitur, quàm nisi calamitas illa præcessisset; potiori jure dicendum est, animum, qui malis hujus vitæ dolet magis, quàm bonis gaudeat, post exantlatos honores recenti ignominia gravius

affectum iri, quàm si hoc illi accidisset infortunium absque quod antea affectus fuisset honore. Et ratio constat; cum enim humana mens natura sua feratur magis ad labores, doloresque suos exagerandos, quàm leniendos, ubi se de honoris gradu in ignominiam delapsam videt, facere nequit, quominus præteriti temporis cum præsenti comparationem instituat; & quamvis præteritum jam elapsum sit, ac illius tantum memoria supersit; hoc minime prohibet, quominus augeat pudorem, doloremque suum, & quasi præteriti temporis fulgor adhuc vigeret, putat, inde confusioni suæ cumulum accedere, quod per illum magis hominum oculis exhibeatur conspicienda. *Idem*.

De vanitate, & vanagloria, & quod nobis afferant malum.

Quid autem prodesse tibi potest in pretio ab hominibus haberi? Nullum bonum est, quod inde expectare possis, immo gravissimum est illinc expectandum malum. Illi ipsi, quos habere cupis testes eorum, quæ bene operaris, fiunt latrones illum eripientes thesaurum, qui in cœlo tutò collocandus est. Vel dicam melius, non illi, sed tu ipse hunc eripis thesaurum, & hoc depositum, quod in Dei ipsius manibus habes. O novam furti speciem! quod neque ærugo potest corrumpere, neque fures auferre momento inanis gloria corrumpit, & aufert. Hæc tinea est illud ipsum depascens, quod est incorruptibile; fur est, vim suam in cœlum usque proferens, thesaurum tuum eripiens, regnum auferens tibi, omnibusque te illius æternis opibus exuens. Cum enim sciat Dæmon, thesaurum hunc, quem thesaurizamus in Cœlo, vi suæ non patere, neque vel ærugine vitiari, vel a latronibus auferri, vel nullis ipsius insidiis labefactari posse; ad illum rapiendum inani utitur gloria, ac per eam facit, quod per se facere non potuisset. *Ex Divo Chrysostomo in Sanctum Matthæum*.

Fragilitas inanis gloriæ.

Videmus quotidie reliquias, quæ adhuc supersunt, insignium actionum, quas præteritorum sæculorum Heroes, atque Imperatores edidere, in dies singulos evanescere, ex memoria nostra deleri, atque alto obrui silentio. Videmus eos qui urbes ædificarunt, insignes victorias retulerunt, integros populos ditioni suæ subegerunt, qui sibi trophæa, ac simulacra collocari jusserunt, & qui exercituum suorum terrorem in omnes terrarum plagas attulerunt, sensim in hominum oblivionem cecidisse, ut vix eorum nomina cognoscantur. *Idem*.

De gloriæ cupiditate.

Gloriæ cupiditas mira est animi affectio, quæ sexcentis sese variis rationibus effert. Quidam, ut in honore habeantur, principatus affectant, alii opes, alii corporis vires, & robur desiderant. Tyrannicus hic affectus longiùs adhuc procedens, efficit, ut quidam eleemosynis, alii jejuniis, alii precibus gloriam aucupentur, tot varia capita, ac facies huic insunt monstro. Mirum esse non debet, si homines in mundi hujus magnificentia, ac fulgore gloriam inquirunt; sed mirum est, nec satis unquam vituperandum, quod ex bene factis, ex jejuniis, precibus, eleemosynis inanem gloriam perquirant. Fateor equidem me summa animi ægritudine confici, cum video actiones adeo sanctas secretæ hujus vanitatis veneno corrumpi; malum hoc tanta me tristitia dejicit, quanta si viderem insignem, nobilemque virginem educari, atque exornari; ut in omne libidinum genus prostitueretur. *Idem, Sermone 69. in S. Matthæum*.

Pati non possumus eos, qui res suas jactitant, ac gloriantur.

Nemo nobis magis accidit importunus, quàm qui gloriæ cupidus seipsum laudibus celebrat, thus sibi adolet, ac inani pascitur fumo. Id genus hominum vanitas videtur, & quò altius illos sese attollere intuemur, eò magis illos deprimere adnitimur. Et sane quo magis mundum consectamur, inde gloriam percepturi, eò magis a nobis ille recedit, ac nos illudit. Ita prorsus oppositum nostris accidit votis; optamus mundo esse admirationi, illum nos videntem exclamare: Quam bonus est iste? quam effusus in pauperes? Quam virtutum luce coruscans! At e contra dicet: Quam vanus est! Quam facile intelligitur, id quærere, quomodo hominibus potiùs placeat, quam Deo? Sin autem bonum, quod facis, celare contendes; tunc ille te laudibus prosequetur. Deus ipse tot rectefacta diu latere non sinet; si illa suffocare conaberis, ipse ea in apricum proferet, eaque longè notiora efficiet, quàm tu facere potuisses. Vides ergo nihil magis adversari gloriæ, quam perquirimus, quàm bene agere, ut videamur, & celebremur ab hominibus. Oppositum facere debemus illi, quod cupimus; etenim quin virtutem nostram insignem faciamus, causa erimus, quod vanitas nostra ab hominibus quidem agnoscetur, a Deo verò punietur. *Idem*.

Vanitas efficit ut in ludibrium traducamur.

Vitium hoc ita omnia rationis lumina extinguit, ut qui eidem obnoxii sunt, de sana mente dejecti videantur. Dementem illum putaremus, qui tribus tantùm cubitis altus, se montis magnitudinem exæquare contenderet, cui hoc persuasum esset; & qui caput etiam extolleret, ratus se altiora montium cacumina superare: Post insanissimum hoc factum nullum ulteriùs dementiæ argumentum exquireremus. Ita cum vides hominem, qui se pluris, quàm reliquos facit; & qui dolet, eo quod cum aliis hominibus vitam vivere debet, ne alia insaniæ ejusdem inquiras testimonia. Eò magis irridendus est, quàm illi, qui rationis usum amiserunt, quod ultro in hanc insaniam irruit, atque dementiam. *Idem Sermone 58*.

Qui verè virtutibus præditi sunt, hominum existimationem contemnunt.

Populi plausibus ne afficitur quidem qui suæ virtutis est conscius; & eò majorem meretur gloriam, quò magis illam flocci pendere videtur. Qui nimis sollicitè mundi æstimationem consectantur, in hac ipsa vita bonorum operum suorum mercedem recipiunt, & nihil pro æternitate merentur. Sensus hic ex Evangelio decerptus est; verè dico, has omnes eleemosynas quæ tanta pompa, ac fulgore erogantur, ne minimum quidem nobis ad salutem prodesse. Qui buccina clangunt, ut ea, quæ ab ipsis bona fiunt, omnibus comperta, explorataque fiant, jam receperunt mercedem suam, ac ii qui sua ostentant jejunia, & mortificationes, omnia horum merita amittunt. Docet Dei Filius opera nostra bona clam esse facienda. Deo uni, non hominibus ut placeamus, adnitendum est; merces quam ab hominibus recipere possumus fluxa est fragilisque; Deus vero æternum, ac infinitum nobis præparat præmium. *Ex D. Ambrosio*.

Singularitas vanitatem inspirat.

Nihil viris bonis vanitatem facilius potest immittere, quàm singularitas, Divus Bernardus ait; gaudemus, ubi inter alios enitescere videamur, & in professione, ordineque nostro principes, atque sancti alicujus facinoris capita existimemur. In dominatione, atque superioritate naturalis quædam invenitur oblectatio, quam non ita facile ipsa etiam Christianæ Religionis compescit austeritas; nominis celebritatem sibi comparare quisque studet, aliosque existimatione prævertere; cumque ipsa devotio solida non est, duo devoti sibi consentire non videbuntur. Ara contra Aram erigitur; virtutes virtutibus opponuntur; in partes hinc inde disceditur; uterque suos discipulos habet, alter Apollo est, Cephas alter; uterque sibi sanctitatis principatum vendicat; nonnumquam etiam ultrò citroque sibimet fidem abrogare contendit; hunc charitatis defectum conscientiæ suæ debitum putat, & quin charitatis æmulatione contendat, existimationis, & gloriæ contentione decertat. *Flechier in Panegyrico S. Antonii*.

Quam periculosa sit vanagloria.

Centies dictum fuit, inanem gloriam bonum esse vitro ipso fragilius; verùm hoc minime prohibet, quò minus virtutes ipsæ, quæ melius confirmatæ videntur, quotidie in formidabilem hunc scopulum allidantur. Illa vento simillima est, cui toties fuit comparata; cum enim levissima rerum omnium sit, tamen firmissima quoque quatit ædificia, crassioresque arbores convellit. Jure dici potest

ex

ex omnibus vitiis nullum extitisse, quod tot animas in via pietatis deterruerit, nullum quod de sublimi perfectionis apice plures in teporem, immo etiam in improbitatem dejecerit. Cætera vitia uni tantum virtuti adversantur; hoc omnibus; idque huic peculiare est, quod quin infirmetur, prout illæ magis convalescunt, & roborantur, eum ipsis quodammodo reficitur, ut confirmatur; quoniam homines vanægloriæ numquam sunt magis obnoxii, quam cum in se vera adesse merita intelligunt. *P. de la Colombiere in Christianis Considerationibus.*

Eorum miseria, qui propter inanem gloriam operantur.

Hujus viæ homines miseri profectò sunt, quoniam omnes crucis spinas patiuntur, quin sperata possint se illius fructu perfruituros; quoniam sanctitatem deserunt, postquam eos omnes perpessi fuere labores, qui ab eadem alios deterrent; & per angustam viam quæ ad Paradisum adducit, ad infernum festinant. Sed licet miseri, misericordia tamen indigni sunt; quia ultro amplectuntur quidquid in virtute arduum est, ac difficile, quin virtutem ipsam amplectantur; in illa odisse videntur illud unum, quod amabilius in ipsa invenitur, ac sibimet eas omnes excusationes auferre, quas alii invenire possunt in iis difficultatibus, quibus illa est circumsepta. *Idem.*

Plura inania gloriæ studio, quà propter Deum, salutemque nostram operamur.

Longè plura pro vanagloria, quàm pro salute nostra patimur, & nescio utrum potior eorum, qui christianam vitam ducunt, pars salutem omnino impossibilem judicarent, si ea omnia, quæ vanitas jubet, essent efficienda. Non loquor de Scribis, & Pharisæis: nemo unus ignorat, hos hypocritas sese austeritatibus ad maciem redigere, ac omnium bonorum suorum decimam partem pauperibus erogare consuevisse. Loquor autem de plurimis piis hominibus, qui omnem laborum suorum fructum amittunt, quia non alium sibi proposuere finem, quam spectatores habendi, qui exiguum laudum thus statim pro suis laboribus, suisque austeritatibus persolverent. Quam miserum est, eos homines, qui alioquin adeo sapientes sunt, bene morati, virtutibus præditi, & qui spiritualibus divitiis onusti esse debere viderentur, cum morti sunt proximi, bonis operibus vacuos esse, quod amor gloriæ quæcumque eorum bona corruperit, & dissipaverit! At quænam erit extremo Judicii die eorum futura confusio, cum Deus omnibus eorum sordes, atque insaniam palam aperiet? *Idem.*

Contemneris, novo honoratus ubi inanis gloriæ studiosus deprehenderis.

Si actiones vestræ spectentur, quid est, quod quæritis, numquid periculum est, ne non intelligatur ex ea ratione, quæ vos ad agendum inducit? Et profectò difficillimum est celare diu ingentem placendi cupiditatem; non semper nobismetipsis cavere possumus; affectus plurimos exitus habet secretos, per quos nobis invitis sese prodit tunc etiam, cum minimè cogitamus. Quo in pretio autem habeantur, qui laudari cupiunt, & qui hoc unicè inquirunt, probe nostis. Mirum est, nihilominus verum, ne mundo displiceamus dissimulandam esse diligentissime eam, qua eidem placendi flagramus, cupiditatem: illos tantum colit, qui nihil propter ipsum operantur: luditis operam si propter illum aliquid facitis; si enim agnoverit, vos, ut sibi placeatis, adlaborare, se jam ea persolvisse putat, quæ vestris erga ipsum officiis deberi posset existimare. *Idem.*

Quidam laudem putat, quæ mera est adulatio.

At enim fortasse inquies te satis uberem laborum tuorum ferre fructum, quoniam te ipsa laudaris, omnesque non vulgaris existimationis notas recipis; sed proh Deus! cur ita temetipsum fallere oblectatis? Parumper diligentiùs considera, quid accidat in vita, ac invenies insignes has existimationis notas nequaquam id significare, quod reris; atque cognoscens hæc ipsa encomia vulgò cuicumque deferri, & a te quoque quotidie iis tribui, quos tamen nullo habes in pretio. Quisnam hodie non laudat, seu ad mutuas sibi redimendas laudes, seu ad animos hominum captandos, quos fere omnes assentationibus pervios esse non fugit? Numquamne coram eos laudibus ornari audistis, de quibus plurima eorum nomini non satis æqua dicta fuerunt, ubi integrum fuit, animi sensus proferre? Nonne mortalium omnium stultissimus sum, si solum me putem bona fide laudari, atque de me sincerè dici quæ ad alios per irrisionem, vel ad summum ob nescio quod urbanitatis officium, quod consuetudo fere necessarium effecit, dicuntur? *Idem Pater de la Colombiere.*

Quomodo Dæmon opera nostra bona vanagloria corrumpit.

Bona opera, quæ Dæmon prohibere non potuit, vanagloria corrumpere adnititur; quemadmodum Pharao cum non posset steriles efficere Judæorum mulieres, filios earum vix natos, vel saltem, ubi nati deprehendebantur, jussit suffocari. Intentio prava est tamquam obstetrices illæ, quæ eodem tempore, quo ex matrum alvo pueros educebant, eosdem jugulabant; & vanagloria est veluti satellites illi, qui aquis submergebant pueros, qui ex Ægyptiarum obstetricum manibus evaserant, statim ac ab illis deprehendebantur. Hac de causa opera bona celanda sunt, quemadmodum Moysem mater abscondit: *Quæ concepit, & peperit filium, & videns eum elegantem, abscondit eum.* *Exod. 2.* *Idem.*

Inutilitas eorum, qui pro inani gloria laborant.

Victoriæ nostræ arma sunt, quibus utitur Dæmon ad victoriam de nobis referendam, inde occasionem arripiens vanam gloriæ cupiditatem nobis inspirandi. Plurimum laboramus, nihil lucramur, amittimus omnia, servi sumus mundi, servus indesinenter laboribus exercetur, omnisque laborum ejus fructus ad illius Dominum pertinet. Fumum sequimur, quem numquam apprehendimus; thesauros, quos in manibus habebamus, relinquimus; festinamus Deo placere, & hominibus; & his quidem non placemus, illi verò maximè displicemus. *Idem.*

Indignum est pro vanagloria laborare.

Difficile est simul coram Deo, & hominibus gloriam acquirere; ac fieri nequaquam potest, ut veram acquiramus gloriam, si illam quæ ab hominibus, illi, quæ a Deo procedit, anteferamus. Quam igitur majorem sibi mortalis inferre potest injuriam, quam hac in optione decipi? & nonne maximam quoque infinitæ Sapientiæ contumeliam adfert, qui illius existimationem inani mundi hujus gloriæ censet posthabendam? Quomodo istud cum Evangelio conciliari potest? nonne hic e contra mos est, ac spiritus Ethnicorum? Ita nihilominus in ipso Christianæ Religionis sinu consuevit, ubi conatur Dæmon idololatriæ inanis gloriæ, terrenique honoris subrogare cupiditatem: qui enim omnia ad propriam refert gloriam, hic fit Deus suimetipsius. *P. Dozenne in morali JESU CHRISTI loquens de humilitate.*

Injustum est laudari velle.

Quænam causa est, propter quam coli, laudarique cupis? bona, quæ possides, tua non sunt; sed ex omnibus bonis, omnium minimè, honos ad te potest pertinere. Præcipuus enim creaturarum finis gloria est Creatoris; & in mundo inutilis est, qui non adnititur eum colere, qui mundi hujus est dominus. Sed te dignum præbes contemptu illius, si ab hominibus in pretio haberi contendis. *Idem.*

Magna vanitas est generis nobilitatem ostentare.

Ne glorieris coram hominibus, quod tibi nomen & illustre, ne quantum alius generis prælas nobilitata, tantum actionum indignitate illis inferior sis. Quin eam affectes gloriam, quæ ab hominibus proficiscitur, utile est, quodammodo amovere gloriam, quæ procedit a Deo, illi clypeum humilitatis opponendo. Improbus homo qui præclara patris sui facta jactitat, vel discipulus nequam, qui magistri sui eximias dotes commendat, quin sibi honorem, atque existimationem comparet ita in alieno demetens agro, dedecus sibi conflat, & ignominiam; quilibet enim ex eo quærere posset, quomodonam, arbor tam bona inutilem ramum protulerit? *Idem.*

Deus Sanctis eorum

Sæpe usuvenit, ut in iis, qui solidam non habent

Virtutes abscondit, ne superbiant.

bent virtutem, virtus ipsa vanitatem producat; cum illi, qui in virtute firmas radices jecerunt, seipsos humilient; rati sibi deesse virtutem; & hæc felix boni, quod possident, ignorantia efficit, ut dæmon illis eripere nequeat, quod ipsi nequaquam possidere arbitrantur; vel ut illi Dei favores considerent veluti tot debita, a se numquam dissolvenda. Sed præterea norunt, quò plura sunt merita Sanctorum, eò magis illis metuendas esse dæmonis insidias, quemadmodum navis opibus onusta faciliùs a Piratis impetitur. Verbo; Deus sæpe nobis oculos claudit, ut virtutes, quas possidemus, nobis abscondat; dæmon verò e contra in nobis eas ostendit virtutes, quas minimè habemus. Hæc verò infelicitas nostra est, quod malumus oculos aperire, eosque conjicere in ea, quæ vanitati nostræ blandiuntur, quàm quæ nos pudore suffundunt. Ita amor proprius in mente nostra eam nostrum describit imaginem, ex qua veros defectus, qui nobis adsunt, expungit, in eorum locum fucatis coloribus fallaces virtutes substituens. Sed licet has re ipsa haberemus virtutes, quas falsò in nobis adulatio commendat; hominum encomia, eas nobis ad cogitandum proponentes, efficerent, ut quamprimum evanescerent: cum e contra, a nobis non cognitæ, felicius serventur. *Idem.*

Major requiritur virtus ne laudibus, quam ne injuriis moveamur.

Sublimis quidem requiritur sanctitas, ne alienis offendamur injuriis, atque ut eas hilari, libentique animo excipiamus; at longè perfectiori sanctitate opus est, ne laudibus vitiemur, atque ut illas ægrè, gravatèque feramus. Virtus ut plurimum auroræ similis pleno die dissipatur, neque propiùs unquam suum attingit finem, quàm cum micat fulgidiùs. Si sanctitas debet aliquando coram mortalium oculis apparere, suis numquam apparere vult. Cave igitur, ne tu ipse de virtutibus tuis loquaris, eam prætexens causam, futurum videlicet, ut illis, qui eas audierint, prosint: nihil enim proximum tuum magis ædificare potest, quàm humilitas tua. *Idem.*

Laudum cupiditas sæpe injusta.

Undenam hæc oritur inexplebilis laudum cupiditas, licet illas non mereamur; atque extrema hæc alios, quos laudibus verè dignos censemus, laudandi repugnantia? Sane Regius Propheta meritò ait, filios hominum vanos esse, & mendaces in judiciis suis: sibi enim vendicare, atque appetere laudem sine meritis, ac in aliis meritum cum laude pati non posse, hæc nonne simul est insana vanitas, insignisque injustitia? Ille solus æquus est, qui de rebus ita judicare vult, ut reipsa sunt, & esse bona fide creduntur: sed præstat magis se credulum in aliorum gratiam, quam suam præbere; licet sæpe contingat, utrobique nos falli. Post omnia tandem, ubi de laudibus agitur tutum non est humana sequi judicia: Deus unus est, a quo sumus judicandi. *Idem.*

Sancti omnem aliquam suarum gloriam in Deum rejiciunt, quin vel exiguam sibi reservent particulam.

Bonus Dei servus, cum Domini sui gloria per ipsum traducitur, non patitur, minimam illius partem in manibus suis permanere; neque gloriatur, quod ipsum dignatus fuerit Deus potentiæ suæ instrumentum efficere. Hoc in sensu S. Bernardus dicebat: qui me laudant, cooperiantur confusione, & ego videar illis ita contemptibilis, ut me tot laudibus celebrasse erubescant. Utinam tantùm coram hominibus dejiciar propter veros defectus, qui contemptu digni in me reperiuntur, quantùm propter fallaces virtutes omni indignas existimatione commendor. *Idem.*

Periculum amantium, & quærentium laudes.

Quoties avidi laudum, quæ vobis non debentur, eas deperitis? Sub pedibus vestris feruntur flores, quos conculcare deberetis; sed ex illis vobismet corollas efficitis. Licet in vobis virtus centuplo major enitesceret, scitote eam dissipatum iri, nisi hujusmodi tentationibus restiteritis; & adulatores vestros, qui immeritis laudibus vos inflabunt, vobis ablaturos, quidquid solidum inerit, Chymicos imitati, qui in commercium proferunt vitiatum, adulteratumque metallum, postquam verum absumpserunt. Quid ad hæc inquient tot mortales, qui insana vanitate tumidi, non solum appetunt laudes, sed insignes tantum, immodicasque dignantur admittere; qui scire cupientes, quid de se homines sentiant, venales animas nutriunt, quæ in favorem suum populi existimationem prævertant? qui propter exiguum aliquod bonum, quod fortasse fecerunt, propter exiguam stipem, quam erogaverunt, propter opellam obærato civi præstitam, Pharisæo similes glorientur, tuba canunt, ac fallaci virtutum suarum ostentatione mortalibus fucum faciunt? Quid inquient, qui eas jactitant qualitates, quas minimè habent, & habere deberent? Qui se ridiculos præbent fatua illa oblectatione, qua adulantium voces excipiunt; qui coram Deo sontes sunt, quod bonum sibi minime debitum vendicant? Verum, fictumque, quod in specie tantum est, quodque reipsa est, quod chimericum, & commentitium, quod effectivum, & solidum, omnia illis prosunt, cum inde inanium meritorum suorum ideam aliquam possunt adstruere. *Ex Dictionario Morali, Sermone 1. de humilitate.*

Alienis decepti laudibus eos nos esse credimus, qui dicimur, & intumescimus.

Id genus homines gaudentes, quod in se major ingenii vis, eruditionis copia, pietas in Deum, erga amicos fides, ac in rebus agendis dexteritas inveniatur, quàm re vera sit, incautè decidunt in laqueum, & nisi sibimet dicere audeant, injustè hunc sibi honorem deferri, sibi blandientes se dignos putant, qui primos gradus obtineant, ac illi, a quibus replentur. Hæc mulier se formosam putat, quia per indignam animi levitatem iis fidem habet, qui speciem ejusdem laudibus celebrant; cumque alii ejus credulitatem in jocum traducant, ipsa sibi plaudit. Illa propter opes, quibus diffluit, antiquissimi generis nobilibus matronis se parem putat. Laudari cupimus, ac libenti animo excipimus ea, quibus ornamur, elogia, rati illa eò magis nobis deberi, quò majori liberalitate eadem comparamus. *Idem.*

Quomodo laudes, & vanitas evitandæ sunt.

Cum ab hominibus laudaris, non lætari; omnem amovere exteriorem hunc apparatum, quo ut plurimum nobis mortalium reverentiam conciliamus, ac tantum sibi reservare, quantum opus est ad proximum regendum, vel ædificandum, hic verus est modestiæ caracter. Verùm cum velit aliquando Deus in hoc etiam mundo coli virtutem, quam sancti viri occulere student, quid his faciendum est? Reformare pro virili parte debent judicium eorum, a quibus laudantur, seu putent illi in ipsis ea videre, quæ minimè sunt, seu ea esse putent, quæ verè sunt: cumque timida eorum modestia efficere nequeat, ne ab aliis habeantur in pretio, maximum humilitatis illorum secretum est gloriam hanc ad verum ipsius principium referre cum Regio Propheta exclamando: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* *Psal. 113.* *Idem.*

Malum, quod in nobis vanitas gignit.

Sanctus Gregorius Moralium suorum libro 22. capite quinto ita loquitur: Deus primum quidem gratiam suam in hominum cordibus serit, gratiam inquam, quæ quasi semen vitæ plenum in bonis operibus, quæ faciunt, germinat, & mox per consummatam, absolutamque sanctitatem ad perfectionem, justamque suam magnitudinem pervenit. Verùm cum accidit hos homines vanitatis suæ motibus indulgere, arbor hæc, quæ crescere potuisset, moritur, & in ipso semine computrescit. Cum verò post aliquot bona opera, quæ fecerunt, lethali vanitatis suæ peste corrumpantur, similes sunt arbori, quæ postquam germinavit, arescit, & languet. Sed licet neque assentationibus, quibus virtutes suæ celebrantur, aurem præberent, neque exterioribus vanitatis speciebus deciperentur; satis, superque illos corrumpere posset laus ipsis delata, & cum voluptate percepta. Hæc oblectatio omnem bonorum operum fructum evertit; arbores sunt furentibus aquilonibus vehementer agitatæ, ac tandem radicitus convulsæ periculosa hac tempestate, quamvis diuturno, felicique

incre-

incremento antea confirmatæ fuissent. Periculosa inquam; nam sicuti arbor, quò magis procera est, eò magis ventorum viribus, & furori est obnoxia; ita prout ad altiorem virtutis gradum homines attolluntur, eò vehementius adulationum, laudumque flatibus concutiuntur. *Idem.*

Unusquisque propriam gloriam inquirit, & secreta hac ducitur cupiditate.

Omnes fere mortalium conditiones hac in re sibi conveniunt, quod unusquisque propriam gloriam, & honorem inquirit: *Non fere quisquam est, qui humanam non appetat gloriam*, Sanctus Augustinus inquit in Psalmum 1. Hic militiæ nomen dat, ut sibi comparet famam; ille forensibus se applicat curis, ut existimationem acquirat; alius Dei verbum annuntiat, & metuendum est ne hoc onus ad captandas hominum laudes suscipiat; alius ingentes congerit opes, prædia comparat, superbas, magnificasque domos ædificat; atque in his omnibus vanitate ducitur; quæ adeo universalis est, ut longe pauci ssimi hujusmodi cupiditate non teneantur. Illi ipsi, quorum humillima, atque abjectissima conditio est, eos imitantur, qui sibi maximè præstant, atque majores exerunt conatus, majoresque sumptus profundunt, quam sua ferat conditio, ut cum illis opibus, & dignitate contendant. *Abbas Trappensis. Collatione pro 4. Dominica Adventus.*

Vanitas quam ex ipsis naturalibus bonis haurimus.

In hunc subtilium vanitatum numerum eas rejicio, quæ præsertim ad mentem referuntur. Talis est eorum vanitas, qui tamquam egregia haberi volunt ingenia, qui gloriantur ob aliquot bona, quæ a natura sortiti sunt, vel quæ studio sibi compararunt, & quæ ipsi amplificari bona opinione, quam de sua eruditione concipiunt; quod efficit ut in conceptu, sensuque suo quamdam commentitiæ superioritatis speciem constituant, ubi se plurimum mereri putant, atque sibi licere credant insolenti sese jactare audacia, & reliquos mortales contemnere. Atque utinam in humanis hisce bonis vanitas ista subsisteret! sæpe ad ea etiam, quæ pietatis sunt, prætergreditur. Videbis in terris quosdam, qui virtutem se colere profitentur, & qui secretam vanitatem inani zeli prætextu contegentes devotionis se magistros faciunt, judices, atque censores. Parvum in semetipsis tribunal attollunt, ubi omnia aliorum opera ad trutinam, judiciumque vocant, & universè damnant quidquid a proprio discrepat sensu, hoc est quidquid ab eorum ingenio, ac libidine abhorret, quasi soli essent devoti, ac soli verè Evangelicam morum disciplinam servarent. *Biroat Sermone octavo Adventus.*

Ridicula mulierum vanitas.

Hujusmodi vulgò sunt mulierum vanitates, quarum fundamentum fatuum est, atque infirmum, quoniam levibus de causis superbiunt, & pro fragilis formæ umbra, quam habere credunt, pro bono quopiam, quod possidere putant, & quod sæpe effectus est sceleris, ac damnationis parentum suorum, intumescunt. Non deest dementia quædam, ac mentis infirmitas in bujus vanitatis effectibus, quoniam sese producit inani vestimentorum pompa, quasi hæc generis vilitatem posset contegere, vel mentis defectus auri, lapillorumque fulgore celare. Si addere vellemus verba, actiones, gestus, quibus ad has exprimendas vanitates utuntur; non deesset, unde in jocum possemus illas traducere; sed severiorem merentur damnationem, quia vanitatis earum principium sæpe magis noxium est, & criminosum. *Idem.*

Cum laudes, honoresque nobis deferuntur, nequaquam sincere a nobis rejiciuntur.

Fidelis servus non solum Domini sui gloriam sibi non vendicat, verum oblatam etiam rejicit Sancti Joannis Baptistæ secutus exemplum. At nos itane consuescimus? Hæccine nobis inest constantia, ut oblatos respuamus honores, & in eum rejiciamus, ad quem meritò pertinent? An potius eum habemur in pretio, quod non meremur, quin errorem hunc aperiamus, nonne ambiguos sermones, ambitusque nanciscimur, quibus ita oblatis respondeamus encomiis, ut altera retinentes manu, quod altera videmur abjicere, eum servare gradum, quem injustè occupamus, & præterea gloriæ humilitatem aucupari conemur? *Abbas de Monmorel, Homilia pro tertia Adventus Dominica.*

Laudes oblatæ Sancti Joannis Baptistæ exemplo sunt respuendæ.

Eheu! Cur, ubi sese offert occasio, non imitamur Sanctum Joannem Baptistam, & rejicientes encomia, quæ non mereremur, cur cum sancto Præcursore non dicimus; *Non sum*? Sentio equidem, has omnes laudes meras esse adulationes, quibus vel propter aliquam lucelli spem, vel aliam mihi perniciosam rationem os mihi gestiunt sublinire: quia hæc omnia elogia fiunt prima vanitatis meæ, tectæque opinionis, quam de meipso concipio, causa. Sed tantum abest, ut intelligamus aliquando omnem hunc fulgorem, qui ex adulatione procedit, inanem esse, & adulteratos colores diu non permanere quacumque diligentia applicentur; quod immo semper existimamus laudes, plaususque esse meritorum nostrorum effectus; cum voluptate recipimus thus illud, quod coram nobis adoletur, & credimus nos modestiæ apicem assecutos esse, cum retinentes naturale illud studium, quo semper de nobis æquissimum judicium ferre consuevimus, nihil oblatas laudes amplificamus. *Lambert. Homilia pro tertia Adventus Dominica.*

Qui pietatem colunt præ cæteris vanæ gloriæ sunt obnoxii.

Nullum est hominum genus tentationi huic magis expositum, quàm qui pietatem profitentur. Eo tempore vivimus, quo minima virtutis actio coronas meretur. Satis est vitam paulo continentiorem ducere, ut Sancti habeamur. Prima verba, quibus alloquimur illum, qui sæculi vitia abdicavit, sunt, hunc perfectum esse vitæ verè christianæ exemplar: quodque magis est deplorabile, in hujusmodi occasionibus quin agnoscamus quàm longe ab hac perfectione distemus, nobismetipsis plaudimus, christianam vivere vitam censemus; cœlum nos jam promeruisse arbitramur, & adeo infirmo innixi testimonio vitia nostra reformare, & in virtutis via proficere negligimus. *Idem.*

Remedium contra vanitatem, vanasque laudes.

Si quædam remedia quæris, quæ prohibeant, ne laudes, plausus, inanis gloriæ cupiditas te capiant; hic habes. Testare, te plura iis debere, qui tibi tuos aperiunt defectus, quàm iis, qui te laudibus cumulant. Tibi persuasum sit, laudes non esse certum meritorum tuorum argumentum, easque indiscriminatim dignis, indignisque deferri; ad hæc laudes vitus esse eò periculosius, quò jucundius, & quò magis proprium amorem palpat. Ita Sanctus Augustinus in Sermone quodam loquitur. Laudes, inquit ille, non sint laboris mei præmium. Cum divinum semen effundo, cur adulantia verba esse debent hujus seminis fructus? Laudes vestræ pondus sunt, quo, ne obruar, extimesco; Omnes hi vani plausus me in periculum decidendi adducunt. Eas nonnisi contremiscens audio: laudes vestræ folia sunt, ego verò fructus inquiro. Sanctus Augustinus, licet humilis, timet tamen, ne laudes sint lapsus sui causa; numquid tibi major vis est, ac virtus quam Sancto illi? Non times, ne conquisitæ laudes tibi animum inflent? Homo hic, qui te laudat, nonne potius est inimicus, qui tibi vulnus infligit, quàm amicus, qui de te bene mereatur? *Idem.*

Serm 5. de Verb. Dom.

Alind contra perniciosum hoc virus remedium.

Quid igitur faciendum, ut lethiferi hujus veneni effectibus obicem statuamus? Audi remedium alterum, quod propono, ut humilitas tua nullum patiatur detrimentum ex iis laudibus, quas evitare non licet. Eo temporis puncto, quo ab aliis extolleris, temet coram Deo annihila. Si generis sui nobilitas, ingenii vis, generosa studia, aliaque bona, quæ tibi largè, effusèque natura donavit, celebrantur, contremiscens fatere hæc omnia totidem esse talenta, quæ tibi bonus elargitus est Deus, quæ fortasse ad damnationem tuam sunt in te, quia illa in pravum usum convertis. Si pietas laudatur tua, virtus, zelus, profitere coram Deo unicum peccatoris nomen tibi convenire. Utere his prophetæ verbis; *iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.*

Psal. 50.

2 n. 4. de Pasc. Cum Tertulliano dic: *Ego præstantiam in deli-ctis agnosco*. Me dicitis magnum virum, hominem virtutibus ornatum, sed peccatorum meorum pondus efficit, ut me nequam esse peccatorem intelligam. *Idem*.

Hominum laudes piis viris sunt periculosæ. Perfectiores animæ, quæ in virtutis via maximè profecerunt, quæque a Deo insignioribus gratiis fuerunt cumulatæ, sensim humanis laudibus se capi sinunt; adeo callidè, versutèque amor proprius mentes nostras fallere didicit. Quapropter maximè interest, ut hujusmodi homines sibimetipsis caveant diligentissimè, si tutò in via salutis cupiunt incedere: hoc enim discriminis intercedit inter inanem gloriam, ac reliqua vitia; hæc quidem inter mala nasci; vanam verò gloriam ex ipso bono, ac virtute originem ducere; & quemadmodum ex prato floribus circum undique picto anguis aliquando prodit morsu inferens mortem; ita & ex sanctissimis operibus oritur vanitas, quæ omne eorum meritum suffocat, & vanæ laudes, quæ appetuntur, vera sunt omina interitus optime factorum; quod quidem miserrimum malum est animæ, quæ cum diu in vita sua laboraverit, in morte se vacuam invenit ac meritis omnibus destitutam; malum profectò illi simile, quod institori contingit, qui felici cursu ab Indorum littoribus emensus iter, unde locupletissimas merces advexerat, in ipso portu naufragium faceret, *Ex Homiliis Moralibus. Homilia pro prima Quadragesimæ Dominica*.

Hominum laudes parum sinceræ. Cæterum, licet etiam hominum laudes mihi conciliarem, iisne uti possem, quin me ipsum deciperem, cum liqueat illas parum esse sinceras? Quot homines ego ipse laudibus, contra id, quod senseram, excepi? Quot verbis probare visus sum, quos intus in corde damnabam! Justè judicemus, & credamus, alios quoque fucatas nobis laudes deferre, ut nos palpent, quemadmodum, & nos alios fefellimus. Officiosis hujusmodi mendaciis universum mundi commercium innititur; alii aliis illudimus; & qui callidiùs hoc præstant, magis urbani, honestique viri censentur. Verùm esto; sint hominum laudes sinceræ, & ex vera animi existimatione profectæ, num ideo illis fidendum est? Si quidam me habent in pretio, & a quibusdam contemnor, hoc mihi sufficere debet? Licet apud multitudinem in honore essem, quid hæc est multitudo nisi imperitorum, cæcorum, vel mobilium, atque inconstantium hominum manus? Horum existimatio beatioremne me facit, an meliorem? Quid prodest ab aliis æstimari, si vel invitus pro conscientiæ meæ tribunali me ipsum damnare debeo? Licet autem æquam mihi sententiam ferrent, quid istud, si me Deus reprobat, atque condemnat? *P. Nepuen. Tomo 1, Considerationum Christianarum*.

Dementia est hominibus placere velle. Satis est, hominibus placere velle, cum aliquod benefacimus, ut displiceamus Deo. Sed quæ dementia! Fluxum, fragilemque honorem æternæ gloriæ præfers: miserum imitaris Regem, qui pro aquæ scypho regnum suum tradidit. Hic quidem magis miserandus erat, quam vituperandus: siti ad mortem laborabat; cum certissimè, & vitam amissurus esset, & regnum, hoc iniit consilium, ut vitam saltem servaret. Quid sapientius? Verum quid insanius, quàm æternam, infinitamque mercedem abdicare ad rem adeo inanem, exilemque, qualis est hominum existimatio, comparandam? Se plurimo labore exercere sine ullo fructu; multa pati mala sine ullo merito; multa operari bona sine ullo profectu, quod præmii materia est in damnationis materiam convertere: hæc ea sunt, quæ facit vanagloria; quid hac perniciosius? *Idem*.

Vanitatis nomen nos docet, quid sit nobis ex nostra vanitate expectandum. Vanitatis nomen nos docet, quid nobis sit ex vanitate nostra expectandum; & omnia lumina, curas, labores, sumptusque nostros non aliud esse parituros, quàm confusionem, ubi nos de spe nostra dejectos videbimus, atque eo eventu fraudatos, quem nobis polliciti fueramus, Deus criminosæ huic, tumidæque infirmitati nostræ mederi hoc pacto vult, experimento docens, nos non esse, quod esse crediderarnus, atque fateri cogens, non esse fidendum iis luminibus, quæ secuti aberramus, neque iis viribus, quæ nos in mediis negotiis destituunt. *Ex Auctore Anonymo*.

Gloria ad Deum unicè pertinet, neque hac sibi ab homine patitur usurpari. Gloria bonum est, cujus proprietas ad Deum unicè pertinet; in cujus partem profitetur se non admissurum mortales, eam sibi reservans integram tanquam tributum supremo imperio suo debitum, atque thymiama destinatum, ut in ara tantum sua adoleatur. Hinc fit, Sanctus Chrysostomus inquit, ut homo licet laudum maximè cupidus, laudari non possit, quin erubescat. Cum laudes suas audit, quamdam tumultus speciem sentit, qui a corde transit in faciem. Nescit anima, utrum semet colligere intrinsecus debeat, an sese foras effundere. Fit subita commotio, & veluti quædam sanguinis totius revolutio; cum Providentia in ipsa etiam corrupta natura reliquerit secretum quemdam instinctum, ac motum fere involuntarium, quo palam testatur, honorem unicè ad Deum pertinere, atque non sine rubore sibi aliquem applicare posse, & ingrati animi vitio sibi retinere, quod a mera illius liberalitate recepit. *Flechier in Sermone Cœnæ*.

Vanagloria optimas etiam actiones corrumpit. Quot bona opera urens vanitatis auster absumit? Quot actiones, quæ in oculis hominum piæ sunt, coram Deo meritum amittunt! Quot thesauri, quos tutò in pauperum sinu repositos arbitramor, aliquando inanis gloriæ rubigine attriti invenientur! Eheu! vera charitas non est lampas ardens, quæ super tecta deferenda sit, ut ab hominibus omnibus videatur; honoris cupiditas cæterorum animi affectuum est callidissima; sibi honori vertit semet abscondere, neque personam abjicit iis in occasionibus, in quibus potissimum regnat. Salomon post ædificatum Domino Templum augustum tantummodo ibi insculpi jussit notas magnitudinis, & majestatis Dei, quem continebat, neque Regalis generis sui titulos, & qualitates cum Regis Regum nomine voluit commisceri. Sed plerique hominum exiguam bonorum suorum erogantes particulam putant se posse jus adipisci ostentandi palam excessum illius vanitatis, quæ nullis umquam finibus coercetur. Non videntur fere, nisi homines ambitiosi, qui non nisi plena luce bonum aliquod volunt operari; & ubique suum nomen, titulos, ac stemma præfigunt. Cui bono fulgor ille, ac inanis ostentatio, quam in erogandis eleemosynis præ te fers? Putasne eleemosynas tuas, si fuerint secretæ illum fallere posse, qui videt universa? Si uni illi placere cupis, cur largitates tuas ita in mundi totius oculis effundis, ut illas non videre non possint? Cur ipsi quoque Templorum Ministri ad Aras Domini accedunt vanitatis tuæ notas deferentes? Quid prosunt tituli, quibus in altarium, publicorumque ædificiorum marmore nomen tuum immortalitati commendatur? Nonne satis erat, eleemosynas tuas in vitæ libro inscribi? Cur in petituris marmoribus jubes factum illud incidi, cujus immortalis futura erat memoria, si uni Deo fuisset comperta? *Ex Sermone Manuscripto*.

Non semper tenemur omne laudis & approbationis genus effugere. Voluptatis sensus, quem nobis tribuit laus, quam meriti sumus, ita naturalis est, ut minime expectandum sit, ne eo anima afficiatur; quam satis est tueri a pravis ejusdem effectibus, videlicet præsumptione, & ridiculo aliorum contemptu. Si duplex hic scopulus evitetur, nihil est, quod laudem timeamus. Hæc inflammat in occasionibus animum, in quibus frigescere posset: a nobis exigimus, prout ab aliis expectari videmus; adeptam famam tueri volumus; eumque ne gradu excidamus, adnitimur, sæpe accidit, ut progrediamur. *Sermo, qui P. Massillon esse perhibetur*.

Hominum plerique famam sibi comparare student. Tantum abest, Domino a nobis referri honores omnes, qui deferuntur nobis, & in hominum oculis abscondere quidquid vel generis nobilitate,

vel

vel gratiæ munere ſumus, ut immo univerſa vita noſtra artificium ſit vanitatis cupiditas placendi, ac alienam exiſtimationem promerendi. Tantum abeſt, nos ultro legitimam abjicere gloriam, quam jure ab hominibus expectare poſſumus, quod immo in nobis eas coli virtutes volumus, quæ deſunt, ac meritum laudari quod deſideratur: voluimuſque tales haberi, quales nos nequaquam eſſe abundè cognoſcimus. Et profectò licet conſcientiæ noſtræ teſtimonium repugnet, ſine illa religione veritatem, qua humiliamur, vanitati, quæ nos palpat, ſubjicimus. Tunc etiam cum noſmet devovemus Deo, volumus nominis noſtri memoriam in mundo permanere; immo inde tanto majorem ſacrificio noſtro commendationem accedere cupimus... Ita eſt; nihil eſt infrequentius, quàm videre homines aliqua cumulatos gratia, vel quibuſdam naturæ dotibus ornatos, qui eas celare quærant, atque ſe oblivioni tradi deſiderent; tantum enim abeſt, quod hoc habeamus in votis, ut quod immo oblivionem hanc tamquam nobis contumelioſam cenſeamus. Optaremus virtutes noſtras, talenta, genus, nobilitatem ab omnibus coli, & celebrari; & in ipſis etiam ſanctitatis perfugiis, ubi contemptus mundi prima virtus eſt, quæ debeat exerceri, laus, & nominis celebritas quæritur. *Alius Sermo Manuſcriptus.*

Gloria flocci faciend a eſt, quippe quæ fortuito tribuitur.

Ne gloria, quæ plurimum habet illecebrarum, ut nos ſeducat, & fallat, ſit laborum noſtrorum finis, ſuſceptorumque operum cauſa; Sapienti providentia permittit Deus, ut injuſtè diſtribuatur in mundo, ac cæcè tam merentibus, quàm immerentibus tribuatur. Neque enim putandum eſt hoc eſſe rectè factorum præmium, bonarumque operum merces. Ambitio, & calliditas potiorem, quàm virtus, & induſtria vulgò illius partem ſibi vendicant; veritas ſpecie, & meritum favore ſuperatur; & ut verbo me expediam, quamvis non deſint irreprehenſibiles viri qui æquè illam diſtribuant, terra injuſtis repleta judicibus eſt, qui iniquè illam diſtribuunt. *De la Volpilliere. Sermone ſecundo de gloria.*

Gloria promiſcuè vitio, ac virtuti tribuitur.

Cum gloria de Cœlo originem hauſerit, & hoſpes verſetur in terris, non miror, ſi hic neminem dignoſcit, atque confundit vitium cum virtute, & niſi verum meritum ab inani illius ſpecie diſtinguit. Eodem pacto ſe geris, quo hoſpes locupletes alicujus viri nobilis ædes ingreſſus, ubi nonnumquam famuli elegantiùs dominis ipſis induti ſunt; cum enim de eorum qualitate judicium ferat ex illorum indumentis, periculum eſt, ne ſpecie deceptus famulis eos adhibeat honores, qui dominis tantùm debentur. Ita gloria, quæ hoſpes in terris eſt, quemadmodum S. Hieronymus loquitur, neminem diſtinguit, quotidie fallitur; & dummodo vitium virtutis indumenta gerat, ab illa honoratur: dummodo mendacium: cum veritatis colore tegatur, probatur ab illa, & dummodo actio fulgens ſit, licet criminoſa ab eadem laudatur. *Idem.*

Laus, ut plurimum, ex laudantium cupiditate procreatur.

Laus æquè diſtribui non poteſt; quoniam ut plurimum diſtribuimus illam non quòd verè in pretio habeamus eos, quos laudibus decoramus, ſed quod inordinatè noſmetipſos diligimus. Ii tantum laudantur, qui ſunt laudantibus utiles, & vulgò dici ſolet negotium iniquum non eſſe, neque commercium inutile, cum aurum relaturi ventum, ac fumum impendimus. *Idem.*

Qui veram habent virtutem, gloriæ vanitatem cognoſcunt.

Qui plurimum luminis, & virtutis habent, hi ſatis gloriæ vanitatem intelligunt; ejuſque inconſtantiam experti cognoſcunt ita ut illam minime ſibi tamquam vel laborum finem, vel vigiliarum pretium proponant. Sciunt meritum ab illa corrumpi potius, quàm honorari, & trophæa, quæ ab eadem virtuti conſtituuntur, ſcopulos eſſe, ubi ſæpe alliſa naufragium facit. Norunt, laudem eſſe ſyrenem fallacem, quæ aures noſtras demulcens fallit animum, ac vocis illecebra, & concentus ſuavitate in retia detrahit, in pericula adducit, procellarum furori nos objicit: vel potius infidelem eſſe Dalilam, quæ blandiens prodit, atque fucatis lenociniis, blandiſque ſermonibus in laqueos inducit, ac in inimicorum noſtrorum redigit poteſtatem. *Idem.*

Quam metuenda ſit vanitas in honore.

Honor potentiſſimus eſt inimicus, quem Sancti in mundo umquam habuerint; hic firmiſſimas Eccleſiæ columnas labefactavit, hic invictos Chriſtianæ Religionis heroas devicit; & illi, quos neque voluptates captare, neque divitiæ corrumpere valuerunt, ab inani gloria ſe tueri, oblatumque thus reſpuere, ac prohibere, ne fumo ſuffocarentur, minime potuerunt. Si vera virtus æternum exigit præmium, non autem fragile, & perſunctorium, expectat ſolidam gloriam, quæ numquam aboletur, non autem plauſum inanem, qui tamquam vapor diſſipatur, & fulguris inſtar evaneſcit. Qui meritum habet, Dei, non mundi quærit teſtimonium; Angelorum, non hominum approbationem inquirit; non enim ignorat laudem veram ab eo pendere, qui renes ſcrutatur, & corda, non ab illis, qui ſecundum faciem ferunt ſententiam; unum illum fidelem eſſe gloriæ diſpenſatorem; atque ſi homines iniqui judices ſunt, ut merenti laudes detrectent, ſemper juſtiſſimum eſſe, ut pro meritis illum coronet. *Idem.*

Vanagloria periculoſa illis etiam eſt, qui virtutibus præditi ſunt.

Vanitas quàm pernicioſa es homini! quæ efficis, ut cum jam portum tenet, naufragium patiatur; quæ ſinis illum ad ſummum uſque gradum attolli, ut majori cum gloria illum deturbes; quæ Deo eripis, quod eodem dignum eſſe incipit; quæ expectas donec parata ſit victima, & jamjam offerenda, ut illam auferas, & inanis, ineptique honoris idolo ſacrifices. Apage hæc ſocietas, atque commercium, ubi homines laudant, ut laudentur, ubi virtutis ſuco alienos defectus illinunt, ut contegant ſuos; ubi ultro, citroque mutuis laudibus ſeſe fallunt, ne propria ſcelera agnoſcant; & decipiendi artem diſcunt, ut viciſſim decipiantur. *Auctor Anonymus.*

De gloria generatim.

Gloria, ut paucis dicam, in hoc ſita, ni fallor, eſt, ut ſe æque perfectum & in teipſo, & in aliorum opinione intuearis; & quemadmodum ſpecula pluris, minoriſve habentur, prout bene, vel male repræſentant, objecta, quæ ſibi opponuntur, dici poteſt gloria vera eſſe, vel falſa prout magis minuſve hæc imago, quæ eſt in hominum mente, conformis eſt cum merito, quod peperit illam. Cum deprehendimus in nobiſmetipſis imaginem hanc, quæ per orbem errat; nobis blandiri; hæc fallax eſt gloria, quæ non ſolum nobis placere non debet, verum etiam diſplicere, quaſi ſecreta exprobratio defectuum, quos noſipſi cognoſcimus. Quotieſcumque ab ea commendor, quæ deſiderantur in me, ſentio equidem me tedigi illud mereri probrum, quod vitio laudi huic oppoſito debetur. Oportet gloriam eſſe imaginem realem, ſolidi boni, quod in nobis ſit; oportet igitur, bonum hoc mixtum non eſſe multo malo, quod illud corrumpat, ejuſque meritum imminuat; oportet denique hoc bonum proprium nobis eſſe, neque aliunde nobis accedere. Alioquin boni hujus imago non eſt imago noſtra, ſed alterius cujuſdam objecti, quod exiſtimationem mereretur. Tres hæ conditiones ſeorſim ſunt ad examen revocandæ, ut liqueat quomodo imperfecte in gloria hac inveniantur, quam tanto cum ardore perquirimus, & quæ idcirco a nobis eſt contemenda. *Ex Sermone de gloria.*

Inanis gloriæ cupiditas cauſa eſt obtrectationis, atque adulationis.

Dicere audeo, hanc gloriæ cupiditatem vulgatiſſimam eſſe obtrectationis cauſam. Alios deprimere ſtudemus, ut ſuper illos noſmet extollamus. Aliorum probrum in exprobrantium laudem cedere videtur; atque non tam propter improbitatem, quàm propter inanis gloriæ ſtudium adeo generalis eſt obtrectatio. Attamen hoc ipſum immodicum gloriæ deſiderium, quod ex altera parte gignit obtrectationem, ex altera in nobis parit amorem adulationis; adeoque infirmi ſumus, ut cre-

dulitate

dulitate ambitionis pleniſſima laudes a veritate procul abhorrentes ſine ullo moralis modeſtiæ, chriſtianæque humilitatis ſenſu excipiamus; cum e contra juſtæ laudes modeſto rubore ſuffundere debeant eos, qui præ cæteris eaſdem merentur. *Idem.*

Cum homo ex ſe nihil habeat, de re nulla gloriari poteſt.

Facile poteſt probari, hominem nihil ex ſemetipſo habere; omnia enim vel generi, vel inſtitutioni, vel fortunæ, illi ſaltem, quam hoc nomine appellamus, accepta referre debet, quæ ab illo aliena ſunt, atque extranea; neque vel unum aſſignare poteſt bonum quod ſuum vere dici queat. Quod ſi quid in ipſo laudem meretur, tunc eſt, cum cognoſcit, ea quæ in ipſo æſtimantur, a ſe non pendere, quin ob inanem ſuæ perfectionis imaginem intumeſcat; immo & hoc ipſum aliunde ipſe accepit, nempe a Deo, ſine cujus ope id faceret, quod tot alii, qui hæc bona a ſe pendere, ſuaque eſſe arbitrantur. *Idem.*

Gloria, & laus propriè ad Deum pertinent.

Gloria, & laus ad Deum tantummodo propriè pertinent; in ipſo enim dumtaxat meritum adeſt, quia nonniſi per ipſum ullum meritum eſt, & quia nonniſi propter ipſum meritum eſt. In ipſo tantùm meritum eſt, quia nonniſi in ipſo perfectiones inveniuntur, & extra ipſum defectus. Nullum niſi per ipſum meritum eſt, quia ille auctor eſt ejus, quod ſumus, ac principium eorum, quæ operamur. Nullum eſt meritum niſi propter ipſum; quia ille debet eſſe finis operum noſtrorum; quod Scriptura aureis hiſce verbis ſignificat: *In ipſo, per ipſum, & propter ipſum omnia, cui honor, & gloria. De la Volpilliere, Sermone* 1. *de gloria.*

Rerum, unde majorem gloriam hauriunt homines, vanitas.

Inſpiciamus, utrum in iis perfectionibus, quas nobis adſciſcimus, ullum ſit juſtæ laudis fundamentum, & aliquod veræ gloriæ principium. Gloriaris ob illuſtre genus, longamque majorum, heroumque ſeriem, quorum ſanguis tuas irrigat venas, & quorum lineamenta nitent adhuc in oculis tuis: verùm quamvis illi aliquem gloriæ gradum fuerint adepti, hoc ſibi profectò non tibi adepti ſunt; laus enim poſteris hæreditatis nomine non traditur, uti divitiæ, & niſi illam meritis tuis fueris aſſecutus, tu injuſtus potius ejuſdem es uſurpator, quam legitimus hæres. Eminentem jactas dignitatem, qua ſuper alios, & fortaſſe ſupra te ipſum extolleris; ſed quamvis omnia, quæ optanda ſunt, merita præferres, atque magis virtutis, quàm dignitatis tuæ fulgore niteſceres, nonne in ſublimi hoc gradu poſitus ſervitutem potius, quàm imperium, catenas, quàm coronas invenis? *Magna fortuna, magna ſervitus,* vetus quidam ajebat; ac ſæpe etiam deprehendimus eos, qui aliis dominantur, vitiorum ſuorum eſſe mancipia. Ob inſignem oris formam, cujus non minorem fortaſſe partem ars, quam natura ſibi vendicat, ſuperbis; verùm licet plures adhuc in ore veneres, jocique tibi ſederent, morbus, quo omnia hæc decoris lineamenta delenda ſunt, ſenium, quo hæc facies eſt in rugas contrahenda, mors qua hæc omnia lenocinia auferenda ſunt, nonne plus modeſtiæ, quam vanitatis tibi deberet immittere? Non vulgarem oſtentas virtutem, & quæ non expectato ſummorum Pontificum oraculo communi populorum conſenſu cœlo te conſecrat; at nullæ umquam tibi ſtatuentur aræ, ſi jam eas tibimetipſis animo incipis ponere; atque commentitia hæc ſanctitas tua veluti fumus thuris, quod tibimet adoles, evaneſcet. *De la Volpilliere, in Sermone de gloria.*

Cum gloria Deo uni debeatur injuſti ſumus, cum illam nobis vendicamus.

Oportetne, eo quod majora præ cæteris a Deo recepimus bona, fieri ideo ingratiores, atque inſolentiores? Oportetne, oculos nobis tantùm adeſſe, ut noſtra inſpiciamus merita; ac os, ut ea laudibus celebremus? Nonne juſtum eſt, ut mentes noſtræ, quæ ſunt Divinitatis imagines, principium ſuum intueantur, & ſincerè fateantur, ſi quædam ſibi adſunt lumina, radios eſſe ab æterno eo Sole profectos, & ſi aliquam habent perfectionem, rivum eſſe ab immortali hoc fonte effluentem? Quicumque ſua enumerat bona, tua enumerat beneficia, Sanctus Auguſtinus inquit alloquens Deum: ſed quamcumque ab hominibus recipit laudem, a te probro dignus cenſebitur, quia tuis donis abutitur, & quin inde grati animi ſenſus percipiat, ambitionis percipit occaſionem. Liquidò conſtat, ſanctus ille Doctor ſequitur, licet ille adulantium vocibus celeberetur, ſi a te improbetur, elogia eorum inania futura; licet amicorum ſuffragio probetur, ſi accuſetur a te, eorum judicia eſſe antiquanda; licet principum virorum favore fulciatur, ſi damnetur a te, illorum gratiam pro nihilo habendam. *Idem.*

Vanitas illud eſt, quam omnium poſtremo abdicamus.

Gloriæ cupiditas ille affectus eſt, quem omnium poſtremum relinquimus, quemadmodum primus eſt, qui nobis adhæreſcat. Hoc ſtudium quod in pueris deprehenditur, in ſenibus repueraſcit; hoc deſiderium, quod nobiſcum naſcitur, nonniſi nobiſcum decedit; & hæc flamma, quæ in corde noſtro ſuccenditur antequam rationis lampas mentem noſtram illuſtraverit, nonniſi in umbra mortis extinguitur. Cum diutiùs vitæ noſtræ ſpatium proferre nequeamus, nomen noſtrum æternitati commendare contendimus, volumus, in ipſis etiam tumulis ambitionem noſtram eniteſcere, ac manibus noſtris eumdem, qui perſonis habebatur, honorem adhiberi. *Idem.*

Sæpe gloriã quærimus, cum eidem bellum indicimus.

Inanis hæc gloria ab illis etiam eſt metuenda, qui ejuſdem victores ſunt, & neſcio, utrum cum palam ei bellum indicimus, clam cum eadem fœdus percuſſerimus: neſcio utrum illius fautores ſimus, cum ejuſdem nosmet inimicos profitemur; atque utrum cor noſtrum ſecreta cum eadem miſceat conſilia, cum vocem ad eam impugnandam attollimus. Neſcio utrum cum adlaboremus ad Dei gloriam tuendam, noſtram quoque provehere ſtudeamus; & ſi eadem ratione, qua eam ab hominum uſurpatione defendimus, nos ipſi illam uſurpare deſideremus: ſæpe enim honorum fuga honorem inquirimus; gloriam reſpuentes eamdem acquirere quærimus, ac ſuperbiam alia ſuperbia impugnamus. *Idem.*

Injuſta gloriæ diſtributio eam contemnendam eſſe nos docet.

Quis neſcit gloriam in terris non eſſe juſtorum partem, ſeu antiquo ſæculi judicio, ſeu potius ſecreto Providentiæ conſilio factum ut non ſolum immerita illis non tribuantur, verum merita etiam denegentur encomia; ſeu denique quia laus illis delata non celebrat merita eorum, ſed vanitatem alit, arrogantiam excitat, ambitionem accendit, fidemque illis adſtruit, ſe plurimum mereri, ideoque ſe jure mortales cæteros contemnere poſſe. *De la Volpilliere, Sermone ſecundo.*

Licet exigua ſint merita noſtra, facile ſublimem de nobiſmetipſis conceptum imbuimus.

Quamvis nihil nobis inſit, quo ſupra cæteros extollamur; attamen quia error, vel adulatio aliquod nomen illuſtre nobis attribuit, atque præſtanti nos titulo decorat, in conceptu noſtro ſolium nobis extruimus, ubi in reliquos homines dominari cenſemus. Hinc oritur inſigne illud diſcrimen, quod inter eos deprehendimus, quos merita ſua, genuſque nobile ad ſublimem gradum aliquem evehunt, & eos, quos favor, & ambitio illuc attollunt. Illi quidem in ipſa etiam magnificentia, & pompa aliquem modeſtiæ, atque honeſtatis characterem præſeferunt, qui gratiam cum majeſtate conjungens non minus amorem, quàm reverentiam illis conciliat. Hi verò cum ad honores nati non ſint, neque aſſueti ſplendori, quo ſunt circumdati, ita hic illos perſtringit, ut ubique faſtum & ambitionem oſtentent. Omnibus in locis eo abutuntur honore, qui fuit collatus indignis; & eos ipſos, a quibus collatus fuit, aſpernantur; & quamvis omnibus compertum, exploratumque ſit eorum dignitatem opus eſſe favoris, eam tamen tamquam virtutis opus jactitant. *Idem.*

Gloria, quam nobis Deus tribuit, inanis non eſt, ut ſæculi gloria.

Gloria, quam Deus nobis impertit non eſt, ut ſæculi gloria, fluxa, & inanis: ſed cum particeps ſit gloriæ principii ſui, ſolida eſt, permanens; & numquam vel temporis diuturnitate, vel invidorum hominum injuria, vel fortunæ perturbatione interitura. Itaque cum ab eo omnia expectare

debea-

debeamus, propter illum omnia operari debemus, cumque ille ipse esse debeat merces laborum nostrorum, eorumdem quoque finis esse debet. Quoniam de hoc mundo non sumus, quid nobis prodest celebritatem nominis comparare, ac illustria conquirere munera, ubi non sumus diu permansuri? Quoniam hic brevis futura nobis est mora, cur nomen nostrum æternitati commendare, ac immortalitatem in regione mortis inquirere adnitimur? Quænam difficultas est ignotos vivere in terra aliena? Si injustitia meritum nobis negat honorem, si invidia illud præripere, versutia auferre, obtrectatio studet atterere, quid mirum, quandoquidem in improbo, ingratoque hoc mundo ita virtus semper excipi consuevit? *Idem.*

Qui spiritui excolendo vacant vanitati obnoxii sunt.

Sancti etiam aliis superatis affectibus ab hoc fuere superati. Itaque videmus eos, qui spiritui excolendo maximè vacant, nonnumquam aliis vanitate antecedere; & qui humilitatem habent in pretio, non minoris honorem suum facere. Adeo laus blandus est hostis; neque est qui ab illius illecebris se tueatur. Hoc in sensu D. Chrysostomus inquit, vanitatem secretum virus esse, quod quocumque irrepit, & contra quod nullum invenitur amuletum; hunc animi affectum numquam subigi posse; & cum extinctus putatur, tunc e cineribus suis renasci, atque ex ipso tumulo reflorescere; similem Antheo, de quo mira narrant poetæ, ex lapsu consurgere, & clade sua convalescere, & numquam validiorem, & periculosiorem esse, quam cum virtus gratiæ vi confirmata de eodem egit triumphum. *Idem.*

Ob perfectiones nostras non magis nos decet intumescere, quam aliquod opificium, si rationis compos esset, ab auctore suo perfectum.

Quid? S. Bernardus inquit, si egregia hæc sculptorum, Pictorumque opera non essent rationis expertia, numquid superbia efferrentur, suasque perfectiones ostentarent, quin auctoribus suis gloriam omnem conferrent? Arctiori sanè vinculo, quidam ait à Deo pendemus, quam vel a Sculptore simulacrum, vel tabula a Pictore, cujus est opus; hæc enim opera permanent sine auctoribus suis, nos verò ita pendemus a Deo, ut ejus potentia non minus conservationi nostræ, quàm productioni sit necessaria. *Idem.*

Mundi hujus gloriæ duxa, & fragilis.

Gloria, quam sibi proponit vanitas, & quam sibi vendicat ambitio nostra contra justitiam atque voluntatem Dei, cui uni debetur, diu non viget; sed licet aliquot annos, immo etiam secula vigeret, post mortem quid anni, quid sæcula sunt, ubi cum æternitate comparentur? Quid illis prodest post mortem, ubi non sunt, laudibus celebrari, ubi verò sunt deprimi? Quid prodest rectè factorum memoria, ubi nullam amplius vitam, sensum nullum habent, cum interim, ubi vivunt, in vanitatis suæ confusionem eorumdem meminerint? Quæ denique major infelicitas, quam ex hac vita cum infamia decedere, postquam ibi diù vixeris cum gloria; atque coram Deo, Angelisque eo rubore suffundi, quem meretur ambitio, postquam in terris hominum laudes, atque plausus acceperis, qui vel ignari, vel amantes, vel cupidi ut plurimum sunt in distributione laudis injusti? *Ex Christianis sermonibus, Panegyrico S. Francisci de Paula.*

Quivis gloriam hominumque æstimationem diligit.

Satis est, magnum hunc humanæ ambitionis theatrum inspicias, neminem ibi videbis ex iis etiam, qui pietatem profitentur, qui non conetur, sibi conciliare earum virtutum, quas minimè possidet, existimationem, vel saltem qui eas falsis laudibus celebrari æquo, hilarique animo non patiatur. Quod si in se aliquod deprehenderit meritum, qua cura aliis hoc manifestare contendit? Si homines tantum haberes judices, laudarem equidem si hominum approbationem inquireres, eisque virtutum tuarum nitorem ostenderes: sed heu! te Deus tuus agnoscit, qui secundum cognitionem suam te judicaturus est. Eheu quid proderit, te per apotheosim ab hominibus in cœlum extolli, si te Deus tuus reprobaverit, atque damnaverit? *Liber, cui titulus: Essais des Sermons pro tertia Adventus Dominica.*

Vanitas non solum aliquid ridiculi habet in se, sed ipsa rebus in omnibus est ridicula. Ridicula in ideis fallacibus æque, ac injustis, cum putat opus esse, ut nosmetipsos plurimi faciamus, ut aliorum existimationem aucupemur, vel cum arbitratur nos ab hominibus tanto habendos esse in pretio, quanto nosmetipsos habuerimus, quæ æque fatua, ac injusta cogitatio est. Ridicula in consiliis suis, quia prodire tantum quærit, ut hominum admirationem in se convertat. Ridicula in cogitationibus suis, quia sine ullis meritis ab hominibus vult æstimari; & quod magis adhuc mirum est, quia propter vitia, vel contemptibiles insanias vult æstimari. Ridicula in conatibus, quos exerit, ut in aliorum animis se se attollat; quia pro honoris, & existimationis fumo, non laboribus, non periculis, non ipsi vitæ parcit. Ridicula tandem, & abominabilis, cum sibi honorem vendicat, & gloriam, quæ Deo uni debetur.

Quinam vanitate, ac vana gloria capiantur.

Difficile non est primo statim intuitu eos cognoscere, qui vana gloria ducuntur. Illi sunt, qui ut ab aliis habeantur in pretio, indesinenter majores suos, suasque domos loquuntur, qui nominis sui celebritatem tanquam virorum, laborum, omniumque conatuum suorum finem prospiciunt; quam tamquam numen adorant, & ab omnibus vellent adorari; qui cum de honore sui nominis agitur ita sunt religiosi, ut nihil pati possint, quod alii afferat contumeliam, & gravissimas etiam exercent inimicitias in eos, a quibus vel minimum aliquid eum læsum putant: Qui neque Deo servire, neque illum colere curant, sed semetipsos honorare inani mortalium existimatione contendunt, qui chimericum honorem hunc in unicam omnium actionum suarum causam convertunt; qui aliquod a natura bonum sortiti, id unum inquirunt, quomodo omnibus locis, & coram mortalibus omnibus illud ostentent. Mundanæ mulieres, quæ omnem operam transferunt, ut se comant, & ornent, atque servent fragilem formam, propter quam tamquam idola coluntur: hi omnes vani spiritus, qui propter Deum, & ad majorem ejusdem gloriam ne centesimam quidem ejus laboris partem subirent, quem propter inanem honorem patiuntur, & qui nullum non movent lapidem, ut in se omnium laudem, & admirationem convertant. *Idem.*

Viri nobiles præ cæteris huic vitio sunt obnoxii.

Severo quodam Dei judicio nobiles, divitesque ideo ex nihilo educti videntur, ut ambitioni tradantur. Primi oculorum conjectus in magna decidunt objecta. Vix inter homines versari incipiunt, cum jam se ad imperium natos sentiunt. Eorum submissio, qui eisdem famulantur, fulgor fortunæ, qua circumundique nitent, naturæ instinctus, qui illos corrumpit, omnia illi vanitatem inspirant, antequam per ætatem illam cognoscere valeant; prout adolescunt, reverentia, & oblectatio crescunt cum illis. Quam difficile est, ne perpetui hujus thuris vapor pascentem eorum virtutem extinguat? *Flechier pro die Cœna.*

Terreni honoris fragilitas.

Aliquidne terreno honore minus vanum est, minusque solidum? fallaci fulgore fallit, eaque promittit, quæ conferre non potest. Quid est honor terrenus? Speciosum est nomen, S. Gregorius inquit, quod fallit, ac allicit sexcentis suavitatibus quas pollicetur, & quas re ipsa nequit tribuere. Fallax igitur est, neque enim dat ea, in quorum spem erigit, & adducit; sed ratione longe crudeliori fallax est etiam, eodem enim temporis momento, quo efficit ne promissa dulcedo sentiatur, efficit quoque ut gravissima sentiatur amaritudo eà in servitute, in quam nos inducit, & eo dolore, quo afficimur in eorum privatione bonorum, quorum spe os nobis sublevetat. *Auctor Anonymus.*

Contemnenda est gloria, quæ

Quamvis illegitima gloria sit, nemo fere unus est, qui illam rejiciat; & quemadmodum nemo

illam

merentibus, ac immerentibus æque tribuitur.

illam non deperit, ita quoque nemo est, qui eam sibi injustè non vendicet. Illam non dispensat æquitas, sed favor ita illius distributionem sibi comparavit, ut nullum supersit meritis jus ad eam adspirandi. Hinc licet inferre, jure a nobis esse contemnendam, quoniam adeo injustè distribuitur, & æque merentibus, ac immerentibus datur. *De la Volpilliere, Sermone secundo de gloria.*

Ob hominum existimationem superbiendum non est.

Quid nobis prodest ab hominibus probari, atque æstimari? Quomodo illi merita, virtutemque nostram possunt remunerari? Quid est totus ille bonor, quem nobis adhibent, nisi vapor tenuis in aerem evanescens? Quid thus, quod adolent nobis, nisi levis fumus in nubem abiens? Quid gloria, quam tribuunt, nisi fulgor statim pertransiens? Quid laus, qua nos palpant, quàm rumor exiguus, illicò cessans? Num majores sumus, quia ab illis laudamur? Numquid nobiliores, quia ab illis colimur? Numqnid beatiores, quia celebramur? Sed quotiescumque nos Deus laudat, colit, & probat, novum in anima nostra magnitudinis caracterem imprimit, qui efficit, ut in oculis ejus spectabiles simus. *Idem.*

Nobismet nihil vendicare possumus præter nihilum.

Cum nihil in nobis sit, quod non aliunde mutuum acceperimus; nihil est, ut ita dicam, quod proprium sit nobis, & de quo gloriari possimus, præter nihilum. Inde nostræ conceptionis momento egredimur; illuc mortis momento redimus, quæ quidem est essentiæ nostræ destructio, & nostrum metipsorum annihilatio: vel ut melius dicam, adeo arctum cum nihilo nexum habemus, ut fere numquam ab eo discedamus: etenim tunc etiam cum per Creatoris nostri potentiam illinc egredimur, illuc per nihilum peccati revertimur, quod hæreditario veluti jure statim assequimur, quodque nobis supernaturalem vitam aufert, cum naturalem accipimus. Quamobrem jure nobismet exprobrare possumus. *Quid superbis terra, & cinis?* Nihilum animatum, cinis vivens, nonne potius tibi causa est, propter quam humiles, modestosque sensus concipias, quàm superbas, ambitiosasque cogitationes animo foveas? Intra nosmetipsos humiliationem gerimus, Propheta inquit, & si nosmet bene cognoscere voluerimus, confusione potius, quam encomiis dignos inveniemus. *Idem.*

Eccli. 10.

Quo pluris quis titet virtutibus, eò magis vanitati est obnoxius.

Vanitatis amor in sanctissimas etiam virtutes obrepit: quò si quando pervadit, latè omnia populatur, itaut sæpe virtutes illæ non videantur eædem. Reliqua vitia illi tantùm virtuti adversantur, quæ eidem contraria est. Vanitas autem crudele bellum præstantioribus ipsis indicit virtutibus, quæ nihil seipsis dignius præstare possunt, quàm si immotæ, atque inconcussæ tanti hostis conatus eludant. Infirmos eos esse oportet, qui vanitate se corrumpi patiuntur; sed illi, qui supra humanas infirmitates sunt positi, difficilius ab illius jaculis proteguntur, ne vulnerentur. Illud verò longe crudelissimum, ac funestissimum est, quod victoria, quæ de eadem refertur, novam illi vim addit, eamque efficit magis metuendam. Animæ eam contemnentis, & superantis ipsa magnitudo hoc ipso fit callidis, versutisque ejusdem versutiis magis obnoxia. *Idem.*

Vanagloria, quam vita inspeciem austera, & mortificata inspirat.

Diceres, satis esse, vitam præ cæteris magis austeram ducere, ac animo severas opiniones imbuere, ut quis sui ipsius plenus fiat, suo sensui mordicus hæreat, suasque sententias verissimas putet. Ubi hoc acciderit, quin id ne intelligat quidem, de seipso tantum loquitur, nullibi nisi in se bonum videt, omnia ex semetipso metitur: quamvis Deus aliter, aliterque gratia sua homines adducere velit, propriam tantummodo gratiam habet in pretio; & quòd non invenit omnes homines eidem dispositos, eos aspernatur, & indignabundus contemnit. Quidquid eorum non arridet ingenio, reprobatum videtur; cæterosque omnes jam interiisse putat illius exemplo, de quo loquitur Sanctus Bernardus, qui nescio qua fascinatione mortales omnes suis erroribus infecerat, simplicibus persuadens, omnes divinarum miserationum divitias unicè illis esse reservatas, qui in ipsum crederent, eique adhærent. *P. Bourdalove in veris sermonibus Adventu secundo; Sermone de severitate Evangelica.*

Inanis gloria, quam ex majoribus nostris, opibusque desumimus.

Non desunt, qui cum actionibus suis se commendare non valeant, vulgò præclara majorum suorum facta ostentare non desinunt. Hoc propriè est suam miseriam, atque confusionem jactare; res enim a majoribus nostris cum laude gestæ, vel nostram redarguunt impotentiam, si paria facere non possumus, vel ignaviam, si cum possimus, paria non facimus; atque tunc ignavus homo, qui de majorum suorum virtute gloriatur, non minus ridiculus est, quàm pauper, qui de parentum suorum opulentia gloriaretur. Qui se satis divites norunt, ut ad dignitates provehi desiderent, honores obtinere volunt ostentatione, quæ in humili loco natis vanitatem, in nobilibus ambitionem parit, quin putent, quemadmodum meritum argento non est venale, nec auro, ita neque honores solis dignitatibus comparari, quæ plerumque mera sunt improbarum artium, ac scelerum merces; quot enim extiterunt, qui magnis sceleribus eò provecti fuere, ut alios damnare, ac in eos animadvertere possent? *Liber cui titulus: la Conduite du Sage.*

Quantè mulieribus stet vanitas.

Mulieribus vanitas non leviorem, quàm viris ambitio crucem figere consuevit. Ad quem infelicitatis gradum sola recentium induendi modorum perquisitione, & placendi cura rediguntur? Non loquor de multarum horarum spatio, quod terere debent sese comendo, ornandoque intentæ: temporis jactura, cujus rationem non habent, minima illarum est cura. Loquor de animi doloribus, atque tortura corporum, quibus eas vanitas cruciat. Quæ mutuæ zelotypiæ! Quæ flagrantia alias superandi vota in corde exili, & nugis tantùm intento! Sed quibus pœnis proprium corpus afficiunt, ut suam expleant vanitatem? *Sermo Manuscriptus P. Francisci Catrou.*

Novum vanitatis genus, eorum, qui vitam suam describunt.

Non postremus proprii amoris effectus est homines ita occupare, ut se ipso cum oblectatione inspiciant, ac pascantur ea voluptate, quam in perfectionum suarum, earumque qualitatum, propter quas se dignos laude putant, intuitu, gustuque percipiunt. Deinde extrinsecus audent proferre suas cogitationes, ac sensus de fallacis sui amoris objecto. Hoc sæculo eò usque inanis gloriæ ventum est, ut videantur homines, qui imaginem suam non verentur delineare non pennicillo, sed calamo, suiipsorum graphidem proponentes in paginis, atque singillatim omnia, quæ possident referentes bona, vultus sui lineamenta, capillorum colorem, capitis ambitum, formam, staturam, temperamentum, mores, studia non sine animadversionibus, quæ illos rubore suffundere deberent, quippe quæ contrariæ sunt non christianæ tantùm humilitati, verùm etiam modestiæ, quam sola ratio infidelibus ipsis suadet, apud quos tantæ vanitatis exempla non extant. *Ex primo tomo Epistolarum P. Surin.*

Nobiles ostentationem evitare debent.

Si nobiles viri hinc servare debent, quamdam spiritus qualitatem, ut sese accommodent iis, quæ conditionis suæ decor postulat; inde intrinsecus omnes mundi vanitates, & quidquid præeminentiam, atque distinctionem sapit, debent contemnere. Hæc si absit præcautio, difficile est evitare superbiæ, ac vanitatis venenum, quam generis, fortunæque bona in hominum pectoribus excitare consueverunt, illaque evitare solo amore, ac perquisitione eorum, quæ hìc magis humilia, abjecta, magisque in hominum oculis contemnenda sunt, & spiritui hujus mundi contraria. *Idem.*

Difficile est sibi non aliquam vendicare partem gloriæ ea.

Non diffiteberis, ut opinor, admodum esse difficile, ne amor proprius sæpe efficiat; ut quadam cum oblectatione ea reputemus, quæ sanctè facere consuevimus; eaque existimemus non solùm tam-

quam

...rum actionum, quibus cooperati sumus.

quam gratiæ, verum etiam nostræ libertatis effectus: atque vix fieri posse, ut postquam oculos ad Cœlum sustuleris adoraturus Patrem luminum, a quo omnis gratia, & omne donum perfectum descendit, illos ad teipsum demittas, ut tuam cooperationem inspicias, dicasque secreto cum Sancto Paulo, sed in sensu prorsus diverso: *Gratia Dei mecum*. Gratia profectò illud peperit bonum, quod nuper edidi, at non sola hoc præstitit gratia; mecum enim ad agendum cucurrit. Hæc verò periculosa oblectatio, tunc faciliùs concipitur, cum in nobis nullum ex iis criminibus reperimus, quorum vel levis exprobratio quamlibet superbiam infringere potest; ac illius semen etiam disperdere antequam germinare potuerit. Rarum denique est, imitari arborem, quæ postquam diu prudentis agricolæ manu fuerit exculta, quin ramos suos attollat, atque frondium suarum elatione superbiat, sese humiliat, atque incurvat: & quo magis fructibus onustus est, eò magis suos ramos demittit, quasi fateri vellet, se aliena, non propria virtute divitem esse, sed quidquid ipsa tulerit se debere externæ facultati, quæ pretiosam hanc illi contulit ubertatem: *Liber cui titulus, Entretiens de l'Abbe Joan, &c. du Pretre Eugene.*

Difficile est vanitatem effugere cum laudaris.

Laus, quæ nobis virtutem exercentibus defertur, objectum est periculosæ plenum aleæ, cor nostrum alliciens, ac veneno dulci enecans. Quamobrem Sanctus Augustinus laudem vento comparat leni simul, ac vehementi, qui quia lenis, nos allicit, quia vehemens nos allidit: *Allicit, & allidit*. Cum autem difficillimum sit plausus audire, & illis non commoveri, perraro etiam accidit; a Deo oculos non deflecti, ut in eos convertamus, a quibus celebramur encomiis. Cum hoc evenit, quod singulis ferme horis evenit, quoniam Dei adspectus vel non facit amplius in cor nostrum eamdem, quam antea, impressionem, vel ad summum levissimam facit; hominum existimatio, qua adeo jucunde nos falli passi sumus, fit aculeus, quo unicè ad agendum, ingrediendumque excitamur. Contemptus eorum longè diversum in nobis producit effectum; cum nos lædat, & vulneret, intra nosmetipsos, ut ita dicam, coarctamur, ubi nullum præter Deum, atque conscientiam invenientes operum nostrorum testem, tuti quodammodo a metu sumus, certique nos eos sequi motus, quos sequi debemus, virtutemque nostram esse sinceram. *Idem.*

Vanagloria quocumque irrepit, humilitatis etiam personam gerit,

Quas populationes in iis etiam, qui magis piam vitam ducunt, parit vanagloriæ cupiditas! Hipocrysis non est unicum opus illius. Quot causæ minus turpes optimas quaslibet actiones corrumpunt? quoties subinde propriam virtutem animo reputare gaudent mortales? quoties sibi ob sua merita complacent? Callida ambitio sub obsoletis, ut ita dicam, humilitatis scrutis contegitur. Virtutis hujus habitum incessumque imitatur, ejusdem etiam privilegiis utitur, ac enutritur. Nihil est, quod plures gerat personas, quàm iste affectus. Paucæ virtutes sunt, quæ sibi ab eodem cavere non debeant; attamen ab hoc minus quàm a cæteris sibi cavere videntur. Pietas cum voluptate colitur, donec cum laude exercetur. Quamvis re Dei tantùm gloriam perquirere profiteatis, numquam tamen gloriæ cupiditas tibi animo excidit. Charitatis opera, unde uberiorem percipimus laudum messem, quantumvis difficilia, & molesta, semper lenia, & levia videntur. Donec virtutem subsequitur laus, nihil in illa arduum invenitur; pondus, ac durities ejus non cognoscitur, nisi in iis, quæ obscura sunt, & secreta. Omnem Christianæ pietatis severitatem exercere non abnuimus, sed inde honorem exquirimus. Nihil ostentationis ergo facere volumus; at si quæ rectè facimus, cùm celebrantur non iniquo animo ferimus. Quod agimus bonum, hoc a nobis segi dicimus, sed illud prædicantibus facile parcimus. Vanagloria nos sequitur, in ea etiam victoria, quam de superbia ipsa reportamus. Omnia illi nutrimento sunt, omnia prosunt, ipsa etiam humilitas. *P. Croiset. Tomo secundo Spiritualium Considerationum.*

Mala, aliaque vitia, quæ ex vana gloria nascuntur.

Ex inanis gloriæ affectione illa procedit animi perturbatio, qua ubi de honore agitur, ac jura nostra læsa putamus, statim indignamur; secretus ille dolor, sed acer, quem laudes hominibus collatæ in nobis gignunt: internæ curæ, quæ parum absunt ab invidia, nisi omnem illius habeant improbitatem. Ita callidus hic affectus eos irridet, qui eidem patent. Nullum vitium est, quod mentem magis captivet, nullum quoque, quod minus cor deserat. *Idem.*

Magna infirmitas est ob genus, honores, & ingenium intumescere.

Nobilitas, honor, quem dignitas confert, multorum servorum caterva, vestes superbæ, atque pretiosæ, opes congestæ, ingenium vividum, ac ubique promptum, hæc ea sunt, quæ gignunt, vel saltem alunt vanam gloriam. Nobis persuasum sit de originis ejusdem sordibus, & humilitate, nec non de tenuitate rerum omnium, quibus pascitur, ac pudebit tandiu eidem famulatos fuisse. In se omnium oculos convertere, alios contemptui habere, quia atavum jactamus, cujus magna extitere merita, vel quia in vetustissimis monumentis invenimus vel nomen quod gerimus, vel stemma, quod ostentamus; hæccine unquam gloria fuit solida, & vera? Errorem hunc tandem aliquando intelligamus; meritum est personale; virtutes ad hæreditatem non pertinent, Magis gloriosum est posteris relinquere eam, quam non accepimus nobilitatem, quam hanc majoribus nostris debere. Nobilitas suas habet honoris prærogativas, quas ipse Deus probat; illis quidem reverentiam debemus, verum numquam illa justa fuit causa ostentationis, & vanitatis. *Idem.*

Indumenta, ornatus, servorum caterva non sunt gloriæ, & vanitatis causa.

Magnificus quidem, & elegans ornatus superbiam ciet, ac naturaliter vanitatem inspirat; at ullumne unquam minus solidum extitit vanitatis argumentum? Nosmet pluris, quàm alios facimus, quia majori cum fastu, & luxu induimur; sed cum tanta egemus pompa, ut ab aliis in pretio habeamur, digni ne sumus, qui habeamur in pretio? Cumque artificis industriæ ea tributa laus fuerit, quam meretur, aureisque vittis pretium, quod habent, quid supererit eas deferenti, nisi aliud huic meritum fuerit, quàm pretiosam supellectilem pretiososque ornatus habere? *In vestitu ne glorieris unquam*. (*Eccli. 11.*) Cave ne te pluris, quam alios æstimes, quia ditioribus ornatus es indumentis: & sane quænam esse potest magis ridicula ostentatio! quæ gloria magis inanis! *Idem.*

Ex ingenii felicitate vanitatis occasionem capere non decet.

Quidam felix habet ingenium. Bene est. Si hoc verum est, habet ergo parum vanitatis. Vanagloria tarò est insignium ingeniorum vitium. Insueta virtus, meritum numeris omnibus absolutum, homo egregiis qualitatibus præditus semper insignem præsefert modestiam. Qui præ aliis pluris æstimandi sunt, hi se minimi æstimant; atque exigui animi ingeniique est inanis gloriæ cupiditate intumescere, ac de se non demissè sentire. Et sanè infirmum esse illum opus est, qui fumo tantum, & vento pascitur: *Gloriantes ad quid valebimus?* (*Eccli. 45.*) Qui præ cæteris gloriantur, hi ferme sunt magis inutiles. Qui alios contemnunt, sibi lumina, & sapientiam deesse palam ostendunt: *Non glorietur sapiens in sapientia sua*. (*Jerem. 9.*) Tibine prudensia est, sapientia, scientia? cave ne ideo superbia ducaris. Sapiens talem esse desinit, ex quo salem se esse gloriatur. Ob res præclare gestas insignis es; strenuus es, ac fortis? *Ne glorietur fortis in fortitudine sua*. Cave ne virtutem tuam jactites: Modestia semper fuit Heroum virtus. *Idem.*

Vanitas ex bonis, & opibus.

Ne glorieris ob divitias tuas, si rerum omnium affluentia perfruetis: *Non glorietur dives in divitiis suis*. Quænam vanitatis causa hac ineptior, atque insanior! Aurum pluris, quam persona æstimatur; immo qui minus virtutis, meritique habet, quam auri, argentique, contemnitur. Visne gloriæ argumentum christiano corde, & rationa-

bili

GRATIA ACTUALIS.

EJUS VIS, ET SUAVITAS.

Gratiarum repulsa, & contemptus. Subtractio, & Substitutio Gratiarum Dei.

MONITUM.



Ullum Samaritana mulieris Evangelio accommodatius esse reor argumentum, quàm de Gratia verba facere, quod Concionatorum plerique consueverunt. Et profectò, effectus, vis, suavitas, ac tota ratio qua cum peccatoribus, quos Deus convertere cupit, agit gratia, in Samaritana exemplo, tamquam in speculo quodam videntur, cujus quidem prolixum Evangelium nihil aliud complectitur præter historiam, ac JESU CHRISTI cum eadem colloquium. Verum cum argumentum hoc aliis pluribus in occasionibus pertractari queat, de actuali gratia verba faciemus, quin ad illud Evangelium omnia referamus. Ad hoc autem animadvertendum est,

1. Nos hoc in loco nequaquam verba facere de omnibus gratiis Dei, quæ sub gratiæ nomine comprehenduntur, sub quo continentur etiam omnia dona, favores, & bona seu naturalia, seu supernaturalia, quæ a divina bonitate recipimus; sed tantùm de luminibus, sanctisque afflatibus, qui Cœlitus demittuntur, ut ad bonum promoveamur, & quas actuales gratias dicimus, quæ nos præveniunt, & excitant.

2. Concionatori hoc in argumento evitandas esse odiosas disputationes, quæ tantum in mundo rumorem peperere, & quæ ad ædificationem Auditorum nihilum prosunt; sed orthodoxas tantummodo opiniones esse supponendas. Cavendum quoque, ne hoc argumentum Scholasticorum more pertractetur, sed ex fidei veritatibus contra Pelagianos, aliosque Hæreticos jam constitutis educendæ sunt morales conclusiones, quin ea difficultates attingantur, quæ Catholicorum sententias dispescunt. Itaque has missas faciemus; satisque esse putabimus, ea tantum afferre, quæ nos excitare possunt, ut summa officii fide gratiæ motus sequamur.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus Argumenti lineamenta.

1. Ratia considerari potest, & in Deo illam tribuente, & in homine eam recipiente. In Deo quidem si spectetur, numquam satis admirari possumus sapientiam, & bonitatem Patris misericordiarum in prudentissimo, quo utitur, consilio, effecturus, ut ab hominibus ea recipiatur gratia, quam illis offert, quamvis ipsi non mereantur illam, ac sæpe etiam sese eadem indignos præbuerint. In homine verò illam recipiente si gratia perpendatur, non satis admirari possumus callidas artes, quibus illam quærit eludere, ne eidem parere cogatur. Hoc autem justæ concionis partitionem potest efficere.

Quod ad priorem pertinet partem; Hoc sapientiæ, divinæque bonitatis consilium elucet 1. in multitudine gratiarum, quas nobis confert sincerè salutem nostram desiderans; quoniam illæ totidem motus sunt, quibus nos studet ad beatum finem nostrum impellere, ad quem nos destinavit, & quæ proinde æternam ex nobis gratitudinem poscunt. Etenim absque eo quod de exterioribus gratiis, puta de bona educatione, bonis exemplis, ad hoc vel illud munus, vel ad hunc, vel illum vitæ statum vocatione, qua utitur, ut sua in nobis ab æterno concepta consilia exequatur; quot luminibus quotidie mentem nostram illustrat, quot sanctis motibus, ardoribusque nostram excitat voluntatem? Quot hujusmodi gratiis cumulati fuimus? quot etiam, nunc quotidie cumulamur? Ipse nos sollicitat, & sexcentis in occasionibus urget, ubi minus id cogitamus; sæpe nos visitat cum ab eo longiùs distamus, & neminem ita deserit, quantumvis nocens ille sit, ut illi semper sufficientia non tribuat adminicula, quorum ope de scelerum omnium sentina, in quam præceps prolapsus est, consurgere valeat. 2. Hæc autem eo etiam nitet, quod uti loquitur Apostolus plures induit formas: 1. Petr. 4. *Multiformis gratia Dei*; Modò enim invitat, modò minas intentat, modò illecebris attrahit, modò deterret; modò divinæ spe misericordiæ consolatur; modo severi judicis metu terrorem incutit. Nullum non lapidem movet gratia ut cor nostrum molliat, & flectat. 3. Hæc ars magis adhuc peculiariter elucet in ipsa gratiæ indulgentia sese studiis nostris, temperamento, naturæ, immo etiam affectibus nostris accommodantis, eorum objecta immutando, quin illos funditus eradicare conatur, quemadmodum in Sancta Maria Magdalena, Sancto Paulo, Sanctoque Augustino palam innotuit. Ipsa sese cujuscumque statui, & conditioni submittit; ab aliis plus, minus ab aliis exigit, numquam tamen supra vires cujuspiam. Sensus autem, quos hæ cogitationes in nobis excitare debent, sunt gratitudo, confidentia in bonitate divina, metus patientiam illius fatigandi, & propositum fidelius imposterum obediendi gratiis Dei, quàm hactenùs fuerit obtemperatum.

Pars altera. Postquam mutabilem admirati sumus artem, qua Dei misericordia suas gratias impertit, & eas rationes, quibus utitur, ut hominum corda deliniat, & flectat, deplorandæ supersunt nefariæ hominum artes, quibus gratiæ studia conantur eludere, neque enim magis industrii unquam esse possunt, quam cum sibi nocent. 1. Harum autem artium principem sibi vendicat locum illa, qua mortales oculos obstruunt hominibus gratiæ, illis palam resistentes, vel ut Job loquitur, iisdem rebellantes: *Ipsi fuerunt rebelles lumini*. Job 24. Etenim quemadmodum gratia licet fortis, ac potens, violenter non agit, sed integrum homini relinquit, eidem assentiri, vel illam rejicere; ita non desunt peccatores, qui ut impune sua scelera patrent, & inter flagitia sua tranquillam, pacatamque vitam traducant, rejiciunt Cœli gratias, atque in nimia luminum copia cæcutiunt, necnon internorum motuum, quibus pertinaciter obluctantur, multitudine obdurantur. 2. Altera verò illo-

rum

rum ars, qui nondum omnem pietatis sensum abjecerunt, ea est, quia detrectant omnia auferre impedimenta, quibus ne Deo Inserviant, prohibentur: & ne luminibus, illecebrisque gratiæ sese victos dedere teneantur, sexcentis vacant negotiis, ne sibi vacet, illis mentem adhibere, jucunda quærunt hominum consortia, & ea solatia, quæ quascumque sanctas cogitationes avertunt. 3. Tertia denique ars eorum est, qui cum nequeant divinæ gratiæ lumina effugere, neque omnino illius vim evitate, differre saltem conantur ejusdem effectum, quemadmodum Sanctus Augustinus facere consueverat. *Modò, & modò, & illud modò non habebat modum*. 4. Alii tandem arte, vel potius indignissima avaritia, sese ea dimidia tantum parte Deo tradere volunt, Deum, simulque mundum conciliare cupientes, & gratiæ quibusdam tantùm in rebus obtemperantes, quod efficit, ut hæc prorsus ab illis recedat.

II. 1. Nullum bonum opus, quantumvis minimum sine Dei gratia perficere possumus. *Sine me nihil potestis facere*, Dei Filius inquit. 2. Nullum bonum opus est, quantumvis maximum, quod cum Dei gratia nequeamus operari. 3. Nullum bonum opus est quantumvis in oculis hominum præclarum, egregiumque, quod Deo acceptum esse possit, & ad æternitatem promerendam conferre, sine gratia.

III. Tria considerari possunt in gratia, ut tres Concionis partes inde fiant.

1. Ejus necessitas; nam sine gratia nihil facere possumus, quod Cœlum mereatur in præmium. 2. Quod gratuita est, ac independens; cum enim debeatur nemini, Deus illam tribuit cum vult, & cui vult, eamque negat, ac subtrahit, ubi vult; quamobrem enixiùs est flagitanda. 3. Pernicitas ejus; celerrimè pervolat; ideoque sedula opus est diligentia, & non abutendum eo temporis puncto, fortasse non ultra redituro, si semel effugerit.

IV. 1. Tot nos illecebris attrahit, ut sufficiat, bonum ab ipsa nobis offerri, ut illud ea jubente amplectamur; talibus nos aggreditur in circumstantiis, ut cor cum gaudio, & voluptate sese illi subjiciat; & hæc gratiæ illecebra dicitur. 2. Hominis voluntatem in bono confirmat, quin ejusdem officiat libertati; immo e contra eum magis suiipsius dominum efficit, quàm antea, quoniam peccati servus erat. 3. Denique bona opera ita gloriosè coronat, ut cum primum difficultates, laboresque metuerentur, gaudium dumtaxat, & facilitas in virtutis exercitatione inveniatur.

V. In duplici concionis parte potest ostendi: 1. Gratiæ suavitas in ea ratione, qua in hominis cor, mentemque operatur, & quomodo naturæ, ac studiis nostris illa se accommodet &c. 2. Vis, quam ex ipsa suavitate desumit, quæ illam ita potentem efficit, ut de cordibus pertinacissimis, maximèque rebellibus triumphum reportet. *Hoc est argumentum P. Bourdalove in Concione de Samaritana muliere*.

VI. 1. Nihil magis est necessarium, quàm gratia; hæc enim primum est saluris nostræ principium & sine illa banc mereri non possumus: attamen nihil est, quod magis contemnatur. 2. Nihil pretiosius, quàm gratia, & tamen nihil magis negligitur. *Ex Christianis Considerationibus P. Nepueu. Tomo 1.*

VII. De mensura gratiæ, quam Deus singulis destinavit.

1. Deus unicuique nostrum certam gratiarum mensuram destinavit, quæ numeratæ, ac determinatæ sunt: In quo sensu hoc intelligendum sit; videlicet de electis, vehementibusque gratiis; nemini enim eas negat, quæ ad salutem operandam sunt unicuique necessaria. 2. Hæc mensura incerta est, & nemo scire potest, utrum illa, quam rejicit, futura sit novissima, quam Deus eidem conferre decrevit, postquam nullæ nisi communes gratiæ ab illo sint expectandæ. 3. Hæc mensura non omnibus par est, quosdam deseruit Deus, postquam semel gratiam contempsere; cum aliis verò non usus est tanta severitate, nisi postquam centesimam neglexerunt. Illud tamen certum videtur; huic mensuræ cumulum a Deo minime statui, nisi post insignem aliquam gratiam, quæ critica dici potest, cui sumus obluctati. *Ibidem. Tomo 2.*

1. Sine gratia nihil facere possumus: hoc ambitiosos sensus nostros in iis, quæ benè facimus, debet conterere. 2. Gratia sine nobis nihil potest: hoc ignaviam nostram condemnat; cum enim gratia indesinenter ad virtutem nos excitet, nos ab illa abhorremus, & infidelitas, qua gratiæ respondemus, efficit, ut illa suo careat effectu. 3. Cum gratia, quæ numquam nobis deerit, possumus omnia; hoc nos inflammare debet ad maxima quæque pro Dei gloria obeunda facinora. VIII.

1. Quid faciat gratia, ut peccatorem convertat? Eum prævenit, atque ne cogitantem quidem invisit; opportunum, commodumque tempus expectat, mentem illuminat, suaque luce perfundit, itaut æternas veritates omnino alio sub aspectu intueatur, quàm hactenus illas conspexerat; cor illius tangit, atque in eodem excitat desiderium sese Deo mancipandi, & ex scelerum suorum cæno emergendi. 2. Quid peccatori vicissim faciendum, ut se fidelem præbeat gratiæ? attentus esse debet motibus gratiæ, illi alacriter respondere debet, ne illa iterum non reversura discedat: *Nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia*. Denique summa fide ea omnia debet exequi, quæ ab ipso postulat gratia. IX.

De Divinæ gratiæ contemptu. X.

1. Gratia a peccatore contempta efficit, ut Deus justo supplicio vicissim eam dare neget: quoniam recipere detrectat oblatum sibi donum, meretur saltem dono eodem privari. 2. Gratia a Deo peccatori negata est eidem fons omnis infelicitatis, & reprobationis; hoc enim illius cæcitatem, atque obdurationem in scelere parit.

1. Gratia patienter peccatorem expectat. Illum urget, ac sæpe plures etiam annos sollicitat, quamvis a peccatore repellatur, & contemnatur. 2. Illum tandem lucratur commodum tempus, opportunasque nacta occasiones. 3. Illi aufert fallacem conceptum, quem de hujus mundi bonis imbuerat, efficiens, ut eorum tædeat simul, ac pigeat. XI.

Gratiam considerare possumus. 1. quatenus nobis oblatam, atque tunc illius pretium ponderandum est, quanti illa stet Filio Dei, finis, propter quem offertur, & ad quid sit necessaria; quod efficiet, ut illam infectanter, atque enixè expectamus. 2. quatenus acceptam; atque tunc ex nobis exigit fidelitatem, atque pro tanto munere gratitudinem, nec non celeritatem, ut illi obtemperemus. XII.

De gratiæ suavitate, ac vi. XIII.

1. Ejus suavitas in eo præsertim elucet, quod jugum Domini suave, & onus ejusdem leve facit; quod efficit ut ea præcipuè diligamus, quæ corruptæ naturæ sunt magis contraria; nobisque in maximis calamitatibus cor solatio replet, & hilaritate. 2. Vis autem in eo emicat, quod per illam vehementissimos, efferosque affectus nostros subigimus, quod maxime insuperabiles obices vincimus; quod illa nos in periculosis occasionibus, vehementioribusque tentationibus tuetur, & demum quod ad difficillimorum operum finem nos felicissimè adducit.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque, unde copia desumi potest ad propositas Concionum structuras elaborandas.

SAnctus Augustinus in Soliloquiis, quæ eidem tribuuntur, describit cæcitatem, in qua ante suam conversionem vivebat, & quomodo fuerit illustratus a gratia. Sancti Patres.

Idem,

Idem, *lib. de natura, & gratia contra Pelagianos*, ostendit, quomodo gratia nobis animæ salutem reddat, & mox efficiat, ut in Dei servitio ambulemus.

Idem, *lib. 2. contra duas Epistolas Pelagianorum*, docet nosmet ad gratiam præparandam sine gratia disponi non posse.

Idem, *lib. de Gratia, & libero arbitrio*, docet libero arbitrio tantum concedendum non esse, ut primam præcipuamque confidentiam non constituamus in gratia, sine qua nullum efficere possumus bonum, neque aliquid pro Cœlesti patria mereri.

Idem, *lib. 2. de Peccatorum meritis contra Pelagianos*, docet sine gratia præcepta Dei a nobis adimpleri non posse, & quomodo per gratiam illa adimpleamus, & ad virtutem excitemur.

Idem in Expositione Psalmi 5. hæc explicans verba: *Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos*, ostendit bonam Dei voluntatem semper nostræ præcedere.

Idem, *de bono perseverantiæ lib. 2.* docet neminem jure conqueri posse, quod alteri quidem gratias conferat Deus, alteri deneget.

Idem, *in Psal. 67.* gratiam gratis dari ostendit.

Idem, *lib. de Gratia Christi contra Pelagianos*, acriter hæreticum Pelagium refellit, asserentem, hominem sola liberi arbitrii sui virtute posse operari bonum, sine interioris, & actualis gratiæ subsidio.

Idem, *in Psal. 118.* hæc explicans verba: *Quoniam mandatis tuis credidi*, docet non posse nos Dei præcepta adimplere sine gratiæ subsidio, & ad Deum orationem convertit illam expetiturus.

Idem, *in Psalm. 142.* animam comparat terræ sterili, aridæque, & cœlestibus imbribus indigenti.

Sanctus Gregorius, *l. 16. Moral. cap. 10.* probat posse nos gratiæ assentiri, eamque repellere, & liberum arbitrium omnium bonorum operum nostrorum particeps esse.

Idem, *lib. 33.* hæc explicans verba cap. 11. Job: *Quis ante dedit mihi, ut reddam ei?* ostendit, nos minimè posse mereri gratiam, præsertim verò primam.

Idem, *Homil. 9. in Ezechielem*, docet nos gratiæ debere quidquid boni facimus; & nostra accidere culpa, si nullum facimus.

Idem, *lib. 1. in primum Regum*, ostendit sine gratia omnes actiones nostras nihil pro Cœlesti gloria mereri.

Idem, *lib. 10. Moral. cap. 12. Job*, docet neminem penitus a gratia in tentationibus deseri.

Idem, *l. 22. in cap. 5.* eorum injustitiam, atque ingrati animi vitium ostendit, qui viribus suis actionum suarum merita referunt accepta.

Idem, *lib. 27. in c. 32.* docet, Deum supremum esse gratiarum Dominum, arbitrumque eas, cui voluerit dantem, ac renuentem.

Sanctus Hieronymus, *in Psal. 107.* ait, nobis gratiæ cooperandum esse, & docet, quomodo agat nobiscum.

Idem, *lib. 14. in cap. 51. Isaiæ*, ostendit præclaras actiones, quæ gratiæ subsidio fieri possunt, eamque probat omnino ad bonum agendum esse necessariam.

Sanctus Chrysostomus, *Homil. 46. in Genes.* loquitur de vi, & constantia, quam gratia nobis inspirat.

Idem, *Homil. de Adamo, & Eva*, docet Deum per gratiam, quam hominibus tribuit, auctorem esse bonorum omnium, quæ in illis sunt, omnium virtutum, bonarum actionum, meritorumque.

Idem, *Hom. 21. ad Popul. Antioch.* de gratiæ vi, atque effectibus verba facit.

Sanctus Bernardus, *Serm. 21. in Cantica*, hæc explicans *cap. 1.* verba: *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum*, ostendit nobis integrum esse eum sequi, qui per gratiam suam nos vocat, & attrahit.

Granatensis in duce Peccatorum cap. 24. — Ascetici aliique.

P. Antonius de Sancto Martino a Porta ingens volumen edidit inscriptum, *Des Conduites de la Grace sur la conversion des pecheurs*, & in parte tertia, fusius verba facit de Actuali gratia cum Scholasticorum more tum Concionatorum.

P. Bonal, libro cui titulus, *le Chretien du temps* pluribus in locis de gratia loquitur, præsertim verò parte secunda, ubi agit de omnium vocatione ad salutem.

P. Chalu libro de Prædestinationis arcano *Tract. 2. art. 4. & cap. 2. art. 1.* de gratiarum contemptu verba facit.

P. Simon le Bossu tres edidit Tomos de usu gratiæ, ubi nihil prætermissum est eorum, quæ hoc in argumento possunt desiderari.

P. Nepueu in Christianis Considerationibus pro singulis anni diebus de gratiarum abusu loquitur Tomo primo die quinta Februarii; de Fidelitate erga gratiam die quarta Martii. Tomo secundo, de gratiæ necessitate die Aprilis 15., de gratiarum mensura die Junii secunda. Tomo quarto de ratione reddenda Deo de gratiis acceptis, die octava Decembris. De gratiæ lumine die 19. mensis ejusdem.

P. Haineufve Tomo 4. de Ordine, ubi agit de spiritus renovatione, loquitur etiam de gratiarum contemptu.

Non afferuntur hoc in loco Theologi Scholastici, neque infinita propemodum librorum suppellex, quæ per occasionem disputationum hujus temporis in lucem prodiit.

P. Delingendes in Quadragesima duas habet conciones de gratia, alteram pro feria sexta tertiæ, alteram pro secunda hebdomadæ quintæ, ubi collegit quidquid hoc in argumento dici potuit. — Concionatores.

P. Reina Concione in Samaritanæ Evangelium plurima habet ad hoc argumentum spectantia.

P. Segneri Concionem hujus argumenti habet in Quadragesima.

P. Bourdalove in Sermone de Samaritana muliere verba facit de vi, & suavitate gratiæ.

P. Giroust in Quadragesima Sermone in idem Evangelium loquitur de gratiæ œconomia.

Idem sermone pro feria quinta post cineres loquitur de subtractione gratiarum.

Abbas de Monmotel Homil. in Evang. Dom. 4. post Pentec.

P. Texier in Dominicali Serm. pro Domin. 5. post Pent. loquitur de resistentia gratiæ.

P. Massillon Sermone in Evangelium Samaritanæ; in sermonibus, quæ illius nomine circumferuntur.

De la Font Propositione pro Dom. 4. post Pascha.

Auctor Sermonum Christianorum. Serm. pro Domin. 12. post Pent.

P. la Pesse Tomo 2. Sermonum Concionem habet de Gratia.

In tertio Christianarum Actionum tomo adhortationem habes de iis, quæ cognoscenda sunt de gratia.

In Dictionario Morali duo sunt de gratia sermones cum plurimis considerationibus.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta, in adventu Sermonem habet de gratiarum repulsa, & contemptu.

Idem in Quadragesima Sermone de Samaritana de gratiæ œconomia agit.

Idem Sermone 2. de Epiphania de gratiæ vi, & ratione loquitur.

Idem in Dominicali pro 18. Domin. post Pent. de gratiæ necessitate, & potestate verba facit.

Idem in Mysteriis Sermone primo de Spiritu Sancto parte secunda loquitur de gratiis, & afflatibus Spiritus Sancti.

Busæus. *De statu hominum, de gratia Divina statu.*

P. Ludovicus Granatensis in locis Communibus. Titulo *Gratia*. — Qui collectanea ediderunt.

Raynerius de Pifis, Titul. *Gratia*, Labatha, & alii.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Applicationes Scripturarum huic Argumento.

V*Ocavi, & renuistis; extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret.* Prov. 1.

Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis; ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo. Ibid.

Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. Psal. 94.

Vocabis me, & ego respondebo tibi. Jobi 14.

Ipsi fuerunt rebelles lumini. Jobi 24.

Anima mea sicut terra sine aqua tibi. Ps. 142.

Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. Isaiæ 12.

Omnes sitientes venite ad aquas. Isaiæ 55.

Expectat Dominus ut misereatur vestri. Isaiæ 30.

Quid debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei? Isaiæ 5.

Vocavi, & non erat qui audiret. Isaiæ 50.

Locutus sum ad vos manè consurgens, & loquens, & non audistis; & vocavi vos, & non respondistis. Jerem. 7.

Si in Tyro, & Sidone facta essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent. Matth. 11.

Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti. Matth. 23.

Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Matth. 11.

Si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Luc. 19.

Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Joan. 1.

Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de Cœlo. Joan. 3.

Sine me nihil potestis facere. Joan. 15.

Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. Joan. 6.

Nemo potest venire ad me, nisi ei datum fuerit à Patre meo. Ibid.

Omnes peccaverunt, & egent gloria Dei. Ad Roman. 3.

Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Ad Rom. 9.

An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Ad Rom. 2.

Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia. Ad Rom. 5.

Quicumque Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. Ad Rom. 8.

Cujus vult miseretur Deus, & quem vult indurat. Ad Rom. 9.

Non ego, sed gratia Dei mecum. 1. ad Corinth. 15.

Nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto. 1. ad Corinth. c. 12.

Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est. 2. ad Corinth. cap. 3.

Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur. Ibidem, cap. 12.

Gratia Dei sum id quod sum, & gratia ejus in me vacua non fuit. 1. ad Corinth. 15.

Exhortamur ne in vacuum Dei gratiam recipiatis. 2. ad Corinth. cap. 6.

Si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia. Ad Rom. 11.

Omnia possum in eo, qui me confortat. Ad Philippens. 4.

Deus est, qui operatur in vobis, & velle, & perficere, pro bona voluntate. Ad Philippens. 2.

Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Ad Ephes. 4.

Deus nos vocavit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra: sed secundum propositum suum, & gratiam, quæ data est nobis in Christo Jesu. 2. ad Timoth. cap. 1.

Deus omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. 1. ad Timoth. 2.

Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Ad Hebræos 4.

Contemplantes ne quis desit gratiæ Dei. Ibidem, cap. 12.

Multiformis gratia Dei. 1. Petri, cap. 4.

Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Ibidem, cap. 5.

Vos semper Spiritui Sancto resistitis. Act. 7.

Ego sto ad ostium, & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, &c. Apoc. 3.

Exempla ex veteri, novoque Testamento desumpta.

Exemplum Abrahæ, qui fuit fidelis gratiæ. Genes. 22.

CUr Deus Abrahæ tot bona promisit, & cur illum tot gratiis cumulavit? Principium repete: *Quia obedisti voci meæ.* Si Sanctus hic Patriarcha primam hanc gratiam repulisset, nisi ea in occasione se gessisset tamquam virum supra humanam conditionem positum, si cogitationibus suis liberè evagari permisisset, sibimetipsi profectò dixisset; fieri ne potest, ut Deus opponatur Deo, mihique id præcipiat, quod planè iis adversatur rebus, quas mihi præcepit? Miraculo mihi filium largitus est; nunc autem præcipit, ut non sine quodam veluti parricidio hunc illi reddam: per filium hunc mihi pollicitus est futurum, & ingentis posteritatis gloria celebrarer; nunc verò imperat, ut huic eidem filio vitam auferam, veluti in ejusdem persona suffocaturus, atque extincturus spem frequentissimæ hujus posteritatis. Iterum dico; si non respondisset Abraham huic primæ gratiæ, hæc ab aliis non fuisset excepta, & pro benedictionibus obrutus fuisset maledictionibus.

Exemplum Saul, quem repulit Deus, eò quod gratiæ extitit infidelis.

Deus ut plurimum salutem nostram gratiis quibusdam adnectit, quæ criticæ possunt appellari, & prout eisdem fideles nosmet præbemus, vel secus, ita ille nos vel prædestinat, vel reprobat. Exempli causa, salus, & felicitas Saul adnexa erat obedientiæ, quam præstare debebat imperio Dei per Samulem Prophetam sibi irrogato, ne injussus sacrificium auderet offerre, & ne cui rei parceret in Amalecitarum clade, neque ullas sibi manubias reservaret. Si Saul fideliter huic paruisset imperio, jam omnino sibi Dei benevolentiam conciliasset, a quo thronus illius confirmatus fuisset, ac sceptrum in omnem ejusdem posteritatem traductum, quemadmodum Samuel ipse testatus est. Ut verbo me expediam, Deus illum gloria, & benedictionibus cumulasset. Sed Saul ea in occasione, in qua Deus fidelitatis ejusdem periculum facere voluit, non paruit; & nihil ultra quæsitum fuit, sed eodem temporis momento Deus illum projecit: *Projecit te Dominus, ne sis Rex super Israel.* 1. Reg. c. 15.

Exemplum Pharaonis rebellis gratiis Dei.

In Bibliis nullum insignius adest pertinacis, diutinæque resistentiæ vi gratiæ, quàm Pharaonis exemplum. Quot rationibus gratia rebelle cor illud flectere adnisa est? Quandiu hoc certamen permansit? Qua pertinacia cor obduratum illius jacula elusit? Iteravit flagella Deus, ut impium Regem deterreret; qui aliquoties victus manus dedit, sed in speciem dumtaxat, donec eæ cessarent plagæ quibus ipse, populusque ipsius percutiebantur; at voluntas semper inflexibilis in eadem obstinatione permansit: *Nescio Dominum, & Israel non dimittam.* Exod. 5. Nihil nobis apertius ostendit, hominis voluntatem validioribus etiam, urgentioribusque gratiis resistere posse, atque liberi arbitrii

nostri

nostri hac in re probat facultatem: itaut nos unicè causa simus nostri infortunii, propterea quod cœlestibus gratiis obluctamur. Verùm ex hoc eodem exemplo edocemur quibus flagellis, atque suppliciis ii digni sint, qui sunt hujusmodi gratiis rebelles.

Cogitatio ad patrem redeundi in prodigo filio fuit gratia.

Reputemus quid in prodigi Filii conversione contigerit. Nefariæ ejusdem libidines ad turpissimam illum redegerant necessitatem laboribus victum sibi in singulos dies comparandi. Hæc quondam mentem illius subiit cogitatio. Quot hodierna die sunt in domo patris mei ministri, victus affluentia lætantes, me interim hic fame pereunte. Nonne sanius consilium esset reverti ad patrem meum, & delicti mei veniam deposcere? Alia poterat in animo illius suboriri cogitatio; exempli gratia, furandi, ut abunde suo victui consuleret, solum vertendi, honestius officium inquirendi, puta militiæ nomen dandi &c. Sed melius Deus illi consilium immisit: integrum erat eidem hoc amplecti, vel abjicere; tamen illud secutus est, omnia illi bene verterunt. Expansis ulnis illum sinu suo complexus est pater, cum eodem rediit in gratiam, eique pristinum benevolentiæ locum restituit. Quoties Deus similes nobis cogitationes immittit, quas ipsi respuimus? Quoties inter infortunia, quæ nobis in terris accidunt, vel propter hominum nequitiam, vel fortunæ improbitatem, vel ut rectius loquar, altissimum Providentiæ consilium, ita disponentis, ut emendati resipiscamus; quoties, inquam, mentem cogitatio subit ad Deum redeundi, quin internis hisce vocibus sese dedat nostra voluntas? Deus nos vocat, nos autem aures obstruimus. Audimus satis, quid ille dicat, sed minimè respondemus, qua de re per suum Prophetam conqueritur: *Locutus sum ad vos mane consurgens, & loquens, & non audistis; & vocavi vos, & non respondistis.* *Jerem. 7.*

Exemplum Sancti Pauli, qui ad Filii Dei vocem statim sese convertit.

Quis magis celerem, miramque audiit mutationem, quàm quæ in Sancti Pauli conversione contigit! Triplici in cæcitate versabatur, ut de seipso idem ait, cæcitate ignorantiæ: *Ignorans feci;* cæcitate incredulitatis, *in incredulitate*, cæcitate ex fallaci zelo profecta, quandoquidem in hoc suam constituerat gloriam, ut traditiones antiquas mordicus tueretur: *Abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum*; quibus quartam adjicere possumus iræ, furorisque, quo rapius Domini nomen blasphemabat, & eos persequebatur, qui fidem ipsius sequi profitebantur: *Qui blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus.* Sed tot licet hæc obsisterent impedimenta, gratiæ radius densissimas has nubes penetravit, & adeo altè eo tenebris circomseptum pervasit, ut dicto citiùs persecutorem in Apostolum, conviciatorem in Evangelii patronum, apertissimum JESU CHRISTI hostem in firmissimum Ecclesiæ ejusdem præsidium converterit.

Ad Gal. 1.
1. ad Tim. 1.

Quid egerit gratia in muliere Samaritana.

Cum de Samaria egrederetur mulier Samaritana, ne cogitabat quidem, quid sibi esset eventurum; at pro illa Dei Filius cogitabat; felix occursus, quo Salvatori obviam facta est, casu non accidit. Hic illam ad fontis oram præstolabatur, ut in eamdem, quemadmodum Sanctus Ambrosius ait, aquæ misericordiæ suæ fluerent. Itaque cum te sentis intrinsecus affici objecto aliquo, quod sese tibi offert, ne putes hoc forte contingere, Dei quippe opus est, qui illud est ab æterno præmeditatus. Deus est, qui salutarem hanc tibi cogitationem immittit, quæ te ad pœnitentiam impellit: Suprema est Sapientia, quæ te expectat, veluti Samaritanam mulierem, hoc in loco, momento hoc, in hac occasione, ut te ad sui sequelam adducat. Verum admirare suavitatem gratiæ qua in hujus mulieris animum sibi aperit viam; quin impetu facto illuc irrumpat, quin rebellem cogat voluntatem, illi tantummodo dicit: Mulier, si scires donum Dei, & illum cognosceres, qui ex te aquæ haustum requirit; intelligeres, cum qui bibit ex aqua, quam offero tibi, numquam sitire, ac in ipso fieri fontem aquæ vivæ in æternam usque vitam salientis. Mulier illecta descriptione ejus gratiæ, quam quidem ignorat, sed cujus dulcedinem incipit experiri, repente exclamat: Domine, da mihi aquam hanc, ne unquam sitiam, neque tanto cum labore huc accedere cogar aquam haustura: mox verò illi suum aperit cor, seque integræ conversioni disponit, quæ non multò post est subsecuta.

Ratio, quā ex nobis repetet Deus, gratiarum, quas ab illo accepimus.

Parabola patrisfamilias rationem repetentis ex villico de bonorum suorum administratione, satis exprimit districtum illud judicium, quo aliquando reposcet Deus rationem gratiarum, quas contulit nobis, & quæ totidem sunt salutis adminicula, quæ nobis suppeditavit. Tibi, inquiet ille, adeo vivida, & valida dedi lumina, ut agnosceres, quid tibi esset faciendum; illane secutus es? Tot optimos sensus inspiravi, ut a peccato, & mundo divellerem, ac te mihi conjungerem; illos ne amplexus es? Gratiæ meæ impulsu tot egregia iniisti consilia; illane perfecisti? Tot conciones audisti, tot optimos libros legisti; ullumne fructum percepisti? Hæc recepisti; quomodo illa impendisti? Credebam, Deus, mihi rationem hanc reddituro peccata dumtaxat esse metuenda; sed heu! video, mihi magis adhuc dona, gratiasque tuas esse formidandas; si enim nullas recepissem, nulla mihi esset ratio reddenda.

Congeries exemplorū eorum, qui vel gratiæ responderunt, vel eidem restiterunt.

Plura nobis in Evangelio suppetunt illorum exempla, qui conversi, vel vocati fuerunt alii quidem unico Salvatoris verbo, uti S. Matthæus, alii unico intuitu, uti Zachæus, & Sanctus Petrus postquam Dominum suum ter negaverat; quæ res satis ostendit celerem, validamque in aliquibus gratiæ operationem. Alios etiam in Actis Apostolorum videmus, qui validioribus gratiæ impressionibus obluctati sunt, ut Judæi, qui Sanctum Stephanum lapidibus obruerunt, quibus Martyrum ille princeps exprobravit incredulitatem: *Vos semper Spiritui Sancto resistitis.* Ex hoc numero fuerunt Felix Judææ præses, Festus, & Rex Agrippa, coram quibus Sanctus Paulus in judicium prodire, & causam dicere debuit: Quorum postremus cum Sancti Pauli sermonem roboris plenissimum audivisset respondit, illum conari, ut se in JESU CHRISTI castra traduceret levem ob causam: quamvis Apostolus, validissima attulisset ejus veritatis argumenta, quam illi amplectendam proponebat, & argumenta hæc totidem essent fortes, validæque gratiæ, quibus infelix ille adversatus est, licet adversari non posset vi rationum, quæ a Sancto Paulo afferebantur. *Act. 7.*

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic Argumento.

Si quid quid boni facimus a gratia procedit, quomodo dici potest, nos bonis operibus mereri?

QUid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? 1. *ad Cor.* 4. In hæc verba sæpe egregium hoc effatum repetit Sanctus Augustinus. *In nullo gloriandum, quando nostrum nihil est.* Quid ergo, aliquis dicere poterit, nonne laudare possum hominem, quia bonus, & virtute præditus est, quandoquidem ex communi omnium sapientum sententia, bona opera sunt laudibus digna? Sin autem æternam bonis operibus vitam meremur, cur nefas erit aliquam temporalem gloriam coram hominibus quærere? Opera bona nonne nostra sunt, & libertatis nostræ, æquè ac gratiæ effectus? Nonne pollicetur Deus se illos, a quibus glorificatus fuerit, glorificaturum? Nonne ipse etiam Apostolus permittit, ut gloriemur, dummodo gloriemur in Domino? Ipse etiam nonne se plus, quàm alios Apostolos, adlaborasse gloriatur? Ad evitandum Pelagianorum errorem, qui affirmant quidquid boni facimus, a nobis proficisci, ac propriis viribus fieri; & Lutheranorum, qui asserunt nos nihil conferre ei bono, quod facimus, sed gratiam om-

nia in nobis operari; confitendum est humiliter, Deum esse bonorum omnium, quæ sunt in nobis, anctorem, ac illum nos sua gratia prævenientem causam esse, ut illa faciamus. *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* 1. ad Cor. 1.

Gratia patiens est, & diu peccatores expectat.

Quadraginta annis offensus fui generationi illi, &c. Psalm. 40. Non quadraginta tantum annos pertinacem persequitur peccatorem, ut olim Israelitas in deserto, verum etiam aliquando quinquaginta, & sexaginta; illum urgens, atque sollicitans, ut oblatis uti velit luminibus ad infelicem statum suum, erroresque cordis sui cognoscendos: *Dixi; semper hi errant corde.* Centies quotidie dicit illi; infelix te ipsum perdis, ad tuam damnationem festinas; cumque peccatorem salutaribus hisce monitis nequaquam moveri intueatur, minas addit, mortem illi intentat, judicium, infernum, atque, si peccator adhuc sua abusus fuerit patientia, se illum perditurum minitatur: *Quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam.* Verbo; ne cogatur eum reprobare, illum deterrere studet, & sæpe in ipsum suscitat inimicos, qui eum persequantur; illum rebus adversis urget, omnes illius vias spinis conserit, ut tandem resipiscens ad Dominum suum revertatur.

Attentos esse nos decet omnium gratiæ, quas Deus nobis impertit.

Vigilate, quia nescitis, qua hora Dominus venturus sit. Matth. 24. Attente vigilandum est, ut tempus illud observetur, quo Dominus ad nos venit per gratias suas, non enim quædam decisivæ desunt, quibus nostram salutem adnectit. *Vigilate*, veniam ad vos, cum minus cogitabitis, in inopinata fortunæ vestræ inversione, in subita ægritudine, in domestico tumultu, in gravi calamitate. Hujusmodi occasiones, & vobis opportunæ sunt, & illi; vos quidem gratiis ejusdem recipiendis estis paratiores, ille verò hoc tempus inquirit, quo melius a vobis recipiendas esse cognoscit. Verum est, momentum hoc a vobis ignorari; sed ubi venerit, arripiendum est; ideoque diligentissimè cavendum, ne, ut Tertullianus ait, elabatur occasio. *Rumpe occasionem inopinatæ felicitatis.* Quid prodest servis toto primæ horæ spatio vigilasse, si dominus hora secunda venturus est? Quid vigilasse tertia, si venerit quarta? Semper paratos esse oportet. *Vigilate, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit.*

Gratia fulguris instar prætervolat.

Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret usque in Occidentem; ita erit & adventus Filii hominis, Matth. 24. Gratiæ, quas nobis impertit Deus, tamquam fulgura a nobis existimandæ sunt, Sanctus Gregorius inquit. Fulgur momento evanescit; sæpe nescimus unde veniat, aut quò vadat. Hoc ipsum accidit gratiæ; Spiritus Sanctus perflat, ubi ipsi libet; venit, & abit, quin sciamus, quo se recipiat; si tibi elabatur, periculum est, ne iterum redeat. Verum hoc nondum satis est; Scis fulgura esse tonitruum præsagia; & ubi fulserit, futurum esse, ut non multo post cœlum tonet omne fragore. Gratiæ, quas Deus nobis tribuit, nos illuminant, percellunt, efficiuntque, ut nosmetipsos colligamus; sed admonent simul nisi illi fuerimus cooperari, illas in tonitru immutatum iri, ac parituras fulmina, quibus obruemur.

Deus eos punit, qui sunt suæ gratiæ rebelles.

Curavimus Babylonem, & non est sanata: derelinquamus eam. Jerem. 51. Ex his verbis cognoscere potes, & si cognoveris, totis artubus contremisces; Deum in ita sua ultionem reposcere de peccatoribus, qui gratiis suis infideles fuerunt, eos deserentem. Fac quodcumque tibi lubet; nulla ultra tui cura me tangit: *Curavimus Babylonem, & non est sanata; derelinquamus eam.* Heu! quid erit de anima, quam Deus dereliquit? De scelere in scelus ruet, quin ne intelligat quidem; vel si intellexerit, in iis sibi complacebit futurum sperans, ut aliquando illinc emergat. Mira, & perniciosa illusio, in qua Deus iratus illam relinquet. Postquam per Isaiam testatus est, se summo dolore affectum, eò quòd vinea, quam tanta cura excoluerat, spem suam fefellisset, *Auferam*, inquit, *sepem ejus, & erit in direptionem; diruam maceriam ejus, & erit in conculcationem.* Convelletur, eradicabitur, conteretur, eamque ita deseram, ut præ ariditate, ac sterilitate desertum videatur. *Ponam eam desertam.* Tribuli, ac spinæ obruent illam, & eò usque mea indignatio exardescet, ut prohibeam, ne Cœlum in illam suos imbres, & rores effundat: *Ascendent vepres, & spinæ, & nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem.* Isaiæ c. 5.

Infelicitas contemnentium gratiam Dei.

Videns Jesus Civitatem flevit super illam. Luc. 19. Lacrymæ, quas mundi Salvator super Jerusalem effudit, non minorem nobis injicere debent timorem, quam sanguis, quem pro eadem, ac nobis effudit; ideo enim ex oculis ejus manarunt lacrymæ, quia videbat sanguinem a se pro illa effundendum inutilem futurum. Ita cum sanguis ejus non defluit amplius pro nobis, misertus malorum nobis impendentium effundit lacrymas testaturus dolorem illum, quo afficitur videns nos ad statum adeo infelicem redactos. Quæ enim tristior cogitatio cor tuum conficere potest, o humani generis Salvator, ad miserrimæ hujus urbis adspectum? Numquid ejus crudelitas, eò quòd tot Prophetarum cruore sese fœdavit, an adspectus scelerum, quæ quotidie ibi patrabantur; quandoquidem nihil præter peccatum illi dolorem potest afferre? Numquid consilium, quod Pontifices, & Magistratus contra illum inire incipiebant, ut supplicio, omnium gravissimo, turpissimoque eidem vitam auferrent? Numquid tandem urbis hujus, quam Deus tantopere amabat, excidium, ac extrema vastitas, quam ipse etiam portendit? Nihil sane horum peculiariter; sed urbi malorum omnium origo fuit visitationis suæ tempus non agnovisse; *Eò quod non cognoveris tempus visitationis tuæ.* Luc. 19. Deflet cæcitatem ingratæ Civitatis, non cognoscentis tempus, quo visitatur a Domino, & ignorantis felicitatem, qua perfrueretur, si gratiam hanc vellet agnoscere. *Plangit eos, qui nesciunt, cur plangantur.*

Gratiæ celeriter est obtemperandum.

Continuo non acquievi carni, & sanguini. Ad Galat. 1. Cum nos vocat Deus, vel aliquid petit ex nobis, celeriter obtemperandum est, neque jugi cunctatione fatiganda est ejusdem patientia. *Continuò*, inquit Apostolus; statim ac locutus est, ejusque vox meis auribus insonuit, illicò, eodemque temporis momento parui, quin aliquam prætexerem excusationem, quin necterem moras; *Continuò.* Quemcumque obicem fregi; carnem sanguinemque contempsi; quaslibet humanas cogitationes posthabui; nulla ratio, nullus metus, causa nulla prohibere me potuit. Ex hoc Apostoli fervore primam intelligo sacri illius ignis favillam, quæ ejusdem cor inflammavit, & sese in extremas usque oras terrarum effudit. Nos verò, o Fideles, cum nos illuminat Deus, cum inspirat, cum urget, quamdiu cunctamur antequam obtemperemus? Quot dubitationes mentem perturbant? Quot nos deterrent cogitationes, cum jamjam operi manum sumus admoturi? In quem cogitationum mæandrum non labimur? At non ita Paulus Apostolus: *Continuo non acquievi carni, & sanguini.*

Quàm necessarius sit usus gratiæ.

Dixit Deus: Fiat lux. Et facta est lux. Genes. 1. Recte quidem nonnulli Sacrorum Bibliorum Interpretes notarunt, mundum, licet tridum saltem solis usu carere potuerit, qui die quarto creatus fuit, ne momento quidem carere potuisse luce, quæ eadem cum mundo jactat incunabula, & quæ cum eodem ipsa prima creationis Die cœpit esse. Hoc facere non abs re Deus esse censuit, quoniam nullum ex operibus suis sine lucis ope poterat conspici. Hoc ipsum in supernaturali ordine gratiæ deprehendere licet; qui semper initium ducit a luminibus, quæ elucere facit ob oculos mentis antequam aliquid in ipsa voluntate producat; cujus operatio semper supponit operationem intellectus, qui unus cæcam hanc facultatem potest illuminare.

PARA-

PARAGRAPHUS IV.

Loci, ac Sententiæ Sanctorum Patrum, in hoc Argumento.

CUi redderet coronam justus Judex, si non donasset gratiam misericors Pater? August. lib. de Gratia & libero arbitrio.

Nolentem prævenit ut velit, volentem subsequitur, ne frustra velit. Idem, in Enchirid. c. 32.

Quod potest esse meritum hominis ante gratiam? cum omne bonum meritum nostrum non in nobis faciat nisi gratia. Idem, Epist. 194.

Qui nos creavit sine nobis, non nos justificat sine nobis; creavit nescientem, justificat volentem. Idem, de bono viduit. cap. 17. Et de verb. Apost. Serm. 15. cap. 11.

Zachæus visus est antequam videret, & non vidisset nisi visus fuisset. Idem, Serm. 8. de verbis Apostol.

Si dicis, adjutor meus, aliquid agis; nam si nihil agis, quomodo ille adjuvat. Idem, Tract. 4. in Epist. Joan.

Vita hujusmodi hominis (nempe probi) non est opus hominis, sed Dei; imo Dei & hominis: Dei propter operantem gratiam, hominis propter cooperantem obedientiam. Idem, Sermon. 15. de verb. Apost.

Ipsa est gratia beneficii Dei prima, redigere nos ad confessionem infirmitatis, ut quidquid boni possumus, quidquid potentes sumus, in illo simus: ut qui gloriamur in Domino gloriemur. Idem, in Psal. 38.

Liberum arbitrium ad malum sufficit, licèt ad bonum nihil sit, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono. Idem, l. de correpr. & grat.

Justitiæ præcepta omni ex parte implere non possumus, nisi adjuvemur à Deo. Idem, l. 2. de peccat. meritis & remiss.

Quis est tam fortis, ut nunquam in tentationem moveatur, nisi Dominus ei adjutor assistat? Idem, in Psal. 43.

Non gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo. Idem, lib. de Gratia & libero arbitr.

Sive parum, sive multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest. Idem, in Joan.

Da quod jubes, & jube quod vis. Idem.

Nihil boni operis agere potest (homo) absque eo, qui ita concessit liberum arbitrium, ut suam per singula opera gratiam non negaret. Hieronym. in Pelagian.

Credendi & non credendi libertas in arbitrio posita est. Cyprian. l. 3. ad Eunomium.

Ubique Domini virtus studiis cooperatur humanis, ut nemo possit ædificare sine Domino, nemo custodire sine Domino, nemo quidquam incipere sine Domino. Ambros. lib. 2. in cap. 12. Lucæ.

Dei gratia cur ad illum veniat, ad illum non veniat, occulta causa esse potest, injusta esse non potest. August. de Baptismo parvulorum.

Quotidiana præstat (Deus) præsidia, quibus nisi freti, confisique nitamur, nequicquam humanos vincere poterimus errores. Innocent. Epist. ad Concil.

Sicut terra non germinat nisi pluvias susceperit, nec pluvia fructificat sine terra; ita nec gratia sine voluntate aliquid operatur, nec voluntas aliquid potest sine gratia. Chrysost. c. 19. in Matth.

Si Dei gratiam nacti fuerimus, nullus nobis prævalebit, sed potentiores omnibus erimus. Idem, Homil. 46. in Genes.

Justè instat præcepto, qui præcurrit auxilio. Sanctus Leo, Serm. 56. de Pass.

Rape occasionem inopinatæ felicitatis. Tertull.

Tolle liberum arbitrium, non erit quod salvetur: Tolle gratiam, non erit unde salvetur. Bern. l. de Grat. & libero arbitrio.

Deus thesauro suo invigilat; nec sinit indignos obrepere. Tertull. l. de Pœnit.

Necesse est ut quo adjuvante vincimus, eo iterùm non adjuvante vincamur. Cœlest. Pap. Epist. 1. cap. 6.

Omnes nobis causamur deesse gratiam; sed justiùs forsitan ista queritur deesse sibi nonnullos. Bernard. de triplici custodia.

Illa est peccati pœna justissima, ut amittat unusquisque quo uti noluit. August. l. 3. de lib. arbitr. c. 18.

Conatus nostri cassi sunt, si non adjuventur, & nulli si non excitentur. Bernard. lib. de Grat. & libero arbitrio.

Opus est gratia tua, & magna gratia, ut vincatur natura ad malum semper prona à natura sua. Lib. 3. de Imitat. Christi, cap. 55.

Deus nos prævenit ut velimus, & volentes subsequitur, ne inaniter velimus. Gregor. Hom. 9. in Ezechielem.

Deus nobis & initium sanctæ voluntatis inspirat, & virtutem atque opportunitatem, quæ rectè cupimus, tribuit peragendi. S. Prosper contra Collatorem.

Gratia ut velimus sine nobis operatur; cùm autem volumus, & sic volumus ut faciamus, nobiscum operatur. August. lib. de Grat. & lib. arbitr. c. 17.

Deus, cujus miseretur, sic eum vocat quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat. Idem, l. 1. ad Simplicianum.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia penu ad hoc argumentum possit depromi.

HOc in loco agitur solum de actuali gratia, quæ nobis confertur, ut bonum quidem operemur, malum verò fugiamus; alibi enim locuti sumus de gratia habituali, vel justificante, aliisque Dei seu naturalibus, seu supernaturalibus beneficiis, quæ in Scripturis gratiæ nomine appellantur. Porrò interior, & actualis gratia, de qua modò quæstio est, subsidium est peculiare nobis a Deo collatum, ut bene vivamus, idque gratuitò per merita JESU CHRISTI. Ea autem secundum Conciliorum doctrinam in mentis illustratione, & voluntatis motu consistit, quam Arausicanum Concilium *suavitatem in consentiendo*, Tridentinum verò *tactum cordis* appellat. Primum illud a Sancto Augustino vocatur lumen, monitum, & vocatio; alterum verò illecebra, voluptas, & amoris initium: *Ut innotescat quod latebat, & suave fiat, quod non delectabat, gratia Dei est, qua hominum adjuvat voluntates.* Hujusmodi gratiæ actuales vocantur, actu enim durant, mox abeunt, qua in re ab habitualibus differunt, quæ sunt permanentes. Illæ autem a Deo proficiscuntur; earumque nullum est in nobis principium; ideoque Deus illas operatur in nobis sine nobis, uti inquiunt Theologi; quia horum actuum principium in nobis non est, quamvis utatur Deus intellectu, ac voluntate nostra ad eos eliciendos. Deus illas sine nobis operatur; non enim eas liberè nos ipsi producimus; sed Deus libertatem nostram prævertit. Quibus addendum est, Deum nihil hominibus magis gratuitò conferre, ideoque nihil esse, quod illis minus debeatur. *Alioquin gratia jam non est gratia.* Non debetur autem homini gratia ex justitia; Deus enim nihil omnino hujusmodi debet; bonis operibus non debetur; non enim meritis subest, quorum ipsa principium est: non debetur naturæ, quia supra naturam est; peccatori verò multò minus debetur, qui tantum ab est, ut aliquod habeat illius expectendæ jus, quod imo deseri, ac suppliciis adjudicari meretur.

Actualis, interiorisque gratiæ definitio; quid sit, & in quo consistat.

August. de peccat. merit. cap. 19.

Ad Rom. 11.

Fides nos credere jubet, Deum non solum lumina sua in nostrum intellectum effundere, verùm etiam in voluntate, cordibusque nostris pium affectum accendere. S. Augustinus passim verba

De discrimine inter gratiam quæ lumen est in intellectu, &

eam, qua pius est affectus in voluntate. Lib. 2. de peccat. merit. & remiss.

facit de hac duplici gratia ad hoc necessaria; ut bonum velimus, & operemur; easque vocat: *Certam scientiam, & victricem delectationem; lucem qua aperitur, quod latebat, & suavitatem, qua diligitur, quod non delectabat. Certam scientiam*, hæc prima est gratia, quæ est in intellectu; *& victricem delectationem*, quæ altera est in voluntate posita; *Lucem, qua aperitur, quod latebat, & suavitatem, qua diligitur quod non delectabat*; eodem ferme pacto quo in igne duæ sunt qualitates, lux, & calor, per quas simul & lucet, & fovet. Hoc tamen discriminis interest hinc quidem inter ignis lucem caloremque, inde verò inter gratiam intellectus, vel piæ cogitationis, & pium voluntatis affectum; quod lux ex igne refulgens numquam calore caret, calor verò e contra sæpe est sine lumine, quandoquidem opacissima etiam corpora permeat. At non idem dicendum est de gratiis Dei. Sæpe enim accidit lumen intellectus calore hoc est amore esse vacuum. Unde sequitur sanctæ cogitationis gratiam in nobis esse posse sine pio voluntatis affectu, vel ut melius dicam sine effectu suo: sed pii affectus gratia sine gratia sanctæ cogitationis esse non potest. Et ratio constat, nullus enim necessarius est nexus inter cogitare, & velle, qualis est inter velle, & cogitare. Non semper ea volumus, quæ cogitamus; sed quod volumus, hoc semper cogitamus.

Communis actualis gratiæ divisio in prævenientem, concomitantem, & subsequentem.

Vulgatior, magisque generalis divisio, actualium gratiarum, quæ a Theologis afferatur in eas est, quas *prævenientes, concomitantes, & subsequentes* appellant. Quæ quidem divisio cæteris quibuscumque est anteferenda, tum quod cæteræ ad hanc facile referri possunt, tum quod Tridentinæ Synodi auctoritate fulcitur, quæ de actuali gratia his loquitur verbis: *Quæ virtus bona justorum opera semper antecedit, concomitatur, & subsequitur*. Prævenientem autem dicimus gratiam eam, quæ libertatem nostram prævertit, gratiam, quæ non vocata, adest, & adest sæpe etiam, non expectata, immo tunc etiam, cum ad eam recipiendam minus dispositi sumus; ideoque Theologi dicunt hanc in nobis esse sine nobis: non quod intellectus ac voluntas nostra quodammodo in illa non agant; cum enim sit bona cogitatio, vel pius affectus, est actio vitalis, quæ sine intellectu, & voluntate produci non potest; sed quòd nihil liberè ad illam conferimus seu per meritum, seu per liberam cooperationem; & hæc præventio, ut ita loquar, quæ a Deo, ac mera illius gratia, & bonitate procedit, vulgò appellatur *vocatio, vel excitans gratia*. Quatenus verò, uti antea dictum, est lumen, & illustratio in intellectu, vel delectatio in voluntate, qua ut Sanctus Augustinus loquitur, se quodammodo præoccupatam sentit, & nescio qua dulcedine suaviter præventam; consistit in sanctis persuasionibus, monitis, conscientiæ stimulis, terroribus, tædiis terrenarum rerum, sanctis cogitationibus in intellectu, primisque motibus in voluntate; quos Deus in anima peccatorum inspirat, ut illos exempli gratia ad contritionem, vitæque mutationem impellat. Gratia hæc, Sanctus Thomas ait, præveniens vocatur, quia meritum, dispositionem, atque consensum prævertit; Meritum quidem, quia hominem invenit Dei inimicum; dispositionem autem, hæc enim gratia voluntatem disponit, & præparat; consensum denique, hoc enim bonum est, quod Deus in homine sine homine facit. Secundò gratiam concomitantem intelligimus hanc eamdem gratiam, quatenus agit in nobis, uti loquitur Sanctus Augustinus: *Ut velimus, sine nobis operatur*. Ecce pro gratia præveniente, quæ nos in eum statum adducit, ut bonum velimus. *Cum autem volumus, & sic volumus, ut faciamus, nobiscum operatur*; Ecce pro concomitante, vel cooperante, quæ talis fit cum bonum volumus, & facimus. Subsequentem denique intelligimus hanc ipsam gratiam, quæ nomen immutat, cum opera nostra bona se-

Lib. de Grat. & libero arbit. cap. 17.

quitur, perficit, & prohibet, ne inani gloria, vel alia quapiam prava intentione, quæ contingere posset, corrumpantur. Itaque eadem semper est gratia, quæ quodam in sensu nos prævenit, in alio concomitatur, in alio denique sequitur juxta sanctæ Tridentinæ Synodi verba: *Gratia bona justorum opera antecedit, & concomitatur, & subsequitur*.

De gratiæ necessitate. 2. Cor. 3.

Sanctus Augustinus *lib. de Grat. & lib. Arbitr.* probat gratiæ necessitatem, & sine illa nihil boni nos facere posse, his Apostoli verbis: *Non sufficientes sumus aliquid cogitare a nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est*. Ita ille argumentatur. Nulla esse potest actio bona, quam aliqua bona cogitatio non præcesserit; cum enim homo sit ratione præditus, nequit operari bonum, nisi illud velit, & velle non potest, nisi illud agnoscat; & non potest agnoscere, nisi illud recogitet. Si igitur *Non sufficientes sumus aliquid cogitare a nobis*, ut inquit Apostolus, minus adhuc possumus velle; plus enim est velle, quàm cogitare, cum minime desint quam multi, qui cogitent quidem bonum, illud verò minime velint. Minus adhuc bonum ex nobismetipsis operari possumus, quàm illud velle, & cogitare possimus; plures enim illud & cogitant, & volunt, qui minimè operantur. Igitur gratia Dei nobis est necessaria ut bonum, saltem meritorium, velimus, & operemur.

Gratia magis indigemus eo, in quo sumus, statu, quàm in statu innocentiæ.

Gratia hæc in ipso etiam innocentiæ statu erat homini necessaria; rationalis enim creatura, licet perfecta sit, semper supernaturali eget auxilio, ut cum merito bonum operetur. Modò verò major necessitas adest in statu naturæ corruptæ. Nisi peccasset homo, cognovisset ea quæcumque necessaria sunt ad bene agendum, neque caro tamopere contra spiritum rebellasset. Nunc verò sæpe nescit quid sibi amandum sit, & sæpe id amat, quod amandum non est; numquam enim peccatur, nisi vel ex boni ignorantia, vel ex mali concupiscentia, quæ duæ sunt peccatorum omnium in terris origines. Requiritur ergo medicinalis Salvatoris gratia multò validior, ac fortior, quàm in naturæ nostræ integritate, altera contra tenebras ignorantiæ, altera contra pondus concupiscentiæ, ut suave id fiat, quod erat amarum; altera ad persuadendum, altera verò ad hoc, ut persuasioni cedamus; altera ad veritatem ostendendam, altera ad eamdem sequendam; altera ad docendam legem, altera ad illam adimplendam; altera ad diaboli versutias dignoscendas, altera ad illas vitandas. Quod ita verum est, ut pro fidei articulo habendum sit, non posse nos ex nobis sine peculiari divinæ gratiæ subsidio unam bonam cogitationem fovere, neque unum pietatis opus absolvere, neque uni tentationi resistere, neque cum merito, ut opus est, unicum præceptum servare.

Duæ contrariæ hæreses de gratiæ necessitate.

Hac in re duo evitandi sunt scopuli, & diligentissimè cavendum, ne in alterutram hæresim impingamus; quarum altera est Pelagianorum asserentium, hominem ex propriis viribus, & sine interioris gratiæ subsidio bonum facere; & unicè industria, & labore suo virtutem acquirere; ideoque eidem deberi gloriam eorum omnium, quæcumque bona operaretur. Altera hæresis contraria est affirmantium voluntatem nostram non aliud efficere, nisi recipere id, quod in ea Deus ponit, & hunc unum esse, qui omne opus bonum operatur, quin in eo partem ullam nobismet vendicare possimus: quem errorem Synodus Tridentina damnavit. Nec desunt alii, qui dicunt, voluntatem quidem nostram cum gratia ad agendum concurrere, sed illam nihil mereri magis, quàm inanimatum instrumentum, quod a principali agente movetur; quæ opinio bonarum actionum auferens merita, nihilo est superiore probatior. Ecclesia Catholica utrumque fugiens extremum docet impiam esse bonorum operum nostrorum gloriam æqualiter cum Deo velle partiri; sed negari nequaquam posse, quin Sacræ Scripturæ adverse-

versemur, merita bonorum operum, quæ facimus gratiæ cooperantes.

Prohibere non possumus, ne Deus suam nobis gratiam impertiat; huic tamen gratiæ resistere possumus.

Notandum est, prævenientem gratiam, quoad primum ejusdem effectum, a libertate nostra nequaquam pendere, eamque in nobis esse sine nobis: videlicet Deum ita animæ nostræ loqui, ut anima illum necessariò audiat; ita spiritum illuminare, ut spiritus necessariò videat, ita cor allicere, ut cor necessariò illecebras sentiat, unde fit ut anima ita vocata, illuminata, illecta se vocatam, illuminatam, illectamque esse ignorare non possit. Verum si primus, & formalis gratiæ prævenientis effectus necessarius est; secundus, pro quo datur, exempli gratia, actus amor Dei, vel alicujus præcepti observantia, ita liber est, ut anima per gratiam excitata eidem resistere possit, ut Tridentina Synodus loquitur: *Potest eam abjicere*; potest frustrari gratiam eo fine, ad quem tendit; præcipuum illius effectum potest inhibere. Hoc statutum jam est, & Ecclesia inter fidei articulos adscribendum censuit; & ideo si animæ visio necessaria est, persuasio est libera; si illecebra a libero arbitrio nostro non pendet; pendet tamen cordis nostri consensus eidem illecebræ.

Decrevit Deus quascumque gratias singulis concessurus est.

Post Sanctos Patres docent Theologi, Deum infinitis Sapientiæ suæ luminibus ab æterno prævidisse gratias omnes, quas hominibus concedere poterat, & mox decrevisse eas omnes, quas illis esset largiturus, non solum quoad substantiam, verùm etiam quoad modum. Perfectum enim regimen petit, ut qui jubet, non solum generatim, sed singillatim etiam regat negotia, namque ex singularibus hisce rebus vulgo bonus, vel malus rerum gerendarum pendet eventus. Ita decrevit Deus tempus, locum, occasionem, in quibus gratias suas est collaturus, ac simul videt occasiones, momenta, situm, in quo est anima, ut illas recipiat, & novit illam certissimè assensuram, quod gratiæ congruitatem vocant Theologi. Hoc liquidò constat, scire Deum gratias suas ita temperare, easque accommodare dispositionibus eorum, quibus tribuuntur, ut cum peccatorem convertere cupit numquam suo frustretur effectu, & gratiæ ipsius certissimè finem suum consequantur.

Quid de gratia credendum, & cogitandum, ut hac in re simus orthodoxi.

Scriptura, Sancti Patres, qui ejusdem Interpretes sunt, & deinde Concilia perfecte docuerunt, quid sit nobis credendum in hoc adeo necessario de gratia articulo, qui excivit, & hodierna quoque die ciet tot gravissimas contentiones. Quin penitiora hujus argumenti adyta penetremus, hæc sunt, quæ credere debemus, & quibus tamquam solidis fundamentis possumus inniti. 1. Neminem sine JESU CHRISTI gratia salvum esse posse, & JESUM CHRISTUM, ut hanc omnibus mereretur, pro omnibus mortuum fuisse: hunc illam cui voluerit, & ubi voluerit, tamquam supremum donorum suorum arbitrum, dominumque conferre; sed hanc nemini denegare, quocumque in vitæ hujus statu inveniatur; quod omnino est necessarium ad salutem operandam; quamvis prima, atque postrema gratia non pendeant a nobis, sed ex mera Dei liberalitate procedant. 2. Persuasum esse debet tantùm abesse, per gratiam nobis libertatem auferri, quòd e contra per illam perficitur, & quò magis eidem obtemperamus, eò nos esse liberiores; addendum tamen est corruptam libertatem nostram resistere posse huic gratiæ, & de hac sancta libertate in veram nefariamque licentiam prolabi. 3. Liquidò constat voluntatem nostram ad nos quidem perdendos nimis validam, justificandos verò nimis infirmam, ex se sola quodvis malorum genus efficere posse, non posse tamen vel minimum operari bonum, quod Cœlestem gloriam mereatur. Verum etiam citra errorem dubitari non potest; hanc voluntatem, ubi gratiæ auxilium adfuerit, plurimum justificationi nostræ conferre posse, & cum hac gratia, quæ numquam est defutura, nobis conatus omnes exerendos esse, ut cum eadem laboremus. 4. Nullam nobis adesse conquerendi causam, gratias, quas Deus impertit, ut convertamur, & ad perfectionem progrediamur, vel nimis esse imbecillas, vel non ideo nobis conferri, ut effectum hunc consequantur; nulla enim gratia est, quæ sufficiens non sit; & improbitas nostra illas efficit inefficaces; & si re ipsa infirmæ sunt, exiguo hoc auxilio ea facere debemus, quæ pro virili possumus, quod quidem fortiores promerebitur, quas semper a Deo petere possumus, juxta illa Sancti Augustini verba: *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis.*

· *Hendry Bibl.* Tom. II.

Quomodo intelligendum sit; a Deo gratiã numquam denegari iis, qui faciunt, quod possunt.

Hæc propositio, toties discussa, & adhuc a Theologis quibusdam in dubium vocata, quasi semipelagianismum redoleret, nullam amplius difficultatem inveniet, si ita a concionatoribus explicetur: Deum numquam negare gratiam suam illi qui facit quod potest; videlicet illi qui facit quod potest, & debet, atque libertate sua a Dei gratia præventa sese alteri gratiæ disponit; hoc est, qui actuali adjutus auxilio suam voluntatem permovente, & actuali huic gratiæ cooperatus sese præparat ad recipiendam habitualem, a quo justificetur; hoc est, qui per peccatorum suorum dolorem, quem in ipso gratia præveniens producit, sese ad veniam recipiendam disponit; hoc est, qui per fidem inchoatam, quæ Dei donum est, sese fidei perfectæ præparat; facit quod potest, & petit, quod nondum facere potest: hoc est denique, cum Deus neminem sine sufficienti relinquat auxilio ad salutem suam operandam, ille qui cum hoc auxilio id fecerit, quod potuerit, certissimè obtinebit gratiam faciendi reliqua, quæ ad salutem assequendam sunt necessaria.

In quo gratiæ efficacia consistat.

Nemo Catholicus dubitat, ad Deum nos ire non posse citra peculiarem gratiæ attrahentis motum; tamen Concionator docere non debet, quid gratiæ virtutem hanc conferat nos attrahendi, & quid illam efficacem efficiat; sed integram Scholis quæstionem hanc relinquat, tandiu, atque tanto cum ardore agitatam. Seu enim efficax gratia, illa videlicet, quæ certissime suum assequetur effectum, pro quo data est, per se, naturamque suam efficax sit, quod difficile conciliari potest cum libero arbitrio, quod numquam est imminuendum, seu efficax appelletur propter voluntatis consensum, quem præsupponit, seu efficacem, atque victricem hanc potestatem percipiat ex voluptate, quæ illam concomitatur, & ex quadam illecebra, ex qua cognoscit Deus futurum ut cor se libere dedat, quemadmodum pluribus in locis Sanctus Augustinus ait; seu denique hoc proficiscatur ex quadam congruitate hujus gratiæ tali tempore, talibusque circumstantiis traditæ, in quibus cognoscit Deus, illam effectu suo non carituram. Parum interest Auditoris, dummodo illi persuasum sit de triplici hac veritate, quæ in dubium vocari non possunt. Prima est, nullam esse gratiam adeo fortem, quæ consentiendi necessitatem imponat. Altera; nullam adeo infirmam esse, ut cum ea converti minime valeamus, seu mediatè, seu immediatè; nobis aditum aperiente ad alias impetrandas gratias, quæ effectu suo non destituentur. Tertia; non debere hominem gratiæ, sed suæ improbitati, ac rebellioni vitio vertere quòd non convertatur ad Deum; plurimi enim sese dediderunt gratiis longè infirmioribus, quàm quas acceperit; quemadmodum vicissim alii fortioribus, atque validioribus restiterunt: atque hoc in sensu, dici potest quælibet gratia efficax esse, & effectum suum producere posse, nisi prohibeatur a nobis; sed illum non producere, nisi nobiscum, atque dependenter a nostra voluntate.

Pluribus modis gratiæ resistimus.

Potest homo multifariam gratiam rejicere: 1. Formali, explicitaque voluntate, Deo dicens, nihil facere volo, ut pertinax ille Pharao: *Nescio Dominum, & Israel non dimittam.* Altera resistendi ratio non est adeo inurbana; formalis non

Exod. 5.

Q 4 est,

est, sed negativa, eaque pluribus modis fieri potest. 1. Simplici omissione. Gratia dicit; alienum hoc bonum restituendum est; ego verò non dico, nolo restituere; sed illud retinere pergo, & gratia, quæ transitoria est, evanescit, neque amplius inspirat. 2. Cum sanctam animo meo subeuntem cogitationem deflecto, atque mentem meam rebus aliis addico; interim abeunte gratia. 3. Cum eum vitæ statum amplector, qui simul conciliari non potest cum eo statu, ad quem me gratia vocat. Deus me ad Regularem statum accersit, ego verò conjugalem amplector; tunc enim gratiæ vocationis hujus adversor.

Quomodo salutem nostram in periculum adducimus gratiis Dei resistentes.

Esto quidem, repulsa inspirationum, quæ nobis tribuuntur, ut ea, quæ de præcepto sunt exequamur, vel ut a vetitis actionibus abstineamus, non sit grave peccatum ab illo distinctum, quod parramus, cum hujusmodi inspirationes negligimus, atque contemnimus: nulla enim peculiaris est virtus, cui hujusmodi repulsa opponatur: Esto minus adhuc peccatum sit inspirationes rejicere, quibus ad bona excitamur opera, & quæ non imponunt necessitatem præcepti, sed tantum optimi consilii utilitatem. Certum nihilominus est, a nobis Deo reddendam esse rationem harum gratiarum, atque ex illis faciendum esse judicium, nisi punitionis, saltem justificationis, quo Providentiæ suæ œconomiam probabit ostendens, afflatus suos nobis non defuisse, ac per illum non stetisse, quominus salutem adipisceremur. Itaque licet Cœlestibus inspirationibus inobedientia, peculiaris noxa non sit; illæ tamen talem habent nexum eum ordine, quem instituit Deus, ut nos ad Cœlum adduceret, ut earum nonnullæ saltem tales sint, ut si illas contemnamus, salus nostra in discrimen vocetur.

De mensura gratiarum singulis distributarum.

Constans est in Scripturis Veritas, Dei gratias nobis tribui in numero, pondere, & mensura, ideoque numerum earum esse constitutum. Novit ille, quænam sit postrema illa, quam nobis est largiturus, non secus ac novit quot periodos obiturus sit sol, & quot aquæ guttæ in terram sint delapsuræ. Hinc fit, ut cum hæ gratiæ intra certum numerum contineantur, exhauriantur, & consumantur prout plura committuntur peccata, pluresque gratiæ abjiciuntur. Modus tamen aliquis, ac temperamentum afferendum est huic propositioni, quæ sanæ Theologiæ videtur opposita, docenti, Deum numquam in hac vita sceleratissimos etiam peccatores ita deserere, ut subinde illis aliquam gratiam non tribuat, immo eam, quæ omnino sufficere potest, ut de vitiorum suorum cœno homines perditissimi emergant. Ut ergo simul concilientur hæ sententiæ, quæ quodammodo sibimet adversari videntur, dicendum est, finitum hunc numerum, constitutamque mensuram intelligendam esse de gratiis vehementibus, fortibusque, quibus cor rapitur; non autem de communibus, quæ omninò sunt necessariæ ne illorum calamitas omni careat medicina. Sed quota est hæc fortium, ac potentium gratiarum mensura, & quotus est peccatorum numerus, quæ in nobis pati decrevit Deus? Hoc utique arcanum est nemini pervium. Dicere tantùm possumus generatim; pro aliis quidem majorem esse, minorem pro aliis; Deum aliquibus post primam repulsam, primumque mortale peccatum suas gratias subtrahere, alios verò ita non deseri nisi post decimam, centesimamve noxam, quippe hoc a Dei pendet voluntate; & numerus hic in judiciorum Dei latet abysso.

Quid gratiis vocari debeat, & Dei dona quæ hoc nomine appellantur.

Quamvis gratiæ, favoresque appellandi sint, quidquid a Deo proficiscitur; attamen beneficia omnia, quæ ab illo accipimus, propriè, & eo, in quo istic accipimus sensu, gratia non dicitur. Sed hæc lumina, & cognitiones, quas Deus nobis tribuit, absque eo quod illas quæramus, bonæ cogitationes de vitio vitando, vel exercenda virtute; Sancti motus in voluntate nostra, per quos conversioni nostræ assentimur, antequam eam obtineamus gratiam, quæ justificationem nostram constituit; divinæ motiones, quæ cor nostrum concutiunt, eumque cogunt pœnitentiam amplecti, ac vitium detestari, hæc omnia vocantur actuales, & supernaturales gratiæ; quia sunt totidem subsidia naturæ nostræ collata, ejus vim excedentia, & quæ nullis assequi ipsa potest meritis, quæ de condigno, ut loquuntur Theologi, vel æquitatis titulo Deum cogant, hæc nobis auxilia tribuere, ut in salutis via primum gradum efficiamus.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, Recentibusque Concionatoribus loci hujus Argumenti.

Varii modi, quibus agit gratia in conversione peccatorum.

Gratia in peccatoribus convertendis non eadem semper utitur arte. Modò fit tamquam radius vivus, & efficax, qui de Patris luminum sinu egressus, illustrat, percellit, prosternit, rapit illos, in quos fertur; modò claritas est moderatior suum habens progressum, ac successionem, quæ de victoria aliquandiu videtur contendere cum densis nubibus, quas dissipare conatur; neque superare posse nisi postquam millies vis facta, totiesque repulsa ambiguum fecerit, utrius tandem certaminis honos futurus esset. Modò est Deus fortis, uno ictu cedros Libani evertens, modò Deus patiens cum servo suo Jacob luctans, eumque sinens aliquantisper de situ suo ambigere, ut interim illum in eam inducat viam, ad quam ipsum invitat. Ita, o Deus, tamquam cordium Dominus operaris. *Sermo de Samaritana muliere, qui P. Massillon esse perhibetur.*

Gratia ipsis etiam sceleribus nostris utitur, ut eos nostrum flectat.

Primus gratiæ gressus: Deus improbam, rebellemque debellaturus animam, quæ suæ conversioni adversatur, affectu ejusdem utitur; eamque in iis etiam locis perturbat, ubi illa voluptatum fontem inveniat. Saulus furens Damascum petit Ecclesiam persecuturus, & in eadem via prostratus in Apostolum commutatur. Centurio Calvarium ascendit præsidio futurus carnificibus, qui JESUM CHRISTUM ultimo erant affecturi supplicio; sed cœlesti percitus radio ipsum verè Dei Filium esse profitetur. Anima quotidie stimulis uritur, ac dolorem invenit ibi etiam, ubi solatia, & voluptates se putabat inventuram. Illam gratia præstolatur, ut ita dicam in exitu viarum, quibus hæc ad sua fertur flagitia; iræ, perfidiæ, amaritudines, ærumnæ, aliaque id genus totidem sunt divinæ ictus misericordiæ, & peccator sæpe justitiæ thesauros nanciscitur, ubi æternæ calamitatis suæ causas quærebat. *Idem.*

Per gratiam maximos etiam obices superamus.

Gratia, ubi vult, de maximis quibuslibet impedimentis triumphat; hæc enim cœlestis unctio, ubi vult, dolores ipsos nobis in consolationes convertit; itaut per gratiam hanc, quod antea nobis erat in deliciis felle ipso amarius fiat, & quod præsentissimum virus erat fiat nobis manna abscondita nos simul nutriens, atque confirmans. Spiritus Dei, ubi ipsi placuerit, homines maximè infirmos in novos, potentes, fortesque convertit, qui in periculosissimis etiam occasionibus fideles, in apertissimis periculis firmi, & inconcussi inveniuntur, & quos exempla ipsa efficacissima incorruptibiles probant; ut verbo me expediam gratia fortior, quàm natura, quoslibet superat obices, suaviter, ac sine vi omnia ad se attrahit corda, quæ convertere cupit. *Idem.*

Fallax prætextus deesse nobis gratiam ut convertamur.

At enim, deest mihi gratia? Heu! quomodo illam tibi deesse nosti, cum ne unum quidem pedem efferre conatus fueris, ut ex erroribus tuis emergeres, & ad Deum tuum reverteretis? Si post sinceros reditus millies sub improbitatum tuarum pondere concidisses, fortasse jure diceres, in conatibus tuis Dei præsidio fuisse destitutum; sed cum in sceleribus tuis tranquillus ne pedem quidem proferre studeas, ne minimum quidem conatum

tum exeras, ut e lapsu consurgas, & revertaris nd Deum; oæ injustus es, si te a Deo derelinqui, & gratiam illius tibi deesse conquereris. Tot nculeati stimuli, qui jam pridem laniant conscientinm tuam, quio olln re eos placare valeas, nonne totidem gratiæ sunt, quas Deus tibi largitur? Hæ curæ, sollicitudines, mœrores, scrupuli, qui ne momento quidem te vexare cessarunt, ex quo Deum ruum tcliquisti, & quorum satis fuissent singuli, ut te ad officium tevocarent; omnes simul impetum fecerunt in te, veluti rupem nihil sentientem, & nihilò seciùs, quereris adhuc tibi gratiam deesse? Heu! quid facis, quid conaris ut istam gratiam obtioeas? Orasne in siocerirate cordis tui? Humiliterne, neque enixè hanc flagitas gratiam? Abstinesne ab iis omnibus, quæ probibere possunt, ne animam tuam ingrediatur? Quid ergo? Putasne, te inerte, & otioso gratiam ex se soln conversionis tuæ opus esse absoluturam? Id si feceris, diu adhuc tibi deerit gratin, at non ideo jure conqueri potes illnm tibi deesse. Nulla hora est, nullum fere momentum, quo, si atteodas, illnm seutire non possis. *Idem*.

Gratia leni: labores in Dei servitio ferendos.

Si tibi displicet vitæ mutatio, si devotio terret te, si eam capessere non audes, tibi ea reddam, quæ Salvator Samaritanæ tespondit: *Si scires donum Dei*! Eheu! si scites quam uoctionem super vias pœnitentiæ effuodnt Deus; si nosses, quaota sit animæ pœnitentis dulcedo, profectò oon diceres jugum Domini triste esse, & onerosum. Gratia, quæ olim fuit Martyrum tobur, noone hodie Fidelium vis esse posset? Si scites donum Dei; fortnsse illud expeteres. *Idem*.

Perperam nonnumquam in Dei gratia confidimus.

Spero (ioquies) futurum ut affectuum meorum ignis tandem senio absumptus defervescat; nique per ætatem extincto eo furore, quo ad malum impellor, gratiæ divinæ mihi jubar affulgeat, quo a terrenis hisce voluptatibus avulsus cœlestia sapere incipiam: at licet hujus gratiæ interim te pigeat, quia opposita est voluptatibus, quas consectaris, nd illam jus aliquod te habere putas, & pro ea promerendn nihil aggrederis; omnes conatus tuos io hujusmodi vutis constituens non labotas, ut illam assequaris, neqne ur ex ea fructum capias, quamvis illam sueris assecutus. *Idem*.

Pretium, & excellentia gratiæ.

Gratia antonomasticè donum Dei est: hæc infinitè omnia natoræ superat dona; hæc est nnicum gloriæ nostræ principium; sine hac nihil possumus, cum hac omnia. Hæc donum est cœlitus datum, ac immediatè a Patre lumine descendens, nos convertens, ac in alios homines murans; per hanc sumus, quidquid sumus, ut inquit Apostolus, si tamen aliquid coram Deo sumus: *Gratia Dei sum id, quod sum*. Attamen, mitum! hoc ipsum donum crassa ignoratia non cognoscimus, & noo ferenda ingratitudine quotidie frustra recipimns. Heu! quid prodest illius meritum, & magnitudioem assequi, si omnibus ferme vitæ momentis eodem abutimur? Hac de causa Salvator Samaritanam allocutus mulierem exptobrat illi ignorantiam: *Si scires donum Dei! P. Bourdalove in Sermonibus, qui sub ejus nomine circumferuntur. Sermone de Samaritana*.

1. ad Cor. 15.

Quomodo se nobis accommodet gratia.

Gratia de nobis relatura trinmphum, sese ot ita dicam subjicit oobis; absit verbo invidia, nihil enim derogat gratiæ dignitnti: sese subjicit nobis eo usque, ut Dei patientiam fatiget, ac nos integros annos præstoletur, quin libertati nostræ vim faciat. Hæc locum, tempus, & commodam capiat occasionem, ut nos luetetot; ipsa prior nos prævertit, & tantum abest, aliquid ipsum vi a nobis extorquere, quod immo precibus, blandisque promissionibus utitur: ipsa se nostris denique submittit infirmitatibus; nostro se accommodat temperamento, & si efficit, ut cœlestia quidem bona magno, terrena autem parvo faciamus; tunc efficit, cum sexcentis experimentis eorum quidem soliditarem, horum verò fragilitatem nobis probavit. *Idem*.

Pretium, & nobilitas gratiæ, ac distinctio, quæ ab eadem fit.

Io gratia autem admirari possumus cum illius pretium, & nobilitatem, tum eam distinctionem incomprehensibilem, quam vel illa facit, vel Deo per illam facere placet. Pretium ejus tantum est, ut nnicus gratiæ gradus pluris faciendus sit, quam omnia naturæ bona; ipse est Sanguinis JESU CHRISTI fructus, & quidam jure nit, gratiam Dei ipsius pretio æstimari, quandoqoidem per eamdem in statum adducimur æternæ Dei possessionis acquirendæ. Distinctio autem, quam inter homines facit, vel per illam facit Deus, non est minori digna admiratione. Ex duobns hominibus Deus alterum per gratiam suam eligit, relinquit alterum. Ex duobus peccatoribus alteri conversionis gratiam largitur, gratiam videlicet efficacem, alteri negat. Quorsum istud discrimen? Ne conemur, Fratres, impenetrabile secretum scrutari; namque in errorem labemur, Sancto Augustioo mooente: *Quem trahat noli dijudicare, si non vis errare*. Gratia interior est Spiritus Sancti motus; sed ubi, quando, quoties, quomodo, & quibus regulis divinus hic Spiritus operatur? Equidem nihil scio, & cum Apostolo exclamare tantummodo possum; O abyssus! O profunditas! *O altitudo! P. Giroust, Sermone de subtractione gratiarum*.

Gratia peccati illecebras aufert.

Nihil præter gratiam infringere illud facinus potest, quod peccatum animæ parit. Cum enim in mente magnas illas excitat ideas Dei justi, Dei ultoris, mortis reproborum, judicii sine misericordia, senteotiæ sine provocatione, infelicissimæ æternitatis peccatum cum illecebris suis nos fallere oequit; illius vitus detegitur, funesti ejusdem effectus dignoscuntur; horror, terrorque incessit, atque sancta formidine trepidantes ad medicinam confugimus, atque ex eo statu emergere festinamus, cujus improbitatem, horroremque cognoscimus. Sed ubi non loquitur amplius gratia, cum non amplius agit, tunc ea solum in peccato spectantur, quæ nobis blanda, & jucuoda videntur. *Idem*.

Cum Dei gratias respuimus, tunc Deus illas aufert a nobis, nosque relinquit.

Si gratiæ fideles extiteritis, omnes Divinæ bonitatis thesauri vobis patebunt, sed cùm luminibus ejusdem rebelles Deum lacessere perrexeritis, cùm licèt ille suis beneficiis vos io officio continere studuerit, ultro, ac ex vobismetipsis ab eo discesseritis; cùm, quamvis ille vos prævertere, atque ad se revocare sategerit, vos in pertinacissima obstinatione mordicus persisteotes obstruxeritis aures monitis, quæ vel per se vel per alios suggerit vobis, sinentes illum integros annos agere, & loqui, quin illi respondeatis: quæ umqoam vobis tunc erit occasio conquerendi, si ille tandem suam vobis gratiam subtraxerit, si toties a vobis contemptus vos vicissim contempserit, si postquam contra illum toties vosmet indurastis, ipse quoque in vos se inexorabilem præbuerit? Nonne hac eadem ratione, & vos contra amicos vestros utimini, qui vos aliquaodo relinqoont? *Idem*.

Deus suas amovet gratias, cum illas inutiles efficimus.

Deus oon solum propter scelera, & nequitias nostras a nobis suas amovet gratias; sed plerumque hoc ipsum facit, quia iisdem, uti oportet, non utimur. Cur enim vobis Deus ad agendnm subsidin præbeat, cum jugiter otiari velitis? Nonne Dei gratias abjicit, & polluit, qui eas io illum non adhibet usum, ad quem destinantor?... Audite hac de re Prophetam Isaiam, vel potius Deum ipsum per os illius ita loquentem: Quid est, qood potui facere vineæ meæ, & non feci? Sepibus, ac maceria circumdederam illam, nullisque sumptibus peperceram, ut eamdem excolerem. Cœlum, jubente me, imbribus illum rigaverat; quid post hæc poteram expectare? Sed nihil io illa inveni ex iis, quæ me collecturum speraveram. Hæc igitur noo erit amplius vinea mea; evertam muros, quibus illam circumundique communiveram: *Diruam maceriam ejus*. Imperabo, ut non seratur olira, & prohibebo, ne super illam ros decidat: *Non putabitur, & non fodietur: Nubibus man-*

mandabo, ne pluant super eam imbrem. Patebit illa omnibus prætereuntibus, *& erit in direptionem.* Quæ omnes figuratæ sunt loquendi rationes indigitantes quomodo agat Deus cum illis, qui suis abutuntur gratiis, easque inutiles reddunt. *Idem.*

De gratiarum Dei substitutione.

Aliqua in domo, ubi natu major occumbit, natu minori locum facit; & in domo Patris cœlestis in ordine supernaturali aliorum reprobatio salutem aliorum constituit. Quomodo hoc? per gratiarum substitutionem. Esther in locum Reginæ Vasthi fuit substituta; David ad Saulis solium evectus, & Apostolatum a Juda amissum S. Mathias accepit. In hac autem gratiæ substitutione non solum justitiam suam Deus exercet in illis, quos loco movet, verùm etiam illius simul sapientia, & misericordia elucet in illis, quos suis muneribus cumulat ... Ita etiam suam exercet justitiam. Judæi, natio incredula! gens olim Deo adeo chara vos illum abjecistis; vos ille abjecit. Vos illius filii eratis, & hæredes regni ipsius; olim in Judæa tantum, & a vobis agnoscebatur; vobis ille dederat de cœlo mannam, qua vesceremini, & vos primum extruxeratis Templum in honorem illius. Felices si frui novissetis gratia ejusdem, atque tantum illud boni, quod possidebatis, tueri. Sed obliti estis Dominum Deum vestrum, fuistis rebelles gratiæ illius, & ipse vos dereliquit. Ubi nunc altaria vestra, ubi propitiatoria? Ubi victimæ, & preces vestræ? Heu! ubi vos estis? Errones, vagi, in omnibus terrarum plagis dispersi, neque domum certam habetis, nec Synagogam, nec Templum. Ex populo adeo frequenti nihil ferme superest præter nomen; quale verò nomen? quæ ignominiæ nota huic nomini inusta est? quis illud non perhorrescit? Reprobans Deus scelestissimam gentem, recentem sibi populum suscitavit, quem sibi adoptavit, atque sanctificavit. *Idem.*

Fallax eorum prætextus qui dicunt se expectare gratiam, ut convertantur.

Quis prohibet, ne Deum sequamini? quis vos ab illius servitute deterret? At enim gratiam præstolor, inquies, expecto felix illud momentum, quod mea vincula infringat. Quid autem? Veritates, quæ tibi quotidie annuntiantur, nonne sunt gratiæ Dei? Quæso quid est gratia? Lumen sane in intellectu, & ardor in voluntate .... Gratiam expectas; dicere audes, hanc tibi deesse post eos sensus, quos per os Concionatorum Deus tibi toties inspirat? audes blasphemiis lacessere providentiam asserentem, se quidem velle, te verò nolle conversionem tuam: *Quoties volui, & noluisti?* At fortiorem gratiam expectas: videlicet Deo invitanti insultas; non satis te urget; atque infirmis hisce sollicitationibus te non dedis. Parum est quod te quærat, ingrate? Vis etiam illi modum præscribere, quo te quærere debeat. Fortiores gratias speras, numquid levioribus obsurdescere ratio est validiores assequendi? Quibus gratiis olim afficiebaris? Hodie te non movent amplius. Mors inopinata, ærumna gravis, amici perfidia, dolor, exemplum pœnitentiæ, dum primis adolescentiæ ardoribus æstuabas, se ad mentem, officiumque revocabant; hodie verò te nihil percellit; & gratiam expectas? Quæ illusio! At quam gratiam expectas? eam, quæ sola tuæ conversionis opus absolvat? Quæ insania! ullane est gratia, quantumcumque potens ea sit, cujus effectus ab hominis cooperatione non pendeat? Donec autem expectas, nihil agit voluntas tua; igitur donec expectas, impossibilis est conversio tua. Sed victricem gratiam expectas quæ te rapiat, cujus illecebra, & suavitas te ad bonum trahat sine tumultu, sine certamine, sine difficultate: aliud insaniæ genus. Cor non mutat repente objectum, & studia quin sibi vim faciat. Fortis armatus, qui cor tuum possidet, gratiæ aditum intercludere adnititur; nonnisi difficillimè se patitur expelli, vi debet vinci, præliisque debellari. De virtute ad vitium transitus non est adeo facilis; multo labore faciendus est: procella debet malaciam præcedere; gratia laborem

Matth. 23.

imminuit quidem, non aufert. *P. Cheminais Sermone de Magdalena pœnitentia.*

Obtemperandum est voci Domini per gratiam vocantis.

Rubore suffundamur, fideles, ac nobismetipsis moras, cunctationesque nostras exprobremus; Nosmet humiliemus coram Domino, & ad misericordiam illius confugiamus; postquam pluribus annis illum prope nos languentem passi sumus, ne dimittamus illum, quin eidem satisfaciamus. Aperiamus illi cordis aures: nostræ hoc salutis interest. Dei Vox, Verbum Dei caro factum fuit humanæ salutis initium; & interior vox gratiæ Dei necessarium est adminiculum ad opus hoc perficiendum. Igitur aurem non adhibere gratiæ loquenti, atque petenti, idem est, ac salutem in apertum discrimen adducere, ac certissimum pereundi periculum subire. Deus enim vobiscum aget, quomodo vos cum illo; eademque vos mensura, qua vos cum illo usi eritis, metietur. Vocat, nec respondetis, petit, neque illum audire videmini; urget, sollicitat; neque ceditis. Nunc id accidit, quod vultis, mox accidet vicissim, quod ipse volet; illum rogabitis, nec respondebit; orabitis, nec se flecti sinet; brachia ad illum tendetis, neque oculos ad vos convertere dignabitur; vosmet illi supplices statuetis; sed avertet faciem suam, ne vos videat, & ne videatur a vobis. *P. Giroust. In Quadragesima Sermone de gratia.*

Necesse est, ut gratia nos præveniat, & excitet.

Nisi peccatorem excitaverit Deus ea gratia, quam ideo Patres excitantem appellant, ipse numquam evigilabit. Nisi Deus illum ea gratia præverterit, quam ideo Patres prævenientem vocant, ne pedem quidem proferet, ut revertatur ad Deum. Ego quidem ex me a Deo discedere valeo, sed ego ex me fovere nequeo cogitationem, & cupiditatem ad eum redeundi. Cum enim mihi nullæ sint nisi vires naturales, quomodo propriis viribus ad supernaturalem actum me attollere possum? Ego neque ipsum Deum in auxilium accersere valeo: opus est, inquit Propheta, ut Deus non rogatus, neque sollicitatus per misericordiam persequatur eum, qui ab eo fugit per improbitatem: opus est, ut Pastor quærat oves, quæ ultrò deerraverunt: *Erravi sicut ovis, quæ periit; quære servum tuum.* Et ut apertiùs loquar; opus est, ut per gratiam suam Deus animo nostro primam bonam ingerat cogitationem, & in corde nostro primum bonum excitet motum. Quanta porro Dei bonitas est, quanta Misericordia, qui in homine, & homine nequam prior hæc operatur; effundens in mentem illius adeo clara lumina, quorum ope peccati sui fœditatem, status sui periculum, Dei minitantis iram, ac rationem illius deliniendæ cognoscat; & in corde interiores excitans motus, qui per illum impellant, ac trahant modo adeo secreto simul, apertoque, adeo suavi simul, & forti?

Psal. 118.

Deus eligit tempus aptum, quo suas gratias impertiat, & multitariam loquitur.

Quoties Deus ardenti salutis nostræ desiderio actus te allocutus est? quoties te prævenit? Ad id autem opportunum tempus elegit, tempus solitudinis, & recessus, tempus pacis, & quietis, cum mentem habens ab omnibus humanis negotiis expeditam, illius vocem melius audire, eique poteras respondere. Quot personas induit, ut sese tibi offerret? Modo occurrit velut minitabundus Judex, modò tamquam sollicitus amicus, modò cum toto suæ majestatis fulgore, uti Deus, modò facie hilari, serenaque veluti pater. Sub pedibus tuis tibi inferni flammas ostendit, ut te deterreret; super caput tuum Cœlum aperuit, ut inflammaret; circum te fulmina strepere jussit, ut tibi metum incuteret. Effecit etiam ut pœnè invito sanctissimæ, ac solidissimæ tibi subirent cogitationes de mundi, ejusque bonorum fragilitate, de tempore, & æternitate, deque tui status periculo. Ex penitioribus animæ tuæ penetralibus tibi, ut olim Samaritanæ, dixit; *Ego sum, qui loquor tecum;* ego te voco, ego Dominus, & Salvator tuus. *P. Giroust. Serm. de Gratia.*

Dei exprobrationes ejusdem argumenti. Jerem. 3.

Deus tibi sæpe, ut olim infideli Jerosolymæ dixit: *Fornicata es cum amatoribus multis.* Anima

ingrata

ingrata, anima impudica, fidem mihi debitam perfregisti; temet millies inordinatis cupiditatibus tuis tradidisti, ac me prophanis idolis posthabuisti. Attamen revertere; adhuc tempus est; hodie te Deus misericordiæ alloquitur; at veniet dies, nec procul abest, quo Deus erit justitiæ, & qui detonabit. Denique non satis illi fuit, ipsum ad te loqui; verum etiam per ministros suos, per sacros Præcones, hominesque doctos, quos suo zelo succendit, te est allocutus; nihilque intentatum reliquit. O inæstimabilem Dei indulgentiam quam jure Sanctus Paulus, *nimiam charitatem; divitias bonitatis; supereminentem charitatem* vocavit. Ubi est gratitudo tua? Ubi amor tuus? *Idem*.

Ephes. 2. Rom. 2. Ephes. 3.

Suprema gratiæ in animam potestas.

Cum Deus per gratiam animæ alicujus factus est dominus; illam, quocumque vult, impellit; eam, ut ipsi lubet, dirigit; illi dominatur, & solus dominatur. Quid jam ille minitatur, vel quid non minitatur; quid pollicetur, vel quid non pollicetur; jubeat, satis est; nihil grave, & operosum videtur, dummodo illi pareatur. Nulla amplius opus est arte, ut se insinuet; nihil enim omnipotenti illius gratiæ resistit. Non se gerit amplius tamquam amicum, vel Judicem, vel Patrem; sed tamquam Dominum, & Deum. Quotiescumque animæ secretò hanc voculam intonat; volo; nihil intentatum relinquitur, quidquid cum patientia suffertur, ardenter laboratur. S. Paulus afflatus fulmine, atque in terram prostratus non alios sensus habet, quàm perfectæ divinis mandatis obedientiæ: *Domine*, exclamat ille, *quid me vis facere?* Nihil excipit, nihil peculiariter signat, se subjicit imperio gratiæ, hujus interest imperare: quodcumque ista jubeat, ille nullo obice prohibet. *Idem*.

Act. 9.

Deus suis gratiis sollicitat, & petit. *Psal. 28.*

Cum loquitur Deus, tamquam Vindex, vox illius confringit cedros, quatit montes, ac ipsa terræ concutit fundamenta: *Vox Domini confringentis cedros, vox Domini concutientis desertum*. Sed cum loquitur tamquam Salvator, bonitas, & charitas illum assumere cogit supplicis vocem, & formam; hortatur, urget, petit, obtestatur: *Ecce sto ad ostium, & pulso*. Verbo, orationem suam caute instituit, suaviter deducit, ac libertati nostræ ita parcit, ut ne minimam quidem illi vim velit inferre: *Cum magna reverentia disponis nos*. Tamquam spontaneum munus flagitat, quod tamquam tributum, debitumque potest exigere. Attamen hæc vox interior, adeo suavis, & lenis frigidè, & cum contemptu excipitur. Nonne hoc est Deo injuriam afferre? Hoc sane illud ast, de quo sæpe per Prophetas conqueritur. Jeremiæ præcipit, ut hæc exprobret populo suo: *Audi popule stulte, qui non habes cor; qui habentes oculos non videtis, & aures, & non auditis*. Quid igitur cum tibi occurro, cum te alloquor, cum tibi meam voluntatem aperio, non obedis? *P. Texier in Dominicali Domin. 5. Quadrag.*

Apoc. 3.

Jerem. 5.

Unica hominis libertas fines, terminosque Dei bonitati, & potestati constituit.

Quin gratiam tuam, o Deus, victricem appellem, qualis reipsa est, tibi vix; dicere audeo, hominum nequitiam, & improbitatem referre triumphum de bonitate tua, ac fines circumscribere potestati gratiæ hujus; quippe sola rebellium voluntas obicem statuit consiliis, quæ de illis iniisti, & quæ, nisi illi adversarentur, tua gratia exequeretur. Qua in re hominis voluntas eò audaciæ evasisse videtur, ut in rebellione sua id Deo dicat, quod mari Deus, secundum illa Jobi verba: *Huc usque venies, & hic confringes tumentes fluctus tuos*. Infinitum, atque vehemens divinæ bonitatis pelagus, intumesce, ut lubet, & gratiarum tuarum inundationem affer; verum opus est, ut cum, ad rebelle hominis cor accesseris, cujus libertas terminos tibi constituit, ibi detumescas, atque subsidas. O portentum! Cum hinc quidem divini cordis bonitatem, & gratiæ ipsius vim, & potestatem perpendimus, inde verò humani cordis humilitatem, atque imbecillitatem; videre in duorum horum cordium, divini scilicet, & humani certamine, infirmum, inconstans, & contemptibile victoriam referre de fortissimo, & omnipotenti, atque illud hujus conatus irritos facere, atque ut ita dicam infringere. *Excerptum partim ex P. Texier, partim ex Manuscripto Sermone*.

Jobi 38.

Gratia sollicitat peccatorem, ut ex statu suo infelicitate emergat: & quantum sit ingratitudo huic gratiæ resistere.

Deus videt animam in vitiorum cœno altè demersam, eamque de infelici hoc statu, qui Christiano homine indignus est, contendit educere; ille huic bonam ingerit cogitationem vanitatis, & fragilitatis inanium, fluxorumque bonorum, quæ inquirit; commovet cor illius, atque eorum nauseam immittens, dicit illi: Nonne vides inanes has voluptates, quæ tot sollicitudinibus, curisque appetuntur, ubi iisdem fruaris, nihil te nisi pudorem, ac pœnitentiam manere? Attolle paulisper mentem tuam ad me, qui unus totum cor tuum replere possum.... Quid autem velle potest Deus, cum animæ suos mittit Legatos, Concionatores videlicet, qui eamdem obtestentur, ut de se cogitent, ut vitæ suæ nequitiam reputent, ut infelicem recogitent æternitatem, quò illam brevi via suæ iniquitatis adducet? Quid sibi vult Deus, cum interiorem, exteriori suæ voci conjungens simul ex ipsis animæ adytis loquitur, synderesim excitat, exprobrationes adhibet, miscet promissiones, & minas, & quibuscumque rationibus urget, ut peccatum relinquat gratiam ipsius receptura? Quid aliud velle potest, quàm peccatori misericordiæ suæ effectus ostendere? Verum igitur est hanc resistentiam gratiæ injuriam esse teterrimo ingrati animi vitio conjunctam. *P. Texier. Sermone pro quinta Quadragesima Dominica*.

Supplicium quod exercet Deus in eos, qui gratias suas abjiciunt, atque contemnunt.

Hoc Dei supplicium in eos, qui ejusdem gratias contemnunt, Sanctus Paulus his exprimit verbis: *Revelatur ira Dei de Cœlo super omnem impietatem, & injustitiam hominum illorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent: Ad Roman. 1.* videlicet in illos, qui Dei gratiam recipiunt, quin inde aliquem capiant fructum, & per summum nefas captivas teneant omnes eas veritates, quas illis aperit Deus. Quænam autem est ira Dei, quæ sese prodit in caput eorum, qui gratiam ejusdem contemnunt? Non eam esse putes, Sancti Patres inquiunt, quod Deus, qui ultionum Deus est cœlis præcipiat, ut in illos sua tela contorqueant, terræ, ut dehiscat, elementis omnibus ut ad ulciscendam contempti Dei majestatem ad arma concurrant. Horum suppliciorum pleraque illud patiuntur, quod in homine minus est noxium; corpus quidem percutiunt, animam verò non tangunt. Non in hoc igitur divinæ indignationis elucet magnitudo: *Revelatur ira Dei de Cœlo*. Verùm cum maximum divinæ bonitatis erga peccatores argumentum sit, illos deerrantes conquirere, atque ex imo cordis eorum loqui; ita maxima justitiæ ipsius nota est peccatores deserere, ab illis discedere, ac ad illos non ultra loqui. Hoc terribile illud supplicium est, quod verebatur David, cum dicebat: *Deus meus, ne sileas a me*. Hoc illud, quod olim populo suo per Prophetas minitabatur: *Ego reliqui vos*. Ego locutus sum, ego vocem extuli, ut vos obtestarer, atque enixis sollicitationibus vos urgerem; at aures obstruxistis mihi; ego quoque vicissim tacebo, neque verbum proferam ultra. *Idem*.

Psal. 49.

3. Reg. 5.

Aliqui gratiæ effectus.

Gratiæ hujus subsidio viæ virtutis sternuntur, imminuuntur difficultates, & anima roborata contemnit quidquid illi antea metum injiciebat. Hæc efficit gratia, ut peccator conversus ex ipso peccato suo referat quæstum, & per fervorem, atque humilitatem, quæ illius pœnitentiam concomitantur, Deo quidem recentem gloriam, Angelis verò recentem conferat lætitiam, qua ea superatur, quam ex nonaginta novem justorum, pœnitentia non indigentium, percipiebant. *Ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm supra nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia. Idem tertia post Pentec. Dominica*.

Luc. 15.

Disca-

Pretium gratiæ Dei, & quanti sit facienda.

Discamus quanti faciendæ sint Dei gratiæ, quibus humilitatis, reverentiæ, gratique animi sensibus recipiendæ sint; & qua cura nobis utendum, ne bonas abjiciamus cogitationes, bonosque motus, quos Deus nobis inspirat. *Si scires donum Dei*, JESUS CHRISTUS ait Samaritanæ. Ita sane est proculdubio: Si explorata nobis esset divinorum munerum dignitas, si omnia lumina, quæ per gratiam mentibus nostris offundit, si omnia sancta desideria, quæ in cordis nostri penetralibus excitat, si occasiones omnes, quas offert, ut in virtutum exercitatione progrediamur, a nobis haberentur tamquam fructus meritorum passionum, mortis, sanguinisque illius, profectò alios sensus foveremus; minime etiam illius gratiæ sanguine ejusdem nobis viderentur imbutæ, ac longè majorem in nobis vim obtinerent; summa caveremus diligentia ne pretiosa hæc divini amoris pignora, vel contemneremus, vel in periculum adduceremus, eaque eadem reciperemus reverentia, qua prope Crucem adstantes defluentes dominici sanguinis guttas, vel qua Corporis JESU CHRISTI membra concisa, atque in terram labentia colligeremus. *La Font. pro 4. Dominica post Pentecosten*.

Interest nostra bene uti gratiis Dei.

Ipsa etiam utilitas nostra Dei gratias nobis commendare debet, quia sunt omnium bonorum meritorumque nostrorum origines. *Si scires donum Dei*! Ehu! Si scires, qua mente Deus tibi suam gratiam largiatur, & quos admirabiles effectus per eamdem in te velit operari; ne illam adeo frigidè non exciperes. Hæc ratio est, qua utitur Deus, ut omnia Filii sui tibi applicet merita, hoc est generale rerum omnium, quibus indigemus, supplementum; hic denique infinitus est thesaurus, & veluti fons inexhaustus cœlestium bonorum; & qui illam recipiunt id dicere possunt, quod Salomon de sapientia; se quovis divitiarum genere fuisse cumulatos, & omnium votorum suorum summam fuisse consecutos: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, infinitus enim est thesaurus*. Hæc profectò reparat omnia corruptæ naturæ damna; hæc ineffabili lumine, quod in mentes nostras infundit, earum dissipat cæcitatem, omnesque nobis virtutis quidem illecebras, vitii verò fœditates ostendit; hæc voluntatis roborat infirmitatem; depravatoque gustui medetur efficiens, ut a nobis ametur, quod olim pari non poteramus. Hæc affectuum nostrorum vim coercet, & eadem virtute, qua reprimit motum appetitus, quo semper in malum rapitur, novum inspirat robur voluntati, ne in virtutis inquisitione fatigetur. Hæc denique virtutis, ideoque & cœli viam nobis sternit, hæc jugum mandatorum Dei leve, atque jucundum efficit; hæc solum est omnium bonorum operum principium; nec non omnium meritorum nostrorum inchoatio æque, ac perfectio. *Idem*.

Sap. 7.

Quid sit gratia, & ad quid nos excitet.

Te vehementi inspiratione sentis afflatum invisendi egenum ægrotantem, atque operam tuam locandi, ut deerrantem aliquem ad virtutis semitam revoces; te intrinsecus adactum sentis, ut mundi hujus cœtus, & consortia devites; offert tibi Deus opportunam occasionem alicujus boni operis instituendi; pauperum solatium, opemque, vel radium, ægrestiumque hominum instructionem procurandi. Ipse te urget, ut eleemosynam eroges, ut mortificationem exerceas, ut cum eo, a quo læsus es, & in quem aliquam ultionis foves cupiditatem, redeas in gratiam. Quænam cedere potest Deo utilitas, si gratiis ejus parueris? Nulla sane; sed ad tuam tantummodo utilitatem, & sanctificationem te ad virtutum harum exercitationem impellit. Cave igitur, ne bonos hujusmodi motus repellas: *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra*. Eheu! si nosses quanti referat, non pati, ut adeo præclaræ te meritis locupletandi occasiones elabantur; si scires quò tendant hi motus, videlicet ut tibi beatam æternitatem procurent, ne illos minime sperneres, aut negligeres ut facis, inanem prætexens excusationem, quòd ad ea, quæ tibi bona opera inspirant, nulla necessitate tenearis. *Idem*.

Psal. 94.

Fidelitas Dei gratiis adhibenda.

Summa officii fide respondere opus est voci Domini vocantis; neque luminibus ejus, gratiisque sensus omnes obstruere fas est, sed sancti viri Job exemplum est imitandum, dicentis: *Vocabis me, & ego respondebo tibi*. Attentus erò voci tuæ, & curabo, ut celeri obedientia eidem respondeam; alioquin hoc est eam subire exprobrationem, qua Filius Dei civitatem Jerusalem redarguit, eò quòd non cognovisset tempus, quo illam visitaverat Deus: *Eò quod non cognoveris tempus visitationis tuæ*. Vide, Sanctus Bernardus ait, qua vigilantia agricola tempus observet serendi fruges, ac illud frustra non sinat effluere. *Idem*.

Luc. 19.

Deus in eos, qui suas gratias contemnunt earumdem subtractione animadvertit.

Quemadmodum Deus majores non denegat gratias iis, qui sedulò nituntur minoribus, vulgatius supplicium, quo illos persequitur, a quibus eæ rejiciuntur, vel negliguntur est earumdem gratiarum subtractio. Multifariam Deus ad hominum cor loquitur, sed plerumque, ubi illi divinam vocem audire abnuunt, eos silentio punit, eisque, ut olim Judæis minitatus est, divinam faciem abscondit: *Abscondam faciem meam ab eis*. Et ratio constat; cùm enim Deus de rebus omnibus, prout sibi libitum fuerit, disponat; ac in omnibus operibus suis non alium, præter beneplacitum suum, legem sequatur; præsertim in gratiarum suarum dispensatione supremum hoc jus sibi vendicare gloriatur, eas cuicumque sibi placuerit tribuendi, atque auferendi, quin de hoc aliquis conqueri possit. Verùm quia gratiæ, quibus cumulati sumus, flocci a nobis factæ fuerunt, nosmet indignos præbemus, qui recentibus cumulemur. *Indignus est accipendis, qui fueris de acceptis ingratus*, Sanctus Bernardus ait. Ingrati animi nostri vitium Deum cogit, ut manus coarctet, beneficia sua in nos priori cum effusione non amplius effundat, atque in gratiarum suarum contemptores earumdem subtractione animadvertat. *Idem*.

Ejusdem argumenti.

Divina Sapientia certum constituit ordinem, secundum quem sua dona, gratiasque suas dispensat hominibus; & quamvis nihil illi veritum sit, neque ulli potestati ejusdem circumscripti sint fines, pertarò secum ab ordine proposito dispensat. Itaque passim renuit recentes iis conferre gratias, qui earum abusu, & contemptu se eisdem præbent indignos: *Ordine suo non nostro arbitrio*, S. Cyprianus ait; *noluit nobis Spiritus Sanctus ministrari*. Non secundum placitum, libidinemque nostram Deus suas nobis gratias dispensat. Vellemus nobis integrum esse, illas, ut magis placuerit, excipere, vel rejicere; iisque rejectis in nostra positum esse facultate, aliis, ubi voluerimus, adjuvari; at longe aliter accidit; & punit plerumque Deus oblatarum gratiarum contemptum, earum, quas se nobis largiturum decreverat, subtractione. *Idem*.

Ejusdem argumenti.

Sanctus Augustinus ait, contemptui gratiarum nullam æquiorem dari posse pœnam, quàm earumdem gratiarum subtractionem; & æquum est, ut qui conversi non sunt, cum facillimè poterant, ubi voluerint, converti minime valeant: *Hæc est peccati pœna justissima, ut amittat quis quo bene uti noluit; & qui agere rectè cum posset noluit, amittat posse cum velit*. Res sane mira, & propter quam ii etiam, qui majori sanctitatis laude florent, contremiscant: hæc gratiæ subtractio sæpe est pœna defectus, quo respondere noluimus sanctæ inspirationi ad alicujus boni operis, non quidem de præcepto, & necessitate, sed de consilio, exercitationem invitanti. Levis culpa, & sæpe levis est imperfectio non adimplere omne illud bonum opus, quod possumus; satis est tamen ad hoc, ut Deus suas gratias imminuat, nobisque auferat ea, quæ destinabat subsidia, ut de potenti aliqua tentatione victoriam reportaremus. *Idem*.

Deus liberali nostræ

At enim, nonne peccatoribus, licèt obluctentur,

non adhibet vim.

tur, auferre potest Deus cor lapideum, eisque cor carneum tribuere, quo & ipsum, & ea, quæ ipse amari voluerit, possint amare? Hoc utique potest; cor enim mortalium omnium in ipsius manibus est: *Sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea*, quemadmodum ipse per Prophetam ait; verumtamen ille non vult omni potestate sua uti, ac insueta ratione operari. Vult homines consuetis adminiculis uti. Illos mavult illuminare, eos alloqui, illos inspirare, illis ea præbere subsidia, quæ ad eorum conversionem, & sanctificationem sunt necessaria; sed si, quin eisdem respondeant, negligunt, aures sibi obstruunt, oculos claudunt, atque indurant corda sua; suas ille amovet gratias, miserationum suarum cursum ab illis detorquet, eos deserit, & reducit manum, quæ ad illos tetenderat, quod plerisque quotidie contingit. *Abbas Trappensis in brevibus documentis, quæ in quibusdam Collationibus tradidit.*

Jerem. 18.

Gratia nostram flectit voluntatem quin illam cogat, & inde efficax fit.

Apage hinc homines, qui sub specie Redemptoris gratiam celebrandi, homini eam præripiunt gloriam, quam Deus illis concessit, non sine ejusdem præsidio immortalitatis coronam merendi; qui simulantes gratiæ virtutem augere, affirmare non audent, omnia opera nostra bona tot esse triumphos, quos de nostra libertate reportat. In hoc igitur gratiæ virtus consistit; quod iis medetur vulneribus, quæ peccatum nostræ intulit libertati, nobis majus erga virtutum studium immittens, quàm quod originale peccatum erga malum ingesserat, tantumque amoris pro justitia nobis inspirans, ut, quamvis peccare possumus, quia semper liberi sumus, & adhuc in via; tamen difficilius in scelus labamur, quàm exerceamus virtutem. Verè nihilominus affirmamus, JESU CHRISTI gratiam hominum voluntatibus dominari, eamque sibi subjicere corda, quæ per peccatum ab ejusdem obedientia recesserant. Hæc quidem cogere posset, sed suavitate ea demulcere mavult, quàm vi superare; & ut plurimum novos JESU CHRISTO servos nequaquam addere, quàm absoluta sua potestate multos eidem subjicere, qui suavi servitutis suæ jugo assensi non fuerint. Qua autem in re vis, & efficacia gratiæ consistat, meum non est hoc in loco statuere. Nemo adeo rudis, atque illiteratus est, qui non noverit magnete ferrum attrahi; at nullum inveneris Philosophum, qui tibi aperiat, ubi magnetica virtus consistat, quæ profectò inter naturæ miracula recensenda videtur. Hoc ipsum de gratia dicere possumus; nemo virtutem illius non admiratur; quotidie domat animos, quos sibi rebelles nanciscitur; illosque, licet ferreos, attrahit: eos de ipsa terra, in qua omne suum bonum, ac felicitatem statuerant, revellit, ac postquam diutiùs aberraverunt, felicissimo eventu reducit ad Deum. At affirmare quanam in re magna hæc virtus consistat, non ausim; sed Evangelio innixus dicam solum vim ejus ab ipsius suavitate pendere, & suavitatem illius omnem ejusdem vim constituere. *Auctor Sermonum Christianorum. Sermone de mirabilibus gratiæ effectibus.*

Si gratiæ non attenditur, fulguris instar evanescit.

Dei gratiæ, Sanctus Gregorius inquit, tamquam fulgura consideranda sunt. Fulgur momento evanescit, & sæpe latet, unde venerit, & quonam abierit. Hoc ipsum accidit gratiæ. Spiritus Sanctus, ubi vult, spirat; venit, & transit, quin pateat quonam recesserit; & si illam effugis, fortasse iterum non est reditura. At hoc nondum satis est. Nosti fulgur esse prænuncium tonitru, & ubi illud affulserit, indicium esse fore, ut alterum mox perrumpere audiatur. Gratiæ quas Deus nobis largitur, illuminant, percellunt, efficiuntque, ut nosmet respiciamus; verùm simul admonent futurum, ut nisi ipsis fuerimus cooperati, desinant in tonitrua, ac pariant fulmina, quibus obruamur. *Idem.*

Quam pretiosa sit gratia, & quanti facienda.

Gratiarum minima omnibus bonis, omnibusque mundi voluptatibus præstat: si hæc omnia simul hinc, inde verò gratia appendantur; hæc profectò præponderabit. Attamen nos quotidie turpem illi voluptatem, sordidumque lucellum præferimus: O indignum contemptum! Tanti illa valet, quanti Dei sanguis; o inæstimabile pretium! Opus fuit illum vitam effundere, ut eam mereretur. Cum igitur abutimur gratia, JESU CHRISTI sanguinem conculcamus; o infandum scelus! Mortis illius fructum non solum inutilem, verùm etiam nobis funestum efficimus; & efficacissimum nostræ salutis instrumentum in usitatam nostræ reprobationis causam convertimus; o gravissimam cæcitatem! Si vox sanguinis JESU CHRISTI me damnat, quis justificare me poterit? *P. Nepuen. Tomo 1. Considerationum Christianarum.*

Mala, quæ gratiæ abusus parit.

Cum ad secretas conscientiæ nostræ redargutiones obsurdescimus, cum salutares hosce stimulos obtundimus, cum oculos claudimus luminibus, quæ Deus suggerit nobis, & eas, quæ nos urgent, inspirationes negligimus, cogitamusne nos esse rebelles gratiæ, nos illam contemnere, nos Dei ipsius Filium contumelia lacessere? Reputamusne ejus peccati, quod hac ratione patramus, effecta, pericula, & mala, quibus nosmetipsos subjicimus? An tunc ad illa animum advertere expectamus, cùm malum nullam pati poterit medicinam? Damnati in inferno gratiæ pretium intelligunt; & quod eadem abusi sunt æternis lacrymis suam deflebunt insaniam; atque nefarium illius abusum, nequiquam certè, sed æternum tamen reparare desiderabunt. Gratiæ abusus eorum fuit scelus in tempore; ejusdem abusus sera nimis pœnitentia, hujusque gratiæ privatio, & inutile desiderium eorum pœnam in æternitate constituent. *Idem.*

Fidelitas Dei gratiis adhibenda.

Gratia vox est Dei nos vocantis, quo affectu, qua docilitate illam audire nos decet? Hac ille nos visitat, qua reverentia, & humilitate illam debemus excipere? Per hanc ille nos quærit; quibus grati animi sensibus eidem respondere fas est? Sed si loquentem audire dedignati fuerimus, quam illi afferemus injuriam? Nisi nos visitantem voluerimus excipere; si quærentem eludere fuerimus conati, quænam erit insolentia nostra, quænam ingratitudo? Hoc tamen ipsum nos facimus quotiescumque nosmet gratiæ infideles probamus. Quomodo ille contemptum nostrum ulciscetur? Nisi illum audire voluerimus, silebit; silentium nobis gravius ipsa persecutione! Si illum abjecerimus, ille fugiet a nobis; fuga suppliciis quibuscumque crudelior! Ne cesses loqui, Domine, servus enim tuus attentis auribus adstat: *Loquere Domine, quia audit servus tuus*. Ne me inquirendo fatigeris; tandem enim sentio gratiam tuam cordi meo dominari, ac ex animo ex scelerum meorum sordibus ad te cupio reverti. *P. Nepuen. Tomo primo Considerationum Christianarum.*

1. Reg. 3.

Fideles esse Dei gratiis interest nostra.

Gratia est omnium meritorum nostrorum principium, virtutum omnium origo, & semen æternæ felicitatis. Si gratiæ fidelis extitero, nulla sunt merita, quæ coacervare non possim, nullæ virtutes, quas acquirere nequeam, nulla æternæ beatitudinis meæ certitudo, quam mihi polliceri minime valeam. Sed gratiam contemnere idem est, ac contemnere, vel deserere virtutem; gratiæ infidelem esse idem est, ac sibimet unicam rationem auferre immensos meritorum congerendi thesauros; gratiæ resistere, idem est ac spem beatitudinis æternæ abdicare. Heu! Si virtutem reliquero, si curam neglexero merita coacervandi in iis occasionibus, quæ mihi frequentes occurrunt, si æternæ felicitatis meæ spem, cujus quidem gratia mihi certum pignus erat, abjecero, quid esse possum, nisi impius, miser, damnatus? Omnia bona ad me veniunt cum gratia; a me omnia hæc recedente recedunt. *Idem.*

Sine gratia nihil facere possumus, quod cœlum mereatur.

Sine me, nihil boni potestis facere, Dei Filius inquit. Qui dicit nihil, excludit omnia. Sine illo nihil facere possumus, nisi peccare, ac in interitum ruere. Bonam alere cogitationem, parum est; attamen

attamen ne minimum quid boni ex nobismetipsis possumus cogitare. Quid facilius quàm nomen JESU proferre? Attamen sine Spiritus Sancti motu illud cum fructu proferre non possumus; immo neque nostram miseriam, atque impotentiam cognoscere possumus, neque votum concipere ab eadem liberandi, neque hoc, uti opus est precibus exorare, nisi Spiritus Sanctus hoc nos docuerit: multò verò minus vehementiori tentationi resistere, multò minus vivæ fidei, sinceræ, ardentisque charitatis, profundæ humilitatis actus elicere; multò minus has ipsas virtutes acquirere. *Idem, Tomo secundo.*

De mensura gratiarum cuilibet destinata.

Proposita est quædam gratiarum mensura, earum verò præsertim, quæ validæ, potentesque sunt, quæ cum semel fuerit exhausta, nullæ amplius sperandæ supersunt. Deus, Apostolus inquit, nobis contulit gratias secundum mensuram a JESU CHRISTO constitutam. Deus infinitè sapiens omnia in pondere, & mensura operatur. Si ne unum quidem ex arboribus decidit folium, nisi divina Providentia annuente, an putemus, gratiarum suarum distributionem esse fortuitam? Quædam est peccatorum mensura: Licèt ad iracundiam maximè provocatus esset Deus contra Sodomorum habitatores, testatur tamen, se nondum in illos animadvertere posse, quia mensura scelerum eorumdem nondum fuerat expleta. Damascenæ urbi se tria condonaturum crimina pollicetur, sed profitetur futurum ut quartum scelus, & iniquitatibus illius mensuram, & suis miserationibus terminum statuat. Quædam est peccatorum mensura, eadem & gratiarum; altera non expletur, nisi exhauriatur altera. Illam iræ thesaurum (Funestum sanè thesaurum!) hanc thesaurum misericordiæ Sanctus Paulus appellat. Alter oppletus est, cum alter inanis; At, charissime lector, cum toties Dei gratia fueris abusus, timor non incessit tibi mensuram tuam jam exhaustam fuisse? non metuis, eam, quam modò contemnis, fortasse novissimam esse? Hæc gratiarum mensura non est omnibus par; aliis quidem major est, minor aliis &c. *Idem.*

Deus nos sua illuminat gratia.

Nonnumquam gratiæ lumen fulguris instar pertransit, verum nihilominus insignes effectus producit: tale fuit lumen, quod Sancto Paulo circumundique affulsit: *Circumfulsit eum lux.* Nonnumquam constantius est; tale fuit illud, quod magis apparuit, eusque ad JESUM CHRISTUM deduxit. Nonnumquam Deus ipse solus, & immediate hoc lumen producit, quin alio utatur objecto tunc etiam, cum minus existimatur: *Spiritus ubi vult spirat*; Salvator ait. Nonnumquam per occasionem boni exempli, concionis alicujus, funesti casus, qui contigit alicui, salutaris tribulationis, quam Deus immittit, affulget. Quoties hujusmodi recepisti gratias? & quoties illas vel contempsisti, vel neglexisti? Quoties te gratiæ lumen excitat, ac urget? quoties tu eidem resistis? Lumen hoc vulgò petentibus datur, neque nobis daretur, nisi illud peteremus; sed illius petendi gratia numquam nobis negatur. Deus hoc nonnumquam etiam non petentibus, immo fugientibus illud concedit. Etenim si hoc lumen non nos quæsivisset non inquirentes, immo fugientes illud, umquam ne, o Domine ad te redire cogitassemus? Lumen istud nobis aliquando recentes detegit veritates; cujus generis ea est, quæ insignes peccatores convertit, qui ideo tantum nequam fuerant, quia in summa earum veritatum, quæ ad salutem pertinent, vixerant ignorantia. Nonnumquam etiam has ipsas veritates majorem profert in lucem, quæ potiorem illis vim tribuit, itaut convertere possint hominem, qui eas quidem cognoverat, sed meditatus non fuerat. *P. Nepveu Tomo 4.*

Act. 9.

Joan. 3.

Gratia efficit ut æterna bona magna videantur, æterna vero exigua.

Gratiæ lumen alia quidem objecta in mentibus nostris amplificat, imminuit alia. Deum quidem, & quidquid pertinet ad Deum, cœlestia, æternaque amplificat bona; efficit, ut hæc omnia magna nobis videantur, immo ut nihil præter ea magnum videatur; e contra verò efficit, ut in existimatione nostra mundus, mundique bona, voluptates, honoresque decrescant; efficit, ut hæc omnia exigua nobis, & contemptibilia videantur. Quidquid in terris pretiosissimum est, homini hoc lumine illustrato nihil est. Si mundi honores, opesque oculos nostros perstringunt, & fascinant, hoc accidit, quia hoc nobis lumen minimè affulget. Verùm non affulget nobis quod sese non obtulerit nobis, sed quod oculos clausimus, ne hoc lumine illustraremur. *Idem.*

De subtractione gratiæ.

Gratiæ subtractio vulgatissima pœna est, qua Deus gratiæ contemptum, & abusum punit. Auditur nonnumquam querela de patientia Dei impios tandiu, ac impune ferentis. Heu! secretò ille ultionem exercet, quæ quia minus insignis est; non ideo est minus funesta; namque amovet a peccatoribus lumina, quibus rebelles fuere, eosque fatali percutit cæcitate. Quàm communis inter ipsos etiam Fideles hæc pœna est! Et profectò, nisi eorum plerique cæci essent, viderenturne in tanta Dei oblivione, tantaque salutis suæ ignorantia versari, parum adeo vereri divinorum judiciorum severitatem, ne minimum quidem laborare, ut illam præverrant, quotidie pro fluxa, fragilique voluptate, pro turpi quæstu se, uti faciunt, in periculum adducere æternæ calamitatis subeundæ; de illis gloriari, atque ea sibi præclarè cessisse, ostentare, quibus æterna supplicia destinat Deus; denique annos integros summa cum animi tranquillitate iis in sceleribus volutari, quæ illos divinæ indignationis, gravissimarumque ultionum efficiunt objecta, & propter quæ certò sciunt, se æternis ignibus adjudicandos, si eo in statu aliquem sibi humanitus contigerit; cum sibi promittere minime possint, se eo, qui ipsis sospitibus illusit, die non morituros? *Idem.*

Gratiæ aliis cohærent gratiis.

Salutis nostræ negotium catenæ simile est, in cujus œconomia plures gratiæ quasi quidam annuli inseruntur, quorum si primus ceciderit, reliqui corruunt: si primæ gratiæ infidelis extiteris, altera, quæ ab illa pendebat, nobis negabitur. Sed quo pacto hæc dignosci gratia potest, quam aliæ consequuntur, ab altera, quæ sola est? nimis infirma sunt lumina nostra, ut hoc mysterium deprehendant, ideoque nobismetipsis jugiter invigilare debemus. Asceticus aliquis liber in manus nostras devenit; illum attentè legamus: fortasse huic lecturæ conversionem nostram Deo adnectere placuit. Pauper nobis fit obviam, ac interiori nosmet actus motu cognoscimus, ut illius egestatem solemur; gratia tunc nos alloquitur, & ad eleemosynam erogandam impellit, ex qua fortasse salus nostra dependet: *Rape occasionem inopinatæ felicitatis*, Tertullianus ait. Ne tibi hanc elabi sinas occasionem; attentus esto, ubi te alloquitur Deus; si enim neglexeris, evanescet gratia, numquam ultra fortasse reditura. *Auctor Actionum Christianarum, Tomo 3.*

Gratiæ vis, & potestas.

Verum est, Domine; omnipotens est gratia tua, & novit de obduratissimis cordibus referre victoriam, quin illorum officiat libertati; una hæc omnibus cogitationibus, omnibusque luminibus præstat. Momento illuminat, fallacia dissipat præjudicia, detegit nihilum, & inane rerum earum, quæ a te separatæ sunt; animat, roborat, & cum absolutè vocat, atque sollicitat, quis illi resistere potest? Nonne universorum es Dominus? Nonne omnia ita disponere nosti, ut homines suavi trahantur vi, & divinis voluntatibus assentiri teneantur? Non desunt Pauli, & Augustini, vasa videlicet electionis, quos omnipotens dextera tua de vitiorum sordibus eruat, ut eos Ecclesiæ tuæ columnas efficiat; verùm hæc sunt misericordiæ miracula æquè rara, ac admiranda. *Ex Manuscripto Sermone P. Stephani Chamillard.*

Gratiarum translatio, & substitutio.

Judæis olim dixerunt Apostoli, se debere quidem illis ante cæteros Dei verbum annuntiare; sed quod ita erant infideles, ut illud rejicerent,

se

se nationibus Evangelii lucem allaturos, qui reverenter eam recepissent. *Ecce convertimur ad gentes.* Mira immutatio in ordine gratiæ! Fidelis hic populus in populum reprobatum convertitur; qui antea illuminati erant, mendacio decepti sunt, & in suæ incredulitatis pœnam, secum gerunt reprobationis caracterem ex sua cæcitate profectum; atque mortalium omnium oculis propositi sunt tamquam perenne miraculum obdurationis cordis humani, justæque ultionis Dei, qui secreto suæ Providentiæ consilio gentium salutem super Judæorum interitum extruit, efficitque, Apostolus ait, ut populi, quorum mores, cultusque jampridem erant corrupti, locum obtineant populi Dei veri cultoris. *Ex Manuscripto Sermone.*

Act. 13.

Suavitas, quæ ex solo gratiæ nomine percipitur.

Sanctus Augustinus olim de pace loquens, illud magnum, & excellens bonum esse dicebat, ut solum ipsius nomen ita amabile, ut nihil in terris suavius accidere posset, illi videretur. Hoc ipsum profectò dici potest de gratia; cujus tanta suavitas est, & illecebra, ut ipsi nomini nescio quæ suavitas insit, propterquam nonnisi cum voluptate potest audiri; & certus sum vobis hoc gratiæ nomen audientibus, statim mentem vestram admirabili quadam dulcedine perfundi; quemadmodum reipsa gratia in se complectitur quidquid in bonitate melius est, lenius in misericordia, indulgentius in charitate, officiosius, atque acceptius in liberalitate. Ut ergo dicam, quid propriè sit gratia; vox hæc favorem sonat, ideoque in Scripturis sæpe, gratiam apud aliquem invenire, reperetis pro illius favorem sibi conciliare. Veruntamen meminisse opus est, gratiam gratuitum favorem significare, non eum, quem meriti fuerimus, non eum, qui recipientis dignitati, sed soli communicantis illud benevolentiæ innitatur. *Auctor Anonymus.*

Nihil sine Dei gratia facere possumus.

Quemadmodum David post relatam singularis certaminis palmam, gladium Goliath in Tabernaculo posuit, cùm ut Deo victoriæ suæ honorem deferret, tum ut testaretur, ut non virtuti suæ, vel rei militaris scientiæ, sed Dei exercituum auxilio tantam laudem deberi; ita nos quoque eidem referre debemus acceptum quidquid nobis evenit ex sententia, eique humilibus gratiarum actionibus justum, legitimumque tributum persolvere. Quoniam ab illo virtus omnis nostra proficiscitur; non ex natura nostra, sed ex gratia illius eam obtinemus; opus est, ut gloriam omnem admirabili huic bonorum omnium auctori deferamus. *Idem.*

Falsus prætextus, gratiam nobis defuisse.

Potestne peccator pro rebellionis suæ causam prætexere, sibi defuisse gratiam, ut Domini mandatis obsequeretur; cùm ille christianus sit, cujus totum vitæ spatium, nativitas, institutio, fortuna, prospera, adversa omnia, morbi, mors denique ipsa totidem peculiares Dei gratiæ fuerunt? Defuerunt ne illi consilia, exempla, Sacramenta, quæ sunt gratiæ exteriores? Defuerunt lumina, afflatus, scrupuli, stimuli, qui gratiæ sunt interiores? Ille gratiam præstolabatur, & urgebatur a gratia: deerant, inquit, ipsi lumina; ipse verò lumini claudebat oculos; volebat, ait, & converti non poterat; sed prorsus oppositum erat; poterat, & nolebat, & propter voluntatis pertinaciam gratia, & potentia illi erant inutiles. Eheu! Si Tyrus, & Sidon, si Hæreticus, & Schismaticus, Idolorum cultor, & barbarus eadem habuissent subsidia, næ illi in sacco, & cinere sua expiassent delicta; tu verò queri audes, gratiam tibi defuisse? *Sermo Manuscriptus.*

In quo hæc gratiæ vis, & suavitas consistat.

Verùm in quonam hæc gratiæ suavitas, ac fortitudo consistit? In hoc; ad vestram consolationem audite. In occasionibus Deus peccatoris scrutatur ingenium, studiis ejusdem se accommodat, ejusque affectibus, pravisque habitibus utitur. Expectat commoda fandi tempora; omnes induit personas (absit verbo invidia) ut illum lucretur, & ex ea parte capiat, quæ minorem illi est dolorem allatura. Ita est: a salutis viâ procul aberrastis, ad interitum, vestramque damnationem ruitis? Dominus se eousque demittit, ut ad se vos reducere juxta naturale studium, indolemque vestram dignetur. Cognoscit ille te cupidum esse hominem, divitiis deditum, auro, argentoque congerendo intentum? Hinc quidem, si sanctus eris, tibi incorruptibiles in cœlesti Jerusalem pollicetur opes; thesauros tibi spondet in cœlo, ubi nec ærugo, nec tinea demolitur; inde verò si in peccato morieris, gravissimam tibi minitatur egestatem, omnimodam bonorum quorumcumque carentiam, quæ damnatum manet, statim ac præceps lapsus fuerit in infernum. Dicam melius; tibi ostendit fragilitatem, ac nihilum terrenorum bonorum, quæ momento dumtaxat possidentur, & quæ morientes tenentur relinquere: *Hac nocte animam tuam repetent a te; quæ autem parasti, cujus erunt?* Luc. 12.
Cognoscit ille te ambitiosum esse, gloriæ cupidum, laudum, honorumque appetentem? Numquam bonum librum evolves, nullam concionem audies, ubi de Prædestinatorum gloria, & dignitate sermo non accidat. Te timidum, & in re qualibet trepidantem cognoscit? Mens tua, te etiam invito, repleta est teterrimis inferni imaginibus, ignis devorantis, vermis depascentis, horribilium spectrorum; atque ut omnia verbo complectar, suppliciorum omnium exquisitissimorum, atque inauditorum. In infinitum excurreret oratio mea, si vellem hic singillatim eos enumerare modos, quibus sese tibi accommodat gratia; tuum est videre quomodo clementissimus hic Deus se tuo aptet ingenio, ut te revocet ad pœnitentiam. *P. Stephanus Chamillard. Sermone Manuscripto de muliere Samaritana.*

Oportet esse vigilantem, atque attentum gratiis Dei.

Non loquamur de eorum infidelitate, qui Dei gratiis abutuntur, easque inutiles faciunt, conqueramur potius de illis, qui ad eas recipiendas se ne præparant quidem; qui in periculo positi non audiendi illas, ne trepidant quidem; sed mundi rumores diligunt, ne reipsa illas audiant. Causidicus, qui ex judicis sui verbis captare nititur, qua sibi insistendum sit via, ut victor judicio discedat, diligentissimè omnia illius verba ad examen vocat, omnes illius motus, & gestus considerat.... Deus, qui noster est Judex, ex cujus suffragio nostra pendere debet æternitas nos minime celat, quid facere debeamus, cum delinituri: immo nos ipse prævertit, quærit occasiones nos erudiendi; atque nostra nihil referre videtur, ea quæ docuerit, excipere. Sexcentis distenti curis, quæ omnem mentis occupant attentionem, temporalium negotiorum tumultu obruti, gratiæ aures obstruere affectamus, vel nisi affectamus, sine ullo metu, ac dolore illas obstruimus. Quoniam nostra agitur salus, singulis momentis attendamus quid placuerit Deo nobis dicere, ut cum fructu illam operemur. *Liber cui titulus: Remarques sur divers sujets de Religion, & de Morale.*

Deus non semper operatur gratiæ miracula pro peccatoribus.

Sæpe nobismetipsis blandimur gratiæ virtutem, & efficaciam celebrantes, & non animadvertimus nostrum vivendi genus eam omnino posse delere. Nobis blandimur, inquam; quia licet in Dei potestate sit positum de durissimis lapidibus suscitare filios Abrahæ, atque lumen ex tenebris elicere; videlicet quamvis gratia subitas efficere valeat mutationes, quæ immediate nos a gravissimis sceleribus ad altissimam evehant sanctitatem; tamen, communiter loquendo, gratia miracula hujusmodi non operatur: sua habet initia, suosque progressus, atque transitus a vitio ad virtutem tantus est, ut momento fieri non possit. Ideo temporis cura habenda est diligentissimè, in virtutum exercitatione nosmet confirmare debemus, ac illis tantum temporis concedere, quantum satis est, ut in nobis jaciant radices. *P. Cheminais, Tomo 3. Sermone de vigilantia Christiana.*

Gratia contemptus efficit,

Gratia peccatorem urget, ut convertatur; peccator verò peccatorum suorum pœnitentiam agere

ut nos deserat, & reprobet Deus.

te ecnuit. Illuminatus est, eruditus, invitatus, sollicitatus, neque vel minæ desunt, vel pollicitationes; sed lumina, increpationes, invitationes, sollicitationes, minas, promissinnes, omnia vertit in ludibrium. Assuetus scelerum suorum temedns, ea respuit; rebellis divinis misecationibus, has contemnit. Sensus, quibus affici posset, nullam habent amplius in ipso virtutem: divinamque patientiam fatigat. Sciat ergo, si perstiterit gratiæ obluctari, Deum ejusdem pecfidia coactum suam ab eo gratiam amoturum, eumque reprobaturum. *Liber, qui inscribitur: Remarques sur divers sujets de Religion, & de Morale.*

Debemus in pretio habere Dei gratiam, eique cooperari.

Cum Dei grarias eecipimus, eò diligentiorem earum eutam gerere debemus, quò magis nobis est metuendum, ne si neglesetimus illas, ultra non reveetantue. Qnid autem hujusmodi in occasionibus a nobis expetit Deus? Hoc petit, Sanct. Augustinus ait, ut gratiæ suæ eooperemue; etenim quemadmodum illius misetienrdia conarum exerit, ut educat ex thesauris suis, qui peceatnri post illius ingratitudinem clausi, obsignatique esse deberent, ut educat inquam inusitatas bas suæ benignitatis effusinnes; æquum est, ut nobismetipsis nos quoque viut adhibeamus, ut eespondeamus iis, quæ ad nns convertendos Deus opetatur. Aliqnando; Sanctus Augustinus inquit, *Deus operatur in nobis sine nobis*, sed nonnumquam etiam *operatur in nobis cum nobis*. In nobis sina nnbis operatue metum judicinrum sunrum, tertnres mortis, ac inferni, conscientiæ stimulos, cerum ereatarum fastidia; sed nonnisi eum nnbis operatur salutares considerarinnes, & opera, quæ sunt veluti fructus fæcundnrum seminum, quæ gratia in animabus nnstris effundit. Nns autem sæpe aequiescimus iis, quæ Deus facit in nobis, quin aliquid eunt ipso faciamus; eredimus bona esse eonsilia a nobismetipsis suscepta, ea desideria, quæ Deus nobis inspirat; atque conversinnis putamus initium id, qund sæpe nostram reprobanonem adimplet. Quippe se a graria illustratum, commotumque sentire, & in aliquibus perfunctoriis pœnitentiæ sensibus, nullum effectum habentribus, sese continere, quin vivendi genus mutetue, quin peccandi relinquatur occasin; hoc cumulum addit scelerum nostrorum mensuræ, hoc misericordiæ januas nobis obstruit, hoc divina Misericordia indignos nos efficit, qua per summum nefas abutimur. *Liber cui titulus: Essais de Sermons pour l'Avent.*

Nobis reddenda erit ratio, quomodo divinis gratiis usi fuerimus. Luc. 19.

Quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, ut & ego veniens cum usuris utique exegissem illam. Gratia mea est thesaurus ille, quem tuæ vigilantiæ credideram, quare illam in quæstu non collocasti? *Quare?* Nonne debebas? Numquam audiendo illam attentus, numquam in illa seqnenda fidelis, eam contempsisti, eam neglexisti; & putas, me hujus auctorem, non fore justum quoque ejusdem ultorem? Itane ergo tibi profuit hæc gratia, pee quam tot miracula operatus sum? Hiccine est fructus illius? Vita transacta tibi, & in qnn? In otio, mollitie, mentis evagatione, proprii corporis euea, commessationibus, spectaculis, ludis. *P. Giroust in Adventu Tomo primo.*

Deus eos exprobrat, qui suis gratiis abutuntur.

Quot gentes (charissime Fratee) celeriter, & efficaciter fuissent reversi ad Deum, si eadem cognnvissent, easdemque gratias habuissent, quas tu; Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida: si enim miraeula, quæ vidistis, in Tyro, ac Sidone patrata fuissent, jampridem infideles istæ civitates pœnitentiam egissent. Quid hinc tibi est metuendum? Hoc sane quod in Dei judicio multo majori cum severitate quàm in Tyrios, Sidoniosque, in te animadvertetur: ita mundi Salvatoe loquebatur: Ego verò Salvatoris innixus sententiæ dico tibi: Væ ipsi tibi, cor obduratum, coe in medio etiam lumine cæcum, eoe omnibus gratiæ afflatibus inflexibile, voluntarium peccati mancipium: væ tibi; nam integræ nationes sanctificatæ fuissent, si Providentia aliquam dumtaxat illis præbuisset earum gratiarum particulam, quas hactenus quidem habuisti, habesque quotidie. Tibi cœlum magis opitulatum est, & severius ideo judicaberit. *Idem.*

Quia Dei gratiis abutimur, ideo eas aufert a nobis.

Quædam insignia tibi contulit beneficia, teque infinitis muneribus cumulavit, nulla adactus causa vel gratitudinis, vel æquitatis, vel utilitatis; largitatis ejusdem præclara accepisti monumenta; in te uno stetit majora recipere, iisque usus non es, nisi ut largitori contumeliam inferres. Ejus in te beneficia non profuerunt, nisi ut animi tui ab ejus voluntate eluceret aversio, atque palam fieret tua in ejusdem cultu negligentia. Si judicare volueris secundum eos sensus quos viræ commercium inspirat, putabisne, benefactorem hinc recentibus te jugiter favoribus cumulaturum, an futurum, ut improbitatis tuæ injustitiam te sentire velit, ubi adfuerit occasio, ea tibi negans bona, quibus hactenus abusus fuisti? Quid illius largitatem magis fatigare potest, quàm indignus, atque contumeliosus favorum ejusdem contemptus? *Liber, qui inscribitur: Remarques sur divers sujets de Religion, & de Morale.*

Primis gratiis bene utendum, ut majores mereantur.

Putatis gratiæ nomine eas tantummodo appellandas esse, quæ fortes sunt, electæ, efficaces; celiquæ flocci faciendæ videntur. Perperam sane judicatis, & longe alios sensus concipitis, quam quos de primis Principum virorum favoribus, qui tanta vos lætitia, tantaque afficiunt bilaritate. Nonne similitee primæ Dei gratiæ in pretio habendæ sunt, quia nos ad majores recipiendas disponunt? Nonne prima talenta in quæstu ponenda sunt, ut longè plura deinde referamus? Hoc intelligebat JESUS CHRISTUS, cum ajebat: *Negotiamini dum venio*. Nemo satis dives est, qui mercaturam incipit exercere: ab exiguis mercibus initium ducitur, ut mox gradus fiat ad locupletiores. Statim primum sors est exigua, sed tempore, & cura paulatim augetur. Negotiamini (Fideles) donec veniat JESUS CHRISTUS; primas, quas vobis affert, gratias ad spirituales congerendos thesauros impendite: quò magis fideles fueritis illis, eò majores, ac plures nanciscemini. *Sermo, qui Patris de la Rue esse perhibetur pro feria sexta post tertiam Quadragesimæ Dominic.* *Luc. 19.*

JESUS CHRISTUS exprobrat civitates Bethsaidæ, & Corozain, eò quod gratias ipsius contempserunt.

Væ vobis Bethsaida, & Corozain, JESUS CHRISTUS ait, væ vobis; si Tyrus, & Sidon ea vidissent miracula, quæ in vobis contigerunt; infideles illæ civitates scelera sua espiassent in cinere. Gravis profecto exprobratio, quæ ad vos pertinet, Christiani. Hæ civitates extremo divini judicii die in vos ipsos insurgent: Quot Ethnici, qui non iisdem, ac vos, gratiis cumulati fuere; quot infelices idololatriæ tenebris involuti, quibus Solis justitiæ radii numquam affulserunt, & in quos ille beneficos influxus suos numquam effudit? Ehu! si easdem gratias obtinuissent, fortasse iisdem fideles fuissent. Dei Filius dicit etiam aliquid amplius. Si miracula, quæ pen vobis patrata fuere, Tyri, ac Sidone facta fuissent, næ illæ pœnitentiam egissent; non contempsissent, uti vos, gratias meas, eisque respondissent. Ninive, ejusque Rex prædicante Jona pœnitentiam egerunt; Judæi verò non item prædicante JESU CHRISTO: & vos, qui pluribus quàm Ninivitæ, & Judæi gratiis cumulati fuistis, pœnitentiam non agitis: aliquidne ulterius eequiritur ad superbiam vestram confundendam, vosque coram Deo accusandos? Quodnam intercedit discrimen Jonam inter, & JESUM CHRISTUM! inter Prophetæ hujus minas, & omnipotentem virtutem Dei! *Et ecce plusquam Jonas hic.* Quantumvis infirmæ hæ fuissent gratiæ, potuissent tamen Ninivitas ad pœnitentiam compellere; satis ergo sunt, ut vos ipsos ad eamdem impellant; quam nisi egeritis, testes erunt contra vos, vestræque reprobationis fundamentum: *Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista, & condemnabunt eam.* *Idem.* *Matth. 12.* *Ibidem.*

Ne

Exprobrat Deus civitatem Jerusalem, eò quod suas gratias contempserit. Matth. 23.

Ne vos dignos præbearis, Auditores charissimi, ea exprobratione, qua JESUS CHRISTUS olim civitatem Jerosolymam increpavit, & quo jure hodierna quoque die tot timidos, inertesque fideles potest increpare: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos, & noluisti?* Jerusalem civitas semper dilecta, & semper ingrata, quoties filios tuos congregare volui sub alis misericordiæ meæ, quemadmodum gallina congregat pullos suos; tu tamen quoties *noluisti? Volui*, cum tibi sanctas cogitationes immisi, cum salutaria tibi monita præbui, & *noluisti? Volui*, cum per Evangelii mei præcones te docui, quid facto opus esset, & *noluisti? Volui*, cum tibi ob oculos posui tot subitæ mortis exempla, cum voluptates tuas ea perturbavi amaritudine, quam illis immiscui, cum tibi amici illius infidelitatem, alterius verò perfidiam ostendi; *Volui*, *& noluisti*. Numquid intererat mea? Quam ex cultu tuo gloriam percipere poteram? quodnam mihi infortunium ingruere, te calamitosum efficienti? *Volui*. Tu solus periculum subibas salutis tuæ, tu, inquam solus, amicitiæ meæ diligentissimè curam gerere debebas; intererat tua operari mecum ad tuam dumtaxat felicitatem, & *noluisti. Volui*: hæc erit justificatio mea, quamvis nemini factum meum probare teneat; *& noluisti*; hæc erit damnatio tua. *Idem*.

Quomodo exprobrabit peccatori Deus suarum gratiarum abusum.

Deerant ne tibi, dicet aliquando reprobato peccatori Deus, deerantne tibi monita, consilia, exhortationes, conciones, exempla? Gratiæ exteriores. Deerantne inspirationes, & stimuli? gratiæ interiores? Gratiam meam videlicet expectabas. Proh scelus! mea immo te gratia expectabat; quoties ad ostium tui cordis, pulsavi quin mihi aperires? quoties te vocavi, quin responderes? Si Ethnicus, si Barbarus hujusmodi gratias habuisset, næ ille quidem fuisset conversus; tu quoque igitur converti poteras, & conversus non est; tu noluisti. Tibi igitur voci succensens, si justitiæ meæ severitatem experitis. *Idem Sermone pro feria 6. post quartam Quadragesimæ Dominicam*.

Credendū non est fore ut nos Deus semper expectet, nobisque suas offerat gratias.

Arbitramur futurum, ut adhuc aliquandiu nos Deus expectet, & fortasse bipennis arboris radici illisa est: *Jam enim securis ad radicem arboris posita est*. Hæc forsitan postrema est gratiæ sollicitatio; nunc postremùm forsitan nos urget Deus, nullum deinceps æque validum suppeditaturus auxilium, ut de infelici, in quo versamur, statu emergamus. Jamdiu nos expectat, admonet, sollicitat Deus; sæpe venit, ac semper frustra, quæsiturus ejus arboris, quam adeo diligenter excoluit, fructus; & jure ob diutinam sterilitatem iratus, intra paucos fortasse dies eam in nos prolaturus est sententiam, quam Paterfamilias protulit in ficum: *Succidite ergo illam, ut quid terram occupat*. Quamprimum sterilis hæc arbor succidatur, & in ignem mittatur; cui bono tandiu terram, ubi arbor alia optimos ferret fructus, occupare permittimus? Propter adeo terribilem sententiam tot homines, qui bene adeo incœperant, & mox gratiæ infideles fuere, in extremum exitium lapsi sunt; atque tot alii, qui adeo bene vocati fuerant, non obtinuerunt perseverantiæ donum, atque cum loco, coronam quoque suam, iis reliquerunt, qui ex eorum calamitate quæstum facere didicerunt. Nihilne tale nobis metuendum est, post ea, quæ hactenus fecit Deus, ut vitæ rationem immutaremus? *P. Croiset in Recessibus Spiritualibus*.

Luc. 13.

Dolor, quod gratiæ fideles non fuimus, & propositum illi imposterum servandi fidem.

Heu Domine! ne intres in judicium cum servo tuo; fateor me hactenus fuisse arborem non sterilem solum, fructibusque vacuam, verùm etiam corruptam, quæ nequicquam in uberrimo solo obtinuit locum, & quæ proinde nulli est utilis rei, nisi ut mittatur in ignem: Verum, Domine, patientiam habe, & spero, me ope gratiæ tuæ, ita bene usurum eo tempore, quod mihi tua concesserit bonitas, ut non ultra curas tuas inutiles reddam. Audeo quoque sperare, te mihi nequaquam inspiraturum fuisse mentem hanc implorandi misericordiam tuam, nisi mihi certa esset voluntas reparandi malum, quod tot auxiliis tuis abutens operatus sum. Verùm nisi recenti hac gratia tua bene usus fuero, tu fortasse in me laturus est terribile illud judicium, a quo mea pendet æternitas. Hoc quidem pluribus de causis mihi metuendum est; sed in tua confidens misericordia spero, mihi omnipotentem gratiæ tuæ opem non defuturam, eaque ita bene uti propono, ut fatalem sententiam effugiam, quàm omnibus eadem abutentibus minitaris. *Idem*.

Quomodo exprobret Deus peccatoribus suarum gratiarum repulsam.

Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti. Quoties misericors Deus vos sub alas suas studuit congregare: *Quoties volui*? Et quoties tu recusasti: *& noluisti*: Testes invoco vestras conscientias. Hoc voluit clementissimus Deus tot gratiis, quibus vos prævenit, tot bonis cogitationibus, quas vobis immisit, tot optimis exemplis, quæ vobis ostendit, tot verbis veritatis, & vitæ, quæ protulit vobis: *Quoties volui*? Vos autem quoties hujusmodi gratiis rebelles, quoties inspirationibus, exemplisque inflexibiles, quoties his vocibus surdi noluistis; *& noluisti*? Quoties ipse voluit tot interioribus exprobrationibus, quibus increpuit, tot acerrimis stimulis, quibus conscientias vestras nimis tranquillas agitavit, tot salutaribus amaritudinibus, quas voluptatibus vestris immiscuit; tot ingratorum amicorum infidelitatibus, quarum victimæ fuistis: *Quoties volui*? Nihilominus quoties his exprobrationibus, stimulisque vosmet indurastis, quoties his amaritudinibus, & infidelitatibus assueti, hujusmodi gratiis restitistis? *Dictionarium morale. Sermone primo de Indulgentiis*.

Gratia nos suaviter attrahit, quin cogat voluntatē.

Gratia, Sanctus Augustinus ait, sancta suavitas est, quæ nos attrahit, & movet, sed in electionis libertate relinquit: *Non necessitas, sed voluptas; non obligatio, sed delectatio*. Semper per voluptatem se Deus insinuat in animam; sed voluptas hæc non est inevitabilis, & ea, quam nobis offert, illecebra non est tyrannis, quam velit in corda nostra exercere: *Qui trahuntur ita veniunt, ut si vellent venire, non possent*. Igitur non dicam ultra, ut animos despondeam, si ad Deum minime venio, ipse me benedictionibus suavitatis suæ non prævertit, quæ necessariam efficiunt impressionem in corda eorum, quos sibi subjicere cupit Deus, Ejus mihi offertur gratia præsertim verò in periculosissimis occasionibus; ac ipsa me docet experientia; me nimis eadem abusum fuisse. *Ibidem*.

Frigus, quod Deus in peccatoribus parit, oritur ex gratiarum ejus repulsa.

Psal. 147.

Vulgatius supplicium, quo Deus in illos animadvertit, qui ipsius gratiis abutuntur, hoc est, quod peccatorem neque vocat, neque vocantem amplius exaudit; & Cor Dei, ut Sanctus Augustinus ait, in illa Prophetica verba; *Ante faciem frigoris ejus quis sustinebit*, erga peccatorem frigidum est, & quasi glacie concretum. Hoc autem in Deo frigus, hæc in ipsius corde glacies efficit, ut peccatore non vocet amplius, ejusque sensus crassos, condensosque animam verò undique conclusam relinquat. Hæc sunt Sancti Augustini verba: *Frigus Dei, quando peccatores non vocat, quando non aperit sensum*. Dei vox illuc non ingreditur amplius, & hæc res causa est propter quam Deus illum ultra non vocat; Et hanc rationem adferunt Theologi, quemdam adesse ordinem; atque nexum inter divinarum gratiarum distributionem, itaut qui primæ fuerit infidelis aliarum privatione percuti mereatur. Non audis amplius Deum ad cordis ostium pulsantem; hæc tua erit pœna, quod ipse te non ultra vocabit. *Ex delectorum Sermonum Collectione. Sermo de Surditate*.

Deus suas negat gratias negligentibus illas.

Tali in occasione gratiam negligis, te eidem attentum non præbes, illam evanescere sinis; fortasse ex hoc momento, ex hac occasione, inspiratione, gratia pendet, utrum sis a Deo deserendus.

Hæc peccatori calamitas ingruit; Deus illum non vocat ultra; ab eo tandem recedit, quemadmodum per Prophetam minitatus est: *Aures suas aggravaverunt ne audirent; sic clamabunt, & ego non exaudiam.* Ita supremus hic Judex peccatoribus minitatur; hæc ejus est ultio. Obsurduerunt, inquit, voci meæ; cor ipsum adamante durius effecerunt, ne me audirent; verùm ipsi quoque vicissim clamabunt, opem imploraturi, atque ego quoque tunc aures obstruam, me illis, ut illi se mihi, surdum præbebo, & non exaudiam. *Clamabunt, & ego non exaudiam.* O Rex infelix! O calamitosissime Saul! hæc tua sors est, hæc pœna tua, ingemiscis, ploras, deprecaris; Samuel quoque preces effundit, pro te laborat: Sed tuas, & ejus lacrymas, suspiria, preces non audit Deus. Cur hoc? quia antea ac ipse non audisti illum, atque divinæ voci illius aures obstruxisti. *Quare non audisti vocem Domini?* Hæc est causa propter quam te repellit, atque contemnit. Neglexisti quæ ille tibi dixit; ipse quoque negliget quidquid illi dicere poteris; orabis, non exorabis; clamantem audiet, non exaudiet, tu verò in gravissimam omnium calamitatem decides. *Idem.*

Zach. 7.

1. Reg. c. 15.

Dei misericordia fatigatur, illis gratias elargiendo qui iisdem abutuntur.

Certum est, Dei Misericordiam exhauriri nonnumquam in earum distributione gratiarum, quas conferre decrevit, propterea quod a peccatoribus rejiciuntur, & contemnuntur; & ex hoc tamquam exhausto fonte ultra non fluere, nisi ad summum rivulos aliquot, & guttas admodum tenues. Ratio verò, quam Theologi afferunt, ipsas etiam maxime inflexibiles animas, si quid in illis reliquum fidei superest, perterrefacere debet. Liquet, notæ melioris Doctores inquiunt, liquet omnes Dei perfectiones in se quidem esse infinitas, finitas tamen, ac limitibus suis circumscriptas in communicationibus, & effectibus suis. Exempli gratia, infinitus est Deus in extensione potentiæ suæ; verumtamen ea omnia, quæ creavit, finita sunt. Hoc ipsum de illius bonitate, & misericordia dicendum est: hæc quidem in se ipsa est infinita; finiti nihilominus sunt misericordiæ hujus effectus, & gratiæ, quas peccatoribus elargitur, suos terminos habent. *Idem Sermone de recidiva.*

Multitudo particularium gratiarum quibus a Deo fuimus cumulati.

Quid dicam de sanctis lectionibus, quæ casu quidem, sed opportunè adeo, accidisse videntur? Quid de felicibus occursibus, inopinatis quidem; sed adeo aptis iis consiliis, quæ de nobis convertendis fovebat Deus? Quid de parvis, ut ita dicam, miraculis, quæ in nostrum commodum evenerunt? Cœlitus demissa inspiratio, consideratio tempore, & loco instituta, bonum verbum auditum sæpe conversionis perfectæ causa fuerunt. Sin autem nobis præclara ea contigit sors, ut divino cultui devoveremur, mente repetamus singula, quæ in vocatione nostra acciderunt, omnes illius circumstantias ad examen revocemus, & admiremur qua sapientia, qua cura omnia ad salutem nostram Deus disposuerit. Opus fuisse, ut eo tempore, eoque in loco, cumque iis personis adessemus. Mundi voluptates, nullas in nobis illecebras habuisse tunc temporis, ubi per ætatem eas magis deperire debere videbamur; fucatis mundi hujus fraudibus nos capi non potuisse; ipsum consanguineorum amorem satis virium non habuisse, ut nos ab incœpto dimoveret; malorum exemplorum torrente rapi nos nequivisse; ejus vitæ austeritatem, cui nihil non asperum, ac injucundum inerat, nos nequaquam deterruisse; nobis tantum adfuisse virtutis, ut validissimos quoscumque obices infringeremus!... At undenam in nobis orti sunt adeo boni sensus eo tempore, quo illos minime merebamur? Cur inter tot, quorum singuli melius Deo fuissent famulati, ego electus, non illi?... Beneficiis adeo singularibus adde tot sanctas inspirationes, tot pia desideria, aliæque hujusmodi gratiæ, quibus nos Deus quotidie prævertit. Hi conscientiæ stimuli; hæ secretæ sollicitudines, hæ turbæ interiores quibus ille utitur, ut nos in sanctitate vitæ requiem veram inquiramus, hi eadem sunt divinæ effectus misericordiæ. *P. Croiset Tomo 1. Recessuum.*

Oportet esse dociles gratiæ.

Proh Domine! quanti refert sese dociles præbere gratiæ, & alacres ad inspirationes tuas amplectendas! Quot vocari vocem tuam non audiunt! quot in mandatis tuis capescendis parum seduli sunt! Tumultus obstupefacit, vita mollis reddit inertes, negotiorum, difficultatum, ætatis, status, qualitatis prætextus faciunt, ut quæ cito facienda sunt, differantur; & hac procrastinatione optima quæque desideria evanescunt. Opus est vigilantes nos esse, atque cœlestibus vocibus audiendis attentos; verùm præterea opus est sese illis dociles præbere, ne inutiles fiant. *Idem.*

Impii gratiæ motus inania vocant terriculamenta.

Hæc impii in jocum plerumque traducunt; & salutares cogitationes judiciorum Dei, atque æternitatis, nec non pretiosissimi gratiæ motus inania terriculamenta vocantur. Quomodo per contemptum improbi viri has cogitationes explodunt, atque irrident tamquam importunas cogitationes, quibus voluptates suæ perturbantur, iique excitantur stimuli, qui eos mœrore conficiunt? Verùm enim verò si hujusmodi cogitationes veræ sunt; si considerationes solidæ; si hæc vera sunt, & nostræ religionis oracula, quæ nullo modo possunt eludi, quid de illis extremo judicii die futurum existimabimus, qui illa aspernantur, rejiciunt, repellunt? *Idem in Spiritualibus Considerationibus.*

Deus gratiis suis non semper æqualiter loquitur.

Deus non semper eadem vi hominibus loquitur, & plerumque silet, ubi cùm in maximi momenti occasionibus locutus fuisset, verbum illius eo, quem habere debebat, caruit effectu. Dei tempora diligentiùs, quàm existimatur, consideranda sunt, & præcipuum Fidelis studium est, sedulam momentorum ejus curam habere. *Abbas Trappensis Christianarum Institutionum Tomo secundo.*

Quomodo Salvator suam gratiam statui, & conditioni Samaritanæ accommodavit.

Dei Filius cum Samaritana loquens gratiam suam primùm studiis animi ejusdem, mox verò statui præsenti, atque conditioni ejus accommodavit. O admirabile Divinæ Sapientiæ adinventum, dare, & aptare gratias illis, quos convertere cupit, atque sese accommodare sub nominibus, temporibus, iisdemque conformibus conditioni, ac studiis, quæ præsens, in quo sunt status, tribuit illis, ut hac ratione efficaciùs, suaviùs, atque incomprehensibiliùs ad agendum impellat. Vocare vult Reges Magos; eorum vocationem adnectit stellæ, & hanc eligit viam tamquam omnium aptissimam, tutissimamque, quandoquidem illi syderibus cognoscendis operam impendebant. Vocat Apostolos, qui piscatores erant; illis vocationis gratiam impertit iis usus vocibus, quæ ad artem eorum spectabant, dicens se eos facturum piscatores hominum. Semet eorum statui accommodat, & vitæ generi quod profitebantur, objectum tantummodo immutans. Ita cum Samaritana etiam agit, illius erudiendæ occasionem nactus ea munere, quod exercebat, & cui actu vacabat. Venerat illa ad hauriendam aquam, eique proponit gratiam usus nomine, & symbolo aquæ viventis, ac in vitam æternam salientis, hujus desiderium excitaturus in illa. *Biroat, Sermone de muliere Samaritana.*

Gratiæ, & vocationi Dei opus est respondere.

Audiam, quid loquatur in me Dominus meus. Attentè, & summa cum docilitate audiam, quid in imo corde mihi dixerit Deus, & quid facere me jusserit. Heu! quàm sæpe boni motus, a Deo profecti, sanctæ inspirationes ab eodem immissæ, ut pœnitentiam nobis persuadeant, gratiæ, quas nobis impertit tamquam dispositiones, & auxilia, ad eam peragendam, sæpe inutiles fiunt: quin præteritorum nos pœniteat scelerum, veteribus adjicimus recentia; & quin divinæ misericordiæ respondeamus docilitate nostra illius imperiis obtemperantes, obstinatione nostra illius justitiam offendimus. In hoc autem gratiæ respondere debemus fideliter quibuscumque occasionibus utentes, & sequentes secretos motus, quos in nobis excitat

Deus,

Deus, ne imprudenter illos elabi sinamus veriti, ne iterum redeant. *Idem.*

Gratia se accommodat locis, atque temporibus pro peccatorum conversione.

Dei Filius non solum Samaritanam expectat, verum etiam opportunam captat occasionem agendi cum illa: Eligit locum a tumultu, ac rumore procul sepositum, illudque tempus, quo scit eam illuc accessuram. Neque ideo putes gratiam vel tempore, vel loco, vel occasione indigere; verum hæc omnia quærit, ut minorem libertati vim afferat, & majori cum suavitate hominis salutem operetur. Nonne summa est indulgentia, sese nobis subjicere velle propter prædestinationis nostræ secretum, atque meditari temporum, locorum, & occasionum commoditatem, ut nos convertat? Cum legimus in Scripturis Saulem felici homine obvium factum fuisse Prophetæ, ab eo inunctum, atque in Regem Israel consecratum fuisse, statim hoc secreto divinæ Providentiæ consilio dicimus accidisse: attamen Patres animadvertunt hanc esse figuram vocationis ad Dei gratiam, & dilectionem, & nullus ferme fuit ex conversis peccatoribus, famosos autem peccatores intelligo, cui gratia non struxerit insidias, ut illum a sceleribus ipsorum amoveret, & ad cujus conversionem locum, tempusque opportunum nactus non fuerit. Nonne hoc innuere vult Isaias Propheta per hæc verba, quæ Sanctus Augustinus interpretatus est: *Isaia 49.* *Tempore accepto exaudivi te, & in die salutis adjuvi te? Ex Sermone qui sub P. Bourdalouve nomine circumfertur pro die Samaritanæ.*

Effectus fidelitatis, atque infidelitatis gratiæ Dei.

Felix, qui respondet secretis misericordiæ consiliis, quæ de nobis concepit Deus! Quod ille justitiæ augumentum, quod incrementum virtutis assequeretur! Fidelis in modico in multis constitueretur. Si dives esset, fieret adhuc opulentior; puriora lumina, viridioresque ardores præmium essent adeo justæ dispensationis. Verùm quomodo illis paremus? Gratias hasce, quæ essa deberent practicæ, atque fœcundæ, secundum divinæ Sapientiæ consilium, steriles efficimus. Væ nobis, qui in vanum possidemus animas nostras; turpis paupertas est inertiæ nostræ supplicium; ex hoc fundo, qui fertilis esse poterat, nihil colligimus, quam desperationem, eo quod illum neglectum inspicimus: tu verò, Spiritus Sanctitatis, & gratiæ jugibus oppositionibus nostris propulse, nihil aliud nobis es, quàm flatus tenuis, atque pertransiens. *Auctor Anonymus.*

Quomodo hæc gratia nobis donetur. *Joan. 3.*

Aliquando ipse Deus immediatè, ac solus hoc in anima lumen producit, quin aliquo utatur objecto, tunc etiam cum minus existimatur. Dei *Spiritus*, Sanctus Joannes inquit, *ubi vult spirat, sed nescis unde veniat, aut quò vadat.* Aliquando hoc lumen affulget per occasionem boni alicujus exempli, egregiè dicti, quod auribus nostris acciderit, funesti casus, qui alicui contigerit, salutaris afflictionis, quam Deus nobis immiserit. Quoties hujusmodi gratias accepisti? & quoties illas neglexisti, vel etiam contempsisti? Lumen hoc plerumque conceditur nobis, quia petimus illud, neque illud baberemus, nisi peteretur a nobis. Sed heu! illudne nimis unquam petere possemus? Deus illud nonnumquam elargitur non quærentibus, immò verò fugientibus nobis. Si enim lumen hoc nos minimè quæsivisset, unquam ne, o Deus, ad te reverti cogitassemus? *P. Nepueu. Tomo quarto Christianarum Considerationum.*

Cogitandum est quanti steterit Filio Dei gratia.

Ubi David illud cogitavit periculum, quod tres ex delectis militibus suis strenui viri subierant, ut ad illum afferrent aquam de Cisterna Bethlehem haustam, cujus ille desiderio flagrare testatus fuerat, noluit eam bibere, sed illius Domino gratissimum *2. Reg. 23.* obtulit sacrificium: *Libavit eam Domino, ... numquid sanguinem hominum istorum bibam?* Dicamus, sed in sensu longè alio, & opposito, si seriò reputemus quanti steterit Filio Dei nostra salus, & quantum impenderit ille, ut tot bonas inspirationes, atque tot gratias ad sanctificationem nostram promereretur, dicamus inquam, nos nequaquam illas adeo exiguo in pretio babituros, atque nobis metum incessurum, ne per divinarum gratiarum contemptum inanem efficeremus sanguinis JESU CHRISTI effusionem, omnemque Crucis, & Passionis ejusdem fructum deleremus. *Numquid sanguinem hominis istius bibam? La Font, 4. post Pascha Dominica.*

Deus nobis integrum relinquit gratiæ assentiri.

Deus cupiens omnes homines salvos fieri, vult, ut hæc salus & a se, & a nobis simul proficiscatur. A se tamquam prima causa, a nobis tamquam secunda; a se qui nobis suas gratias elargitur juxta naturam suam, quæ ipsa bonitas est; a nobis, qui gratias ejus recipimus juxta nostrum statum, qui plenæ est libertatis: a se, qui dicit: petite, & accipietis; quærite, & invenietis; pulsate & aperietur vobis; a nobis, qui & petere, & quærere, & pulsare possumus, & e contra. Verbo: Deus, qui nos salvos facere cupit, nequit aliquem nostrum salvum facere invitum; cùmque nos constituerit inter bonum, & malum nostræ voluntatis dominos, ita nobiscum tanta utitur bonitate, & audeo dicere, reverentia, ut velit, nos velle bonum illud, quod nobis offert, ut cùm illud voluerimus, adimplere possit in nobis magnum suæ misericordiæ opus, quod sine nobis incœpit. *Ex Morali Dictionario. Sermone primo de gratia.*

Varii modi, quibus gratia nos trahit.

Quis dicendo assequi posset modos omnes, quibus novit Deus trahere peccatores, eosque ad se revocare? Alios hortatur, & invitat; aliis minas intentat, terroremque incutit; illis salutaria per homines suo zelo succensos monita tribuit; his inopinatos casus, dicam melius, opportunos eventus Providentia disponit. Aliis fatalem solvit vittam, qua prohibebantur, ne veritatem viderent; aliorum in corde pia serit desideria, dulcesque erga virtutem affectus inflammat. Aliis vitii horrorem inspirat &c. *Idem.*

De gratiæ suavitate.

Si D. Augustino credimus, gratiæ efficacia in quadam suavitate consistit, quæ ita jucundè allicit voluntatem, ut hæc se trahi sinat, & quæ ita victoriam reportat, ut innocua voluptas noxiam superet voluptatem, quæ illam in captivitate tenebat. Itaque cùm vis suavitatem roborat, suavitas verò vim lenit; illa certissimè, atque jucundissimè suum producit effectum. *Idem.*

Quamvis conversionem salutemque nostram gratiæ debeamus, huic tamen pro virili cooperari debemus.

Non volentis, neque currentis, sed Dei miserentis opus est nostra salus. Fulgur, quod Sanctum Paulum perculsit, de cœlo affulsit; cogitatio, qua prodigus filius simul & suam egestatem, & multitudinem servorum patris sui comparat, desursum venit. Sed docilitas persecutoris illius prostrati exclamantis: Domine, quid me vis facere! & filii reditus in patriam domum sine utriusque voluntate, & cooperatione non accidit. Quos trahit Pater cœlestis, profectò non traherentur, nisi per voluntatem suam illum sequerentur. Qui veniunt, amore ducuntur. Hi amati fuerunt, & mox amarunt, voluerunt, quod ipsos velle, Dominus voluit. Hic nobis ita voluntatem ipsi obtemperandi tribuit, ut iis etiam, qui perseveraturi sunt, non auferat eum mutabilitatis statum, propter quem possunt nolle sequi, & obtemperare. *Idem in Considerationibus.*

Gratia naturam nostram non evartit, sed regit solum, & perficit, illius immutans objecta.

Insignis est error putantium, in hoc positam esse virtutem, ut affectibus careamus; JESU CHRISTI gratia hos regit, non extinguit; sanctificat, non evellit. Paulus vivido erat, ardentique ingenio; Salvator illum convertens numquid tranquillum effecit, & moderatum? Haud ita sane; immutat solum ardentis hujus affectus objectum; & fervor ille, quo Damascum properabat Christianam Religionem persecuturus, ejusque progressus inhibiturus, efficiet, ut extremas obeat terrarum oras, ejusdem terminos prolaturus, & gentes omnes JESU CHRISTI Evangelio subditurus. Magdalenæ cor erat tenerum, & amando pronum: Numquid illi JESUS cor frigidum, amandi-

que nescium effioget? Hoc si fecisset, illa noo extitisset sæculis omnibus perfectum exemplar amantium Deum. Quin igitur teneros ex animo dilectionis sensus evellat, gratia illos confirmat, roboratque; & impensus amor, in quo totum Magdalenæ scelus erat, fit materia meritorum, & sanctitatis ejusdem, statim ac Deus in ejus corde occupat locum, quem antea creatura occupabat, ac fit objectum, & finis votorum, & dilectionis ejusdem. *Abbas de Monmorel, Homilia pro quarta Dominica post Epiphaniam.*

Ejusdem argumenti.

Cum Dei gratia peccatores convertit, criminum eorumdem causas, atque instromeota non tollit, qualia suot eorum studia, & affectus; sed illis utitur, ut eos sanctos efficiat per affectus eosdem, qui illos nocentes effecerant. Efficit solum, ut objectum immutent, itaut quibus illi instrumentis usi fuerant, ut læderent Deum, iisdem ad majorem ejusdem gloriam utantur; seu hac re suaviùs salvos facere velit, sese eorum studiis accommodans, seu gloriosiùs triumphum referre de peccatore, illos propiis superans armis, atque in honorem reparare suum eadem via, qua fuerant usi, ut creatori suo contumeliam afferrent. Ita cum Magdalenam convertit, quæ prona erat ad amandum, hunc illius noo abstulit affectum, neque hunc ignem extinxit, illius tantum flammas alio convertit, sanctius eisdem objectum tribueos, ut deinde illa Deum eodem ardore, atque affectu diligeret, quo mundum fuerat prosecuta. Scelus suum erat amor ipsius, sed amor ejusdem erit deinceps ejus virtus, & gloria. Ita cum Sanctum Paulum convertit, qui fervido erat temperamento, ardorem hunc non extinxit, sed illum quodammodo in victoriæ suæ jura traduxit, & hujus persecutoris furorem in Apostoli zelum immutavit. *Biroat, Panegyrico Conversionis S. Pauli.*

Quomodo gratia suavitate nos attrahat.

Civilis, urbanæque vitæ secretum est quod passim observatur, ubi aliquod ab aliquo beneficium obtinere contendimus, omnibus adniti viribus, ut illum aliqua re prævertamus, quæ eidem accepta possit accidere, & quæ aditum in cor ejus aperiat; exempli gratia aliqua res ab eodem petitur, quæ eidem accepta futura, atque lætitiam allatura existimatur. Hac eadem arte Dei Filius utitur, cum cor aliquod in sui amorem, atque servitutem studet pertrahere. Efficit ut in animam illius ineffabile gaudium insinuat, propter quod exclamet: O Deus, quam admirabilem dulcedinem percipiunt, qui tibi fideliter famulantur! Hæc illa est præveniens gratia, qua Deus illos appellat, & quam Sanctus Augustinus, *Victricem delectationem* vocat, quæ cor attrahit, & per quam pietatis exercitia, quæ nobis antea injucunda erant, & amara, nobis jucunda fiunt, & suavia: *Ut suave fiat quod non delectabat*, Sanctus Augustinus ait. *P. Antonius a S. Martino a Porta, Tractatu de Gratia.*

Desideratur quidem gratia Dei, sed hæc vaga sunt desideria, frigida, inutilia, quæ eodem fere momento concepta, & extincta nihilum prosunt, nisi ut inertes necent, ut loquitur Sapiens. Hæc sunt desideria, de quibus homines ficta pietate gloriantur, & cum quibus in vitiorum volutabro volunt perseverare.

Qualibet virtus, & actio bona, ut christiana sit, fieri debet per motum gratiæ.

Quamvis nulla sit virtus, quæ humana appellari non possit, quia in homine est, illam liberè amplectente, certum nihilominus est, illam ut christiana sit, æternamque vitam mereatur, nequaquam ex merè humano principio proficisci debere. Natura suam in eadem sibi vendicat partem, sed hanc naturam fovet, roborat, regitque gratia. Singuli partem ejusdem nobis vindicare possumus; sed supernaturale, divinumque principium nos excitat, agit, impellit, & nobiscum id facit, quod illud in nobis, sine nobis, non posset efficere; & cum quo facimus, quod sine eodem neque conari, neque cogitare unquam possemus. Hinc fluit omne bonorum operum nostrorum meritum. Aufer liberum arbitrium, voluntatis studium, & affectionem, nihil ibi est, quod salutem recipiat; sed aufer quoque gratiam, jam nulla reliqua via est, qua ad salutem hanc pervenire possimus, ut inquit Sanctus Bernardus: *Tolle liberum arbitrium, non erit, quod salvetur; tolle gratiam, non erit unde salvetur.* In duobus consistit; causa requiritur, a qua producatur, & subjectum, in quo producatur. Causa hæc Deus est, subjectum verò liberum arbitrium. A gratia salus venit; creatura libera, & agens per hoc gratiæ principium, salutem recipit. *Joly, Propositione pro quinta post Pentecosten Dominica.*

Gratiam audire nolumus, ne illi parere teneamur.

Homo positus in mano consilii sui, sæpe similis est corruptis Judicibus, qui attentius rationes inspicere nolunt, ne justè judicare teneantur. Hinc quidem sese ostendit gratia: quoties efficit, ut nostra intelligamus officia, nobisque eorum exprobrat prævaricationem? Sed inde nos excæcat affectus, tamquam fatuos senes illos, quos Scriptura testatur, decrevisse, ne oculos a terræ conspectu amoverent: *Statuerunt declinare oculos in terram.* *Psal. 16.* Hæc ignorantia non erat, sed nequitia. Sciebant illi, se perperam agere, verum animum advertere refugiebant; jam consilium ceperant, jam turpis libido illos excæcaverat; ratio, conscientia, Dei metus nullam ultra vim in eorum corda, animosque obtinebit. *Ex morali Dictionario. Sermone de Gratia.*

Gratiæ debemus quidquid boni facimus.

Ullane bona cogitatio nobis inest? hanc nobis inspirat gratia; nam sine hac nequaquam inesset. Bonum aliquid operamur? Hæc nobis viam sternit facillimam; nam sine hac nihil boni faceremus. Sumusne culpæ obnoxii? hæc inde nos eripit; nam sine hujus ope, æternum in scelerum cœno volutaremur. Ad virtutem progredimur? hæc nos regit; nam si hæc vel momento nos desereret, immobiles, frigidique permaneremus. Post hæc superbire possumus, & assertas virtutes nostras ostentare? *Idem Sermone 2.*

Gratia peccatores multifariâ appellat.

Gratia, S. Gregorius ait, hominem eo, quo vult, modo vocat; nunc interiori motu, bona cogitatione, pio desiderio, nunc exteriori invitatione, sapientis Directoris consilio, Concionatoris Dei nomine loquentis sermone; nunc verò interioribus simul, exterioribusque illecebris. Hunc noctu vocat adversis; illum interdin prosperis, & affluentibus rebus; sed quocumquemodo, vel tempore vocet, ubi vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra. *Idem.*

In quæstionibus de gratia quid spectandû.

Apage niotosas disputatiooes, ubi sub colore veritatis inquirendæ, & propugnandæ sæpe lethalia vulnera charitati christianæ infliguntur. Verum non desunt etiam, qui procul abhorrentes ab iis omnibus, quæ disputationem redolent, minime inquirunt, quid in ipsis operaretur gratia, si eidem cooperarentur, & quid in illam peccent eidem resistendo; qua cordis mentisque dispositione gratiam hanc & petere debeant, & recipere; qua fide, ac diligentia efficere debeant, ut illa in se ipsis operetur, eique obsecundare teneantur. In hoc minimè laborant; at numquam ne ab Apostolo discent, præcipuum eorum studium esse debere, seipsos præsertim excutere, utrum fideles sint, an secus; communicationibus Dei; utrum ejusdem beneficiis respondeant, utrum, quemadmodum Apostolus inquit, aliquis eorum gratiæ desit. *Contemplantes ne quis desit gratiæ Dei. Idem.* *Ad Heb. 12.*

Gratiæ cooperari debemus.

Falsò in opere salutis nostræ aliquam nobis vendicaremus partem ejus propensionis, ac studii, quo corda nostra legi divinæ obsequuntur, si de nobis idem esset, ac de mortuis lapidibus, quos cæmentarius faber, uti e re censuerit, collocat, quin illi resistant, ullumve proprium motum ostendant. Falsò diceremus nos currere, ambulare, nosque metipsos sanctificare. Verum ita non est; & Deus nos in consilii nostri manu constituit. Si gratia

vox

vox est, eam nos audire jubet; si auxilium, eo nos uti vult; si illa debet incipere, nostrumque spirituale ædificium perficere, præcipit, ut quatenus lapides vivi, & rationales (ita enim a Sancto Petro vocamur) pro virili aliquid huic operi conferamus. *Idem*.

De gratiæ indulgentia.

Gratia, ut ita loquar; peccatoris cordi, ac studiis se accommodat; se ipsam facit illecebram voluptatem amantibus, gloriam ambitiosis, opes avaris: denique se in omnes humanos affectus convertit. O summam bonitatem! O insignem indulgentiam! Sanctus Paulus fervidus erat; ambitioso, ardentique ingenio; gratia hunc induit caracterem, ut illum attrahat; illi sensus affectui ejusdem aptos immittit, ac prudenter immutans objectum, quod illum nocentem efficiebat, eum expiat, atque ex furenti, bacchantique persecutore in Apostolum zelo flagrantem convertit. *Sermo Manuscriptus*.

Necessitas gratiæ, & quomodo ab ea pendere debeamus.

A Deo non minus in gratiæ, quàm naturæ ordine pendemus. Justificatio nostra a Sancto Paulo creatio vocatur? Et profecto nos Deus justificat, quin aliquam in nobis dispositionem, & aliquod meritum inveniat. Non possumus ex nobis vel minimum opus bonum perficere, vel bonum fovere desiderium sine gratia, quam mereri non possumus. Quid sine gratia efficerent Sancti? Quodnam discrimen interest inter hominem sibi traditum, atque ex se solo agentem, & inter hominem Deo cooperantem! David cum Deo agens sanctus est; David solus agens adulter est, & homicida. Salomon mortalium omnium sapientissimus cum Deo Salomon est, solus verò est Salomon cultor idolorum. Petrus Judæorum minas contemnens est Petrus cum Deo; sed Petrus ad ancillæ vocem contremiscens, Deumque suum negans est Petrus solus. *P. Nepuea 3. Tomo Considerationum*.

Nihil periculosius quam gratiæ resistere.

Nihil periculosius est, quam Dei gratiis resistere. Hæ celeres, atque transeuntes sunt gratiæ, ubi volueris, non rediturae; fulgura sunt in æternam noctem abeuntia statim ferme ubi affulsere. Parum curas ex bono hoc exemplo proficere, inspirationi huic respondere, pium hunc sequi motum; numquid eamdem tibi quotidie gratiam Deus elargietur? fortasse elargietur ille, fortasse non item; sed alterum potius time, quam speres alterum. Semel, & his ad paratum te invitavit convivium; numquid & tertiò est invitaturus? Ille tibi talentum credidit, tu illum ingesta humo occuluisti, numquid alterum tradet? Te in regnum suum vocavit, numquid vocabit iterum? Næ vereor, ut terribile illud JESU CHRISTI oraculum adimpleatur in te: *Auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum ejus*. *Joly. Propositione pro decima nona post Pentecosten Dominica*.

Matth. 21.

Gratiæ olim a nobis contemptæ erunt aliquando causa damnationis nostræ.

Gratiæ, quibus infideles sumus, Deo, a quibus illas accepimus, contra nos erunt testes, & argumenta. Eas nobis contulit, ut ne minima quidem superesse posset de ipso querela. Illas tibi non debebam, inquiet ille; attamen eas concedere volui, tu verò illas conculcasti. Quid me cogebat, ut ad cœnam meam invitarem, attamen te invitavi; tu autem renuisti; quid habes, quod mihi respondeas? Si Tyriis, Sidonisque eas contulissem gratias, quas tibi, severissimam egissent pœnitentiam; tu verò semper in scéleribus, flagitiisque vitam traducere voluisti, licet te illinc gratiæ, & inspirationes meæ revocarent. Abi miser! næ tantum gratiæ, atque inspirationes mihi sufficiunt, ut te confundam. *Idem*.

Deus gratiis suis nos prævenit, & subsequitur.

Deus nos suis gratiis vocat; idemque non magnitudinem suam, nostramque humilitatem, neque bonitatem suam, nostramque ingratitudinem considerans nos prævenit, atque subsequitur, S. Bernardus ait. Nos quidem prævenit, bonam voluntatem inspirans; subsequitur verò, bonam hanc adjuvans voluntatem: prævenit, cum peccatores sumus, ut justi fiamus, subsequitur, cum justi sumus, ne peccatores ulterius evadamus: prævenit, ut consurgamus a lapsu; subsequitur, ne ulterius labamur. O nos beatos! si quantum sollicitudinis, ac benignitatis ipse erga nos habet; nos tantum fidei, & gratitudinis erga illum haberemus. *Idem*.

Deus tandem eos deserit, qui sunt gratiis suis infideles.

Deus plerumque statim peccatores non percutit, sed illis tempus resipiscendi permittit. Illis suas tribuit gratias, illos inspirationibus prævertit suis; illos bonis inflammat exemplis, ut ad se redeant, & convertantur. Sed cum obstinato animo illius gratias repellunt, cum illius inspirationibus obluctantur, cum in iis, quos ad eos mittit casus, obdurantur, cum in ludibrium traducunt exempla, quæ ob eorum oculos statuit, dici potest eorum excidium instare. Talis est enim divinæ justitiæ, atque ultionis ordo, præstolari donec peccator scelerum suorum mensuram repleverit, illum subinde sollicitare, ac urgere, ac tandem sua ab eodem amovere lumina, eumque deserere. *Idem*.

De resistentia gratiæ.

Job 21.

Isaia 49.

Peccator gratiæ resistens negat Spiritui Sancto aditum in cor suum: *Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus*. Hinc conjice quanto mœrore afficiatur Dei spiritus, eo quod ita sua vota frustrentur. *Ergo*, ait ille, *in vacuum laboravi, & frustra consumpsi fortitudinem meam*. Frustra ad hujus cordis ostium pulsavi; frustra tot artes adhibui, ut cor illud attraherem. Frustra omnia illius studia, affectiones, atque motus exploravi, ut illud a nugis, & creatarum rerum amore divellerem? Quomodo aliquando increpabit nos divinus hic Spiritus, eo quod ipsius gratias contempsimus? Quid fecisti, miser, de tot luminibus, sanctis cogitationibus, piisque motibus, quos recepisti? Quò abierunt valida auxilia, exempla, monita, supplicia, redargutiones meæ? Quid de his rebus omnibus factum est? Videlicet factum est argumentum impœnitentiæ tuæ, tuæque improbæ confidentiæ. Numquid opus fuit, te nequam esse, quia erga te bonum, & misericordem me præbui? *Liber Anonymus*.

Vis gratiæ.

Nihil est gratia fortius, nihil validius, si in semet accipiatur. Ipsa est ejusdem JESU CHRISTI sanguis, quoniam hic sanguis unus illam mereri potuit: ideoque in nostras animas tantum virtutis ingerit, quantum si sanguis ex JESU CHRISTI vulneribus defluens in venas nostras infunderetur. Faspe igitur est, ut sanguis hic post confracta saxa, dæmonis imperium eversum, atque triumphum de inferno relatum suas vires amittat in Christiano, qui illius affectus delere, & ignitos concupiscentiæ motus extinguere valeat? *Idem*.

Dolor, quo conficiemur aliquando ob jacturam gratiarum nostrarum; & quomodo exprobrabimur.

Videbit aliquando peccator gratias omnes, quibus abusus est, tot salutares stimulos, quos suffocavit, tot sanctas inspirationes, quibus est obluctatus. Hæ gratiæ Salvatori tanto stetere pretio; ipse verò eas flocci pendet; infinitus erat valor earum quandoquidem erant pretium sanguinis Dei; ipse verò turpem voluptatem sordidumque lucrum antetulit, eas contemnens, & sanguinem Domini, cujus fructus erant, nefariis pedibus obterens. Pars quædam tot affluentium gratiarum plures convertisset Ethnicos ad fidem, at ex eo verum fidelem efficere non valuerunt. Ex eo hominem sanctum efficere poterant, sed propter duritiam cordis ejus reprobum effecerunt. Illæ datæ erant ad nostram quidem salutem, Dei verò justificationem, sed propter ejus infidelitatem Dei quidem justificationi proderunt, illius verò damnationi, eum inexcusabilem efficiendo. *Pater Nepuen. Liber qui inscribitur: La maniere de se preparer a la mort*.

Naturā non evertit gratia, sed se

Adeo abhorret a vero, quod gratia naturam evertat, ut immo eam perficere studeat, ejusque

accommodat illi.

opera in suis maximi momenti explendis consiliis utatur. Hæc, licet efficax sit, nonnumquam nostram scrutatur indolem, & temperamentum, atque sese ita studiis nostris accommodat, ut nobiscum non sine quadam reverentiæ specie se gerat. *Cum magna reverentia disponis nos.* Hæc quin suprema dominatione affectus nostros irritet, eo delinit; quin motus tollat, eos sedat, atque suavem eam vim, qua utitur, in hoc constituit, quod criminosis objectis, quibus affectus nostri corrumpebantur, innocuos substituit. *Fromentieres. Sermone de S. Magdalena.*

Gratiæ necessitas.

De Fide est hominem ne pedem quidem proferre posse Deum versus, quin hoc ipsi debeat Deo. Si vota nuncupat, hæc illi inspirat Deus; si preces effundit, has illum docet Deus; si effundit lacrymas, ne putes eas ab oculis tantum, vel corde ejusdem manare; quomodo enim aquæ in æternam usque vitam resilirent, nisi a supernaturali, divinoque fonte fluxissent? Verum si nequit homo ex se vel minimum aliquid ad suam sanctificationem adniti; quid tandem fiet, cum magni obices erunt infringendi, veluti aulæ, mundique negotia. *Quod maximè bonum*, Tertullianus ait, *id maximè penes Deum.* Principium, cui innixi Patres probarunt martyrium, qui maximus est Christianæ charitatis conatus, a Deo omnino, & magis a gratia, quam quodlibet aliud bonum opus, pendere. Verum putasne ex Sanctorum Patrum sententia modum relinquere, cum magna in eo possideantur bona, affectus in ipso juventutis æstu compescere, naturam superare in teneris affectionibus, aliquid esse martyrio minus? *Idem in alio Sermone.*

Gratia efficit, ut terrena flocci faciamus.

Ille, in quem Deus suæ gratiæ lumina effundit, momento omnium terrenarum rerum existimationem abjicit, & id æquè est, ac si illa prorsus abjiceret. Illi accidit tamquam vito, cui, cum in arca se pretiosos lapides habere putaret denis aureorum millibus æstimatos, scitus quidam lapidarius ostenderet omnes adulterinos esse, merumque vitrum. Repente vir ille, qui se locupletem putabat, ad egestatem redigitur, omnesque sentit paupertatis ærumnas. Hoc lumen vanitatem quidem ostendit rerum omnium, quæ amantur in terra, earum brevitatem, fragilitatem, inconstantiam, tristes exitus repræsentans: veritatem autem patefacit rerum omnium, quæ metuuntur. *Pater de la Colombiere in Christianis Considerationibus.*

Gratia causa sit virtutum, & bonorum omnium.

Putasne bonam cogitationem primam esse omnium meritorum in Sanctis causam, virtutum omnium radicem, omnium bonorum operum principium, & fontem omnis sanctitatis? Sine hac nihil fidei in fidelibus, nihil charitatis in justis futurum? Hanc deserta loca Pœnitentibus, Carceres Martyribus, claustra Cœnobitis, Ecclesiam Confessoribus, Sanctisque Paradisum replesse? Hoc si credis, quare illam tam male recipis, cum tibi a Domino offertur? Vereris, ne illa tibi accidat molesta, ostium enim cordis tui obstruis illi, quò si permeat, in injustitia detines illam, eamque suffocare conaris, quin malos exitus timeas, quin ea videas mala, quæ in caput tuum detorques, quin cogites futurum ut illam contemnens periculum subeas bonorum omnium jacturam faciendi? *Pater Nouet in Meditatione Mulieris Samaritanæ.*

Gratia servanda est, alioquin fit inutilis.

Memento, cœli lumina, & cogitationes, quas tibi ingerit Deus, quantumvis pretiosa sint, inutilia fieri, nisi tuum illis præstas assensum; omnique fructu esse vacua, si illa sine effectu pateris pertransire. Frustra venti perflant, si morsu ratem alligat anchora, & sicco in littore subtracta navis quiescit; Frustra Dei Filius loquitur, si vocem illius non audis, frustra te vocat, si eum sequi renuis. Tellus relinquenda est, si vis, ut in cœlum te gratia evehat; auferendi obices sunt, nexus infringendi, superandi affectus inordinati, qui sunt nostræ servitutis compedes, & vincula, quibus in vitiis detinemur. Quid sibi vult Dei Filius, cum efficit, ut inter animæ tuæ tenebras gratiæ suæ lumen oriatur? Vult ostendere periculum, in quod te tuus tepor induxit, vult te ad pœnitentiam compellere, vult ad mortificationis, virtutumque omnium exercitationem te inflammare. Sed quid tibi proderit Dei voluntates exploratas habere, si eisdem rebellis es? quid utilitatem virtutum cognoscere, si earum exercitationem odisti; quid videre qua sit eundum ad Deum, si rebus creatis inhæres? *Idem.*

Christiani, quot in mundo, & fortasse inter nos etiam peccatores sunt, qui æquè ac mulier Samaritana Dei patientiam fatigant? *Fatigatus ex itinere.* Quot sunt, quos ægrè patitur Deus, & qui iniquitatum suarum pondus augentes, ut ait Tertullianus, facti sunt eidem incommodi, atque graves illius misericordiæ? Si enim de sensibus Dei ex nostris judicium ferre volumus, nonne intelligere possumus quanta sit gratiæ ejusdem suavitas? Illos non compellit, non cogit. Deus est, quia patitur illos, eosque expectando non fatigatur; donec miseri non fatigantur efficiendo, ut Deus expectet. *P. Bourdaloue, Sermone de Samaritana.*

Gratiæ resistentes sæpe Dei patientiam fatigamus.

Fidelium animos nonnumquam insoliti quidam casus movent; ineunt consilia sese convertendi, sed hæc paullatim evanescunt: cum cessant plagæ, statim recidunt in eum soporem, ex quo casus illi eos excitaverant. Non ita opus est, uti insuetis Divinæ potentiæ dispositionibus, quas nostris objicit oculis. Non vult solum, nos illis tangi, sed tangi vult modo permanenti, & sensus, quos inde concipimus diu subsistere, sin minus ut sentiantur, saltem ut nos ad agendum impellant. *Desumptum ex libro, cui titulus: Essais de Morale sur les Evangiles.*

Cavendum, ne insolitæ gratiæ rejiciantur.

Deus visitat bonis omnibus, quibus nos cumulat, malis, quæ immittit; & quia hæc omnia nos debent impellere, ut jugiter ad Deum confugiamus, jugiter hujusmodi visitationibus stipati sumus; atque cum per intelligentes tum non intelligentes, cum anima præditas, tum anima carentes creaturas, loquitur nobis. Nostra obduratio nos voci illius surdos efficit, & vetat, ne illam audiamus; sed præter hæc generalia beneficia non desunt alia, quæ magis propriè visitationes vocantur, & ea sunt, per quæ Deus apertius se nobis manifestat, & propius alloquitur. Hujus generis sunt documenta, quæ nobis tradit in Scripturis, vel per os Ministrorum suorum, virtutum exempla, quæ oculis nostris proponit, supplicia, quæ apertam habent rationem cum nostris sceleribus, peculiares occasiones salutem nostram operandi, quas exhibet nobis. *Ibidem.*

De exterioribus gratiis quibus Deus interiores adnectit.

Ego non solus ago, sed mecum gratia: uterque concurrimus, gratia, & ego; gratia, ut inspiret; ego ut salutaribus inspirationibus ejus respondeam. Deus enim non operatur in nobis tamquam in lapidibus sensu, animaque carentibus, qui impetum ab eo solum recipiunt, a quo projiciuntur, sed tamquam in creaturis intelligentibus, ac rationalibus, quæ a Deo actæ actionem referunt pro actione, & cum cognitione, ac voluntate divinam vocationem sequuntur. Ille trahit, nos currimus; ille illuminat, nos videmus, ille convertit, & nos gratiæ virtute convertimur. Salvator enim animarum nostrarum, nobis invitis, in nos introire non vult vi, ac impetu facto ostium infringens victoris instar, qui oppugnatum oppidum tandem expugnat, vel instar irati judicis, qui satellitio multo stipatus alicujus fores prosternit, ut sua mandata expleantur. Cum Deus ad nos venit per gratiam, tunc suavitatem tantummodo adhibet, atque jucunda suis amoris utitur vi, ut in nobis

Gratia non sola agit sed nobiscum.

omnia

omnia libera sint, atque voluntaria. Pulsat ille ad ostium sui spiritus motu, qui feliciter sese in animas nostras insinuat; nos verò aperimus illi motu cordis nostri, eumdem cum gaudio recipientis. *Liber Anonymus*.

Gratia paulatim agit, neque statim suos effectus producit.

Miræ hujusmodi mutationes gratiæ non sunt diei unius fructus. Cum fortis armatus cordis possessionem adiit, non ita facile se illinc patitur exterminari. Domus in rupe ædificata primo ictu non concidit; dæmon in anima permanens non cedit primis conatibus, quibus illum inde conaris extrudere. Similiter gratia nequaquam repente in corde certam sibi firmamque sedem constituit; serò, ac sensim progreditur, & convalescit. Paulatim perficit opus suum. Proprii affectus superandi sunt, ac salutis nostræ inimici profligandi. *Sermo Manuscriptus*.

Non desunt quædam gratiæ criticæ, a quibus salus nostra pendet.

Videte fratres, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Gratia Dei nostram cooperationem efflagitat; cavendum est ne suffocemus illam. Adsunt quædam dominatrices gratiæ in vita, quædam maximi momenti inspirationes, velut illæ, quæ post diuturnam peccati consuetudinem nobis veram conversionem suadent. Heu! *Videte fratres*. Quam maximè interest, fideliter has captare occasiones, & hujusmodi gratiis cooperari; namque ut plurimum ex hisce momentis pendet nostra salus. Hæ sunt potentes inspirationes, quas aliæ forsitan non subsequentur; cum enim Dei misericordia conatus exerat, ut eas nobis concedat; si illas repulerimus, fatigabitur. *Biroat, Sermone de Conversione Sancti Pauli*.

De gratiis, quæ victrices vocantur.

In Dei thesauris gratiæ quædam inveniuntur, quas Sanctus Augustinus, *delectationes victrices*, Tertullianus vero *Triumphatoria verba* vocat: non quod necessariò hominis consensum trahunt; sed earum victrix potentia in hoc posita est, quod ex quibusdam inspirationibus adeo validis, vividisque procedunt, ut suavi violentia certissimè voluntatem ad deditionem compellant. Hoc pacto Deus cordibus nostris æque ac reliquis rebus potitur, & omnipotentem hanc voluntatem exercet, qua illa, quocumque libuerit, inflectit: *Habens humanorum cordium, quocumque libuerit inclinandorum potentissimam voluntatem*, Sanctus Augustinus inquit. Verum cum hæc sit potentiæ æquè ac bonitatis ejusdem opera, ea in communi providentiæ suæ cursu minimè exercet.

Ejusdem argumenti.

In vulgaribus peccatorum conversionibus non ita celeriter agit Deus; neque vulgo gratias adeò efficaces, & imperiosas impertit: hæ lentiùs incedunt, & paulatim corda, ab ipsis vincenda disponunt. Ad hæc homines non ita repente sese illis dedunt. Heu! qui conatus, & certamina! quæ lacrymæ, & suspiria! antequam dici queat, volo, *Domine, quid me vis facere*. S. Cyprianus harum operationum discrimen brevi admodum explicat: *Non pro mora temporum, sed compendio gratiæ maturatur charitas*. Hi fructus sunt, qui temporum vices non præstolantur, sed gratiæ compendio illos ad maturitatem ferre festinantis producuntur. *Idem*.

Inexcusabiles sumus si cum tot gratias habeamus, nihilominus perimus.

Quid respondere poteris Deo, cum dixerit, se tibi ideo gratiam suam contulisse, ut cum illa cooperateris; te ideo in Ecclesiæ suæ sinu educasse, in aquis Baptismatis regenerasse, in Pœnitentiæ Sacramento omnes infirmitates tuas sanasse, ut donis hisce cœlestibus adjutus bonitatis suæ consiliis responderes? Numquid dices, ab ipso peti, quæ tibi sunt impossibilia? Sed quoties su. experientia magistra didicisti, te ideo muneribus tuis non fuisse perfunctum, eo quod noluisti? Dicesne, tibi efficaces, atque victrices defuisse gratias? Sed cum gratiis iisdem, quas tu recepisti, nonne alii, qui sese illis fideliores præbuerunt, sanctificati fuere? Causaberis affectus tuos nimis acres, atque vehementes? Sed quam tibimet vim intulisti, eos subacturus? Tibi nimis multos obices restitisse? At nonne difficiliores superasti, ut ad interitum; atque damnationem proruere? Qua de re igitur jure conqueri potes, nisi de ipso te, qui neque ita diligens fuisti, ut a Deo peteres; quæ ab eo unicè poteras obtinere, neque ita fidelis, & generosus, ut cooperateris gratiæ, quam recepisti? Fateor Domine, si ita infelix fuero, ut peream, a me uno profecturum excidium meum; sin autem ita felix, ut salutem consequar, hanc uni tibi a me acceptam esse referendam. *Idem*.

Quid gratiæ vim & efficaciam tribuat, ignoratur.

De gratia idem ferme dicendum, quod de pluribus rebus, quæ in natura sunt, quarum quidem videntur effectus, causa verò ignoratur. Omnia videmus, & omnipotentis hujus gratiæ admiramur effecta. Modò peccatores lapidibus ipsis duriores, frigidioresque a terra evelluntur, ac cœlestibus tantum inhærent; modò cæci illuminantur, & qui antea sedebant in tenebris, & in umbra mortis, alacriter sequuntur lumen, quod illos deducit, primosque errores execrantur. Undenam hæc gratiæ virtus procedit? Unde hæc in homine submissio? Numquid libertas ejus subacta est? Cur alii trahuntur, alii verò deseruntur? hoc profectò ignoramus. Sanctus Augustinus præclara quædam constituit principia ad profundum hoc gratiæ mysterium explicandum. Nonnumquam victricem illius vim, invictamque potentiam, cujus effectum humana voluntas numquam prohibet, & eludit, admiratur. Alibi eam nobis repræsentat veluti suavissimam persuasionem, quæ hominem allicit, ut ad se trahat, eumque ex infirmiori ipsius aggreditur parte, ut vincat illum, & quæ illius studiis sese accommodare videtur, ut illum sibi subjiciat. Denique tamquam medius inter utrumque extremum incedens, ac vim gratiæ cum ejusdem suavitate conjungens, de eadem verba facit tamquam victrici suavitate, ac Regina, quæ sibi obedientiam præstari volens omnem adhibet auctoritatem, pulchritudinem, minas; promissionesque suas, ut rebelles subditos domet, eosque in officio contineat. *Idem Biroat*.

Viæ, quibus utitur gratia, ut nos attrahat, & quò voluerit, deducat.

Gratia peccatorem patienter expectat; illum opportunis occasionibus usa superat, ac salutaribus fastidiis illi aufert errores. Nonnumquam dico illos expectat, quos de sceleribus studet eruere, atque per imperceptibiles vias ad illum deducit terminum, qui ab æterno pro eorum sanctificatione fuit constitutus. Qualis erat Jonas, sæpe tales sunt peccatores. Propheta hic iter aggreditur oppositum illi, quod a Deo ingredi jussus fuerat; in navis ima parte delitescit, tamquam illius vitaturus oculos, cui nihil absconditum est. Sed per eos obices, qui minimè superandi videbantur, traductus est ad Ninive mœnia, ubi ea facessere tenetur mandata, quæ adimplere neglexerat. Sæpe etiam peccator insequentem Domini gratiam effugit, de voluptate in voluptatem transiliens, sed tandem felix illud momentum adest, quo Domini misericordia illum expectat, & ad salutarem pœnitentiam adducit. *Idem*.

Ejusdem argumenti.

Quomodo gratia peccatores quærit? quomodo illos convertit? Nausea terrenarum rerum, quam illis immittit, stimulis, quibus conscientiam eorum nimis tranquillam excitat, salutaribus considerationibus, quas illis obtrudit de mundi vanitate, bonorumque illius fragilitate, necessitudinum inconstantia, amaritudinibus voluptates subsequentibus, promissionum ejusdem illusionibus. Ibi illis ipsorum ostendit cæcitatem in ea bonorum dissipatione, qua suam familiam evertunt, in brutalis affectus sopore, qui illos dedecore coram hominibus afficit, ac tandem crudelem illis relinquet pœnitentiam. Ibi inter mensas opiparè instructas, in ipsis libidinum omnium recessibus eos tangit, ac movet modò sensu quodam superbiæ, quæ inde illos avellit intrinsecus flagitiorum ipsorum pudorem, & confusionem excitans; modò aculeatis stimulis, qui illos discerpunt, neque ullam ipsis requiem relinquunt; modò rationali, & christiana aversione ab iis, quæ maxime deperibant. *Idem*.

Affectus concupiscentia gratia rum Dei. Cninam principio ea referenda sunt scelera, in quibus tot peccatores volutantur, & de abysso in abyssum indesinenter ruentes? Sanè cupiditati, quæ tunc illis dominatur. Verùm cupiditas ista, licet omnipotens, adeo tyrannicum in ipsos haberet imperium, nisi gratia in eorum corde infirmata fuisset, prout ibi radices jecit peccatum, ibique convaluit? Viverentne in tanta tenebrarum caligine, nisi Deus sua subtraxisset lumina, quæ illi totias extinxerunt? Quot vivunt in summa salutis oblivione, minime afficiuntur exprobrationibus, quibus increpantur, ob oculos habent validissima exempla, ac ex illis nullam hauriunt utilitatem, in ipsa etiam effœta ætate, ultimaque senectute eosdem habitus, easdemque affectiones servantes? Quot adsunt in ipso fere mortis limine, & non resipiscunt, neque conscientiam suam excutiunt, semper æque mundum perditè amantes, fortuna sua ebrii, affectuum suorum mancipia, & suis voluptatibus abditi? Unde hoc? Quia Spiritus Sancti oraculum adimpletur in illis: *Fiat via illorum tenebræ, & lubricum*. Gratiæ lumen non affulget illis: in caliginosa nocte versantur, itaut videre nequeant objecta, quibus fortasse commoverentur. Quacumque incedunt; ludibrium est; ideoque in singulos gressus cespitant, atque labuntur. Affectus semper magis acet, ac fortis, quia gratia illi non obluctatur amplius, illos quocumque voluerit circumfert. Studium, animi propensio nullum inveniens obicem, quo detineatur, illos trahit. Tentatio illos primo ictu prosligat, & infernus ita eos sibi mancipat, ut ferme nequeant ultra jugum excutere, ac amissam libertatem recipere. *P. Girouft. Sermone de subtractione Gratiarum.*

Psal. 34.

Gratia labore immi nuitur, quo nostro Deo mancipamus, non aufert. Fortasse gratiam expectas, quæ sine labore, tumultu, certamine ad virtutem convertat. Hæc insania est; cor repente non mutat objectum, ac studia, quin vim inferat sibi; fortis armatus, qui cor tuum possidet, gratiæ aditum prohibere conatur; clades illius nonnisi charo stare potest pretio; vult vinci, vult expugnari. De vitio ad virtutem transitus non est adeo facilis; procella maliciam præcedat, necesse est; gratia laborem quidem imminuit, non aufert. Quantumvis efficax, & suavis extiterit gratiæ illecebra, quæ S. Augustinum convertit, quanam difficultate sese ex vitiorum impedimentis expedivit? Quibus ambiguitatibus agitatus fuit! Quem in se horrorem experitus est? Quem terrorem sola mutationis cogitatio attullit illi? Quod eorum, quæ relicturus erat, desiderium? Quem futuri metum, quæ dubietas, quæ sensuum oppositio in jugi incertitudine mentem illius fluctuantem vexabant? Tibimetipsi vis est inferenda, ut gratiæ respondeas; ac putas te fine ullo labore isthæc perficere posse? *P. Cheminais. Sermone de S. Magdalena.*

De subtractione gratiæ. Gratiæ subtractio æquissima est pœna contemptus ejusdem. Gratia est Domini visitatio, qua nos dignatur. Tu illi claudis ostium, neque cum dignatis accipere, ille discedit. Num jure conqueri potes? num æquius te potest punire? Gratia donum est, quod gratuita liberalitate Dominus tibi offert, sed donum omnia in se continens bona; tu donum hoc respuis; ille hoc offerre cessat; quid æquius? si egestate laboras, cui succensere debes nisi ipsi tibi? Gratia lumen est: sol se tibi offert, ut te illuminet; tu fenestras obstruis; si in tenebris squales, cujus culpa est solis, an tua? Deus adeo frequens sua tibi obtulit lumina, tu verò illis toties rebellis fuisti; ipse hæc aufert; tu illis cares, & in tua permanes cæcitate; nonne hanc pœnam mereris? *P. Nepveu. Tomo 4. Christianarum Considerationum.*

Quid sit lumen gratiæ, & qui effectus illius. Gratia lumen est, quod nobis tribuit Deus ad mentem nostram illustrandam, atque ejiciendas tenebras, quas illi peccatum offudit. Quia JESUS CHRISTUS est gratiæ principium, ideo se Patrem luminum, vel lucem ipsam appellat, *Ego sum lux mundi*. Gratia est communicatio increatæ hujus lucis, & radius ex hoc justitiæ Sole emanans. Corporeæ lucis effectus nobis mirum in modum luminis spiritualis effectus indigitant. Lux dissipat noctis tenebras; gratia vero peccati caliginem tollit. Quicumque in tenebris ambulat, periculum est, ne in singula momenta labatur, vel erret; quicumque gratiæ luminibus illustratus non est, numquam fere pedem movet, quin cadat. Si cadis, si adeo frequens erras, ideo erras, quia gratiam non sequeris ducem. Nonnumquam gratiæ lumen fulguris instar prætervolat, sed magnos semper gignit effectus; ut lux illa, quæ Paulo affulsit, eumque convertit. *Idem.*

Joan. 8.

Gratia in peccatoribus sensim operatur. Non semper in peccatorum conversione Deus celeriter agit, vel si mavis non tradit illis vulgò adeo efficaces, imperiosasque gratias. Hæ lenim gradu procedunt, atque sensim ea corda disponunt, quæ vincere cupiunt. Ad hæc homines non ita repente se dedunt. Heu! quot certamina, & labores! quot lacrymæ, atque suspiria, antequam dici queat, volo; Domine, quid me vis facere? ut olim S. Paulus. Non defuere tamen, qui repente sese converterunt sine resistentia, & cunctatione, sed subita, potentique gratiæ potentia, quam festinantem vocat Sanctus Cyprianus desumpta ex præcocibus fructibus similitudine, qui tempus suum non expectant, sed ante tempus maturescunt. *Non pro mora temporum, sed compendia gratiæ maturatur charitas. Bireat. Sermone de Conversione S. Pauli.*

Quomodo nos gratia præveniat, & excitet. Opus est, ut nos Deus excitante gratia præveniat, interius animam alloquens vocatione cœlesti, atque cordi supernaturalem motum tribuens, qui illud agat, sollicitet, urgeat, impellat; desideriis, & metu; spe, & amore, aliisque secretis motibus, qui in nostra potestate non sunt, & naturæ viribus non excitantur; sed immediate a Deo tamquam gratiæ principio proficiscuntur. Alioquin impossibile est ad eum reverti, ubi ab illo discessimus, atque ex eo morbo in quem cecidimus, convalescere; ut hujus Oraculi veritatem intelligamus, excidium nostrum a nobis esse, auxilium verò unicè a Deo. *Maimbourg. Sermone pro feria sexta post secundam Quadragesimæ Dominicam.*

Ejusdem argumenti. Hæc est admirabilis industria peculiaris Providentiæ, qua Deus nostri curam gerit, & quæ effectus est amoris summi, quo nos prosequitur. Te ne cogitante quidem adversa quædam ingruit, calamitas, ægritudo, aliusve tristis eventus, qui efficit, ut te ipsum colligas. Tunc socius aliquis te forte ad concionem audiendam adducit, ubi Deus potenti Concionatoris verbo; qui de te nihil cogitat magis, quam tu antea de illo cogitares, oculos tibi aperit, ac subito motu cor ipsum percellit. Si humanius loquimur; hic merus est casus; tu ad hæc antea non cogitabas, & nonnisi ex mero casu adversa illa tibi accidisse videntur. Sed si rem intus inspicias, hæc divina est providentia, quæ omnia ad tuam utilitatem disponit. *Idem.*

Gratia prior nos quærit, & insequitur. Nostis miraculum a Deo in Israelitarum gratiam patratum in deserto, ut eorum sitim levaret. Non solum aquæ vivæ fontem ex rupe cliciuit, sed voluit etiam, ut miraculosus hic fons populum suum quocumque subsequeretur. *Bibebant de spirituali consequente eos petra*, Sanctus Paulus ait. Quocumque sese verterent Israelitæ, seu immensa camporum æquora meritentur, seu montium superarent juga, hæc aqua cursum non ex naturali pondere, sed ex Divino Spiritu consecuta, sese indigentibus semper offerebat. Præclara JESU CHRISTI, & gratiæ, quam nobis ille promeruit, figura; quemadmodum ipse Apostolus explicat: *Petra autem erat Christus*. Gratia hæc, tamquam fons divinus nos quocumque sequitur, donec in terræ hujus deserto peregre proficiscimur. Non expectat se a nobis requiri, nos illa quærit; post nos currit, nos urget, atque sollicitat,

tat, ut salubertimas ipsius aquas bibamus. *Frementieres. Sermons de Gratia.*

Exhortatio, ne gratiæ Dei rejiciantur.

O anima ebristiana te per Deum, tuæque saluris negorium obseero, & obtestor, ut hæe tria attentè consideres. Primum ingentem gratiarum communium, & peculiatinm numerum, quas dissipasti; plures enim recepisti gratias, quam quæ ad integras Provincias convertendas opus fuissent, & nibilominus nihil in vitæ tuæ ratione immuratum est. *Si in Tyro, & Sidone facta essent virtutes, quæ in te facta sunt, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent.* (Math. 11.) Tot gratiis non fuisset opus ad plures barbatos, pluresque infideles convettendns &c. Secundò considera quandiu te Deus expectat, te verò eidem resistis. Audis verbum Dei, frequens etiam aecedis ad Saeramenta, attamen nulla in motibus tuis correctio deprehenditur. Non deest metuendi ratio, futurum ut ita vitam dueere persequaris, ae tandem fato concedas quin egeris pœnitentiam. Tertio denique time breve illud temporis spatium, quod tibi superest, & quo decrevit Deus pertinacem hanc resistentiam pati. Hæc fortasse novissima gratia est, qua te Deus fortiter alloqui statuit. *P. Texier, Sermone pro feria 2. post quintam Quadragesimæ Hebdomadam.*

Deus inæqualiter suas gratias distribuit, omnibus tamen sufficienter.

Verum est, Domine non semper omnibus a te pares gratias distribui; attamen eas illis gratias largiris, quæ eos inexcusabiles efficient, cum a te judicabuntur, vel potius cum seipsos judicabunt, & veritas eorum conscientiis insita ipsorum proferet damnationem. Verum est, te plura illis præstare potuisse, & noluisse; verum omnia fecisti, quæ oportebant, ne tibi eorum pernicies referretur: accepta: eam permisisti, non effecisti; si nequam sunt, non ideo sunt, quia illis minime rribueris, unde boni esse possent; hoc enim noluere, Illis optionem reliquisti; quis conqueri potest quod gratiæ superabundantiam non contuleris eis? Dominus servis suis offerens justam laboris mereedem, nonne potest aliquibus liberalius dona conferre? Quod his ultra mensuram elargitur, aliis ne ansam tribuit de eo conquerendi? Ita, o Domine, ostendit, universas vias tuas, ut Scriptura loquitur, veritatem esse, & judieium, Omnibus bonus est, sed variis gradibus, & misericordiæ, quas largè, effuseque aliis impertis, non sunt lex, quam tibimetipsi irroges, ut & cum aliis eadem utaris largitate. *Auctor Anonymus.*

Gratiæ obediendum est, potiusquam circa ejus naturam philosophandum.

O Pate. misericordiarum! de gratia philosophari non eogiro, sed memet illi silentem tradere. Illa facit omnia in bomine, sed omnia per illum, & cum illo facit. Cum illa igitur agam, oportet, & abstineam; pariar, & expectem; credam, sperem, & diligam secundum impressiones illius. Sed tandem eor commotum est, & tu non salvas hominem; quin homo operetur. Mihi igitur laborandum est quin ne momentum quidem temporis amittam, ne remoret gratiam me indesinenter sollicitantem. Omne bonum ab illa, malum omne a me proficiseitur; cum bonum facio, ipsa me animat; cum malum, ego illi resisto. Absit, me de eadem aliquid ultra cognoscere; velle; reliqua omnia non nisi audaci curiositati meæ alendæ prodessent. *Idem.*

Celeriter gratiæ incedere oportet citra deliberationem.

Spiritui Sancto vocanti respondendum est; neque deditio expectanda est, & differenda; cum liquidò constet, gratiæ aliquid deperire, ubi diu ambigitur, & deliberatur. Statim ac JESUS CHRISTUS Sanctum Matthæum alloquitur, hic extremum vale telonio dicit, quin vel eas consideret difficultates, quæ sibi superandæ sunt, ut illum sequatur, vel ejus vitæ commoda, quæ sibi sunt relinquenda. Petrus projicit retia, phaselum deserit, Domino vocante; atque ad novum hunc conatum exercendum sola Salvatoris indiget gratia. Ex quo deliberatur, jam indicio est, nos velle cum mundo pacisci, & neque fortiter, neque omnino velle Deum sequi; & interim gratia dilabitur. Profectò gratia quædam habet felicia momenta, quæ ubi semel fuerint elapsa, neque tempore, neque tempore, neque ullis circumstantiis revocantur. Adolescens ille Evangelieus, qui contra Domini inspirationem, profectus est, ut patrem efferret, non redit iterum ad JESUM CHRISTUM, a quo discesserat; atque se præbuit indignum, qui ut antea in discipulorum ejus albo recenseretur. Spiritus Dei flat ubi vult, & quando vult; ac salus ex hoc uno pendet, ut te præbeas attentum voci ejus audiendæ, atque ubi illam audieris, statim respondeas. Cum te visitat bilariter excipiendus est; unica conversionis gratia neglecta, unicus pœnitentiæ motus rejectus forsan est sola causa, propterquam numquam eonverteris. *Ex Sermone de S. Maria Magdalena, qui P. Massillon attribuitur.*

Resistentia gratiæ peccatum efficit gravius.

Resistentia, qua sæpe opponimur peccato, antequam illud committamus, & ab eo superari sinamus, satis ostendit non deesse nobis gratiam illinc deterrentem. Ita quoque peccatum tunc gravius est, quam eum repente deprebendimur, vel cum violenta tentatio non sinit nos ad illud satis attendere. Hæe enim cordis resistentia nutantis, antequam cadat, atque resistentis bono operi, anquam illud producat ostendit, affectum nobis tantum libertatis relinquere, quantum satis est ad perieulum detegendum, agnoscendamque naturam actionis patrandæ. Ostendit gratiam quidem ingredi in eor, sed repelli; & postquam consulueris, certum hoc a te eapi consilium; quod liquidò probat illud a te objectum præferri, quod sequeris, ac tandem majori cum scientia, & improbitate peccatum committit. *Auctor Anonymus.*

Gratia nos quærit.

Gratia nos quæritat, cum longe distamus a Deo, ovis, quæ deerravit, in pascua redire non potest, nisi a pastore suo conquiratur. Humo nocens mortuus est, qui non consurget, nisi resuscitetur; & quemadmodum bomo sine gratia tueri non poterat, quod acceperat, quomodonam sine cadem recuperare poterat, quod propria amiserat culpa? Respicit Deus liberum arbitrium nostrum, ut nos condemnet, & gratiam suam, ut nos salvos faciat: si nulla gratia est, quomodo mundus salvatur; sin nullum arbitrium, quomodo judicatur; S. Bernardus ait. *Idem.*

Vis, ac potestas gratiæ, ut nos ad bene agendum impellat. Apoc. 3.

Nos prævenit Deus, ac singulis momentis stat ad ostium cordis nostri, pulsans, ac petens admitti: *Ecce sto ad ostium, & pulso.* Ex profectò opusne est a nobis cognosci bonum, ut a nobis ametur? Gratia nonne omnem illius nobis detegit pulchritudinem, ac robur impertit, ut illud faciamus? Coercendine sunt nimis serventes affectuum impetus, & inhibenda naturæ violentia, quæ ubique seipsam inquirit? Nobismet ipsis vis est inferenda, ut amori proprio moriamur. Evitandum est perieulum, ne innocentiæ jacturam faciamus? arripienda occasio est majorem Dei gloriam procurandi? Nonne gratiæ motum sentimus in nobis excitantem ad munera nostra obeunda, & aperta voce dicentem: *Si scires donum Dei.* Si Cœli bona cognosceres, numquid terrenis inhæreres. Si scires quanta sit creaturæ infirmitas, & imbecillitas illius amorem Creatoris tui dilectioni anteferres? *Si scires.* Si tibi persuasum esset, te Dei servum esse, eidem famulari negligeres? Si scires futurum, ut te mors ex viventium numero quamprimum exturbet; corpus verò tuum, quod hodie in deliciis tibi est, mox futurum vermibus pabulum; num grave tibi videretur, hoc pœnitentiæ litare? *Si scires.* Si scires in hoc mundo omnia pertransire ac nobilem cum nobilitate eodem tumulari sepulcro, numquid hæc tanto studio conquireres? *Sermo Manuscriptus.*

Gratia nos sequitur, & licet resistamus, tamen inquirit.

O summam Dei bonitatem! fugientes etiam sequi, & gratiam, eam contemnentibus offerre! Quis non admiratur hanc dilectionem, S. Augustinus ait, quæ eos non deserit, a quibus repellitur, quæ sua effundit beneficia in eos, qui negligunt illa, qui manum tendit illis, qui respuunt

auxi-

auxilium? *Quantum nos diligit, qui nos, nec cum respuitur, relinquit*. Haoc in aliis resistentiam, vel contemptum damnamus; sed nonne illis sumus nocentiores? Quamdiu eoim nos urget gratia, nos sollicitat, ad ostium cordis nostri pulsat, ut ingrediatur illuc, ut nos impellat ad iofringendum antiquam illam, quæ nos perdit, coosuetudinem, ad amovendam proximam occasiooem, quæ semper nos in interitum propellit, ad relinquendum illud commercium, quod nomini nostro infamiæ maculam offundit, ad violentum huoc affectum mortificandum, quæ causa erit damnationis æternæ? Hæccine lumina secuti sumus? victasne dedimus manus huic voci, quæ toties ad cor nostrum locuta est? Plures forsasse annos adnititur gratia nos a terrenis rebus divellere; sed heu! licet nullum non moverit lapidem gratia, ut nos ad officium revocaret, nostra pertinacia omnes conatus illius irritos fecit? *Idem*.

Gratiæ virtus in peccatoris conversione.

Non intelligo, Auditores, quomodo peccatores suam in vitio pertinaciam in gratiæ imbecillitatem audeant rejicere, cum ob oculis eorum tot insignes cooversiones affulgeant, quæ adeo manifestè gratiæ virtutem ostendunt. Dici generatim potest, illam operatam fuisse omoes eas admirabiles mutationes, quæ Ecclesiam efformarunt, & sanctificarunt, quæ deserta loca pœniteotibus repleverunt, quæ summa quæque abjecerunt, quæ omnes terrarum potestates Crucis opprobrio subjecerunt, atque in omnes terrarum plagas innocentiam, atque pœnitentiam latè protulerunt. Fateor equidem rem laboris plenissimam esse a vitio ad virtutem, a terrenis ad æterna converti; omnes carnalis vitæ mores immutare, illius motus omnes enercere; suscipere vitæ genus priori penitus oppositum, rebellem spiritum, & cor inordinatum subigere. Attamen, Pater idem ait, una tantum ad id sufficit iospiratio, unicus, ut ita dicam, Spiritus Sancti afflatus, ut hæc omnia miracula videantur. *Pater la Pesse. Sermone de Gratia*.

GRATIA SANCTIFICANS.

Amicitia Dei, Adoptio Divina &c.

M O N I T U M.



Irum profectò est in tanta Scriptorum turba, qui de Gratia loquuntur, neminem præter Theologos Scholasticos justum hac de re habuisse sermonem. Et sanè videntur alii gratiam, qua nos Deo charos efficit cum illa confundere, qua mentem nostram illuminat, ac movet voluntatem; quasi hæc unum essent, & idem, vel cum inter se adeo differunt, unum, eumdemque haberent effectum. Alii qui duo hæc gratiarum genera distinguunt, ita diversis utuntur locutionibus, atque ita diversas, multiplicesque habitualis, atque sanctificantis gratia adstruunt ideas, ut mens hæreat in ancipiti.

Quamobrem prima Concionatoris de hoc argumento acturi cura secernere debet, quid utrique gratia sit proprium, ne Auditor, qui Theologus non est, decipiatur, ac putet, Dei gratiam recipere, vel tueri idem esse ac assentiri bona inspirationi, qua ratio tantum est, per quam aliquis justus fieri potest, vel in justitia statu persistere. Itaque auctor essem, ne duo hæc tam varia argumenta eadem in concione pertractanda susciperentur, vel saltem, ut in duo seorsim puncta dividerentur.

Quod spectat ad habitualem, & sanctificantem gratiam, per quam justificamur, & Dei amici evadimus, licèt non nihil de hac attigerimus, cum de nomine Christiani, deque ea dignitate ad quam illustris hæc qualitas nos attollit, verba faceremus; curabimus ne repetita crambe enecet, atque ad eum titulum remittemus, qui pluribus indiguerit ad illud, quod sibi proposuerit argumentum absolutissimè pertractandum.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus Argumenti Systemata.

I. *Serm. in Epist. Festi SS. Trinit.*



Ocet Sanctus Thomas tria in objecto esse cooslideranda, ut justus ejusdem conceptus efficiatur; videlicet ejus natura, vel quod in seipso est; virtus, vel potestas illius; & denique operatio, vel effectus, quos parit. Tria hæc in Gratia sanctificante considerans, in tribus Concionis partibus ejusdem pretium conabor ostendere.

Pars Prima. Quod pertinet ad hujus gratiæ naturam, quæ nos justos, & Dei oculis acceptos facit; ex Tridentino Concilio didicimus esse aliquid inhærens, adnexum, ac permanens in anima justi; videlicet infusam, & supernaturalem qualitatem, quæ nos usque ad divinæ participationem naturæ extollit, quemadmodum loquitur Princeps Apostolorum; vinculum, quod nos Spiritui Sancto connectit, ac intimè conjungit cum Deo, qui jam aliqua modo incipit possideri, & alia prorsus ratione, quàm reliqua creata, nos possidet. Sola hujus rei explicatio gratiæ hujus præstantiam ostendet. 1. Cum sit qualitas supernaturalis, sublimioris est ordinis, quàm quidquid vel continetur, vel fieri potest in natura, itam quidquid Deus non est ad quemcumque præstantiæ gradum ascendere possit, illius perfectionem nequeat æquare. Talenta omnia, omnia naturalia bona, eæque animi dotes, quæ alicui possunt hominum existimationem conciliare, comparari non possunt cum minimo gratiæ gradu, quæ nos Deo chariores efficit, quàm nobilissimos, præstantissimosque spiritus hac gratia carentes, atque in solis naturalibus ipsorum perfectionibus consideratos. 2. Quædam est naturæ divinæ participatio. Cum enim Deus quasdam ex perfectionibus suis communicet creaturis, super has illas effundens, vel sinens effluere, puta majestatem, potentiam, justitiam, aliasque id genus; illis etiam quodammodo suam naturam communicat, licèt hæc alteri cuipiam sit incommunicabilis præter Æternum Verbum,

bum, Filium ipsius. Eam tamen justis etiam impertit modo sane ineffabili, sed reali, & vero per gratiam, qua nos sibi adoptat in filios nobisque talem naturæ similitudinem tribuit, qualis est inter filios, & eos, a quibus geniti sunt. Hinc igitur conjice, quanta sit dignitas, ad quam nos evehit, & quanta mox sit ejus præstantia: *Si scires donum Dei &c.* (Joan. 4.) 3. Quidam Sancti Patres, quibus plurimi doctissimi adhærent Theologi, arbitrantur, nos sanctos, justosque fieri non hac solùm qualitate, quam sanctificantem dicimus gratiam, & quæ est adoptionis nostræ principium; sed propria Spiritus Sancti persona, quæ animæ justi conjungitur aliqua cum proportione, quemadmodum Verbi persona cum sancta Salvatoris humanitate cohæret. Ideo enim, inquiunt, Spiritus Sanctus Donum vocatur; quippe verè donatus, ac missus est nobis ad nostram sanctificationem; nobiscum moratur, ac in nobis habitat, nosque sumus ejus templum, eum possidemus, & possidemur ab eo: qui totidem sunt termini, & locutiones Spiritus Sancti, unde intelligere possumus, quid esse in gratia significet. Sin autem opinio hæc nostram explicans justificationem hoc pacto, quod nobis est adeo gloriosum, non est probatissima; attamen sine ullo metu nimis amplificandi dicere possumus, gratiam de qua sermo est signum esse, & caracterem adoptionis nostræ, qualitatem pretiosam, ineffabilem, inæstimabilem, quæ peculiari ratione nos conjungit cum Deo: unde inferendum est, plurimi a nobis esse faciendam qualitatem adeo nobilem, adeo pretiosam, & quæ ad sublimem hunc dignitatis gradum nos evehit; atque in nobis excitandum esse vel fervens desiderium illius acquirendæ, si conscientiæ nostræ stimulis admonemur, illius jacturam a nobis factam per aliquod lethale scelus fuisse, vel diligens studium illius tuendæ, si eam possidemus &c.

Pars altera. Operæ pretium erit gratiæ hujus virtutem, & potestatem ostendere ex effectibus, quos gignit in nobis, statim ac illam recepimus. Primus est delere in peccatore omnia scelera, quantumvis enormia, ac multa illa sint. Licet peccator iste omnibus, quæ fingi possunt, criminibus fœdatus esset, atque coram Deo magis esset abominabilis, quàm omnes dæmones simul, minimus gratiæ gradus illum omnino mundare potest, cum Deo conciliare, atque animæ eum decorem restituere, quem peccatum eidem abstulerat. Alter est, animam infusis virtutibus, Spiritus Sancti donis, & iis omnibus, quæ Spiritum Sanctum concomitari solent, bonis ornare, atque ea omnia revocare merita, quorum fecerat jacturam. Tertius est, peccatori eadem restituere jura, quibus exciderat, ea videlicet, quæ habet ad gloriam, Cœlique hæreditatem, eique rursus eos omnes gloriosos reddere titulos, quos per peccatum amiserat, amici, ac Filii Dei, membri JESU CHRISTI, omnesque prærogativas, quarum possessionem adit mortalis, simul ac cum Deo suo redit in gratiam. Ex quibus omnibus larga suppetit occasio plurima ad morum disciplinam referendi.

Pars tertia. Quod tertiò in quolibet objecto considerandum occurrit, ut æquos ejusdem conceptus possit effingi, est operatio, vel ratio agendi huic propria. Et profectò cum gratia sanctificans in nobis sit tamquam vitæ principium, propter quod sanctè, & supernaturaliter agimus, actiones nostras attollit, eas Deo acceptas efficit, ubi ad bonum finem, & actualis gratiæ afflatu suscipiuntur; itaut minime etiam actiones nostræ infinitum pretium assequantur, æternam mereantur remunerationem, ubi per hanc gratiam attollantur, sine qua maximæ etiam præstantissimæ, difficilimæque pro nihilo in æternitate reputantur, & ne uno quidem gradu gloriam nostram adaugent. Hinc autem inferendum est, si operatio rei naturam sequitur, atque esse debet præstantiæ ejusdem conformis, actionibus nostris tuendam esse dignitatem filiorum Dei, ad quam nos evehit gratia, a generis nostri nobilitate degenerandum non esse, neque aliquid tanto honore indignum nobis esse aggrediendum &c.

II. 1. Gratia sanctificans est spiritualis regeneratio, quod fieri nequit, quin mors inferatur peccato, propter quod primum quidem nati sumus iræ filii, & quod mox fortasse funestiorem animæ nostræ interitum attulit, quàm sit corpori mors naturalis, quæ nonnisi per peccatum mundum ingressa est. Ostendendum est, quanam in re mors animæ, & infelix ille status consistat, ad quem per peccatum redigitur anima, & deinde quomodo per gratiam pristinam recipiat pulchritudinem, primum nitorem, primamque cum Deo similitudinem, per eamdem vitam recipiens; atque ita docendum, quàm grave, fœdumque peccatum sit, & quàm metuendum sit nobis, ne gratiæ jacturam faciamus. 2. Efficit gratia, ut supernaturalem, divinamque vitam vivamus, cujus præstantia ostendenda est ex dignitate filiorum Dei, fratrum, atque membrorum JESU CHRISTI ad quam nos attollit; atque docendum quomodo per illam Deus vivat in nobis; & nos propter Deum unicè vivere debeamus. 3. Jus nobis confert ad vitæ gloriam, cujus quoddam veluti semen est; & non nisi per illam aliquando beata æternitate fruemur.

III. In gratia tria peculiariter considerare possumus, quæ in nobis excitare debent incomparabilem ejusdem existimationem, flagrantemque illius recuperandæ cupiditatem, si forte eadem excidimus.

1. Hujus gratiæ pretium, fructus videlicet laborum, sanguinis, mortisque Dei. 2. Dignitas, ad quam nos evehit, amicorum, sponsarum, filiorum Dei, nobis nativitatem prorsus divinam elargiens. 3. Jus, quod nobis ad cœleste Regnum, omniaque Dei bona, quatenus ejusdem hæredibus, confert.

IV. De gratia sanctificante id dicere possumus, quod Sapiens de Sapientia: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* (Sapient. 7.)

1. Omne bonum utile; Fides, Spes, Charitas, & Spiritus Sancti dona, cœlestia lumina, divini afflatus, peculiaris Dei protectio, amicitia, necnon tot gratiæ, quæ sunt primi illius beneficii effecta, ex quo cætera consequuntur. 2. Bonum honestum: *& innumerabilis honestas*, Sapiens addit. (Ibidem.) Nos Dei amicos, & filios, nos tot Reges efficit, jura invictissima ad Dei ipsius Regnum habentes. 3. Bonum delectabile; quis enim exprimere posset gaudium, quo perfunditur anima testimonium sibi perhibente conscientia, se cum Deo in gratia esse, se inter amicos illius recenseri. De hoc gaudio, atque ineffabili hac voluptate judicium ferre possumus ex ejusdem contrario, scilicet ex metu, atque tumultu, quem in anima gignunt peccata ab eadem commissa &c.

V. 1. Affinitates, quas nobis gratia tribuit cum Deo. Per hanc evadimus adoptivi filii Dei, animæ nostræ sponsæ fiunt Spiritus Sancti, corpora nostra sunt Templum ejusdem; fratres, ac membra sumus JESU CHRISTI, & ejusdem Patris filii. Nihil in hoc mundo potest nos propterea efficere, atque arctiori vinculo cum illo conjungere, qui summum bonum nostrum constituit. 2. Præstantissima bona, quæ ex divina hac affinitate recipimus. Primo efficit, ut peculiari titulo ad illum pertineamus; secundò nobis jus tribuit ad omnia bona ipsius; tertiò infusis virtutibus, atque Spiritus Sanctis donis nos cumulat; quartò actiones nostras attollit, æternaque mercede efficit dignas.

VI. 1. Incertitudo, in qua nos jugiter versari Deus voluit, utrum in gratiæ statu simus nec ne, in jugi humilitate, assiduoque metu continere nos debet. 2. Moralis certitudo, quam de hac re possumus habere ex eo testimonio, quod nobis perhibet conscientia, ad bene vivendum nos debet inflammare, ac excitare spem aliquando possidendi illum, qui est ejusdem objectum.

1. Sine

VII. 1. Sine sanctificante gratia nihil pro beata, cœlestique æternitate meremur, quantumvis magna, & præclara efficiamus. 2. Cum gratia plurimum meremur, licet pauca faciamus, hæc enim peculiariter omnibus actionibus nostris pretium attribuit. *Ex Morali Dictionario.*

VIII. 1. Incomparabilis doni excellentia, quo a Deo cumulamur, gratiam suam elargiente de qua judicium ferendum est ex gradu honoris, ad quem illa nos evehit, ex bonis, atque favoribus, quibus nos ornat, & spe æternæ beatitudinis, quam excitat in nobis. 2. Quid nobis faciendum, ut Deo gratum restemur animum; quo in pretio a nobis habendum sit hujusmodi beneficium; cura, qua hæc gratia servanda est, vigilantia, ne amittatur, ac dolor eò quod pluries fortasse a nobis fuerit amissa.

IX. 1. Nihil est, quod peccatores facere non debeant, ut iterum gratiæ vitam, si illam amiserint, consequantur; ideoque illos ejus pretium, meritumque cognoscere oportet. 2. Nihil est, quod justi pati non debeant, ut illam tueantur, & augeant.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest ad propositas Concionum structuras exornandas.

Sancti Patres. SAnctus Augustinus, *Tract.* 19. *in Joan.* ostendit, Deum esse animæ vitam, quemadmodum anima vita corporis est; quia nobis actionem, motum, pulchritudinem &c. tribuit.

Idem, *Serm.* 1. *de Tempore*, ostendit, Deum per gratiam non solum animam invisere, sed in illa permanere, requiescere, & oblectari.

Idem, *lib.* 10. *de Genesi ad litteram* ait, verba Regii Prophetæ: *Emittes Spiritum tuum, & creabuntur*, intelligenda esse de gratia, quæ nos interiùs instaurat. *Psal. 103.*

Idem, *in Expositione Psalmi* 67. hæc explicans verba: *Pluviam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ*, illa de gratia sanctificante intelligit.

Idem, *Tract.* 19. *in Joan.* de hac eadem gratia loquitur sub nomine, & symbolo aquæ vivæ, de qua Dei Filius ad Samaritanam mulierem loquebatur.

Sanctus Basilius, *in Isaiam c.* 8. ostendit nihil hujus gratiæ meritum æquare posse.

Idem, *Homil.* 5. *in Psal.* 28. describit ejus animæ bona, quæ ab omnibus peccatorum sordibus abluta est, atque in gratiæ statu invenitur.

Idem, *Homil.* 11. *in Psal.* 45. animæ, quæ in gratia est, hæc Prophetæ applicat verba: *Sanctificavit Tabernaculum suum Altissimus.*

Sanctus Gregorius, *lib.* 9. *Moral. c.* 34. ostendit, quid accidat animæ, quæ Deum amittit amittens gratiam.

Idem, *lib.* 2. *c.* 3. *in cap.* 2. *l.* 1. *Reg.* docet, quid faciat gratia in anima, cujus possessionem Spiritus Sanctus adit.

Idem, *in cap.* 10. *ejusd. lib.* ostendit mactationem, quam gratia parit in anima.

Sanctus Athanasius, *Orat.* 2. *in fer.* docet, quid sit esse Dei filium adoptivum per gratiam.

Sanctus Ephrem, *de Beatitudinibus*, ostendit præstantiam hujus gratiæ, eaque bona, & divitias, quibus animam replet.

Sanctus Prosper, *contra Collatorem*, ostendit, quid in nobis gratia habitualis efficiat.

Origines, *Homil.* 2. *in Psalm.* 38. hæc explicans verba: *Advena ego sum apud te;* docet quanta sit felicitas, adhærere Deo per gratiam, quanta verò calamitas ab eodem abesse.

Idem, *Hom.* 2. *in Hieremiam*, de Caino loquens desetibit animæ, quæ Deum amisit per gratiæ jacturam, tumultum, & calamitatem.

Idem, *Homil.* 6. *in cap.* 6. *Isaiæ*, exemplo Isaiæ Prophetæ probat, ubi pretiosum gratiæ donum accepimus, hoc otiosum relinquendum non esse.

Sanctus Hieronymus, *lib.* 15. *in cap.* 55. *Isaiæ*, hæc verba interpretatus: *Quærite Dominum, dum inveniri potest*, ostendit, Deum quærere idem esse, ac omni studio ad amissam ejus gratiam iterum assequendam adniti.

Idem, *in cap.* 2. *Sophoniæ*, ostendit, animam, quæ gratiæ jacturam fecit, a semet eamdem antea possidente longè differre.

Idem, *Epist.* 4. *ad Damas.* loquens de Filio prodigo. *Proferte stolam primam*, ait pro hac stola intelligendam esse gratiam, per quam pristinam innocentiam recipimus. *Luc. 15.*

Idem, *lib.* 14. *in cap.* 51. *Isaiæ*, peccatorem excitat ad gratiam, quam amiserat, recuperandam, & *in cap.* 52. ostendit pulcritudinem, vim, aliaque bona, quibus ob eam receptam anima est perfruitura.

Idem, *lib.* 11. *in Ezechiel. cap.* 36. iterum animæ eadem ostendit bona.

Idem, *Psal.* 86. quantus est de anima in gratiæ statu interpretatur.

Sanctus Joannes Chrysostomus, *Homil.* 21. *ad Popul. Antioch.* docet gratiam in homine Christiano idem esse, quod lumen in mundo.

Idem, *Hom.* 46. *in Genes.* illa explicans verba, quæ Scriptura de Ismaele dicit: *& erat Deus cum puero*, ostendit, nobis, si in Dei gratia sumus, nihil officere posse.

Idem, *Homil.* 24. *in Joan.* hæc explicat Scripturæ verba: *Factus est homo in animam viventem*, *Genes. 2.* eaque gratiæ, vitam animæ conferenti, applicat.

Idem, *Homil.* 31. *in eumd. Joan.* eodem in sensu explicat verba hæc, quæ Dei Filius Samaritanæ mulieri dixit: *Qui biberit ex aqua, quam ego* *Joan. 4.* *dabo ei, non sitiet in æternum.*

Idem, *Homil.* 50. *in eumdem*, de gratia ea quoque explicat verba: *Qui credit in me, flumina de* *Joan. 7.* *ventre ejus fluent aquæ vivæ.*

Sanctus Bernardus, *Serm.* 56. *in Cantica*, explicat quomodo Deus per gratiam adest, & adhætet.

Idem hoc ipsum argumentum, *Serm.* 74. *in Cantic.* pertractat.

Idem, *in Serm.* 2. *Pasch.* ea adfert signa, unde cognosci potest, utrum anima sit in gratia.

Idem, *Serm.* 2. *in octav. Pasch.* loquitur de testimoniis, quæ habere potest anima possidens gratiam.

P. Ludovicus Granatensis in Peccatorum Duce *Ascetici aliique.* cap. 13.

Thomas a Kempis, *lib.* 3. *de Imitat. Christi*, *cap.* 54. *&* 55.

Eusebius Nierembergius, *lib.* 1. *de adorat. in Spiritu cap.* 1.

Henricus Lampartet, *de præsentia gratia Dei.*

Boudon in libro, cui titulus, *Le Chretien Inconnu cap.* 6. 7. 8. 9. 10.

P. Nepueu Tomo 2. Considerationum Christianatum loquitur de incertitudine, utrum simus in gratia.

P. Antonius a S. Martino a Porta ex Carmelitarum familia lib. 4. libri, cui titulus, *Les Conduites de la grace*, tractatum edidit de præstantia, & essentia gratiæ sanctificantis.

P. le Bossu in primo Tomo de gratiæ usu ab habituali, & sanctificante gratia ducit initium.

P. Guilleminot cap. 4. Sapientiæ Christianæ docet quid de habituali gratia credendum, & judicandum sit.

Matandè in Theologo Gallo, *Tomo* 2. *Tract.* 3. *Scholasticos Theologos, qui nimis multi sunt, prætereo.*

Mathias Faber *in festo Pent. Conc.* 3. *&* 4. *Concionatores Recentes.*

P. Duneau integrum hujus argumenti sermonem habet in Adventu.

P. Texier Sermone pro feria 6. post primam Quadragesimæ Dominicam.

Idem in Sermone Pentecostes.

P. Cheminais Sermone de Immaculata Sanctissimæ Virginis Conceptione.

Au-

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta, Sermone de Spiritu Sancto; in Mysteriis, Tomo 1. loquitur de præstantia vitæ gratiæ, quam nobis Spiritus Sanctus communicat.

P. le Jeune Oratorii Presbyter Tomo 6. Sermonem habet de Adoptione Divina, quæ fit per gratiam.

Qui collectanea ediderunt, P. Ludovicus Granatensis: *In locis communibus*, Tit. *Gratia*.

Buslæus, *de statibus hominum; de statu divinæ gratiæ*.

Lohner.)
Summa Prædicantium) Titulo *Gratia*.
Labatha.)

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Applicationes Scripturarum huic Argumento.

QUi bonus est, hauriet gratiam à Domino. Prov. 12.

Gratiam, & gloriam dabit Dominus. Psal. 83.

Nescit homo utrum amore, an odio dignus sit. Eccles. 9.

Placens Deo factus est dilectus: placita enim erat Deo anima illius. Sapient. 4.

Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es? Jobi 14.

Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis; si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur. Isaiæ 1.

Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? Matth. 22.

Cito proferte stolam primam, & induite illum. Luc. 15.

Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Joan. 14.

Ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia: ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per justitiam in vitam æternam. Ad Rom. 5.

Stipendia peccati mors; gratia autem Dei, vita æterna. Ad Rom. 6.

Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei. Ad Rom. 8.

Si autem filii, & heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Christi. Ibid.

Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu. Ad Rom. 3.

Gratia & veritas per Jesum Christum facta est. Joan. 1.

Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater. Ad Rom. 8.

Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Ad Roman. 5.

Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Joan. 3.

Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? 1. ad Corinth. c. 3.

An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo? 1. ad Corinth. c. 6.

Qui adhæret Domino, unus spiritus est. Ibid.

Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. 1. ad Corinth. c. 13.

Qui unxit nos Deus, qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. 2. ad Corinth. 1.

Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus. 2. ad Corinth. 4.

Gratia estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis; Dei enim donum est. Ad Ephes. 2.

Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum. Ad Ephes. 1.

Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Ad Galat. 4.

Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abundè per Jesum Christum, ut justificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ. Ad Titum 3.

Voluntariè genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus. Jacobi 1.

Deus omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo Jesu. 1. Petri 5.

Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Ibid.

Maxima & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ. 2. Petri 1.

Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & simus. 1. Joan. 3.

Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit; quoniam semen ipsius in eo manet. Ibidem.

Qui servat mandata ejus, in illo manet, & ipse in eo. Ibid.

Deus charitas est; & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. 1. Joan. 4.

Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ, gratis. Apoc. 21.

Exempla ex veteri, novoque Testamento desumpta.

Adæ exemplum. CUm primus hominum parens creatus fuerit in originali justitia, fuit etiam justorum antesignanus, & primus, qui cum corporis vita, animæ quoque vitam accepit, gratiam videlicet, per quam Deus illi adeo bene notata similitudinis suæ impressit lineamenta, ut quidam Ecclesiæ Pater illum vocaverit, *Limum in Deum solidatum*, propter similitudinem cum Creatore suo, quam eodem momento recepit, quo manibus ejusdem fuit efformatus: quod ex Sanctorum Patrum sententia illa significant verba: *Fecit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam*. Genes. 1. Invenio quoque in his verbis mysterium dicentes illum ad Dei imaginem quidem efformatum fuisse propter animæ ipsius facultates, ad similitudinem verò, propter gratiam, & supernaturalia dona, quibus in ipsa creatione fuit cumulatus. Sed heu! malorum omnium origo inde defluxit, quod primus hic homo, brevi pretiosum hoc gratiæ donum amisit; quod omnimodam posteritatis suæ cladem peperisset, nisi homo Deus venisset in terras hanc imaginem reparaturus, & non oppetiisset mortem nobis redditurus, atque hanc gratiam, quæ est animæ vitæ, prometiturus.

Exemplum Abrahæ. Quamquam in lege veteri Spiritus Sanctus nondum datus fuisset hominibus cum ea affluentia, & effusione, qua postea; attamen non paucis justis viris communicatus fuit, & Salvatoris merita, quæ in omnia sese effudere sæcula, sanctis etiam Patriarchis, Prophetis, aliisque pluribus applicita fuere, qui gratiam receperunt, & asservarunt, per quam justificati fuere. Non defuerunt etiam nonnulli Deo chariores, quos ille glorioso amicorum suorum titulo decoravit. Talis fuit Sanctus Abraham Patriarcha, Fidelium pater, atque inter antiquæ legis justos facilè princeps. Hinc S. Chrysostomus admiratus, quod Deus dignatus fuerit sanctum hunc hominem amicum suum nuncupare, ait, hominem, cui hoc evenerit, jam omnis ejus magnitudinis apicem attigisse, quò humana adniti possit ambitio; illum omnes superare laudes, quæ homini deferri possunt, atque inde mereri nomen illustris, beati, felicis; hic enim titulus ea omnia complectitur bona, quæ in cœlis, ac in terra fingi possunt desiderabilia. At hoc omine amicorum Dei JESUS CHRISTUS Justos omnes appellat, quemadmodum Apostolis testatus est: *Jam non dicam vos servos, sed amicos*. Joan. 15.

Secun-

Salomonis exemplum.

Secundo Regum libro cap. 12. legimus, a Deo Salomonem amatum fuisse initio regni sui, eique ab eodem inditum nomen Amabilis, ac deinde mentem ejus sapientia, voluntatem verò repletam fuisse justitia, æquitate, omnibusque donis, quæ concomitantur gratiam, quæ terminus est, & objectum amoris, quo Deus mortales prosequitur: (2. Reg. c. 12) *Dominus dilexit eum, & vocavit nomen ejus Amabilis Domino, eò quòd diligeret eum Dominus.* Ita Deus ubi justum hominem suo dignatur amore, quamdam illi interiorem tribuit qualitatem, propter quam, qui primùm invisus erat, amabilis fit, & acceptus in oculis ejus, quæ quidem aliud esse non potest nisi gratia, & virtutes, quæ illam concomitantur; hæc enim una nos dignos efficit divina amicitia. Beatus Salomon, si hanc servasset gratiam, & semper Deo fidelis permansisset!

De aliis justis antiquæ legis.

Necesse non est hoc in loco omnes recensere justos, qui in Lege veteri Deo accepti fuerunt; Scriptura numquam tot elogiis quosdam viros celebrasset, nisi gratiam possedissent, quæ sola eos in oculis Dei pretiosos efficere poterat. Satis autem puto illud testimonium, quod perhibet S. Paulus illi, qui pro justitia persecutionem sunt passi, videlicet, mundum indignum fuisse, qui eos possideret: (Ad Heb. 11.) *Quibus dignus non erat mundus.* Ea sanè in toto terrarum orbe nihil est, quod comparari possit cum gratia quæ nos justos; magnosque in Dei oculis facit.

Esau gratiam amittentium figura.

Si justis, qui gratiam servant, jus est ad cœlestem hæreditatem, dici quoque potest, eos, qui illam amittunt, eamque recuperare negligunt, cœlestem hanc hæreditatem abdicare, & imitari infelicissimum Esau, qui cum pro lentis edulio primogenita vendidisset, jacturam hanc nullo habuit in discrimine, quæ mox tot eidem lacrymis, & ejulatibus stetit: (Genes. 25.) *Abiit parvipendens, quòd primogenita vendidisset.* Heu! quàm sæpe flocci facimus gratiam, quæ nostra sunt primogenita, & quæ nobis certam fecisset Cœlestis hæreditatis possessionem. Nos illam cedimus pro exiguo fortonæ bono, pro fluxa, fragilique voluptate, pro honoris fumo, quin attendamus hoc esse pretium sanguinis, & meritorum Dei, signum adoptionis nostræ, & æternæ beatitudinis arrham. Illud verò magis adhuc miserum est, quod postquam animam nostram venum dedimus, & gratiæ thesaurum amisimus, nihili, vel saltem nauci facimus sæpe hoc bonum, quod numquam fortasse erimus recuperaturi? *Abiit parvipendens, quòd primogenita vendidisset.*

Verbum Incarnatum, JESUS CHRISTUS, Deus, & homo, nostræ justificationis auctor quemadmodum illum vocat Apostolus, & qui nobis gratiam promeruit, nosque cum Deo reconciliavit, peccata delens, non tantum est hac in re exemplar, quod nobis ad imitandum valeat proponi, quàm ille, ad quem confugiendum nobis est, ut gratiam hanc flagitemus, atque obtineamus. Ipse increata est gratia quatenus Verbum Dei; & quatenus Deus-Homo eam nobis sua passione, & morte promeruit; Divinus ejusdem spiritus illam in cordibus nostris effudit cum charitate, quæ illius comes est individua; ac tandem Ecclesiæ suæ Sacramenta reliquit, quæ sunt tamquam totidem fontes gratiam hanc continentes, & adminicula ad eam, ubi amissa fuerit recuperandam.

Beatæ Virginis Deiparæ exemplum.

Quamvis Sanctissima Virgo sanctificantem gratiam simul cum essentia, & vita receperit, idque non sine peculiari, singularique privilegio; potest tamen hominibus tamquam exemplar proponi, ut inde percipiant, quomodo tuenda sit, ac singulis momentis augenda, nec non nova indesinenter hac ratione beneficia cœlestia acquirenda. Gratia hæc, qua illa plena erat Æterni Verbi, a quo in matrem electa est, oculos deflexit; Angelus enim, qui felicissimum illi attulit nuntium, eam gratia plenam appellat, quasi testaretur, ideo Deum esse cum illa, eamque sinu suo Divinum Verbum esse concepturam. Præterea Deipara hæc Virgo nos docet quanti a nobis facienda sit gratia; maluisset enim divina Maternitate, cæterisque carere bonis, quæ erant cum incomparabili hac dignitate necessariò conjuncta, quàm vel unicum ejus gratiæ gradum amittere, in quo gloriam omnem, omnemque felicitatem suam constituerat. Possumus deinde in hac Matre gratiæ, quo nomine ab Ecclesia vocatur, admirari, atque imitari eam curam, qua pretiosum thesaurum hunc asservavit; curam quidem, quæ nihilo minus sollicita fuit, quàm si iisdem fuisset obnoxia infirmitatibus, quibus reliqui homines omnem operam tenentur impendere, ne illam amittant. Illud verò sublimiorem nobis gratiæ hujus ideam debet immittere, quam plerumque nullo in discrimine habemus; quod, ex Sancti Augustini sententia, incomparabilis divinæ maternitatis dignitas, si ab ea gratia, quæ illam concomitatur, sejuncta fuisset, non commendasset tantum Mariam apud Deum, quantum sola gratia sine hac dignitate: *Materna propinquitas parum Mariæ profuisset, nisi prius Deum corde, quam carne gestasset.*

Exemplum S. Joannis baptistæ.

Inter natos mulierum, Salvator, qui Sancti Præcursoris sui meritum celebrare dignatus est, inquit, *non surrexit major Joanne Baptista.* Verum quanam re ad sublimem hunc magnitudinis gradum evectus fuit? Quanam in re positum erat hoc meritum, quod tantis meruit laudibus decorari ab eo, qui in judicandis hominum meritis falli non potest? Fateberis sanè gratiam fuisse cujus quoddam omen gerebat in nomine, & qua justificatus fuit, dum adhuc Matris utero contineretur. In hunc Salvator, antequam etiam nasceretur, primam ejus gratiæ plenitudinem effudit, quam in homines venerat effusurus; & quemadmodum illam affluenter in illum infudit, qui Præcursor suus erat futurus, quam deinde sanctus ille vir austeritate, & sanctitate vitæ mirum in modum adauxit, ita gratia hæc eumdem magnum effecit coram Deo; cum cætera quæcumque bona, privilegia prærogativæ magnos tantùm efficiant coram hominibus.

S. Pauli exemplum asserentis, neminem certò scire posse utrùm in gratia sit.

Quisnam, ut mihi videtur, certior esse poterat, se in gratiæ statu inveniri, quàm Sanctus Paulus? Raptus illi usque ad tertium cœlum; ille zelus pro gloria Dei; quidquid ad eam provehendam operatus, passusque fuerat; ardens amor, quo JESUM CHRISTUM complectebatur, nonne tutò illum esse in statu gratiæ promittere poterant? Quid ille tamen? (1. ad Cor. 4.) *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* Quænam verò causa est timoris hujus, qui nullam habere causam videtur? Hæc est; addit ille; qui enim me judicaturus est, Deus est, qui longè alia habet lumina, aliasque cogitationes, quàm homines habeant; (Ibidem.) *Qui judicat me, Dominus est.* Hoc sane efficere debet, ut jugiter timeamus, trepidemus, atque de nobis humillime sentiamus.

Applicationes.

Quanti facienda sit gratia, & quam diligenter servanda.

Si scires donum Dei. Joan. 4. De sanctificante gratia æque ac de actuali dicenda sunt hæc verba; nihil enim est, quod nobis magis gratuitò donetur, nullus favor, quo altiùs evehamur, & qui nobis sit magis necessarius; inde enim omnis nostra felicitas pendet. *Si scires donum Dei!* Anima Christiana! Si hujus doni pretium cognosceres, quas pro adeo singulari beneficio gratias ageres Deo? *Si scires!* Si illud intelligeres, quem non moveres lapidem, ut adeo pretiosum thesaurum quàm diligenter servares? Qua vigilantiautereris ne illud tibi præriperetur? *O si scires donum Dei?* Si nosses quantæ sint illecebræ, quantaque pulchritudo ejus animæ, quæ per gratiam & charitatem adhæret Deo; quibus oculis hic respicit illam, quomodo in illa complaceat sibi, quæ gaudia illi promittat, quem locum illi in Regno suo præparet,

get, ferre ne posses tantum decorem aliqua ex parte fœdati; vel si eveniret, ut vel minima labe inficeretur, requiem capere posses antequam lacrymis, ut pœnitentia pristinum eidem nitorem pristinamque elegantiam reddidisses?

Quomodo per gratiam JESUM CHRISTUM induamus.

Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Ad Galat. 3. hoc est, secundum S. Pauli sententiam, ad bene definiendum hominem, qui sanctificantem possidet gratiam, atque ad ejus dignitatem, & præstantiam, intelligendam animo concipere oportet hominem repletum, indutumque JESU CHRISTO, coopertum, & locupletatum bonis, meritisque Dei passi. Quamobrem Apostolus idem longius provehitur, & audacter ait, non unum tantummodo Spiritum esse, unamque cum JESU CHRISTO vitam habere. *Qui adhæret Domino, unus spiritus est. Vivo autem jam non ego: vivit verò in me Christus.*

1. ad Cor. 6. Ad Gal. 2.

Secundam recipimus nativitatem per gratiam sanctificantem.

Oportet vos nasci denuo. Joan. 3. Ita fere dilectus discipulus, Sanctusque Paulus Apostolus loqui consueverunt, opus esse, ut renati per gratiam vita novam vivamus. Et profecto qui hoc pacto natus, & regeneratus est, prorsus fit alius ab eo, qui erat. In prima nativitate filius erat iræ, in altera objectum amoris, & in quo sibi complaceat Deus: in prima nihil erat aliud, quàm corruptionis, peccati, & infelicitatis congeries; in secunda ab omnibus abluitur sordibus; virtutibus, sanctisque habitibus ornatur, quibus ad bonum, sanctasque actiones impellitur. Nova creatura est, quæ mores, qualitates, genusque prorsus mutavit; non enim ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, nata est, uti Sanctus Joannes Evangelista loquitur, sed ab ipso Deo genita, prorsus divina induit studia, & sensus prorsus alios ab iis, quæ antea fovere consueverat; & ut verbo me expediam, homo est, prorsus novus. *O miracula divina regenerationis?* Sanctus, doctusque Andreas Jerosolymitanus Antistes exclamat.

Serm. 2. de Annunt.

Gratia sanctificans nostræ adoptionis est signum.

In quo signati estis. Ad Ephes. 1. Animadversione dignum est, de nobis qui adoptivi sumus filii Dei post receptam gratiam a Scriptura verba fieri eodem fere pacto, quo loquitur de JESU CHRISTO, qui unigenitus ejusdem est per naturam. Etenim Sanctus Joannes de Incarnato Verbo ait, a Deo signatum fuisse; hoc est, Deum impressisse, & expressisse in eodem figuram substantiæ suæ, eique propriam naturam, omnesque magnitudinis suæ caracteres communicasse. Idcirco illum infinito amore complectitur, & facere nequit quominus eum complectatur. Verùm sacer Textus nonne simile aliquid de nobis etiam dicit, iisdemque fere vocibus utitur post gratiæ infusionem? *In quo signati estis.* Ipse vos signo suæ gratiæ notavit, quæ naturæ suæ similitudinem vobis tribuit, efficitque ut vos tamquam dilectos sibi filios, atque oblectationum suarum objectum respiciat.

Ad. Eph. 1.

Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa. Sap. 7. Hæc mortalium sapientissimus dixit de sapientiæ dono, quo illum auxerat Deus, & ex quo veluti fonte omnia in illum bonorum genera derivarunt; cætera enim erant veluti effectus boni illius, quod secum alia quæcumque trahebat. Reor verba hæc non posse melius applicari quàm si dixerimus gratiam, de qua loquimur, bonum esse, ex quo alia fluunt, fides, spes, charitas, virtutes infusæ, & Spiritus Sancti bona; hæc enim vera bona sunt; & per illam nos aliquando possessiones adituros cœlestium omnium bonorum, ipsiusque Dei, qui essentialiter bonum est; ita ut de eadem verè dici possit: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.*

Actiones nostræ divinæ hujus nativitatis dignitati debent congruere.

Opera, quæ ego facio, ipsa testimonium perhibent de me. Joan. 10. Opera, quæ me facientem videtis, satis probant, quis ego sim, dicebat olim mundi Salvator Judæis. Sed hoc ipsum quilibet fidelis deberet dicere post acceptam gratiam, & postquam ad dignitatem filii Dei fuit evectus. Si enim secundum Philosophiæ præcepta, operatio conformis esse debet qualitati operantis, quomodo ostendere possumus, nos homines esse prorsus divinos, & ad dignitatem filiorum Dei evectos, nisi actiones nostræ fuerint divinæ huic regenerationi conformes? *Genus electum, & regium regenerationis suæ respondeat origini.* Originis nostræ nobilitatem factis eadem dignis debemus ostendere, alioquin eamdem mentimur. Hæc erat veterum Antiquitatis Heroum cogitatio, Sancto Augustino teste, ut ad gravia capescenda facinora sese excitarent; in vulgus proferre, immo sibi etiam metipsis persuadere, se genus esse Deorum. Sed hac in re opus non est, aliqua uti simulatione, aut nosmetipsos decipere. Ab ipso Deo divinam nativitatem accepimus per gratiam ipsius; oportet ergo, ut opera nostra de nobis testimonium perhibeant, nobis dignos esse sensus eo honore, quo per hanc adoptionem decorari sumus, ac jure nos dicere posse: *Opera, quæ ego facio, ipsa testimonium perhibent de me.*

Lib. 3. de Civit.

JESUS CHRISTUS in nobis vivit per gratiam, ac statui ejusdem gratiæ sese conformare videtur.

Vivo ego jam non ego; vivit verò in me Christus. Ad Galat. 2. Cùm gratiam accepimus, dicere possumus, non solum JESUM CHRISTUM efficere, ut vitam novam vivamus, sed ipsum vivere in nobis: *Vivit verò in me Christus.* Addi etiam potest, JESUM CHRISTUM, qui per gratiam in nobis formatus est, ut loquitur Sanctus Paulus, sese accommodare, atque conformare statui hujus gratiæ, ejusque variationes, & vicissitudines pati. Languet enim in nobis, cùm hæc gratia languet. *Christus infirmatur in nobis*; atque per eamdem fortis est, cùm in ea confirmamur; periculum adit ejus vitæ, quam in nobis habet, amittendæ, cùm periculum est, ne gratiam hanc amittamus; ac tandem moritur; cùm peccatum, quod est animæ mors, penitus gratiam extinxit, quæ peculiarem eidem in nobis vitam conferebat.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, ac Sententiæ Sanctorum Patrum, ad Argumentum hoc pertinentes.

D*Ei gratia non solum omnia sydera, & omnes cœlos, verùm etiam omnes Angelos superegreditur.* S. August. l. 2. ad Bonifac. c. 6.

Divinam poscamus gratiam, nam quidquid aliud petitur, nihil petitur, non quia nulla omnino res est, sed quia tanta rei comparatione, quidquid aliud concupiscitur, nihil est. Idem, in Joannem tract. 102.

Gratia Dei donum Dei est; donum autem maximum ipse Spiritus Sanctus est, & ideò gratia Dei dicitur. Idem, Serm. 61. de verbis Dom.

Sicut anima carnis, sic Deus vita est animæ. Idem, Serm. 10. de verbis Apost.

Non sunt in te charitatis viscera, si luges corpus à quo recessit anima, & non luges animam à qua recessit Deus. Idem, Serm. 125.

Opus gratiæ est ut moriamur peccato. Idem, in Epist. ad Rom.

Materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi felicius Christum corde, quàm carne gestasset. Idem.

Sicut primus homo conditus est ad imaginem, & similitudinem Dei, ita in secunda generatione, quicumque Spiritum Sanctum fuerit consecutus, obsignatur ab eo, & figuram conditoris accipit. Divus Hieronym.

O mira divinæ bonitatis dignatio! servi non sumus digni nominari, & amici nominamur. Gregorius.

Maxima securitas, & inexpugnabilis murus est gratia Dei. Chrysost. Hom. 46. in Genes.

Omnia dona excedit hoc donum, ut Deus hominem vocet filium, & homo Deum nominet Patrem. S. Leo, Serm. de Nativit.

Agnosce o Christiane dignitatem tuam, & divi-

na

ne consors factus naturæ, noli in pristinam vilitatem degeneri conversatione redire. Idem, ibid.

In veritate dici, nihil æquè efficax esse ad gratiam promerendam retinendam recuperandam, quàm si omni tempore inveniaris non altum sapere. Bernard. Serm. 55. in Cant.

Pretiosa est gratia mea, non patitur se misceri extraneis rebus, nec consolationibus terrenis. De Imitat. Christi, lib. 3. c. 53.

Magnam gratiam homines apud Deum haberent, si medietatem eorum quæ pro gratia mundi expendunt, pro gratia Dei expenderent. S. Thomas, Opusc. 38.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia penu ad hoc argumentum possit depromi.

Habitualis, & sanctificantis gratiæ definitio. HAbitualis, & sanctificans gratia est accidens spiritualis, & supernaturalis, nec non infusa qualitas, quam Deus effundit in animam, ut eam abluat justificet, acceptamque reddat oculis suis, & per quam attollit illam ad qualitatem filiorum Dei, eique jus impertit ad cœli hæreditatem, Deique ipsius possessionem. Hanc habitualis gratiæ definitionem Theologi tradunt. Habitualis autem vocatur; est enim infusus habitus, quem ex nobis adipisci, & mereri non possumus, & quem Deus unus in animam nostram potest infundere: Ideo supernaturalis est, ac nobilior eis omnibus, quæ in ordine naturali inveniuntur: Vocatur quoque justificans, atque sanctificans; re enim ipsa animam justam, sanctamque efficit, illam perficit, ornat, charamque facit in oculis Dei, qui deinde illam non amare non potest. Præterea habitus est; in anima quippe permanenti, stabilique modo permanet, postquam actuales gratiæ, perfunctorii fidei, spei, & charitatis actus illi aditum præbuere, eique, ut ita dicam, stravere viam. Quemadmodum autem otiosa, & iners esse nequit, est etiam divinum principium, propter quod supernaturaliter operamur, & fine quo nihil umquam facere possemus, quod Cœlum, æternamque mercedem promereretur.

Gratiæ actuales ab habituali differunt. Non unum intereft actuales inter & habitualem gratiam discrimen. Hæc verò præcipua sunt. Illæ quidem perfunctoriæ sunt, & tandiu permanent, quandiu actus, in quibus consistunt; hæc verò ex natura sua æternæ est perennitatis, & peccatum dumtaxat efficere potest, ut cesset. Illæ ad bene agendum sunt omnino necessariæ; hæc vero ideo tantum necessaria, non ut simpliciter bene agatur, sed ut cum merito bene agatur; homo enim, licet in peccato mortali positus, interiores elicere potest virtutis actus, operæ ferente actuali gratia, atque per hosce actus ad habitualem recipiendam gratiam se disponere potest. Illæ a Deo unicè pendent, non autem positæ sunt in nostra facultate; non enim nostræ facultatis est, utrum Deus hanc vel illam cogitationem, hunc vel illum motum in nostra excitet voluntate; hæc verò numquam nisi ex voluntate nostra nobis confertur; quia nemo justificatur, nisi velit præter infantulos, qui rationis usus nondum participes per Baptismum nihilominus justificantur. Illæ denique sunt in facultatibus animæ, intellectu, & voluntate, tamquam proprio subjecto; hæc verò in ipsa animæ substantia, ita ut sit velut anima animæ nostræ, efficiatque ut supernaturalem, divinamque vitam vivat.

Gratia habitualis, & sanctificans non est simplex peccatorum remissio. Gratia sanctificans, secundùm ea, quæ anathematis proposita pœna Tridentina Synodus credenda proponit, non in sola peccatorum remissione consistit; sed, ut eadem loquitur Synodus, aliquid est inhærens, & divina qualitas in anima impressa, & veluti radius luminis omnes animæ maculas delens, ejusque pulchritudinem augens, quæ formaliter justum efficit possidentem se; non autem per solam justitiæ JESU CHRISTI imputationem, ut inquiunt hæretici. Hoc autem Scriptura perspicuè testatur, cum ait gratiam esse in cordibus nostris infusam, eamque vulgò arrham, & pignus Sancti Spiritus vocat.

Gratia habitualis nos cum JESU CHRISTO conjungit. Gratia hæc justificans, & habitualis nos etiam JESU CHRISTO conjungit, ut membra capiti suo; ita ut quemadmodum omnia humani corporis membra a capite vim, motumque recipiunt, quo opus est, ut propriis muneribus perfungantur; ita de JESU CHRISTI plenitudine gratia, quæ nos efficit omnibus christianis actionibus pares, in eos omnes effunditur, qui per Baptismum, aliave Sacramenta mundati sunt.

Gratia sanctificans cum mortali peccato simul esse non potest. Gratia hæc talem habet cum mortali peccato oppositionem, ut quemadmodum quotcumque, & quantacumque sint scelera ab illa, ubi in animam fuerit infusa, eluuntur; ita statim ac voluntas uni mortali peccato, cujuscumque speciei illud sit, præbuit assensum, omnem, quam habebamus, & per quam in nobis tamquam in Templo, domoque sua Deus permanebat, sanctificantem gratiam amittimus; ita ut ob unicam noxam omnimodam subeamus jacturam pretiosi hujus doni, quod nos justos efficiebat, & ad filiorum adoptivorum dignitatem evehebat, cujus virtute nobiliter Regnum cœlorum, omniaque gratiarum genera in hoc etiam mundo promittere poteramus.

Utrum gratia sanctificans differat ab habitu charitatis. Affinitas, atque arctissima unio, quæ inter gratiam, & charitatem invenitur, efficit, ut non ita facile, quid inter utramque discriminis intercedat, agnoscatur. Quæstio hæc exedram ponit, quàm suggestum sapit; sed illæ ne realiter distinguantur, an fecus, quæ cognitio Theologorum est; abs re non est admonere alteram esse non posse sine altera, omnes gratiæ prærogativas, & effectus charitati etiam tribui, & vicissim omnia privilegia, quæ in Scripturis charitati tamquam virtutum omnium Reginæ deferuntur, æquo jure ad gratiam quoque pertinere. Ideoque si quis dixerit charitatem gratiæ, & gratiam charitatis officio perfungi, multum errare non poterit, quandoquidem Theologi hac de re abeunt in diversa; neque falli poterit dicens, hæc duo arctis adeo vinculis inter se contineri, ut alterius natura explicari poterit naturam alterius explicando, & quamvis altera efficiat ut Deum amemus, altera verò, ut ab eodem amemur, semper verè dici utramque sibi ita cohærere, ut invicem separari non possint.

Hujus sanctificantis gratiæ præstantia. Sanctus Petrus ait, Deum non promisisse folum nobis ingenia, pretiosaque dona, verum etiam fidem suam præstitisse: *Maxima, & pretiosa nobis promissa donavit.* Dei autem dona non aliud sunt, quàm gratia sanctificans cum infusis virtutibus, quæ pendent ab illa, & dona Spiritus Sancti, quibus nihil in nobis majus esse potest, nihil pretiosius. At inter hæc dona primum locum obtinet gratia, ab illa enim dependent; nam quemadmodum anima nostra per facultates suas naturales suas exequitur operationes, ita gratia per infusas virtutes, ac dona, supernaturales operationes adimplet. Justus vivit, & operatur per fidem, spem, charitatem, aliasque virtutes, quemadmodum anima per intellectum cognoscit, per memoriam recordatur, ac vult per voluntatem. Ita sicuti anima est vitæ naturalis principium, gratia principium est vitæ supernaturalis; anima numquam suis caret facultatibus, neque gratia virtutibus, & donis, quæ ab eadem separari non possunt.

Ad quam dignitatem gratia nos evehat. Finge tibi altera quidem ex parte nobilissimos, præstantissimosque spiritus, & quidquid sublime, & magnum est in ordine naturali, ex altera verò unicum gratiæ gradum. Inquiunt Theologi, hos adeo nobiles spiritus non esse subjectum idoneum ad divinam hujus gratiæ formam recipiendam. Hi non aliud sunt nisi quod aer ratione luminis, quod illum jam tenebricosum, fulgidum efficit: sed minor adhuc proportio inter sublimes eas mentes, & hunc divinum splendorem, quàm inter

inter aerem, corporeumque lumen invenitur. Sed gratia ordinis est superioris, quàm quidquid non continetur solùm in natura, verum etiam in eadem possibile est; & quamvis Deus in singula momenta crearet Angelos, quorum alii alios semper novo perfectionis incremento superarent; ii tamen a gratia semper superarentur, & numquam eorum natura gratiæ perfectionem æquaret. Hac de causa, Sanctus Thomas ait, gratiam quodammodo infinitam esse, non absoluta, sed relativa infinitate, quæ in hoc posita est, quod in omnibus inferioribus ordinibus nihil sit, quod cum illa possit conferri. Adde his, si creatorum entium magnitudo, atque nobilitas desumitur ex ea ratione, quam habent cum Deo, qui, ut Sanctus Dionysius loquit, est rerum omnium mensura, ita ut quælibet natura eò magis excellat, quò magis ad divinam accedit, & perfectionum ejusdem particeps est; gratia hominem coram Deo maximè attollit, eique propiorem facit, quàm aliæ quæcumque fingi possunt in ordine naturali qualitates.

Utrum sola qualitas, & simplex accidens, an Spiritus Sancti persona justos, sanctosque nos faciat.

Plurimorum Sanctorum Patrum sententia est, quam insignes quidam Theologi adoptarunt, gratiæ, & charitatis communicationem, esse substantialem ipsius Spiritus Sancti, & mox etiam Divinitatis communicationem; quia non minus data, & missa ad nos est Spiritus Sancti, quàm Æterni Verbi persona. Itaque juxta hanc sententiam sicuti fit substantialis, & personalis unio inter Divinum Verbum, & sanctam Salvatoris humanitatem; ita per sanctificantem gratiam unio fiet, non hypostatica quidem, & personalis, sed nihilo secius vera, & realis inter Spiritum Sanctum, & fidelem animam cui datus est, & communicatus: *Per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*. Quamquam verò hæc sententia minime sit omnibus probata, tantum abest, illam fidei esse contrariam; quod immo pluribus Scripturæ locis, & locutionibus, nec non omnium fere Græcorum Patrum auctoritati innititur, ac mirum in modum inservit ad gratiæ præstantiam, & dignitatem Fidelium, pretiosissimum thesaurum hunc possidentium explicandam.

Ad Rom. 5.

Theologi cujusdam hac de re sententia. *Suarez l. 12. de Deo Trino, & Uno c. 5. n. 8. & 12.*

Gratiæ dona, magni nominis Theologus inquit, hoc proprium habent, quod jure, quod sibi est connaturale, realem exigunt divinarum personarum præsentiam in anima, quæ donis hujusmodi est sanctificata; ita ut hoc posito, quod omnino fieri non potest, quod Deus per immensitatem suam non esset ubique, vellet tamen esse in hac anima per personalem præsentiam, ibique permaneret, donec ibi gratia subsisteret. Unde liquet, eos, in quibus hoc pacto adest, illum quodammodo possidere: quid enim magis nostrum est, quam ens quod cum nobis intimè præsens sit, ac ut ita dicam nobismetipsis præstantior, ita etiam nobis per amorem conjunctus est, ut vellet in nobis realem habere præsentiam, nisi ex naturæ necessitate illam haberet? Quod si qui amatur, amantem possides hujus amoris imperio, ac vi; qui eo amore diligitur, quem omnium creatarum rerum amor æquare non potest, nonne excellenti quadam ratione possidet Deum, quandoquidem infinita majestatis ejusdem sublimitas minimè prohibet, ne hac ratione diligat?

Præstantia gratiæ illius, quæ nos ita cum Deo conjungit.

Si hæc immensa sublimitas, ad quam evehuntur justi per hanc divinitatis cum suis animabus unionem, fidem videtur excedere: quid porrò sanctarum Scripturarum auctoritati respondebis affirmantium nos Deos esse: *Ego dixi, Dii estis vos*, atque in anima eorum, qui sunt in gratia, fieri realem Divinitatis communicationem: quid respondebis S. Paulo in Epistola ad Romanos dicenti, charitatem Dei diffusam esse in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis; & alibi, nos fieri Sanctuarium, ubi Deus per Spiritum Sanctum inhabitat? Nonne hoc Dei Filius per S. Joannem illis promiserat, qui sua mandata servarent: Se, Patremque suum in eorum animas venturos esse, ibique sedem suam constituturos? Nihil melius explicare potest, quomodo simus filii Dei, & divinam hanc adoptionem declarare, quam dicere, non per infusionem tantummodo, gratiæque caracterem, sed per peculiarem præsentiam, intimamque divinitatis communicationem hunc effectum haberi. Verum cum per gratiam hæc fiat communicatio, audacter dicere possumus, post hypostaticam unionem nihil posse comparari cum unione hac, quam efficit gratia Deum inter, & nos; quamobrem Theologi quidam dixerunt etiam, hujus gratiæ infusionem esse extensionem, vel saltem incarnationis imitationem; cum hoc tamen discrimine, quod unio hypostatica facit unitatem suppositi, atque personæ, quod gratia non facit; illa efficit hominem Deum, & filium Dei per naturam; hæc verò filios tantùm per adoptionem: itaut jure cum Sancto Petro, homo qui in gratia est, divinæ particeps naturæ queat appellari.

In nobis supernaturale principium admittendum est, ut supernaturales actiones operemur.

Cum aerem densissimis undique circumfusum tenebris videmus, mox verò lucentem, atque radiis illustratum, facile conjicere possumus, ipsum non ex se claritatem hanc obtinere; sed hanc ab altiori principio, Sole videlicet, proficisci; si enim lumen ex aeris natura procederet, ibi sine ullis vicibus permaneret. Ita cum in natura nostra tot, tamque varios defectus intuemur, cum perpendimus, illam ubi sua sequitur studia in vitia proruere; immo etiam ubi solam sine alio lumine rationem sequitur, intra terminos ejus virtutis subsistere, cui nihil sublime est; in sanctis verò super ea omnia quæ Deus non sunt, attolli; nonne dicendum est, sanctitatem hanc adeo eminentem fluere ex principio, quod eorum captum exsuperat; discrimen hoc in solis naturæ viribus inveniri non posse, ideoque consistere in quadam qualitate, vel habitu, qui cœlitus eisdem communicatus est, & quem sanctificantem gratiam vocamus, cui etiam comes accedere debet actualis gratia nos excitans?

Duo gratiæ sanctificantis effectus.

Habitualis gratia vel per Baptismum, vel per Pœnitentiam recipitur. Si per Pœnitentiam recipiatur, eidem nos per actuales gratias decet esse dispositos, quæ animam præparant ad recipiendam supernaturalem hanc qualitatem, quæ homines Dei filios facit; quocumque modo sit animæ infusa sive per Baptismum, siva per Pœnitentiam, ibi tamen semper primum effectum hunc operatur. Alter ejusdem effectus est, christianam, & supernaturalem vitam reddere, ac Deum flectere, ut animæ det ea subsidia, quæ sunt ad virtutem exercendam necessaria, videlicet lumina ad mentem illustrandam, inspirationes ad cor movendum; frænum ad concupiscentiam compescendam, vim ad naturalem infirmitatem, inertiamque superandam. Præterea prodest adhuc ad æternam gloriam, propriumque incrementum promerendum.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, Recentibusque Concionatoribus loci ad hoc Argumentum pertinentes.

Natura, & dignitas gratiæ habitualis, & sanctificantis.

SAnctus Thomas de gratia loquens, ait, illam qualitatum omnium esse nobilissimam, atque formarum omnium præstantissimam; illam immo nobiliorem esse, atque excellentiorem quàm ipsa sit charitatis virtus, & lumen gloriæ, quod animam evehit, eamque parem efficit Divinitatis splendoribus sustinendis; ac tandem ipsa etiam beatifica visione, hoc est claro perspicuoque Dei ipsius intuitu digniorem. Ratio autem, quam adfert, hæc est, quia licet omnes hujus generis qualitates supernaturales sint, divinæ, ac infinitè nobiles, tamen non sunt nisi proprietates, & effectus hujus gratiæ, quæ per se ipsam Deo acceptos nos efficit, & quæ cætera omnia in sui sequelam perducit; gratia verò formalis est participatio, & quidam veluti caracter, signumque divinæ naturæ,

quæ essentialiter sancta est. Itaque gratia, de qua loquimur, propriè est pretium sanguinis filii Dei, forma supernaturalis, quæ nobis essentiam divinam, ac supernaturalem statum animæ tribuit; terminus regenerationis nostræ, nostræ adoptionis effectus, causa nostræ glorificationis, atque æternæ felicitatis. Hoc elogium licet Scholasticis expressum vocabulis communem Fidelium intelligendi facultatem non superat, & nescio, quid subliminorem nobis gratiæ idea potest tribuere, quæ pretiosum est donum, quo voluit Deus hominis naturam attollere super ea omnia, quæ in naturali tantùm ordine recensentur. *Ex libro, cui titulus; De l'Innocence, & de la Grace.*

Gratia nos Deo conjungit, ejusque amicos efficit.

Deus homo factus non solum hunc sibi finem proposuit hominem in ea perfectione restituendi, in qua primum creatus fuerat, sed miro etiam modo eum sibi conjungendi per gratiam, quæ nodus est amicitiæ, quam nobiscum optavit consociare. Non satis eidem fuit illum in servorum suorum numero recensere (qui tamen honos est imperiis omnibus, sceptrisque anteferendus) sed servi immutata qualitate, eum sibi amicum adscivit: *Non dixi vos servos, sed amicos.* Quid! homo, nihilum hoc, & minùs nihilo per peccatum, qui æternis adjudicandus erat suppliciis, quæ merebantur ejus flagitia, ad gloriosam amici Dei dignitatem evehitur. Satis mirari non possumus, cum ex Scriptura audimus Abraham, tot licet meritis ornatus esset, Dei amicum vocatum fuisse, Deum in Exodo cum Moyse ita fuisse collocutum, quomodo amicus cum amico sermonem miscere consuevit; hæ quidem singulares, sed infrequentissimæ erant gratiæ, quæ nonnisi viris, quibus eximia essent merita, concedebantur; Verum in lege gratiæ, in qua vivimus, gloriosa hæc qualitas Fidelibus omnibus exhibetur, atque permittitur. Deus ipse eorum amicitiam inquirit; eos urget, atque sollicitat, ut hoc velint accipere beneficium bonorum omnium, quæ fingi possunt, pretio redimendum; ad eos enim hæc referuntur

Joan. 5.

verba: *Non enim dicam vos servos, sed amicos.* Felix Christianus, si hoc beneficio bene uti sciret; si a Deo amatus, sancto ejusdem amori responderet, si illum in veritate diligere nosset. *Mihi nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum;* Regius Propheta exclamabat eam beatitudinem reputans, qua Sancti in Cœlo fruuntur. Sed nonne hoc ipsum dicendum esset de Sanctis, qui sunt super terram, quoniam Dei gratiam atque amicitiam possidentes, quæ ipsis jus tribuit ad ipsius regnum, & gloriam, servorum conditione discussa ad amicorum dignitatem evecti sunt, quod idem est ac incipere cum eodem regnare, suamque apud ipsum potestatem statuere. *Nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum. Desumptum ex parte ab ignoto Christiano. Boudon cap. 6.*

Psal. 138.

Gratia sanctificans nos efficit adoptivos Dei filios.

Cum venit plenitudo temporis, inquit Apostolus, misit Deus Filium suum factum ex muliere, eumque Legi subjecit, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, & nos adoptionem filiorum Dei reciperemus. Verum adoptio hæc prorsus est alia ab ea, quæ inter homines accidit; adoptio enim humana nequit transmittere meritum, spiritumque adoptionis in adoptivum filium, ut sit principium vitæ illius, anima animæ illius, exemplum morum, omniumque actionum ejus prototypus, quod divina præstat adoptio. Ideo inquit Apostolus; quia vos estis filii Dei, misit ille in corda vestra spiritum filii sui clamantem, *Abba*, Pater. Post hæc concludit Apostolus, nos non esse amplius servos, sed filios Dei. Quis honor, quæ gloria Deum in Patrem habere? quæ prærogativa eumdem cum JESU CHRISTO habere Patrem! Ita Salvator Magdalenæ præcipit, ut fratribus suis, Discipulis nempe, dicat: *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum;* & in ea, quam docuit, oratio-

Joan. 20.

ne, hoc se nomine appellari jubet. Nonne hic favor est favores omnes, qui animi fingi possunt excedens, hominem a Deo filium, Deum ab homine Patrem vocari, & non solum vocari, sed esse? *Videte qualem charitatem dedit nobis Deus, ut filii Dei nominemur, & simus. Idem.*

1. Joan. 3.

Non satis hæc animadvertitur dignitas, qua sumus filii Dei.

Heu! quàm pauci meminerunt se Patrem habere Deum, & se verè ejusdem esse filios? Quotusquisque veritatem hanc intelligit? Qui illustri sunt loco nati, vitam generi suo conformem traducunt; summo studio cavent ne ab eodem degenerent, atque in hoc honorem versari suum putant, si illud integerrimè tueantur; Christiani verò turpiter ad actiones genere, & vocatione sua prorsus indignas sese submittunt. Nonne saltem hac in re idem esse deberet de nobilitate, quam nobis gratia confert, & nativitate altera, quam per eamdem recipimus, ac de sanguinis, naturæque nobilitate? Si hæc summis viris adeo generosos sensus immittit, ut ad abjecta, & vulgaria officia sese demittere dedignentur; & eo usque procedant, ut præ superbia illos contemnant, quos sub se positos norunt; Christianus suæ nobilitatis, ac dignitatis adeo parcus erit æstimator, ut illam negligat, atque abjiciat per summam indignitatem iis rebus adhærens, quæ prorsus suam dedecent qualitatem? *Agnosce, o Christiane, dignitatem tuam, & divinæ consors factus naturæ noli in pristinam vilitatem degeneri conversatione redire;* S. Leo exclamat. *Auctor Anonymus.*

Gratia sanctificans in nobis esse debet vitæ novæ principium.

Verbum Divinum humanam carnem assumpsit, atque in mundum venit, non solum ut nobis gratiam conferret, nosque Patri suo reconciliaret, sed etiam ut esset vitæ novæ principium, novumque in nobis spiritum, easque dispositiones effingeret, quæ sunt huic statui conformes; videlicet satis non est Fideli per gratiam regenerari, debet præterea vitam vivere, quæ eadem digna sit, iisque omnibus perfungi muneribus, quæ illam debent concomitari. Quemadmodum enim ideo vivimus, ut operemur, & aliquem natntali destitutum vita dicimus, cùm ejusdem nullum signum edit, seu motu, seu aliqua actione: similiter gratia, quæ in nobis est vitæ novæ prorsus supernaturalis, ac divinæ principium, nobis data non est, ut otietur, sed ut sanctas producat actiones, sanctas cogitationes, sancta desideria; ut verbo me expediam, actiones, quæ Deum pro principio habent, eumdem etiam pro fine, & objecto habeant; alioquin de nobis dici potest, quod dilectus Discipulus in Apocalypsi cuidam dicit Episcopo, qui gratiam amiserat: *Nomen habes, quod vivas, & mortuus es.* Nomen habes, externamque Christiani hominis speciem; quibusdam etiam exterioribus perfungeris muneribus, quæ specioso huic nomini inhærent; sed cùm hoc ex interiori principio minime proficiscatur, quod charitas est, & gratia habitualis, vitæ dumtaxat, hominisque viventis nomen habes: similis es automati, quod occultis movetur machinamentis, sed cum motum & actionem ex se ipso non habeat, vivens appellari non potest. Cognosces autem, utrum vivas hac vita gratiæ, vita hac sancta, & divina, de qua sermo est, vitam, quam modo vivis cum ea comparans, quam antea vivebas, cum inter flagitia, Dei inimicus, volutabaris. Prima illa vita nullum habebat motum, nisi ut voluptates, honores terræque hujus bona consectareris; vide an altera hæc propter Deum, cœlestiaque bona tantummodo operetur. Prima illa efficiebat, ut commoda, utilitates, resque tuas tantummodo inquireres; vide, utrum nunc iis solum afficiaris, quæ Deo placere possunt, quæ ad illius gloriam provehendam pertinent, quæ propiorem in amicitia ejusdem gradum tibi possunt comparare. Prima illa mundo, perituris que tantum rebus inhærebat; secunda hæc æterna tantum bona debet inquirere. Hinc intelliges utrum divina, & supernaturali vita vivas, quæ ut S. Paulus ait novas nos efficit creaturas. *Idem.*

Apoc. 3.

Inde

Coram Deo sola gratia magnos nos facit.

Inde sublimem inæstimabilis felicitatis, qua gratiam possidentes perfruimur, ideam debemus concipere, quod illa unica res est, quam Deus ipse habeat in pretio, & quæ in oculis illius nos acceptos efficiat. Itaque licet alias quascumque animi, corporisque perfectiones, omnia dona, potentiam, pulchritudinem, sapientiam, perspicacitatem, & quidquid hominum admirationem, plaususque conciliare potest, possideremus, & hoc pretioso gratiæ dono careremus; nihil omnino essemus coram Deo, cujus judicium, atque æstimatio norma est earum rerum omnium, quæ magna, æstimandaque sunt; possumusque semper cum Apostolo dicere, sine charitate, quæ vel idem est, ac gratia, vel quæ a gratia separari non potest, nos nihilum esse. *Si charitatem autem non habuero, nihil sum.* (1. ad Cor. 13.) De hac tamen (Fideles) ex ejusdem contrario judicium feramus; quænam res dæmonem efficit adeo abjectum, contemptibilem, creaturarumque rerum omnium infelicissimum, cum antea perfectissimus, atque præstantissimus esset omnium, quoniam una gratia dempta, quam per scelus, & improbitatem amisit, possidet adhuc eadem omnia bona, & naturales prærogativas, quas ante rebellionem suam possidebat; namque reipsa dæmonum minimus magis perspicax est, quàm felicissimum, quod umquam extiterit ingenium, & fortasse etiam, quàm omnes homines simul. Omnes naturæ opes in manu illius sunt, eæque illi a Deo traditæ videntur: ipse occultissimas rerum virtutes callet, ipse scientiarum omnium clavem tenet, ipse quidquid in terris umquam contigit, habet exploratum. Tamen licet scientia, divitiis, & potestate affluat, licet tot naturalibus perfectionibus ornatus sit, quia solum amisit gratiam, omnium est infelicissimus; & tot, tantaque bona, prioris fortunæ reliquiæ, nihilum prosunt; & gratia, quæ illi deest, eumdem calamitosissimum facit, quin mundi totius imperium, quod illi Dei Filius tribuere videtur, jacturam hanc vel reparare valeat, vel imminuere. Nonne hoc illud est, o fideles, quod dico, nihil posse nos coram Deo magnos efficere præter gratiam, quæ vita appellatur, non solum quòd nobis novam vitam impertit, verum etiam quòd quemadmodum vita est cæterorum bonorum fundamentum, ita gratia nobis jus confert ad cætera cœlestia, ac supernaturalia bona, quæ sola vera sunt bona. *Idem Auctor Anonymus.*

Gratia nobis jus tribuit ad gloriam, ac regnum cœleste.

Adde his, propter divinam adoptionem, quæ fit per gratiam nobis conferri jus ad regnum cœleste, omniaque Dei bona. Etenim, quemadmodum Apostolus inquit, si Dei filii sumus; necessaria illatione sumus etiam hæredes: *Si filii, & hæredes.* (Ad Rom. 8.) Itaque cum gratiam in animas nostras effundit, ut sit signum, & caracter nostræ adoptionis, nobis jus tribuit ad regnum suum, hæredes facit omnium bonorum suorum, quatenus filios; & quemadmodum gratia, quam nobis largitur, ut ad hanc qualitatem attollat, in nobis est vitæ principium; efficit, ut omnes actiones nostræ esse possint actiones vitæ, quæ ad æternam vitam referantur, & pretium habeant par ipsi Cœlo. Heu! Quanta felicitas est, qualibet actione per gratiam vivificata Cœlum mereri; jus habere ad cœleste regnum, omniaque Dei ipsius dona; hoc autem per meritum de condigno, ut loquuntur Theologi, itaut quamcumque mercedem nobis conferat Deus, nisi semetipsum tribuat, omne regnum suum, omnia bona sua, hæc non aliud esse possint nisi servi stipendium, non autem hæreditas, quæ legitimis filiis debetur. *Idem.*

Quanti sit Deo gratia fiat.

In quem oculos suos, atque propitios obtutus conjicere putas Deum, ut illum bonis, opibusque spiritualibus cumulet? Ne putes illum nobiles, ac locupletes hujus terræ principes, qui suorummet ipsorum existimatione intumescentes, plura se mereri opinantur, hac prosequi gratia; sed illum tantummodo, ipse per Isaiam Dominus testatur, illum qui justus est, & bonorum hujus mundi egenus, qui timore sancto repletus est, ac vero dolore contritus eò quòd me offenderit, & qui jam pretiosum gratiæ meæ thesaurum possidens fideliter audit verba mea, meamque legem observat, quæ sunt gratiæ illius servandæ adminicula: *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos?* (Isaia 66.) Hæc ea sunt, quæ Dei existimationem merentur, & in quibus sibi complacet Dominus. Hinc fit, ut non exquirat a diabolo, utrum viderit, & consideraverit terræ Principes, viros qui ingenio, & scientia sibi nominis celebritatem compararunt, & qui præclaris rebus gestis mortalium omnium in se admirationem converterunt; sed utrum consideraverit servum suum Job, hominem illum justum, cor illud rectum, & in mandatis servandis fidelissimum. Magnum nobis, o fideles, documentum! Discamus hodie animam, quæ in gratia est, quæ nihil potest efficere, præterquam amare Deum, sed quæ illum ex toto diligit corde magis uberem habere meritorum copiam, quam omnes simul hi nobiles, & spectatissimi viri, in quos homines suos convertunt oculos, quorum mens ingentibus vacat cogitationibus, anima verò gratiæ munere destituta est. Reformemus judicia mendacia secundum judicium Dei, qui eadem veritas est, & assuescamus ea tantum in pretio habere, quæ æstimantur a Domino. Famam, & laudem, quam nobis mortales impertiunt, contemnamus, ut quæramus magnos videri in oculis ejus, qui falli non potest, cum de nobis æquum est judicium laturus. Ex ipso Salvatore discamus, nobis lætandum non esse, quod forte vel generis, vel ingenii bonum sortiti sumus, sed quod nomina nostra in cœlis scripta sunt; si eam servaverimus gratiam, quæ ad cœlestem gloriam jus nobis impertit. Persuasum sit nobis Dei benevolentiam, & protectionem non esse metiendam ex distributione bonorum fortunæ, sed gratiæ, quæ unica norma est, secundum quam fidelis omnia hujus vitæ seu bona, seu mala debet metiri. *Idem.*

Gratia donum est, quod ipsa etiam supernaturalia dona, & gratias, quæ gratuitæ vocantur excedit.

Enumerat Apostolus gratias, & dona, quæ Deus olim ipsis Ecclesiæ primordiis fidelibus communicabat; dona, quæ mirum in modum proderant ad fidem statuendam, ac alliciendas Gentes, quæ insignibus hisce miraculis captæ, catervatim Christianæ Religioni nomina dabant. Quidam ex discipulis linguis omnibus loquebantur, alii futura prophetabant, vel abdita cordium aperiebant; hi omnia infirmitatum genera curabant, cæcis visum reddebant, mortuos revocabant ad vitam, illi verò efficiebant, ut Spiritus Sanctus palam super illos descenderet, quibus imponebant manus. Admirabiles hujusmodi effectus, & eorum operandorum facultas erant dona, & gratiæ, quæ gratuitæ vocantur, populis in quorum gratiam dabantur, quàm illis, quibus dabantur, utiliores. Sed quantumvis eximiæ hæ videantur gratiæ, in oculis hominum, qui admirantur quidquid eorum mentem perstringit, parum sunt in oculis Dei, quandoquidem suis etiam inimicis eas aliquando concedit. Nonne Balaam, & Caiphas prophetarunt? Nonne Judas miracula operatus est? Jure igitur S. Paulus dixit ad Corinthios, ipsis quærendas esse præstantiores gratias, non autem has exteriores, quæ plurimis vanitatis erant occasio: *Æmulamini autem charismata meliora.* (1. ad Cor. 12.) Meliorum autem charismatum nomine interiores gratias intelligit, quæ nosmetipsos sanctificant, & non solum dona sunt Spiritus Sancti, verum etiam vel illum in nobis inducunt, vel certissima sunt ejus præsentiæ argumenta, quales sunt gratia habitualis, charitas, & virtutes, quæ illam subsequuntur. *Idem.*

Hujus gratiæ pretiũ, & dignitas.

Quinam, lectissimi auditores, intelligere posset cœlestis hujus doni meritum, atque illud quanti valeat, justè æstimare? Parum est cum Salomone affirmare, aurum, argentum, lapides pretiosos, & quidquid divitiarum, atque thesaurorum excogitari

potest, non aliud quam lutum esse in comparatione illius; parum est asserere omnia mundi sceptra, atque diademata, & quidquid avidissimam explere potest habendi cupiditatem, minus esse, quàm nihilum, si cum incomparabili hoc dono conferatur. Attollite, quantum vobis lubet cogitationes, vota vestra in omnem latitudinem extendite, eò numquam licebit attingere. Quantumvis enim vasta sint vestra desideria, & cogitationes, tamen in hoc visibili mundo numquam invenient, nisi quod ibi est, & nulla ibi bona sunt nisi finita, nullæ nisi finitæ perfectiones; & quamvis in unum colligere possetis, quidquid fuit, est, & erit, meritorum, bonitatis, atque excellentiæ in hoc mundo, hoc nihilominus dignum non erit, quod cum divino hoc munere comparetur. Ad hoc enim scire opus esset, quanti valeat, rem ponderis infiniti appendere, quod immensum est metiri, & quod inæstimabile, æstimare. *Idem.*

Sine sanctificante gratia nihil mereri possumus.

Sine gratia nihil pro cœlesti gloria mereri possumus, quantumvis eximias, præclarasque actiones facere videremur. Cum gratia verò plurimum meremur, licèt parum laboremus. Sine gratia bona opera facere, dissipare est, non colligere; eadem verò in gratiæ statu operari, non est eorum fructum amittere, sed merita illorum servare, & augere. Sine gratia nullum opus bonum reputari potest meritorum pro æternitate, & illud nulla æterna mercede Dominus remuneratur. Si charitas mihi non esset, Sanctus Paulus ait, licet Angelorum loquerer lingua, & tantam fidem haberem, ut montes ipsos transferre possem, licet omnia bona mea pauperibus erogarem, ipsumque martyrium subirem; nihil essem. Cur autem? Quia ad æternam vitam promerendam JESU CHRISTO adhærere debemus, cui non nisi per gratiam possumus adhærere. Vitis lignum, nisi in vite manserit, lignorum omnium est maximè inutile: actiones nostræ omni carent fructu, cum a JESU CHRISTO separatæ sunt. *Ex Dictionario Morali, in Considerationibus de gratia.*

Quomodo gratia sanctificans, secundum prophetas, renovet mundum.

Si ars accedens naturæ rebus illum præbet usum in hominum gratiam, quem non habebant; gratia, quæ est quodammodo ars Dei, accedit utrique, ut utrique novam tribuat essentiam pro gloria Dei. Deum autem imitata accedit, ut novum in mundo mundum efficiat, atque ut ille, novas sibi terras, cœlosque novos producat. Per hanc homo Deo reddit, quod ab ipso tenet, illi reddens mundum formosiorem, si dicere fas est, quàm ab eodem illum acceperat, atque magnitudinis, & majestatis ejus pedibus iterum subdit creaturas omnes, quas divina bonitas in manibus ejusdem posuerat. Cum homo catena sit, vinculumque naturæ cum auctore suo, statim ac ad Deum trahitur, secum omnia simul trahit, atque attollit; statim ac mutatur, atque elevatur, reliqua omnia mutat, & perficit: quod a Deo satum, & creatum fuerat corruptibile, ad incorruptibilium, immortaliumque rerum ordinem ascendit; quod satum, atque productum fuerat in infirmitate nobilitatur, atque commendatur usu glorioso; & quod Creatorem suum colere, & honorare non poterat, novam assumit virtutem, & qualitatem, propter quam hæc facere potest. Denique quod satum, productumque fuerat in statu terrestri, & animali, fit quodammodo spiritale pia spiritus nostri applicatione, & ab anima nostra accipiens animam, ut Deum celebret, incipit cum naturis intelligentibus communem habere dignitatem auctorem suum glorificandi, & prædicandi. *Ex vita Cardinalis de Berulle lib. 3. cap. 6.*

Gratia hæc plerumque ab hominibus flocci æstimatur.

Statim ac gratiam in Sacramentis recepimus, delentur peccata, regeneratur creatura; quod antea vas erat iræ, fit vas misericordiæ; quod antea dæmonis erat habitaculum, templum fit Spiritus Sancti, & caro peccati (mirum!) in corpus JESU CHRISTI mutatur, ut Sanctus Prosper ait: *In Corpus Christi convertitur caro peccati.* Sed gratiam hanc, & incomparabile hoc beficium quanti æstimatur a nobis? Hanc negligimus, cum interim alia quæcumque bona avidissimè consectamur. Pro temporali aliquo bono jugiter lite contendimus; ob exiguum aliquod commodum familiæ dividuntur; ridiculus honor ardentissimè disceptatur; assertam injuriam crudelibus satyris, atque irreconciliabilibus injuriis persequimur; sed ubi de qualitate filiorum Dei agitur, hanc ultro illis relinquimus, qui eamdem cupiunt sibi vendicare. Divitem esse, potentem fieri, in urbe, vel provincia aliqua principatum appetere, hæc nostra sunt studia, hæc vota: sola gratia, & adoptio divina contemnitur, vel saltem negligitur, ejusque bona ut possideant, minime laborant mortales. *Ex Christianis actionibus. Panegyrico S. Apolloniæ.*

Gratia in animo id facit, quod anima in corporibus ab ipsa animatis.

Denique hoc habet anima humana, ut dum est in corpore, quamvis non videatur, nec audiatur, nec moveatur, ac vix in eo esse intelligatur, & ea recedente nihil corpori deesse videatur: tamen ipsa omnia bona corpori tribuat, sensum, motum, loquelam, subsistentiam, pulchritudinem, robur; cur enim homo dum vivit, videt, audit, loquitur, ambulat, subsistit, robustus, formosus, & amabilis est, nisi quoniam anima in eo est? & cur post mortem nec videt, nec audit, nec loquitur, nec movetur, sed jacet deformis, inutilis, & invisus, nisi quoniam anima recessit, unde bona illa derivabantur? Sic Deus tuus, o anima, dum per gratiam suam in te vivit, ipse facit, ut videas, quæ tibi fides ostendit, & audias, quid loquatur in te Dominus, & ambules per viam mandatorum ad cœlestem Hierusalem, & loquaris in oratione ad Deum, & in sancta exhortatione ad proximum, & subsistas perseverando in operibus bonis, & robustus sis in acie adversus hostes invisibiles, & formosus in oculis invisibilis Dei, & Angelorum ejus. Cave autem, ne recedente gratia Dei, quæ est vita animæ tuæ, experiaris damna, quæ secum adfert mors prima, unde rapiaris ad mortem secundam, ex qua resurrectio nulla conceditur. *Bellarminus Opusculo de Ascensione mentis in Deum, gradu octavo capite decimo.*

De pulchritudine animæ, quæ est in gratia, & quomodo placeat Deo.

Quidam Sancti Patres loquentes de imagine, & similitudine Dei, ad quam homo creatus fuit: *Creavit Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam*, inquiunt, hominem duplicem habere cum Deo similitudinem, quarum quæ imaginis nomine indigitatur, in hoc posita est, quod homo ex natura sua præditus est intellectu, & voluntate, uti Deus, ideoque par, qui eumdem & agnoscat, & diligat: quæ vero similitudinis vocabulo exprimitur, in eo consistit, quod homo in gratia Dei fuit creatus, quæ illi cum Creatore suo perfectiorem contulit similitudinem ea, quam ex ipsa natura erat sortitus; unde sequitur, quoniam Deus primitiva, & essentialis est pulchritudo, & gratia sanctificans nobilissima est, atque perfectissima hujus pulchritudinis communicatio, animam, quæ eadem ornata est, Deo eò usque acceptam, charamque esse, ut insignis quædam sanctitate mulier, cui ille admirabilem ostenderat pulchritudinem, dicere consueverit, se nequaquam mirari, quod ad illam abluendam sanguinem suum effundere Deus non abnuerit, ut illa repararet formam, quam per peccatum prorsus amiserat. Verum si Deus ipse, qui falli non potest, capitur pulchritudine animæ illius, quæ est in gratia, cur nostram exornare negligimus virtutum omnium exercitatione, unde tantum perfectionis eidem potest accedere? Nonne miserum est, nos malle vili creaturæ turpitudine nostra, quam Divinæ majestati placere vera pulchritudine, quam adipisci in nostra positum est potestate? Videmus quotidie qua cura mortales sese ornent, ut mortalibus placeant; sæpe etiam exteriores requiruntur ornatus, quibus interiores defectus tegantur. Summa sedulitate corpus ornamus, quod futurum est pabulum vermibus;

bus, & pretiosissimum animæ nostræ ornamentum, Dei videlicet gratiam negligimus. *P. Duneau Sermone pro feria quinta post tertiam Adventus Dominicam.*

Gratia vinculum est amicitiæ Deum inter, & hominem.

Olim dubitatum est, utrum Deum inter & homines intercedere posset amicitia, & profana censuit philosophia hoc fieri nequaquam posse; amicitia enim amicos aut pares invenit, aut facit: At homo numquam par Deo esse potest. Præterea amicitia postulat bonorum inter amicos communicationem; sed bona Dei sunt incommunicabilia, quia infinita; & homo nequit sua Deo communicare, quia hæc a Deo habet, & Deus illis non indiget. Denique amicitiam alit voluptas sese amandi, ac familiariter utendi; Deus autem, ajebant Ethnici, cum sit invisibilis, nullamque habeat cum hominibus familiaritatem, homines vicissim nullam cum eodem possunt habere. Hæc sunt veterum Philosophorum argumenta, quibus non affulgebat lux Evangelii oppositum prorsus docentis. Ibi enim Salvator Apostolis suis dicit, illos suos fore amicos, si mandatis suis obtemperaverint; & alibi explicitis verbis testatur, se illos non servos, sed amicos appellaturum. Quamobrem dubitandum non est quominus homines esse possint amici Dei. At hujus amicitiæ nodus gratia est, de qua loquimur; sine qua nulla est, cum qua integra est amicitia. Quicumque in gratia Dei est, amicus ejus est: qui secus, inimicus. Hæc tamen gratia non statuit perfectam Deum inter, & homines amicitiam, quod necessarium non est, sed nos illi similes efficiens per naturæ suæ participationem, quæ nostram ad divinitatem elevat, nos in ordine supernaturali constituit, qui nos dignos facit amicitia Dei, & communicatione bonorum ipsius; & quamquam ille nostris non egeat bonis, operam tamen nostram acceptam habet, & habet in pretio gloriam, quam illi procuramus, illum cognoscentes, amantes, illi inservientes, impellentesque alios, ut illum ament, eique obsequantur. Quod autem pertinet ad Dei cum hominibus conversationem, Scriptura testimoniis abundat, & nonne quotidie, ubi volumus, illum alloquimur in oratione, quæ vulgo familiare cum Deo commercium vocatur? *Idem.*

Negligunt homines eam colere amicitiam, qua Deus illos dignatur per gratiam.

Quandoquidem liquidò constat, Deum nobis suam conferre amicitiam per gratiam, undenam fit, quod incomparabili hac felicitate minimè afficimur, & in illius amicitia excolenda tantopere negligentes sumus? Nemo est, qui summorum virorum, præsertim verò Principis sui amicitiam non appetat; huc omnis eorum ambitio contendit, qui ad aliquem honorem adspirant, & qui in vita hac fortunas suas student provehere; sciunt enim breviorem, tutioremque viam, qua illuc perveniant, esse Principis gratiam. Quod si Princeps ipse suam illis offerret necessitudinem, nae illi quidem votorum suorum cumulum assecuti viderentur, & qui illam respueret mortalium omnium insanissimus haberetur. Quænam igitur est cæcitas nostra! A nobis pendet esse amicos Dei; ille nobis suam offert gratiam, nos illam respuimus; illi fluxam, fragilemque voluptatem, turpe lucellum, honoris vaporem præferimus. Hoc Cœlis, hoc Beatis mentibus stuporem adfert, quæ divinæ amicitiæ pretium norunt, & intelligunt quam sibi felicitatem illa contulerit: *Obstupescite cœli super hoc.* Hæc autem incomprehensibilis cæcitas non solum in pertinacissimis deprehenditur peccatoribus, quos iterata scelera illius ferme irreconciliabiles inimicos fecerunt; sed in iis etiam sæpe, qui cum per gratiam sint ex numero amicorum illius, amicitiam hanc excolere, novos in ea progressus facere, novisque in dies gratiæ hujus incrementis negligunt confirmari, quemadmodum loquitur Sanctus Paulus: *Optimum est gratia stabilire cor.* Dicam etiam non deesse, qui eamdem asservare contemnunt, qui sine metu occasionibus ejus amittendæ se objiciunt, & qui cum nullum invenire possint

Jerem. 2.

dolori solatium, ubi exiguum aliquod fortunæ bonum amiserunt, vix ullo habent in discrimine bonum omnium maximum, & pretiosissimum, cujus jactura secum trahit æternæ beatitudinis amissionem. *Idem ex parte.*

Gratia nos efficit adoptivos Dei filios, & regni ejusdem hæredes.

Ab aliquo in filium adoptari aliquid majus esse videtur, quàm eligi in amicum; adoptio quippe supponit amicitiam, eique arctius vinculum addit, qualis est patrem inter, & filium. Gratia nos Dei filios facit, quæ tanta dignitas est, ut superet quidquid magnum in creatura aliqua fingi potest; sed bonum, quod hæc dignitas nobis confert, non est minoris faciendum: namque nos Dei filios efficiens, simul jus tradit ad omnia ejus bona, ejusque nos legitimos hæredes constituit. Paulisper, amabo vos, hoc tantum boni perpendite. Hominum filii hæredes sunt patrum suorum post eorum occubitum, & hæreditas inter filios dividitur, qui quò plures sunt, eò minorem partem sortiuntur. At non accidit hoc filiis Dei; regni illius adeunt possessionem, quantumvis non moriatur, ac semper Rex, ac Dominator permaneat. Pars eorum multiplici non atteritur divisione; cum enim divinitatis thesauri infiniti sint, abundat unde cuique secundum singulorum merita tribuatur; atque tantum abest, ejusdem boni perfruitionem fieri minorem, quia pluribus communis est, quod immo e contra, majori gaudio afficiuntur ex societate eorum, qui sunt ejusdem boni consortes, cum hoc gaudentium multitudine nequaquam imminuatur. *Idem P. Duneau.*

Gratia nos Dei facit amicos omnia peccata nobis remittens.

Quid læsæ majestatis reus intentatum relinqueret Principis sui gratiam captaturus, & supplicium sceleri suo debitum evitaturus? Si illi diceres in ipsius potestate esse petitam obtinere veniam, & non obtinere tantùm, sed cum fœnore omnia reparare bona, ac dignitates, quibus perfruebatur; haud ille profectò hæreret, nec quid sibi faciendum dubitaret, si hæc vera crederet. Heu! nos læsæ majestatis rei sumus ob tot scelera, quot mortalia peccata patravimus, quæ per pœnitentiam expiata non sunt. Una tantum suppetit ratio veniæ obtinendæ, æternique supplicii, quod toties meriti sumus, evitandi; gratia ea omnia delet, illaque iis conditionibus nobis offertur, quas adimplere in nobis situm est; Virtutemque habet delendi illa quantumvis vel magnitudine enormia, vel numero infinita. Attentiùs, quæso hanc potestatem, & virtutem considera; licet aliquis omnibus sceleribus esset imbutus, quæ ab omnibus mortalibus patrantur, patrata fuere, & usque ad sæculorum finem patrabuntur; unius gratiæ gradus ea omnia deleret, quin ne unum quidem superesset: illum cum Deo læso perfectè reconciliaret, eique æternam remitteret pœnam, quam adeo enormi scelerum congerie fuisset promeritus. Hinc conjice quodnam sit hujus gratiæ pretium, quam poscere, & obtinere negligimus, & utrum labori parcendum sit, ut illam obtineamus. *Idem.*

Quid ex hac veritate consequi debeat.

Ut hoc melius intelligas, finge tibi hominem tot gratiæ gradibus præditum, quot in omnibus Angelis, Beatisque omnibus, qui in Cœlo sunt, inveniuntur, quin excipias sanctissimam creaturarum omnium Deiparam Virginem, atque hominem hunc infelicissimo lapsu in unum dumtaxat peccatum mortale ruere: hoc unum peccatum secum traheret gradus omnes gratiæ ad quemcumque cumulum illa evasisset; unde judicium ferre possumus de hujus lethalis peccati improbitate, & horrore, quem illo concipere oportet. Illud verò hac in re diligentius est animadvertendum, gratiam nihilominus majorem habere vim ad jacturam hanc reparandam, quàm ad illam inferendam peccatum habuerit. Gratia enim cum fœnore nobis illa bona restituit, quæ amiseramus; peccatum verò nequaquam ea omnia instaurat mala, quibus liberati fueramus. Cum, qui peccatum admisit, gratiam recuperat, eam omnem recuperat gratiam, quam ab ipso usque Baptismate acceperat,

& ad hæc eam etiam acquirit, quæ eidem recens confertur; itaut e lapsu resurgens fiat Dei magis amicus, quàm esset antea quam laberetur. Quamobrem jure dicenda est Dei misericordia erga peccatores longe admirabilior esse, quàm ejusdem justitia; & Deus hic bonitatis magis misericors esse, quàm severus.

Gratia sanctificans jure nova dicitur creatio.

Videmus Apostolum de fideli Christiano verba facientem, hunc novam creaturam vocare; hoc enim cor novum, novus spiritus, vita nova, quæ in illo videntur, ex secunda creatione proficiscuntur, quæ illum in hoc sanctificationis, & gratiæ statu constituit. Homo novus non est communis generationis effectus; non nascitur ex sanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, quemadmodum loquitur Sanctus Joannes; sed nascitur ex Deo qui illum efformat, veluti primum Adam, manibus suis, eique gratiam suam tribuens vitæ flatum inspirat. Quantumvis magnum, magnificumque creationis miraculum extiterit, audeo dicere, spiritalem nostram regenerationem adhuc esse admirabiliorem, & vim Divini brachii ibi magis elucere. Verum quidem est, ut ex nihilo aliquid fieret, necessariò infinita opus fuisse potentia; namque ex nihilo ad aliquid, ex non esse, ad esse, infinita distantia est, quæ idcirco nonnisi per potentiam ejusdem naturæ absolutè infinitam compleri non potest. At si nihilum nullam habet dispositionem ad hoc, ut aliquid sit, saltem dici non potest ipsum repugnare, & Creatoris actioni resistere. At in regeneratione nostra invenit Deus in nobis rebelles animas, & pertinaces, fortiter operationi gratiæ, & motibus spiritus ejusdem resistentes. Ita videmus Deum in mundi creatione sex tantum dies insumpsisse, sed sex ferme annorum millia elapsa sunt, ex quo Ecclesiam suam sanctificaturus laborat, & latet adhuc, quandonam suum opus absolvet. Ad hæc creaturas producturus suo tantum usus est verbo; dixit, & facta sunt: Sed peccatores regeneraturus per gratiam aliis opus fuit instrumentis. Oportuit enim, aperire cœlos, Filium suum mittere in terras, illum morti crudelissimæ tradere, ut iis confossus doloribus, quos tellus intuita contremuit, & Sol mirabili laboravit eclypsi, nobis illum mereretur Sanctificantem Spiritum, qui per gratiæ infusionem justos facit, & Sanctos. *Ex Auctore Anonymo.*

Repente nequaquam evadimus perfecti licet gratiam sanctificantem recipiamus.

Dicere etiam possumus, novam hanc creaturam, quæ fit per gratiam, repente perfectam non fieri; sed tantùm per gradus, sensim proficiendo, quemadmodum Sanctus Paulus testatur; non enim idem hìc accidit, ut in Adam, quem statim perfectum creavit Deus, in corpore quidem ejus omnem magnitudinem, vim, pulcbritudinem, in anima verò omnia lumina, cognitionesque constituens, quæ homini in prima innocentia posito conveniebant. At novam creaturam aliter producit Deus; qui eodem ferme pacto, ac innaturali, communique hominis efformatione operatur. In hac autem videmus hominem, qui primum quidem parva est, & infirma creatura, cujus sensus sunt debiles, balbutiens lingua, gressus male firmi, actiones imperfectissimæ. Talis est nova spiritalis creaturæ efformatio: Sed virtute Spiritus sui illam Deus paulatim ex infantiæ infirmitatibus expedit, fidem auget, spem roborat, charitatem inflammat, virtutes virtutibus accumulat, eamque per varios habitualis, & justificantis gratiæ gradus, qui in infinitum crescere possunt, traducit; ideoque novi semper in hoc spirituali statu progressus faciendi supersunt. *Idem.*

Incertum, utrum in gratia simus.

Nihil nos magis humiliare debet, quàmquod incerti sumus, utrum in gratiæ statu inveniamur. Nemo scit, Spiritus Sanctus ait, utrum amore, an odio sit dignus. Eheu quanta hæc est metuendi ratio! quantæ humilitatis causa! Numquam hoc mecum tacitus reputo, S. Bernardus ajebat, quin præ terrore totis artubus contremiscam. Si Sanctus Bernardus trepidat, nos verò quanam in re confidimus? Mortales omnes singillatim in terribili hac incertitudine versantur, justi æque, ac peccatores; at non omnes eodem pacto; peccatores quidem, quia credere debent se in gratia non esse, justi verò quia semper timere debent, an sint in gratia. Et quamquam hi divinæ innixi misericordiæ, ac Sacramentorum virtuti credere possint se esse in gratia; attamen cum perfectam nequeant habere certitudinem, semper illis metuendum est, ac trepidandum. Etenim quanam in re certitudinem hanc possunt constituere? In evidentia? Hoc fieri non potest; gratia enim sive in principio suo, sive in seipsa, sive in effectibus suis spectetur, cum sensibus nostris non pateat, non potest palam a nobis cognosci, quorum cognitiones a sensibus pendent. Numquid certitudinem hanc ex fide desumemus? Docet fides nos sine revelatione de gratiæ statu certos esse non posse. Verùm profectò est non deesse quædam signa, ex quibus nos esse in gratia colligere possumus; sed hæc certa non sunt, ac semper metum, ac trepidationem relinquunt. Quàm terribilis est, Domine, hæc incertitudo! & quàm gravis esset nisi tu me confirmares! Sed quoniam est necessaria ad superbiam meam conterendam, & me in humilitate continendum, libentissimè memet illi subjicio. *P. Nepueu. Tomo 2. Christianarum Considerationum.*

De eadem incertitudine.

Sanctus Paulus, qui corpus suum castigabat, illudque in servitutem redigebat; Sanctus Paulus, vir ille ex tertio cœlo delapsus, quò fuerat evectus, & ubi tot admirabilia didicerat arcana, nescit adhuc, utrum sit amore dignus, an odio, utrum Dei gratiam tueatur, an illam amiserit; vos qui in scelera passim ruitis, qui sensibus vestris omnia licere voltis in hac dubitatione Deo adeo contumeliosa vos tactos putatis. Cui autem rei hæc vestra innititur dubitatio? cum nullam afferatis curam ut acceptam gratiam servetis, cum inter tot mundi pericula vivatis, ubi fieri vix, atque ne vix quidem potest, ut gratia non amittatur, cum insanos cordis vestri impetus gratiæ motus existimetis, cum æternum inter levia crimina gravioraque fluctuetis scelera; & quin semper coram Deo nocentes vosmet existimetis, creditis semper, peccata vestra non eo usque procedere, ut animæ vestræ inferant mortem: cum tot licet circumsteut justæ timoris causæ, inter tot flagitia eam jactatis fidelitatem, quam sæpius estis mentiti, & temerariam fovetis confidentiam, quæ efficit, ut iniquum & de vestra corruptione, & de divina misericordia judicium feratis. *Ex manuscripto sermone, qui P. Massillon esse perhibetur.*

Anima per gratiam vivit, & moritur per peccatum.

Putasne, Sanctus Augustinus ait, animæ non esse spiritualem vitam, ita ejusdem propriam, quemadmodum ipsa anima est corporis tui? Putasne non aliam esse vitam, qua anima animatur tua? vel potius non credis, quemadmodum corpus tuum vitam habet, quæ tua est anima; animam quoque distinctam habere vitam a corporis tui, & quemadmodum corpus moriens expirat, & efflat animam, quæ vita sua est; animam quoque per peccatum morientem, suæ vitæ, animæque jacturam pati? Si verum est, animam habere vitam a corporis vita distinctam, reor, cum vita hæc toto cœlo nobilior sit, tibi quoque toto cœlo magis metuendam esse ne animæ tuæ, quàm corporis vitam amittas. At cur moror adhuc; neque eam tibi ostendo? Verbo dicam, corporis tui vitam esse animam tuam, & animæ tuæ vitam esse ipsum Deum; Spiritum Sanctum, qui habitat in anima tua, tamquam hujus anima, & vita, & per animam tuam in corpore tuo; numquid enim nescis quid Apostolus dicat, corpora nostra esse templa Spiritus Sancti? Venit Spiritus in animam nostram; quia Charitas Dei effusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis; & certum est, illum omnia possidere, qui, quod caput est, occupat; & verum adhuc est, po-

tissi-

tissimam, præstantissimamque partem in te præesse debere; & Deum, illam occupantem, per illam possidere corpus tuum, quod subest eidem. *Ex S. Augustino.*

Gratia non solum justos nos facit, sed etiam in justitia confirmat.

Statim ac Deus in peccatoris animam suam gratiam effudit; qui peccator erat, fit justus, & innocens. Beneficium hoc visibile est, & nemo unus illius præstantiam, pretiumque debet ignorare; Verum hic aliquid intueor magis singulare, videlicet hac gratia non reparari solum hominis interioris imaginem, quam peccatum corruperat, verum etiam nos in quadam stabilitatis specie constitui, in justitia confirmari, Deique virtute repleri, ut diutiùs in sancta Dei amicitia permaneamus. Dei donum imminueret, qui illud in sola peccati extinctione subsistere cogitaret, & illud non satis cognosceret, qui eidem virtutem negaret nos contra novos errores confirmandi. Anathema in eos protulimus, quædam Synodus inquit, qui dicere auderent, gratiam, qua homo justificatur, solùm peccati vincula infringere, non autem necessaria conferre subsidia, ne imposterum committatur. Quam citò post reconciliationis felicitatem in pristina flagitia relaberetur mortalis, nisi gratia, quæ medicina est vulneribus animæ, non esset quoque iisdem antidotum, nosque pristinæ restituens integritati, non etiam robur, præsidiumque præberet, ut illam contra Dæmonum impetum tueremur? *Dom. Bernardus Theatinorum Superior lib. de Christiana Gratitudine.*

Concil. Afric.

Animæ tepidæ jure dubitare debent, utrum sint in gratia.

Gratia animæ nostræ idem est, quod corpori anima; illius forma est, & ut ita dicam animæ anima. Anima corporis nostri est juge principium actionum vitæ naturalis; gratia in anima nostra esse debet juge principium actionum vitæ supernaturalis. Cum in corpore nullum vitæ naturalis motum inspicio, jure censeo, animam ibi non adesse amplius, ac illud jam diem obiisse. Cum in anima nullum divinæ, ac supernaturalis motum intueor, nonne æquo jure gratiam abesse, & animam jam esse mortuam judicandum est? At ubinam sunt in plerisque Fidelibus vitæ supernaturalis actiones? Anima in Dei servitio iners, ac tepida cor suum inspiciat, suas actiones excutiat; numquid affirmare potest se ne unam quidem invenire quæ verè supernaturalis sit, & cujus Deus sit unicè principium, & finis? Natura, temperamentum, affectus, mores, vanitas, humana ratio nonne actionum omnium principia sunt? Numquid ullam ibi sibi vendicare partem potest gratia? Heu quanta adest dubitandi causa! *P. Nepueu in Christianis Considerationibus. Tomo quarto.*

Homines non intelligunt, quanta felicitas sit Dei gratiam possidere.

Non miror, nos a Deo in tantæ felicitatis ignorantia fuisse relictos, atque in misera hac ambiguitate, utrum verè gratiam possideamus, an careamus eadem: *Nescit homo utrum amore, an odio dignus sit.* O Superi! Si anima quædam se ipsam intueretur in certa gratiæ sanctificantis possessione, ejusque pretium rite intelligeret, possetne vel uno in terris momento vivere, & eodem temporis puncto non mori præ nimia lætitia, cum se propter pretiosum hunc thesaurum locupletiorem cognosceret, quam si ipsa una omnia terræ imperia, omnesque mundos, quos ex nihilo divina educere posset omnipotentia, possideret? Allicine unquam posset, ut terrena hæc deperiret? Haud ita sane. Omnia illi contemptibilia viderentur in comparatione locupletissimi hujus thesauri, quem possideret, Dei sui gratiam adepta. Numquid posset impelli, ut æquo animo thesauri hujus jacturam pateretur, pro ficto honore, & fluxa fragilique voluptate? Hoc autem posito, quod miserè pro inani hac re gratiam amisisset, atque jacturam suam satis cognosceret, nonne summo dolore ad ipsam usque desperationem conficeretur? Ullumne invenire posset solatium! O bone Deus, quanta ast misericordia tua, qua nos ita celare voluisti & nostræ felicitatis excessum, ne præ gaudio vitam cum morte commutaremus, & excessum nostræ infelicitatis, ne nos mœror absumeret. *P. D' Argentan Capuccinus Collatione 12. de Magnalibus Virginis.*

De gratiæ hujus præstantia & ad quam magnitudinem animã attollat.

Gratia, de qua loquimur, & pretiosum donum, quo Deus animæ divinum suum amorem impertit, qui tantam illi pulchritudinem confert, eamque adeo acceptam in ipsius oculis facit, ut donec animam eadem ornatam viderit, ita ejusdem capiatur illecebris, ut, illam non amare non possit; ideoque gratia vocatur, quia animæ decorem constituit, eamque Deo charam præbet ita, ut quò plures gratiæ gradus adepta est, eo illi jucundior accidat. Vocatur quoque sanctificans, fieri quippe nequit, ut anima, a qua possidetur, sancta non sit; sanctitas autem, quam illi hæc gratia confert, adeo illam attollit, ut inter Dei filios adoptetur, æternique Regni ipsius legitima hæres scribatur. Illius possidendi jus habet, atque non hæsitanter dici potest, illud justo titulo ad eam pertinere. Hoc vero mirum est, donec illa sanctificantem hanc possidet gratiam, jus quod ad æternorum bonorum possessionem habet, tale esse tantumque, ut illi auferri non possit; & eam divinæ hæreditatis partem, quam sibi vendicare potest, adeo amplam esse, ut Deus nequeat justitiam cum eadem servare, eique tribuere, quæ ad eamdem pertinent, nisi illam in omnium bonorum suorum, suique etiam ipsius possessionem in omnem æternitatem inducat. *Idem.*

De divina adoptione, quæ per gratiam fit.

Gratia sanctificans non efficit solum, ut inter Dei amicos numeremur, & simus, quæ quidem dignitas est incomprehensibilis; verum etiam ejusdem filios nos facit. Hoccine nonne est infinitam ipsam Majestatem propiùs attingere? Facit inquam nos filios Dei, non autem sterili adoptione, qualis inter homines accidit, quæ in adoptato nihil mutat, cumque nec meliorem facit, nec perfectiorem; sed fœcunda adoptione, filiatione positiva, quæ, ut D. Thomas ait, est imago naturalis filiationis JESU CHRISTI. Aliquidne cum hac dignitate potest comparari? Quid ultra? Non solam per gratiam filii Dei, verum aliquo modo etiam Dii sumus; hæc enim qualitas ejusdem Spiritus Sancti testimonio, & auctoritate nobis tribuitur: *Ego dixi: Dii estis, & filii Excelsi omnes;* quod quidem ex perfecta illa filiatione necessariò consequitur. Si igitur sumus filii Dei propter adeo nobilem Divinitatis imaginem; nonne igitur parvi Dii sumus propter hanc ipsam naturæ ejusdem similitudinem? Adde his, quod vulgò Sancti Patres, & quidam Theologi docent, hanc videlicet elationem, per quam Dei filii sumus, non fieri per solam gratiæ qualitatem, quatenus est imago naturæ divinæ; verum etiam efficere, ut verè possideamus divinitatem, eamque animabus nostris conjungit. Audi, quomodo hac de re Sanctus Cyrillus loquatur: Ad hanc filiorum Dei gloriam evehimur non solum per gratiam, verum etiam per Deum inhabitantem in nobis. *Idem.*

Psal. 81.

Lib. 1. in Joan.

Infelicitas, in quam prolabimur gratiam aliquo mortali peccato amittentes.

Eheu! si scires, peccator, quam jacturam facis, cum per peccatum in te supernaturale hoc destruis donum, & Deum ex corde ejicis, ubi per gratiam morabatur; jure ad te possunt transferri illa Prophetæ Isaiæ verba: *Quomodo cecidisti Lucifer, qui mane oriebaris &c.* Luminibus divinitatis, cujus veluti thronus eras, circumundique emicabas; ac repente immutatus es in extinctum carbonem nullum fulgorem, nullumque calorem habentem. Eras veluti sacrum Templum, quod seipso replebat, atque sanctificabat Deus; modò verò anima tua sedes est dæmonis. Olim te Deus amabat, & tamquam oculorum suorum pupillam diligebat, nunc verò objectum es ejusdem odii, & execrationis. Nonne diligentissimè nobis cavendum est, ne in tantum infelicitatis barathrum decidamus; atque summo nisu contendendum, ut divinum hoc gratiæ donum servemus in nobis, quandoquidem hoc a nobis pendet, & nihil illud invitis nobis præripere potest? *Idem.*

Isaiæ 14.

Ratio fervandæ innocentiæ, & gratiæ.

Mundi commercium magnus est gratiæ scopulos; ideoque illius servandæ ratio est, minus, quam fieri possit, mundo adhærere, magnos cœtus effugere, tot negotiis non impediri, periculosas sodalitates evitare, ac Dei metum numquam abjicere: Sed Fidelium plerique, non solum mundum non vitant, sed requirunt; illum ex animo diligunt, eidem se mancipant. Mirumne debet esse, si gratiam adeo brevi tempore retineant, at tam citò, atque tanta cum facilitate illam amittunt? Quomodo enim inter mundi corruptionem servari potest? Quid ibi videtur, quod non ad hoc de industria factum videatur ad gratiam evertendam? Asservaturne gratia in hominum cœtibus, ubi tot rationibus charitas vulneratur? Asservaturne in honorum ambitu, & perquisitione, ubi justitia ambitioni sacrificatur? Asservaturne inter vana illis placendi desideria, quibus sine noxa nos placere nequaquam posse cognoscimus? Asservaturne inter spectacula, quæ data opera ad id præparata videntur, ut affectus contra rationem, & virtutem roborentur? Numquid gratiæ servandæ ratio est, quotidie in peccandi occasione versari, atque jugiter ob oculos scelerum exempla sibi proponere? *P. Aurelianensis ex parte, Sermone de Conceptione.*

Quænam sit, & esse debeat vita, quam gratia communicat.

Mirabilem gratiæ operationem ignoraremus, si dubitaremus ab illa divinam vitam communicari, & nescitemus vitam Christiani esse vitam ejusdem CHRISTI JESU. Apostolus hanc nobis admirabili ratione significat veritatem in Epistola ad Galatas: *Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Christus.* Cum igitur ait Christianum per gratiam vivere, ne credatur humanam tantummodo, imperfectamque vitam communicare, qualis in Ethnicis, & peccatoribus videtur; vult, JESUM CHRISTUM vivere in nobis, ut sciamus, Christianam vitam prorsus esse divinam, quoniam eadem est ac ipsius JESU CHRISTI. At quæris fortasse quænam sit hæc vita divina? Hoc nos docet S. Chrysostomus illam ostendens in hoc Apostolo, qui, ut Sanctus hic Doctor inquit, sese JESU CHRISTO, ejusque cruci tradiderat, ac voluntatem suam penitus abdicaverat, ut Magistri sui faceret voluntatem. Quibus verbis eximius ille Doctor ostendit, JESUM CHRISTUM non posse vivere in nobis per gratiæ vitam, quin vita nostra sit prorsus divina; sed prætetea docet, vitam hanc divinam non esse, nisi omnia relinquantur, ut JESUM CHRISTUM sequamur, & nisi voluntatibus illius ita nosmet subjiciamus, ut aliam animam, alium spiritum, aliamque voluntatem non habeamus. *Sarazin, Tomo primo Adventus, Sermone de JESU CHRISTO natura nostra reparatore.*

Ad Gal. 2.

Cum gratia animamur, omnes actiones nostræ esse debent divinæ.

Divinam hanc vitam melius intelligemus, si cum Theologis supposuerimus, nos gratia ad actiones divinas attolli. Primo enim actiones semper illius naturam sequuntur, a quo producuntur, cur autem divina fieret essentia nostra, nisi ut divinas actiones produceret? Ad hæc si JESUS CHRISTUS, & Spiritus Sanctus in nobis habitant, ut Apostolus inquit, nonne habitat, ut ibi operetur, ideoque efficiat, ut omnes actiones nostræ ita divinæ sint, ut sunt humanæ? Ad hæc, liquet etiam, actiones sequi naturam principii sui; ideoque opus est, ut actiones verè christianæ sint divinæ, quia Spiritus JESU CHRISTI est earum principium; atque inde sequitur infirmas etiam, maximèque communes actiones semper esse magnas, quia æquè earum auctor est JESUS CHRISTUS, ac aliarum, quæ magis elucescunt. *Idem.*

Satis non possumus agnoscere magnitudinem beneficii, quo cumulamur recipientes gratiam.

Numquam satis dignè animo ac mente concipere possumus, quantum divinæ bonitati debeamus pro adeo inæstimabili dono, quod cum S. Paulo ineffabile, ac inenarrabile possumus appellare: *Super inenarrabili dono*; cum quo, & in quo, cum eodem Apostolo rursus dicere possumus, ipsum omnia nobis donasse, nullis enim pepercit laboribus, lacrymis, doloribus, sudoribus, sanguini, vitæ. Inde etiam hæc gratia particeps est omnium perfectionum Hominis Dei, & æquè ac ipse est via, veritas, & vita, atque, ut verbo complectar omnia, est quoddam veluti JESU CHRISTI compendium, & omnium perfectionum ejusdem cumulus. Ad hæc est nostræ adoptionis caracter, nota, ac titulus, propter quem ad illum pertinemus &c. *Desumptum ex tractatu de scientia gratia Patris le Bossu.*

2. ad Cor. 9.

Quo in pretio a nobis habenda sit gratia, & qua cura servanda.

Ex omnibus bonis, quibus nos cumulat gratia, & ea dignitate, ad quam nos extollit, judicemus, o Christiani, quanti sit a nobis facienda, qua cura servanda, quo zelo augenda; quænam esse debeat nostra constantia, certumque consilium in eo felici statu permanendi, ad quem nos evexit, omnia potius deserendo quæ in terris charissima nobis, & pretiosissima sunt; quia nihil nobis esset in pretio, si cum inæstimabili hoc bono conferretur substantia, honor, vita, valetudo. Hoc nobis vitam confert; hoc thesaurum nostrum constituit, & in hoc unicè constitui debet spes æternæ felicitatis; de hoc tandem æque ac de charitate dicere possumus, quæ ab eadem separari non potest; *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro gratia, quasi nihil despiciet eam. Idem.*

Cantic. 8.

HABITUS.

Peccatum Habituale, Habitus pravi &c.

MONITUM.



Uamvis peccatum habituale cum recidiva, quæ illius causa est, nec non cum mentis cæcitate, & cordis obduratione, qui sunt ejusdem effectus, cohæreat; attamen minime dubitavi, an seorsim pertractandum mihi esset hoc argumentum, peculiarisque de eo titulus instituendus; satis enim superque suppeditat copiæ, ut concio elaboretur. Neque minorem habituale peccatum cum prædominanti affectu, contemptu gratiarum, & Dei derelictione rationem habet; hæc enim omnia possunt attingi, immo difficillimum est, illa prorsus præterire. Concionatoris autem interest hæc simul non confundere argumenta, & illinc ea tantum decerpere, quæ necessaria sunt, ut ostendatur periculum eorum, qui cujuslibet vitii habitum contrahunt, difficultas inde emergendi, & fere inevitabilis ruina, quam secum trahit.

Cæterum argumentum hoc, in quo tot alia concurrunt, insuetum non est; cumque ibi generatim dumtaxat instituendus sit sermo de pravis habitibus, & paucissimi ii sint, qui alicui eorum non sint obnoxii, ita nemo est, qui hinc uberrimum fructum haurire non possit.

Quod

Quod spectat ad Concionis qualitatem, vehemens esse debet, & apta ad terrorem obstinato peccatori incutiendum, itaut ea vincula infringat, quæ ipse sibi efformavit. Ad vivum ob oculos ejus exhibendus est calamitosissimus status, ad quem redactus est; at ne in desperationem inducatur, quò scelerum habitus per se ferre consuevit, admonendus est quid illi faciendum sit, ut illinc evadat, vel ne illac labatur.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Concionum Synopsis hujus Argumenti.



I. Vangelium Lazari, qui postquam quatriduo in tumulo sepultus jacuisset, a JESU CHRISTO suscitatus fuit, ita ad peccatum habituale repræsentandum concinnatum videtur, ut sola paraphrasis ejusdem suppeditare possit & divisionem, & materiam justæ, eloquentique Concioni hujus argumenti. Hoc in Evangelio invenientur rationes validissimæ, ac maximè naturales aptæ ad peccati hujus horrorem ciendum; & quin ne latum quidem, ut ajunt, unguem, a consueto Concionis ordine, formaque recedamus, sermonem in partes duas dividere possumus, in quarum prima ostendamus deplorabilem statum, in quem alicujus vitii, quodcumque illud sit, habitos redigit peccatorem: cujus quidem affabrè depicta occurrit imago in exemplo Lazari quatriduani, ac jam putrescentis: in altera verò difficultatem inde emergendi tam ex parte Dei, quam ex parte peccatoris.

Pars Prior. Status infelix, quò habituale peccatum tandem redigit peccatorem, nobis ab eo statu exhibetur, in quem mors redegerat Lazarum: Qui quidem status lacrymas JESU CHRISTI meruit, ob cujus oculos aliud tristius, ac lacrymis dignius versabatur objectum, mors videlicet peccatorum. Quatuor, vel quinque in rebus institui comparatio potest, quas explicare, fusiùsque amplificare satis est: 1. *Lazarus amicus noster mortuus est*. Mors animæ per peccatum toto cœlo funestior est ea, per quam corpus ab anima separatur, Illud verò peccato habitus addit, 2. quod peccatorem sepelit, vincit, atque alligat linteo, quo cooperitur; ita ut quantumvis mors eidem non abstulisset motum, tamen hic illi auferretur a vinculis, quibus constrictus est, atque circumdatus. Quod peccatorem exhibet valido vinctum habitu, qui nullo motu ad Deum tendere, neque pedem versus illum proferre valet. Præterquamquod ita pravo hoc habitu detinetur, ut ex hac evadere nequeat captivitate, ita subjectus peccati, dæmonisque imperio, qui illum detinent in servitute, ut necessitate quadam scelus patrare cogatur. Hæc autem necessitas, & moralis impossibilitas est explicanda. 3. Lazarus non solum sepultus erat, & alligatus in tumulo, verùm etiam ingenti cippo contectus, itaut licet & vitam, & motum habuisset, ac satis virium, quibus sua infringeret vincula, hoc lapide illinc egredi prohiberetur. Figura indurationis, ad quam tandem habituatos redit peccator, quem nihil amplius movere potest, non minæ, non conscientiæ stimuli, non denique judiciorum Dei cogitatio. 4. Pus, ac fœtor quatriduani cadaveris repræsentat fœtorem, videlicet scandalum, quod habitualis peccator ubique parit, impudentissimè per omnia scelerum genera furens sine verecundia, sine Dei, hominumque metu, quod cordis ejus corruptionem indicat, Dei ab eodem recessum, ac exiguam spem futurum ut, citra miraculum, resipiscat. Verum cum nequaquam omnino sit impossibilis hic reditus, & hæc mutatio, singillatim ad examen revocandæ sunt difficultates, & obices, qui in hoc offenduntur; de quibus in altera parte agendum est.

Pars altera. Hujus mutationis, & resurrectionis ad gratiæ vitam difficultas partim quidem ex Deo, partim oritur ex peccatore, qui in deplorabili hoc statu versatur. 1. Salvator ad summam hanc peccatoris habituati convertendi difficultatem innuendam, se prorsus aliter gerit, ac in aliis duabus resurrectionibus, quæ in Evangelio enarrantur. Infrendit enim, plorat, cippum amoveri vult, Lazarum compellat, ejusque vincula jubet infringi. Quorsum isthæc? Nonne ad vitam illum revocare poterat unica vocula, & voce ea imperiosa, qua Cœlis, terrisque imperabat, omnesque naturæ leges susdeque vertebat? Verum id fecit, ut intelligeremus, ad peccatoris illius conversionem, qui jampridem in peccati habitu volutatur, ab ipso validissimas gratias, ac summam potestatem suam adhiberi. Difficultas altera oritur ex parte peccatoris, qui præjudicia sua debet exuere, studia sua magis valida, atque naturalia infringere, odisse, quod tandiu adamavit, & pietatis, atque mortificationis exercitationi vacare, quam tantopere abhorruit. Quænam tibimetipsi vis est inferenda? majoribus opus est conatibus, gravioribusque considerationibus &c. Hoc autem conjici potest ex S. Augustini exemplo, cujus referri possunt certamina, cunctationes, & resistentia, qua gratiæ obluctatus est. Tandem verò valida exhortatione finis imponendus est, monendo, ut ad id nullus non moveatur lapis, quandoquidem ibi salus, atque æterna felicitas agitur.

II. Pravus habitus, quem in aliquo vitio contraximus, maximum est nostræ conversionis impedimentum; est enim catena ex plurimis annulis contexta, quæ nonnisi summo conatu, ideoque gravissima cum difficultate potest infringi. Hac dæmon in peccati servitute constrictos nos detinet; & ut verbo me expediam, satis innotescit quantum ægrè ab iis divellamur, quibus diuturno habitu adhæsimus &c. 2. Hinc oritur necessariò pravum habitum certissimum esse, ac moraliter infallibile nostræ reprobationis argumentum; cum enim nos in quamdam resipiscendi impossibilitatem inducat, nos ad finalem impœnitentiam deducit, quæ spem quamlibet aufert.

III. 1. Habitus peccati opponitur misericordiæ Dei, si suas amovet gratias, ac peccatorem tandem proprio derelinquit consilio: 2. Præsentissima, ac validissima rejicit remedia, videlicet metum judiciorum Dei, conscientiæ stimulos, cœli minas, monita, saluberrimasque increpationes, & quidquid majorem vim in aliis peccatoribus obtinere consuevit. 3. Opponitur omnibus conatibus, quos infirmata voluntas exerere consuevit, ut ex hoc statu emergat, eosque ut plurimum irritos facit.

IV. 1. Peccatores, qui aliquem in peccato habitum contraxerunt, ne suam quidem sentiunt calamitatem, etenim ignorant illam, ejusque effectus non prævident. 2. In quamdam impotentiæ speciem adducuntur, ut sincere vitam mutare, & sese convertere nequeant. 3. Fiunt pertinaces, & obstinati in scelere suo; & nihil eos movere, & flectere potest.

V. 1. Quicumque pravum induit habitum, ubi voluerit, non abjicier illum. 2. Si difficilius est, quàm putatur, illum abjicere, ubi contrahi cœpit; non ita difficile est, uti credere nonnulli volunt, illum exuere, ubi semel fuerit contractus. *P. De la Colombiere Serm. 64.*

VI. Habitus generatim in duobus consistit. Primò quidem in quadam agendi facilitate, uti in omnibus artibus, & quibuscumque difficillimis rebus videre est, quas tempus, & usus faciles reddunt.

2. in

2. in summa difficultate habitum relinquendi, quod unusquisque in se facile experitur; ægerrimè id relinqui, quod diligitur, vel cui diu consuevit. Hoc autem in peccati habitu apertius innotescit.

1. Facilitatem tribuit peccandi; propterea quod peccator habitualis in oculis Dei fit horroris, & abominationis objectum. 2. Summam adfert difficultatem habitus ejusdem relinquendi; quod causa est reprobationis propter quamdam necessitatis, & moralis impossibilitatis speciem, quæ efficit, ut peccator in eo statu perseveret, atque moriatur. Hinc quidem facilitas, inde verò difficultas, duo verba; totam Concionis partitionem constituunt. *Ex Auctore Sermonum in omnia Ethica Christiana argumenta. Sermone pro feria sexta post primam Quadragesima Dominicam.*

VII. 1. Peccati contrahentes habitum in eo magis, magisque irretimur, atque demergimur, peccata peccatis in infinitum agglomerantes. 2. Nobismet intercludimus omnes vias ex infelicissimo hoc statu emergendi, resistentes cœli afflatibus, & gratiis Dei, quarum vis, numerusque decrescit pro, ut contemnuntur a nobis.

VIII. Hominis in habituali peccato salus toto cœlo metuenda magis est, quam speranda,

1. Quia illi difficillimum est ex eo statu emergere; infirmior est enim, ac minora habet subsidia.

2. Quia in peccato magis pertinax, & induratus est, neque illum vult relinquere.

IX. 1. Pravus habitus quamdam peccati necessitatem inducit. Hæc necessitas ponderanda est ex S. Bernardi sententia, verbisque explicanda. 2. Hæc necessitas non est excusatio, & legitimus coram Deo prætextus; econtra verò multò magis peccatum auget, & amplificat.

X. Duo sunt omninò necessaria ad cor hominis immutandum, atque convertendum; scilicet gratia peccatorem præveniens, atque sollicitans; & voluntas ejusdem peccatoris gratiæ sollicitanti obtemperantis. Hoc posito:

1. Moraliter impossibile est, quod gratia peccatorem habituatum mutet, atque convertat. 2. Moraliter impossibile est, quod peccator mutet voluntatem. Obvia sunt argumenta.

XI. Cum habitus sit secunda natura priori insita, inde sequitur,

1. Quod naturaliter fit, constanter, eodemque semper pacto fieri; ideoque peccator, ubi semel habitum induerit, semper peccabit. 2. Quod naturaliter fit, facile fieri, non ægrè, & qualibet in occasione; ideoque qui peccandi habitum habet, in qualibet occasione peccabit, ac sese infinitis sceleribus polluet. 3. Quod naturaliter fit, ad finem usque persistere, & nonnisi extrema vi posse prohiberi; ideoque talis peccator certissimè in suo peccato morietur.

XII. 1. Pravus habitus efficit, ut peccator ferme se convertere nequeat. 2. aufert naturalem peccandi verecundiam; quo obice semel perfracto, in omne scelus proruitur. 3. aufert metum suppliciorum, quæ peccatum sunt subsecutura, ideoque impune peccari posse existimatur.

XIII. Tres sunt illusiones, quibus ut plurimum peccator in habituali peccato seipsum fallit.

1. Putat peccatum levius esse, ejusque gravitatem habitu imminui.

2. Ad veniam obtinendam satis esse simplicem furentis hujus habitus abnegationem, quin ullus conatus exeratur ad illum infringendum, superandumque.

3. A se uno pendere, ubi voluerit, habitum abjicere, qua in re decipitur.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest ad propositas Concionum structuras exornandas.

Sanctus Augustinus, *lib.* 8. *Confess. c.* 5. describit labores a se exantlatos, ut habitum, quem per juvenilem licentiam contraxerat, superaret. Sancti Patres.

Idem, *Tract.* 49. *in Joan.* de Lazari resurrectione loquens ex eo modo, quo Dei Filius magnum illud miraculum est operatus, ostendit difficultatem convertendi peccatorem, qui in scelere occalluit.

Idem tractatu eodem, & in eodem Confessionum libro docet, quomodo peccati habitus fiat.

Idem, *libro de Continentia*, ostendit peccatum per habitum pravum in nos dominari.

Idem, *in Psal.* 84. hæc explicans verba: *Avertisti captivitatem Jacob*, docet nobis optandum esse ut a captivitate peccati, cui per habitum subjicimur, liberemur.

Idem, *Tract.* 41. *in Joan.* docet quam dura sit peccati servitus, cui nos subjicit habitus.

Sanctus Ambrosius *in Psal.* 1. ostendit fere impossibile esse malum habitum eradicare.

Sanctus Cyprianus *lib.* 2. *Epistol. Epist.* 2. de se ipso loquens ait, se credidisse omnino impossibile esse inveteratum habitum relinquere, sed aliter propria experientia didicisse.

Sanctus Hieronymus in hæc verba Job cap. 2. *Ossa ejus implebuntur vitiis adolescentiæ ejus*, ostendit quomodo in senectute minimè corriguntur habitus, qui ab adolescentia inoleverunt.

Sanctus Gregorius, *lib.* 30. *Moral.* explicans hæc verba Job cap. 39. *Quis dimisit onagrum liberum, & vincula ejus quis solvit?* docet, quænam sit servitus eorum, qui affectibus suis parere didicerunt.

Sanctus Chrysostomus, *in cap.* 4. *Actuum Apost.* ostendit ad malum habitum corrigendum opus esse habitum contrarium acquirere.

Idem, *lib.* 3. *contra vituperat. Vitæ Monast.* ostendit, quanta sit difficultas vitiosi habitus corrigendi; quam veritatem iterum docet Homil. 7. in primam ad Corinthios Epistolam.

Idem, *Homil.* 10. *in Epist. ad Roman.* docet quomodo pravus habitus possit infringi, hoc est paulatim adnitendo.

Cassianus, *Coll.* 12. *cap.* 5. docet optimam habitus mali vincendi rationem esse contrarios habitus passim exercere.

Sanctus Bernardus, *Serm. de* 7. *donis*, hanc adferr medicinam, sapientem videlicet, expertumque virum consulendi, ejusque consilia sequendi.

Idem, *Serm.* 1. *in Cant.* ostendit quomodo habitus efformetur, ut fiat quædam species necessitatis, quæ tamen a peccato minimè excusat.

Alphonsus Rodriguez, *lib.* 1. *Tract.* 2. *cap.* 7. docet quanti referat, statim bonos habitus efformare. Ascetici aliique.

P. Chabu libro, qui inscribitur, Prædestinationis secretum, Tractatu de relapsu in peccatum fusiùs verba facit de habitu, qui per peccatum contrahitur.

Idem in libro, cui titulus, Salutis Scientia, *cap.* 4. *art.* 4. docet verum delendi peccati rationem esse illius habitum delere.

Idem in libro eodem, *puncto tertio Meditationis, ubi agitur de cognoscendo utrum per motum appetitus vivamus*, loquitur de vitiosis habitibus, quos contraximus.

Sancta Theresia sub finem cap. 40. vitæ suæ a se conscriptæ describit miserum animæ statum jam diu in peccato viventis.

P. Antonius de Sancto Martino a Porta ex Carmelitarum Familia in libro, cui titulus: *Les Conduites de la Grace*, Tractatu quarto, ubi loquitur

quitur de cursu, & progresso peccati, docet habitum peccati in periculum adducere, ne peccator se umquam convertat.

P. le Bossu libro de usu Gratiæ, *Tomo* 2. *cap.* 3. *sect.* 4. ostendit, nos in habitu peccati Dei gratiis abuti.

Idem de eodem argumento loquitur etiam cap. 12, ejusdem tomi sect. 3.

Recupitus *signo* 1. *Prædestinat.* docet quam facilitatem peccandi pravus habitus tribuat.

P. Nepuen Tomo quarto Considerationum Christianarum, ostendit pravi habitus exuendi difficultatem.

P. Gegou libro, cui titulus, Usus Sacramenti pœnitentiæ.

Concionatores Nuperi.

Henricus Engelgrave *in Luce Evangelica Dom.* 3. *Quadrages.* loquitur de habitu peccati, præsertim verò §. 3. ubi docet, illum nihil de peccati gravitate imminuere.

Stapletonus *Domin. Sexagesimæ Textu* 2.

Qui autem integras hujus argumenti Conciones habuere, hi fere sunt.

P. De la Colombiere Serm. 64.

Biroat, Serm. pro feria 6. post quintam Quadragesimæ Dominicam.

De la Vulpilliere.

P. Giroust, Sermone pro feria 5. post tertiam Quadrag. Dominicam.

La Font, Tomo 4. Ecclesiasticorum Sermonum pro 18. post Pentecosten Dominica.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta Tomo 1. Quadragesimæ Sermone pro feria 6. post primam Dominicam.

P. Texier Serm. pro 11. post Pentecosten Dominica.

In Sermonibus, qui sub nomine P. Bourdaloue circumferuntur, Sermo pro feria sexta post Dominicam 4. Quadragesimæ plura habet de habituali peccato.

Qui collectanea ediderunt.

Ludovicus Granatensis.
Busæus, *in Panario.*
Labatha, *in Thesauro.*
Lohner, *in Biblioth.*
} Tit. *Consuetudo.*

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Applicationes Scripturarum huic Argumento.

INiquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur. Prov. 5.

Adolescens juxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea. Prov. 22.

Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me. Psalmum 37.

Funes peccatorum circumplexi sunt me. Ps. 118.

Eripe me de luto, & de profundis aquarum. Psal. 68.

Impius, cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit. Prov. 18.

Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, & non intrent in justitiam tuam. Psal. 68.

Ossa ejus implebuntur vitiis adolescentiæ ejus, & cum eo in pulvere dormient. Jobi 20.

Lapides excavant aquæ, & alluvione paulatim terra consumitur. Jobi 14.

Qui bibunt quasi aquam iniquitatem. Jobi 15.

Languor prolixior gravat medicum: brevem languorem præcidit medicus. Eccli. 10.

Qui relinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebrosas: qui lætantur cum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis. Prov. 2.

Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum. Isaiæ 5.

Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate. Isaiæ 1.

Peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt. Isaiæ 3.

Solve vincula colli tui, captiva filia Sion. Isaiæ 52.

Confusi sunt qui abominationem fecerunt, quinimò confusione non sunt confusi, & erubescere nescierunt. Jerem. 8.

Curavimus Babylonem, & non est sanata: derelinquamus eam. Jerem. 51.

Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas: & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum. Jerem. 13.

Sicut fuit sensus vester ut erraretis à Deo: decies tantùm iterùm convertentes requiretis eum. Baruch. 4.

Venundati ut faciant malum. 1. Machab. c. 1.

Amen, amen dico vobis; quia omnis, qui facit peccatum, servus est peccati. Joan. 8.

Thesaurizas tibi iram in die iræ. Ad Rom. 2.

Liberati à peccato, servi facti estis justitiæ. Ad Rom. 6.

Ut destruatur corpus peccati, & ultra non serviamus peccato. Ibidem.

Non quod volo bonum, hoc facio; sed quod nolo malum, hoc ago. Ad Rom. 7.

Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Ibidem.

Qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis. Ad Ephes. 4.

State, & nolite iterum jugo servitutis contineri. Ad Galat. 5.

A quo quis superatus est, hujus & servus est. 2. Petri, cap. 2.

Exempla ex veteri, novoque Testamento desumpta.

Discrimen inter Israelitas, & Ægyptios eidem Pharaonis servituti subjectos.

INter eos, qui ex fragilitate, & qui ex habitu peccant idem intercedit discrimen, quod Ægyptios inter, & Israelitas eidem Pharaonis tyrannicæ subjectos dominationi. Ægyptii servituti subjecti illam patienter, & sine querela ferebant, & catenas suas infringere ne adnitebantur quidem, Israelitæ e contra pristinæ libertatis non obliti indesinenti ejusdem desiderio flagrabant; & nonnisi ægerrimè gravibus, quæ sibi a barbaro Principe imponebantur, oneribus sese subjiciebant: Quod indicio est, Origenes ait, Ægyptios malis suis assuetos semper in servitute sua permansuros; e contra verò Israelitas, ubi sese primum occasio obtulisset, Pharaonis jugum excussuros, atque modum catenas suas infringendi conquisituros. Hæc fidelis est imago ejus discriminis, quod inter duplex peccatorum genus, de qua verba facio, intercedit. Cum fidelem intueor, qui fallacibus peccati illecebris captus conscientiæ suæ stimulis angitur, status sui miseriam intelligit, ac Dei judicia expavescit; ajo in eodem aliquid vitæ adhuc superesse, eumque posse quamprimum ad se reverti catenas suas infringendo, & a peccati via recedendo. Sed cum hominem video in peccatis inveteratum, haud hæsitanter sese in illis volutare, assero metuendum esse, ne in eo statu moriatur.

Samson figura est peccatoris habitu peccati vincti.

Luctuosum procuIdubio spectaculum erat, Samsonem in Philistinorum acerbissimorum inimicorum ejus positum captivitate. Incompatabilis hic vir, cui Cœlum adeo mirabile robur contulerat, ut solus hostiles copias deleret, Urbes expugnaret, leones discerperet, post infinita, quæ in omni vita operatus est, portenta, indigne molam versare coactus fuit, factus eorum ludibrium, de quibus toties retulerat triumphum. Nulla inveniri potest aptior imago peccatoris valida habitus vi crimini inhærentis, Poterat ille quidem statim sua vincula infringere eadem facilitate, qua Samson, antequam capilli eidem resecti fuissent, in quibus tota vis ejus posita erat; & fortasse ipse etiam uti Samson sperabat satis futurum esse, si sese excuteret, ut se iisdem expediret: *Egrediar sicut ante feci, & me excutiam.* Verumtamen nescit Deum Judic. 16.

abs

abs se recessisse, seque potenti ejusdem gratia, ut antea, adjuvari, atque ita infirmatum, excæcatumque veluti recentem Samsonem nequaquam evasurum ea, qua crediderat, facilitate. *Nesciens, quod recessisset ab eo Dominus.*

Salomonis exemplum.

Nemo repente fit pessimus. Virium suos habet gradus, per quos in sceleris abyssum descenditur, uti virtus etiam suos, per quos ad altiorem perfectionis apicem ascenditur. Habitus enim non coalescit repente, sed per iteratos actus efformatur. Salomon, exempli gratia, illud sapientiæ miraculum, illa mens altissimis Cœli luminibus illustrata, ille tandem Princeps, qui populorum omnium in se admirationem converterat, quomodo factus est idololatra eò usque, ut ille unus plura idolis delubra, quam omnes simul Reges successores illius, ædificaverit? Dubitandum non est, quin minus re adhuc integra hoc scelere sese fœdare perhorresceret, & Dei timor, qui omnis sapientiæ principium est, ut ipse ait, sese illius animo offerret, illum de proposito deturbaturus: sed postquam turpi amore victus jussit ædificari templum idolo unius ex pellicibus suis, hoc vallo, quod illum prohibere debebat, semel perfracto, gratiam eamdem reliquis etiam concubinis suis concessit, & qui mortalium sapientissimus erat, factus est insanissimus. Paulatim huic cultui assuevit, ejusque horrorem cum Dei timore amisit, qui nullam amplius obtinuit vim in corde illius, qui scelerum omnium nequissimum sibi in habitum traduxerat, quod utrum umquam abjecerit, ignoratur.

Pharaonis exemplum.

Pharao post peccatum suum ultro sibi effoderat oculos. Deus, & peccatum simul pugnabant; peccatum quidem habitu, Deus verò miraculis. Deus illi aperiebat oculos visibilibus prodigiis; quæ operabatur; peccatum verò hæc eadem exteriora prodigia in interiorum tenebrarum suarum causam convertebat; ita, Sanctus Augustinus inquit, ut miser hic Princeps peccatis suis obrutus, longa in malo perseverantia excœcatus sibimet traditus, meritus fuerit, ut Deus illum induraret; seque ille in obstinatione sua confirmaverit per easdem pœnas, quæ illum ad officium revocare debebant: *Pharao pro ingenti cumulo peccatorum suorum, non tamquam filius ad emendationem suam meruit corripi, sed tamquam hostis permissus est indurari.* Quo magis Deus oculos illius visibilibus signis perstringebat, eò magis ille mentis oculos claudebat, atque ita peccando assueverat, ut neque insectorum nebulæ, neque sanguinis fluvii, neque tenebræ in universam Ægyptum effusæ satis virium ad illius conversionem haberent.

Jerosolymæ vastitas, & captivitas imago est animæ peccato habituali fœdatæ.

Triste quidem erat, ac Jeremiæ Prophetæ lacrymis satis dignum, videre urbem quæ olim erat Paradisi imago, tot potentium Regum sedes, tot Prophetarum domus, atque Religionis Sanctuarium; videre inquam urbem hanc in crudeli captivitate squalentem, omnibus opibus suis exutam, vastatam, direptam, dedecore effectam, atque in generali tumultu trepidantem. Verum dicere possum hanc debilem esse ejus animæ figuram, quæ in peccati servitute ex longo habitu concepta versatur; anima hæc, quæ Dei opus est, & perfectionum ejus imago; anima hæc, quæ pretium est totius Sanguinis JESU CHRISTI; anima hæc, Spiritus Sancti sponsa peccati captiva est; tyrannus iste illam omnibus gratiæ ornamentis spoliavit, eamque dæmonum ludibrium, & creatarum rerum omnium contemptum effecit. Eheu, quam potiori jure dici posset de anima hac, quam de Jerusalem: *Facta est quasi vidua domina Gentium; princeps provinciarum facta est sub tributo.*

Thren. c. 1.

Lazari exemplum.

Dei Filius summam illam difficultatem, qua peccator habitualis ad conversionem redigitur, in Lazari resurrectione voluit ostendere. Status hujus miseriam considerans ploravit, infremuit, turbatus est. Horribilis status, qui efficit, ut JESUS CHRISTUS infremat, ac turbat illum, qui venerat, ut Sanctus Paulus ait, & Cœlo, & terræ pacem allaturus! Verum si infrendit, atque turbatur, hoc facit, ut & nos fremere, atque turbari discamus. Quod nobis videtur jocus, voluptas, solatium, terribile monstrum est, quo nisi perterremur, hoc accidit, quod mens nostra incomprehensibili cæcitate caligat. JESUS CHRISTUS Lazarum clara voce appellat, ut innuat peccatores a Deo quàm longissime abesse; postquam illum vocavit, resuscitat adhuc vinctum, quia animæ post gravia peccata suscitatæ plurimis adhuc vinculis, alligantur, quæ nonnisi ab Ecclesiæ ministris sunt dissolvenda. Lazarus, qui jam quatriduo jacuerat in tumulo, per se illinc egredi non potest, neque vel minimum suspirium emittere ad Domini misericordiam poscendam, qui eidem, & vitam, & libertatem poterat conferre; ingemiscat Salvator, oportet, effundatque lacrymas, ut illum educat de sepulcro. Quæ quidem insensibilitas longè funestior in peccatoribus est, quod diutius in peccatis suis permanserunt. Oportet, ut Dominus illos præveniat, ipsorum illis ostendat mala, sensuum eorumdem defectibus suppleat, atque eorum salutem deposcat eò enixius quo magis ipsi mala sua sentire non possunt, neque, uti par est, æquum eorum dolorem concipere.

Aliæ nonnullæ habitualium peccatorum figuræ.

Non desunt aliæ in Evangelio peccatoris, qui sceleris sui habitum contraxit, figuræ. Hujus generis est Paralyticus, qui duodequadraginta annis secus Piscinæ oram elanguerat, quin hominem invenire posset, a quo salutaribus immergeretur aquis eo momento, quo Angelus ad eas turbandas descenderat; itaut omnipotenti JESU CHRISTI operatione opus fuerit, ut curaretur. Ejusdem est etiam ille, qui a dæmone muto obsidebatur, quem Apostoli ejicere nequiverant, quemadmodum reliquos omnes sibi oblatos expulerant; nam, ut Salvator inquit, hoc dæmoniorum genus non ejicitur nisi in oratione, & jejunio. Illud verò apertiùs ostendit hanc esse habituati peccatoris imaginem, quod cùm Dei Filius ex hujus energumeni patre fuisset percontatus, ex quo tempore homo ille ab improbo spiritu torqueretur, hic *ab infantia* respondit. Heu quot ab ipsa infantia pravos habitus suscepere; alii quidem parandi, alii mentiendi, alii obtrectandi. Hæc deinceps peccata sunt, quæ difficillimè abjiciuntur, quia ab ipsis usque incunabulis ea consuetudo inolevit.

Habitus avaritiæ Judam eousque impellit, ut Dominum, Deúque suum vendat.

Inde Judam tantum scelus patrasse, atque ex Apostolo proditorem, & apostatam factum fuisse certò scimus, quia primum avaritiæ affectum sibi passus est dominari: *Fur erat, & loculos habens.* In usus suos convertebat pecuniam, quæ illi asservanda tribuebatur, ut in pauperum necessitates erogaretur. Affectus hic adeo crevit, & paulatim in corde ejus altè adeo radices jecit, ut illum tandem eo usque excæcaverit, ut nihil aliud cogitaret, quam opes congerere cum ipsa conscientiæ jactura, ita ut cum primum quidem parvum aliquid suffurari consuevisset, ubi majoris lucri sese obtulit occasio, ad objecti adspectum percrebuerit tentatio, atque indignè ferens, se frustrari pretio unguentorum, quæ Magdalena super JESU CHRISTI pedes effuderat, eo usque cupiditate sua raptus fuit, ut jacturam hanc pretio Sanguinis, & vitæ Domini, & Salvatoris sui reparare voluerit.

Quorumdam locorum Applicationes.

Pravum habitum relinquendi ferme insuperabilis difficultas.

N*E absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum. Psalm. 68.* Habitus, qui in peccato contrahitur, Sanctus Gregorius inquit, est veluti os, quod obstruitur, & quod semel obstructum integrum non relinquit amplius homini ex hoc emergere statu. Ideoque David enixe rogans Deum ajebat; *Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum.* Domine, & peccatis meis ultionem, quæcumque tibi libuerit, cape;

rape; at ne permittas, ut aquis suis tempestas me obruat, vel me mare degluțiat, vel puteus os suum claudat supra me; si hoc enim accideret, ad quem lugubrem statum redigeret?

Non est adeo difficile habitualis peccati vincula infringere.

Solve vincula colli tui, captiva filia Sion. Isaia 52. Filia Sion, anima christiana, infringe compedes tuos, & ex carcere egredere. Si forte in laqueos incidit, vel si constringitur catenis, nihil non conatur, ut illinc evadat, numquid unus rationalis homo sibi in vinculis, manicisque suis sibi complaceat? Anima christiana, nihil tibi facilius quam crudele peccati jugum excutere; te hoc velle satis est, Deus tuus præsto est, ut te liberet; ad id non aliud, quam consensum tuum præstolatur. Eheu! si captivi qui sub catenarum suarum pondere gemunt, se pari facilitate liberare possent; si libertas eorum ex ipsorum voluntate penderet, quamprimum eorum ferrei compedes, manicæque infringerentur. Quid autem? Numquid animæ tuæ libertas tibi minus chara, quàm corporis est? Ibi ergo, humiliter temet ad pedes Ministrorum JESU CHRISTI prosterne; sine, liberent te, atque in eum statum redigant, quo ad illum redire valeas: *Solve vincula colli tui, captiva filia Sion.*

Peccator malis habitibus suis vinctus est.

Iniquitates sua capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur. Proverb. 5. Hac loquendi ratione Spiritus Sanctus voluit innuere, quodlibet peccatum singillatim simile esse funi, & plura peccata alia aliis superaddita efficere vinculum ingens ex pluribus minoribus vinculis contextum. *Iniquitates sua capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur.* In quem Proverbiorum locum hæc Beda: *Qui funem facit, torquet semper, & involvendo fila filis adauget; talis est fortitudo malorum operum*; peccator enim ubi plura simul peccata congessit, sese inde expedire non potest.

Pravi habitus evertendi moralis impossibilitas.

Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas; & vos poteritis benefacere tum didiceritis malum. Jerem. 13. Spiritus Sanctus innuere voluit rem novam æque, & inauditam esse quod qui firmum, validumque peccati habitum suscepit, redeat ad frugem perfecta vitæ mutatione, ac in natura inauditum est, quod Æthiops albescat, & pardus vellus suum variis imbutum coloribus in aliud unius tantum, perpetuique coloris immutet; peccatum enim, ex ejusdem Prophetæ sententia, nigredo est animam coinquinans, & macula peccatoribus inusta, ut alibi loquitur: *Maculata es in iniquitate tua coram me.* Itaque peccata peccatis accumulare, quod habitus facit, idem est ac recentem inducere nigredinem animæ peccatorum, & maculas superaddere maculis, quibus per anteactæ vitæ scelera sese turpiter fœdarunt.

Jerem. 2.

Per habitu peccati coacervatur iræ thesaurus.

Sanctus Augustinus animadvertit, hujus vitæ tempore Deum, & peccatorem suum quemque acervare thesaurum. Quinam est thesaurus Dei? Thesaurus est misericordiæ pro iis, qui non offendunt ipsum; thesaurus est bonitatis, pro illis, qui postquam peccaverunt, agunt pœnitentiam, & mox eidem fideliter famulantur. Animæ justæ, ac pœnitentes hic vester est thesaurus. Verùm quemnam thesaurum peccator acervat? in se quidem thesaurum iniquitatis, in Deo verò iræ thesaurum; quia dies qualibet aliquid addit huic thesauro; & quomodo habitus facit, ut nova semper committantur peccata, indesinenter hunc thesaurum adauget: *Thesaurizas tibi iram in die ira.*

Ad Rom. 2.

Non est difficile habitum pravum eradicare, ubi altàs jecerit radices.

Vidi stultum firma radice, & maledixi pulchritudini ejus. Jobi 5. Si Scriptura passim pro fatuo peccatorem intelligit, dicere possumus, peccatorem hunc arbori similem esse, cujus quidem radices exiguæ, ac tenellæ sunt, ideoque facile evellendæ, ubi non ita pridem Deum offendere cœpit, quemadmodum accidit in radicibus arboris nuperrimè consitæ; quæ haud ægrè evelluntur, quia parvæ sunt, & paucæ, & nondum in terram altiùs defixæ; sed ubi illas sensim enutriit tellus, paulatim increscunt, multiplicantur, figuntur, atque ita roborantur, ut nonnisi sævissima procella possit arbor extirpari. Hoc accidit peccatori. Initio quidam facile converti poterat; ejus in malum studia, & peccati affectiones neque tot erant, neque tantæ, neque adeo in terram defixæ; sed post aliquot perseverantiæ annos affectiones ipsæ increbuerunt; studia confirmata sunt, itaut ad eum convertendum validissimæ Cœli inspirationes sequirantur.

Peccator, qui habitũ contraxit, certo videtur in peccato suo moriturus.

In quocumque loco (arbor) *ceciderit, ibi erit. Eccles.* 11. Sed quanam ex parte cadere consuevit arbor, nisi ex ea, in quam pendebat? Hoc omnibus peccatoribus metuendum est. Hi sunt proceræ arbores terræ succo enutritæ, caput in Cœlum per superbiam tollentes, & circumundique ramos suos, videlicet possessiones suas, protendentes. Arbor hujusmodi non semper stabit; ictu mortis percussa seriùs, ocyùs concidet. Sed quanam ex parte sterilis hæc arbor decidet? Ea sane ex parte casura videtur, in quam maximè pendet. Habitus in peccato susceptus, propter quem inclinat, efficiet, ut in eam partem cadat; morietur igitur in habitu peccati.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus Argumenti.

L*igatus eram, non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate.* August. l. 8. Confess. c. 5.

Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me. Idem, ibid.

Ex voluntate perversa facta est libido, & dum servitur libidini, facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Idem, ibidem.

Plus valebat in me deterius inolitum, quàm melius insolitum. Idem, c. 12.

Reformidabam quasi mortem consuetudinis mutationem. Idem, c. 7.

Lex peccati, est violentia consuetudinis, qua trahitur etiam invitus animus. Idem, lib. 8.

Cogitationes quibus meditabar in te, similes erant conatibus expergisci volentium, qui tamen superati soporis altitudine, remerguntur. Idem, ibidem.

Adhuc obligatus impedimentis omnibus, sic timebam expediri, quemadmodum impediri timendum est. Idem, ibid.

Retardabant me nugæ, cùm diceret mihi consuetudo, putasne sine istis vivere poteris? Idem, ibidem.

Tantò ampliùs in voluptate superanda voluntas laborat, quantò ei majores vires consuetudo dedit. August. lib. 6. contra Julian. c. 7.

Vincere consuetudinem dura est pugna. Idem, in Psalm. 30.

Peccata quamvis magna & horrenda, cùm in consuetudinem venerint, aut parva esse, aut nulla creduntur; usque adeò, ut non solùm non occultanda, sed etiam prædicanda diffamandaque videantur. Idem, in Enchyrid.

Moles imposita sepulchro ipsa vis est consuetudinis, qua premitur anima, nec resurgere, nec respirare permittitur. Idem, sup. Matth. Homil. 45.

Consuetudo quasi secunda & affabricata natura. Idem, lib. 6. de Music.

Solet recta opinio pravam corrigere consuetudinem, & prava opinio rectam depravare naturam. Idem, lib. de Doctr. Christ.

Difficultatem quandam ostendit tibi, infremuit spiritu; ostendit multo clamore objurgationis opus esse ad eos, qui consuetudine duruerunt. Idem, in Evang. de Lazaro suscitato.

Omne peccatum consuetudine vilescit, & fit homini quasi nullum sit. Idem, lib. 50. Homil. Hom. 28.

Obduruit jam animus, & dolorem perdidit. Idem, ibidem.

Est

Est mertis genus immane, mala consuetudo appellatur. Idem, Tract. 49. in Joan.

Difficulter eraditur quod rudes animi perbiberunt. Hieron. Epist. 7.

Malum non natura, sed nimia consuetudine, & amore peccandi firmatum, sic ut in naturam conversum videatur. Idem, in Jerem. 13.

Quasi quibusdam clavis suffigitur anima corporis voluptatibus, actuum enim suorum laqueis vincta, & deliciarum sæcularium illecebris obnoxia jam tenetur. Ambrosius.

An ignoratis quantam vim habeat consuetudo peccandi, ut excludat naturam? Idem, in Psalm. 1.

Cùm culpa in usum venerit, ei jam animus, etiamsi appetat, debiliùs resistit, quia quot vicibus prava frequentationis adstringitur, quasi tot vinculis ad mentem ligatur. Gregor. lib. 4. Moral.

Usitata culpa obligat mentem, ut nequaquam surgere possit ad rectitudinem: conatur & labitur, quia ubi sponte persistit, ibi cùm noluerit, coacta cedit. Idem, Homil. 31. in Evang.

Tenent prava consuetudines quem semel ceperunt, atque quotidie duriores existunt. Idem, lib. 15. Moral.

Quanam angostia est, à mala consuetudine exurgere velle, nec posse? Jam desiderio ad superna tendere, sed adhuc actu in infimis remanere; praire corde, nec sequi opere, atque a semetipso contradictionem perpeti. Idem, l. 26. Moral.

Sunt qui luxuriem corporis nec albenti erubuere canitie, & usque ad senectutis ætatem vitam produxere maculosam. Ambr. in Psal. 1.

Impii funibus peccatorum suorum constringuntur, cùm incessabili augmento sua pravitatis intereunt; qui funem facit torquet semper, & involvendo fila filis adauget, talis est fortitudo malorum operum. Beda in Procem. c. 5.

Permolestum est, & vix toleratu possibile vel ipsis brutis amoveri à consuetudine. Basilius, Homilia 5.

Consuetudo vetustate firmata natura vim solet nancisci. Idem, in regul. fusiùs disput. quæst. 6.

Non parvus est labor ut se aliquis à priori non bona consuetudine reflectat & revocet. Ibidem.

Assidua consuetuda vitium in naturam convertit. Isidor. lib. 1. Soliloq.

Magna est consuetudinis tyrannis, adeòque magna, ut perinde cogat ac natura. Chrysost. Hom. 7. in c. 4. Epist. 1. ad Corinth.

Primò tibi videbitur aliquid impossibile, processu temporis, non judicabis adeò grave, paulò post & leve senties. Bernard. l. 1. de Considerat.

Si res per consuetudinem, per incuriam venerit, vulneri vetusto & neglecto callus obducitur, & eo fit insanabile, quo fit insensibile. Idem, ibid.

Quem ligat consuetudo, indifferenter illicitis pro licitis utitur. Idem ibid.

Concupiscentia reviviscente sopitur ratio, ligat consuetudo, trahitur miser in profundum malorum, & traditur captivus tyrannidi vitiorum. Idem, ibidem.

Miserabilis fragilitas, sine pruritu concupiscentia, sine impetu desiderii, sola consuetudine trahitur ad illicita. Idem, ibid.

Ultimus gradus appellari potest consuetudo peccandi, quia Dei metus amittitur, contemptus incurritur. Idem, ibid.

Quis magis mortuus eo, qui fovet ignem in sinu, peccatum in concupiscentia, nec sentit, nec expavescit, nec excutit. Idem, Serm. 2. de Resurrect.

Nescio quo pravo & miro modo ipsa sibi voluntas in deterius mutata necessitatem facit, ut nec necessitas cùm voluntaria sit, excusare valeat voluntatem, nec voluntas cùm sit intellecta, excludere necessitatem. Idem, Serm. 81. super Cantic.

Sunt aliqui, qui quasi cute quadam, sic aliqua prava operti, & quasi involuti consuetudine vitiorum, ut illam dediscere, non tam sit spoliari, quàm excoriari. Idem, Serm. 9. in Cantic.

Sepultura aggere premitur, qui in perpetratione nequitia, etiam usu consuetudinis gravatus premitur. Idem.

Solutus est ad mandatum Domini, qui antea tenebatur, aut non valens, aut non volens benefacere, aut utroque fortiùs vincula alligatus nec volens scilicet, nec valens. Idem, Serm. 3. de Lazaro suscitato.

Grave est assueta dimittere; sed gravius est contra propriam voluntatem ire. Libro de Imitation. Christ. cap. 11.

Actus peccandi crebrò iteratus consuetudinem parit, consuetudo parit quasi agendi necessitatem, necessitas paris impossibilitatem, impossibilitas parit desperationem, desperatio damnationem. Bernard. l. 1. de Considerat.

Desinit remedio esse locus, ubi quæ fuerant vitia, mores fiunt. Senec. Epist. 28.

Obdurata tempore consuetudo, natura ipsa potentior est. Philo Judæus, lib. de Dialog.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia fontibus hoc in argumento possit hauriri.

Habitus natura, & definitio.

HAbitus, vel consuetudo definiri potest qualitas, vel aliquid permanens in nobis prohibens ne quodcumque omnia operationum genera nullo in discrimine habeamus, quia nos impellit ad quædam peculiariter potius, quam ad alia, quin nihilominus vim faciat nostræ libertati absoluta & inevitabili necessitate. Hunc autem habitum nos ipsi in nobis producimus actibus iteratis, ad quos ferimur. Hæ enim actiones, quæ perfunctoriæ fluxæque non sunt, aliquod in anima vestigium imprimunt, illis conforme, eadem præter propter ratione, qua pes in arena, vel in argilla, cui innititur, sui ipsius relinquit vestigium.

Proportio habitus cum actione illum producente.

In hoc argumento haud abs re est animadvertere, hanc habitus proportionem cum actionibus producentibus illum in duabus rebus consistere; altera est, actionem talis virtutis imprimere etiam talis naturæ vestigium, & non alterius; exempli gratia, actus eleemosynæ producit habitum quidem misericordiæ, non autem patientiæ. Altera est, quò fortior, & violentior est actio, eò altiùs impressum relinqui vestigium, eodem pacto quo corpus quo magis grave est, magisque terram premit, eo altiùs ejusdem signum imprimitur, unde sequitur, sæpe unicam actione fortiorem habitum produci, quam pluribus simul minori attentione peractis, producatur; & sæpe jam impressa relegendo vestigia, magis, magisque infigi. Sequitur deniqua vitiosum habitum esse facilitatem quamdam, & propensionem, quæ acquiritur ad peccatum aliquod committendum, cujuscumque tandem naturæ illud sit, sæpius idem patrando.

Faciliùs pravi, quam boni habitus contrahuntur.

Quemadmodum natura nostra corrupta faciliùs fertur in malum, quàm in bonum, & virtus non sine summa cum difficultate acquiritur; liquet, nos faciliùs habitum vitii alicujus induere, in quod natura ipsa proni sumus, quàm virtutis, quæ per se difficilis est, & ad quam adipiscendam superandum est naturale studium eidem oppositum. Theologi tres peculiariter causas recensent. Prima est, plura esse vitia, quàm virtutes; singulæ enim virtutes morales inter duo vitiosa extrema sunt positæ, æque ab illis evitanda, ut auream servent mediocritatem, unde moralis virtutis nomen recipiunt. Facilius igitur est propter numerum vitiorum, pravam consuetudinem contrahere, quam bonam. Altera est, objecta ad peccatum excitantia majorem in nobis vim, & robur habere, quam quæ nos ad virtutem ferre possunt. Tertia est, in nobis esse concupiscentiam, quam Doctores peccati fomitem vocant; quæ sæpe contra rationem rebellat, nitidioribus ejusdem luminibus nubem offundit, atque ardentissimas flammas suffocat sui

ardoris

ardoris violentia, & quæ ideo causa est, propter quam facilius pravos, quàm bonos habitus induimus.

Habitus peccati propriè peccatores nos facit.

Si peccatum, in Scripturæ stylo tantum malum est, ut miseriæ, atque infamiæ cumulus vocari possit; quid erit pravus habitus peccati? hic enim propriè peccatores nos facit; nam unica actio mala nos malos non efficit, sed efficit solum, ut actu peccemus; sed pravus habitus efficit, ut verè peccatores vocemur, & simus; seu propter multitudinem peccatorum quæ præcesserunt, & habitum hunc produxerunt, seu propter peccata, quæ subsequentur; quia deinceps infinita alia producturus est, quadam necessitatis specie; quia unum ab altero attrahitur, & cum habitus semper invaluerit, hoc criminum multiplicatione facit, ut ita dicam, ut ex professo peccatores simus, & coram oculis Dei abominabiles.

Pravus habitus aliquam necessitatis speciem inducit.

Pravus habitus ita rationem, hominisque voluntatem sibi mancipat, ut nisi imperio, vel potius tyrannidi illius sese voluerit opponere, cum poterat, & habitus ille nondum altius radices jecerat, deinceps minime possit, specie quadam necessitatis, de qua alibi erit sermo; sed quam melius nunc explicare non possumus, nisi verbis S. Augustini, qui experientia doctus de eadem loqui poterat, & qui Consuetudinem, *quasi secundam, & affabricatam naturam* appellat. Prima illa est, quam originale peccatum ex ipso statim nativitatis exordio effinxit in nobis; altera autem illa, quam actualibus peccatis, perseverantia in sceleribus, & pravo habitu nosipsi efformamus. Itaque si prima natura nos in peccatum trahit, fere invitos, ut loquitur Sanctus Paulus; altera recentem addit proclivitatem in malum, novumque pondus, quod quamdam efficit speciem necessitatis, quemadmodum loquitur Sanctus Augustinus; *ex prava voluntate facta est libido, dum servitur libidini, facta est consuetudo, & dum consuetudini resistitur, facta est necessitas.*

Necessitas hæc moralis tantum est, eique possumus non parere.

Quantumvis fortes, altasque radices jecerit habitus, qui sibi cor nostrum subjecit; certum est nos peccare, cum illi obtemperamus, ideoque nos posse illi non obtemperare; omne enim peccatum actus est liber, & consultò factus, & agere liberè, est id facere, quod non facere possemus. Quod si quotiescumque pravi habitus vi cedo, illi resistere valeo; possum etiam adeo frequenter eidem resistere, ut tandem illi cedere desuescam, atque ita pravam ipsam consuetudinem evertere, atque delere. Itaque licet gravissimis utantur verbis SS. Augustinus, atque Bernardus; ut hanc significent necessitatem, eam vocantes invictam, inevitabilem, ipsaque natura fortiorem; hæc numquam est necessitas absoluta, libertatem penitus auferens, sed necessitas tantùm moralis, quam ipsi volumus; & nobismet ipsis imponimus.

Quamvis habitus necessitas moralis tantummodo sit, difficillimum tamen est eam superare.

Facile a peccato recedimus, ubi eidem minimè assuevimus, sexcenta in ipso inveniuntur, quæ corrupto etiam cordi non placent: Sed habitus peccati non ita facile infringitur; quædam miraculi species est in ordine gratiæ, Lazari resurrectione indigitata, qui pluribus ante diebus fuerat elatus. Si habitus est altera natura, cetera quælibet immutantur, non ita tamen natura, neque peccati habitus: omnes fere homines secundum naturæ suæ studia operantur, & omnes fere in vitæ suæ ratione pravorum habituum proclivitatem sequuntur. Quod secundum naturalia fit studia, facillimè fit; nullus fere impenditur labor, & ut ita dicam agitur inconsideratè. Hinc S. Augustinus habitum pravum vocat servitutem sub peccati, ac dæmonis imperio; Quos autem conatus idem exeruit, ut durum hoc servitutis jugum excuteret, scriptis reliquit.

Quomodo habitus coalescat, & peccati minimè excuset.

Quæret fortasse quispiam quomodo funestus hic habitus efformetur in nobis, nonnisi summis conatibus infringendus? ego verò cum S. Augustino respondeo ex inordinata cupiditate gradum fieri ad turpe factum, facto sæpe iterato affectum efformari; affectum verò efformatum in habitum immutari, atque habitum in funestam peccandi necessitatem desinere; eam verò necessitatem, qua non excusamur, quia non est absoluta, uti diximus, & quia effectus est abusus nostræ libertatis, qua perperam nos sumus libere peccato nosmet mancipantes. Funestam necessitatem, quæ nos miseriores efficit, quin minus nocentes efficiat; necessitatem, quam prævenire potuimus, & quam evitare non possumus. Hinc apud Theologos oritur quæstio, utrum quod per habitus vim peccatur, peccati gravitatem imminuat, eo quod libertatem imminuit, quæ in peccando necessaria requiritur? atque negativè respondent, licet hoc verum esset, si quod libertatem imminuit ex antecedenti causa oriretur, quam nos minime quæsivissemus, puta, ex subito affectus alicujus æstu, qui in nobis excitatus fuisset, vel ex tentationis alicujus vehementia; sed cum hæc voluntatis nostræ imminutio, & decrementum ex libera proficiscatur causa, quam libere passi sumus, qualis est habitus; hoc potius auget, quàm imminuat peccatum, quia proficiscitur ex principio magis corrupto, magisque vitiis assueto.

Qui per habitum peccat, peccat ex deliberata nequitia.

Sanctus Thomas prima secundæ quæstione 78. art. 2. palam docet, peccantem per habitum semper ex deliberata nequitia peccare; habitu enim utens id eligit, quod secundùm vitiosum hunc habitum sibi convenit, qui in ipso est tamquam altera natura, per quam scienter, ac volenter, & sine ulla resistentia operatur malum, in quod per habitum proclivis est; unde Sanctus hic Doctor concludit, peccantem per habitum operari malum libera voluntatis electione, & deliberata nequitia peccare.

Funestus, & periculosus effectus habitus est plurima peccata committere.

Peccatum iteratum reciprocè causa est, & effectus mali habitus, qui per ipsum contrahitur. Non ita exiguus peccatorum numerus quæritur, ut fortis habitus efficiatur; sed habitus hic, ubi coaluerit, efficit, ut peccatum sine numero, atque mensura, facile, sine metu, absque conscientiæ stimulis, & fere inconsideratè patretur. Hoc quotidie usuvenit, & utinam propria hoc non didicissemus experientia. Peccatum hodie patratum, cras alterum secum trahit, hoc verò iterum tertium; studium enim in singula peccata invalescens nos ad alia majori cum violentia perpetranda propellit, itaut numerus in infinitum augeatur. Hoc pacto omnes ferme gressus animæ, quæ peccati habitum induit, totidem lapsus sunt, & peccata; ac nulla ferme reditus spes eidem superest citra gratiæ miraculum, quod expectare non potest, Deo suas gratias subtrahente prout nova ille subinde peccata committit.

Peccatum non potest excusari per ipsius habitum.

Sanctus Thomas secunda secundæ quæst. 156. artic. 3. docet, peccatum in voluntate præsertim consistere; cùm autem per voluntatem peccatur, peccatum eò majus esse debet, quo ardentiùs in illud fertur voluntas magis valida violentaque voluntatis inclinatione: *Ubi major est voluntatis inclinatio ad peccatum, ibi gravius est peccatum.* Frustra igitur, qui vitii alicujus habitum contraxerunt, atque illum infringere non conantur, Frustra inquam violentam causantur inclinationem, qua in peccatum trahuntur.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, novisque Concionatoribus loci hujus argumenti.

Habitus est secunda natura.

UT intelligatis quàm difficile vobis futurum sit ex vitio, quodcumque illud sit, emergere, cum in vobis habitus semel coaluerit, dixisse sufficiat, habitum secundam esse naturam, naturam additam, atque insitam studiis nostris, uti loquitur Sanctus Augustinus, *Secundam, & quasi affabricatam naturam*. Itaque si vanitati luxui, obtrectationi, aleæ voluptati, inerti, mundanæque

vitæ

vitæ consueveris, æque difficile erit; ut intra breve tempus te ipsum reformes, ac difficile est, feram cicurire, ac ingenium ferox, & brutale ad mansuetudinem revocare. Insuper ajo consuetudinem natura ipsa esse fortiorem; consuetudo enim naturam domare, ac flectere, ut ita dicam, potest, licet illa sit inflexibilis. Ita videmus infirmiora corpora magnis paulatim laboribus indurari, & timidissimum quemque sibi sæpius obiecit pericula, eadem contemnere; & nonnullos præsentissimorum venenorum usu ea sibi in alimoniam convertisse. *P. de la Colombiere, Serm. 64. Qui est hujus argumenti.*

Consuetudo fit necessitas.

Utinam pauciora nobis invictæ hujus necessitatis exempla suppeterent, neque audirentur quotidie ii, qui sese eidem subjecerunt, in vinculis suis nequicquam ingemiscere, ac irrita efficere ea lumina, inspirationes, ac bonum operandi desideria, quæ plures animas sanctificare possent, quibus aliquid adhuc superesset libertatis. Quàm miseret me vestri, indigna peccati mancipia! Cum primum vosmet impudicitiis, aleæ, obtrectationi, iracundiæ mancipastis; libido vobis videbatur vitium ætati vestræ consonum, atque conforme; alea, honesta occupatio; obtrectatio, necessaria collocutio; iracundia, rationabilis affectus, cum tot quotidie succensendi occasiones occurrant. Hodie verò aliter dicendum est; ratio vestra per ætatem maturescens, conscientia sexcentis supernaturalibus luminibus illustrata, vobis hæc omnia repræsentat tamquam defectus, & vitia turpia, injusta, perniciosa, execrabilia, & nihilominus ab iis non cessatis: *Vides quàm malè facias*, Sanctus Augustinus ait, *quam detestabiliter, quam infeliciter, & tamen facies. Idem.*

Difficultas pravorum habitum infringendi non est insuperabilis.

Habitus pravi ita eos omnes, qui contraxerunt illos vinciunt, ac detinent, ut nequeant, vel saltem nolint, vel potius ut nequeant, nolintque simul bonum operari. *Solutus est ad mandatum Domini, qui antea tenebatur, aut non valens, aut non volens benefacere, aut utroque fortiùs vinculo alligatus, nec volens scilicet, nec valens*, Sanctus Bernardus inquit. Non puto vel breviùs, vel apertiùs dici posse quidquid ad pravorum habituum pertinet argumentum. Verum est, ubi semel contracti fuerunt habitus, ini illis ut plurimum senescere, & quia vinci nequeunt, & quia illis bellum indicere nolumus; hoc est, quodammodo impossibile esse ex illis emergere, attamen hoc absolutè non esse impossibile, tantamque esse difficultatem, ut insuperabilis videatur; licet tanta non sit, ut excusandi simus, cum illam minimè superamus. *Idem.*

Nisi quamprimum habitus mali infringuntur, periculum est ne umquam infringantur.

Quid! Anima Christiana jam ita proclivis es ad vanitatem, inertiam, voluptatem, iracundiam, intemperantiam, ambitionem, ut resistere nequeas. Cum autem hæ omnes affectiones in corde tuo convaluerint, atque longa plurimorum annorum usu fuerint roboratæ, te illas debellaturam speras? Hodie cum te Deus moveat, urgeat, tibique suam offerat gratiam, vires tibi desunt, ut mandata ejus facessas; & te putas post decem, aut viginti imbellicitatis annos fortiorem futuram? Ego verò oppositum credo, & divino innixus oraculo, credo si modo passa fueris habitum hunc in te consenescere, Æthiopem potius dealbatum iri, quam te vitæ rationem esse immutaturam: *Si potest Æthiops mutare pellem suam, aut pardus varietates suas? & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum.* Tibi promittis senectutem prorsus diversam a vana hac, inerti, vitiosa adolescentia; Ego verò portendo, ætatem tibi & nova allaturam vitia, & vetera confirmaturam. *Idem.*

Jerem. 13.

Si volumus, possumus malos habitus superare.

Voluntas bona est omnipotens, & nihil tam arduum est, quod illa non superet. Et sane quid non assequimur, cum illud, ut opus est, volumus? Ferrum subigitur, æs funditur, ex marmore simulacra fiunt æque delicata, affabreque expolita, ac si marmor esset molle, & Sculptoris cœlo, tamquam cera cederet. Quotidie videmus, S. Augustinus ait, qui nequissimis relictis habitibus, melius, sanctiusque vivunt iis, qui eorum scelera antea exprobrabant. Poterat ille seipsum in exemplum proferre; ac unus ipse satis erat ad doctrinæ hujus veritatem probandam, atque ignaviam nostram confundendam; ipse enim tandem ferream, ut ipse vocat voluntatem vicit quæ adeo dura, & inflexibilis videbatur. Neque solum id paulatim evicit, sed repente assecutus est. Ex quo voluptati vale extremum dicere decrevit, hæc non iterum in illius cor reversa est. Sed non una tantum vinctus erat catena; ambitio, superbia, cupiditas æque, ac incostantia in corde illius dominabantur; at una dies eum ab omnibus hisce tyrannis liberavit. Verùm quomodo ille libertatem adeptus est, quomodo perfectè servitutis jugum excussit? *Idem.*

Ejusdem argumenti.

Quid voluntas nostra non potest, cum gratia adjuvante versus aliquod objectum sese convertere illi placuerit, illudque ex animo amplecti? Quinam obices! Quænam adeo fortia vincula illum retinere possunt, qui vera ad Deum eundi cupiditate feruntur? Quas difficultates superare non potest? Quid in clarissimis etiam consiliis tam magnum est, atque tam arduum? Quid præstantissimi, atque maximè magnanimi præstitere Sancti? quod ago hodie non aggrediar, & consequar, ubi velim? Cur oblectamur nosmetipsos decipientes, inanibusque prætextibus dissimulantes nostram infirmitatem, malamque votorum nostrorum sinceritatem? Ad frugem redire vellem, si possem; vellem fieri melior; ad id omnes industriæ, ingeniique nervos intendam. Ego verò dico, futurum sit, si decimam tantummodo partem efficeretis ejus, quod potestis facere, jam votorum summam essetis consequuti. Tali in occasione me ipsum vincere nequeo, invitus rapior, facio, quod numquam facere vellem. Proh Superi! Quomodo hæc dicere audemus? Si ille, quem præ cæteris mortalibus diligitis, vos rogaret, ut pro se ea faceretis, quæ propter Deum facere non potestis; si certò sciretis, a perjuriis, obtrectationibus, ultionibusque abstinentes magnum aliquem in terris honorem vos esse affecuturos, num aliquid vobis factu arduum videretur? *Idem.*

Peccata iterata, & multiplicata validum producunt habitum.

Peccatorum multitudo pravum producit habitum, fatalemque in peccato obstinationem; cumque habitus hic efformatus fuerit, jam est tamquam altera natura, quæ fere numquam abjici potest. In Scripturis sermo est de peccati pondere, vinculis, corpore, regno. Hoc autem pondus numquam gravius ponderat, hæc vincula numquam arctius vinciunt, & impediunt; corpus hoc numquam magis efformatur; regnum hoc numquam constituitur, roboraturque melius, quam in forti peccati consuetudine: propterea quod hic habitus, & obstinatio pondus adaugent, ut nos obruant, iterant vincula, & catenas, corpus hoc alunt, regnumque conservant. Tunc eodem in statu sumus, in quo miseri Ægyptii, qui tenebris undequaque involuti non movebantur loco, neque ullum conatum exerebant, ut inde egrederentur: *Nemo movit se de loco suo, in quo erat.* Inde verò quid sequitur? Dicamne, & vos dicentem audire poteritis, quin totis artubus contremiscatis? Inde sequitur, quòd in impœnitentiam, atque desperationem labimur. Ab infidelitate, ingratique animi vitio initium ducitur; per contemptum, atque arrogantiam perseveramus, per habitum, atque obstinationem altius in peccati abyssum defigimur, ac tandem ruimus in impœnitentiam, atque desperationem. *Ex Propositionibus Joly. Tomo 2. in tertiam Quadrag. Dominic.*

Quam necessitatem pravus habitus ferat.

Numquid ergo habitus vinci nequit, & illi nemo resistere valet? Itane supremum obtinet imperium, ut sese inde expedire integrum minimè sit? Numquid ille necessitatem nobis imponit? Audite Sancti Bernardi responsum, non verum minùs, quàm ingeniosum. Dicit autem, nos peccando, ita peccato assuescere, ut quodammodo fiat necessarium.

farium. Hæc coarctatio, quodammodo necessarium, annotanda est; significat enim hoc non absolutè, sed aliquo tantum modo necessarium esse, vel, si mavis, fere necessarium. Tunc enim habitur prævenit, vel potius rationis usum infirmat, ut animæ aden validam, celeremque simul impressionem, studium, & adeo naturalem inclinationem immittat, itaut statim, immo etiam cum voluptate illum sequatir. O statum miserum! pergit idem Pater. Si habitus peccatori quodlibet libertatis genus auferret, hic non peccaret; si habitus perfectam illi relinqueret libertatem, ipse sui dominus resipisceret; sed quod habitus solùm vitiat, & imminuit libertatem, non eamdem eripiat, quid inde? Duo inde oboriuntur. Primum peccator semper peccat Dei legem infringens. Secundò moraliter saltem fit incorrigibilis. Semper est nocens; quia semper non peccare potest, cum peccat; attamen moraliter fit incorrigibilis, quia potestas non peccandi aden validè habitus impetu infirmatus, ut hic illius vim, atque effectum inlubeat, & emoretur. Itaque dici potest, Sanctus Bernardus concludit, ipsum quidem habere libertatem suam, eamque minime habere; amittere illam, & non amittere; satis libertatis eidem inesse, ut lapsibus suis recocrem semper damnationem in suum caput detorqueat, tantum verò non esse, quantum satis esse possit, ut redeat ad frugem, & efficaciter salutem npetetur suam, nisi firma, & constans adsit voluntatis deliberatio. *P. Gironst. Tema* 2. *Quadrag. Sermone hujus argumenti.*

S. Augustini exemplum, & prælia.

Exemplum insigne nobis liquidò ostendit quantæ sit difficultatis pravum habitum abdicare; illud verò est S. Augustini. Quid ille non pertulit, ut suos nodos infringeret, atque ex ea emergeret servitute, in quam ipsum redegerat culpa, cujus habitus jam pridem in ipso coaluerat? Quibus ille vocibus hoc explicat? Heu! inquit ille vitæ suæ peccata confitens, atque plorans: *ligatus eram*; sed quo vinculo? *ferrea mea voluntate*. Inimicus eadem potitus, agebat illam, quocumque eidem placebat, atque utebatur habitu tamquam onerosa catena, qua illa, licet invita, impediebatur, & ex qua sese expedire non poterat: *Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me.* O tristem captivitatem, suoctus hic Pœnitens pergit, o funestam servitutem! De ea conquerebar, attamen amabam illam; inde cupiebam emergere, & nihilominus in ea commorari volebam: omnia conabar, ut me a viris divellerem, sed conatus mei erant tamquam semisopiti hominis, identidem attollentis caput, ut evigilet, ac statim decidentis iterumque in utramqua aurem stertentis. A Deo quidem libertatem meam petebam, sed verebar, ne me ille voti damnaret. O misericors Deus! quale tunc erat cor meum, & quàm sibimetipsi contrarium! *Idem.*

Status Lazari in sepulcro repræsentat peccatorem in habitu peccati.

Si vultis, me aperte vobis horribilem statum exhibere, ad quem peccator per habitum redactus est, fingite vobis Lazarum, cum JESUS CHRISTUS ad tumulum ejus accessit. Erat ille quidem manibus pedibusque ligatis, corpore vittis circumdato, atque tumuli os lapis immani pondere obstruebat. Talis est hujus sæculi homo in peccati sui consuetudine sepultus; sexcentæ illicitæ affectiones, quibus creaturæ inhæret, totidem sunt vincula mortis, quibus alligatur; sexcentis humanis respectibus, totidemque conscientiæ impedimentis tenetur; pondus verò habitus diuturni lapis est, qui illum obruit, atque improbitatem illius signo claudit; quæ cum ita fiot, quàm difficile est, ipsum resurgere, atque ex tumulo egredi: *Quam difficile surgit, quem moles consuetudinis premit!* Si hoc simplex esset cadaver, videlicet peccator sine peccati affectione, habituque, sæpe suspirans, ac

Ad Rom. 7. repetens, *Infelix ego homo! Quis me liberabit de corpore mortis hujus*, sperare posset se redditurum ad vitam; sed cum peccati vinculis constrictus teneatur, cum criminosis impedimentis, sæcularibus-

Houdry Bibl. Tom. II. T

que negotiis nullum finem habituris &c. implicetur, tunc tota JESU CHRISTI virtus requiritur, ut suscitetur. *Ex sermonibus editis sub nomine P. Bourdaloue Sermone pro feria sexta post quartam Quadragesima Dominicam.*

Peccator habituatus fit insensibilis.

Peccatores diuturno peccati habitu occallescentes minimè afficiuntur malo, quod patrarunt, quo torquentur, & quod illis potest ingruere. Hanc peccatoris insensibilitatem ægrotantis usus similitudine explicat Sanctus Bernardus: *Scio ægrum se non sentientem periculosiùs laborare*. Cum videmus ægrum non sentientem malum, quo laborat, dicere possumus jam actum de illo, eumque certissimè moriturum. Cur? Quia malum non sentiens, medicinam horret, & pharmaca epotare detrectat; præterquam quod hæc insensibilitas denotat pravam corporis sui dispositionem interiorem, cui cum satis vitium non sit, ut morbi vim sentiat, minus adhuc erit, ut adhibenda medicamenta patiatur. Donec peccator suum sentit malum, aliqua subest spes; sed ex quo sensum hunc amittit, illum periculosissimo laborare morbo dicere possumus. Quid igitur, si peccatum sceleris sui malum non sentit, si eadem oblectatur, si ægritudinem suam optimam valetudinem putet, nonne dicere possumus malum illius esse incurabile? *Biroat Sermone pro feria sexta post quartam Quadrages. Dominicam.*

Lib. 1 de Considerat.

Quam difficile sit pravos habitus eradicare.

Cum Deum offendere incipimus, peccatum nondum altas radices jecit, facile a nobis evellendas uti videmus in arbore recens consito. Sed ubi terra paulatim has aluit radices, illæ sensim augentur, multiplicantur, altiùs terræ insiguntur, atque ita roborantur, ut ad arborem hanc infringendam, convellendamque austris opus sit, & aquilonibus. Hic est funestus peccatoris status. Initio quidem facile converti poterat, ejus in malum studia, & peccati affectiones neque adeo fortes erant, neque tot numero, neque altè adeo humo defixæ; sed post aliquot annos, ex quo in scelere perseveravit, jam multiplicatæ sunt, & roboratæ; atque nunc miraculis opus est Divinæ Potentiæ miraculis, ut convertatur. *Idem.*

Difficultas, vel moralis impossibilitas, quam habitus gignit.

Hanc autem difficultatem, vel moralem impossibilitatem melius explicare non possum, quam utens duorum Ecclesiæ Patrum sententiis, qui profectò eo dicendi utuntur genere, quod sibi adversari videtur. Primus est Sanctus Augustinus dicens, habitum pravum esse veluti alteram naturam ab homine sibi affabricatam, ac priori additam: *Consuetudo quasi secunda, & affabricata natura*. Sanctus Ambrosius e contra docet naturam immutari, & expelli per consuetudinem: *An ignoratis quantam vim habeat consuetudo peccandi, ut excludat naturam?* At duæ istæ sententiæ ita sunt conciliandæ. Sanctus Ambrosius dicens, naturam pravo habitu excludi, intelligit naturam, cui bona erant studia, & quæ peccatorum multitudine nondum erat corrupta; Sanctus Augustinus verò docens habitum alteram esse naturam, loquitur de natura corrupta, de violenta inclinatione in malum, qua rapimur, postquam diu in peccato permansimus. *Idem.*

Quam difficultatem expertus est S. Augustinus, ut antiquos abjiceret habitus.

Non levis adeò difficultas tum primam expellentibus naturam, quæ est in malum propensio, sum alteram scelerum nostrorum consuetudine contractam. Hoc docet Sanctus Augustinus. O summe vir! quam bene expertus es has impressiones, & hos incompositos motus, quandoquidem te tamquam ferreis constrictum vinculis suspirasse fateris: *Suspirabam ligatus non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate*. Suspirabam inter affectus meos non externis arctatus vinculis, sed iis, quæ ipse mihi conflaveram. Dæmon actu voluntatem meam catena adstrictam tenebat; hanc verò catenam ex pravis habitibus meis ipse confecerat, ut me alligaret, & sub tyrannidis suæ imperio contineret. *Ex prava voluntate facta est libido*. Prava voluntas mea incœpit infelicitatem, atque infirmita-

tem

tem meam : *Dum servitur libidini facta est consuetudo*; Meis verò affectibus obsequens pravam contraxi consuetudinem, quæ in alteram transiit naturam, meque in funestam redegit necessitatem nova quotidie patrandi scelera; omnem eripiens mihi facultatem ferrea hæc vincula infringendi. *Idem.*

Peccator habitualis gratiis Dei resistens semper magis induratur.

Peccator habitualis voluntariè peccatis adhærens in dies magis induratur, atque actibus repetitis semper magis suo sceleri assuescit, atque tandem tanta fit sui habitus vis, ut non solum catenas suas minime possit infringere, & ex peccatorum suorum abysso emergere, verum etiam minime velit. Eodem tempore, quo Deum versus se vertit, vertit se contra gratias illius, quæ voluntatem ejus ad conversionem possent inflectere: nam quodammodo in peccato suo persistens, sæpe resistit gratiis, a quibus evocatur, ac precibus, quibus urgetur; hac resistentia confirmat cor suum, ut in suis flagitiis perseveret, & assuescit non respondere huic voci postremò illum vocanti. Si aliquod consilium aggreditur, jam Dei consiliis per hoc adversari conatur; omnesque suæ voluntatis actiones in id unum colliment, ut funesta animi obduratione divinæ misericordiæ gratiis, & beneficiis resistat, ac sese magis, magisque in infelicissima abysso immergatur; Ægrotanti similis, quem in extremis laborantem medici negligunt, quia ejus naturam ita infirmatam vident, ut pharmaca, quæ eidem propinant ad malum expellendum, illud adaugent, & quidquid comedit, quin solatium afferat ipsi, in corruptionem convertitur. *Idem.*

Remedia illis tradenda, qui sortem habitum contraxerunt.

Non desunt qui nondum alligati sunt funestis hisce catenis, neque in habitualia lapsi flagitia; & si gratiæ mortui sunt, non ita pridem illius jacturam fecerunt. His dico, medicinam esse malis ipsorum quamprimum adhibendam, donec levia adhuc sunt, ne medicinæ contemptu fiant insanabilia. Miserè quidem peccato cessistis, sed naturæ vestræ fragilitas, quæ illius exitit causa, illius etiam esse poterit excusatio. Scio humanum esse peccare, verùm diabolicum est perseverare; Ne augeatis alterius infirmitatem improbitate alterius, neque ignorantiæ peccata in peccata habitus convertatis. Aliqua sibimetipsi vis est inferenda; verum cum mala nondum fuerint confirmata, ac voluntas vestra non longè absit a Deo, levis quælibet gratia triumphum poterit reportare; at si malum percrebrescere, & habitum pravum roborari fueritis passi, vix fortissimæ gratiæ efficere poterunt, ut inde emergatis. *Idem.*

Discrimen inter infirmitatis, & habitus peccata.

Magnum intercedit discrimen inter peccatum, in quod nos trahi patimur fragilitate, infirmitate, voluptatis illecebris, inopinatæ tentationis impetu, & illud, cujus habitum augeri, & confirmari passi sumus, & in quo jamdiu permansimus. Videte arbusculum recens consitum, quod manu convelli potest, sed ubi altas radices jecit, multo opus est tempore, multisque conatibus, ut evellatur. Id ipsum peccato accidit, quod vix natum levi labore curatur; sed ubi adoleverit, atque in habitum migraverit, non ita facile vosmet expedire poteritis iis vinculis, quibus captivam voluntatem vestram detinebit. Quot laboribus, conatibus, præliisque vobis evellendus erit affectus ille, quem convalescere, atque cordis vestri potiri permiseritis diu omnibus motibus ejusdem parere assueti? Hoc Dei Filius nobis exhibere voluit in Lazari quatriduani resurrectione; quasi vox ipsius nimis esset exilis, ac parum apta ad mortuum hunc in vitam revocandum; ut illum de sepulchro educeret ad lacrymas, turbas, fremitus, & suspiria confugit: *Infremuit spiritu, & turbavit se ipsum*; elataque voce clamavit : *Lazare veni foras*. Insueti hujusmodi motus in medico proculdubio significant ægrotantis curationem esse difficilem. *De la Fone in libro cui titulus, Entretiens Ecclesiastiques, pro decima octava post Pentecosten Dominica.*

Joan. 11.

Pravus habitus insensibiles in malo facit &c.

Inter funestissimos effectus, quos pravus habitus in illis producit, qui diu in peccato perseverant, non postremus hic est, quòd videlicet conscientiæ stimulos suffocat, efficitque ne mortales spirituales temporalesque jacturas sentiant, quas peccatum in ipsis produxit. Eorum mentem quidem excæcat, corda autem indurat, eosque impares facit, nisi extraordinarium divinitùs adsit auxilium, vero scelerum suorum dolori fovendo... Cum primùm in vitium aliquod labimur, non solum ab eodem cavemus, verum etiam summo dolore excruciamur : conscientia stimulis exagitata animam terrore, & sollicitudine replet; nos nostræ infirmitatis & pudet, & pœnitet; sed cum sæpius cecidimus, cum habitum in nobis efformari passi sumus, non afficimur ultra; iniquitatem sicut aquam bibimus; ac in scelera sine ulla resistentia proruimus. Ipsa etiam graviora scelera nos minime movent, & crebrò eosdem actus peccati iterantes hunc quæstum percipimus, quod nullis amplius turbis, nullo dolore agitamur: *Omne peccatum consuetudine vilescit*. Sanctus Augustinus inquit. Initio quidem, cum adolescens, qui adeo bonæ indolis videbatur, & qui adeo bene fuerat institutus, se ad aliquod scelus allici passus est, quas in corde ipsius procellas pudor, metus, conscientiæque stimuli excitarunt? Primum quidem nonnisi contremiscens deliquit; sed mox crimina criminibus, scelera sceleribus addens in ipso vitio suam nactus est requiem; & quin in eodem conscientiæ suæ stimulis ureretur, lætatus est, sibi complacuit, flagitiaque sua sibi in delitias convertit. Non communi Dei auxilio, & mirabili opus est gratia, ut ex hoc statu eruatur, itaut malum suum intelligat; quippe peccatum ipsum ludum putat, atque solatium. *Idem.*

Difficultas ex peccati statu emergendi, ubi ejusdem habitus fuerit contractus.

Cum aliquis ob perfunctorium factum quodpiam baptismatis excidit gratia, verum est, non ita difficile jacturam hanc posse reparare, cum nondum peccati habitus coaluerit; sed cum repetitis ejusdem sceleris actibus pravus habitus jam contractus est, quibus laboribus, conatibus, certaminibus opus est, ut ex eo statu educatur? Quem obicem in corde illius non invenit gratia, ut illum a peccato liberet, suoque subjiciat imperio? Quam difficile est, ut hæc voluntas in terræ hujus bona proclivis, iisque tot vinculis, quot affectionibus hærens certum, firmumque capiat consilium ea deserendi, ut in virtutis semitam revertatur? Quia hoc proprium habet mali consuetudo, quod cor efficit omnibus gratiæ illecebris insensibile, opus est, ut Deus circumundique obsidione vallet cor istud modò calamitatibus, & flagellis, ut illum ex alto sopore, quo captus est, excitet; modò assiduis exprobrationibus, quibus consanguinei, & amici illius vivendi genus corripiunt; modò interioribus gratiæ suæ afflatibus, quæ illum ad pœnitentiam invitat. Attamen hæc omnia licet per se tantam obtineant vim, irrita fiunt, atque in ejus corde, levissimas tantum gignunt impressiones, quæ fluxæ sunt, & quamprimum evanescunt. Habitus peccati illum indurat, intrepidum efficit omnibus Cœli minis, omnibus flagellis inflexibilem, omnibusque gratiis ingratum. *Idem.*

Ubi peccati habitum contraximus, peccamus licet nullam amplius sentiamus voluptatem.

Pravus hic habitus violentus est torrens, invitos etiam in malum trahens; quod efficit, ut temere, & inconsideratè in illud ruamus; quemadmodum actiones ipsas maximè naturales efficimus non solum cum nullam amplius afferunt voluptatem, verum cum nauseam tantummodo, & fastidium creant. Ita est; si passus fueris, hoc vitium in corde tuo altas radices figere, adveniet tempus, cum licet iis omnibus destituatur illecebris, quæ te te adhuc integra fefellerunt, immo amaritudine, tœdioque plenum fuerit, illud tamen perditè amare persistas. Hoc seipsum expertum fuisse testatur Augustinus, qui licet virtutis admirator esset, tamen in scelera irruebat, ex quibus non solum nullam percipiebat voluptatem, verum etiam doloribus afficiebatur : *Dum irruebam in voluptates, irruebam in dolores*; permittente Deo; terri-

bili

bili justitiæ suæ effectu, senes invitos, atque cum dolore in eadem ferri peccata, in quæ olim contra Dei veritum cum voluptate ferebantur. *Idem.*

Habitus peccandi verecundiã aufert.

Communis pravi habitus effectus est peccati auferre verecundiam, & efficere ut minimè afficiamur pudore, qui summæ est utilitatis seu ut ad virtutem impellat seu ut revocet a peccatis. Cum incipimus vitium sequi, nos pudet; delitescimus, lucem odimus, tenebrasque requirimus; sed paulatim hunc pudorem exuimus, & peccando ad illum impudentiæ evadimus apicem, ut ex scelere inanem gloriam aucupemur, eaque ostentemus, quæ nos majori confusione suffundunt: *Lætantur cum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis.* *Idem.*

Prov. 2.

Ea, quibus assuevimus facilè, & celeriter fiunt.

Peccatori, qui sceleris alicujus habitum contraxit, idem ferme accidit, Sanctus Bernardus ait, quod justo, qui jamdiu omnia virtutum genera exercet. Pari voluntatis celeritate feruntur alter quidem ad mortem, alter ad vitam; parique lætitia, alter ex malo, alter ex bono afficiuntur. Dei amor efficit, ne justus in omnibus laboribus, qui in bonorum operum exercitatione ferendi sunt, vel dolorem experiatur, vel fatigetur; & peccati consuetudo facit, ut peccator alacriter eos omnes labores ferat, qui superandi sunt, ut suæ satisfaciat cupiditati. Verum est utrumque æque metu carere, sed hoc ratione longè diversa contingit; quia hæc metus carentia in justis est perfectæ charitatis effectus, in impiis verò consummatæ iniquitatis supplicium. Itaque quemadmodum boni quotidie magis ad virtutem procedunt; improbi quotidie se novis criminibus mancipant, ac de abysso in abyssum feruntur. *Idem.*

Deus tandem deserit peccatorem habituatum.

Prolixo non est opus sermone, ut ostendamus pravum habitum ingenti actualium peccatorum numero contractum omnino oppositum esse fonti gratiarum omnium, quæ divina est misericordia. Quid enim misericordiæ magis oppositum, quàm contemptus, & jugis gratiarum ejus abusus? Misericors hæc Dei bonitas postquam diu afflatibus suis peccatoris corda sollicitavit, postquam illi manus tetendit, expanditque sinum, illum contra persequentem justitiam tutatura, videns peccatorem in sceleribus suis consenescentem sua abuti patientia, ac irritos facere conatus omnes, quos pro ejusdem salute exerit, fatigatur tandem, atque illum fastidit; & uti Job inquit, ex memoria sua illum quodammodo expungit. *P. Texier pro undecima post. Pentecosten Dominica.*

Habitus peccatorem trahit.

Scio equidem, prohibere velle, ne qui vitii habitum contraxerunt, affectuum suorum torrente se rapi sinant, idem esse, ac si magnum aliquem fluvium ab alveo suo detorquere coneris. Hoc si multis ab hinc annis alio fluere cœpit, ac perseveravit; quacumque utaris arte, ut in aliam partem illud declines; valla, aggeresque infringit, & ubi aditum sibi aliquem aperire potest, cum impetu illuc fertur, quò antea fluere consueverat. Cum peccatum nondum in animam ingressum est, vel cum non ita pridem ingressum est, eadem potitur tamquam arce, quam nuper adeptus est, & cujus possessio satis firma, & constans non habetur; atque unde per pœnitentiam potest expelli; illi se præbet mite, ac mansuetum; sed cum per habitum pravum ibi suum constituit imperium, totum exerit pondus tyrannidis suæ, omnesque animæ facultates ita corrumpit, ut illa peccatis suis oblectetur. *Ex Christianis Sermonibus. Sermone de Peccato.*

Peccatores, qui habitũ contraxerunt peccandi a consuetudine sua recedere nolunt.

Talis est conditio peccatorum, qui in habitu peccati sepulti sunt. Laterem lavas, cum illis auctorem te præbes, ut ab iniquitatibus suis resipiscant; frustra illos deterrere conaris Dei judicia, inferni que pœnas minitatus. Cum ut ad gratiam reviviscant, opus sit, illos pravos habitus suos exuere, & ea relinquere periculosa commercia, quæ illos in omne libidinum genus inducunt, ibi permanere malunt, ubi sunt, & Deus ipse illos convertere nequit. nisi insueta potentiæ suæ adhibeat miracula.... Huc tandem rediguntur, qui in peccati habitu vivunt; qui ita rationem, voluntatemque eorum corrupit, ut nullam amplius foveant cœlestis patriæ cogitationem, nullum desiderium. *Idem.*

Ratio ex hoc misero statu emergendi.

Attamen, Fideles, ne animos despondeatis; si enim ex altera parte conversio vestra citra miraculum est impossibilis; ex altera illam possibilem potestis efficere cum gratia, dummodo in vobis efficiatis, quod JESUS CHRISTUS fieri jussit Lazarum suscitaturus, Jussit autem cippum, quo tumulus obstruebatur, amoveri: *Tollite lapidem.* Vultis ex hac emergere iniquitate? *Tollite lapidem.* Auferte occasionem, qua vestrum peccatum fovetur, auferte improbum illud commercium, quod pravum habitum vestrum enutrit. Fugite hæc perniciosa exempla, mundum hunc, hanc voluptatem, & cupiditatem hanc, quæ vos a Deo procul amovet. Moderamini affectibus vestris. hos impetus compescite, cumque hos obices abstuleritis, Dei Filius potenti, & efficaci voce, qua Lazaro, dicet vobis: Egredimini de peccatorum sepulcro, ubi computruistis. *Idem.*

Peccati habitus efficit, ut alia patrentur, eaque in infinitum multiplicat.

Peccatum infelicem habet fœcunditatem, quæ efficit, ut qui noxæ unius reus est; nesciat aliquandiu eo in statu perseverare, quin statim in alia peccata labatur, eorumque numerum augeat indesinenter; seu hoc ex Deo proficiscatur, qui peccatoris temeritate irritatus, suam amovet ab illo gratiam, atque præsidium, seu hoc malum ex humanæ naturæ corruptione oboriatur, quæ ex se in malum proclivis est; verùm accidit, ut postquam scelus aliquod commisit, pœnitentiam differre non possit, quin jugiter peccata peccatis accumulet: *Abyssus abyssum invocat.* Peccatum abyssus est, alium vocans abyssum; lapis est in aquam projectus, circum se illicò excitans fluctum, qui alium se majorem orbem ciet; hinc tertium secundus, & sic deinceps, donec hi omnes orbes alii ex aliis orti in fluminis oram allidantur. *Ex anonymo Auctore.*

Peccati habitus conscientiæ stimulos suffocat.

Fateor equidem, homines nonnumquam gravissimis perpetrandis sceleribus ita consuescere, ut ea sibi religioni minimè vertant; prorsus expellitur pudor, tunc præsertim cum malum fit generale, & frequentia sunt prava exempla. Hic habitus, quem frequens vitiorum usus efformat, suspendit, si ita lubet, conscientiæ judicium, acresque ejusdem stimulos retundit; sed omnino non tollit. Eo tamen usque procedit, ut omnem auferat verecundiam, quæ in animabus justis invenitur, & quæ, ubi prima patrantur scelera, non silet. Non pudet ultrà flagitiorum; internæ cordis exprobrationes, alienæque censuræ nihil nos movent; frequens communium peccatorum usus omnem eorum sensum aufert; neque afficimur amplius, quia jam transiere in naturam. Cor, æque ac oculi quibusdam assuescunt objectis; & peccata, non solum ac monstra, quæ quotidie videntur, nullam nobis afferunt molestiam. Væ, Sanctus Augustinus inquit, væ homini, qui insuetis tantummodo sese affici objectis sinit, atque alia peccata in communem usum convertit! Ubi consueti cibi gustus non percipitur amplius, inditium est, gustum ipsum attritum esse; & hæc sensus jactura celeriter ad mortem adducit. Necessariò hoc ipsum de conscientia dicendum est; imminet ejus interitus, cum peccata patrantur, quin sentiat illa. *Auctor Anonymus.*

Plurimi sunt peccatores habituati.

O bone Deus! si per concionem hanc pertransires, ut olim per Bethaniam, ut ad Lazari sepulchrum accederes, quot hic suscitares sepultos peccatores, non quatriduanos quidem, illi similes, sed multos ante id tempus annos putrescentes, alios quidem in inexplebili avaritia, alios in intolerabili superbia, hos in impudicissimis scandalis, illos in simultatibus, inimicitiis, ultionibus. Hoc illud est, o Fideles, quod vobis terrorem debet incutere, hoc illud, quod vos ad funestam induratio-

nem perducit. Primùm quidem infirmitas erat, atque fragilitas; mox sopor, & negligentia; inde mera, & affectata nequitia, tandem verò pravus habitus, & inveteratus. *Ex Sermonibus, qui sub P. Bourdaleve nomine circumferuntur, Sermone de Resurrectione Lazari.*

Miserabilis status peccatoris, qui habitum contraxit.

Quædam est peccatorum species, qui jamdiu in longo habitu immorantur. Hoc in Evangelio per Lazari mortem significatur, qui jam quatriduanus accedentibus tabo suo horrorem gignebat, & quem JESUS CHRISTUS resuscitare non potuit, nisi prius lapidem, quo sepulchrum obstruebatur, jussisset amoveri. Hic autem sepulchralis cippus, Sanctus Augustinus ait, qui tanto labore fuit amovendus, vim habitus repræsentat: *Moles imposita sepulchro vis est consuetudinis. Genus mortis crudele*, Pater idem exclamat; non minoribus deflendum lacrymis, quam quibus Lazari sorores fratri suo parentarunt. Nemo præter JESUM CHRISTUM est, qui hunc mortuum per habituale peccatum valeat resuscitare; ejus tantùm omnipotens vnx, uti Lazarum, ita peccatorem hunc potest evocare: *Lazare veni foras.* Hæc igitur audienda vox est, o Deus! Vox hæc, quæ ipsas etiam abyssos penetrat, & quam Cœlum, ac terra verentur. Hæc vox, cui mortui omnes obediunt, qua jubente sepulchra ipsa dehiscunt, & cui nihil resistit. Fac, Domine, ut hæc vox audiatur, non mea; vel fac ut audiatur mea, ita tamen ut per hanc tua melius audiatur. *Sermo Manuscriptus hujus argumenti.*

Peccator ex habitu infirma tantum habet sese corrigendi desideria.

Erat quidam languens Lazarus. Qui in languore suo sese attollere conatus est, ac sæpe in eumdem relabitur, tandem altas adeo infirmitatis suæ radices jacit, ut citra gravissimos labores, vires nequeat reparare. Ita in hoc statu peccatoris pœnitentia infirma est, desideria imbecilla, quæ habitus inutilia efficit, & inefficacia. Dicere non audeo, primis illis ægritudinis suæ principiis nulla sese convertendi cupiditate flagrare; illud verò certissimum est; desideria, quæ eo in statu fovet, maxime infirma esse, & languentia; quia non satis est compos sui, ita ut dicere possit, volo ex animo peccatum deserere; neque aliud consilium habet, nisi ut dicat, vellem peccatum relinquere. Hoc passim dicunt peccatores. Sed quid quæso sibi vult hoc, vellem peccatum relinquere, vellem ex hoc emergere statu? Ego quidem ita reor; Vellem; nonnumquam vox est obiter prolata, & nihil significans, nonnumquam idea est, cui nihil reale, nihilque solidum adjacet, & nonnumquam sensus nihil producens. In hoc verbo nihil est nisi illusio; hæc idea nihil est, nisi infirmitas, hic sensus est semper inutilis. Dicunt, vellem converti, & non ita sceleribus meis esse mancipatum: purum putum mendacium. Quid afficit peccatoe, ita loquens? Hoc reipsa nollet; aliter loquitur, quàm cogitet, & si bona fide agere voluerit, nihil minùs se velle, quam vitam immutare, fatebitur. Sed si ob aliquam molestiam, qua peccator in scelere suo fuerit affectus, ait, vellem hoc vitium relinquere, & interim nihil facere vellet, ut ab eodem secederet; hæc etiam nimis crassa idea est, peccator vellet, ait, sed non vult prorsus hanc affectionem relinquere; vellet ab hoc peccato recedere, sed illius dulcedine captus illud amat; vellet converti, at non vult laborem, doloremque ad id perferendum; vellet quidem omnia fieri, ipse verò faciendi laborem detrectat. Hoccine velle est? Sed esto, converti velis; hic sensus est nimis infirmus, ac nihil producens; quid enim produxit in illis omnibus, qui hoc singulis diebus dicunt, numquam vere ex animo, atque deliberate? Numquam voluntates suas vident expletas. Itaque donec dixeris, vellem, neque ex corde dicis, volo; longè adhuc distas a conversione tua, & ad illam numquam pervenies. *Idem.*

Per habitum peccati fa... vacillanti... [margin]

Primum quidem peccatur, sed statim ac peccatum est, conscientiæ aculei primum peccatum excipiunt. Pavida conscientia peccatorem initio vexat, & angit; sed ubi peccata repetita sunt, nnlli sunt amplius aculei, nulli boni sensus, quos non evertant: *Quid est, quod tolerata consuetudo non evertat*, S. Bernardus ait. Ullusne bonus sensus est, quem habitus non suffocet, ullum bonum desiderium, quod non extinguat, ullum Religionis principium, quod non impugnet? Vosmetipsos consulite, peccatores, & videte quàm crudelem immutationem in vobis pepererit habitus. Primum quidem quis erat divinorum judiciorum metus? quanam repugnantia sceleri præbuistis assensum? quonam rubore decrevistis ferre hoc pondus iniquitatis? Sed heu! quandiu pii hujusmodi sensus viguerunt, peccatum vobis re adhuc integra videbatur intolerabile? Mox non alia occurrunt exempla, nisi eorum, qui habitum habent peccandi: fragilitas, prona in malum natura suadent malum esse leve, & quò frequentiùs peccatur, eò minùs periculosum esse peccare. Sed jam nimis ultra processistis, o peccatores; quamprimum eo usque progredimini, ut asseratis exiguum malum esse peccatum, neque adeo esse Divinæ legi contrarium. In flagitiis vestris volutamini, quin ullum dolorem sentiatis, in illis sine molestia immoramini, & in eadem sine verecundia revertimini. *Idem.*

...tem acquiescimus.

Status miserabilis, quo nos habitus peccati deducit.

Adde primos illos metus, quibus peccatum perhorrescebas, illius patrandi repugnantiæ: adde confusionem hanc, olim erubescebas, huic effræni licentiæ, quæ te indesinenter ad peccandum rapit; hæc ea sunt, quæ habitus facit. Per hunc hominis coe tantum fit incurabile, quantum malis suis insensibile; atque tunc eo in statu es, in quo te Dei minæ non terrent, nullum te coercet Evangelium, nullus Judiciorum Dei metus te tangit, nulla conversionis cogitatio efficit, ut subinde saluti tuæ animum advertas. Olim salutaria hujusmodi consilia subibant mentem, nunc prorsus ignorantur; hoc unum cogitatur, quomodo in peccato vivendum sit, & ex eo omnis voluptas percipiatur; quid hoc sibi vult? quid significat? nisi omnimodam in scelere confirmationem, quia per hunc pravum habitum factus es insensibilis cuivis gratiarum generi, omnibusque motibus conversionis. *Idem.*

Tyrannia habitus pravi.

Status hic admodum est deplorabilis, unde emergi non potest. Namque tunc variis agitamur motibus, & nihil proficimus; nos quocumque vertimus, ut ipse ait Sanctus Augustinus, nosmet in funestis vinculis nostris torquemus, sed illa nequaquam mitescunt; & servi sumus, qui in vinculis versari quidem possumus, ea verò infringere minimè possumus. Similitudinem hanc adfert S. Augustinus, cui eò magis fides est adhibenda, quia hoc ipse fuerat expertus. Peccator, qui peccandi contraxit habitum, est, inquit ille, servo similis, qui mente quidem sexcenta agitare potest consilia acquirendæ libertatis, ac sese in catenis suis versare potest, sed qui inde egredi numquam potest: *Versabam me in vinculo meo.* Cogitare quidem potest peccator, se ex peccato suo egressurum; sed inde re ipsa egredi numquam potest. Suppono autem, peccatorem nondum omnem abjecisse mentem sese convertendi; quo posito agitatio erit in illius mente, violentia in operatione, & tumultus in corde. Sibi etiam aliquando videtur indicere secessum, preces, & aliquam aliam virtutis exercitationem, religiosa fide extrinsecus omnia sua munera obire, nonnumquam tamquam pium hominem bonis operibus vacare, nonnumquam veluti pœnitentem mortificationes exercere; scandalis obsistere tamquam Divino zelo succensum: Hoc in pluribus peccatoribus videtur; exteriorem corporis habitum immutant, sed interius iidem permanent semper: Sermonem immutant, sed quin mores mutentur; sese in vinculis suis versant, quin egrediantur. *Versabar in vinculo meo. Idem.*

Licet

Donec habitus viget, nemo bene se conversum putet.

Licet aliquot preces cum fervore effuderis, licet bonos aliquot pœnitentiæ sensus conceperis, & in confessione aliquot bona inieris consilia, non iden conversus es, quia nondum habitum peccandi reliquisti. Alioquin nemo in ipso etiam habitu pravo esse deberet de sua salute sollicitus; quis enim subinde aliquo impetu non fertur in Deum, & aliquem in se conversionis motum non experitur? At hoc non est se convertere. Exilia hæc pietatis fulgura, fluxa suor, & fallacia. Donec habitus peccati permanet in corde, nemo putare potest, se sincere conversum, neque salutem sibi promittere potest; sed alternis hujus pœnitentiæ, ac improbitatis vicibus semper magis recedit a Deo. Si enim peccator conversioni suæ numquam allaborasset, sperare posset, se gravi, ac sincero labore ex peccatorum suorum cæno emersurum; sed ubi cogitat prælium, quod habitus cum salutaribus gratiæ monitis gessit, & unde semper victoriam reportavit; cum cogitat gratiam pluries eas iniisse vias, quas eidem præscribit, ut ille de suo scelere egrediatur, ipsum verò nullum inde fructum percepisse, & omnes eas pietatis, & charitatis exercitationes, quæ ad tempus aliquod observatæ sunt, nihil ad salutem suam profuisse; quid superest sperandum postquam omnia expertus est remedia, & vidit penes habitum victoriam semper extitisse, nonne sese animo debet despondere? *Idem*.

Inveterati habitus effecta.

Habitus in corde ita roborantur, ut nequeant amplius infringi: peccata naturalia esse putantur, nemo audet ultra severè illa damnare, quia jamdiu illa videt late dominari: libidinosus ille, cujus cor diuturno voluptatum usu mollitum est, nonnisi summa cum difficultate resumere potest necessarias vires ad infringenda vincula, quibus suæ passionis objecto alligatur; & qui jampridem pejerando assuevit, eo majorem in se corrigendo nanciscitur difficultatem, quò minus animum advertit, cum pejerat. Conscientia peccati nutibus cedere assueta, sperat futurum, ut Deus ipsius infirmitatis misertus aliquando tandem suam illi gratiam concedat. *Ex libro, cui titulus, Traité de la Conscience.*

Rationes, quibus coguntur veteres habitus derelinquere.

Ex peccatore, quem habitus peccati ad infelicem hunc statum adegit, quæri potest, utrum aliquando velit ex eodem emergere, an semper in eo permanere: si illi statum est in scelerum suorum volutabro persistere, simul ob oculos statuendus est infernus, atque suppliciorum æternitas, quæ hoc illius consilium est necessariò consecutura. Non enim fide consonum videtur, peccatorem licet omnem prorsus salutis abjecerit spem, id capere consilii. Sin autem ex adeo tristi statu se aliquando egressurum statuit, cur inanibus oblectatur excusationibus? Nonne præstat sibi persuadere, omnino peccatum esse relinquendum, quin veteres afferantur habitus tamquam criminosæ perseverantiæ excusationes? Nostræ cum vitio necessitudinis vincula eò magis confirmantur, quò magis senescimus; in dies semper augetur criminum numerus, quæ Deum inter, ac nocentem semper majorem separationem immittunt. Præstat igitur, uti Samsoni accidit, statim vincula, funesque suos perfringere, quàm expectare donec duplicentur, vel robore prorsus adempto, fias Philistinorum ludibrium. Nonne facilius est hodie vivendi rationem immutare, quàm futurum sit, cum habitus magis fuerint inveterati? Donec vivis, quantum placuerit, tibimetipsi blandire; sed coram Deo Judice non erit hæc legitima excusatio, asserere, scelus ideo non fuisse evitatum, quia nimis antea fuerat amatum. *Idem*.

Scelerum multitudo, quæ patrantur, ubi pravus aliquis habitus fuerit contractus.

Ex quo peccata in habitum transiere, putamus eorum nullam esse amplius rationem habendam; quomodo enim supputari possunt effecta, omnesque pestiferi fructus consuetudinis criminosæ? Supputandi igitur essent omnes peccatoris gressus, omnia dierum singulorum momenta, omnes cordis palpitationes; nihil enim hac peste infectum non est, & quidquid eadem est infectum, fit quodammodo naturale, neque ultra reputatur. Quorsum igitur hic evadet numerus? Quem scelerum acervum habitus iste producturus est? hoc extra memoriæ, mentisque nostræ jactum est, non autem divinæ cognitionis terminos excedit. *Nonne hæc condita sunt apud me, & signata in thesauris meis?* *Deut.* 32. *Ex Manuscripto Sermone.*

Miserabilis status ad quem peccati habitus redigit.

Aliquisne sceleri consuevit, sibique enormis alicujus peccati habitum comparavit? proh Deus, quæ imbecillitas, quæ pusillanimitas! Cum agat solum secundum carnis, sanguinisque consilia, miserè humi repit, & ad supremum bonum suum sese attollere nequit. Si apud eumdem de inferno sermonem instituis, si explicare contendis, quid sit infelix æternitas, si de mortis hora incerta, atque terribili tot impiorum catastrophe loqueris, qui propter libidines suas, atque flagitia famosi fuere; hæc omnia illum non movent; ideæ hujusmodi de mente illius deletæ sunt, ac ignotum sermonem loqueris; sed alias omnino oppositas animo ideas imbuit, quæ altiùs eidem inhærent insculptæ. Talis quippe est peccator habitualis; seipsum stupidum efficere conatur: primum quidem illum propria redarguit, exagitatque conscientia; ideoque ut liberè peccet, illius aculei retundendi sunt, & donec aliquod superfuerit earum veritatum, quas cum lacte hausit, vestigium, nullam habebit requiem, sed dum peccata peccatis agglomerantur, sensus victoriam referunt, & primas illas impressiones protinus delent. *Sermo Manuscriptus P. Stephani Chamillard.*

Difficultas, quam expertus est S. Augustinus, ut sua vincula infringeret.

Sanctus Augustinus deplorabilem hunc statum expertus octavo Confessionum suarum libro loquens de morali impossibilitate, quam illi longa annorum, quos in effræni licentia traduxerat, series pepererat, ad vivum exhibet quidquid in corde hujusmodi farinæ contingat. Videns amicum meum, inquit, qui nuper sese tibi dederat, amabilis Salvator meus! volui ad adorabilem Majestatem tuam contendere; sed inter vanas mundi occupationes detinebar alligatus, non quidem ferrea catena, sed propria voluntate, quæ ferro ipso magis inflexibilis erat. Dæmon affectibus meis potitus fuerat, atque per illos me detinebat; namque ex corrupta voluntate oritur studium illud, quo in vetitum rapimur; studium hoc deinde migrat in consuetudinem, consuetudo verò tandem fit necessitas. Quamobrem infelicitatem meam quamdam veluti catenam ex pluribus annulis compactam reputavi. *Idem*.

Peccati habitus nos ad finalem impœnitentiam adducit.

Mors in Scriptura cum arboris lapsu comparatur: arbor ut plurimum ea ex parte decidit, in quam inclinat; respicite inclinationem vestram, non eam quidem, quam a natura estis sortiti, non enim desuere, qui pessima ingenia sortiti, modo in præcipuorum Sanctorum albo descripti sunt; sed vestram infirmitatem, peccatum, in quod sæpius deciditis, pravo, quem contraxistis, habitu vos impellente: arbor in eam cadet partem, in quam inclinabit, & in eam partem, Sanctus Bernardus loquit, ubi plures habet ramos; hi enim efficiunt, ut arbor inclinet. Rami animæ, ut idem loquitur eam arbori comparans, rami inquam sunt desideria: *Ibi est casus arboris ubi pluralitas ramorum; desideria sunt rami nostri!* Hujus arboris rami quidem sunt desideria, fructus verò sunt opera. Scrutamini (Fideles) cor vestrum, quorsum vestra desideria, & affectiones inclinent; in eam partem, in quam illa pendent, decidet arbor, & vos in habitu vestro moriemini. Donec vixistis, numquam vos hujus criminis verè pœnituit, & putatis fore, ut vos morti proximos pœniteat? Numquam fortiores sunt habitus, quàm in morbis, uti D. Thomas animadvertit; & docet experientia, ægrotantes, cum gravi laborant morbo, per habitum tantummodo operari; atque ita morietur peccator, ut vixit, & in eam partem cadet, quo ipsum sua studia trahunt. Studia vestra, ve-

straque inclinatio illuc vos ducebant; hæc vos ducent ad mortem. *Ex alio Manuscripto Sermone.*

Diuturnum exuere habitum impossibile est.

Cum fortis, atque diuturnus habitus vitæ principium corrupit, atque vitiavit, licet totius medicinæ accerserentur suppetiæ, jam actum est; homo ille mortuus est; nihil, inquiunt, superest, quod supetet. Sed diuturnus odii, avaritiæ, obtrectationis habitus ita corrumpit, atque infirmat vitæ spiritualis principia, Dei videlicet gratiam, hominisque voluntatem, ut fere impossibile habeatur, tanto malo medicinam afferre; quid inde judicandum est? Quid non solum metuendum est peccatori per habitum peccanti, sed etiam quam parum eidem sperandum est? Sane miraculo opus est, ut salvetur, & ex apertissimo interitus sui periculo educatur. *Idem.*

Malum quodam modo fit necessarium per habitum.

Statim ac voluntas alligata est, in peccatum labimur, post peccatum patratum, habitum facimus, habituque facto, cum eidem non resistimus amplius in infelicem peccandi necessitatem decidimus. Ex his verbis facile Sancti Augustini stylum, atque sermonem intelligitis, sed Sanctus Bernardus in caput 4. Canticorum hanc sententiam amplificat solida quidem, scitaque ratione, sed quam plerique peccatorum non satis intelligunt. Dicit enim, nos repetitis peccatorum vicibus ita peccando assuescere, ut peccatum denique fiat nobis quodammodo necessarium. Utinam, hic Pater ait, applicatio illa, qua peccatores delinquunt, non esset libera; illi non peccarent, utinam ita essent liberi, ut hic impulsus voluntarius esset, resipiscerent; sed quia libertatem suam sinunt alligari, duo ingentia illis accidunt mala, quod videlicet legem violant, ac sese incorrigibiles faciunt. Quomodo hoc fiat, equidem nescio, sequitur ille; attamen fit, & voluntas hominis vi habitus ita fertur in malum, ut & libertatem habeat, & minimè habear. Ille quasi in hac necessitate versatur, semper eodem pacto operatur; abstinere nihilominus omnino posset; sed nimis ignavus est, ut id conetur, neque evader unquam ex abysso, in quem se ultrò præcipitem dedit. *Idem.*

Ut plurimum leves tantum conatus fiunt, ut pravus habitus infringatur.

Post contractum peccandi habitum, aliquem sanè conatum exeris, ut illinc emergas; sed imitaris, Sanctus Augustinus inquit, semisopiros homines, qui se quidem cupiunt excitare, sed qui cum surrecturi sunt, sopore iterum capti relabuntur. Quot bona desideria! quot sancti motus! quot conversionis meditamenta evanescunt, & dissipantur, quia eam tibi ipsi vim renuis facere, quæ esset facienda! Conscientiæ stimulus te aliquando inter tuas voluptates perturbat, nec velles amplius flagitiosam, quam ducis, ducere vitam; attamen ab illa non cessas; in catenis tuis temetipsum versas, sed hæ catenæ te semper constringunt. *Fromentieres.*

Qui ex habitu peccant non sunt minus nocentes, quam alii.

Næ vehementer erraret, qui arbitraretur, eos qui peccant ea pravorum habituum impressione, non cogitantes malum, quod operantur, in hisce peccatis minus esse nocentes: namque eo quod se ipsos in eum adduxere statum, ubi inveteratæ consuetudinis imperio resistere nequeunt, ne minimum quidem eorum culpa imminuitur; alioquin dicendum esset, quod cogitare animus horret, homines, quò nequiores sunt, eò excusatione, veniaque digniores esse, quia in eum redacti sint statum, ubi non aliam, quàm flagitiosam vitam ducere possunt, cui jampridem assueverunt: itaut repetitis criminibus, eò evaserint tandem, ubi ultra peccare nequeant, & nefaria consuetudine peccandi quamdam adepti sint speciem impeccabilitatis, quam Sancti jugi omnium virtutum exercitatione assequi non potuerunt. Constans quoque est Sanctorum Patrum doctrina, pravum habitum quantumvis inveteratum, quin excuset, & imminuat ea, quæ patrantur, delicta, eadem potius augere, eisque recentem adjicere enormitatem. *De la Font in libro, cui titulus: Entretiens Ecclesiastiques, Dominica 18. post Pentecosten.*

Infirmitas, quam habitus peccati in voluntate relinquit.

Cum Scriptura, & Patres familiaribus similitudinibus exhibere nobis voluerunt tristes effectus, præcipuè verò infirmitatem, quam in anima gignunt habitualia peccata, vincula tantum, funes, & catenas locuti sunt, quæ nos constringunt, atque arctiùs vinciunt, prout plura sceleribus addimus scelera; ita ut tandem sine motu inveniamur, ipsa etiam agendi facultate destituti. Impius, Salomon ait, capitur in impietate sua, & peccatorum suorum catena constringitur. Ne post hæc miremini, si peccator difficillimè egrediatur ex eo periculo, in quod miserè se conjecit. Quin ea infringat vincula, quibus circumseptus est, & alligatus, illa confirmat, eisque novos funiculos addit. *Sermo Manuscriptus.*

Peccatum sæpe repetitum nobis levius videtur; & conscientiæ minus grave est.

Peccatum, Sanctus Bernardus ait, sarcina est; quæ primum nobis non ferenda videtur: *Intolerabile videtur.* Illam ferre detrectamus, vel si forte eadem onerati sumus, illicò ad ministros a Deo constitutos, ut eadem liberemur, confugimus, eamque ante eorum pedes deponimus. Attamen quò progredimur magis, eò magis pondus videtur imminui; quia illi peccando assuescimus. Sæpius eidem subeuntes oneri, quod primum erat intolerabile, grave tantummodo esse incipit, *Videtur deinde grave*; & si pergamus, ex gravi fit leve, ex levi fere insensibile, ex insensibili commodum, & suave; ac deinde fatalem parit requiem, & tranquillitatem pro eo tumultu, & labore, quem secum ferre deberet. Re adhuc integra exclamamus cum Davide, *Sicut onus grave gravata sunt super me*; iniquitates nostras adeo graves esse, ut vix ferri queant. Nihilominus brevi roboramur, & induramur; atque scelus non adeo enorme videtur? Impudenter committitur; lethalibus confodimur vulneribus, quin illa sentiamus, & conqueramur. Quid dico? longius nostra procedit insensibilitas, & in voluptatem convertitur. *Risus illius in deliciis peccati.* Voluptas hæc fit familiaris, familiaritas in consuetudinem migrat, consuetudo verò in naturam alteram. Hæc S. Bernardus Scripturarum adhæreos auctoritati. Ecce quò peccati habitus ferat. *P. Giroust in Adventu. Sermone de fallaci conscientia tranquillitate.* *Psal. 37.* *Eccli. c. 11.*

Qui incipit servire Deo, pravos habitus incipiat superare.

Licet eo usque procederemus, ut mentem, animumque immutaremus; facile esset vitam, moresque immutare, nisi pravus adesset habitus, qui speciem quamdam in nobis parit necessitatis in scelere perseverandi, quæ nos miserè perdit. Oportet ergo, ut primus conatus hominis sese converti, ac Deo servire cupientis sit, pravum hunc habitum destruere, alterumque in pœnitentis corde efformare, quo ducatur ad virtutem. At omnis habitus actione efformatur, dispositione augetur, occasionibus renovatur: igitur ut habitus evertatur, atque immutentur mores, quod prorsus est necessarium veræ, sinceræque pœnitentiæ; omnes illius actus proscribendi sunt, delendæ dispositiones, occasiones evitandæ, atque seria attentione eæ actiones perficiendæ, eæ acquirendæ dispositiones, eæque occasiones investigandæ, quæ habitum prorsus oppositum faciunt. *Sermo Manuscriptus de Sancta Magdalena pœnitentia.*

Ubi peccati habitus confirmatus est, conscientiæ negotia non curantur amplius.

Etiamsi cogitatio quædam subinde oboriatur conscientiæ suæ negotia procurandi, vita criminibus fœdata, sceleribusque referta sese nobis offert, ita ut, unde principium ducendum sit, ignoretur. Antequam efformaretur habitus, sciebamus, quomodo cum Deo res nobis esset: quidam erant pœnitentiæ dies, quædam statuta anni tempora, sed eorum vestigium penitus evanuit. Nunc horribilis chaos est, confusio, ac impeditissima peccatorum turba, quam expedire non licet; quotidie retrocedimus, totiens intumescit, atque inflatur, ac tandem nos in præceps trahit. *P. Cheminais, Sermone de Recidiva.*

Peccator habituatus in sceleribus suis tranquillus est.

Quantumvis tyrannica sit dominatio, quam peccatum in animam exercet, semper pacata est, seu quia peccator ita illi consuevit, ut eidem non amplius

plius resistat; seu quod dæmon, qui hunc hominem captivum detinet sub imperio suo, illi bellum non amplius indicit, seu quia, ubi peccatum in consuetudinem transiit, sine metu patratur, neque conscientiæ pax ultra stimulis agitatur: *In pace sunt ea, quæ possidet*, Pax crudelis, ac bello ipso longe periculosior. Eheu Fideles, quid saluti vestræ periculosius hac pace in sceleribus, & hac insensibilitate in malis, quandoquidem ne cogitatis quidem de medicina, & impossibilem efficitis curationem vestram..... Verum est, mihi integrum esse per hanc iniquitatis viam incedere, vel eamdem relinquere; sed cum percrebuerit consuetudo, ita nos alligat peccato, ut vitii pondere rapiamur. In illud proni sumus; infelicem hanc viam sumus ingressi, & ab eadem recedere minimè possumus. *De la Volpilliere, Sermone hujus argumenti*.

Facilitas, qua per habitum peccamus, & difficultas habitû hunc abjiciendi.

Cum per flagitiosum habitum, anima forte aliquod cum morte fœdus contraxit, hæc ut ita dicam, divinis luminibus obluctans omnia veritatis spicula retundit, vitia eidem in naturam quodammodo transeunt; illis temerè, inconsideratè, ac sine ulla resistentia cedit, & hæc pax infelix, quæ lumina spiritus cum corruptis affectionibus conciliat, nullis amplius stimulis perturbatur: anima tandem sese tradit affectuum suorum objectis quadam adhæsione, quæ non longe a dæmonum recedit improbitate. Attamen habitus hosce, quos homines nequeunt infringere, Deus ipse novit superare, novit inquam, ubi vult aperire oculos mentis illis, qui iisdem consuevere. Verùm peccatoribus diligentissimè cavendum est, ne se bis irretiant vinculis, ex quibus sese expedire adeo operosum est. Tangantur, opus est, exemplis funestarum necessitatum, quæ per habitus hosce contrahuntur, ut diligentiùs illas evitent. Si peccatum illecebris suis allicit, opus est ut extrema inde emergendi difficultate homines deterreantur. *Continuation des Essais de Morale. Tome 2.*

Quam difficile sit diutius contractum habitum exuere.

Nemo nostrum ignorat, rem difficillimam esse immutare mores, habitus, & studia; cujus rei non alibi, nisi in nobismet exempla sunt inquirenda. Quibus conatibus, laboribusque opus est, ut aliquod ex studiis nostris superemus? Quot præliis, & contentionibus, ut pravum habitum infringamus? Aliquid nos profecisse putamus, & corruptæ naturæ nostræ studium in præceps nos dejicit, unde nonnisi peculiari Dei gratia favente emergere possumus. Nihil magis prohibet nos bene operari, ac resipiscere, quam diuturna vitiorum consuetudo, quæ ab ipsa adolescentia inolevit: hæc paulatim cum ætate percrebuit, atque ita animi nostri potita est, ut quodammodo in succum, sanguinemque nostrum migraverit. Nunc verò, cum ex hac tyrannide, & hisce vinculis egredi maxime cupimus, totum tempus illud, quod per summum nefas impendimus, ut cupiditatibus nostris satisfaceremus nobis resistit, & adversator; & desiderium hoc, quod subinde in nobis suboritur, ex hac servitute evadendi veteri habito suffocatur. *Biroat Sermone de Conversione S. Pauli.*

Habitus mali qualibet in ætate sunt metuendi.

In ipso juventutis æstu pari imprudentia, atque impetu inordinatis cupiditatibus nosmet mancipamus. Provectiori verò ætate, si natura minori ardore ad voluptatem nos trahit, dici potest, in iis, qui flagitioso habitu eidem sese addiderunt, longe difficiliùs corrigi posse, quàm in ipsa adolescentia. Tandem nonne videmus senes, quorum sensus omnes ita per peccatum, quod cum ipsis consenuit, corrupti sunt, ut semimortua eorum corpora adeo ardentibus voluptatum desideriis flagrent, ut nulla re valeant extingui? *Abbas de Monmorel. Homilia in vigesimam Dominicam post Pentecosten.*

Facilitas, qua in peccatum labimur, oritur ex habitu pravo.

Si primam rationem inquirimus, propter quam tanta quidem facilitate in omne scelus ruitis, tanta verò difficultate a crimine abstinetis; inveniemus sanè ex habitu proficisci, quem in peccatis vobismet comparastis. Hoc palam Sanctus Augustinus significat, eum de se ipso hæc loquitur, eo tempore, quo omnes conatus exercebat, ut suas catenas infringeret. Hæc omnia mala, inquit ille, ferebam potius invitus, quàm ultro illa conquirerem; at nihilominus ipse ego eram, qui pravum habitum meum ita contra ipsummet roboraveram. Itaque malum meum in principio suo erat voluntarium; namque licet tunc voluissem non esse amplius in eo statu, tamen me ipsum illuc propria voluntate redegeram. Ita, Doctor idem concludit, verè nocens eram, & puniendus; æquum enim est, ut qui voluntate sua fertur in malum, contra voluntatem patiatur; & difficultas, quam in vinculis suis infringendis experitur, justa sit pœna peccati, quo sua abusus est libertate. *Idem.*

Possemus, si vellemus, fortissimum quemlibet habitum infringere.

Neque putemus peccati habitum, quantumvis ille in nobis inveteratus fuerit, a nobis superari non posse. Ut autem adeo periculosus error auferatur, nonne verum est, si diversis subinde temporibus acutissimum passus fuisses dolorem, qui tibi mortem posset inferre; atque ad effectus illius inhibendos non aliud fuisset remedium, quam ab iis omnibus abstinere, quæ tibi maximam afferunt voluptatem, nonne tumet ultro penitus abhorreres, exempli gratia a comessationibus, & compotationibus, quibus consueveras, licet earum antea summa te caperet oblectatio? Quod autem ratione duce faceres, hoc religione suadente facere detrectares? Cum igitur, quod tibi nullo fieri posse modo videbatur, jam ubi de vitæ spatio proferendo, ac doloribus perfunctoriis evitandis agitur, fieri potest, putasne futurum ut fieri posset, si cogitares non agi de tempore, sed de æternitate, non de corporis, sed de animæ vita, non de aliquot annorum dolore, sed de æternis suppliciis effugiendis? *Idem.*

Ubi pravus inoleverit habitus, nihil non est metuendum. *Basil. Hom. 1.*

Pravus habitus periculosus est inimicus, & ad eum superandum gravia sustinenda sunt prælia, ut ait Sanctus Augustinus: *Vincere consuetudinem, dura pugna*. Hoc autem opus tantæ est difficultatis, ut Sanctus Basilius vix illud possibile existimet: *Permolestum est, & conatu vix impossibile*. Et constat ratio; namque ex Divi Bernardi, aliorumque Patrum sententia, habitus in secundam naturam mutatur. Quis autem nescit quomodo naturales sensus radicitus animæ hæreant infixi? Quod si hoc generatim de quocumque habitu verè dicitur, moltò magis peculiariter de peccati habitu verum est. Quare? Quia habemus jam in nobismetipsis pondus concupiscentiæ nos ad vitium trahentis, ideoque pravis habitibus vim prorsus singularem tribuentis. Itaque, o Fideles, si pravum habitum in seipso tantum considero, neque aliam rationem inspicio, quam tyrannicam potestatem, quam in cor peccatoris assequitur, jure affirmare possim omnia vobis speranda, & nihil fere metuendum, ubi semel illi aditum præbueritis, ac ille vos sub lege sua captivaverit. *P. Giroust in Quadragesima. Sermone hujus argumenti.*

Peccator, qui habitû contraxit, obliviscitur Dei, & salutis suæ.

Peccator, qui per habitum omnino sensuum voluptatibus additus est, annos integros elabi sinit, quin Dei meminerit, ejusque timore afficiatur. Cæcus est nihil videns; fatuus, qui nulla re afficitur; non est amplius rationalis homo, sed in impudicitiis rationem omnem, ac sensum amisit. Quid huic dicendum, ut excitetur, & resipiscat? Loquere ad eum de judiciis, æternisque suppliciis; metum illi injice terribilibus tot impiorum exemplis qui quotidie adhuc circa illum intereunt, postquam flagitiosissimam, ut ille, vitam duxerunt; amici, homines divino zelo succensi adnitantur aliquem saltem naturalis verecundiæ, vel humanitatis sensum ciere; hæc totidem jacula sunt in immotam contorta rupem; hæc omni prorsus carent effectu. *Idem.*

Peccatum habituale tandem ad finalem impœnitentiâ adducit.

Postremus tandem habitaculi peccati effectus, quo reliqui omnes superantur, hic est, quod ut plurimum ad finalem impœnitentiam adducit. Omnia profectò peccata in hunc nos scopulum pos-

sunt impellere; hoc verò certissimè impellit. Quorsum autem? quia in hoc peccato qui vixerit, naturale est, ut in eodem moriatur. Cum in alia ratò labamur, aliena, ut ita dicam, a nobis sunt; neque ullum cum illis fœdus initur; sed quia habituale peccatum mentem, animumque occupat, ita ut ejus tantummodo agatur motu, atque illud secrem quodam influxu, omnes in nobis actiones operetur; actus isti toties repetiti efficiunt, ut animo altas radices defigar. Hoc, o Fideles, unum omnium maxime perhorrescere debetis. Si umquam ita infelices fuistis, ut habitum hunc contraheretis; pravus hic habitus vestræ causa erit reprobationis. Ita morimur, uti viximus, in peccato vixistis, in peccato moriemini; atque vobis ita personæ vestræ caracterem optimè gerentibus, formidabiles JESU CHRISTI minæ adimplebuntur in vobis: *In peccato vestro moriemini*. [Joan. 8.] Æquum est, ut hoc peccatum, per quod toties gratiæ jacturam fecistis, Dei obliti estis, officium vestrum neglexistis, æquum est, inquam, ut, si damnandi estis, peccatum hoc sit causa vestræ damnationis. *Pater Cheminais, Sermone de Affectu dominante.*

[Quod per habitum fit naturaliter, & facile fit.]

Patres, atque inter alios S. Augustinus, testantur habitum in homine fieri tamquam naturam alteram; quippe actiones inde profectæ, sunt quodammodo naturales, quæ, scilicet, facillimè, ac nullo labore peraguntur. Oculi mei sine labore aperiuntur, manum sine labore moveo, ita & linguam; hæ sunt naturales operationes, quæ fiunt sine difficultate, ac sæpissimè etiam, quin ne animus quidem advertatur. Id etiam accidit in peccatore, in quo scelus per habitum quodammodo transiit in naturam; peccat, & quælibet sese offerat occasio, peccat. Lingua illius perjuriis, ac mendaciis assueta, millies pejerabit, & fortasse, præter animi attentionem, & inconsultò. Oculi, quibus evagandi semper libertas permissa est, obscœnos, impurissimosque obtutus circumferent, pro objectorum, quæ occurrerint, varietate. Os, quod fœdissimis, & contumeliosis, nec non charitati oppositis verbis ubique patuit, illum turpem hominem efficit, obtrectatorem, & in cœtibus omnibus calumniatorem. Facile, & quasi necessariò in omnia hæc diversa crimina labitur; & hæ in illo sunt tamquam naturales actiones propter infelicem impressionem, quam in eodem effecerunt habitus pravi, quos contraxit, & quos delere neglexit. *P. Champigny Sermone de impœnitentia.*

[Pravus habitus plurimorum criminum causa.]

Quibus lacrymis deflenda esset eorum mortalium calamitas, qui concupiscentiæ imperio obsequentes, ac pravis habitibus victi jugiter, & sine ulla resistentia cedunt inclinationi, qua impelluntur, ac in nova semper crimina ruunt? Etenim propter hanc facilitatem, vel terribilem necessitatem, quæ ita peccatorem urget, scelera sceleribus addit, & hæc peccatorum farrago molestissimus est effectus habitus parvi: *Peccatum, quod per pœnitentiam non diluitur, mox suo pondere in aliud trahit.* Ex hoc quod primi fuit effectus, & pœna, in tertium labitur, quod rursus, & quamprimum alio excipietur, in cujus supplicium Deus recentes adhuc lapsus permittet. Ita justo Dei judicio peccator sua delicta multiplicat, & ex præcipiti in præceps fertur, donec multiplici attritus casu, pervenit demum in imum abyssi; nisi Deus insigni misericordiæ suæ effectu illud in proclivi, & hoc rapido motu, quò fertur, rapiturque, detineat. *Idem.*

[Habitus mali causa sunt, quod homines alioquin pietate, ac virtute præditi, recidant.]

Cum adeo frequenter cadimus, tunc in via Dei sumus, neque in infirmitatis tantùm defectus, sed in quædam crimina, quæ quodammodo sunt habitualia, atque nos progredi prohibent, nisi quod in nobis quædam adsunt, prava secretaque studia, quæ a S. Paulo; [2. ad Cor. 4.] *Occulta dedecoris* appellantur; interiora, & abscondita vulnera, animæ nostræ puritatem fœdantia, ex quibus numquam convalescimus, quia ea agnoscere non laboramus; vel quia ubi agnoverimus illa, iis vera non adhibemus remedia. In nobismetipsis quamdam fovemus complacentiam, at erga proximum quamdam cordis alimus duritiem, quæ prohibet, ne Salvatoris gratia in nobis figat radices. Cum sese nobis offert necessitas, qua Christianus quilibet ex animo suo debet auferre, quidquid displicet Deo, vix, atque ne vix quidem parimur crucem, quam magna hæc puritas nobis imponit. *Liber, cui titulus; Instructions Chretiennes, in Evangelium Dominica secunda Adventus.*

[Duo pravi habitus effecta in peccatum inducere, ac pœnitentiam efficere impossibilem.]

Veritas est diuturna experientia probata, pravum habitum, nisi restiterimus ejus ponderi, quo trahimur, efficere, ut frequentiùs peccemus, atque summa cum difficultate pœnitentiam agamus. Funesta pravi habitus effecta! Peccatum parere, & pœnitentiam delere: peccatum quidem parit violento impulsu, quo voluntatem movet, ut in omnibus, quæ sese offerunt occasionibus, peccet; delet verò pœnitentiam, quæ numquam verax esse potest, atque sincera, nisi peccati causam amoveat, atque evertat. Eheu! cum hanc mecum tacitus reputo veritatem, atque considero in mundo paucissimos esse, qui pravo habitu careant, & qui toto pectore ad illum evellendum incumbant, quamvis sæpe ad Pœnitentiæ Sacramentum accedant, totis artubus contremisco, atque simul & peccatorum cæcitatem, & Confessariorum, qui illis non aperiunt oculos, neque tendunt manus, ut ex hoc præcipiti loco educant, imprudentiam lacrymis prosequor. *P. Gegou, in usu Sacramenti Pœnitentiæ.*

[Habitus quotidie roboratur.]

Ardor concupiscentiæ, quæ inter peccati causas recensetur, temporis beneficio paulatim extinguitur; effrectus aliquis sæpe alteri fortiori cedit, in locum suum subeunti: documentum aliquod, & lumen iis medetur peccatis, quæ ex ignorantia proficiscuntur; parum subsidii medetur illis, quæ ex infirmitate procedunt; sed pravo habitui hoc malum inest, quòd in singulos dies roboratur, & convalescit, nisi illius progressibus obnitaris, eumque delere contendas. Et patet ratio; peccata enim, quæ habitus parit, illum fovent, & augent. Verum est, creaturas a quibus tentamur, & dæmonem, a quo ad peccandum sollicitamur, totidem esse diversas peccati causas; verùm cùm extrinsecæ tantummodo sint, tantam non obtinent vim, nisi in nobismetipsis aliquam propensionem invenerint. Sed sese flagitiis voluntas abdidit? longa peccatorum serie habitus pravus coaluit? altas in anima radices jecit? fit tamquam ingens pondus, quod illam secum attrahit sine ulla resistentia; vel tamquam catena ex pluribus peccatis annulorum instar superadditis contexta, quæ animam ita alligant, atque constringunt, ut hæc vix illius vim valeat sustinere, ac prohibere ne toties in peccatum ruat, quoties peccandi sese obtulerit occasio. Itaque si delicta illius, qui in alicujus sceleris habitu consepultus est, hac de causa evitari non possunt; eadem causa hæc eadem peccata æque enormia reddit, atque frequentia, quia ex mera improbitate oboriuntur. *Idem.*

[Non desunt, qui in ipsa senectute pravos adolescentiæ suæ habitus servant.]

Quam indignum est videre homines, qui flagitiosæ juventutis suæ peccata in senectute ipsa longè nocentiori instaurant, inveteratorum habituum catenam secus oram sepulchri trahentes; adhærentes terræ, cùm jamjam ab ea sunt divellendi, fortunæ, atque opum ædificia animo extruentes, cùm lutea domus; quam ipsorum incolit anima, undequaque laborat, atque fatiscit; mortem a se procul distare putantes, cùm jam illius imaginem in rugosa deferunt fronte; cùm non aliud sunt, quàm sui metipsorum phantasmata; neque illis superest nisi levis vitæ flatus eorum nutantia animans corpora, & nihil ultra expectare possunt nisi sepulcrum, quod jam hiscere videtur, ut tristes eorum exuvias deglutiat. *Abbas du Jarry, Sermone pro feria quarta Cinerum.*

HUMI-

H U M I L I T A S.

Humiliatio, Cognitio suiipsius. Superbia &c.

M O N I T U M.



Umilitas adeo arctis vinculis cum superbia, qua illi opposita est, cum suiipsius cognitione, qua ejusdem est causa, cum humiliatione, & obscura, latentique vita cohaeret, ut hac invicem separanda non esse, neque sub diversis titulis pertractanda censuerim; quacumque enim ex parte hoc argumentum spectetur, eadem materies semper est necessario attingenda. Profectò qui humilitatis sensus auditoribus suis student immittere, contendunt illis horrorem incutere vitiorum, qua huic virtuti adversantur; & qui superborum audaciam conterere aggrediuntur, illis validas suggerere debent causas, ut humilientur. Itaque eadem argumenta communia esse debent cum virtuti humilitatis, tum vitiis eidem oppositis.

Fateor equidem hac eadem de causa hoc etiam in loco de ambitione, inanique gloria agendum fuisse, sed cum hac argumenta satis copia ex semetipsis suppeditent, de iisdem singularibus titulis jam actum est; nimis enim late evagantem sermonem institueret, qui fusius de omnibus superbia speciebus agere vellet, quamvis singula obiter possint indigitari.

Qui ergo aliquem de humilitate, superbia, suiipsius cognitione, humiliationibus, que vel divina Providentia annuente, vel ob nostrum scelus accidunt concionem habere voluerint, istic abunde invenient unde argumentum, quod elegerint, pertractent; pauca enim argumenta sunt hoc copiosiora, de quibus Auctores fusius locuti sunt; verbo, ad qua pertractanda major rerum supellex possit adferri.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ Concionum hujus Argumenti Structura.

I. 

Rima in hoc argumento Concionis idea est, illa ostendere bona, quæ per humilitatem acquirimus; quorum primum est cordis pax, & tranquillitas, quod proculdubio maximum est naturalium bonorum, quæ in terris expetere valeamus. Alterum gratia est, pretiosissimum bonorum omnium supernaturalium, & totius felicitatis origo. Tertium, denique cœlestis gloria, quæ pro nostræ humilitatis gradu major erit, atque præstantior.

Pars prima. Nemo vera pace perfruetur expers humilitatis. 1. Quia superbia, ambitio, & sese attollendi cupiditas sexcentas in nobis turbas cient, neque sinunt, nos vera pace, & tranquillitate gaudere. Nemo voti sui compos est; nisi ad honoris apicem evaserit: *Superbia eorum ascendit semper*. (Psal. 72.) Ubi verò voti non damnamur, ac res e sententia non cedit; quot curis, doloribus, quantaque cordis amaritudine afficimur? Quot autem consilia eluduntur, quot artes excogitatæ deteguntur, atque irritæ fiunt? Hæc omnia pacem nostram perturbant. Ita voluisti, Domine; omnem inordinatum affectum suiipsius pœnam esse, inquit Sanctus Augustinus, seipsum in exemplum proponens, qui cum apud Cæsarem habiturus esset Orationem in laudes illius concinnatam, describit animi sui sollicitudinem, qua de eventu, quem hæc oratio habitura esset, angebatur; inde enim nominis sui celebritatem pendere existimabat; cum interim qui humilis est, & ab omni ambitione, atque superbia semotus, semper pacatus sit, tranquillus, & voti sui compos. 2. Quia Deus superborum hominum ambitiosis consiliis obluctatur: *Deus superbis resistit*. (Jacobi 4.) Superbus Deo gloriam ipsi debitam eripit, & non patitur Deus, ut ille hac gloria fruatur; ascendere vult usque ad thronum Dei, & Deus efficit, ut in confusionis abyssum delabatur: *Verumtamen ad infernum detraheris*. (Ibidem.) 3. Si Deus hominibus resistit, homines non minus eisdem adversantur; & neque ex hac parte superbi pacem, aut tranquillitatem inveniunt. Cum hi mortales omnes offendant, ita omnes illos oderunt, volunt paribus eminere, & pares id iniquo ferentes animo, conantur illos deprimere. Superioribus æquari contendunt, superiores illos student dejicere; inferioribus injurii sunt, hi verò eorum impotentiam ægrè passi illis insidiantur. Ipsi contra omnes, omnes verò contra illos. Acquirendæ pacis ratio est humiles esse, & omnibus concedere. Opportunè cadit superbi Aman exemplum. Quis lætitiam meam turbare poterit, ajebat ille, cùm illuc ascendero, ubi nihil mihi nocere poterit, & ubi neque invidia, neque mortalium potentia erit mihi pertimescenda? At numquam voti compos eris; Mardochæus, quem flocci facis, tuæ adversabitur felicitati, ac dedignante illo salutem tibi dicere, tibique transeunti assurgere, nihili æstimabis ipsam Principis gratiam, & familiaritatem, honores, & dignitates omnes, quas possides.

Pars altera. Humilitas gratiam nobis conciliat, pretiosissimum videlicet omnium supernaturalium honorum: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*. (Jacobi 4.) Quod probari potest, 1. pluribus Scripturæ locis, & exemplis, ex quibus liquet, Deum suis muneribus, & gratiis replere cor seipso vacuum. 2. Similitudines, quibus Sancti Patres utuntur, hoc ipsum confirmant. Quidam dicunt, Deum in rerum natura quidem in nihilo operari, atque ex nihilo præstantissima opera educere; in gratia verò suis donis replere animam profundæ humilitatis sensibus annihilatam. Alii verò ajunt, quemadmodum aquæ de montium cacumine defluunt, atque in imis locis subsidunt; ita gratias, omnesque Cœli favores in animam humilem confluere, atque secundùm Prophetæ verba, Deum eminus prospicere res sublimes, & ab iisdem recedere, eos verò locos, qui humiles sunt, propius adspicere, & magis ad illos accedere; in quem locum mira adfert Sanctus Augustinus. 3. Latè etiam disseri potest de eo modo, quo Deus operatur, qui quemadmodum ad magna quælibet perficienda infirmissimis usus est instrumentis, ita humilibus tantum utitur ad maxima quælibet facinora aggredienda, ne superbi factorum gloriam sibi referant acceptam.

Pars tertia. Humilitas nobis gloriam procurat, non in terris solum, prout effugimus illam, sed in Cœlis etiam, ubi ad majorem evehemur felicitatem,

citatem, prout major in mundo humilitas nostra extiterit. Scripturæ testimonia apertissima sunt; & hæ veritates sunt, quæ in dubium nequeunt revocari.

II. De humilitate concio potest institui ex hoc syllogismo, cujus propositiones duæ utramque partem explere possunt, ex quibus hæc inferatur moralis conclusio; nos videlicet eatenus magnos esse, quatenus humiles sumus.

Propositio major. Nos verè tales sumus, quales in Dei judicio sumus. Homines enim nostrorum meritorum, quæ minimè cognoscunt, & quæ cognoscere nequeunt, judices æqui esse non possunt. Nos verò adhuc minus æqui sumus, cum nostra res agitur; nos proprius amor excæcat, nosmetipsos minimè novimus; & præ superbia nobis eas inesse virtutes arbitramur, quibus semper caruimus. Deus unus est cordium nostrorum scrutator, & judicium, quod de nobis ille fert, certissima est regula & ejus, quod sumus, & quanti verè sumus æstimandi.

Propositio minor. At coram Deo magni non sumus, nisi quatenus humiles sumus; quod ejusdem veritatis oraculo probatur superbos abjicientis, atque contemnentis, humilesque tantùm habentis in pretio. Hoc etiam confirmari potest plurimis Scripturarum exemplis; quia Deus semper humiles elegit homines ad maximas quaslibet actiones peragendas; quibus veritates suas, lumina, gratiasque communicaret.

Ex præmissis duabus propositionibus conclusionem inferentes, videlicet nos eatenus magnos esse, quatenus humiles sumus, tertiam statuere possumus veritatem; humilitatem nempe verum esse ad gloriam iter.

III. Nosmet considerare possumus, quatenus. 1. ad Deum, 2. quatenus ad alios homines rationem habemus; 3. & in nobismetipsis.

1. Quatenus ad Deum, nihil nobis proprium vendicare possumus; omnia, esse, & vivere ab eodem accepimus: Absolutè pendemus ab illo, & sine illo nihil possumus aggredi. Undenam ergo superbia intumescimus, & vel minimæ rei gloriam nobismet usurpamus? Sine gratia nescimus, utrum Deo chari simus, an secus; utrum reprobabimur &c.

2. Quatenus ad alios homines; quot sunt, quibus inferiores sumus; & quantulum illud est, quo eos, quibus præferimur, superamus?

3. In nobismetipsis. Quot, quibusque miseriis sumus obnoxii; quantula in nobis vitius est, & quam parum est, quidquid boni in nobis invenitur?

IV. Dei Filius humilitatis & præceptum irrogavit, & consilium attulit: hoc ipsi didicimus ex Sancti Joannis Baptistæ exemplo, atque verbis Evangelii, quod tertia Adventus Dominica recitatur; ubi summus ille vir, 1. respuit honorem, qui sibi minime debebatur, negans se Messiam esse, qui profectò non erat; 2. illum etiam, qui sibi debebatur, abjecit, negans se Eliam, vel Prophetam aliquem esse.

Punctum Primum. Præceptum est cum reliquis confusum quemadmodum superbia cum cæteris vitiis commixta est. Humilitas si desit, quomodo ea præstare possumus, quæ Deo debemus officia? Fidem divinæ Majestati, obedientiam, cultum Religionis, & id genus alia: Erga proximum autem quomodo moneri nostro facere satis possumus, superioribus parere, dominos colere? si mortales omnes contempserimus, ac nos pluris, quam alios omnes fecerimus, quomodo civilis societas coibit? Humilitas est Christianæ Religionis fundamentum; & ambigi minime licet, utrum sexcentis in occasionibus præcepti sit, non consilii.

Punctum alterum. Aliis in occasionibus consilii tantùm est; sed ecce, quid suadeat Evangelium, ut virtutem hanc exerceamus: 1. Novissimum semper gradum eligere seipsum omni indignum bono existimare. 3. Cum alacritate, & voluptate illatas injurias pati. Sed cum hoc in loco de christiana loquamur humilitate, nequaquam ea intelligimus urbanitatis officia, quæ in mundi usu sunt posita.

Primum. Nulla nobis est causa superbiendi. 1. quia nihil habemus ex nobis, & quidquid habemus, id a Deo accepimus. 2. Nihil ea nobis possumus. V.

Secundò. Omnes nobis adsunt causæ nosmet humiliandi, vel id putemus, quod sumus, vel quod habemus; infirmitates, vitia, mala studia, propensionem in malum, salutis nostræ incertitudinem, &c.

VI. 1. Nosmet humiliare debemus, si nostra spectemus bona, & perfectiones, quibus præditi sumus. 2. Multò verò magis si nostras imperfectiones, & peccata consideremus.

VII. Tres validæ causæ humilitatem exercere nos cogunt.

1. In humilitate, & humiliatione veram magnitudinem, gloriamque nostram nanciscimur. 1. Quia in hoc statu certi sumus nos Dei Filio magis similes esse. 2. Quia Deus ad nos, nos verò ad Deum propiùs accedimus. 3. Quia aptiores sumus Dei gratiis, & muneribus recipiendis.

2. Hæc brevior, ac tutior est via ad pacem acquirendam, atque veram felicitatem indipiscendam. Rationes per se patent, easque alibi attulimus.

3. In hoc sita est perfectio, ac sanctitas nostra.

VIII. 1. Quanto Deus odio persequitur superbos, quos habet velut hostes sibi nefarium bellum inferentes, tanto amore prosequitur humiles, quos amicos suos nominat, & gratiis, atque favoribus cumulat. 2. Deus humilibus utitur, ut maximos potentiæ suæ effectus ostendat: ac in illis considit, facit enim illos sibi rerum egregiè gestarum gloriam nequaquam sibi vendicaturos. E contra verò in superbos maximè terribiles justitiæ suæ effectus ostendit Nabuchodonosor, Antiochus, &c.

IX. Contra superbiam, atque superbos. Quomodo illis resistat Deus.

1. Superbi semper magis attolli, majoremque gloriam acquirere cupiunt: *Superbia eorum ascendit semper.* *Psal. 73.* Deus verò illos humiliare, atque confundere oblectatur. 2. Deo eripiunt bonum illius, gloriam videlicet; Deus verò illis denegat bona, & gratias, quas large, effusèque humilibus confert. 3. Ubique dominari volunt, atque aliis imminere; Deus verò permittit, illos fieri mortalium omnium opprobrium, iisque carere bonis, quæ adeo insectantur concupiscunt.

X. 1. Humilitas Deum in nos detrahit; illius enim spiritus, dona, & gratiæ super humiles dumtaxat requiescunt. 2. Nos ad Deum attollit, eique charos facit, itaut fidenter ad illum accedamus, & votorum nostrorum summam ab eo consequamur.

XI. Humilitas superbiæ opposita est tribus in rebus: Superbus homo tria mala committit, injustus est, infidelis, ingratus. Sibi gloriam, non suam vendicat, hæc est injustitia. Deficit ab auctoritate, cui parere tenetur, hæc infidelitas est. Frui vult bonis, quæ accepit, tamquam propriis, hæc est ingratitudo. Ignava est anima, & abjecta, quæ honorem quærit, eodem vacua: quæ in se nonnisi infirmitates inveniens, gloria, quam eripit Deo, intumescit; & quæ modicum fragilis fortunæ ferre non valens contra Dominum insurgit, & acceptis beneficiis in eorum auctorem abutitur. Humilitas sensus inspirat prorsus oppositos.

1. Efficit enim, ut homines ii etiam, qui aliis præstant, Dei magnitudinem agnoscant, & venerentur. 2. ut Divinæ obtemperent legi, ejusque imperiis sese submittant. 3. ut Deo gratias habeant, qua in re solida gloria, ac generositas vera consistit. *Flechier Sermone in Cœna.*

XII. 1. Nosmetipsos ignoramus, eaque superbiæ nostræ causa est: humiles essemus, si nosmet cognosceremus. 2. Ignoramus superbiæ nostræ qualitatem; quousque illa procedat, mali hujus magnitudinem, & viri enormitatem. *Biroat in Adventu de mundi condemnatione.*

1. Sen-

XIII. 1. Sensus humilitatis, quos coram Deo habere debemus hinc infinitas illius perfectiones, inde infirmitatis nostræ miseriam spectantes. 2. Sensus humilitatis, quos coram humilibus habere debemus,

XIV. Dni Filius in Publicani, & Pharisæi parabola imaginem nobis proponere voluit variorum effectuum, quos superbia, atque humilitas gignunt.

1. In Pharisæo: nullum statum magis periculosum atque metuendum esse, quàm falsam, & arrogantem justitiam. 2. In Publicano: nullam in peccatore meliorem inveniri posse dipositionem, quàm humilem scelerum suorum cognitionem. *De la Font, Sermone pro Dominica* 10. *post Pentecosten*.

XV. 1. Ostendere possumus, humilitatem nos dejicere, ut attollat: 2. latebras, ubi nos abscondit, lucem aliquam continere. 3. Verum honorem, veramque gloriam in contemptu, qui cum humilitate conjunctus est, inveniri. *P. Masson. Sermone Adventus undecimo*.

XVI. 1. Omninò necessarium est, Christifidelem esse humilem. 2. Nihil Christianum magis decet, quam humilem esse. *Essais des Sermons; pro Passionis Dominica, argumento tertio, Tome primo Dominicalis*.

XVII. Ad ejus virtutis amorem in vobis excitandum, sine qua pietas omnis mera est illusio, humilitatem vobis considerandam propono, 1. tamquam fœcundam virtutem, quæ reliquas parit: 2. tamquam virtutem pretiosam, quæ est veræ gloriæ principium. *Essais de Sermons pro Adventu*.

XVIII. Cum Ecclesiæ Doctores docent quomodo cognoscendus sit Deus, vel de perfectionibus ejusdem loquendum; hoc bifariam fieri posse dicunt. 1. dicendo quod est; 2. dicendo quod non est. Opposita ratione; Christiani infirmitatem, & causas, propter quas seipsos humiliare debent melius ostendere non possumus, nisi dicamus, & quod est, & quod non est. Hoc facit S. Joannes Baptista Judæis sciscitantibus, quisnam esset, respondens. Scrutemur ergo duas hasce magnas christianæ humilitatis rationes; quid sitis, & quid minimè sitis; quod concionis partitionem efficiet.

XIX. Ex Sancti Bernardi sententia duplex est genus humilitatis. Humilitas mentis & veritatis; humilitas cordis, & affectionis.

Priori nihilum nostrum agnoscimus, & nos contemptu dignos judicamus.

Posteriori mundi honores contemnimus, & ea perquirimus, quæ coram eodem nos possunt annihilare. *Ex Sermonibus Christianis. Sermone de Superbia, & Humilitate*.

XX. Tres sunt veluti gradus, per quos spiritus superbiæ ad summum usque ambitionis fastigium homines adducere contendit. Primus est, illos insana opinione prævertere, suadendo ipsos aliquid esse; Secundus est; persuadere ipsos aliquid amplius esse, quàm alios. Tertius verò illos in hanc mentem inducere, ut supra se nihil esse arbitrentur. Primo gradu illos excæcat; altero injustos efficit; tertio denique impios.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest ad propositas Concionum structuras exornandas.

Sancti Patres. SAnctus Augustinus, Sermone 10. *De verbis Domini*, ostendit humilitatem eam esse virtutem, quam præsertim Dei Filius nos docuit, eamque totius spiritualis ædificii esse fundamentum.

Idem, *Serm*. 58. *de verbis Domini* ait, JESUM CHRISTUM non docuisse nos operari miracula, sed humiles esse.

Idem, *Serm*. 12. *De verbis Apost.* hoc ipsum ostendit, & JESUM CHRISTUM non per potentiam, sed per humilitatem dominum nostrum fuisse probat. Hoc idem argumentum pertractat etiam libro *de Sancta Virginitate cap*. 35. & libri ejusdem cap. 36. ostendit Salvatori charos in primis humiles corde fuisse.

Idem, *Tract*. 55. *in Joannem*, docet Dei Filium perfectum extitisse humilitatis exemplar, & Tractatu 58. ostendit, humilitatem in operibus nostris effulgere oportere.

Idem, *lib*. 14. *de Civit. Dei cap*. 13. ostendit nos per humilitatem attolli, & dejici per superbiam.

Idem, *Serm*. 8. *de Epiphania*, docet universam Christiani hominis sapientiam in humilitate consistere.

Idem, *Epist*. 56. *ad Dioscorum*, docet virtutum omnium principem, magisque necessariam esse humilitatem.

Idem, *lib*. 50. *Homil. homil. quinquagesima*, docet superbiam Deo displicere, ac Deum superborum dejectione oblectari.

Idem vel potius Auctor libri *de salutaribus documentis*, fusiùs persequitur fructus humilitatis, atque superbiæ, & varios effectus utriusque.

Idem, *lib*. 14. *cap*. 14. *de Civit. Dei*, docet perniciosissimam, atque maxime nefariam superbiam eam esse, qua peccata nostra cupimus excusare, qualis extitit in primo homine.

Idem, *Tract*. 25. *in S. Joannem*, adfert veram superbiæ nostræ medicinam, videlicet JESU CHRISTI exemplum.

Idem, *libro de Spiritu, & Anima*, docet humilitatis assequendæ viam esse id reputare quod sumus in bono æque ac in malo, & studia, quibus in utrumque rapimur.

Idem ibidem loquitur de suiipsius cognitione, quæ potissima est humilitatis acquirendæ via.

Idem, *in Psalm*. 32. loquitur de Publicano, & Pharisæo Evangelicis, atque alterius quidem profundam humilitatem, alterius verò intolerabilem superbiam ostendit.

Idem, *in Psalm*. 49. hæc explicans verba: *Arguam te, & statuam contra te faciem tuam*, docet nos peccatorum nostrorum adspectu humiliari debere.

Sanctus Gregorius, *lib*. 2. *in Reg.* in hæc verba: *Magnificatus est puer Samuel in conspectu Domini*, 1. Reg. 2. docet neminem coram Deo magnum esse nisi sese humiliet, & puer fiat.

Idem, *lib*. 27. *in Job cap*. 27. docet nullam sine humilitate veram esse posse scientiam, vel sapientiam.

Idem, *Homil*. 7. *in Evangel.* ostendit illi, qui magnus esse vult, humiles de semetipso sensus habendos esse.

Idem, *lib*. 36. *in Job cap*. 17. docet, debere quemlibet alios facere pluris, quam se, ac se minoris æstimare, quam cæteros.

Idem, *lib*. 4. *in Reges*, humilitatis elogium adfert, & docet humillimum quemque maximum esse, & sapientissimum.

Idem, *Homil*. 7. *in Evangel.* docet sine humilitate virtutes frustra inquiri, & omnia opera bona in irritum cedere.

Idem, *lib*. 19. *in Job cap*. 13. contra illos invehitur, qui ob opera bona, affectuumque suorum victoriam superbiunt.

Sanctus Chrysostomus, *Serm*. 3. *in cap*. 1. *S. Matth.* docet, omnia opera bona per humilitatem esse sanctificanda.

Idem, *Serm*. 62. *in idem Evang.* Saulis, & Davidis exemplo docet, superbiam dejicere homines, & humilitatem attollere.

Idem, *Serm*. 65. docet nihil majus esse humili viro, nihil abjectius superbo; Quibus addit, humilem semper pace frui, superbum cupiditatibus suis dilaniari.

Idem, *Homil*. 29. *in S. Matth.* 7. *in Epist. ad Philippenses, &* 23. *in Genes.* egregia quædam habet de humilitate.

Idem, *Homil*. 27. *in Epist. ad Hebr.* hortatur fideles, ut Evangelici Publicani humilitatem imitentur.

San-

Sanctus Hieronymus, *Epist.* 1. *ad Demetriadem*, illam hortatur ad virtutes bene distinguendas, veramque humilitatem a ficta dignoscendam ex iis characteribus, qui illius proprii sunt, & quos in Epistola memorat.

Sanctus Basilius, *Homil.* 9. *in Psalm.* 33. docet quænam sit vera humilitas, & quam rara sit.

Auctor Sermonum, *Ad Fratres in Eremo* inter opera S. Augustini plurima habet, eaque egregia de superbia, & humilitate.

Sanctus Cyrillus, *lib.* 6. *in S. Joannem*, de hac virtute loquitur.

Cassianus lib. 4. & 12. Institutionum hoc argumentum pertractat.

Sanctus Ambrosius, *Epist.* 44. *ad Const.* docet plures speciem quidem humilitatis, non veram humilitatem habere.

Sanctus Bernardus pulcherrimum edidit tractatum de gradibus humilitatis.

Idem, Serm. 4. *Si permissus est*, fusiùs de Sanctæ Virginis humilitate, deque malis superbiæ verba facit.

Idem, *Serm.* 16. *in Cantica*, & *Serm.* 34. *de Verbis Domini*, & *in Epistola* 87. *ad Ogerium*. *Serm.* 34. *in Cantica*, & *in Epist.* 42. *ad Henricum Archiepiscopum Senonensem*, de hac virtute loquitur.

Ascetici aliqui. Sanctus Franciscus Salesius Introductione ad Vitam Devotam 3. parte cap. 4. prolixum, solidumque hujus argumenti habet Sermonem.

P. Ludovicus Granatensis plurima habet, & egregia hujus argumenti, cum loquitur de remediis contra superbiam, de periculis, ac malis, quibus obnoxii sunt superbi.

Sanctus Bonaventura in quodam ex Asceticis Tractatibus loquitur de humilitatis necessitate, atque utilitate pro bonorum morum reformatione, Richardus de Sancto Victore.

P. Jacobus Alvares Tomo 2. lib. 4. collegit quidquid SS. Patres magis solidum in hoc argumento dixere.

Cardinalis Bona.

Theophilus Bernardinus, *de Perseverantia Religiosa lib.* 3. & 4.

Eusebius Nierembergius, *in Doctrinis Asceticis lib.* 3. *Doctrin.* 4. *lib.* 2. *de adorat. cap.* 14. 16. 17. 19. & 20.

Petrus Sanchez, *in Regno Dei*.

Pean in Schola JESU CHRISTI *cap.* 21.

Vitæ Spiritualis Fundamenta ex pulcherrimis locis ex libro de Imitatione JESU CHRISTI decerptis composita.

P. Dozenne, in Morali JESU CHRISTI.

P. Nepueu in libro de Spiritu Christianismi, & in quatuor tomis Considerationum.

P. Saint-Jure in libro de Cognitione, & amore Domini nostri.

P. Croiset de superbia fusiùs locutus est Tom. 2. Considerationum Christianarum.

P. Guillorè in Illusionibus Vitæ Spiritualis.

Joannes Rusbrochius, *in lib. de præcip. virtut.* Raynerius de Pisis in Pantheologia.

Pauci sunt Ascetici, qui hoc Argumentum prætereant.

Concionatores. P. Ludovicus Granatensis Sermone pro 16. post Pentecosten Dominica; & Sermone 1. in festum S. Thomæ Aquinatis.

P. Delingendes duplicem habet hujus argumenti sermonem. Alterum pro feria tertia, alterum pro quarta secundæ hebdomadæ in Quadragesima. In altero eas adfert rationes, propter quas nosmet humiliare debemus; in altero verò varias humilitatis species, gradus & actus.

P. Catillon in Adventu.

De la Volpilliere Tomo 2.

Auctor Sermonum moralium.

Biroat. Sermone 8. Adventus, ubi ostendit mundi superbiam JESU CHRISTI humilitate in Incarnatione damnatam.

Dictionarium Morale Tomo 3. duos habet hujus argumenti Sermones, ac plures Considerationes.

Essais de Morale. Tomo 5. in tertiam Adventus Dominicam.

P. Texier Sermone pro Dominica 16. post Pentecosten loquitur de honore mundano, & quàm perniciosum sit illius desiderium.

Abbas Trappensis in duabus Collationibus, quarum altera est pro quinta Adventus Dominica, altera pro decima post Pentecosten.

Abbas de Monmorel de hac re in duabus Homiliis verba facit; altera quidem pro tertia Adventus Dominica; altera verò pro decima post Pentecosten.

P. La Pesse, 5. Tomo Sermonum, Sermonem habet de humilitate, ubi hanc magnarum animarum virtutem ostendit.

Joly in Operibus mixtis, Sermone de Spiritu Religionis, de humilitate, & superbia verba facit.

Idem in Propositionibus, Tomo 1. in primam Dominicam post Epiphaniam.

Flechier Sermone pro feria 5. in Cœna Domini ostendit, eos qui ad dignitates evecti sunt, humiles esse debere.

Lambert in Anno Evangelico, Homilia pro tertia Adventus Dominica.

Fromentiere, Sermone pro feria secunda majoris hebdomadæ Christianæ humilitatis necessitatem ostendit.

Masson, Oratorii Presbyter, undecimo Sermone Adventus.

De la Font in Ecclesiasticis alloquiis, alloquio pro decima post Pentecosten Dominica.

Auctor Sermonum Christianorum pro Dominica 10. post Pentec. Sermonem habet de superbia, & humilitate spiritus, & cordis.

Auctor Sermonum, in omnia Ethicæ Christianæ argumenta in Adventu, Sermonem habet de humilitate.

Idem, Tomo primo, Sermonum particularium loquens de pedum ablutione, loquitur etiam de humilitate.

P. Ludovicus Granatensis in locis communibus. Qui collectanea ediderunt.

Busæus, *in Viridario*. Titulo *Humilitas*.

Idem, *in Panario*. Titulo *Superbia*.

Labatha plura habet hujus argumenti capita.

Peraldus, Bercorius, Summa Prædicantium.

Recupitus, *de signis prædestinationis, & reprobationis*, signo 5.

Hortus Pastorum, & Drexellius *in Rosis* plurima hujus argumenti collegerunt.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Applicationes Scripturarum huic Argumento.

Quia semel cœpi, loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis & cinis. Genes. 18.

Vidit Dominus humilitatem meam. Genes. 29.

Clamavimus ad Dominum Deum Patrum nostrorum, qui exaudivit nos, & respexit humilitatem nostram. Deut. 26.

Suscitat de pulvere egenum, & de stercore elevat pauperem, ut sedeat cum Principibus, & solium gloriæ teneat. 1. Reg. cap. 2.

Ego sum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abjectio plebis. Psal. 21.

Ludam, & vilior fiam plus quàm factus sum, & ero humilis in oculis meis. 2. Reg. c. 6.

Humilium & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio. Judith. 9.

Ubi est humilitas, ibi & sapientia. Prov. 11.

Humiles spiritu salvabit. Psal. 33.

Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra; & alta à longè cognoscit. Psal. 137. & 112.

Gloriam præcedit humilitas. Prov. 15.

Humilem spiritu suscipiet gloria. Prov. 29.

Decla-

Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis. Psal. 118.

Quia humiliati sunt, non disperdam eos, daboque eis pauxillum auxilii. 2. Paral. c. 12.

Domine non est exaltatum cor meum: neque elati sunt oculi mei. Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me. Psal. 130.

Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi. Eccli. 23.

Quantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam. Eccli. 3.

Oratio humiliantis se, nubes penetrabit: & non discedet donec Altissimus aspiciat. Eccli. 35.

Magna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur. Eccli. 3.

Ubi fuerit superbia, ibi erit & contumelia. Prov. 11.

Superbum sequitur humilitas. Prov. c. 29.

Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum & contritum spiritu, & trementem sermones meos? Isaiæ, cap. 66.

Qui humiliatus fuerit, erit in gloria: & qui inclinaverit oculos, ipse salvabitur. Jobi 22.

Nonne cùm parvulus esses in oculis tuis, caput in Tribubus Israel factus es? 1. Reg. c. 15.

Respexit in orationem humilium, & non sprevit precem eorum. Psal. 101.

Dominus pauperem facit & ditat, humiliat & sublevat. 1. Reg. c. 2.

Oculos superborum humiliabis. Psal. 17.

Humiliata est in pulvere anima mea. Psal. 43.

Cor contritum & humiliatum Deus non despiciet. Psalm. 50.

Tu humiliasti sicut vulneratum, superbum. Ps. 88.

Priusquam humiliarer, ego deliqui. Psal. 118.

Bonum mihi quia humiliasti me. Ibidem.

Humiliatus sum usquequaque. Ibidem.

Humiliare Deo, & expecta manus ejus. Eccli. 13.

Est qui nequiter humiliat se. Eccli. 19.

Arrogantiam fortium humiliabo. Isaiæ 13.

Gloriosos terræ humiliabo. Idem, cap. 45.

Humiliabitur superbia Israel. Oseæ 7.

Humiliabitur superbia Assur. Zachar. 10.

Humiliatio tua in medio tui. Mich. 6.

Respexisti humilitatem meam. Psal. 30.

Quid superbit terra & cinis? Eccli. 10.

Abominatio est superbo humilitas. Eccli. 13.

Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper. Psal. 73.

Initium omnis peccati est superbia. Eccli. 10.

Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum Cælorum. Matth. 18.

Quicumque ergo se humiliaverit sicut parvulus iste, hic major est in regno Cælorum. Ibid.

Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Matth. 11.

Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Ibidem.

Quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister: & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus. Matth. 20.

Si quis vult primus esse, erit omnium novissimus, & omnium minister. Marci 9.

Respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Luc. 1.

Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles. Ibidem.

Cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco. Luc. 14.

Tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc. 1. ad Corinth. 4.

Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei. Ibid. cap. 15.

Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc. Ad Ephes. 3.

Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. 1. ad Timoth. 1.

In humilitate superiores sibi invicem arbitrantes. Ad Philipp. 2.

Semetipsum exinanivit formam servi accipiens. Ibidem.

Noli altum sapere, sed time. Ad Rom. 11.

Omnes invicem humilitatem insinuate, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. 1. Petri cap. 5.

Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis. Ibid.

Humiliamini in conspectu Domini, & exaltabit vos. Jacobi 4.

Omnis, qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur. Luc. 14.

Arrogantiam & superbiam detestor. Prov. 8.

Exempla ex veteri, novoque Testamento decerpta.

QUod ad superbiam pertinet, quantopere Deus illam execretur, & quibus suppliciis percusserit hoc peccatum, quod est cæterorum origo, non aliis opus est exemplis, quàm primi Angeli, primique hominis, quæ cum satis cognita sint, non est, cur iis immoremur.

Mortalium nemo pluribus, majoribusque Dei gratiis, & beneficiis fuit cumulatus, quam Abraham; & fortasse nemo eodem humilior extitit, neque ob ea, quæ receperat bona, minus intumuit. Patet ad quem usque magnitudinis apicem illum evexerat Deus; illi quippe spoponderat, se facturum illum fidelium patrem, & caput gentis, cujus numerus & cœli sydera, & maris arenas æquaret: Messiam ex illius progenie nasciturum, omnesque populos in nomine illius esse benedicendos. Deus cum illo egerat tamquam amico, & hoc etiam nomine illum dignatus fuerat; sed magnus ille vir non nisi humilitate summa tot favores acceperat, & quantumvis magnus esset in oculis Dei, in oculis tamen suis nihil aliud erat quàm pulvis, & cinis: *Loquar ad Dominum, cùm sim pulvis, & cinis.* Ejus submissio omnibus Domini nutibus; velox obedientia difficillimis, quæ illi irrogata fuerunt, imperiis, humilitas, atque hospitalitas, qua peregrinos recipiebat, omnesque ejus actiones quemdam præseferunt humilitatis characterem, qui in dubium revocat, utrum ille, qui ex Sancti Ambrosii sententia, ideas omnes superavit, quas sibi adstruxerunt Philosophi de præcipuis summorum virorum virtutibus, major, an humilior extiterit. — *Humilitas Abraham.* — *Genes. 18.*

Cum significavit Moysi Deus, se elegisse illum, quem nuntium mitteret ad Pharaonem, ut Israeliticum populum de barbara hujus regis eriperet servitute; Moyses tantam prætulit humilitatem, ut illum Sanctus Gregorius Ecclesiæ Pastoribus proponat exemplum, qui, quin sese ad populorum regimen obtruderent, etiam a Deo ipso invitati, se invitos ad id cogi deberent ostendere, & summo timore concuti ad ejus ministerii adspectum, de quo districtam adeo rationem sunt reddituri. Quis ego sum? humilis Legislator respondit, ut nomine tuo Pharaonem alloquar, eumque populum tuum ex captivitate dimittere cogam? Ut ille tantum onus susciperet, opus fuit, ut Deus se cum illo futurum polliceretur, eaque suppeditaturum subsidia, quibus fretus optatum finem consequeretur. Ita non intumesceret, eo quod a Deo ad tantum munus electus fuerat, quæsivit causas, quas prætexeret, ut sese a tanta provincia subeunda excusaret; cum vero Dei mandatis ulteriùs resistere non potuit, se humiliavit, suam auctoritatem partitus est, socios muneris habere voluit, & neque superbus, neque imperiosus factus est in eos, quorum liberator futurus erat, & Dominus. — *Humilitas Moysis.*

David magnus Rex fuit, eumque Scriptura tamquam maximorum Principum proponit exemplum: — *Humilitas David.*

sed

sed non tantùs est exemplum humilitatis, quàm in ipso etiam solio rueri debent, qui dominantur. Humilitas, & mansuetudo illius erant virtutes præcipuæ, atque his sese adeo charum effecerat Deo, ut eidem a se læso utramque rememorare consueverit, illius iracundiam deliniturus: *Vide humilitatem meam. Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus.* Semper meminerat, se humili natum loco, ab ovium cura ad regnum a Deo fuisse evocatum; & jure dicere possumus, nullum unquam Principem de se humiliter adeo sensisse; illudque discriminis intercessisse inter ipsum, ac Saulem decessorem illius, quod Saul per humilitatem ad regnum evectus, per superbiam ab eodem fuit deturbatus; e contra Davidis humilitatem post partum eidem regnum, illud etiam usque in finem servasse; ut inde intelligeremus, Deum pati non posse superbos, humiles verò diligere.

Psal. 50. Psal. 131.

Salutare monitum, quod Tobias dedit filio suo

Inter consilia, quæ Tobias jamjam moriturus filio suo tradidit, hoc etiam, atque etiam tamquam omnium maxime necessarium commendavit. Fili, ne permittas ut superbia tuis cogitationibus, verbisque dominetur; inde enim omne exitium, & omne malorum nostrorum principium exiuit. Patres, qui salutare hoc consilium ad examen vocarunt, dicunt, patrem filio suo commendasse ut duplex superbiæ genus effugeret, alterum cogitationis, quo sublimem de nobismetipsis, virtutibus, meritisque nostris existimationem concipimus; alterum verborum, quo opera nostra, atque egregias qualitates ostentamus, ut nominis celebritatem nobismet conciliemus.

Exemplum Achab ostedit nihil aptius humilitate Dei iracundiam flectere.

Quod validius exemplum ejus potestatis, quam ad Dei iram flectendam humilitas obtinet afferri potest, quàm Achab Rex ille propter injustitiam, atque impietatem adeo execrabilis? Jam lata erat contra ipsum mortis sententia; justusque Judex tot nefariis criminibus irritatus jamjam celerem de illo ultionem experiturus videbatur. *Ecce ego inducam super te malum.* Sed quod vidit Deus coram se Achab humiliatum; Rex iste licet nequissimus iram illius flectit, atque divinæ Justitiæ telum detorquet: *Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus.* Tanta est humilitatis potestas.

3. Reg. c. 21.

Ibid. m.

Alia exempla.

Manasses omnium Regum Juda maximè impius, & crudelis justam divinæ Justitiæ ultionem in se convertit; sed victus, vinctusque etiam, & Babylone captivus cum in teterrimi carceris caligine sese humiliavit, suumque scelus agnovit; misericordiam obtinuit, ac throno suo redditus est. Nabuchodonosor, qui propter superbiam ad brutorum conditionem fuerat redactus, ubi agnovit supremam illius potestatem, supra quem sese attollere conatus fuerat, per humilitatem major factus est, quàm olim per superbiam fuisset.

JESU CHRISTI humilitas.

Ex omnibus virtutibus humilitatem Salvator constantiùs exercuit, eamque nos ab eodem discere jussit; quapropter Tertullianus ait, *Dominus in humilitate, & ignobilitate incessit.* Ille ab ipso suæ nativitatis exordio ad ultimum usque spiritum incessit in humilitate, omnesque gressus suos opprobriorum suorum charactere insignivit. Ejus in sinu Matris Incarnatio, nativitas ejus in Stabulo, atque præsepe, mors in Cruce, actus humiliationis fuerunt, non circumstantiæ solum, & additamenta, verùm etiam ipsa mysteriorum eorumdem substantia, & essentia. In Incarnatione usque ad ipsam annihilationem humiliatus est, omnem magnitudinem exuens, omnemque seponens gloriam, ut nostris infirmitatibus indueretur. *Exinanivit semetipsum.* De matre paupere nasci voluit; in Circumcisione sua peccati caracterem, & peccatoris figuram assumpsit, atque ita humiliationum omnium maximæ sese subjecit; triginta primos vitæ suæ annos in fabri lignarii Officina transegit in abjectissimis officiis, in jugi, assiduaque obedientia, omnibus ferme ignotus, & a consanguineis ipsis contemptus, ab illis videlicet, a quibus præ cæteris melius erat cognoscendus.

Ad Phil. 2.

De Sanctæ Virginis humilitate.

Post JESU CHRISTI humilitatem nulla est cum Sanctissimæ Virginis humilitate comparanda. Ipsa etiam testatur, Deum ipsius humilitatem respexisse, & virtutem hanc Dei amorem ipsi promeruisse. Hæc gratia plena non fuit, nisi quod seipsa extitit vacua: hæc Dei Mater fuit, & creaturas omnes magnitudine superavit, quia omnes superavit humilitate: & nullus dubito, quominus si creatura aliqua humilior extitisset, beata Virgine, illa huic fuisset præferenda. Ubi nunciatum illi fuit, ipsam in Dei sui Matrem electam fuisse, non alio se nomine nisi humilem vocat ancillam. Sed ad adeo sublimem honoris gradum videns evectam novo suæ humilitatis artificio, seipsam abscondit, verbum non profert, imo neque Sancto Joseph conjugi suam aperit dignitatem.

Humilitas S. Joannis Baptistæ.

Admiremur Sancti Joannis Baptistæ humilitatem, verum simul edoceamur. Si eminentes illius veritates mentis nostræ aciem perstringunt, illius nos ædificet profunda humilitas; si ejus dignitas ipsum nobis non imitabilem præbet, nobis exemplum sit ejus modestia. Quò major est, eo illum agnosco humiliorem; & quo mihi videtur humilior, eò majorem prædico. Magnitudo ejus mihi probat humilitatem; humilitas verò illius magnitudinem commendat. Quis tu? interrogabant illum, qui missi fuerant a Synagoga. Es ne Christus? an Elias? an Propheta? Nihil horum ego sum, ille reddidit; cumque se adactum vidit, ut aliquid peculiariter responderet, atque, quid de seipso sentiret, testaretur; tunc *Ego*, ait, *vox clamantis in deserto.* Profectò nequit de se humiliùs sentire, neque se magis demittere, si cogitemus, quid sit vox, sonus videlicet in aere evanescens, qui nullam habet consistentiam, & qui nihilum, entiumque omnium novissimum potest appellari.

S. Petri humilitas.

Si Sanctus Petrus Apostolorum princeps, & caput aliquando se nimium propriis confidere viribus ostendit; fatendum quoque est, ipsum suam expertum infirmitatem deinceps humilem fuisse, ac talem, qualem esse decebat illum, qui electus fuerat, ut fundamentalis esset petra, super quam Dei Filius suam ædificaret Ecclesiam. Ostendit ille virtutem hanc profundas jam egisse radices in corde suo, cum Salvatori dixit: *Recede a me, quia homo peccator sum.* Recede Domine, tu Deus es omnipotens, ego verò infirma creatura. Tu Sanctus Sanctorum, ego verò peccatorum nequissimus: *Recede a me.* Quos imbecillitatis, nihilque sui sensus ille post pœnitentiam concepit &c.

Luc. 5.

S. Pauli humilitas.

Neque minus admirabilis fuit humilitas Sancti Pauli. Hoc vas electionis seipso vacuum esse debebat, antequam tot cœlestibus gratiis repleretur; & dicere possumus humilitatem ejus fuisse profundam, ac parem altitudini ejus ministerii, ad quod evocabatur; vel si mavis parem superbiæ, per quam contra Deum insurrexerat primos Fideles persecutus. Et sane hujus persecutionis recordatio semper ejus spiritui præsens, jugis erat illi humiliationis occasio, atque erat veluti æquipondium cum sublimi dignitate Apostoli Gentium, ad quam fuerat evectus, tum admirabilibus revelationibus ejus. Tunc etiam postquam ad tertium usque sublatus fuit Cœlum, recordatus est sa Divinæ Misericordiæ manu fuisse prostratum; quæ cogitatio adeo humiles de seipso sensus illi injiciebat, ut modò se persecutorem, modò primum, & improbissimum peccatorum omnium, modò Apostolorum minimum, & hoc augusto, gloriosoque nomine indignum vocaret; & quantumvis animum adverteret ad ministerium, ad quod fuerat evectus, atque quantumcumque fructum faceret, omnem Deo gloriam referebat acceptam, & virtuti gratiæ tribuebat, quidquid erat, & quidquid operabatur. *Gratia Dei sum id quod sum.*

1. ad Cor. 15.

Alia humilitatis exempla.

Alia quoque nobis suppetunt in novo Testamento hujus virtutis exempla, puta, Mariam Magdalenam

fenam ad JESU CHRISTI pedes provolutam, eosque lacrymis irrigantem: Mulierem Chananæam patientet, humiliterque Apostolorum, & ipsius JESU CHRISTI repulsam ferentem: Centurionem se indignum censentem, qui domi suæ Salvatorem exciperet: Publicanum in ima Templi parte stantem, neque in Cœlum oculos attollere audentem, sed ejusdem veritatis oraculo justificatum.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic argumento.

Humilitas propria virtus JESU CHRISTI. LIbenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. 2. ad Corinth. cap. 12. Quænam hæc est virtus JESU CHRISTI, Sanctus Bernardus interrogat? Humilitas est, inquit ille; quia in hac præsertim virtute se exercuit toto vitæ mortalis tempore, quia hanc nos verbo docuit, & exemplo, ac voluit, ut ab ipso hanc potissimum perciperemus: *Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde.* Præterquamquod eo mo, ut ille hanc in supremo gradu observavit; quia eum nemo adeo magnus esset, sese adeo exinanivit: *Qui cum in forma Dei esset &c. semetipsum exinanivit.* Ad Phil. 2.

Deus, qui humilitatem præcepit, illius etiam exemplum exhibet. *Exurge in præcepto, quod mandasti. Psalm. 7.* Quæri etiam posset quodnam sit hoc præceptum, cujus exemplum a Deo petit Propheta: hic enim est eorum verborum sensus: *Exurge in præcepto, quod mandasti:* De præcepto hoc dici potest, quod Sanctus Bernardus de humilitate dixit, quod antonomasticè virtus est JESU CHRISTI; præceptum videlicet, quod inter cætera hoc nomine per antonomasiam vocatur, esse præceptum humilitatis, quemadmodum Sanctus Augustinus interpretatur: *Qui humilitatem præcepisti, humilis appare;* quasi diceret Propheta: Ostende quomodo servanda sit virtus ista, quam tantopere commendasti. Virtus hæc, satis nosti, ita hominibus ignota est, ut ne ipsius quidem nomen agnoscant. Quomodo ergo illam servabunt, nisi exemplo hoc illos docueris?

In humilibus thesauros suos Deus collocavit. *Ponens in thesauris abyssos. Psal. 32.* Quod ex Interpretum sententia significat, in abyssis thesauros contineri. Et sanè illos, veluti aurum, aliaque metella in terræ fimo, margaritas verò in maris limo abdidit natura. Hoc ipsum de gratiæ thesauris dicendum est, Patres inquiunt; in animabus humilibus, quæ per humilitatis altitudinem jure abyssi vocari possunt; quæ sese in nihilo fundarunt; in his inquiunt, Deus omnes divitias, suarumque gratiarum thesauros abscondit.

Extra nos egrediendum non est, ut inveniamus, unde humiliemur. *Humiliatio in medio tui. Mich. 6.* Dicit Propheta quidam omnibus hominibus; Vos in medio vestri principia, & causas vestræ humiliationis geritis. Ratio est, quod in naturæ quidem ordine ex nihilo fuistis educti, & corpora vestra ex luto compacta fuerunt; in ordine verò gratiæ, fœcentis fœdati estis iniquitatibus, & in ordine gloriæ vobiscum corruptionis vestræ semen affertis: *Humiliatio in medio tui.* Oportet igitur, ut extra se evagetur homo, ut gloriæ, & superbiæ causas inveniat; opus est ut supra id, quod est, seipsum attollat, atque vera magnitudine carens, fictam, falsamque sibi vendicet.

Dei humiliatio illustravit divinitatem. *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus. Joan. 1.* Patres quidam animadverrunt, Sanctum Joannem Evangelistam, ubi ait, Verbum carnem factum maxima omnium humiliationum, statim addere, & vidimus gloriam ejus: quasi hæc mira humiliatio, atque extrema annihilatio illius divinitatem cognoscendam tradidisset. Et profectò nonnisi Deus, eousque descendere, atque sese humiliare poterat. Vel quomodo de altitudine extruendi ædificii ex fundamentorum profunditate conjicitur, de magnitudine Dei judicium ferendum est ex hac ipsa humiliatione, quæ æque incomprehensibilis est, ac suprema ejusdem magnitudinis celsitudo.

Humilibus tantum explorata sunt cœlestes veritates. *Zachæe festinans descende &c. Luc. 19.* Zachæus arborem ascenderat, ut commodè videret Dei Filium prætereuntem, atque populi turba circumdatum, quæ prohibebat ne pusillus homo illum posset intueri. Quidam Sancti Patres in his verbis mysterium deprehendunt, & dicunt, eum, qui sese attollit, non posse Dei humanam carnem induti veritates cognoscere; sed potius descendentem, atque profunda humilitate sese dejicientem eas posse intelligere. Superbi in sublimibus hisce mysteriis nihil vident, & frustra rationis acumine illa scrutari conantur: *Abscondisti hæc a sapientibus;* non secus ac perspicua Dei visio in cœlis pro illis non est: Pusillis, & humilibus cœlestium veritatum cognitio est reservata: *Revelasti ea parvulis.* Matth. 18.

Humiles pro viribus virtutes suas tegunt, detegunt vitia. *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, &c. Isaia 66.* Scita est sapientis cujusdam Parisiensis Episcopi sententia; humilem pauperi comparat. Pauper, si nummos habet, eos occulit; si quid bonum adeptus est, cavet, ne videatur; centones verò, & scruta, paupertatem, ac vulnera sua ostendit, & detegit, ut intuentium excitet misericordiam. Hic est eorum, qui verè humiles sunt, character; abscondunt thesauros suos, gratias, virtutes; defectus tantum, infirmitatesque suas ostendunt.

Quo in sensu intelligendum sit quod novissimo loco sit recumbendum. *Recumbe in novissimo loco. Luc. 14.* Præter sensum, qui vulgò his Evangelii verbis tribuitur, alter appingitur, qui generatim fidelibus omnibus convenit. His semper novissimus locus arripiendus est; hoc est debent cæteros quoscumque sibi præferre non solum officiosa urbanitate, quæ fallax, & exterior dici potest humilitas; sed humilitate sincera, & christiana, quæ interior, & vera urbanitas vocari potest. Hæc autem humilitas primum considerand a est in sensu cordis, quatenus spectat ad nosmetipsos; cum indesinenter in nobis suffocare conamur, quidquid arrogantiam, & superbiam sapit. Hic autem sensus inniti debent contemptui nostrum metipsorum, quomodo docet Apostolus dicens: *Si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit.* Ad Gal. 6.

Humiles sensus, quos de seipso S. Joannes Baptista fovebat. *Quid dicis de te ipso? Ego vox clamantis in deserto. Joan. 1.* Tales fuerunt humiles S. Joannis Baptistæ sensus ea in occasione, in qua qui humanos quæsivisset honores, locum nactus fuisset sibi majorem conciliandi laudem inter tot admiratores, quibus erat circumdatus. Sed sanctus hic vir, non verbum proferret, quod augere posset sublimem ideam, quam Judæi de illius merito conceperant, intra angustissimos modestiæ fines scipsum continet, populi totius honores detrectat, atque plausus licet æquissimos renuit. Parum erat adeo generosæ virtuti, heroicæque humilitati, qua sanctus hic JESU CHRISTI Præcursor prædictus erat fateri se non esse Christum, neque Prophetam; verùm palam profitetur se indignum esse, qui Messiæ abjectissima quælibet præster officia. At vos ista non movent, o sæculi sapientes, ignavi fortunæ cultores, & gloriæ mancipia; vos, qui chimericum plerumque præ vobis ferentes meritum, semper tamen exiguum, ambitiosos conatus vestros ad sublimissimas etiam dignitates attollitis? Inani honorum fulgore decepti enixè illos tamquam solidum bonum conquiritis; imperiosè honoris notas exigitis tamquam debitum vobis tributum, easque hilari, lubentque animo accipitis tamquam cumulum vastræ felicitatis. Eheu! Si vestrum tantummodo quæreretur suffragium, ut vestri nominis existimationem, famamque constitueretis, mundi spiritus vobis proculdubio sensus inspiraret longè diversos ab illis, quos Dei Spiritus Sancti Joanni Baptistæ inspiravit.

Non videmus defectus nostros, quorum latere humiliare nos possent. *Oculos habent, & non videbunt. Psalm. 113.* Mirum non est, nisi trabem in oculo nostro positam intuemur: *Trabem, quæ in oculo tuo est, non consideras;* licet illa sit immensæ magnitudinis. Superbiæ quippe, cui fere semper subjecti sumus, proprium est, oculos aperire, ut alienos videamus defectus, illos augere, & multiplicare;

oculos verò claudere ne nostra videamus errata; itaut de nobis, ea jure dici queant verba: *Oculos habent, & non videbunt*. Sed quomodonam in nobis ea videre possumus, quæ humilitatis sensus nobis valeant injicere? Hominum pars alienis tantùm defectibus inspiciendis vacat: alii quidem ut illos puniant, alii verò sub prætextu salutaria illis monita tribuendi; atque ita omnem ferè vitæ nostræ curriculum emetimur, quin oculos in nosmetipsos, nostros mores, imperfectiones, defectusque conjiciamus. Si unico obtutu nosmet videre possemus, quales sumus, quonam rubore suffunderemur? Quos inde altissimæ humilitatis sensus conciperemus? Sed in defectibus nostris tantum cæci sumus, quantum perspicaces in alienis; & superbia nostra regit, & celat, quidquid prodesse potest, ut nosmet coram Deo, & hominibus humiliaremus.

In nobis jugem humiliationis causam habemus.

Humiliatio tua in medio tui. *Mich.* 6. Quantumvis altas radices jecerit superbia nostra, in nobis positum est humiliationem nostram in nobismetipsis invenire; hæc enim nostrum metipsorum pars, cujus idololatræ sumus, & quam tantopere amamus, corpus hoc, reipsa non aliud est, quam entium omnium abjectissimum, corruptionis subjectum, & ut Tertullianus ait: *limus titulo hominis incisus*. Æquum ne est, ut pulvis, & limus glorietur, suamque jactet essentiam, & per peccati nequitiam contra illum insurgat, qui eumdem suo animans spiritu, misericordia sua ultra ipsius conditionem illum provexit? *Quid superbis terra, & cinis? P. Bourdalove. De ritu cinerum.*

Eccli. 10.

Superbia non est homini ingenita, ut docet Spiritus Sanctus.

Non est creata hominibus superbia. *Eccli.* 10. Hoc est homo ex natura sua non habet, unde superbiat, ac ipse injuria se extollit. Nonne, reipsa, hic sensus est, quem fovet de sua infirmitate, & miseria, quo actus se plurimi facis, & ab aliis exigit existimationem, qua suppleat honori, quem non meretur? Sciens se minimum esse, & abjectissimum, intumescit, atque sese attollere conatur, ut seipsum credat, aliisque videatur major, quam verè sit. Itaque superbi non sumus, nisi quod cognoscimus, nos non debere esse superbos. Nobismetipsis imponere debemus, debemus aliis etiam imponere, ut illud constituamus meritum, de quo cum arrogantia gloriari possimus.

PARAGRAPHUS IV.

Sanctorum Patrum loci, & Sententiæ hujus Argumenti.

S*imulatio humilitatis major est superbia*. August. de Virginit. cap. 43.

Deus humilis factus est, erubescat homo esse superbus. Idem, in Psal. 54.

In summo honore summa sit humilitas, honoris laus est, humilitatis virtus. Idem, Serm. 215.

Mensura humilitatis unicuique data est ex mensura magnitudinis. Idem, de sancta Virginitate, cap. 31.

Scio quibus viribus opus sit, ut persuadeatur superbis, quanta sit virtus humilitatis. Idem, l. 1. de Civit.

In infirmitate humilitatis perficitur virtus charitatis. Idem, l. 4. de Trinit.

Tota & vera Christiana sapientiæ disciplina in vera & voluntaria humilitate consistit. Idem, Serm. 8. de Epiph.

Videte, fratres, magnum miraculum, altus est Deus: erigis te, & fugit à te: humilias te, & descendit ad te. Idem, Serm. 2. de Ascens.

Magnus esse vis? à minimo incipe; cogitas magnam fabricam construere celsitudinis? de fundamento priùs cogita humilitatis; & quantò quisque vult, & disponit superim ponere molem ædificii, quantò majus erit ædificium, tanto altius fodit fundamentum. Idem, Serm. 10. de Verbis Domini.

Deus factus est humilis, ut vel sic superbia generis humani non dedignaretur sequi vestigia. Idem, in Psal. 33.

Si quæris quid primum sit in religione & disciplina Christi? respondeo primum est humilitas; quid secundum? humilitas; quid tertium? humilitas. Idem, Epist. 56.

Tutam veramque ad Cœlum viam molitur humilitas, sursum cor levans ad Dominum. Idem, de Civit. lib. 18. c. 14.

Potentior est ac tutior solidissima humilitas, quàm ventosissima celsitudo. Idem, lib. 8. de Trinitate cap. 7.

Omnis fortitudo in humilitate, quia fragilis est omnis superbia. Idem, in Psal. 92.

Quid quæris altiorem locum appetitu celsitudinis, quem potes apprehendere reformatione humilitatis? Si extollis te, Deus dejicit te, si tu dejicis te, Deus elevat te. Idem, Sermone 53. de Verbis Domini.

Humilitatis passibus ad Cœli culmina conscenditur, quia Deus excelsatus non superbia, sed humilitate attingitur. Idem, Serm. 213. de Temp.

Priùs tibi displiceat quod es, ut possis esse quod non es. Idem, Serm. 2. fer. 5. Paschæ.

Omnes delectat celsitudo, sed humilitas gradus est; quid tendis pedem ultra te? cadere vis, non ascendere; à gradu incipe, & ascendisti. Idem, Epist. 58.

Excelsa est patria, humilis est via; ergo qui quæris patriam, quid recusas viam? Idem, supra Joannem.

Magna est miseria, superbus homo. Idem, de Catech. rudibus.

Cætera vitia in malefactis valent, sola superbia in rectè factis cavenda est. Idem, de Natur. & Grat.

Verè iste immaculatus est, qui etiam hoc delicto caret, (nempè superbia;) quia hoc est ultimum redeuntibus ad Deum, quod recedentibus primum fuit. Idem, in Psal. 19.

Humilitas homines sanctis Angelis similes facit, & superbia ex Angelis, Dæmones facit; & ut evidenter ostendam, ipsa est peccatorum omnium initium, & finis, & causa, quia non solum peccatum est superbia, sed etiam nullum peccatum potuit, aut potest, aut poterit esse sine superbia. Idem, in Epist.

Quod Dei est, superba animæ inflatio affectat. Idem, l. 2. de Civit. c. 1.

Quisquis superbit, diabolo participat. Idem, in Psalm. 120.

Medicina tumoris humani, humilitas est Christi. Idem, Serm. 41. de Verbis Dom.

Dignare esse humilis propter te, quia Deus dignatus est humilis esse propter te, non propter se. Idem, Serm. 30. de Verbis Dom.

Superbia celsitudinem imitatur. Idem, libr. 2. Confess. cap. 6.

Ipsa humilitas est accommodata recipiendæ gratiæ Christi. Idem, in c. 3. Epist. ad Galat.

Itane magnum est esse parvum, ut nisi à te, qui tam magnus es, disceremus, disci omnino non posset? Idem.

Plus Deo placuit humilitas in malis factis, quàm superbia in bonis factis. Idem, loquens de Publicano & Pharisæo.

Huccine redacti sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi in te, ut hoc pro magno discamus à te, quoniam mitis es, & humilis corde? Idem.

Humilitas charitatis est meritum, charitas humilitatis est præmium. Idem, tract. in Joan.

Qui sine humilitate virtutes congregat, quasi in vento pulverem portat. Gregorius, Homilia 7. in Joannem.

Humilitas vera est, qua quis de se parva æstimat, & bona alterius sine invidia & livore commendat. Idem, super Ezechielem.

Nemo magis potest videre divina, quàm qui humi-

humilitatis suæ conscius nescit extolli. Ambr. l. de Viduit.

Ille (nempe Christus) pro te suscepit, quæ tu despicis. Idem, Serm. 20. in Psal. 118.

Instrumentum redemptionis nostræ facta est humilitas Christi. Gregor.

Exercitatio humilitatis est in vilioribus rebus versari; sic enim gloria cupiditas coercetur. Basil. in Hexam.

Fundamentum sanctitatis semper fuit humilitas; nec in Cœlo stare potuit superba sublimitas. Cypr. de Nativit. Domini.

Humilitas murus firmus & inexpugnabilis est à facie inimici. S. Ephrem Paræn. 46.

Ad summa non scandimus, nisi per ima gradiamur. Hieronym. in Epist. ad Ephes.

Humilitas sapientiæ mater est. Chrysost. Hom. 48. in Matth.

Quod igitur caput virtutis est? Humilitas certè. Idem, Homil. 8. in Matth.

Nihil conferendum est humilitatis virtuti, ipsa enim mater est, & radix, & columna, & fulcimentum, & vinculum bonorum: sine illa abominabiles, & scelesti, & immundi sumus. Idem, Homil. 30. in Acta.

Qui verè magnus est, nihil de se magni sentit, aut loquitur, sed omnium se ultimum judicat. Idem, l. 2. de Compunct. cordis.

Si vis sublime aliquid ostendere virtutis, noli sublime sapere, noli te putare quidquam fecisse, quod feceris, sic absolutissimum erit opus. Idem, Homil. 3. in Matth.

Magna humilitatis virtus, cui etiam deitatis Majestas tam facilè se inclinat. Bern. Serm. 43. in Cantic.

Nescio quo pacto familiarius semper humilitati propinquare solet divinitas. Idem, Epist. 42.

Qui sibi vilis est, Deo charus est. Idem, Tract. de inter. dom. c. 28.

Semper solet esse gratiæ divinæ familiaris virtus humilitas. Idem, Homil. 4. super missus est.

Virtutum bonum quoddam ac stabile fundamentum humilitas; nempe si nutet illa, virtutum aggregatio non nisi ruina est. Idem, de Consideratione.

Si non potes sublimem incedere semitam virginitatis, sequere Deum per tutissimam viam humilitatis. Idem, Hom. 1. super missus est.

Decor animæ humilitas est. Idem, Serm. 45. in Cantic.

Gloriosa res humilitas; quâ ipsa quoque superbia palliare se appetit, ne vilescat. Idem, Tract. de Grad. humil.

Non magnum esse humilem in abjectione; magna prorsus, & rara virtus humilitas honorata. Idem, Homil. 4. super missus est.

Humilitas est virtus, quâ homo verissima sui cognitione, sibi ipsi vilescit. Idem, de 12. Grad. humilit.

Honorari appetunt multi in schola humilitatis. Idem, super missus est.

Humiliatio via est ad humilitatem, sicut patientia ad pacem, sicut lectio ad scientiam. Si ergo virtutem appetis humilitatis, viam non refugias humiliationis. Idem, Ibid.

Qui verè humilis est, ne putetur quod non est, semper quantum in se est, vult nesciri quod est. Idem, ibidem.

Cùm te humiliatum videris, habeto illud signum in bonum omninò argumentum gratiæ propinquantis. Idem, sup. Cant.

Fode in te fundamentum humilitatis, & pervenies ad fastigium charitatis. Idem, in Epist.

Humilitatis summa in eo consistit, si voluntas nostra per omnia divinæ voluntati subjecta fuerit. Idem, ibidem.

Humilitas omnium virtutum est maxima, cùm tamen virtutem se esse nesciat. Guerricus Abbas, Sabbatho 2. hebd. Quadr.

Tantò sit quisque pretiosior Deo, quantò propter eum sit vilior. S. Bernardinus.

Humilis ædificat super petram, superbus super arenam. Richard. à S. Vict. in die Paschæ.

Instrumentum redemptionis nostræ inventa est humilitas Dei. Gregor. lib. 34. Moral. c. 18.

Ostende cordis tui humilitatem, ut titulos virtutis ostendas. Ambr. in Psal. 118.

Quanta humilitatis virtus est, propter quam solam veraciter edocendam, is qui sine æstimatione magnus est, usque ad passionem factus est parvus. Bernard.

Humilitas iter ad sublimitatem. Greg. Nazian.

Summa totius Philosophiæ Christianæ hæc est, ut ducem nostrum Jesum per veram humilitatem consequi contendamus. Blosius.

Ascensus ad Deum cognitio infirmitatis suæ. Cassiodorus, in Psal. 63.

Quantumcumque te dejeceris, humilior Christo non eris. Hieronym. Epist. 6.

Humilitatem si appetis, viam non fugias humiliationis. Bernard.

Intolerabilis impudentia est, ut ubi sese exinanivit Majestas, vermiculus infletur & intumescat. Idem, Serm. de Nativ.

Multi humilitatis umbram, veritatem pauci sectantur. Hieronym. in quadam Epist.

Ama nesciri, & pro nihilo reputari. Imitatione Christi.

Omnium virtutum procreatrix. Chrysost.

Via humilitatis hujus aliundè non manat, à Christo venit. August. in Psal. 31.

Hic est primus Religionis introitus, sicut in mundum primus Christi ingressus, ut quicumque piè vult vivere, humiliter de se sentiat. Cyprian. de Nativ. Christi.

Humilitas tutissimus est virtutum omnium thesaurus. Basil. in Const. Monast.

Quid humilitate ditius, quid pretiosius invenitur, quâ nimirum regnum Cœlorum emitur, & divina gratia acquiritur. Bernardus in Vigil. Nativitatis.

Si qualibet bona adsint opera, nulla sunt nisi humilitate condiantur. Gregor. in Psal. 7.

Laudabilis virginitas, sed magis necessaria humilitas; illa consulitur, ista præcipitur. Sine humilitate, audeo dicere, nec virginitas Mariæ placuisset. Bernard. Homil. 11. super missus est.

Multò deformior est illa superbia, quæ sub quibusdam humilitatis signis latet. Nescio enim quomodo turpiora sunt vitia, quæ virtutum specie celantur. Hieronym. Epist. 14. ad Celant.

Non nocet si vel omnibus te supponas; nocet autem plurimùm, si vel uni te præponas. Lib. 1. de Imitat. Christi, c. 7.

Grata ignominia crucis ei, qui crucifixo ingratus non est. Bernard. Serm. 25. in Cant.

Sola est humilitas, quæ nostras possit salvare animas. Idem.

Notas fecisti humilitatis vias, per quas ad vitam homines redirent, unde per superbiam ceciderant. August. in Psal. 15.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia penu ad hoc argumentum possit depromi.

Tot, tamque variæ humilitati definitiones afferuntur, ut quænam sit aliis præferenda minimè constet. Quæ autem mihi videtur præstare, atque varias Doctorum sententias in hoc argumento conciliare, hæc est. Humilitas virtus est, quæ perfectam nostrum metipsorum nobis tribuens cognitionem vel extinguit, vel moderatur desiderium, quo ab aliis in pretio haberi, vel coli concupiscimus. Humilitatis definitio.

Neque minus arduum est affirmare in quo potissimum hæc virtus consistat; quod procedit ex differenti notione, In quo veritas ista consistat.

notione. quæ de eadem tribuitur, diversaque idea, quæ de eadem efformatur. Dicunt nonnulli eam in nihili nostri cognitione esse positam; alii in mentis, cordisque nostri, & quidquid sumus, submissione Divinæ majestati constituunt. Quidam in gloriæ fuga, alii in dejectionis, & opprobrii desiderio sitam ajunt. Ego verò puto hujus virtutis essentiam in quadam cordis dispositione consistere, numquam gloriam nostram inquirendi cum gloriæ divinæ jactura, neque permittendi ut honoris cupiditas efficiat, ut aliquid contra fas, & æquum audeamus, nihilque eorum omittamus, quæ facere tenemur. Hoc propriè humilem esse voco, Conditiones cæteræ, quæ humilitati tribuuntur, si strictiùs loquamur, nihil aliud sunt, quàm vel dispositiones, vel effectus, vel signa humilitatis.

Duo humilitatis genera.

Duplex est humilitatis genus, ex D. Bernardo. Humilitas mentis, & cognitionis, qua postquam nosmet tales consideravimus, quales sumus, nobisque de corruptione, atque infirmitate nostra persuasum est, nosmet omni honore indignos existimamus. Humilitas cordis, & charitatis, qua ultro nostra abdicamus merita, & Deo gloriam omnem referentes acceptam, tantum abest, ut minimè gloriemur de iis qualitatibus, quibus destituti sumus, quod imo earum, quibus præditi sumus, obliviscimur, easque celare studemus.

Duo superbiæ genera.

Similiter duplex etiam superbiæ genus distingui potest; superbia cogitationis, vel mentis, & cordis superbia. Superbia mentis est existimatio, quam de seipsis homines habent, quæ procedit ex ignorantia ejus, quod verè sunt. Superbia cordis est adfectata perquisitio gloriæ hujus mundi, & eorum omnium, quæ vanitatem palpare possunt. Duplex hoc superbiæ genus ex mente, & corde convellendum est duplici humilitatis genere, de quo nuper locuti sumus. Alterum enim nos docet, nihilum nostrum cognoscere, ac nosmet contemptu dignos existimare; alterum verò mundi honores contemnere, & id perquirere, quod coram illo nos posest annihilare.

Gradus hujus virtutis.

Hæc virtus plures habet gradus; qui ad tres cum Sancto Bonaventura redigi possunt. Primus in hoc positus est, ut coram Deo credamus non solum nos nihilum esse, nihilque ex nobis habere, nisi infirmitates, atque miserias, verum etiam ut hac mente gaudeamus nosmetipsos intrinsecus contementes, nullam nobis laudem vendicantes, hominum existimationem, qua nosmet indignos existimamus, non inquirentes. Secundus est, alienos contemptus patienter ferre: Me, ut lubet, flocci pendant, de me, quidquid voluerint, cogitent; ego nihil aliud sum, nisi quod in Dei judicio sum. Tertius usque ad contemptus amorem procedit, eumque perquirit, hæc enim ratio est acquirendæ similitudinis cum Deo contempto, & annihilato.

Virtutis hujus præstantia.

Sanctus Thomas 2. 2. *quæst.* 161. *art.* 5. quærit, utrum humilitas virtutum omnium sit præstantissima, & maxima? & respondet post Thelogales, intellectualesque virtutes, atque justitiam, legalem præsertim justitiam, humilitatem reliquarum maximam esse, & præstantissimam; efficit enim, ut rebus in omnibus subjecti simus ordini rationis, cum virtutes aliæ nobis peculiari quadam in re eidem subjiciant, ut magnificentia in magnis sumptibus, & liberalitas, in communi usu divitiarum, Sed humilitas nos generatim in omnibus eidem submittit, præterquamquod cum superbia, quæ illi est opposita, vitiorum omnium sit maximum, dicendum quoque est, virtutum omnium maximam esse humilitatem.

Humilitas ad gratiam recipiendam disponit.

Jacobi 4.

Vulgatissimum est in Scripturis, & apud Patres axioma humilitatem necessariam, præstantissimamque esse dispositionem, ad JESU CHRISTI gratiam assequendam, & obtinendam: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*. Hac de causa comparatur vallibus, quæ imbrium cœlestisque roris ubertatem, & affluentiam recipiunt. Sanctus Bernardus addit inter humilitatem, & gratiam nexum quemdam esse, intimamque familiaritatem; ideoque Sanctam Virginem Angelicæ legationi humilibus verbis, atque sententiis respondisse, ut hoc pacto, idem ait, cor suum gratiæ huic recipiendæ præpararet. *Humiliter respondet, ut sedes gratiæ præparetur.*

Humilitas ad salutem necessaria.

Humilitas, ex omnibus virtutibus potissimum est ad salutem necessaria. Hoc expliciti verbis docet JESUS CHRISTUS: *Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum Cælorum.* 1. hæc necessitas est præcepti; his enim verbis imperat, ut humiles simus: 2. necessitas est medii, quia idem Salvator hanc humilitatem constituit tamquam medium necessarium ad gloriam assequendam, sine quo nullo modo salvi esse possimus: *Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum Cælorum.* Matth. 18.

Dei Filius in mundum peculiariter venit, ut nostræ mederetur superbiæ.

Etiamsi Dei Filius in mundum venit, ut omnia peccata deleret, fatendum est tamen (ut S. Augustinus ait) illum carnem assumpsisse, ut præsertim nostræ mederetur superbiæ; quæ primum est, ac fons omnium peccatorum; & hanc adfert rationem. Superbia peccatorum omnium est causa; hæc non particulare solum peccatum est, sed universale principium cæteris sese peccatis immiscens; ideoque supremus ille medicus opus sua dignum cura, atque medicina arbitratus est, omnes hominum morbos in eorum fonte curare: *Ut causa omnium morborum curaretur, idest, superbia; descendit, & humilis factus est Filius Dei.* Neque solum in mundum venit, sed in abjectissimum, humillimumque statum descendit.

Quomodo superbia contra Deū ascendat.

In aliis peccatis peccatores a Deo recedunt, quasi significaturi, si illum audent offendere, non ideo tamen omnem illius metum abjicere. Unica superbia contra Deum insurgere velle videtur; ut illi obluctetur, eique resistat. Proh nefas! Deus illi resistit; Deus illam prosternit; Deum illam prorsus delere oblectatur. *Superbis resistit.* Quænam infelicitas est, toto Dei pondere premi, eumque peculiari quadam ratione hostem habere? Superbus sese attollens, licet ad Deum videatur accedere, ab eo procul recedit; humilis verò sese subjiciens, licèt ab eo recedere videatur, ad illum accedit: *Humilia respicit, & alta a longe cognoscit.*

Fides eget humilitate, quæ sibi aditum aperiat.

Quamvis Fides sit Theologalium virtutum princeps, pietatis christianæ principium, ædificii spiritualis fundamentum, & janua, qua ingressus patet in Ecclesiam: nihilo minus, quemadmodum Sanctus Thomas, & cum eo Theologi omnes animadvertunt; alterius virtutis indiget opera, quæ illi cor hominis præparet, atque in illud aditum aperiat. Itaque antequam fides in corde subsistat, ab omnibus pravis dispositionibus hoc purgandum est, atque bonis ornandum, non secus ac cum domus est ædificanda, tellus primum effodienda est, antequam fundamenta jaciantur. Hoc autem est humilitatis officium; hæc montes prosternit, colles exæquat, omnes obices aufert, omniaque tollit impedimenta ad Baptismum recipiendum; hæc docet, ut in vivificantibus aquis Baptismi regeneremur parvulos esse efficiendos; hæc nostrum intellectum excæcat, omniaque naturalia lumina extinguit, ut illa sub fidei jugo captivet. *In captivitatem redigens omnem intellectum.* 2. ad Cor. 10.

Humilitas virtus est Christianæ Religionis propria.

Jure Sanctus Augustinus, Doctoresque omnes affirmant, humilitatem, qualem supra definivimus propriam esse Christianæ Religionis virtutem, cujus ipsum nomen ignorarunt Ethnici, & quam nulla religio cognovit, vel exercuit; licet Philosophi de omnibus aliis virtutibus moralibus locuti fuerint, ac de illis utilissima præcepta tradiderint. Vituperarunt illi quidem ambitionem, fastum, superbiam, ac in honoris, laudum, & gloriæ desiderio modum laudarunt, quem modestiam dixere; at nemo eorum inter virtutes recensuit contemptum suimetipsius, honorum fugam, opprobrii amorem, atque perquisitionem; e contra verò gloriæ desiderium, quam sibi in actionibus omnibus propone-

poœbant reliquas eorum virtutes corrupit & hac de causa Sanctus Augustinus illas vitia, aut fictas virtutes appellat: *Inflate virtutes*.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, Recentioribusque Concionatoribus loci hujus Argumenti.

Quid sit se humiliare, & quam parum humilitatis inveniatur.

SEse humiliare est tacita mentis cogitatione suos defectus repetere, nos verò semper optimas qualitates, quas oobis inesse, putamus, perpendimus. Sese humiliare, est landes, & existimationem hominum fugere: nos verò illas quærimus, & aucupamur. Sese humiliate, est seipsum contemnere; at qui contemptibiliores sunt, plurimum se valere putant, & nihil intentatum relinquunt, ut merita sua, quæ ut plurimum falsò afferuntur, ab omnibus cognoscantur. Sese humiliare, est sese offetre Deo, propriæ infirmitatis ignaros, & sub iniquitatum suarum pondere gemeotes. At quanam dispositione sese Deo offerunt mortales illum deprecaturi? De se optimè sentiunt, illis præsentes sunt ipsorum virtutes, magna cura sua celant vitia; nonnumquam etiam eo insaniæ perveniunt, ut se defectu quolibet immunes putent. Neque hos superbiæ sensus Dei ejusdem præsentia, atque Altarium ipsius adspectus dissipabit; adeo enim altas radices egerunt. Quænam est dispostio ad accedendum curam Deo, cor superbum habere! Quotusquisque in terris est, qui se omnium minimum credat; qui non ægre cedat iis, qui sibi præferuntur; qui leniter, atque suaviter cum inferiorbus agant; qui elatinnem suam pondus existiment, qui putent quò magis elati sunt, eò majorem a se Deo teddendam esse rationem, & plura munera sibi obeunda; qui sciant, se aliis præesse hanc tantùm ob causam, ut illos tueantur, eisque indigentibus ferant opem? Fatendum profectò est, quantumvis dura sit ista confessio, præceptum, quo nosmet humiliare jubemur prorsus a mortalibus ignorari. *Lambert Homil. 75. in diem festum Sanctissimæ Trinitatis.*

Christiani nomen nos humiles esse cogit.

Licet nobis esset persuasum, Christiani nomen cæteris præstare nominibus, facilè superbiæ nostræ iniquitatem, qua nos pluris, quàm fratres nostroa æstimamus, intelligeremus. Illi, quibus nosmetipsos præferimus, uti nos Christiani obtinent qualitatem. Quod nos inflat, satisne magnum est, ut nosmet anteferre possimus illis, qui in eo, quod nobilissimum, atque præstantissimum obtinemus, nobis sunt pares? Quoties accidet, ut qui ultimo loco sunt, nobis verè majores fiant, quia majorem habebunt virtutem, & qui potiori jure quàm nos Christiani nominis gerent dignitatem? Unica bene judicandi ratio de veris meritis, solidaque celsitudine hæc est, ad virtutis facem judicare. Quisnam hominum omnium maxime sublimis est? Ille videlicet, qui plus virtutis habet, qui Deo charior est, & qui fideliùs omnia servat præcepta, quibus obtempetare tenemur, ut jure Christiani vocemur. *Idem*.

Humilitas est cæterarum virtutum fundamentum, quemadmodum superbia est omnium vitiorum principiũ.

Ex omnibus peccatis, quæ in mundo grassantur, ne unum quidem est (& Spiritus Sanctus ne unum quidem excipi sinit) ne unum quidem est, inquam, quod ex superbia tamquam ex fonte non proficiscatur: *Initium omnis peccati superbia*. Ex omnibus virtutibus nulla est (& Sanctus Bernardus nullam excipi patitur) nulla est, inquam, quæ in humilitate sua, quæ illius velnti radix est, fundamentum non habeat: *Radix omnis virtutis humilitas*. Ex omnibus affectibus, qui peccatum inspirant, nullus magis perniciosus, violentus, ac universalis est, quàm cupiditas crescendi, sibimet plaudendi, dominandi, & a nullo pendendi. Ex omnibus dispositionibus, quæ ad solidam sanctitatem acquirendam requiruntur, nulla magis est necessaria, utilis, & generalis, quàm spiritus humilis, & obsequens, quàm cor solidum, ac verè humile. *Joly, Sermone de Christiana humilitate pro prima post Epiphaniam Dominica.*

Homo superbire non potest ob virtutem suam, vel ob bonas qualitates suas.

Quid magis abjectum quàm infelix hoc ex corpore, animaque compositum, ubi dominantur affectus, cupiditas imperat, species decipit; & ratio ob malignos vapores caligine offusa nos agit in tenebras peccati, quod sensim radices jacit in nostram naturam, ubi alterna boni, malique vicissitudo omne vitæ nostræ spatium partitur? Nunc Deo per fervorem, nuoc nobismetipsis, atque creaturis per libidinem indulgentes, modò ferventes, modò tepidi, nobismetipsis onus sumus, sub quo incurvamur; cordis mœror quibusdam temporibus, ubique fastidium; omnia videntur repleta amaritudine! Nobismetipsis graves sumus, & anima nostra magis, quàm cætera, quibus circumdati sumus, supplicium est nostrum. *Ex Manuscripto Sermone.*

Quinam sit supremus humilitatis gradus.

Supremus humilitatis gradus in hoc positus est, ut in oculis nostris exigui simus, atque in jugi annihilationis statu subsistamus inter præstantissimas virtutes, inter eventus felicissimos, inter hominum plausos, inter admirabilia, quæ operemur, portenta. Tales erant primi ordinis sancti, qui cum virtutum suarum præstantia, miraculorum fulgore, & felici eventu, quo Deus eorum labores prosequebatur, omnium sibi conciliarent admirationem, seipsos semper tamquam inutiles servos putabant. *P. Nepueu in libro cui titulus: L'Esprit du Christianisme.*

Sine humilitate nullæ sunt virtutes, & cum humilitate vitia nocere non possunt.

Humilitas si adsit, vitia, & peccata ipsa nobis nocere non possunt, quin immo prosunt; at si absit humilitas, virtutes, & bona opera periculosa fiunt, & fieri possunt perniciosa. Publicanus insignis, & miser peccator est; sed humilis est, non audet cœlum suspicere, neque ad Aras accedere; Sanctus fit, & Dei ipsius meretur elogia. Pharisæus virtutes, & omnia bona opera ostentat, si antea justus erat, jam fit superbus, fit peccator, & donec sibi plaudit, cum omnibus bonis operibus a Deo reprobatur. Quænam est vis humilitatis? e scelesto sanctum facit. Quodnam est virus superbiæ? ex justo facit peccatorem. Humilitas ipsis quoque sceleribus utitur, ut in virtutum materiam illa convertat; Superbia verò e contra virtutes ipsas in peccatorum materiam convertit. *Idem, Tomo 1. Considerationum.*

Cur voluit Deus, ut salus nostra a nostra penderet humilitate.

Non vulgarem Deo gratiam habere debemus eo quod voluerit salutem nostram ab humilitate, non ab elatione nostra pendere. Non omnes ascendere, atque sese attollere possunt; sed omnes possunt descendere, ac se humiliare. Non omnes magna pro Deo conari possunt, magnaque ad majorem illius gloriam inire consilia; sed omnes sese demittere possunt. Quotusquisque eminens orationis donum assequi potest? At quis in oratione se nequit humiliare; atque hoc pacto plurimum efficere, cum in oratione nihil facere videatur? Nequeo semper totum illud, quod volo, bonum perficere; at possumne coram Deo humiliare, atque ita supplere bono, quod minimè facio: non semper orare, semper jejunare valeo, at valeo semper me humiliare. Oh humilitas! via brevis, facilis, sed tuta, ut modico sumptu ad eminentem sanctitatem perveniamus! Quare igitur hanc ingredi renuo? *Idem*.

Peccata, quæ commisimus magnum sunt nobis humiliationis argumentum.

In peccatis quidem concepti sumus; inde tamen magis humiliari debemus, quod nos ipsi peccata commisimus. Peccavi! Eheu magnum mihi humiliationis argumentum. Infinitam Dei majestatem contempsi, nonne ideo infinitè sum contemnendus? Peccavi; infernum igitur meritus sum; deberem ergo esse objectum contemptus, atque horroris creaturis omnibus, opprobrium, atque ludibrium dæmonibus ipsis; & inde superbire audeo! Peccavi, certus sum me multa scelera commisisse; at eorum me veniam consecutum esse, certus non sum. Dubitare nequeo, quominus infernum meruerim, verùm nullus scio, utrum illum amplius

merear; quid hoc terribilius! quid ad nos humiliandos aptius! quænam superbia huic considerationi resistere valet? mea, Domine, nisi validis gratiis opem mihi tribuas ad eam infringendam. Ideo ad infinitam misericordiam tuam confugio, quæ cor contritum, & humiliatum minime despicit. *Idem*.

Nosmet humiliandi rationes, quas in nobis reperimus.

In eo, quod in nobismetipsis experimur, magna humiliationis argumenta, validasque humilitatis causas invenimus. Heu! quid sentimus? quid in ipsis nobis invenimus? Absolutam impotentiam cum forti resistentia conjunctam pro quovis bono, & validissimam in omne malum propensionem. Opus est, ut gratia nos a nobilmetipsis divellat ad hoc, ut ad bonum faciendum impellat. Cum autem bonum facimus, quantulumcumque illud est! Hoc etiam tam exiguum, quod operamur bonum, quot imperfectionibus mixtum est! Quæ ignavia, quæ inconstantia, quæ abjectæ, terrenæque causæ, qui humani respectus in eas eriam, quæ sanctiores sunt operationes nostras obrepunt, qui sæpe propter modum, quo fiunt, bonum in malum immutant? Si ipsæ virtutes, & opera nostra bona nos debent humiliare, quid de vitiis, criminibusque dicendum? *Idem*.

Humilitas propria Christianorum virtus.

Virtutes aliæ sine humilitate possunt quidem honestos homines, Ethnicosque bonos facere, sed veros Christianos facere nequeunt. Sine humilitate nulla est Christiana Religio; & vicissim sine Christiana Religione humilitas nulla. Nonnisi verus Christifidelis humilis esse potest; at vicissim homo nonnisi sincerè humilis verus potest esse Christifidelis. Veteres Philosophi, qui de reliquis virtutibus mira protulere, hanc ne de nomine quidem agnoverunt: Ideoque JESUS CHRISTUS testatus est nonnisi ex ipso humilitatem esse discendam: *Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde. Idem Tomo 2. Considerationum.*

Matth. 11.

Omnes humiles esse debent.

Humilitas omnium statuum est, conditionum omnium; neque eam servare minus summi, quam imi tenentur. Ejus praxis illis quidem difficilior est, at non ideo minor obligatio. Ignobiles sæpe humiliati sunt, quin humiles sint; Nobiles verò humiles esse cuperent, quin sese humiliarent. Hi debent sese humiliare sub potenti manu Dei, fateri debent, se ab illo omnino pendere, omnem ipsorum potestatem ab eo proficisci, neque ab illis adhibendam, nisi ut suum jus, suaque tueantur. Sibi persuadere debent se non posse, nisi quod debent; se infinitè esse magis inferiores Deo, quàm sibi subditi sint inferiores sui; Deum ipsorum esse Dominum; se primos esse inter subditos illius, ideoque magis eidem submissos esse debere; non aliud esse Evangelium, non aliam legem, aliasque veritates pro ipsis, quàm pro populo. Seipsos humiliare debent cogitantes nihil sibi magnitudinem suam profuturum, nisi magni fuerint coram Deo; videlicet in oculis suis minimi, atque sincere humiles; eos, qui inter subjectos sibi, minimi habentur, seipsis aliquando majores futuros, si humiles fuerint. Seipsos humiliare debent cogitantes, statum suum oppositum esse vitæ, ac statui Dei pauperis, humilisque, ideo magnitudinem suam magnum esse sibi humiliationis argumentum. *Idem*.

Superbia fons vitiorum omnium origo.

Superbia fons est omnium vitiorum, quemadmodum humilitas est virtutum omnium fundamentum. Aliquisne superbus est? hic est iracundus, numquam enim se satis in pretio haberi arbitratur: avarus est, bona quocumque pretio congerere studet, hæc enim certissima est ad nobilitatem via: ultionis est cupidus, neque ob solam contemptus speciem alicui parcere potest: invidus est, aliorum enim dignitatem suam putat dejectionem: injustus est, se nemini, omnes sibi debere credit: sæpe impudicus est, Deus enim qui spiritum per corpus humiliat, patitur, ut ad sui confusionem in turpissima decidat crimina: insolens est, cæteros enim dedignatur, atque contemnit: immisericors est, sibi, rebusque suis unicè vacans alios, eorumque bona, vel mala nullo habet in discrimine. Quam horrida imago! numquid tua est? *Idem, Tomo 3.*

Sine humilitate non salvabimur.

Salvi non erimus, nisi prædestinati fuerimus; prædestinati esse non possumus, nisi JESU CHRISTO similes simus; JESU CHRISTO similes non sumus, nisi humiles simus; sed humiles esse non possumus sine humiliatione: nam, ut Sanctus Bernardus ait, frustra alia, quam humiliationis, via humilitatem conaris acquirere. Cur ergo illam tanto horrore fugio! Me miserum! Licet illam fugiam, me invitum sequetur. Umbræ similis, fugientes, insequitur; atque undequaque a creaturis, a Deo, a me metipso ingruet mihi humiliatio. Tanta in me metipso latet humiliationis causa, ut ego a me metipso divellendus sim, ut humiliationem evitem. Cum autem illam evitare non liceat, cur saltem ex ea fructum percipere non adnitor, eamdem sin minus cum alacritate, saltem cum patientia suscipiens? *Idem*.

Humilitas adfert pacem cordis.

Pax humilium animarum hæreditas est. Quid nobis mœrorem adfert, quid nos sollicitudinibus urget? ut plurimum nostra superbia est. Vituperamur, contemnimur, huic quidem exæquamur, illi posthabemur, non eo in honore, ac pretio, quod mereri credimus, habemur; hoc superbiam nostram irritat, hoc pacem perturbat, hoc nos angit, & torquet. Sed qui verè humilis est, has omnes curas contemnit; si despicitur, hoc jure factum putat, quia seipsum aspernatur: Si alii sibi præferuntur; eos jam ipse sibi anteferendos existimat; Si de ipso nemo cogitat, ipse prior suiipsius obliviscitur. Itaque semper voti reus est, semper pacem habet, quia semper contentus est. *Idem, Tomo 4.*

Humilitas via est ad honorem. Matth. 25.

Humilitas ipsa honorum fuga nobis majorem acquirit honorem, quam exoptare valeamus. *Qui se humiliat, exaltabitur*, Salvator ait. Si primum in convivio mereri cupis accubitum, elige novissimum. Humilitas adeo brevis, ac tuta est ad gloriam via, ut ipsi etiam superbi hanc ingredi videantur, ut ad optatum finem perveniant. Si humilitate carent, eam simulant; si virtutis hujus veritatem non habent, ejus saltem speciem præseferre contendunt, rati hoc pacto hominum existimationem certissimè comparari. Si superbi sunt, superbiam celant, sciunt enim nulla re magis aliorum sibi contemptum constare posse. Deus humilibus utitur, ut maxima sua exequatur consilia; illis gloriæ suæ curam libentissimè eredit; seit enim futurum, ut illi neque eam sibi usurpent, neque cum ipso partiantur. *Idem*.

Numquam magis Deū glorificamus, nisi per humilitatem.

Numquam magis Patrem suum glorificavit JESUS CHRISTUS, quam eum magis fuit humiliatus; atque tunc Pater Æternus se in Filio suo sibi complacere testatus est. Unquamne majores, ampliorcsque sumus quàm cum propiùs ipsum magnitudinis, gloriæque fontem attingimus? At nonne JESUS CHRISTUS Homo Deus veræ magnitudinis, veræque gloriæ principium est? Unquamne majores, ampliotesque sumus, quàm cum ad illum propiùs accedimus? At umquamne ad eumdem propiùs accedimus, quàm cum humiles, & humiliati sumus, atque propter amorem illius humiliationem nostram amamus? *Idem*.

Eò sanctiores sumus, quo humiliores.

Si perfecti, si sancti esse volumus, humiles simus, atque libenter humiliationem patiamur: sanctitas, & perfectio nostra consistit in similitudine cum JESU CHRISTO, & in mentis, animique conformatione cum illo. Potestne aliquis Christianus esse, & de hoc re dubitare? Hanc autem conformitatem habere possumus, nisi æstimaverimus, nisi dilexerimus, nisi amplexi fuerimus, quod ille æstimavit, dilexit, amplexus est: videlicet humilitatem, contemptum, & humiliationes? Vita illius non aliud extitit quàm jugis humiliationis exercitatio, ac perpetua series humiliationum: possumusne igitur eidem similes, & perfecti esse, si hæc vel cum horrore evitamus, vel patimur cum impatien-

patientia? Si humilitas est perfectionis nostræ fundamentum; JESU CHRISTI amor illius cumulus est. Possumusne melius illi amorem nostrum testari, quàm propter amorem illius, licet animus repugnet, eas perferendo humiliationes, quæ accidunt nobis? *Idem.*

Amorem nostrum Filio Dei melius probare non possumus, quam humiliationes perferendo.

Quemadmodum nihil tam difficile est, quam gloriæ, honorisque sui sacrificium offerre: nihil est, quod melius probet generosum erga JESUM CHRISTUM amorem, quàm si hoc illi sacrificium offeramus. Asserere possumus bonorum, vitæque ipsius sacrificium animæ generosæ facilius esse; cumque eò usque pervenerimus, certi esse possumus, JESUM CHRISTUM a nobis amari. Ardens tantummodo erga Salvatorem dilectio efficere potest, ut humiliationem amemus, & amplectamur; at solus quoque humiliationis pro JESU CHRISTO amor certissimum est amoris ejusdem argumentum. *Idem. Libro cui titulus: De l'Esprit du Christianisme.*

Dei Filius per humilitatem reparavit hominem, qui per superbiam perierat.

In creatione homo factus fuit imago Dei, & hæc imago per superbiam ipsius fuit deformata: in hominis reparatione Deus factus est imago hominis; *in similitudinem hominum factus*; & hæc imago reformatur, pristinamque pulchritudinem recipit per humilitatem. Undenam fit, ut Deus homines erudire volens, eosque docere viam, qua ad Cœlum ascendant, neqnaquam dicat illis, ut Sanctus Augustinus animadvertit, discite a me mundum creare, cæcis visum reddere, mortuos suscitare, & mira operari, sed ait: *Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde? P. Masson Oratorii Presbyter Sermone 4. Adventus.* (Math. 11.)

De S. Joannis Baptistæ humilitate.

Sanctus Joannes Baptista, ob cujus oculos semper versabatur, & nihilum suum, & Ens divinum, hinc quidem in propria infirmitate, inde vero in Salvatoris sui magnitudine æque ac annihilatione inveniebat, unde seipsum humiliaret, atque confunderet; & modò considerans Deum hominem factum, impassibilem nostris infirmitatibus subditum, Æternum tempori subjectum; modò seipsum videns, quidquid erat per gratiam Dei, sed gravissimis patrandis criminibus parem, si suæ traditus fuisset infirmitati, nonne jure, Salvatoris habita ratione, in deterrimum, humillimumque locum sese abjiciebat? Nam, ut Sanctus Augustinus ait, nullum peccatum ab homine patratur, quod ab alio homine patrari non possit, si illius desit gratia, a quo factus est homo. *Abbas de Monmorel. Homilia pro tertia Adventus Dominica.*

Quantopere superbiam detestari debeamus.

Scio equidem difficillimum esse ab eo vitio abhorrere, quod cupiditatum omnium nostrarum maximè naturalem palpat, & quod oblectationum nostrarum effectus simul est, & objectum. Verùm ut in mentibus nostris illius imaginem delineemus, quæ ejusdem enormitatem exprimat, nostrumque odium valeat excitare, illud spectemus in JESU CHRISTI conceptu, vel ut melius dicam in humiliationibus, passus est, ut illud curaret. Hominum superbiam duplici in statu considerare possumus; quid illa esset ante Filii Dei Incarnationem, & quid illa est modò postquam mysterium hoc fuit adimpletum. Cum regnaret Deus in primo gloriæ suæ statu, superbia hominis abominabilis erat oculis, & cordi illius, ut loquitur Sapiens, propter nequitiam, quæ huic peccato inest, eique est essentialis: *Abominatio Domini est omnis arrogans.* (Prov. 16.) Sed postquam Deus in hominis infirmitate semet humiliavit; peccatum hoc novam contraxit improbitatem propter eam rationem, quam habet cum humilitate Incarnationis tamquam remedio suo; & post hoc mysterium magis adhuc abominabile factum est coram Deo; ideoque magis adhuc horribile esse debet in oculis hominum. *Biroat in Adventu.*

Falsa humilitas.

Fidelium humilitas, qui seipsos accusant de pluribus vitiis, a quibus illos immunes esse constat, & ipsi quoque ita esse arbitrantur, falsa humilitas est; quia, quemadmodum Tridentina Synodus docet, vera humilitas numquam est veritati contraria. Illa non consistit solum in hominis confessione asserentis, se ex mera Dei largitate essentiam suam, omniaque cum naturalia, tum supernaturalia dona accepisse: ut verè humilis sis, fatearis etiam oportet, mentem tuam erroribus abundare, studia tua prorsus esse depravata, atque cum ex natura tua non aliud sis, quàm nihilum coram Deo, per inobedientiam factum esse nihilum oppositum Deo, & contra Creatorem suum armatum, ut loquitur Sanctus Ambrosius: *Nihilum armatum. Esprit, libro cui titulus, Humanarum virtutum falsitas. Tomo 1. cap. 22.*

De natura, & effectibus superbiæ.

Superbia nihil est aliud quàm insolens propriæ excellentiæ desiderium profectum ex ea opinione, quam de nobismetipsis habemus, quod efficit, ut ea optemus, quæ conditionem, potestatemque nostram excedunt. Hoc efficit, ut nosmet tantùm in pretio habeamus, ut nosmet aliis anteferamus, eosque etiam contemnamus; ut in propriis viribus confidamus; ut credamus, vel optemus nemini subesse; ut nostrum metipsorum idololatræ simus; ut nobis maxima inesse putemus merita; ut ob actiones nostras gloriemur; atque ut verbis nosmet, nostraque ostentemus. *P. Haineuve Tomo 4. de Ordine. Sermone de Humilitate.*

Humiles sensus quos Sanctus quidam de seipso habebat.

Quantumvis insignis esset sanctitate summus ille vir, semet jugiter abjiciebat in spiritualium infirmitatum suarum consideratione; atque ob oculos suam habens imbecillitatem, atque imperfectiones, omne præsidium suum in illius gratia collocabat, a quo expectabat omnia, & in quo eò constantiùs confidebat, quò perfectiùs eumdem amabat. Plurimum patiebatur, cum homines illius sese precibus commendabant: Proh Deus, ajebat ille, cur permittis, ut ad miseri hominis preces alii confugiant? Cur non aufers errorem ab illis, qui in meis orationibus confidunt? Omnia tibi sunt explorata, cumque manifestare tibi placuerit latebras animæ meæ, quæ tibi revelatæ sunt, omnes nihil nisi abominationem ibi latere cognoscent. Deo me cognoscente, qualis sum, ægre patior, a creaturis aliquid melius existimari. Deus meus, tuam veneror providentiam, atque consiliorum tuorum altitudinem adoro; neque enim intelligere possum, quomodo me existente eo peccatore, qui sum, & quem me esse permittis, vel unum momentum me vivere patiaris. *Ex Anonymo Auctore.*

De fallaci sui existimatione, & cognitione.

Cogita, quàm operosum sit, seipsum intus, & in cute cognoscere, & e contra, quam facile sit decipi, ac nimis æquum de se ferre judicium. Quis nescit, amorem proprium rerum speciem immutare, & naturale studium, quo nosmetipsos plurimi facimus, efficere, ut ne videamus quidem defectus nostros, virtutes verò nostras nimis, ut ita dicam, admiremur? Duplex habemus pondus, duplicemque stateram, alteram quidem pro peccatis nostris, quæ quantum fieri potest, imminuimus, illa extenuantes, excusantes, & ad nihilum ferme redigentes; alteram verò pro bonis operibus, quæ præ cordis gaudio exaggeramus, illa in oculis nostris mutuatis coloribus extollentes, eaque toto cœlo ultra naturalem eorum ideam amplificantes. Interest igitur nostra serio examine nosmetipsos scrutari, ne in eas labamur illusiones, quæ mortalibus omnibus sunt familiares, & Christianæ humilitati adversantur. *Liber, cui titulus; l'Examen de soi-meme.*

Falsas hujus virtutis ideas concipimus.

Quantumvis nobilem humilitatis ideam adhuc conceperimus, quibuscumque laudibus virtutem hanc celebraverimus, vereor, ne hactenus verè intellexerimus, quid propriè sit hæc amplissima virtus; in hoc enim vulgò mortales decipi consueverunt. Sæpe eam nobismetipsis exhibemus, vel tamquam virtutem, quæ semper nescio quam docet falsitatem, quæ efficit, ut humilis aliter cogitet ab eo, quod esset cogitandum, vel aliter loquatur ab eo, quod cogitat: ut seipsum excæcet, ne videat eas virtutes, & perfectiones, quas habere arbitratur; ut

alios laudet, piisque mendaciis, tamquam constantibus veritatibus eorum facta commendet. Alii specioso humilitatis nomine conteguut qualitates eas, quas proferunt in medium, & quibus ambitiosissimus quisque alere posset suam superbiam. Alii virtutem hanc respiciunt tamquam sane pulcherrimam, nobilem, sæpiusque in Evangelio commendatam, sed quæ in perfectis potius, quam vulgò in fidelibus sit perquirenda. Pii humilium sensus tamquam perfectionis gradus habentur, cui vacare debent, qui perfectiorem pietatem profitentur, sed cujus alii ad conscientiæ suæ securitatem non indigent. *Ex Manuscripto Sermone, qui P. Massillon esse perhibetur.*

Quam injustum sit per superbiam aliquam sibi virtutem attribuere.

Quid habes, libenter cum Apostolo ambitiosum hominem interrogarem, *Quid habes, quod non accepisti*? Angelus ille, superborum omnium primipilus, quod entium omnium fuit perfectissimum, numquid excusatus fuit, si inflatus intumuit? Nonne e contra tantò magis coram Deo semet humiliare debuit, quò plura, majoraque ab illo receperat? Itaque licet æquè perfectus esses, ac ille, ubinam invenies, unde jure gloriari possis; quoniam ex omnibus perfectionibus tuis ne unam quidem habes, quam ab eo non receperis? Quid enim ex te faceres sine ipso? Quot elapsa sunt sæcula, antequam esse inciperes? Quot aliis sæculis adhuc in nihilo permansisses, non solum quin tu met tibi vitam conferre posses, verùm etiam quin merereris, ut te Creator ex nihilo educeret? Postquam etiam mirabili omnipotentiæ suæ effectu te ille produxit, temet vel uno tantùm momento servare potuisti in minima qualitatum tuarum, quin opus esset, ut eadem potentia, quæ te ex nihilo eduxerat, te præservaret, ne in nihilum reverteteris? *Idem.*

Cogitatio ejus, quod sumus humiliare nos debet.

Quid de te ipso tibi cogitandum est, & quam superbiendi causam invenire potes, ubi illud reputas, quidquid es? Si corpus, ex quo compositus es, spectes, quænam est origo tua, quis erit vitæ tuæ finis? Quid eras antequam in lucem prodires? Quid eris, ubi naturæ concesseris? Quid eris in sepulchro? Hæccine in mentem revocare potes quin te pudeat, quin perhorrescas? Verùm quin ex eo, in quo statu es, egrediaris, teipsum hodie respiciens magnis cumulatum divitiis, nitidiori gloriæ tuæ fulgore micantem, ætatis flore gaudentem, suavissimis affluentem delitiis, honoribus decoratum, victoriis onustum, quid inter tot tantaque es? Quisnam licet robustissimus, in sinu suo corruptionem, mortemque non defert? Hanc verò corruptionem quot objecta quotidie non repræsentant? *Idem.*

Incerti sumus, utrum simus in bono perseveraturi.

Homo licet summis sit virtutibus præditus, nescit utrum sit ad finem usque perseveraturus, an verò futurus sit ex reproborum numero, quibus, ut Scriptura loquitur, utilius esset natos non fuisse. Cogitemus illum non solum semper contremiscere debere pro futuro, verum etiam semper pro præsenti metuere; cum putat sibi virtutem adesse, certò nescire, utrum ea vera sit, atque utrum amore, an odio sit dignus. Cogitemus, hominem frustra suismet oculis ostentare justitiæ, & humilitatis opera; nescit enim utrum in oculis Dei sit justificatus; & quamvis se suo judicio scelere absolvat, ignorare tamen, utrum jam Dei judicio fuerit condemnatus. Has simul omnes humanæ infelicitatis ideas colligamus; hinc quidem in peccatis natos esse, ac naturali studio in peccatum ferri; inde verò per gratiam esse regeneratos; nulli merito, quod verè non agnoscitur, neminem posse confidere; latere, utrum in finem usque simus perseveraturi, & quomodo a Deo erimus excipiendi: & post hæc videamus, utrum jure affirmaverim, hoc satis esse, ut justissimus quisque contremiscat, & quilibet sese in statu quovis humiliet. *Idem.*

Humilitas Christianorum virtutum est fundamentum.

Solam humilitatem universum hominis meritum, totamque perfectionem efficere posse, dogma est apud omnes Ecclesiæ Patres, Doctoresque commune, qui illam totius Moralis Christianæ fundamentum, & quoddam veluti compendium existimant. Hæc præsertim est Sancti Augustini doctrina, ex cujus sententia humilitas ita JESU CHRISTI legem amplectitur, ut quotiescumque ab eo quæsivisset, quænam sunt Christianæ Religionis virtutes, numquam aliud reddidisset nisi humilitatem; hæc enim una omnes virtutes complectitur, & cujuslibet virtutis varios gradus sola constituit. *Idem.*

Humilitas est spiritus, & doctrina JESU CHRISTI. Matth. 11.

Quinam est JESU CHRISTI spiritus, nisi humilitas? Hoc ille nobis asseruit. Et profectò quid ille nos suis sermonibus docuit, nisi humilitatem? *Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde.* Quid nos ille docet, Sanctus Augustinus interrogat? Non quomodo mundum creavit, quomodo regit, & gubernat universa; sed ipsum se humiliasse, & opus esse, ut nos quoque propter ipsum nosmet humiliemus. Cum de misericordia, & charitate verba facit, nos Æterno Patri fieri jubet conformes: *Estote perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est*; (Matth. 5.) Cum de scientia, & veritate sermo est, nos Spiritum Sanctum docentem audire jubet: *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*; (Joan. 6.) sed cum de humilitate agitur, seipsum nobis ad imitandum proponit. Hic proprius est totius doctrinæ suæ character; hic spiritus, qui in omni vita ipsius dominatus est, hæc omnium exercitationum ejus anima. Quemadmodum enim per humilitatem vitam inceperat, illam nonnisi per humilitatem produxit, & absolvit. *Idem.*

Deus, & homines superbis resistunt.

Si verum est, quod Scriptura testatur, Deum superbis resistere, numquid illis homines minus resistunt? Ubi videmus ambitiosos homines per fas & nefas ad honorum gradus obrepere, quid intentatum relinquitur, ut de ponte dejiciantur? Invidia statim omnia in illos sua tela contorquet, zelotypia sexcentas comminiscitur artes, ut illum angat; statim detegitur fallax hæc virtus, qua se ornare cupiebat; in locum virtutis unius mille subrogantur vitia; obscurissimæ etiam reteguntur latebræ, atque secretiores sinus vitæ illius hominis, qui recens ad honores obrepit, ut omnia illius probra in lucem proferantur; atque ex oblivione revocentur ea omnia, quæ tempus deleverat. *Idem.*

S. Joannis Baptistæ humilitas.

Cum Sanctus Joannes Baptista interrogatus fuit, quisnam esset, nonne verè poterat respondere se Dei visibilem Angelum esse, atque extraordinarium ejusdem legatum: *Ecce mitto Angelum meum*? (Luc. 7.) Nonne reddere poterat se Messiæ Præcursorem esse; *Qui præparabit viam tuam ante te*? (Ibidem.) Nonne poterat affirmare se Zachariæ Filium esse, cujus nativitatem tot miracula exceperant? Quid ille non poterat dicere? Sed vir iste verè humilis nihil tale dicit: *Vox clamantis in deserto.* (Luc. 3.) Vox sum, quæ nihil per se est, quàm sonitus, aures quidem vellicans, sed evanescens in auras. Ita in nihilum quisque suum descendat oportet, ac ibi subsistat, cum superbiæ spiritus non cupit attollere. *Ex manuscripto Sermone.*

Per humilitatem, quā S. Joannes docet, Domini viæ sunt præparandæ.

Ecce iterum summus ille Sanctus Joannes deserto egrediens ad Præcursoris dominici munus obeundum. Vox quidem est præcedens Incarnatum Patris Æterni Verbum, ut homines ad illud recipiendum disponat; sed vox tonitrui, conterens rupes, quatiens montes, ac universam terram concutiens. Arrogantes animæ, superbi spiritus, vos hæc detonans vox alloquitur; contra vos clamat, ac fulminat; & nisi duriores estis rupibus, atque sensu magis carentes, quàm montes, debetis huic voci respondere, & velut echo humilitatis, & submissionis illius exempla imitari: *Omnis vallis implebitur, & omnis mons, & collis humiliabitur*: (Luc. 3.) Ut verbo me expediam; docet per humiliationem nos præparandos esse ad Dei Filium in cordibus nostris recipiendum. *Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.* (Ibidem.) *Idem.*

Discite

Dei Filius humilitatis præsertim nobis reliquit exemplum.

Discite a me, Salvator ait, quia mitis sum, & humilis corde; hoc discite ex ore meo, hoc ex meo exemplo discite: scrutamini vitam meam, perpendite verba mea: attendite actionibus meis, ac videbitis, me ubique necessariam hanc doctrinam edocuisse. Hoc vos docui in sinu matris meæ corpus assumens: hoc vos docui in præsepi, stratus in palea, ac pannosis linteaminibus involutus; hoc vos docui in lignarii fabri officina, ubi meliorem vitæ meæ partem transegi: hoc in Calvario vos docui, hoc in ipso docui sepulcro. Cur autem tot modis nos docui? Hæc ratio est, nam quemadmodum Sanctus Augustinus ait, lectio humilitatis primum est Christianæ moralis, ac scientiæ salutis principium: hæc influit in omnes illius partes; hæc omnes illius rationes probat, hæc omnes illius conclusiones confirmat: *Tota, & vera Christiana Sapientia disciplina, in vera, & voluntaria humilitate consistit. Idem.*

Humilitas est omnium virtutum anima.

Sine humilitate virtutes crimina fiunt; remedia sunt, quæ in vitia vertuntur, Sanctus Gregorius ait: *Qui de acceptis virtutibus extollitur, non gladio, sed medicamento vulneratur.* Atque inde verè concludere possumus, humilitatem esse universalem christianæ pietatis spiritum in omnes partes illius sese effundentem, in membra omnia fluentem, vim virtutemque illis communicantem, ac cœli influxus ferentem, sine quibus vitam non habent. *Idem.*

Ejusdem Argumenti continuatio.

Si moralis Evangelica nobis jejunium, corporisque austeritatem prædicat; humilitas nonne ob oculos ponit periculum, ne inde laudem aucupemur? Instar hypocritarum, qui exterminant facies suas, ac se cinere inspergunt, ut Sancti habeantur. Si hæc moralis hortatur, ut crebro ad orationem confugiamus, nonne humilitas in secreta loca nos debet adducere, nonne faciem nostram in terram dejicere, ut Publicani illius, atque efficere, ut confiteamur indignos nos esse, qui Deum alloquamur? Virtutes omnes percurrite; omnes Christianæ vitæ actiones perpendite; omnes sanctitatis gradus lustrate; respicite Anachoretas in desertis, Confessores in pœnitentiæ, & charitatis exercitatione, martyres in eculeis, & rotis, Apostolos in idololatriæ, atque impietatis triumpho. Si humilitas illos non prævenit, si illos non concomitatur, neque subsequitur, dic audacter, id, quod admiraris mendacium esse, & dolum. *Idem.*

Homo invenit in seipso fontem humiliationis suæ.

Nequicquam homo seipsum abscondit, atque dissimulat, quis est; cognoscit enim se non aliam habere partem, quàm nihilum, & in superbia, quæ dominatur illi, oportet, ut licet invitus, fit humilis. Vanitas illum decipit, verum est; sed in anima sua habet æquitatis naturalis principia, quæ errorem omnem auferunt. Amor proprius illi suiipsius jucundas quidem imagines exhibet; sed conscientia audacior, atque fidelior illum talem, qualis est, repræsentat. De medio tenebrarum, ac nubium, quas illi sui affectus offundunt, lumen secretum, atque importunum effulget, quod obscurissimos etiam animæ suæ sinus aperit. Manus invisibilis omnia aufert velamenta, quæ callida præsumptio defectibus ejus obtenderat. Denique seipsum non novit; sed seipsum ignorare non potest, & murmur mendacii illum extrinsecus palpantis suffocare nequit vocem veritatis intrinsecus illum damnantis, & humiliantis: quamobrem Propheta quidam ait, humiliationem esse veluti centrum, quò totus homo tendere debet: *Humiliatio tua in medio tui. Flechier Sermone pro die cœna.* *Mich. 6.*

Humilitas, & superbia licet opposita aliquam habent similitudinem.

Verè cum Sancto Augustino dicere possumus superbiam, & humilitatem esse opposita; attamen quædam inter utramque similitudo intercedit; & quemadmodum in superbia quoddam est pondus ad terram deprimens, ita in humilitate nescio quid magnum, & magnanimum inest, quod hominem supra seipsum attollit: cum hoc tamen discrimine, quod superbia veram abscondit vilitatem sub afferta magnitudine; humilitas autem veram abscondit magnitudinem sub exilitatis specie duntaxat. Superbus vilis est anima honorem quærens, & non habens; atque in se infirmitates tantummodo inveniens; extollitur, quantum potest, gloriam auferens Deo; in ipsum Dominum insurgit, atque acceptis ab eodem beneficiis ad benefactorem suum lædendum abutitur. Humilitas verò sensus prorsus oppositos injicit; efficit, ut magni viri Dei magnitudinem colant, ut Divinæ obtemperent legi, ut Dei gloriam perquirant, ut prædicent gratias, quibus ab eodem cumulati fuerunt; in quo solida gloria, & generositas vera consistit. *Idem.*

Veteres Philosophi Christianam Religionem amplecti non potuerunt, quia profitetur humilitatem.

Nulla sine humilitate christiana virtus est: hæc reliquas fulcire, & comitari debet: hoc magnum erat obstaculum ab antiquis Philosophis superandum, ut JESU CHRISTI sacris initiarentur. Itaque Magnus Augustinus Porphyrio Platonico, aliisque sectæ ejusdem hominibus exprobrabat, eorum superbiam non pati, ut nostram Religionem amplecterentur, quia humilitatem profitebatur. Undenam ergo, ajebat ille, hæc oritur animi vestri repugnantia, qua in JESU CHRISTI sacra migrare detrectatis, cum jam vobis persuasum sit de pluribus rebus, quas ipsi credimus; nisi quod humilis quidem est JESUS CHRISTUS, vobisque humilitatem commendat; vos autem estis superbi? O humilitatem! O JESU CHRISTI virtutem! O humilitatis magnitudinem! proh quantum hæc superbiam hominum confundit! Discamus ab exemplo Filii Dei, qui nostrum exemplar est, divinusque prototypus, ab exemplo Prophetarum illius, ab ejusdem Præceptis, & monitis, a Fidelium omnium exemplo discamus sine humilitatis exercitatione non posse nos ingredi Regnum Cœlorum. *De Monmerel Sermone in Evangelium sexta post Epiphaniam Dominica.*

Cogitatio hæc nos esse peccatores, humiliare nos debet.

Quem superbiæ sensum fovere potest, qui secum hæc reputaverit? Scio me repente de bono in malum; de insonte in nequam, de sancto in peccatorem, de angelo in dæmonem posse immutari. Credo eo ipso, quo loquor, temporis momento, vel paulò post de statu gratiæ decidere posse; ulteriùs credo, & fides hoc me credere jubet, hoc malum reipsa mihi accidere posse, nisi potens Dei subsidium mihi adfuerit, & Dei brachium in singula momenta me non apprehenderit. Post hæc aliquidne in meipso esse potest, quod superbiam meam non infringat, quod non majorem confusionis, quàm gloriæ causam mihi tribuat? Heu! credimus numquam satis omnia nos peccata nostra protulisse, nisi addamus, alia plurima inesse nobis abscondita, atque ignota. Non latet quàm profundum sit hominis cor, & quàm difficile sit illud scrutari; video quot sinus, latebræque sint in conscientia mea, quas ne ego quidem detegere, & cognoscere possum; tantam esse in natura versutiam, & calliditatem, quæ affabre adeo nonnumquam dissimulatur, & latet, ut pro gratia assumatur; ego vero de afferta innocentia gloriabor, atque ostentabo actiones meas, quæ fortasse, nonnisi in speciem sunt commendabiles? Heu! væ ipsi etiam sanctissimæ mundi hujus vitæ, Sanctus Augustinus exclamabat, nisi Deus illam in spiritu lenitatis ad examen vocaverit; vel si ille alio, quàm misericordiæ suæ oculo respexerit. *Deprompum ex Anonymo auctore.*

Cogitatio illius, quod fuimus, & quod aliquando futuri sumus, nos in humilitate debet continere.

Cum homo nullis virtutibus præditus, nulla generis nobilitate commendatus, verumtamen ad sublimem fortunam evectus, nec non bonis honoribusque cumulatus intumescit, ac suiipsius obliviscitur, ratio superbiæ illius infringendæ est ob oculos illius natalium sordes, ac sobolis obscuritatem exhibere. Ne superbias, illi dicimus, scimus, & qui es, & unde es. Hoc unum illum confundere potest, eique modestiæ sensus immittere. Verum si præterea in antecessum ea prævidentes, quæ futura sunt, illi ventura portenderemus; si dicere, atque certè affirmare possemus: Cave; quantumvis magnus sis, jamjam tuus instat interitus; imminens,

minens, neque ullo pacto evitanda calamitas te illuc redacturа est, unde prodiisti. Si, inquam, apud eum loqui possemus itaut ipse agnosceret veritatem ejus mali, quod sibi portenditur; hæc verba proculdubio magis adhuc illum terrerent; & hæc secum reputans; jam actum est de me, interij in nullam reditus spem, mitiorem, humanioremque se præberet, neque in moribus suis amplius vel arrogantiam, vel jactantiam præseferret. Hæc cordis superbia, quam prospera fortuna gignebat, illicò detumesceret: cur? Fortunam quippe suam non spectaret amplius (absit verbo invidia) nisi tamquam os abyssi, in quem casurus esset, & quin id ostentaret, quod est, id videns, quod futurus est, ingemisceret. Hac autem duplici cogitatione, & ejus quod fuimus, & ejus, quod futuri sumus; uti debemus, ut coram Deo in humilitate, atque submissione nosmet contineamus. *P. Bourdaloue in veris Sermonibus. Sermone de Cinerum rita.*

Verè humilis sese humiliandi occasionem nanciscitur ex iis omnibus, quæ in mundo esse possunt.

Verè humilis oculos suos in ea omnia conjicit, quæ ipsum possunt humiliare. Seipsum in se considerat, & oblectatur, se nihilum esse reperiens: Seipsum considerat in iis, quæ ipse non est: in Deo adorabili illo principio, atque incomprehensibili omnis perfectionis centro, & evanescit, atque cum gaudio coram infinita hac majestate seipsum annihilat: Seipsum in infinitis hominibus considerat, a quibus in variis perfectionibus superatur; in infinitis creaturis, quæ seipso, & angelis etiam perfectiores esse poterunt; & hanc instituens comparationem palam, & liquidò suos defectus agnoscit; neque saturari posse videtur ejus cupiditas, qua flagrat infirmitatis suæ cognoscendæ. *P. la Pesse. Sermone de Christiana humilitate.*

Quid humilis de seipso debeat sentire.

Animadvertendum est humilitatis judicia non studiis, neque humanis considerationibus, sed certissimis regulis, quas Evangelium, ac fides præscribit, inniti. Quomodo mihi bonum aliquod vendicare possem, verè humilis ait, qui elapso ævo nihil fui, & ævo subsecuturo possum esse damnatus? Quæ mihi infertur injuria, cum despicior, atque contemnor; quandoquidem nunc etiam, postquam vitam accepi, nihil sum, ut Apostolus inquit, affirmans decipi illum, qui cum reipsa nihil sit, se aliquid esse arbitratur? Possumne meipsum cogitare bonorum operum, quæ facio, auctorem? Sine me, Dominus inquit, nihil potestis facere. Jurene conqueror, si ea mihi desunt, quæ cupio? Quid enim habeo, quod non acceperim? Aliquamne mercedem tamquam mihi debitam exigere debeo? Nonne legimus in Evangelio, licet ea omnia fecerimus, quæ nobis imperata fuerunt, nos inutiles servos esse? Nihil sum, nihil possum, nihil habeo, inutilis sum. Hoc de meipso mihi sentiendum est. *Idem.*

Nihil est, quapropter superbiendum sit nobis.

Quidnam, Fideles, superbiam in vobis potest excitare? Bona, quæ circum vos sunt, vestrane sunt? in vobisne sunt? Numquid existimatio illa, qua inter mortales gaudetis? Heu! qui vos laudant, vosne cognoscunt? Vosne cognoscere possunt? Deinde verò dicuntne illi, quod sentiunt? tandem dicuntne, quod debent sentire? satisne bene ea sentire possunt, quæ sunt ipsis dicenda? Quomodo res essentiam non mutant, quia in variis sitibus, locis, temporibusque sunt, fidelis, qui humilis est, locum non mutat, etiamsi honoribus augeatur; ac semper se eumdem videt, sive in tenebris ille versetur, sive dignitatum in luce resulgeat. Ubi alii nihili sui obliviscuntur, ibi infirmitatis suæ cognitionem acquirit. *Idem.*

Nihil infrequentius humilitate, licet tot nosmet humiliandi causas habeamus.

Nulla fortasse virtus est, quæ nobis sit magis naturalis, audeo dicere, quàm humilitas, ac nulla est, quam minus exerceamus. Numquid nobis desunt humiliationis causæ? O nos miseros! illis undique circumsepti sumus; illis immo sumus repleti; & nihilominus nihil magis horrescimus, quàm humilitatem. Dicendum profectò est, Religionis nostræ præcepta in nobis radices suas non satis jecisse; dicendum est, fallaces inesse nobis ideas humilitatis, & gloriæ. *Idem.*

Humilitatis elogia.

In gratia nescio quid deprehenditur, cujusne unum quidem vestigium in rerum natura videmus; videlicet humilitas. Si virtutes aliæ, quantumvis magnæ originem suam ex terra eduxerunt, ubi oriri incœperunt; hæc licet abjecta videatur, pura est Cœli filia: mera est Dei creatura ex illius manu dumtaxat egrediens, quin subjectum, materiamque ullam supponat, qua ille in hujus productione usus sit; & perinde ac vellet, genus illius effectibus ejusdem simile esse, lætari videtur illam ex nihilo educens, in quod ipsa nos redigit. Quid dicam amplius? Novum sydus est, quod numquam illuxit gentibus, nisi cum JESUS CHRISTUS in terris visus est. Hominis spiritus virtutis hujus omnino capax non est; opus est, ut Deus homini spiritum ejus auferat, eique suum tribuat, si vult, illud sese demittere, atque in pulverem, unde est egressus, reverti; & si docet Evangelium, fieri non posse, ut majores fiamus, quàm sumus, atque staturæ nostræ ne cubitum quidem adjiciamus, dicere audeo multò minus fieri posse ut ex nobismetipsis parvi efficiamur, ac nosmet humiliemus. *In vita Cardinalis de Berulle lib. 3. cap. 10.*

Quàm admirabilis sit humilitas.

Nescire nos magnos esse, cum magna sumus operati, solos esse, qui sanctitatem nostram minimè videamus, cum mortalibus omnibus comperta est, atque explorata; magna quidem virtus est, sed simul etiam pettara. Alienis oculis videri admirabiles, ac nosmet in nostris contemptibiles existimare; prodigium est adhuc dignius admiratione, quàm virtutes ipsæ, unde illud existit. Ita est, bonus, fidelisque servus es, si pro Domini tui gloria laborans, nihil totius hujus gloriæ tibi cedat, quæ quamvis a te non proficiscatur, attamen per te certè traducitur. *Sanctus Bernardus apud Dictionarium Morale in Considerationibus de Humilitate.*

Quomodo nos peccatorum omnium nequissimos arbitrari possumus.

Humilitas eousque procedere potest, ut nosmet cæteris omnibus deteriores putemus, quantumvis nequam sint, hanc nobis cogitationem inspirans, futurum fuisse ut si alii tot recepissent gratias, quibus ipsi cumulati fuimus, illi majorem, quas nos inde fructum perciperent. Hoc satis fuit Francisco Assisinati, ut se mortalium omnium nequissimum arbitraretur. Hoc satis Sancto Paulo; ut se primum, vel ut Sanctus Augustinus interpretatur, peccatorum omnium scelestissimum crederet, ac se vocaret minimum Sanctorum omnium, & veluti abortivum aliquod, quod Apostoli nomine nuncupari non meretur; namque licet plusquam cæteri adlaborasset, tamen Dei Ecclesiam fuerat persecutus. Suum tantummodo peccatum ob illius oculos versatur, aliena obliviscitur; virtutum alienarum recordationem intuetur, suarum verò memoriam prorsus delet. Si verè cognosceremus quid sumus in judicio Dei, possemus hanc servare mensuram, ne nosmet æquo magis vel attolleremus, vel dejiceremus; sed cum hoc nos lateat, tutius est, Sanctus Bernardus inquit, humiliorem locum eligere. Se nimis humiliantibus nullum imminet discrimen, plurima verò sese ultra jus, & fas attollentibus; ac mente, & cogitatione tenus nosmet præferentibus vel uni, qui vel parem, vel majorem, quàm nos, obtinet virtutem. *Idem.*

Qui de seipsis obloquuntur, ut ficta humilitate laudes aucupentur.

Non defuerunt Sancti, qui, ut ab aliis contemnerentur, simulabant se iis obnoxios esse defectibus, quibus carebant; sed quod ad homines vulgò spectat, metuendum est, ne ideo de seipsis obloquantur, ut hac in re alios prævertant, eisque laudandi tribuant occasionem. Hoc tamen ostendit humilitatem virtutem esse adeo amabilem, ut vitium quoque illius speciem mutuetur, ad fœditatem, infamiamque suam contegendam. Sed cum de humilitate rès est, tutius fortasse est de se neque bene quidquam loqui, nec male. Mundus enim illo JESU CHRISTI effato, *qui se humiliat,*

exal-

exaltabitur, plerumque abutitur, & mundi humiliatio non aliud est, quàm superbiæ versutia existimationem appetens, cum eamdem se contemnere simulet. Cum enim superbia eò, quò conatur, nequit pervenire, personam, speciemque induit humilitatis, & negligere videtur, quod obtinere non potest. Igitur si te extrinsecus tantùm humiliaveris, superbissimus quisque hoc melius, quàm tu, potest efficere. Qui humilitatem quidem in ore, vanitatem verò habet in corde, verè neutram habet. Quid prodest coram hominibus humilis videri, cum coram Deo sis superbus? *P. Dozenne in merali JESU CHRISTI, de Humilitate.*

Nulla cæcitas par cæcitati superbiæ.

Superbia vitium est, quod omnium primum in mundo grassatum est. Angeli superbi defecerunt a Deo, & in ipso sæculorum aditu abyssos aperuerunt; hæc eadem superbia primo Parentes nostros, nosque cum illis perdidit. Hoc vitium est, quod omnium latissimè dominatur; sese quocumque effundit in bonum æque, ac in malum, in perfectiones æque, ac in defectus: & quod magis adhuc miserum est, ipsa etiam medicina magis irritatur; & humiliatio, quæ eidem mederi debet, eam maximè perficit. Hoc certè affirmari potest, nullam esse cæcitatem magis ridiculam, insanamque, quàm quæ superbiam gignit. Homo seipsum in pretio habere vult; seipsum cognoscere non vult; homo seipsum plurimi æstimat, & seipsum non novit; verum pro falso, & pro vero falsum cupit. Quid excogitari potest, quod hoc melius superbi hominis audaciam valeat infringere? *P. la Pesse, Sermone de vanitate.*

Causæ, quæ cum ab ipso corpore, tum ab anima nosmet humiliandi suppetunt.

Cum nosmetipsos consideramus, nulla re magis afficimur statim, quàm nostris infirmitatibus, & nihilo nostro. Corporis infirmitates, quod non aliud est quam lutum, & quod infinitis propemodum rationibus sua inclinatione, suis necessitatibus, doloribusque nos dejicit: imperfectiones spiritus subjecti impressionibus hujus corporis, spiritus inquam vagi, inquieti, cæci, omnibus cupiditatum suarum æstibus agitati: sexcenti defectus, qui insanè libidinem suam in nostris explent temperamentis, imaginationum nostratum mobilis inconstantia, affectuum nostrorum improbitas, absoluta Creatori submissio in iis, quæ ad fortunas, vitam, mortemque pertinent: deformitas, & horror, quem peccatum effundit; peccatum, quod nos objicit contemptui, atque odio Judicis nostri, supremi sortis nostræ arbitri: terribilis hæc incertitudo, in qua jugiter versamus de æterna felicitate nostra ambigui; hæ procul dubio causæ sunt, quæ nos debent humiliare. *Idem.*

Decipimur cum aliquid esse arbitramur.

Si quis existimat esse aliquid, Apostolus inquit, *ipse se seducit*: Animadvertite non dicere Apostolum: Si quis se magnum putat, sapientem, pium, ipse se seducit: sed qui se aliquid esse arbitratur. Et sanè nosipsi nostram damnamus cæcitatem, statim ac nos plurimi facimus: licet enim de meritis nostris nobis persuasum sit, ubi coram laudamur, erubescimus; quia laus, quæ nobis defertur, nostram detegit illusionem,.... neque naris adeo emunctæ sumus in iis notandis, quæ alios humiliant, nisi ut alios, si fieri potest, prohibeamus, ne id animadvertant, quod nosmetipsos humiliat. Quamobrem ut humiles essemus, atque modesti, satis esset, qualitates nostras eodem oculo inspici a nobis, quo proximi nostri qualitates inspicimus, & quo proximos nostros intuetur. De vobismetipsis ita cogitaretis, & loqueremini, si sciretis, quid alii de vobis sentiant, & quomodo loquantur; & vosipsi de eo, quod fratres vestri de vobis sentiunt, judicare debetis ex eo, quod vos de fratribus vestris sentitis. *Idem.*

Superbiæ natura, & injustitia.

Docent Theologi, superbiam vitium esse quodammodo universale; quod omnia nobismetipsis accepta referens, omnia Deo vellet eripere: bona supernaturalia, bona naturalia, omnia nullo habet in discrimine; efficit enim, ut cuncta inserviant cupiditati, quæ nobis inest, nosmet attollendi, atque oblivioni tradendi submissionem, atque miseriam, quæ nobis est essentialis. Verum si æquiorem superbiæ ideam animo velimus concipere, fatendum erit, hanc obtutus nostros removere a Deo, a quo recepimus omnia, eosque in nosmetipsos tamquam bonorum nostrorum auctores convertere; atque in id recta tendere, ut Deo suam gloriam eripiat, nobisque accepta referat, quæ ab eo tantùm procedunt. *Idem.*

Superbiæ injustitia, & ingratitudo.

Quæcumque Deus nobis contulerit bona, voluit semper, ut ad majorem sui gloriam illis uteremur: At superbus illis ad gloriam abutitur suam. Quid ergo Deus, ut infideli huic suam testetur indignationem? Illum dejicit, & humiliat per ea ipsa, per quæ nocens sese attollere studet: *An ideo*, Sanctus Basilius ait, *acceptam misericordiam ad occasionem arrogantiæ rapis? Gratiam sequitur judicium.* Cur ideo superbis, quia bonus est Deus? misericordia illius est tibi occasio arrogantiæ? Eheu! Ille te judicabit, damnabitque in iis ipsis bonis, propter quæ in ipsum insurgis. Hæc superbia, uti vides, conjuncta est cum extremo ingratitudinis gradu, qui est, acceptis beneficiis contra eorumdem auctorem abuti. *Idem.*

Homil. de hum. 22.

Invicta vis humilitatis.

Humilitas appellatur arx inexpugnabilis, veluti terrarum orbis, super nihilum ædificata, & quæ ideo non minus firma, & immobilis est, quàm mundus ipse, qui nulla creata potentia concuti potest, & nonnisi eadem moveri potest manu, quæ illius jecit fundamenta. Hæc autem virtus tentationi invicta resistit, quia peculiaris Dei protectio ita illam munit, & roborat, ut numquam valeat expugnari. Quibus opem ferre debeo, inquit ille, nisi animabus, quæ sub potestate mea seipsas humiliant, & ad vocem, nutumque meum contremiscunt. *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & trementem sermones meos? De la Volpilliere, Tomo 2. Sermone de Humilitate.*

Isaiæ 66.

Pax, quam in anima producit humilitas.

Nihil pacatius est, quàm verè humilis anima; quemadmodum hæc se subjicit Deo, nihil intra se, se nihil extra invenit rebelle: affectus ordinati sunt, justa desideria; consilia ejus nemini nocent: aliis præeminere non appetit, quod odiosum est, & conflat inimicitias; & quemadmodum in iis, quæ sunt contentiosa aliis semper concedit, ita nullum fovet dissidium, nullis alitur simultatibus; cumque nihil habeat, quod tueatur, nihil habet, de quo lite contendat. *Idem.*

De superbia.

Deus (inquit Scriptura) superbis resistit, tamquam injustis aggressoribus. Vim eorum repellit, tamquam usurpatorum, eidem furari conantium, quod magis habet in pretio, atque eripientium numquam temerandum jus suæ divinitatis. In illos agit, ut ita dicam, veluti in atheos, qui non aliud actionum suarum agnoscunt principium, præter seipsos, & qui non aliud sibi proponunt finem, nisi honorem suum, atque existimationem. Eos considerat tamquam idololatras, seu quod se a mortalibus coli cupiunt, seu quod mundi gloriam quasi quoddam idolum venerantur, eique omnia, conscientiam, libertatem, bona, labores, & cuncta opera bona sacrificant. *Idem.*

Superbia fons omnium peccatorum.

Initium omnis peccati superbia. Superbia semen est omnium peccatorum: nam quemadmodum docet experientia, homo gloriæ cupidus in secreta dispositione versatur quæcumque scelera perpetrandi, dummodo putet per ea votorum summam se assecuturum, atque inexplebilem, qua flagrat, cupiditatem saturaturum. Injustène acquirenda sunt bona, ut magnifica servorum alatur caterva? In honoris competitione proximus est decipiendus? Visne inferenda cognato, ut in illius dignitatem succedat? Statuendane fortuna est in charissimi amici calamitate? Inquirendusne in urbe spectabilis gradus aliquis est sexcentorum pauperum oppressione? Strenui nomen temeritate, singulari certamine, ut cæde comparandum est? Hæc audebit omnia, quin ullis conscientiæ stimulis perturbetur, & quin effusi sanguinis rubore suffundatur. *Idem.*

JESU

Secundum Salvatoris exemplum Fideli placere debet humilitas.

JESU CHRISTI discipulus nonne alacriter rejicere debet quemlibet honorem, & amare contemptum, ut se Domino, ac Salvatori suo conformet, qui honorem quidem rejecit, & elegit contemptum: *Sustinuit crucem confusione contempta*. Omnes participes esse debemus Crucis Filii Dei, & ad peccatorum nostrorum satisfactionem, & ad nostræ prædestinationis certitudinem. At Crux Filii Dei non solus est corporis dolor, & pœna sensibilis, verum etiam confusio, & opprobrium. Igitur si corpora nostra affligamus pœnis ultrò susceptis, ut earum participes simus, quas JESUS CHRISTUS passus est, nonne etiam humiliatio nobis amanda, & inquirenda est, ut humiliationum, quas ipse pertulit, participes efficiamur? Salvator meus honorem hujus mundi respuit: Salvator meus pro me tot passus est opprobria, nonne æquum est, ut ego quoque aliquid simile patiar meam illi gratitudinem, amoremque meum testatus? (2. ad Cor. 12.) *Placeo mihi in contumeliis, & persecutionibus pro Christo. Ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine JESU contumeliam pati* (Act. 5.). Hic sensus erat primorum Salvatoris discipulorum, hujusmodi in occasionibus præ gaudio exultantium. *P. Catillon in Adventu*.

Gaudet Deus Sanctorum suorum humilitatem attollere.

Frustra sanctitas dissimulatur: hæc non ita facile celari potest; potius solis lumen invisibile fieret. Quò magis fugitur gloria, eò magis nos ubique, quodammodo obsidet; in horridis solitudinibus Anachoretas persequitur; solus virtutum eorum odor illuc Reges trahit, atque Imperatores, ipsaque deserta loca urbibus iisdem efficit frequentiora. Oblectatur Deus eorum præcautiones, omnesque humilitatis ipsorum artes eludere, atque luce meridiana clariores proferre actiones illas, quas magis abscondere, & hominum cognitioni auferre concupiverunt. Hoc ille egit in tot sanctis, quos mortalibus modò Angelorum, modò infantis alicujus, modò etiam mortuorum ipsorum voce detexit. *P. De la Colombiere*.

Sine humilitate ipsæ etiam Dei gratiæ in nostram confluunt perniciem.

Sine humilitate Spiritus Sancti lumina nos excæcant, non illustrant; ipsa etiam elatio in sanctitate eò tendit, ut lapsus nostros turpiores efficiat, & perniciosiores, atque ut utar similitudine Sancti Nili Abbatis, quemadmodum venti secundi navis inflantes vela, hujus naufragium accelerant, si in scopulos, arasque fluctibus abditas illidatur; ita cœlestium donorum, electarumque gratiarum affluentia animarum augent interitum, ubi in corde secretam fovent superbiam, & perniciosam oblectationem, quæ his muneribus alitur, & fovetur. *P. Texier*.

Sine humilitate elatissimus quisque majori in periculo versatur quam alii.

Non secus ac qui super montem obrepens eò magis ab imo præcipitii recedit, quò magis ad montis cacumen accedit; sed non ideo minus in decidendi periculo versatur; & rependo nihil aliud obtinuit, nisi ut lapsui longe graviori expositus sit: Ita Sanctus nequaquam tutiùs vivit, quam homo, cui mediocris tantum virtus adsit; sed e contra (Sanctus Chrysostomus inquit) illi multò magis est metuendum quam huic; namque cum utrique par sit cadendi periculum; prior ille de altiori loco ruens gravioribus vulneribus conficeretur. *P. de la Colombiere*.

Videtur Deus hoc quærere, quomodo vilis omnibus hominibus humiliet.

Tota Dei erga homines providentia huc tendit, ut illos videlicet ad humilitatis exercitationem redigat, & nihil ferme in terris accidit, quod hoc ipsum non doceat. Omnia enim præseferunt, & divinæ potentiæ, & humanæ infirmitatis characteres: juges plagæ, quibus illos percutit ad id potissimum destinatæ sunt, ut humilitatis suæ in ipsos memoriam cieant, quandoquidem, ut Sanctus Augustinus ait, non aliud sunt, quam *increpatio superborum*. Spectaculum tot mortuorum indesinenter oculis nostris expositum, vox est ad illos conclamans: *Quid superbis terra, & cinis*? Miseriæ, & ægritudines, quæ incessanter imminent illis hoc singulis momentis iterare non desinunt. *Essais de morale Tomo 5*.

Eodem tempore, quo Deus nos cupit attollere, vult, ut nosmet dejiciamus.

Paradoxum fortasse videbitur, cum nihilominus sit Evangelica veritas: Sanctitas nostra consistit in conformitate, quam cum divina voluntate habemus; attamen simulac Deus consilium init nosmet extollendi, vult alterum a nobis concipi, quod prorsus videtur oppositum, nosmet videlicet dejiciendi. Vult ille nos magnos efficere, & opus est, ut parvi esse velimus; & quemadmodum S. Augustinus animadvertit, nobis humilitatem inspirat juxta mensuram magnitudinis, quam nobis collaturus est, ut ille, qui altiùs cupit extollere ædificium, altius fodit fundamentum: *Mensura humilitatis unicuique ex mensura ipsius magnitudinis data est, P. Texier in Mysteriis Sermone de Annuntiatione*.

Quam accepta Deo sit humilitas.

Quæri, ut mihi videtur, posset, quas Deus in humili anima inveniat illecebras, ut illam sibi in sponsam assumere, eamque adamare teneatur. Attamen si res propiùs & diligentiùs inspiciatur, Sanctus Bernardus ait, patebit in anima nihil speciosius esse humilitate. *Decor animæ humilitas est*. Scio equidem sanctificantem gratiam Deo nos charos efficere; scio charitatem præcipuam esse, atque primitivam animarum nostrarum pulchritudinem: verum etiam scio, gratiam augeri humilitate. Nonne humilitas Æterni Patris Filium in Mariæ sinum attraxit? *Invenisti gratiam apud Dominum*. Deo placuisti, sed qua re? *Respexit humilitatem ancillæ suæ*; non ait, respexit fidem, charitatem, puritatem, sed humilitatem. *Ex Manuscripto Sermone*.

Humilitas veris nostris defectibus innititur.

Humilitas omnis, uti Sanctus Augustinus docet, veritati debet incumbere. Non opus est, ut ad mendacium confugiamus nosmet humiliaturi; neque ut nobis ea imputemus vitia, easque infirmitates, quibus caremus. Facile ex his defectibus, quæ falsò nobis appinguntur, consurgimus. Veritas una nos reipsa potest humiliare, ideoque Divid dicebat Deo: *Et in veritate tua humiliasti me*. (Psal. 118.) Ut igitur nosmet solidè humiliemus, satis est, nosmet ipsos interrogemus, atque respondeamus, quin nobismet adulemur, vel alienis assentatiunculis fucum nobis fieri patiamus. Humiles sumus cum neque nosmetipsos fallere, neque ab aliis falli desideramus; cum ex aliena illusione crescere nolumus, & fatemur quid sumus, & quid minime sumus. *Essais de Morale Tomo 5. in tertium Adventus Evangelium*.

Difficile est hominibus humilitatem persuadere.

Inter potissimas causas, propter quas Dei Filius venit in mundum, atque se eousque subjecit, ut puer fieret, atque nasceretur in stabulo, non postrema hæc fuit, Sanctus Augustinus inquit, ut nobis videlicet viam humilitatis ostenderet tamquam omnino necessariam ad salutis nostræ opus, & ad æternæ gloriæ acquisitionem. Sed heu! alibi Doctor idem ait, quàm difficile est hominibus hoc præceptum tradere! Quantis conatibus opus est, ut hominibus persuadeatur, quàm præstet hæc virtus, & quàm digna sit christicolis, qui humiliatum Deum venerantur? *Scio quibus viribus opus sit, ut persuadeatur superbis, quanta sit virtus humilitatis*. Eadem superbia, quæ cor illorum inflat, mentem quoque excæcat, prohibetque, ne videant, & intelligant, quid necessitatis Fidelibus omnibus tantum humilitatis mysterium injiciat. *Biroat, Sermone 8. de Adventu*.

Vis, quam habere debet exemplum humilitatis Filii Dei.

Sanctus Petrus Apostolus, qui præcipit, ut nosmet sub potenti Dei manu humiliemus, poterat quodammodo præcepti hujus formam, & rationem immutare nos hortaturus, ut sub humilitate, atque infirmitate Dei humiliati nosmet humiliaremus. Idcircò Sanctus Ambrosius JESUM CHRISTUM in hoc statu vocat, *Principium humilitatis*; (Lib. 5. de Fide c. 4.) innuens non solum illum venisse, ut exerceret, atque doceret virtutem hanc, quæ antea habebatur ignota, verùm etiam ut illis gravissimas obligationes imponeret, eisque efficacissimas rationes afferret, quibus humilitatis exercitationem illis persuaderet, efficeretque, ut mundi superbiam condemnarent. *Idem*.

Nihil

Humiliatio homini est naturalis. Mich. 6.

Nihil homini magis aptum, ac naturale est, quàm humiliatio; nihil ab eo magis alienum, quam gloria, & superbia, quæ inordinata est gloriæ cupiditas: *Humiliatio in medio tui*, omnibus hominibus dicit Propheta. Intra temetipsum geris humiliationis tuæ principia simul, & causas; & ratio constat; etenim in ordine quidem naturæ de nihilo eductus fuisti, corpus tuum ex luto efformatum fuit; in ordine verò gratiæ sexcentis sceleribus coinquinatus es; ac tandem in ordine gloriæ tecum reprobationis tuæ semen affers: *Humiliatio in medio tui*. Oportet igitur, ut homo extra seipsum egrediatur, ut superbiæ causas, & materiam inveniat. Oportet, ut se attollat supra id, quod est; cumque veram non habeat magnitudinem; fictitiam comminiscatur. *Idem*.

Humilitatis necessitas.

Virtutis hujus necessitatem Sanctus Bernardus ostendit, cum illam virtutum fundamentum, & custodem appellat. Omnes quidem virtutes prædestinationi nostræ aliquid conferunt, sed opus est, ut in sua puritate subsistant, atque nulla unquam labe fœdentur. Ratio est, quia perniciosissimus, & qui minus evitari potest, virtutum hostis, est gloria, quæ has ipsas virtutes consequitur. Postquam illæ hostes alios profligarunt, adhuc illis superanda est oblectatio, qua ob relatas victorias perfunduntur. Hæc tinea est, quæ in pretiosissimis efformatur vestibus; venenum est, quod ex pulcherrimis floribus fit; fulgor est, quem in sanctitate sua David metuebat, cum dicebat; *Ab altitudine diei timebo*. Nimiam hanc lucem timeo, quæ ex virtutibus meis emanans illas potest extinguere, Sed unica ratio eas ab hoc peniciosissimo hoste tuendi, est ad humilitatem, ad hujus umbras, atque integumenta confugere. Hæc virtutes omnes conservat. *Idem*.

Ratio, qua coram Deo magni esse possumus, est parvulos fieri in oculis suis

Hoc nostis, & quotidiana vos hoc docet experientia; in omnibus mundi hujus statibus, quemlibet ad gloriam adniti, nihilque intentatum relinquere, ut semper altiùs ascendat, ita omne vitæ suæ spatium in gloriæ desideriis, & perquisitionibus impendens. Hoc ipsi nostis, atque videtis. Verùm cogitate, Dei Filium hodie vobis per os meum dicere: *Non ita erit inter vos*; ego vos destino, ut magni sitis vera magnitudine in Cœlis; sed ut magnitudinem hanc assequamini, vobis descendendum est; atque ut hanc gloriam obtineatis opus est, ut parvuli efficiamini. Parvuli coram Deo, illi gratias habentes ob vitam hanc, quam ab illo accepistis, atque coram Divina illius Majestate vosmet in nihili vestri centro humiliantes. Parvuli coram hominibus, cuilibet justè deferentes, quod debetis singulis, Parvuli in cogitationibus vestris, humiliter de vobis sentientes, prout vestra infirmitas, vestræque postulant imperfectiones, Parvuli in corde vestro amantes, & a Deo petentes humilitatem, atque contemptum honorum hujus mundi, qui mera vanitas sunt. Parvuli denique in actione, vosmet ultrò dejicientes christianis humiliationibus, egenos invisentes, ægris inservientes, atque in ipsas carcerum tenebras descendentes captivis solatium allaturi. *Maimbourg, Sermone pro feria quarta hebdomada tertia in Quadragesima*.

De Pharisæorum superbia.

Talis erat Pharisæorum superbia; cogitatio tot virtutum, quas tanta cura secundum legem exercebant, illos inflabat; eisque eam injiciebat arrogantiam, propter quam eo magis in præceps ruebant, quò magis ab humilitate recedebant: *In se confidebant, tamquam justi*. Ut autem nosmet præservemus ab eo veneno, quod animæ adeo noxium est, nobismet indesinenter persuadeamus, humilitatem virtutum omnium esse maximè necessariam, & sine hac nullam veram esse virtutem; bonum, quod in nobis est, nostrum non esse, ac aliquando terribilem nos reddituros esse rationem de usu illius; illum qui hodie justus est, cras esse posse peccatorem, & ad quemcumque sanctitatis gradu evecti simus, posse nos quælibet scelera perpetrare, si Deus recedet a nobis. Hos sensus nobis inspirare vult Spiritus Sanctus, cum ait modò, nihil nobis inesse, quod non acceperimus, neque ob id nobis esse gloriandum, quasi non receperimus illud; modò, maledictum esse, qui confidit in homine, & qui brachium carneum efficit sibi; hoc est juxta Sancti Hieronymi interpretationem; qui, quod bonum operatus est, suæ attribuit virtuti, quin illud Divinæ Misericordiæ referat acceptum; & qui sibimet innixus innititur calamo fracto; ita enim cor ipsius recedit a Domino: *Et a Domino recedit cor ejus*. *Abbas de Montmorel, Tomo 3. Homil. in 10. Dominicam post Pentecosten*. Jerem. 17.

Causæ, propter quas nosmet humiliare debemus.

Omnis gloria, quam ex bonis nostris percipere possumus, ad Deum unice referenda est, quatenus ejus principium. In nobismetipsis nonnisi humiliationis causas deprehendimus, sive in nobis spectemus duplex nihilum naturæ, & peccati, unde prodivimus; sive oculos conjiciamus in eas calamitates, quibus vita nostra repleta est; sive consideremus pulverem, ac tabum, in quod per mortem sumus redigendi. Ita S. Job hominem paucis describit: *Homo natus de muliere brevi vivens tempore repletur multis miseriis*. Hinc Apostolus ait: *Si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit*. Quemadmodum ex nihilo educti sumus, ita indesinenter in nihilum tendimus, & quolibet momento in illud relaberemur, nisi nos Dei dextera tueretur; quod Propheta testatur, cum ait: *Tu formasti me, & posuisti super me manum tuam*. Nihil aptiùs in nobis humilitatem parere potest, quam hæc consideratio, S. Bernardus inquit; hujus enim virtutis est, hominem abjectum facere in oculis suis, illi ostendendo, ipsum nihilum esse, & ex se nihilum posse. *Essais de Sermons pro tertia Adventus Dominica*.

Ad Gal. 6. Psal. 138.

Humilitas necessaria est dispositio pœnitenti. Psal. 50.

Pœnitenti nulla magis necessaria est dispositio, quàm humilitas. Domine, *cor humiliatum non despicies*, inquit Propheta. Nonnisi nosmet humiliantes coram infinita, ac terribili Majestate Dei ejus flectimus justitiam. Nosmet in terram prosternere debemus, tamquam sub gravi scelerum nostrorum sarcina incurvati, & non audentes oculos in Cœlum sustollere, cum ad Pœnitentiæ Tribunal accedimus. Sin autem corpora nostra minimè sint in hoc humili, prostratoque statu, talis intrinsecus sit anima nostra, ut olim Propheta: *Adhæsit pavimento anima mea*. Non corpus, sed cor, atque spiritus ejus prostratus erat in terram. Attamen ubi sunt pœnitentes verè humiliati ex scelerum suorum recordatione? Quot immo videntur, qui luxum, & vanitatem ad ipsius Tribunalis gradus afferunt, ubi nonnisi lacrymæ, & pœnitentiæ cineres videri deberent? Nonnisi ob quædam facinora humiliantur, nonnisi ob quasdam infirmitates erubescunt; quasi non omnia, quæ peccatum mortale sunt, pœnitentem confusione suffundere deberent. *Essais de Sermons pour l'Avvent*. Psal. 118.

Humilitas omnium virtutum est particeps.

Humilitas generalis est virtus cæterarum particeps, & sine qua reliquæ non aliud sunt, quàm umbra, & phantasma rei illius, quæ videntur. Humilitas intellectum sub jugo fidei captivat, & prohibet ne evagetur in vanis, curiosisque argumentationibus, quæ plerumque animas ad infidelitatem perducunt. Humilitas inter spem, metumque animam tenet, itaut sapienter confidat, atque a temeraria abhorreat arrogantia. Humilitas homini ipsius ostendens infirmitates, & vitia, nihilum, & fragilitatem terrenarum dignitatum, illum sancta replet ambitione, ut illum supra hæc fluxa attollat, & ad Deum unicè quærendum impellat. Humilitas a societate proscribens dissidia, quæ superbia quotidie inter superbos excitat fovet concordiam, quam cum fratribus nostris habere debemus, & efficit, ut opus salutis nostræ cum timore, ac tremore operemur. *Idem*.

Deus bonis, & gratiis cumulat humiles.

Infinita Dei potentia sibi complacere videtur in nihilum operata; admirabilis hic opifex nullam requirit materiam, ut opera sua absolutissima perficiat;

ciat; Verbum illud æternum, cui creata quævis obediunt, quod sese illis aperit ea voce, qua illa produxit, & quod *vocat ea, quæ non sunt, tamquam ea, quæ sunt*; postquam ex nihilo omnes Universorum creaturas eduxit, ex altero nihilo, in quod humilitas hominem Christianum redigit, cuncta gratiæ suæ miracula educit. Vultisne Dei oculos in vos convertere? estote quodammodo, quasi in oculis hominum, & vestris minime essetis; vosmet sepelite, destruite, annihilate coram suprema hac majestate sensibus profundæ humilitatis; vosmet cogitate tamquam terræ vermes, abjectionem hominum; & opprobrium plebis. In hoc annihilationis, destructionis, & oblivionis vestrum metipsorum statu Deus oculos suos in vos conjiciet. Hoc equidem felici experientia didici, S. Bernardus ait, ut celeres, ingentesque fierent in virtute progressus, humiliter coram Domino esse incedendum; eique indesinenter offerendum sacrificium justitiæ, de quo Propheta loquitur, nosmet Divinæ Majestati tamquam victimas per humilitatem annihilatas, deletasque offerendo. *Idem*.

Ad Rom. 4.

Fidelis omnem mundi gloriam debet contemnere.

Magnum esse apud Deum aliquid est toto cœlo majus, quàm magnum apud homines esse; ita humilis Christianus, in quo universa sibi complacet, & quem admiratur aula cœlestis, plus habet veræ gloriæ, quàm terræ hujus strenuus imperator, qui populi acclamantis plausibus exceptus, intumescit præ superbia, quæ coram Deo delet quidquid magnitudinis habet, & gloriæ. Hinc illæ adeo frequentes in sacris Scripturis proficiscuntur comparationes, vivæque imagines, quibus terrenæ hujus gloriæ illusio exhibetur. Omnis caro fœnum, & omnis gloria carnis tamquam flos fœni; hic flos est magnæ celebritatis rumor; fulgor est fragilis formæ; cultus est, qui huic idolo adhibetur; sed sæpe flos decidit antequam etiam fœnum exarescat: peccatorum gloria non semper cum illis descendit in tumulum, Propheta ait, sed illi sæpe sunt suæ existimationi superstites. *Ibidem*.

Nulla vera virtus est sine humilitate.

Frustra confidis in commentitiis bonis, quæ tu tibi inesse arbitraris; nullum enim verum est sine virtute meritum, & non solum vera virtus sine humilitate nulla est; sed nihil est nequius quàm virtus ambitiosa, & superba, dummodo hujusmodi virtus possit inveniri. Nam quemadmodum ea quæ per se optima sunt, ubi degenerant, secundum perfectionis suæ gradum corrumpuntur: ita per superbiam virtutes non solum mutantur in vitia; sed ut ita dicam, fiunt vitiis ipsis nequiores. Humilitas in criminibus initium conversionis est; superbia in virtute signum est reprobationis. Omnes Pharisæorum austeritates efficere non potuerunt nisi hypocritas; & Publicani humilitas verum pœnitentem effecit. Quænam igitur est illius insania, qui ob virtutem superbit, quandoquidem simulac illam ostentat, jam illa caret? Superbia se effert, Sanctus Augustinus ait, eo quod de tentatione triumpharit, cum interim se altera tentatione prosterni non sentiat, ac non videat se vinci per hoc ipsum, quod se victum nequaquam fuisse gloriatur. Tu ergo, qui perfectionem cogitas, memento, fundamentum appositum esse debere altitudini ædificii; nullum esse virtutis gradum, qui suum habere non debeat gradum humilitatis, tamquam antidotum secreto superbiæ veneno, quod dæmon in præstantissima quælibet studet effundere. *Ibidem, Tomo 2.*

Sine humilitate nulla est vera mortificatio.

Affirmare possumus Evangelicæ severitatis fundamentum esse humilitatem; nihil enim spiritui natura sua superbienti tam grave est, quàm humiliatio. Itaque illi, qui regularem corporis habitum, insignemque in moribus suis mortificationem affectant, nisi humiles fuerint, quin in semet severitatem exerceant, nocentes sunt, quod in se indulgentiores extiterint; quoniam palpant maximè teneram humani cordis affectionem, & omnes corporis mortificationes ad inanem spiritus ostentationem alendam inserviunt. Hac de causa Dei Filius apertum Pharisæis bellum indixit; licet enim viderentur admodum mortificari, cum omnis eorum severitas ad ipsorum fovendam superbiam impenderetur; exteriorem tantummodo Evangelicæ mortificationis speciem præseferebant, quin illius spiritum, qui in hac sincera humilitate consistit, assequerentur. Gloriabantur, se ne minimas quidem legis observantias præterire, & ex hac religiosissima diligentia secretæ confidentiæ occasionem desumebant alios quidem tamquam peccatores contemnendo, se vero in justorum albo recensendo: *In se confidebant, tamquam justi*. De seipsis optimè sentiebant, & *aspernabantur cæteros*. Austeritates ideo exercebant, ut in conviviis, & Synagogis, ubi primos optabant accubitus, primaque subsellia, cum honore exciperentur. *Ibidem*.

Luc. 18.

Magna humilitas est latere, cum quis sese proferre potest.

Existimationi satis bene constitutæ, recentibusque testimoniis non indigenti facilè acquiescimus: haud ægre tacemus coram illis, qui sciunt in nostra potestate esse positum hiscere, ut audientium laudes mereamur. Silentium, quod in hujusmodi occasionibus servatur, eò nobis gloriosius est, quod aliorum cogitationi plenam libertatem relinquimus ea amplificandi, quæ a nobis dici possent; & hæc modestiæ species, quæ exploratum meritum concomitatur, quædam velut umbra, illius nitorem, ideamque commendat. At cognoscere non deesse sibi tantum eruditionis, & scientiæ, quantum satis est ad plausus adstantium promerendos, quin illam ostentandi impatientia abripiamur: tranquillè in turba subsistere, cum non arduum sit enitescere; suffocare motum hunc adeo naturalem homini sese attollendi supra cæteros, ubi fieri possit; hic sanè esse non potest nisi effectus magnitudinis animi heroici, consummatæque humilitatis. *Essais de Panegyriques. Sermone de S. Thoma Aquinate.*

Nulla virtus facilius adulterari potest, quam humilitas.

Non deest subtilis quædam hypocrisis, & delicata, quæ sese nobismetipsis abscondit, quemadmodum crassior hypocrisis est, quæ aliam nobis personam inducit, ne agnoscamur ab aliis. Sed in virtutum omnium cohorte nulla est, quæ faciliùs humilitate possit adulterari. Superbia sæpe in cordis latebris adeo inviis, profundisque delitescit, ut Deus unus, quem nihil latet, illam deprehendat. Ipsi etiam Confessarii, qui majori lumine pollent, non ita facilè ea retegere possunt velamenta, quibus eadem absconditur: Facile quidem agnoscis, utrum temperans, castus, justusque sis; at semper ignoras, utrum sis humilis, & ubi te humilitatem habere putas, jam illam amittere incœpisti: *Ibid. Sermone de S. Francisco Paulano.*

Quid humilitas, & quinam effectus illius.

Quid est humilitas, nisi distinctio quædam, quam in seipso homo facit inter ea, quæ Dei sunt, & quæ secus: nisi declaratio, qua profitetur se non esse auctorem magnitudinis suæ, neque illi præter Deum ipsum, alium tribuit principium: nisi justitia, quam exercet, Deo tribuens, quod ab uno Deo profectum est? Potestne gloriosiùs amittere nomen auctoris perfectionum suarum, quam se Dei opus esse professus? Hic sensus, quem fovet, vilitatis suæ, & hæc suæ impotentiæ confessio, Deum cogit, ut pro illo omnia operetur. Hæc ea virtus est, quæ cum Deo quæstuosissimum instituit commercium, in quo Deus eo plura homini impertit, quo pauciora homo sibi refert accepta: per humilitatis ministerium Deus rationes cum hominibus supputat eorum beneficiorum, quæ contulit ipsis; ac recipit dona, a se illis collata, quasi hæc illi sibi munerarentur. Ne putemus virtutes reliquas homini eamdem afferre utilitatem; hæ quippe illi in perniciem cedunt, nisi comes adsit humilitas; quin immo potius sunt tamquam laquei, & occasiones lapsus, quàm adminicula ad gloriam assequendam. Hujus virtutis est omnem illis fulgorem tribuere; alioquin non aliud sunt quàm superficies inanis, qua sese homo nequiquam exornat; & si quam laudem referunt, hanc rapiunt potiùs, quam mereantur: *Ex Collectione Oratio-*

num

num Gallicæ Accademiæ Oblatarum anno 1679. Sermone tertio.

Quam delicata virtus sit humilitas.

Humilitas virtus est admodum tenera, & quæ facile elabitur; statim ac possidemus illam, illius amittendæ periculum subimus. Major requiritur diligentia in asservanda, quàm acquirenda; & sive illam habeamus, sive secus, semper certandum est, ut illam possideamus; etenim possidenda est, quasi illam minime possideremus. Non minus periculosum est homini scire, proprium amorem in se devictum esse, quàm illius vim sentire, eumque in corde fovere. Hic hostis est, qui nunquam satis prosternitur, nisi illum prostratum a nobis esse non putemus; & qui quam primum de nobis victoriam referet, nisi persuasum sit, a nobis de eodem victoriam minimè relatam fuisse. *Ibidem.*

Quid in nobis gignet humilitas.

Quemadmodum humilitas hominem attollit magnitudinem ejus abscondens, ita illum dejicit nihilum ejus ostentans. Hæc illi aperit naturæ ipsius infirmitatem, conatuum improbitatem, affectionum indignitatem, atque tumultum omnium partium animæ ipsius. Se ipsum non palpat, se in semetipso inspicit, non in aliis, a quibus decipiebatur: suis studet infirmitatibus, & in illis, quas novit, eas quas ignorat, inquirit; ac tandem invenit omnium malorum suorum originem hominem esse. Hæc virtus, quæ aliis pretium tribuit, hypocrisi personam aufert; virtuti, quod ipsi debetur, restituit; fortunæ reddit, quod suum est, facta sua iis denudat circumstantiis, quæ sibi favent, & quæ extra seipsam sunt, atque illas homini in earum ostendens principio, omnem earumdem detegit fœditatem. *Idem.*

Humilitas in homine producit tantum sui met ipsius odium

Quænam immutatio fit in homine, ubi varias suas imperfectiones intuetur, atque de seipso fovet sensus longè alios ab illis, quos pridem fovebat! Seipsum odit, postquam se tantum amavit, seque velut objectum elegit, in quo sibi complaceret. Ubi meminit se suæ infirmitati non denegasse plausus; debitas virtuti suæ laudes negat. Virtutes ipsius in magna vitiorum turba non videntur amplius, quemadmodum vitia olim sub virtutis specie sese occulucrant. At nondum satis; odium illius longiùs procedit; atque se non adeo fortem arbitratus, ut diu sibimetipsi resistat, ab illis, qui opem ad eum fallendum contulerant, suppetias petit, ut seipsum agnoscat, omnesque cordis sui latebras scrutetur. Non proponit amplius illis virtutem suam, quoddam quasi mysterium; illos in seipsum excitat omnia illis sua detegens scelera; neque illos decipere quærit, nisi plures in se imperfectiones esse, quàm reipsa sint, iisdem exponens. *Idem.*

Vera humilitas virtutis gloriam non quærit.

Virtute præditus non esset, qui apud homines virtutis gloriam aucuparetur. Vir bonus non ignorat, quanto in honore habenda sit pietas; sed bonus esse desineret, si honoris actus cupiditate virtutem exerceret. Veræ virtutis character est humilitas; at non est amplius virtus, ex quo superba est. Superbi, & contemptores sensus nonnisi ficta charitate possunt animari sub ficta modestia; atque naturalis fragilitas quæ illos concomitatur, vulgò sibi non interdicit, nisi ea peccata, quæ eandem vanitatem confundere possunt. *Liber, qui inscribitur: Remarques sur divers sujets de Religion, & de Morale.*

Dei Filius voluit, ut homines a seipso virtutem humilitatis edi[s]cerent.

Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Matth. 11. Quasi per hæc verba, quæ in simplicitate sua sublimem doctrinam continent, vellet innuere; Ego cœlum, ac terram creavi; natura universa legibus meis paret: me vidistis mutorum linguas solventem, surdorum auriculas aperientem, cæcis oculorum aciem reddentem, paralyticos curantem, mortuos suscitantem: Verùm non hæc illa sunt miracula, quæ vos a me discere cupio. Hæc enim satis didiceritis perpetrare, eam exercentes humilitatem, cujus exemplum vobis præbeo. Si me fueritis imitati in ea annihilatione, in qua visus sum, cum vestras suscepi infirmitates, efficiemini majores, & digniores me, & hæc voluntaria humiliatio cumulus erit vestræ magnitudinis. Quid igitur, Sanctus Augustinus hæc super exclamat, omnes isti inexhausti scientiæ, atque sapientiæ thesauri, quæ in te tamquam in suo fonte, atque origine continentur, ad id igitur rediguntur, ut tamquam aliquid magnum, & sublime intelligamus, te mitem esse, & humilem corde? Numquid tanta, tamque eximia humilitas est, ut de eadem nos erudire non potueris quin, cum ita magnus sis, parvulus, & humilis efficereris? *Ex Collectione Orationum Gallicæ Accademiæ Oblatarum anno 1677. Sermone primo.*

Humilitas fons est magnitudinis.

Hanc nobis adstruit ideam Sanctus Ambrosius, ubi virtutis hujus dignitatem ostensurus ait, nihil humilitate sublimius esse, quæ perinde ac rebus omnibus emineret, ignorat, quid sit, altiùs se attollere. Et sanè ejus nihilum inexhaustus est fons magnitudinis, & Sancti etiam insigniores, iis tantum bonis locupletati sunt, quæ ipsis humilitas contulit. Simplex Piscator nonne factus est Princeps Apostolorum JESU CHRISTI, & Ecclesiæ ipsius fundamentum? Joannes Baptista nonne fieri meretur Salvatoris præcursor, manumque suam attollere super ejusdem Salvatoris caput, cujus ne corrigiæ quidem calceamentorum solvendæ se parem putat? Hunc illi honorem debent humilitati, & minus magni essent si aliunde, quàm illius ope magnitudinem suam quæsivissent. Nequicquam ob gloriam quam procurat humilitas, acquirendam contendit, qui illam festinat inquirere &c.

Humilitas in quovis statuum, & conditionum genere potest inveniri.

Ne putemus humilitatem ibi semper versari debere, ubi egestas, & contemptus invenitur; neque adeo simus injusti, ut illi aditum in Principum virorum ædes, Regumque aulas prohibere velimus. Verum est, illam infrequentiùs in hujusmodi locis videri; illinc ubi superbia hostis illius crebrò triumphat: illa non omnino illinc exulat; & quemadmodum humanum cor vanitatem, ambitionemque suam nonnumquam inter ipsas injurias, & contumelias tuetur; ita & humilitas perfectionem suam amittere nequit, licet purpura induatur, & gloria, qua circumdatur, illam oculis nostris eripiat. Itaque quocumque in statu sis, eorum, quæ possides, bonorum cogitatione minime efferri; te semper minus dignum, magisque imperfectum censere; eas celebrare perfectiones, quæ videntur in aliis; eorum defectus non contemnere, ut inde inanis gloriæ causam arripias, temet inutilem servum putare, tunc etiam cum egregium aliquid præstiteris; denique nihil tibimetipsi acceptum referre, & omnia in Deum unum auctorem conferre, hoc illud est, in quo vera consistit humilitas, de qua loquimur, & quod nos docuit Salvator, cum versaretur in terris. *Ibidem.*

Vera humilitas ab externa specie non pendet, neque illi inhæret,

Non pœnitentium cilicia humilem, neque optimarum prætextæ superbum efficiunt. Vanitas sub pannosis scrutis, humilitas sub purpura latere potest; utraque indiscriminatim in Cœnobitarum claustris, atque in Regum penetralibus invenitur. Vera humilitas non esset amplius virtus adeo rara, si externa humiliatio certum ejusdem esset indicium; & qui humillimus videri vult in oculis hominum, semper maximus esset in oculis Dei. Pharisaicam haberet mentem, qui indignam adeo hujus virtutis ideam conciperet. Fideles omnes humiles esse tenentur; at non omnes fideles tenentur mortalium oculos in se convertere quibusdam sensibilibus signis, in quibus ignorantia passim omnem constituit humilitatem. Hæc quidem Christiana Religio verè amat, & colit in illis, a quibus exercentur, verum minime putat, ea vel ad salutem sufficere, vel fidelibus omnibus esse necessaria. *Ibidem, Sermone secundo.*

Ethnici ipsum quoque humilitatis nomen ignorarunt.

Ethnicorum philosophia nimis erat superba, quàm ut humilitati eum, quem meretur, inter virtutes locum tribueret, vix illius nomen audierat, quò ad ignobilitatem, & obscuritatem indigitandam abutebatur. Sed postquam JESU CHRISTI mo-

talis

ralis homines erudire, & illustrare occœpit; virtus hæc sua in luce resulsit, & postquam diutiùs latuit, contemptaque fuit, tandem adeo speciosa, ac gloriosa nitescere visa est, ut nonnisi summa cum admiratione superbiam, hostem illius, mutuatis ab eadem speciebus, ornati aspexerimus. Et sanè si tot admirabiles cognitiones, quas hodierna quoque die debemus iis luminibus, quæ illi adepti erant jugi studio, iisdem permiscere vanitatem aliquam videbantur; limites, quibus ea continebantur, nimis angusti, tot res, quæ illa fallebant, sexcentaque alia, quorum arcana, & obscuritatem penetrare non poterant, efficere debebant, ut infirmitatis suæ magnitudinem intelligerent; & jure dicere possumus, minorem illis superbiendi caussam fuisse, propter ea, quæ sciebant, quàm erubescendi propter ea, quæ illis ediscenda supererant. *Ex Collectione Sermonum Accademiæ Gallicæ oblatarum anno 1679. Sermone primo.*

Superbia sese tegit specie humilitatis, ut tutiùs ad gloriam perveniat.

Cum hac dissimulatione, atque versutia, nihil jam arduum videtur superbiæ; & jure nihil relinquere potest inausum. Quoties sub mutuata imagine ditescere visa est, ea bona respuens, quæ ipsi offerebantur? Quoties ad sublimiores sese dignitates evexit, simulans se earum magnitudinem evitare? Quoties laudes contempsit, ut affectata repulsa augerentur? Quoties ficta modestia omnia aspernari visa est, ut inde majores vires acquireret, quibus toto cœlo altiùs ascenderet? Ita est. Nullus est adeo contemptilis gradus, adeoque abjectus, quo ficta humilitas non abutatur, ut inde magis se attollat. Hæc non respicit vilitatem rerum, quas facit, dummodo illa, ad quæ contendit, sibi felici eventu succedant; non curat illa indignitatem instrumentorum, quibus utitur, unicè respiciens nitorem finis illius, quem sibi proponit. *Idem.*

Falsa humilitas omnes veritatis actiones imitatur.

Videte, quousque procedat dissimulatio, & periculosæ hujus humilitatis calliditas, ut oculos fallat, atque hominum laudes aucupetur. Nulla sunt perfectioris virtutis exercitia, quæ in speciem non imitetur, licèt reipsa terribilem, funestumque eventum obtineat. Hæc fortasse toties terræ divitibus suasit, ut partem bonorum suorum pauperibus erogarent, ut hac divitiarum effusione piorum hominum laudem aucupatentur. Hæc impulit sæculi hujus potestates, ut in carcerum tenebras descenderent, adhoc ut corda ipsorum ambitiosè humilia hoc misericordiæ opere sibi laudem conciliarent. Hæc dissimulata superbia tot ædificavit templa, tot aras in Dei exercituum honorem erexit, ad pietatis famam captandam. Sed heu quàm funesta hæc bona fiunt per causæ, a quibus producuntur, corruptionem! Si in humilibus sunt æternæ beatitudinis causa, in superborum caput supplicia congerunt, atque tormenta numquam desitura, &c. *Idem.*

Sui ipsius cognitio parit humilitatem.

Mirum non est, si mortalis suam non agnoscens infirmitatem seipsum humiliare detrectet: sed cum, tot licet dissimulationibus amor proprius ad eum fallendum utatur, se ipsum talem considerat, qualis reipsa est, non amplius humilitatem perhorrescit. Hæc perfecta infirmitatis naturæ, & fordium originis suæ cognitio efficit, ut necessitatem sese humiliandi cognoscat; atque virtutis hujus exercitatione illius pretium, & dignitatem intelligit. Ego nihil aliud sum quàm terra, & pulvis ventorum ludibrium, S. Abraham Patriarcha exclamabat. Quid ego sum, ajebat Regius Propheta, quod meritus fuerim, ut Deus pedis mei simplicitatem in Sceptri, quod hodie gero, majestatem immutaret? Et Salomon fatebatur se mortalium omnium esse imperfectissimum, atque sibi Sanctorum sapientiam, & scientiam deesse affirmabat. Quidnam tantam in summorum virorum corde excitasset humilitatem, nisi nihili sui cognitio, quandoquidem non deerat ipsis aliunde ratio propter quam superbia efferrentur. *Idem.*

Verè humilis omnem mundi gloriam contemnit.

Quemadmodum qui verè humilis est, palam rerum vanitatem intelligit; scit, quod gloria, auctoritas, magnitudo, potestas, fortuna vocatur; nihil tale esse; hæc mera esse nomina, quæ homines tribuere voluerunt rebus, quas se possidere putabant: hos inquirere, quomodo seipsos fallant, & re vera seipsos fallere; consulunt enim tantummodo sensus, qui omnium maximè ad imponendum, fallendumque sunt accommodati, quia numquam summa officii fide objecta repræsentant; illos animæ auferre facultatem judicandi, eamque replere fallacibus ideis, quibus ipsi primum capti fuerunt. Huic humili viro ostendatur quidquid in mondo magis superbum est, & magnificum; ante oculos illius exhibeatur, quidquid in pretio habetur, & quidquid in Regibus, atque victoribus homines admirari consueverunt; ille nihil horum videt, palam namque cognoscit hæc vera bona non esse; non sine superbia, ignorantia, infirmitate aliquem illis hærere posse, & possidentem illa neque justiorem, neque majorem, neque beatiorem esse iis, a quibus non possidentur. *Ex Collectione Orationum Accademiæ Gallicæ oblatarum anno 1679. Sermone 2.*

Humilis in rebus prosperis non superbit.

Inspiciamus hominem humilem in rebus prosperis, quæ longè periculosiores videntur adversis. Tunc ille præbet humilitatis exempla magis adhoc rara, & admirabilia. Tandem enim nonne prodigium est intueri hominem, qui neque æquissimarum laudum suavitate flectitur, nec mutatur honorum, quibus gaudet, oblectatione, atque profundè meditatus id, quod re vera est, non movetur ulla vi, quam honores, dignitates, atque mortalium omnium plausus illi possunt inferre. Profectò qui humilis est, dici potest ordinis esse superioris mortalibus cæteris, in quorum cognitionibus nihil certum est, nihil solidum, nihilque dignum ipsis, & quorum desideria intra fluxarum, fragiliumque rerum orbem continentur. *Idem.*

Facile est falsam humilem a vero dignoscere.

Qui spiritui vacant, atque cœlesti lumine illustrati sunt, cum Sancto Hieronymo sciunt: plurimos quidem humilitatis umbram amplecti, paucos verò ipsam assequi humilitatem. Non ignorant non operosum esse obstipo capite, demissisque in terram oculis incedere, humilem vocis tonum, corporisque habitum præseferre, identidem suspiria emittere, ac se miserum, & peccatorem nuncupare. Non morantur in aliquot verbis, atque actionibus; non cilicium, non cinis, non vitæ genus humilitati magis consonum illos persuadent; omnem hominis vitæ rationem perpendunt, & quantumvis sciant harum rerum judicium Deo esse reservandum, illis tamen persuasum est, Deum quasdam nobis reliquisse regulas, secundum quas rationabile judicium a nobis quoque ferri potest. Itaque cum videbunt hos pseudo-humiles suas semper alienis anteferre sententias; opinionibus suis mordicus inhærere, quin aures adhibeant iis, quæ sibi proponuntur ab aliis, quantumvis æquissimæ illæ sint; in speciem quidem contemptum appetere, eumque oblatum ferre non posse; cupere sine causa laudari, atque ægrè, & iniquo animo ferre elogia, quibus meritò alii cumulantur: nihil nisi ad nominis sui gloriam conari tunc etiam cum se ad majorem Dei gloriam omnia facere profitentur; velle, homines sibi solis hærere, cum illi omnino ab hominibus abhorrentes videri cupiant; statim affirmabunt hæc non esse veræ humilitatis indicia, quæ sine charitate esse non potest, quæ nihil umquam vel contra christianam justitiam, vel contra naturalem æquitatem operatur. *Idem.*

In Christiana dumtaxat Religione vera humilitas invenitur.

Si Christiana Religio ex Ethnicæ reliquiis quasdam prophanas virtutes collegit, easque in sanctiorem usum convertit, novas etiam constituit, quæ fictis numinibus numquam famulatæ fuerant, & quæ ad veri Dei honorem reservabantur. Princeps ex his virtutibus, quæ cultui adeo sancto destinatæ erant, est humilitas: hæc orta est cum Religione, cujus est fundamentum, atque character: hæc non aliud agnoscit principium, neque opus est humanæ prudentiæ, quam confundit. Vani, &

ambi-

ambitiosi homines, qui in virtutum albo eas tantum recensebant, quæ sibi nominis celebritatem comparabant, hanc agnoscere virtutem, qua reliquæ omnes superantur, eamque nominum, insigniumque titulorum suorum jactura adipisci renuebant. Vera humilitas opus est Religionis; opus fuit, ut lumen Evangelii radiis suis ipsas humani cordis latebras illustraret ad hoc, ut hæc amoris proprij nebula, qua celabatur, dissiparetur, & ut auferrentur tenebræ, quibus involutus homo hominis cognitionem fallebat. *Idem*.

Non satis esse debet interior humilitas; exterior etiam est adhibenda.

Qui verè humilis est, non satis esse putat eam humilitatem, quæ tota intrinsecus latet; in qua tot Fideles decepti immorantur, qui clanculum ob defectus, atque miserias suas erubescentes, sibi omnem vanitatis lusum, & pompam licere volunt; Sauli similes, qui Prophetæ exprobrantis monita seorsim, ut ajebat, æquo tulisset animo, dummodo illi coram populo honorem detulisset. Humilis hominis vivendi ratio, vestitus, sermo, totus corporis habitus humilitatem, suique contemptum debent redolere. Ardens cupiditas exteriora humilitatis opera exercendi efficit, ut obscurissima exteriora officia tamquam maximè pretiosa, habeantur, hominemque impellit ad abjectissima quælibet munera cum alacritate, non solum nobilissimis, verum etiam humillimis hominibus præstanda. Ex hac vivendi ratione discite, o superbi, qui inevitabilem vanitatum, atque pomparum sæculi abdicandarum necessitatem redigitis ad inutiles considerationes de nihilo hujus mundi, quo vester amor proprius pascitur, atque decipitur ne in tranquilla possessione externi hujus fulgoris, qui vos perstringit, ac fascinat, perturbemini, Namque hanc prætexentes excusationem, mente præsertim, & corde placendum esse Deo, omnem Christianam humilitatem in secreta quadam persuasione constituunt de mundi hujus vanitate generatim, atque in humilibus sensibus, qui nullo pacto extrinsecus pateant; quæ quidem gravissima illusio est. *Idem*.

Deus aliquando superbos quidem confundet, humiles verò attollet,

Verum est, mundi hujus fortunam instar rotæ esse, alios attollentis, dum alii in pulvere delitescunt: sed non semper huic rotæ motum imprimet superbia, Deus aliquando hominum arrogantiam illudet, atque superbos de sede dejiciet, humiles in eorum locum substituturus. Ambitiosa eorum subvertet consilia; atque gloria, & honore coronabit eos, qui in terris inglorii, ac sine nomine vixerunt, ut doceat, gloriæ viam esse humilitatem, atque superbis idem accidere quod altissimis montibus, procerisque Libani cedris, qui quò elatiores sunt, eò patent magis tempestatum insultibus, ac ictibus fulminum; cum humiles e contra palmæ sint similes ramos suos in Cœlum attollenti eò majori pompa, quo magis illos in terram declinat: vel illi aquæ salientis adspergini, quæ eò altius ascendit, quò profundius ejusdem fuit lapsus. *In Sermonibus Christianis*, *Sermone hujus argumenti*.

Fidelis humilitatem profitetur

Fidelis in Baptismate se humilem futurum profitetur, cum Dæmoni, omnibusque pompis ejus, quæ sunt effectus superbiæ, abrenunciat; potiori ergo jure superbiæ debet abrenunciare, quæ earum fons est, & principium: *Initium omnis peccati est superbia*. (Eccli. 10.) At non nisi verum dicam, cùm affirmabo, humilitatem ita esse Religionis, quam profitemur, fundamentum, ejusque ita essentiam esse, & caracterem, ut qui ab eadem recessit, nomine tenus, externaque professione Christianus habendus sit; hunc a Deo tamquam alienum haberi; a Domino in discipulorum albo non recenseri amplius, characterem, quem retinet, non prodesse, nisi ut illum nocentiorem efficiat, atque Deum in hunc majori severitate, quàm in eos, a quibus numquam cognitus fuit, animadversurum, *Abbas Trappensis Collatione pro quinta Adventus Dominica*.

Superbia quantum sit rationi contraria.

Generis sui nobilitatem jactare, seipsum ignorare est, fortunæ bona ostentare, est in se hominum odia convertere; contra regulas, & civilis societatis officia peccare; est intolerabilem fieri. Hoc sana, & recta ratio nos docet. At quid aliud sermonibus, operibusque suis facit superbus? Cæterum infirmitates, & miseriæ, quæ a natura nostra inseparabiles sunt; fragilitas, quæ concomitatur, evertitque fortunam; communia, & reciproca officia, a quibus civilis societatis pax, & felicitas pendet; omnes hæ considerationes nobis humiliationem inspirant. Hoc ipsi quoque Ethnicæ Religionis sapientes intellexerunt, & si cæcitate, quæ numquam satis deploranda est, vivendi rationem inierunt longè ab egregiis hisce morum præceptis, quæ in eorum scriptis passim leguntur, abhorrentem, tamen non defuerunt, quo minus (ut Sanctus Augustinus ait) per hæc Evangelii vias præpararent. *Dictionarium Morale, Sermone 2. de humilitate*,

Existimationis suæ curam gerere non est humilitati contrarium.

Existimationis suæ cura est habenda; humilitas quantumvis modesta sit, hoc minimè prohibet. Illam profectò contemneret, nisi esset charitati necessaria; verùm cùm eadem sit non postremum humanæ societatis fundamentum, atque sine eadem aliis non inutiles solum, verùm etiam simus perniciosi propter scandalum, quod percipere possunt; jubet charitas, nos illam tueri, & humilitas sinit illius curam haberi. Sed nimia, nimisque tenera ob existimationem sollicitudo, nimius, immodicusque illius amittendæ metus, efficit, ut alii sentiant, nos meritis nostris, nostræque virtuti, quæ ipsius est fundamentum, diffidere. Qui animam habent verè humilem, hanc aspernantur verborum affluentiam, quam obtrectatio in mundum invexit. Sed qui se infirmos norunt, quidquid de se dicatur, perturbantur. *Idem in Considerationibus*.

Videtur tota Christiana Religio redigi ad humilitatem.

Tota Religio Christiani, Sanctus Augustinus ait, *humilitas est*; ac illius virtutes nihil aliud esse videntur, quàm totidem variæ species humilitatis. Fides est humilitas mentis; quia illam captivat: inimicorum dilectio est humilitas cordis, quia sese humiliat id amans, quod minimè vellet: temperantia nonne sensuum, pœnitentia verò affectuum humilitas est? Charitas ipsa, quæ est virtutum omnium regina, id ne esset, quod est, nisi eximiam eorum proprietatem haberet, de qua loquitur S. Paulus, *Charitas non inflatur*. *Idem*.

De ficta humilitate.

Non desunt, qui quamdam humilitatis speciem præseferunt, sed qui humilitatis nec spiritum habent, nec veritatem. Illam producunt extrinsecus, sed intus illam impugnant; palam quidem ostentant illam, clam verò abnegant. Humilitas, ut vera sit, abhorrere debet ab omni simulatione, & animam sinceram invenire.... Quidam inquieta observant impatientia, quid de se dicatur, quinam sit hominum sensus, & sermo; non desunt, qui sese mites quidem humilesque præbent erga eos, qui sibi sunt utiles, superbos verò, ac intolerabiles erga alios; se humiliant, atque in omnem obsequii speciem componunt erga illos, quibus indigent; ab iis verò timeri volunt, quibus utilitatem possunt afferre: cedunt illis, supra quos possent evehi; sed cum paribus suis locum diligentissimè tuentur: ne miretis, si modò irascantur, modò sedentur. Ambitio, quæ eorum altera natura est, eam imitatur naturam, quam Philosophi tamquam principium motus, & quietis entium omnium considerant. Hæc latens est, sed imperitans animi affectio, quæ has ciet, sedatque tempestates, & quæ affectus alios agitat, & lenit, *Idem*.

Argumenti ejusdem continuatio.

Hujusmodi sunt hypocritæ, homines superbi, ac suis inanibus meritis ebrii; qui putant nihil bonum esse, nisi quod ipsi operantur, nullas virtutes, nisi quas exercent, nullam pietatem, nisi quam sectantur: honesti homines, cum non exacerbantur; lenes, & mites cum nihil patiuntur; modesti, cum sibi alii cedunt, affabiles, cum sibi honor adhibetur. Læduntur ne? implacabili furunt iracundia. Contumelia afficiuntur? sævissimas ultiones exercent. Incommodum aliquod illis adfertur?

Æter-

Æternam servant memoriam, atque amaro zelo succensi nihil intentatum relinquunt, ut pium odium expleant; magisque sua, quàm quæ proximi sunt, inquirentes; magisque suæ, quàm Dei gloriæ studentes, devotè fratres suos suis sacrificant cupiditatibus. *Idem.*

Nonnumquam humiles sumus mente, non corde.

Si vosmet sine ulla dissimulatione inspexeritis secundum veritatis regulas, nullus dubito, quominus coram Deo vosmet putetis objectum contemptu dignum; at vereor, ne iniquo feratis animo ab aliis contemni. Humiles quidem estis spiritu, non autem corde; si enim essetis, quantum in vobis est, cuperetis, ut omnes de vobis idem, quod vosipsi, judicarent. Quantum in vobis est, inquam; periculosum enim aliis esset, vos contemnere, quamvis utile vobis esset, hunc contemptum amare. Sed si amoris proprii arte intra vos, hoc veritatis judicium retinetis, quin illud extrinsecus prodire patiamini; quisnam ambigit, ne vosipsos magis, quam veritatem ametis, vos, quibus adeo cordi est, ejus lumen extingui, ne aliquid detegat, ubi existimatio vestra quidquam detrimenti patiatur? *Idem.*

Deus gratias suas humilibus elargitur.

Humilitati videtur Deus meliorem gratiarum, quas nobis conferre dignatur, partem concedere; & eorum, qui sese coram ipso prosternunt, precibus flecti. Si calamitosum hominem sublevat, si peccatorem misericors recipit, ideo hoc agit, quia ad pedes ejusdem nihili, & calamitatis suæ cognitione confusi seipsos humiliant. Sed quid! Deus, supremus ille Creator, qui intus, & in cute eorum novit indignitatem, illisne aliquid debet, quia ipsi illam agnoscunt, ipsi illam fatentur, eamque oculis illius repræsentant? Majestati illius aliquidne gloriæ cedit ex eo, quod contemptibilis creatura se id, quod reipsa est, esse fatetur? Quidnam in hujusmodi confessione inveniunt, propter quod illam tanti facere Deus teneatur?.... Verum novit Deus quantum humiliationem oderimus, atque nostri misereri dignatur, cum odium hoc superamus ab eo gratias impetraturi. Videtur ille nihili nostri oblivisci, cum nos ejusdem meminerimus: videtur nos in pretio habere, cum nosmetipsos contemnimus; inexorabilis est, nisi humiles sumus; & nihil ferme denegare petentibus potest; cum humiles illi nostra sistimus vota. *Liber, cui titulus: Remarques sur divers sujets de Religion, & de morale.*

Humiles esse possumus licet naturæ, gratiæque bonis cumulati.

Homo visibilium creaturarum perfectissima simulac ejus gloriæ cupidus fuit, quam Deo se non debiturum putabat, factus est infirmus, & ignarus, mortalis, miser, & præceps ruit in ignominiam, & calamitatum abyssum. Quantum discriminis interest humilem inter & superbum, innocentum hominem, & nocuum? Humilitas sola potest reparare jacturam, quam illi peperit superbia. Omnia talenta sua, opes, divitias, meritumque accepta referat supremo Benefactori, a quo iisdem cumulatus fuit; se nullo habeat in pretio, atque liberalem Dei celebret dexteram, a qua recepit, quidquid habet, & est; neque aliam optet gloriam, quam Deo omnia sua bona debendi; en jam illum iterum adeptus est honorem, a quo fuerat dejectus. *Idem.*

Quam indignum sit videre hominem Deo dicatum superbum, & ambitiosum.

Inde maximè hominum, eorum etiam, qui maximè huic mundo inserviunt, ingenia ad indignationem provocantur, quod homines vident, qui humiliationis statum amplectuntur, qui solemni ritu honoribus abrenuntiant, qui seipsos a sæcularibus secernunt aliqua exteriori nota, quæ eos distinguit, qui insueta austeritate sese consecrant Deo, ut populi oculos fallant, atque nulla superbiæ tentatione capiantur; quod vident, inquam, hujusmodi homines vanos, & ambitiosos honores, & dignitates ea in professione appetere, in qua necessario sunt contemnendæ. O horribilem vanitatem, quæ ipsorum vitæ institutum, propositum, habitumque mentiuntur! *Idem.*

Cogitantes nos peccatores esse nosmet humiliare debemus.

Numquid multa opus est vi, ut verè humiles simus? Tempora diversa, quæ omnes continent mutationes, quæ nobis possunt accidere, nobis exhibent funestos peccati effectus. Nascimur, vivimus, morimur; nascimur in peccato, vivimus in dolore, morimur in metu. Præteritum nobis dedecus affert, præsens mœrorem, futurum formidinem. Quid fuimus? quid sumus? quid erimus? Si originem reputamus, erubescendum est; si animadvertimus, quid nobis in terræ hujus mansione circumstet, ingemiscendum; si alterius vitæ prævidemus supplicia, contremiscendum totis artubus est. Ex nihilo æterno, criminosoque parente prodiimus; in lacrymarum valle, & umbra mortis versamur: in incertum fatum, & fortasse, quod absit, in malam æternitatem abimus. Quomodo horum possumus oblivisci; sin autem non obliviscimur, quomodo possumus non humiles esse. *Idem.*

Humilitas ante JESU CHRISTI prædicationem virtus erat ignota, & contempta.

Homines usque ad JESU CHRISTI prædicationem contempserant humilitatem; Fidei consonum videbatur, per illam neminem enitescere posse; quomodo enim emicare potest, quod latet? Tenebræ diem producere nequeunt. Secundum vulgaram ratiocinandi rationem insanum esset existimare eum, qui latet, inventurum lumen in caligine; eum, qui ad aliorum pedes provolvitur, aliis præpositum iri; eum, qui gloriam fugit, perventurum ad gloriam. Illi, qui in mundo sese minime proferunt, oblivioni traduntur; pulvis, quo conteguntur, invictum est fortunæ ipsorum impedimentum. Secretum, latensque meritum est inutile, atque injuria de illius sorte conquerimur. Cupit præteriri, qui cupit ignorari; & injustus esset, qui omnes evitans occasiones existimationis sibi comparandæ; se in pretio vellet haberi.... Sed JESUS CHRISTUS morum Disciplinam statuere volens super ea principia, quæ prudentiæ carnis erant ignota, hæc omnia abstulit præjudicia, voluitque humilitatem, & humiliationem verum esse iter ad gloriam: *Qui se humiliat, exaltabitur.* *Idem.* *Matth. 23.*

Duplex humilitatis genus, mentis, & cordis.

Sanctus Bernardus hæc Salvatoris verba interpretatus, *Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde*, duo humilitatis genera distinguit, humilitatem cognitionis, & humilitatem affectionis: Quarum altera in eo consistit, ut considerationibus nostris nosmet in nihilo nostro humiliemus; altera efficit, ut pedibus conculcemus, quidquid super homines nos potest attollere. Illam facile sine doctore acquirere possumus; ipsa infirmitas nostra, quæ virtutes alias nobis difficiles præbet, nos peritos efficit, ubi de humilitate sermo est. Ut hoc pacto humiles fiamus, satis est animo reputemus nostras infirmitates, mortalitatem, submissionem, defectus, calamitates, nihilum nostrum; quæ omnia licet inviti sentimus; ita ut quin ullam in humilitate difficultatem inveniamus, in ipsa superbia plurimum laboris nobis sit perferendum. Debere in semetipsis tot, tantasque imperfectiones intueri, atque vanitate corripi; nobis omnino impossibile videretur, nisi aliter ipsa nos experientia doceret. Quo ad alteram humilitatis speciem, indigemus Deo, a quo edoceamur. Libenter nosmet iis præferimus, qui sunt similes nostri, & amamus quidquid efficere potest, ut nostram obliviscamur infirmitatem; honores videlicet, dignitates, opes, divitias. Sensus fortasse nostræ infelicitatis efficit, ut exteriorem hunc apparatum diligamus, qui & nobis, & aliis abscondit causas, quas nosmetipsos contemnendi habemus. JESUS CHRISTUS seipsum exinanivit, quemadmodum loquitur Apostolus, ut intelligeremus, si nosmet contemnere debemus, multomagis ea esse contemnenda, quæ extra nos sunt. Superbia prohibere non potest, quominus nihilum nostrum agnoscamus; & superbia ipsa nos cogit, ut nihilum nostrum per ea, quæ minoris adhuc, quam nos æstimanda sunt, reparemus. *Liber, cui titulus: Remarques sur divers sujets de Religion, & de Morale, Tomo primo.*

Super-

Superbus in sua vitæ instituto ratione caret.

Superbus ex omnibus vitiosis omnium pessimè fortasse ratiocinatur. Intumescit ob naturæ bona, ob divitias, auctoritatem, atque dignitatem. Nonne verum est illum his rebus omnibus carere potuisse, ut tot alios homines, qui reipsa his bonis destituti sunt? Igitur illius ingenium, substantiæ, existimatio, dignitas probant ipsum a Deo plus recepisse. Si plura debet Deo, ergo pluribus indigebat; & majorem habere debet gratiam Deo propter plura, majoraque munera quibus ab eodem fuit cumulatus. Hinc sequitur, ipsi quoque majorem erga Deum testandam esse gratitudinem, ac sublimiorem animo concipiendam ideam ipsius bonitatis, liberalitatis, atque potentiæ. At superbia directè hæc omnia principia, omnesque has illationes impugnat. Primus ejusdem motus hominem in Dei oblivionem inducit, cui tantum debet; & hac oblivione actus Deum offendit, ipsumque per eadem, quæ ab ipso recepit beneficia, audet offendere. In hac agendi ratione adest nescio quid insanum, & insolens, quod meretur Indignationem eorum omnium, qui ad eamdem adverterint animum. *Idem Tomo* 2.

Motiva, quæ nos humiliare debent.

Satis est originis nostræ meminerimus, & pulveris, in quem reversuri sumus, ut a superbiæ, & vanitatis impetu nosmet tueamur; etenim Incunabula nostra, & sepulcrum nos docent, quid sumus. Quod eo intervallo, quod inter utrumque hunc terminum intercedit, essentiæ nostræ additum est, non est nosmetipsi. Divitiæ, pulchritudo, existimatio, fama, dignitas, omnia naturalia bona, nonnisi in speciem nos a cæteris hominibus distinguere possunt: hæc bona sunt veluti ornatus, quibus simulacrum induitur. Si fictile sit simulacrum propter eam supellectilem, qua exornatum est, nequaquam fit marmoreum, vel argenteum, vel aureum. Quamvis homo propter opulentiam, honores, & auctoritatem niteat, homo est: humanitas ejus fundus est, cui tota ejusdem innititur gloria, atque per hoc nihil habet cum pauperrimis non commune. Hoc si verum non est, afferatur, quæso, definitio, quæ singulariter corpori ejus, & mortalitati convenit: Sin autem verum est, nonne nefas est superbiendi occasionem arripere ex specie externa, quæ nostram tantummodo tegit calamitatem? *Idem*.

Infernum meriti sumus, & una hæc cogitatio humiliare nos potest.

Fatendum est, nos ex inferno evasisse toties, quot momenta in lethalis peccati statu transegimus; nos ex divinæ justitiæ arbitrio pendere tamquam reos, quos toties æternis ignibus potuit adjudicare; nosmet ex nobis impares esse, qui ex gravi calamitate evadamus, in quam scelus nos præcipites egit; nihil in nobis esse, quod judicis nostri indignationem non mereatur; nos peccando infra abjectissimos mortalium omnium, qui gratiam servare potuerunt, cecidisse, nos factos tamquam Dæmonis mancipia, qui, nisi Dei ipsius a nobis lacessiti adfuisset auxilium, nos in vincula sua conjecisset. O funestum animæ superbæ objectum! Attamen opus est, ut ipsa illud intueatur, atque has omnes intelligat veritates, ut divinam clementiam, quam petit, exoret: & fortasse hoc illud est, ad quod minimè omnium advertitur animus. *Idem*.

Superbia præcipuus est laborum nostrorum causa.

Superbia plures nobis labores adfert, quam cætera vitia: scrutemur motus illius, eamque præcipuum curarum nostrarum fontem esse inveniemus. Facile illam deprehendere est in iis, quæ ad vitæ commercium pertinent. Quot adsunt doloris causæ? Libido, passio, levitas sexcentis nos modis lacessunt: eventus studiis nostris non favent; consiliis nostris inopinati obices adversantur: amicorum infidelitatem, necessariorum imprudentiam, patronorum fragilitatem experimur. Necesse est subinde tristes horas traducere: labor nos fatigat; negotia molestiam afferunt; & sæpe nosmetipsos pati non possumus. Quæratur causa illius facilitatis, qua irascimur, ubi aliquid nos lædit; & vanitatem nostram esse innotescet. Qui, ut Christianum decet, suum nihilum reputat, qui suam sentit submissionem, atque miseriam, non obstupescit cum ea accidunt, quæ requiem suam possunt perturbare. Ideo succensemus, cum aliquid nostræ opponitur voluntati, quia nosmetipsos plurimi facimus. Objecta, quæ nobis molesta sunt, sese studiis nostris, animæque nostræ cupiditatibus accommodare debere nobis videntur. *Idem*.

Superbia, & vanitas sunt ignorantiæ cuta.

Asserere citra errorem possumus, superbiam vitium esse indecorum. Parum sane intelligat, opus est, qui bono semper fragili, sæpe etiam mendaci oblectatur. Gloria hæc, quæ vos pascit, verone innititur merito? Si debetur, semperne æquo jure distribuitur? Illi, a quibus recipitis eam, scrutati ne sunt penitiores cordis vestri latebras? Vos autem fidem potestis facere de eorum sapientia, sinceritate, & justitia? Certine estis, existimationem, qua apud alios vos frui arbitramini, non esse mentis vestræ illusionem, quæ semper præsto est, ut vestræ infirmitati velificetur? Non animadvertitis alios fortasse eos dissimulare sensus, quos fovent de vobis, quemadmodum vos aliis eos profitemini sensus, quos minimè habetis? Sed quomodonam tantam percipere potestis voluptatem ex illo honore, in quo nihil solidum inest? Dicite quæso, quid tenetis, cum tanta lætitia perfruimini ob eam existimationem, quam de vobis percrebuisse putatis? Inanem complectimini imaginem nihil solidi habentem &c. *Idem*.

In quo humilitas vera consistat.

Quænam vera est Christianæ Religionis humilitas? Hoc aliquando intelligamus, ac numquam delendum memoriæ mandemus. Hæc est parvulos esse in oculis suis, & seipso esse vacuum; hæc est, jam obiisse sin minus sensui, saltem affectui, & cupiditati honoris; hæc est æquo animo, ubi Deus velit, humiliationem, & contemptum recipere. Vera Christianorum humilitas est in delitiis habere dejectionem, opprobrium, oblivionem, latebras; atque solidè, bonaque fide breve illud, sed utilissimum Sancti Bernardi præceptum exercere: *Ama nesciri*. Hoc enim natura pati non potest. De me nemo amplius cogitabit. Nemo ultra loquetur de me; imposterum Deum unum habebo testem operum meorum; & homines quis sim, vel quid faciam, ignorabunt. Et quoniam humilitas ipsa exposita videtur in quibusdam vitæ generibus, quorum omnis perfectio, licet aliunde sancta, quamdam habet speciem singularitatis: Vera Christianæ Religionis humilitas, præsertim verò pro vanis animabus, sæpe est a communi via non recedere, atque ibi, quin ab aliis notentur, omne illud bonum operari, quod in alia via majori cum plausu fieret. *P. Bourdalove in veris sermonibus, Adventu secundo, Sermone de severitate Evangelica*.

Humilitas tutissima est ad gloriam via.

Humilitas vulgò tamquam abjecta, obscuraque virtus habetur, quæ celat, dejicit, atque sepelit in tenebrarum caligine vitam, actiones, & ipsum etiam nomen exercentium illam. At errant; humilitas ex omnibus virtutibus aptissima est ad gloriam comparandam: tutissimum recte iter, quo ad solidam gloriam pervenitur; & si qui gloriæ sunt cupidi, cæci non essent, viderent, humilitatem certissimam esse rationem; qua ambitiosissima quævis desideria possunt adimpleri. Hoc est oraculum, quod toties in Scripturis, Spiritus Sanctus iteravit: *Qui se humiliat, exaltabitur* .... Superbi illi hominum filii, qui Babylonicam ædificarunt turrim, ut ad cœlum usque ascenderent, nihil assecuti sunt: opus enim erat, ut per humilitatem sese in specubus, antrisque sepelirent, & facile votis damnati fuissent. Quid est humilitas? Quid humiliatio? Hæc nomina, quæ hominum vanitas ita deformavit, non id omne significant, quod illa contendit: existimantur tamquam gloriæ annihilatio, & nihilominus sunt tutissima ad illam assequendam via. Cum vos hortamur, ut vosmet, quemadmodum Christianos decet, humilietis vos, hortamur ad immortalis gloriæ immarcescibilem coronam indipiscendam &c. *Sermo Manuscriptus*.

Qui verè humilis est se contemni patitur. Greg. 3. Moral.

Humilis, qui verè humilis est, facile se contemni patitur, juxta illa Sancti Gregorii verba: Humiles contemni gaudent, quemadmodum superbi in honore haberi lætantur: Cumque in hominum oculis contemptibiles, & abjecti videntur, non displicet illis, aliorum de se judicium a suo nequaquam differre. Hæc vera est humilium animarum dispositio, quæ se nihil habere cognoscunt, nisi quod acceperint a Deo. Sciunt illæ, quod si a Deo hoc receperunt, suum non est, neque sibi usurpare possunt, ut illud sibi acceptum referant sine quadam gravissimi sacrilegii specie. Ita Deo reddunt, quod Dei est, eique tribuunt eam gloriam, quæ eidem debetur, Agnoscunt futurum ut tamquam fures haberi mererentur, si aliter agerent, *Liber, qui inscribitur: Instructiones Christianæ: Instructione pro decima sexta post Pentecosten Dominica*.

Unde cognoscere liceat, utrum de nobis humiliter sentiamus.

Quemadmodum facilè decipimur in iis cogitationibus, quas de nobismetipsis habere credimus; judicium, quod de nobis ferimus, ex eo probandum est, quod de proximo nostro judicamus: etenim si nosmetipsos contemnimus, illum facile in pretio habebimus; sin autem nosmet plurimi facimus, illum facile aspernabimur, Quamobrem Apostolus præstantissimum hoc nobis tribuit consilium: *Honore invicem prævenientes*: Quisque satagat prævertere fratrem suum, ut illi honorem adhibeat. Qua autem mente hoc agendum est? Numquid ea, quæ prorsus humana est, & quam urbanitas in terras invexit? Nequaquam. Alios colere tenemur, quippe illos considerare debemus, tamquam nobis meliores, atque superiores. Hoc ipse Apostolus explicat, cum ait; *Eamdem charitatem habentes, unanimes, id ipsum sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes. Idem*.

Ad Rom. 12.

Ad Phil. 2.

Humilitas omnes fulcit virtutes, omnibusque vitiis adversatur.

Verum est, fidem totius spiritualis ædificii esse fundamentum; sed hoc ædificium nonnisi humilitatis cura potest attolli; etenim non solum hæc fundamentorum effodit abyssum, sed tamquam agger, & vallum sese omnium vitiorum torrenti opponit, atque omnis concupiscentiæ impetum cohibet; atque omnes amovens obices mirabilem nobis adstruit facilitatem ad eas omnes virtutes acquirendas, quæ hoc ædificium componunt. *Auctor Anonymus*.

Omnia nobis humilitatem suadent.

Sexcentæ nobis adsunt causæ ad humilitatem exercendam impellentes, vel ut melius dicam; Deus voluit, ut omnia nobis virtutem hanc suaderent. Etenim quocumque circumspiciamus, seu oculos in Cœlum attollamus, seu dejiciamus in terram, ubique humilitatis argumenta inveniemus: natura nostra corrupta, & vitiata, Dei magnitudo, infirmitas nostra, quatenus creaturæ sumus, divinæ justitiæ certitudo, inclinatio nostra ad peccatum, necessitas moriendi, & sepulcrorum cinis: præteriti cogitatio, & futuri periculum; naturæ imbecillitas, & voluntatis depravatio, nonne totidem causæ sunt, quæ virtutis hujus exercitationem efficiunt faciliorem? Quid reipsa sumus, Domine, nisi nihilum aliquibus perfectionibus tuis exornatum? Quomodo autem nosmet humiliare non possumus, cum fateri cogamur, nos per gratiam etiam id esse, quod sumus? *Idem*.

Si serio Domini humiliationem cogitaremus, nullos superbiæ sensus conciperemus.

Fierine posset, ut si fide nobis persuasum fuisset, Deum contempta gloria humiliationem elegisse, ubi sese prima nobis offerret occasio, exemplum illius imitari detrectaremus? Illum semper latebras quæsivisse, nos id unum cogitaremus, quomodo inter cæteros emicaremus, populi plausus aucuparemur, atque in pretio semper haberi cuperemus? Illum semper novissimos quæsivisse locos, nos semper potiores occupare auderemus? Illum semper ea contempsisse, quæ maximi in mundo fiunt, nos ubi de honore agitur adeo facile ad iracundiam succenderemur? Illum semper habitum fuisse tamquam *Novissimum virorum*, nostri semper eam rationem habendam esse cuperemus, quæ ex superbiæ nostræ judicio de nullo alio habenda est? Sensus adeo superbi conciliati ne possunt cum iis, quæ Salvator exemplo nos docet, quæ ille nobis præscripsit sua humilitatis doctrina, & præceptis, quæ nobis irrogavit? Humilitas, quæ virtus eidem charissima fuit, & quam nos ab ipso voluit ediscere, quippe quæ eidem maximè erat curæ; nonne nobis exprobrat intolerabilem vanitatem, immoderatam ambitionem, superbiam insanam? *Sermo manuscriptus*.

Isaiæ 53.

Homo cum sit pulvis, & in pulverem sit reversurus magnam habe sese humiliandi causam.

Quid est homo in mundi lucem prodiens, cum hac mortis epigraphe in fronte descripta: *Pulvis es, & in pulverem reverteris*? Quid est homo in terram ingrediens per viam adeo humiliantem, & e terra egredientem per ostium adeo funestum, & inevitabile? Quid est limus hic organizatus, & vitæ flatu animatus, qui illum regit, per quem agit, & movetur aliquo dierum spatio, qui, ut ille, oriuntur, & occidunt, & postquam ad terminum suum pervenerit, terræ tristes reddit exuvias, quas ab illa recepit? O miseri mortales, quicumque estis, Reges, Pontifices, Victores, Oratores, Philosophi, pulvis estis, & revertemini in pulverem! Animo vobis fingite hominem in sublimi magnitudinis, gloriæque vertice constitutum; considerate nationum victores triumphali vectos curru, eo populi plausu circumstrepente, quo Roma imperatores suos laurea corona donabat: atque in hac pompa hæc inscribite verba: *Memento homo, quia pulvis es*. Jam vobis ille videbitur tamquam victima floribus redimita, ad sacrificii sui aram accedens. Post hæc numquid egregium spectaculum est hic miser terræ vermis, sordidus hic putredinis, & corruptionis filius, inflatus, & superbia intumescens juxta os illius sepulcri quò tandem eundum est? Huc tandem omnes congregari debent filii Adam cum infelici parente suo condemnati. *Abbas du Jarry, Sermone pro die Cinerum*.

Superbia species est apostasiæ.

Mirum esse non debet, si tantopere Deo displiceat superbia, quoniam secreta est apostasia, quæ quodammodo nos in Dei locum constituit, quæ nos efficit idolum nostrummetipsorum; quæ simul esse non potest cum interiori humiliatione animæ coram Entis supremi Majestate, & quæ evertit fundamentum, cui tota innititur Religio. Superbus omnis in corde suo dicit, quod olim Angelus apostata: *Ascendam, & similis ero altissimo*. Hoc Verbum Divinitati contumeliosum egreditur ex anima superba; quin illud ne intelligat quidem; horribilis hæc superbiæ arrogantia, quæ eousque procedit, ut Deum ipsum de solio velit detrudere, ut seipsam in illius locum constituat; hæc inquam arrogantia eo audacior est, quo superbia ad altiorem gradum ascendit; & quemadmodum semper ascendit; non defuerunt jampridem homines, qui eò cæcitatis pervenerunt, ut quantum in ipsis erat, executi fuerint monstrosam hanc Divini solii usurpationem, quò sese efferre conati sunt, seipsos horribilis idololatriæ objectum constituentes. Nabuchodonosor prosperis rebus, atque victoriis inflatus, in pretiosissimis ædibus ambulans, atque contemplatus muros, & pompam magnæ hujus Babylonis, opus, atque theatrum gloriæ suæ eòusque impietatis, & insolentiæ processit, ut pati noluerit alium præter se Deum in terris adorari. Cæcitas deplorabilis; in quam tamen decidunt superbi felices, atque florentes, quin ne cogitent quidem, cum felicitatis suæ eorumque bonorum, quibus perfruuntur idololatræ, ab aliis exigunt thus, & honores quos ipsi sibi offerunt; vellent se tantum in mundo coli, & adorari; atque si in manu potestatem haberent, ut impius ille Rex, omnibus imperarent hominibus, ut ante suæ magnitudinis, atque potestatis idolum flecterent genua. *Idem*.

Daniel. 4.

Superbia ex amore proprio proficiscitur.

Amor proprius est superbiæ principium; atque alterius perturbatio, alterius cæcitatem producit. Nosmet nimio habemus in pretio, quia nosmetipsos

ipsos nimio amore complectimur; Hic amor proprios, qui fugit adspectum rerum omnium, quæ mortificant illum, atque ea tantum amplectitur, quæ ipsum palpant, auget, quantum in ipso est, propriam excellentiæ nostræ ideam, & quemdam veluti fucum levem effundit super objecta, quibus nutritur; quidquid in illis vitiosum est celat; atque id extollit, quod in ipsis existimatione dignum videtur. Hinc oritur, quod secretò nobismetipsis complacemus; quod de meritis nostris sublimes sensus accipimus, quod animæ tumor inflatur, atque ut ita dicam extra essentiæ suæ limites egreditur, sese temere extendens, atque sibi umbram magnitudinis, qua decipimur, fingens. Quid est magnus hic spiritus superbiæ mancipatus, Sanctus Augustinus ait? Velum est inflatum ventis, a quibus agitatur, quod navim nautis carentem tempestatis ludibrium facit, eique inevitabile naufragium minitatur. Erramus in vastis consiliis, inanibus chimeris pascimur, secretò nosmesipsos aliis præferentes attollimur; nosmet cum aliis comparantes, majores aliis putamus; nosmet ex ea parte conspicimus, ubi aliqua virtutis species elucet; nostra, alienaque merita fallaci cæcæ præventionis trutina appendimus; a nemine pendere volumus, dominatuonum jugum excutimus, & nihil nisi nobismetipsis debere patimur; nobismet tandem secretum erigimus solium, ubi supra omnium hominum capita assurgimus. *Idem.*

Sapientum virorum, & populi laudes non eodem in discrimine habentur.

Non admodum est operosum, dummodo non sis omnino recti sensus expers, rudis populi laudibus, vel injuriis non affici; at fatendum est non eodem in discrimine haberi laudes eorum, quibus dignitas, aut virtus spectatum in terris gradom tribuit, neque eorum contumeliis parum adeo movesi. Profunda tantum humilitas, atque sublimis sanctitas efficere potest, ut hæc pari spectemus oculo, vel potius nobis inspirare potest nauseam, atque odium laudum, & efficere potius, ut opprobria diligamus, & in pretio habenda censeamus. *Auctor recens.*

Quid est superbia, & in quibus reperitur.

Superbia est excedens opinio, quam habemus de nobismetipsis, de meritis nostris, ac nostra excellentia; ardens est, & inordinata cupiditas, qua optamus, ut alii etiam idem sentiant de nobis. Si homines vani nossent, quænam sit hominum de illis sententia, nihil aptius esset ad superbiam illorum infringendam; sed cum error in mente æque, ac in corde reperitur, difficillima est ejusdem curatio. Profectò meritum præstantissimum minus est obnoxium superbiæ, vel saltem facilius insanæ hujus passionis detegit infirmitatem. Vividum ingenium fallaci luce rarò decipitur, & longiùs ejus acumen cognoscit; ingenium verò tenue extra se fere numquam egreditur, & sicuti lumina illius sphætam suam non excedunt, nihil nisi vulgare invenit in iis, quæ fiunt ab aliis, & ea tantum admiratur, quæ ipse facit: Attamen paucissimi sunt, qui huic vitio obnoxii minimè sint; & nemo, cui ab eodem non sit cavendum. Mirum! Sæpe per superbiam contra superbiam ipsam invehimur; superbia ipsa nonnumquam in humiliatione invenitur, & hoc virus sese in ea etiam effundit, quæ illius esse deberent medicina. *P. Croiset Tomo 2. Considerationum Asceticarum.*

Funesti superbiæ effectus.

Quos funestos effectus sive in civili, sive in christiana vita superbia non gignit! Quot affectus sopiti essent; nisi illos superbia excitaret! Quot familiæ ad hanc usque diem in perfecta consensione, atque splendore vigerent, nisi mediocris orilitatis cupiditas, inanibus superbiæ considerationibus inflata, non succendisset ignem discordiæ, quæ in litibus bona ipsa absumpsit, atque in utraque parte tantum inimicitiarum inflammavit, ut in mutuum conjurarent interitum! Pauci affectus sunt, qui huic minimè debeant, quidquid sibi amaritudinis inest, & acrimoniæ. Nonne superbia iræ tumorem, & zelotypiæ improbitatem, atque diffidentiam communicat? Hic ille ventus est, qui internecina succendit odia, & adeo funesta parit incendia. Cupiditas superbiæ debet motus omnes, quibus agitatur, & omnes, quas gignit sollicitudines: & quonam alio ex fonte pleræque turbarum, dolorum, & amaritudinum existunt causæ? *Idem.*

Superbus semper contemnitur.

Profectò nihil magis contemptibile est, nihilque contemnitur magis superbo. Paucæ sunt animi ægritudines, quæ magis insaniam redoleant. Nemo propria existimatione, affectisque meritis adeo seipsum pascere potest sine manifesto virtutis defectu, & sine aliqua rationis perturbatione: *Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt*, inquit Apostolus. Itaque voluit Dominus, ut superbus in ipsa superbia supplicium nancisceretur. Æstimari vult, & hoc ipso se contemptibilem præbet; cum e contra humiles de semetipso sensus veri meriti sint argumentum, & in honorem cedant foventium illos. Nullus affectus magis adversatur fini, & ipsi etiam imaginatio bono, quo pascitur, quàm superbia. Enitescere cupit, eminere indesinenter, sese super alios extollere: conatus inanes, inepta vota. Superbus ubique gloriam quærit, & omnia in illius cedunt opprobrium: seipsum fatigans, ut immodicè suam attollat ideam, se fabulam civitatis constituit, præsertim verò honestorum virorum ludibrium .... Mirum! Nullum vitium est, quod minus in homine habeat fundamentum; & nullum simul est, quod adeo profundas radices in homine jecerit. Nosmet colligere possumus, quin in nobis humiliandi plurimas caosas inveniamus: attamen inter has humiliationis causas intumescimus. Nemo est, qui superbia non efferatur, sed pauci superbiam norunt, & longe pauciores istud fatentur. Alios defectus sæpe fatemur, & etiam nonnumquam ostentamus; nemo se superbum dicit; immo hoc seipsum celat; adeo invisum est, atque turpe hujusmodi vitium. Ab hoc autem quantum abhorrere debet fidelis? Pudeat hominem superbiæ suæ, cum Deum pro se humilem factum cogitat. *Idem.*

Ad Rom. 1.

Numquam satis humiles de nobis habere possumus sensus, dummodo confidentiam non amittamus.

In mala opinione, quam de nobismetipsis habemus, numqoam excedere possumus, quascumque virtutes fuerimus adepti; dummodo integram servemus in divina misericordia confidentiam, & salutem nostram in hac misericordia magis, quàm in propriis operibus collocemus; neque illam facilius promereri possumus, quàm si nosmetipsos in oculis Dei humiliemus, atque de vita, moribusque nostris humiliter sentiamus. *Abbas Trappensis Tomo 2. Effatorum Christianorum.*

Superbiæ tumor est, qui numquam satis curatur.

Superbia, quæ quidem Fidelium conditioni præ cæteris vitiis magis adversatur, tumor est, qui non curatur, nisi incidatur. Et quemadmodum tabum numquam exhauritur, novi indesinenter gignuntur tumores, quorum, quidquid dicatur, nulla præsentior est medicina, quàm humiliationes, & contradictiones, quibus vita universa repleta est. Hæ verò hac de causa magis sunt necessariæ, quia malum quovis tempore, & quavis ætate renascitur; & quin vel senectuti, vel virtuti parcat, numquam est magis extimescendum, quàm cum hæc propiùs ad perfectionem accedit. *Idem.*

Certum veræ humilitatis indicium.

Cum nihil amori proprio magis oppositum, nihilque superbiæ magis contrarium sit quàm humiliatio; ita nihil minus suspectum est, magisque veram humilitatem imitatur, quàm desiderium dejectionis, ubi sincerum sit. At omni prorsus dubio caret, homini, quantumvis ille virtutibus ornatus videatur, ubi adeo tener est, ut id pati nequeat, quo dejicitur, & humiliatur, plurimum laboris esse ferendum, antequam ad eum perveniat statum, in quo debet esse, ut præceptum JESU CHRISTI ferendæ crucis adimpleat, quod omnibus Fidelibus irrogatum est, & quod nemo potest effugere. *Idem.*

Dei Filius venit in terras ad hoc potissimum ut nostre mederetur superbiæ.

Superbia, Sanctus Augustinus ait, vitium est, quod alia producit, & fovet, & ad quod impugnandum præsertim in terras JESUS CHRISTUS descendit: *Propter hoc vitium, propter hoc magnum superbia peccatum Deus humilis venit*: Opus erat medi-

medicina adeo efficaci, qualis est exemplum Dei sub servi imagine humiliati, ut natura humana ab eo curaretur morbo, quod postquam Cœlum vastaverat, latè universam terram depopulabatur, Sed quid cogitandum est (auditores) de labore, qui ad infringendam superbiam requiritur; quandoquidem postquam Deum humiliatum vidimus, & Deum crucifixum adorantes adhuc superbi sumus? JESUS CHRISTUS tamquam puer in stabulo positus jacuit; JESUS CHRISTUS tamquam furcifer Cruci clavis affixus fuit; & adhuc gloriam inquirimus? Undenam indomita hæc superbiæ pertinacia? undenam tantum hoc odium humilitatis? Quomodo humiliationes Dei, qui in terras lapsus videtur, ut nos humilitatem doceret, non vincunt affectum illum, quo inanem gloriam deperimus? Sancta Religio nostra quodammodo innititur humilitati; & licet fideles simus, summo cum labore humilitatem exercemus. *P. la Pesse, Sermone de Humilitate Christiana*,

Quemadmodum humilitas ex Sancti Bernardi sententia virtus est, quæ in oculis Dei, æque ac hominum gloriosos nos efficit, metuendum est, ne seipsam propria sua gloria evertat. Sed anima verè humilis, anima magna humiliationis tantùm amore capitur. Quin ex contemptu, quo honorem fugit, superbiæ occasionem arripiat, credit se eam mereri humiliationem, quam quærit. Se indignam putat, quæ videatur, in silentio suam patitur obscuritatem: abscondit, ut ita dicam, humiliationem suam eadem cura, qua suam dignitatem, ne altera quidem hominum injustitiæ, altera verò virtuti suæ tribuatur. Libentiùs verò humilis considerat causas, propter quas seipsum debet humiliare. Hoc illud objectum, hoc illud spectaculum est, quo maximè oblectatur. Ego humiliatus sum, inquit ille, ego contemptus sum; at ita me esse decet; injuriam inferret nihilò meo, si quis me haberet in pretio, si quis honore me dignum putaret. *Idem*, Verè humilis amat, & quærit humiliationem.

HYPOCRISIS, HYPOCRITÆ.

Simulata virtutis species imponens, & decipiens,

MONITUM.



Uamquam ubi de vera, falsaque devotione sermo fuit, præcipuas attulerim utriusque species, atque ibi collegerim quidquid apud probatissimos Auctores inveni, quod ad illud argumentum referri posse existimavi; haud abs re tamen futurum censui, si peculiarem de hypocrisi titulum instituerem, quia per se satis, superque copiæ suppeditat; & quia si cum aliis fictæ devotionis speciebus de hac etiam verba fecissem, titulus hic in immanem crevisset magnitudinem, ideoque abnormem.

Neque ideo putes, ubi de devotione sermonem habiturus es, de hoc vitio eidem opposito verba non esse facienda, quin hæc invicem separare necesse sit; sed seu simul pertractentur; sive distinguantur, diligentissimè cavendum est, ne pietati fides abrogetur, ne illa in suspicionem vocetur, vel iniquus de eadem Auditoribus conceptus adstruatur: hoc enim improbum est artificium, ac familiare impiis, devotis, piisque hypocritarum larvam appingere, eos in jocum traducere, ac denique pietati generatim omnes defectus, & vitia falsæ devotionis tribuere, ut illi conflent invidiam, & impietati suæ aliquem colorem prætexant.

Opera quoque pretium est admonere, Sanctos Patres etiam, atque etiam in hoc vitium invectos fuisse, non quod ævo suo, quam nostro communius esset; sed quia tunc pauciores erant, quos puderet, se pietatis cultores profiteri; at nescio, utrum hodie pauciores pietatis gloriam, nomenque aucupentur, quantumvis reipsa prorsus careant. Quamobrem præstat contra vitium hoc declamare, quod eorum proprium est, qui orthodoxos sensus minime foventes hoc pacto erroribus suis auctoritatem aliquam conciliare adnituntur,

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ Concionum hujus Argumenti Systemata,

1. 

Ostquam professus fueris te non solum in suspicionem vocare minimè velle pietatem veram, vel eos vituperare, qui eamdem palam profitentur, quinimmo pro viribus conari, ut omnes illius abusus convellas, atque admonere velle, quod & Salvator in Evangelio facit, ut quisque sibi ab hypocritis caveat, qui ovina pelle contecti sunt intus lupi rapaces, in id unum intenti, ut animas, quæ divino cultui verè addictæ sunt, perdant, decipiant, corrumpant; tres has veritates ostendere, & amplificare poteris, quæ omnes versutias, atque perniciosos hypocrisis effectus aperiunt,

Prima est; Vitium hoc omnium virtutum larvam assumere, quin earum aliquam verè possideat; sed e contra omnes illas corrumpere, quod est inductione probandum, Avarus hypocrita simulat se opibus suis parcere, ut habeat, unde pauperibus opituletur: Prodigus liberalis haberi vult, cum se terrenis hisce bonis nequaquam adhærere, probare contendit. Ambitiosus est hypocrita, ubi ipsa abutitur humilitate eum, quò contendit, gradum occupaturus, atque ostendere vult, se honores fugere, falsò dictitans, se iisdem indignum esse. Ultionis cupidus zelum præsefert, atque persuadere conatur, se publica duci utilitate ad mali cursum inhibendum, & coercendam pervicacis hominis insolentiam supplicio, quod cæteris esse possit exemplo, & hoc fuco privatas, contegit inimicitias. Ita hypocrita virtutes omnes corrumpit, atque in totidem vitia convertit. Igitur non solum cum de pietate, atque religione sermo est sese prodit hypocrisis, licet fortasse hæc species omnium criminosissima, atque turpissima est, verum etiam in consiliis, & actionibus hominis duplicis, & dissimulati, qui virtutum omnium personam gerere adnititur, eosque propriis armis obtruncat, ut S. Chrysostomus inquit: *Crudeli arte virtutes truncat mucrone virtutum, de remediis creat morbos,* Serm. 7.

sancti-

sanctitatem vertit in crimen, placationem facit reatum: Hinc sequitur nullum esse vitium magis fallax, dolosum, universale, & a quo nobis sit diligentius cavendum, quia ita scelus contegit, ut pro virtute possit haberi.

Veritas altera; Si hypocrisis omnibus abutitur virtutibus, ut aliis fucum faciat, dici quoque potest, affectibus, vitiisque omnibus inservire, ut ipsum decipiat hypocritam. Fit illa veluti affectuum omnium instrumentum, & velum, quo conteguntur; ac homini suadent, suam indignationem, & odium in alterum quempiam suæ pietatis, & virtutis effectum esse; neque futurum esse, ut illum odisset, nisi vitiosus esset, cujus pravum exemplum hominibus perniciosum est, & maximè nocuum; Odium, & invidia eum illi exhibet prorsus alium, quam sit, eumque ita colorat, ut in omnium odium adducat. Omnia vitia, & affectus nonne aliquid habent, quod si spectemus, illa quidem in nobis placent, licet in aliis non ferenda videantur? Ita hypocrisis illis, ut ita dicam, suum commodat integumentum, ut sese nostris oculis abscondant, ac nos in errorem inducant. Sub hac larva nobis videntur jucunda; vel si mavis, nosipsi vitia nostra illinimus fuco, ac nos ante cæteros propriis decepti simulationibus, atque versutiis, mirum non est, si aliis etiam fucum facere adnitamur. Hinc fit, ut hypocrisis sit quodammodo reliquorum vitiorum instrumentum, & vestis, qua se ornant, non ut se præbeant cognoscenda, sed ut se contegant, sub propria forma prodire non ausa.

Veritas Tertia. Hac ipsa de causa hypocrisim præ omnibus vitiis Deus, & homines horrent; Deus quidem, quia præ reliquis vitiis unum maximè omnibus Dei perfectionibus adversatur. 1. Sanctitati, quia ab hac abhorrens hypocrita, extrinsecam illius speciem affectat. 2. Simplicitatis essentiæ ipsius, quia hic homo intus quidem duplex cor, extra verò duplicem habet faciem, ut inquit Scriptura, quapropter a Sancto Hieronymo vocatur monstrum ex duabus naturis compositum. 3. Veritati ejus, jugi cogitationum, consiliorum, intentionumque suarum dissimulatione. 4. Denique scientiæ ejusdem, conatus contegere secreta crimina, quæ semper Dei oculis patent, qui corda hominum scrutatur, eorumque latebras intuetur. Hypocrita hominibus quoque invisus est, qui ubi se intelligunt ab hoc impostore deceptos, existimationem, admirationemque suam in contemptum, horroremque convertunt. Cogitemus tandem judicium generale coram universo mundo instituendum, ideo præsertim, ut vera virtus distinguatur a ficta, & ut unicuique, quod suum est, tribuatur.

II. Ostendere possumus hypocritam erga Deum, proximum, ac seipsum injustum esse.

1. Injustus est coram Deo, cujus præripit gloriam, quam sibi reservare voluit tamquam proprium bonum, & quam nemini cedere vult. Illam manifestè usurpat hypocrita, omnia opera sua faciens, ut videatur ab hominibus, ut eorum laudes, & approbationem aucupetur, quod Pharisæis

Matth. 23. JESUS CHRISTUS exprobrabat: *Omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus.* Quapropter oblectari videtur Deus illum humilians, atque confundens efficiendo, ut ab omnibus agnoscatur, quinam ille sit, videlicet hypocrita, sycophanta, quod illi mortalium omnium contemptum conflat, & indignationem. 2. Hypocrita injustus est erga proximum, quem fallit, ac decipit, & licèt ille minorem afferat perniciem, quam qui illum scandalis, pravisque exemplis corrumpit, illum tamen sæpe in errorem trahit, & in vitium pravos illi sensus inspirans, quos sub inani virtutis specie celat, quemadmodum virus sæpe ipsis floribus tegitur. Hac arte Hæresiarchæ omnes abusi sunt, ut populis verba darent. Hypocrita numquam magis injustus est, quam in seipsum, quia omnia, quæ facit, bona corrumpens opera prava intentione, qua eadem operatur, omnem eorum fructum amittit, ac se ea privat mercede, quam aliquando in cœlo assecutus esset; ita ut omnem virtutis laborem sustineat, quin ejusdem meritum habeat, ac in se Dei iram, & ultionem convertat, quin eas obtineat coronas, quas iisdem actionibus mereri posset absque eo quod majorem curam, laborem, sollicitudinem adhiberet; talis est hypocritæ sors.

III. Tria sunt hominum genera, quibus aliena hypocrisis perniciem potest afferre. Alii ex aliena hypocrisi referunt fructum. Alii ex aliena hypocrisi mœrore, ac tristitia ita afficiuntur, ut in ipsa virtutis exercitatione animos despondeant. Alii verò aliena hypocrisi se decipi sinunt, atque ita in errorem, atque illusionem labuntur. Qui ex aliena hypocrisi referunt fructum, sunt homines impii, ac flagitiosi; qui eadem mœrore afficiuntur, justi sunt, & servi Dei; qui verò se decipi sinunt, sunt simplices, atque in via salutis imprudentes. Triplicis hujus hominum generis opiniones possunt refelli.

1. Impiis quidem, protervisque hominibus ostendendum est, illos non posse alienam hypocrisim in suam laudem convertere, 2. Justis, non debere ex aliena hypocrisi scandalum capere; 3. simplicibus tandem, illos culpa non carere, quod aliena hypocrisi fucum sibi fieri sunt passi. *Ex Sermone P. Bourdalove pro feria quarta post tertiam Quadragesimæ Dominicam.*

IV. Tria præsertim JESUS CHRISTUS in Pharisæis reprehendit, illos hypocrisis nomine corripiens.

1. Spiritum avaritiæ; ideo enim populo auctores erant, ut in Templum Domini oblationes offerret, ut inde ipsi quæstum perciperent. Hoc inter prima signa, primosque hypocrisis effectus numeratur; 2. Spiritum superbiæ; inquirebant enim laudes, hominumque plausus, primos in conviviis accubitus, primosque in publicis cœtibus locos; coli, observari, & in pretio haberi cupiebant tamquam meritis insignes, & non vulgaribus virtutibus præditi. 3. Spiritum sævitiæ; quia immisericordes erant, ac sine charitate, aliis intolerabilia imponentes onera, quæ ne digito quidem ipsi levare voluissent. *Ex eodem. Sermone pro feria quinta hebdomadæ tertiæ in Quadragesima.*

V. 1. Hypocrita in speciem quidem servit Deo; re ipsa eum lædit, quamobrem Sanctus Augustinus ait: *Simulata æquitas non est æquitas, sed duplex iniquitas, quia iniquitas est, & simulatio.* 2. Omnes fallere vult simulata virtute, ac pietate, ipse verò primus omnium, & periculosiùs fallitur. 3. In id unum intendit, ut gloriam acquirat, æternamque confusionem patietur, quæ ut plurimum ex hac vita ducit initium, cum qualis sit, ab aliis agnoscitur.

VI. Pharisæorum hypocrisis in tribus potissimum consistebat, quibus plurimi Fideles hodierna die sunt obnoxii, propterea quod jure cum Patre quodam possumus exclamare. *Væ nobis, ad quos Pharisæorum vitia transierunt.*

Primum est, quod omnem virtutem, pietatemque suam in exteriori præceptorum exercitatione constituebant, sine affectu, ulloque cordis motu, & quin animadverterent, religionis actiones, quæ extrinsecus prodeunt, ex interiori parte proficisci debere, alioquin simulationem esse meram, & hypocrisim.

Alterum est, quod minimè laborabant, utrum cor pravis desideriis, fœdis cogitationibus, noxiisque intentionibus esset vacuum, cum interim diligentissima cura, quæ ad scrupulum usque processerat, a quibuscumque legalibus sordibus sese expiarent. Hujus generis hodierna die illi sunt, qui religioni sibi vertunt, si quam omiserint ex iis devotionibus, quas sibimet imposuerunt, cum interim corde contra fratres suos internecina fovere odia non cessent.

Tertium est, quod ob humanas tantum causas, & terrenas utilitates, quas inde percipiebant, le-

-gis observantiæ vacabant; quod nunc etiam complures ex fidelibus faciunt.

VII. Præcedens argumentum aliter efferri potest, uti fecit Maimbourg Sermone pro feria 4. post quartam Quadragesimæ Dominicam.

1. Ostendendo plerosque fidelium hodierna die omnem curam in exteriori tantum cultu collocare, quod Judæi facere consueverant, exteriori cæremoniarum cortici hærentes, corpus quidem diligentissimè abluentes, animæ verò sordes non expiantes, quemadmodum Lex per has exteriores cæremonias declarabat. Hoc inter fideles ii præstant, qui in exteriori subsistunt, omniaque collocant in gestibus, ornatibus, sermonibus, pompa, apparatu, musicis concentibus, certo precum numero, aliisque id genus sexcentis, quæ quidem in se valde sunt bona; sed ut plurimum anima carent, quia cordis negligunt curam, juxta illud JESU CHRISTI effatum: *Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longè est a me.* (Matth. 15.)

2. Hypocritæ Christiani sibi nugas quasdam religioni maximè vertunt, ea verò, quæ maximi momenti sunt, & ubi nihil leve malum est, minimè curant, ut Pharisæi, JESU CHRISTO dicentes: *Quare discipuli tui transgrediantur traditiones seniorum? non enim lavant manus suas.* (Ibidem.) Videte hos hypocritas, qui grave scelus putant manibus illotis esse, & omni culpa vacare arbitrantur, manus alienis coinquinatas bonis habere, quæ sacrilegè sub quodam pietatis prætextu, suffurantur,

Tertium. Plerique Fideles suis inhærent consuetudinibus, quæ plerumque sunt abusus, ac plurimis sese curis angunt, ut coram Deo nihil lucrentur; ita ut post multas orationes, jejunia, austeritates ex libidine sua institutas, atque servatas, nullam magis, quam Pharisæi mercedem sint consecuturi.

VIII. De hypocritarum infelicitate, inanique conatu.

1. Omnem habent virtutis laborem, quin coram Deo meritum habeant, & mercedem, qua sæpe apud homines etiam frustrantur. 2. Id unum quærunt, quomodo hominibus placeant, quorum existimatio neque meliores efficit, neque beatiores, quin negotium illis facessant Dei judicia, qui unus eorum perfectionem, beatitudinemque efficere potest. 3. Non semper e voto illis cedit, ut homines fallant; nam quemadmodum quod fictum, fucatumque est, non potest diu omnium oculis imponere, eorum hypocrisis detecta eos majori confusione suffundit, eosque efficit contemptibiliores.

IX. De Hypocrisis indole, ac temperamento.

1. Hypocritæ unicè virtutis nitorem quærunt, rem verò negligunt. 2. Communia rejiciunt officia, quibus in aliorum turba nequaquam satis emicarent, & vulgò affectant singularitatem, quæ efficit, ut præ cæteris conspiciantur, quemadmodum videmus nonnumquam cometas, falsaque sydera magis effulgere, quàm vera, licèt illa non aliud sint quàm phænomena, & exhalationes e terra prodeuntes, atque in aera sublatæ. 3. Quæ sua sunt, tantummodo curant, & si quid bonum operantur, hoc prava intentione corrumpunt.

X. Vitia, quæ hypocrisim subsequuntur. 1. Hypocritæ versuti sunt, duplices; sycophantæ, quibus non alia mens est, quam simplicibus, minusque perspicacibus fucum faciendi. 2. Superbi sunt, vani, & ambitiosi, qui sordida, improbaque fictæ pietatis via hominum existimationem aucupantur, quam veris meritis obtinere non possunt. 3. Semper cupidi sunt, & avari, quandoquidem hæc ut plurimum eorum intentio est sibi hac in bonorum virorum animos viam faciendi, quorum ope rem suam provehere, & illuc, quò tendunt, valeant pervenire.

XI. Duplex distingui potest hypocrisis, fictæque pietatis species: altera eorum, qui devoti videri cupiunt, & hoc pacto seipsos dissimulant, aliosque decipiunt; altera verò eorum, qui se verè devotos putant, neque sunt; & hi se ipsos illudunt, & fallunt. Primorum quidem improbitas, & injustitia, aliorum verò illusio, & error est ostendendus.

Primò. Improbitas, & iniquitas hypocritarum, quibus nihil est nisi species, ac larva pietatis, primum in fine consistit, quem sibi proponunt, videlicet hoc pacto fortunam suam provehendi; existimationem sibi conciliandi; viam faciendi hæresi, vel erroribus, qui menti eorum insident. 2. In iis rationibus, quibus utuntur, omnem habent virtutis laborem, quin illius meritum consequantur; sibimet hanc injiciunt necessitatem extrinsecus, speciem pietatis præseferendi, cum intrinsecus improbi sint, & nequam, 3. in effectibus. Fidem abrogant pietati, eam in suspicionem vocant, & in causa sunt, quod vera appingantur vitia, & versutiæ, quæ falsæ tantùm conveniunt.

Secundò, Quidam se devotos putant, cum minimè sint; isti verò ferme sunt. 1. qui se verè conversos esse arbitrantur, eo quod a pristinis recesserunt impudicitiis, quin tamen agant pœnitentiam; quod omnino necessarium est, puta, aliena bona restituere &c. 2. Qui flagitiosam antea vitam viventes, nunc satis esse putant mollem ducere. 3. Qui satis esse credunt aliquot opera bona facere, quin suos affectus mortificent; qua in re vehementer errant,

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest ad propositas Concionum structuras ornandas.

Sanctus Augustinus, *Serm. 59. de tempore*, contra hypocritas declamat. (Sancti Patres.)

Idem, contra eosdem, & Manichæos invehitur in Genesi ad litteram.

Idem, *lib. 2. de Serm. Dom. in Monte cap. 3.* quid sit hypocrisis explicat.

Idem, vel Auctor, *de Conflict. virt. & vit.* fusius hac de re verba facit.

Sanctus Gregorius, *lib. 8. Moral.* Explicans hæc verba ex capite 8. Job: *Numquid vivere potest scirpus absque humore*, de hypocrisis effectibus, atque illusionibus loquitur.

Idem, l. 8. c. 26. in hæc verba: *Sicut tela aranearum fiducia ejus.* loquitur de fallaci spe hypocritæ, ac de laboribus ejus mercede carentibus.

Idem etiam de eadem re pluribus in locis verba facit, *cap. 28. libri ejusdem, & lib. 15. cap. 3. 4. & 5. & lib. 18. cap. 7. & lib. 31. cap. 5.*

Sanctus Prosper, *lib. 3. de vit. contempl. c. 1.* loquitur de hypocrisi, & dissimulatione.

Origenes, *Homil. 25. in cap. 23. S. Matth.* hæc explicans verba: *Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, quia comeditis &c.* omnes hypocritarum versutias, & quidquid ad hoc vitium pertinet describit.

Idem, de hac re loquitur etiam lib. 10. c. 15. in Epistulam S. Pauli ad Romanos,

Sanctus Chrysostomus hæc interpretatus verba ex cap. 4. S. Matthæi; *Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ, tristes &c.* prolixum habet sermonem de hypocrisi, ubi vitii hujus exhibet indignitatem, pluraque habet egregia hujus argumenti.

Idem, *Hom. 7. in Acta*, laudat simplicitatem, & sinceritatem christianam duplicitati, atque hypocrisi oppositam.

Sanctus Bernardus Sermone de Sancto Benedicto, & Sermone quarto in Cantica de hypocrisi loquitur,

P. Caussinus in Aula Sancta tract. 2. effato 9. ubi de variis devotionibus verba facit, fusiùs de hypocritarum pietate loquitur. (Ascetici.)

In Morali Christiana in *Pater lib. 8. sect. 4. art. 3.* de hypocrisi sermo est.

P. Nepueu Tomo tertio Christianarum Considerationum.

Omnes

Omnes fere, qui de devotione egerunt, locuti quoque sunt de hypocrisi tamquam vitio eidem opposito.

P. Surin Tomo 2. Dialogorum Asceticorum lib. 5. cap. 9. ubi de falsis virtutibus loquitur.

Concionatores. In Sermonibus, qui sub P. Bourdaloue nomine editi sunt, sermonem invenies in eos, qui ex aliena hypocrisi crescere volunt, qui scandalum recipiunt, & qui se decipi sinunt.

Maimbourg in Quadrages. Tomo 1. sermonem habet hujus argumenti.

Fromentieres.	Peculiari concionâ argumentum hoc prosecuti sunt.
Auctor Sermonum Moralium.	
De la Volpilliere.	
Auctor Sermonum Christianorum.	
De la Font.	

P. Girouft Tomo 1. in Sermone de vera, falsaque pietate loquitur etiam de hypocrisi.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta in Adventu, sermonem habet de vera & falsa pietate, ubi prima pars circa hoc argumentum versatur.

In Morali Dictionario Tomo 3. duos deinceps da hypocrisi Sermones invenies.

Qui collectanea edi derunt.

P. Ludovicus Granatensis in locis Communibus.	Tit. *Hypocrisis*.
Busæus in Panario.	
Labatha.	
Bercorius.	
Summa Prædicantium.	
Raynerius de Pisis.	

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Applicationes Scripturarum huic Argumento.

Spes hypocritæ peribit; non ei placebit vecordia sua, & sicut tela aranearum fiducia ejus. Jobi, cap. 8.

Non veniet in conspectu Dei omnis hypocrita. Ibid. cap. 13.

Congregatio hypocritæ sterilis. Ibid. c. 15.

Gaudium hypocritæ ad instar puncti. Ibid. c. 20.

Quæ est enim spes hypocritæ? Ibidem, c. 27.

Simulatores & callidi provocant iram Dei. Jobi cap. 36.

Ne fueris hypocrita in conspectu hominum. Eccli. 1.

Abominatio Domini est omnis illusor. Prov. 3.

Omnis hypocrita est & nequam. Isaiæ 9.

Cùm jejunaretis & plangeretis, numquid jejunium jejunastis mihi? Zach. 7.

Populus iste labiis suis glorificat me; cor autem ejus longè est à me. Isaiæ 29. & Matth. 15.

Est qui nequiter humiliat se, & interiora ejus plena sunt dolo. Eccli. 19.

Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ; quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ aforis parent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia. Sic & vos aforis quidem paretis hominibus justi: intus autem pleni estis hypocrisi, & iniquitate. Matth. 23.

Dicunt, & non faciunt .... Omnia verò opera sua faciunt ut videantur ab hominibus. Ibidem.

Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ: quia clauditis regnum Cœlorum ante homines; vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare. Ibidem.

Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ: quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes; propter hoc amplius accipietis judicium. Ibidem.

Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ: quia mundatis quod deforis est calicis, & paropsidis; intus autem pleni estis rapina, & immunditia. Ibid.

Vos estis, qui justificatis vos coram hominibus: Deus autem novit corda vestra; quia quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum. Luc. 16.

Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Matth. 7.

Partem ejus ponet cum hypocritis; illic erit fletus, & stridor dentium. Ibidem, 24.

Habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. 2. ad Timoth. 3.

Exempla ex veteri, novoque Testamento deprompta.

Hypocrisis Absalon. Qui vidisset Absalon mane de strato consurgentem, atque præ foribus regiis Patris sui stantem singulos introeuntes officiosè, humaniterque compellare, eisque dicere: quamvis nemini Rex hanc tradiderit provinciam vos audiendi, ego tamen efficiam, ut vobis jus dicatur: Venite ad me filii, quos toto pectore amplector; causa vestra optima videtur mihi, & jus vestrum æquissimum: Qui vidisset, inquam, Absalon hæc facientem, nonne credidisset hunc Principum omnium humanissimum esse, atque suæ dignitatis oblitum, ut sese populis magis suavem, ac jucundum præberet? Attamen hæc humanitas, atque suavitas fucatæ, simulatæque virtutes erant: turpis, ac barbara hypocrisis hanc illi personam induxerat, ut patri suo vitam, ac regnum auferret, atque ut populum contra Regum omnium optimum sollicitaret.

Exemplum Giezi discipuli Elisæi. Quantum laudibus, & encomiis celebranda est Elisæi Prophetæ integritas, qui a Naamano Syriæ Principe ingentes sibi opes offerente, eo quod illum a lepra, qua omnino infectus erat, curaverat, recipere detrectavit; tantum probris est proscindenda servi ejusdem, atque discipuli Giezi hypocrisis, & avaritia, eo quod petiit, recepitque partem bonorum, quæ Propheta recusaverat. Avarus iste discipulus magistri illius, qui terrena hæc magno despiciebat animo petitioni, atque sollicitudini, qua aliquid ab eo Principe consequi adnitebatur prætexere non dubitavit quamdam charitatis speciem erga duos juvenes ex genere Prophetarum Ephraim, quos necessitas coegerat, ut aliquid opis ab Elisæo Magistro, Dominoque suo peterent, adjiciens, se pro hac charitatis actione unico argenti talento, ac duplicibus vestibus mutatoriis indigere. Naaman quippe, qui ob tantum beneficium quomodo gratum testaretur animum, unicè quærebat, tali gavisus nuncio, petitionem ipsam muneribus suis voluit superare, & pro unico argenti talento coegit Giezi, ut acciperet duo, qui suavissimæ huic violentiæ non admodum obluctatus est. Sed avari hujus hypocritæ dolus diu non abiit impunis. Elisæus enim, qui divinitus ea, quæ contigerant, intellexerat; Heus tu, inquit, recepisti quidem argentum, ac vestes, quas nomine meo poposcisti; sed lepra Naaman transibit in te, tibique, generique tuo adhærebit in æternum; statimque ab Elisæo lepra coopertus discessit.

Exemplum Eleazari o tendit, quam indigna sit, ubi agitur de Religione simulatio. Non desunt innocentes quædam fictiones, quales ea fuit, qua S. Patriarcha Joseph cum fratribus usus est, antequam se illis traderet agnoscendum. Verum semper nocuæ sunt, cum inde proximi scandali occasionem arripere possint. Hoc nos docet senex Eleazarus ea in responsione, quam tradidit amicis suis, a quibus urgebatur, ut se Antiochi imperiis parere simularet, vetitis a Lege carnibus in speciem utens, re vera licitas comedens; ita enim illi affirmabant, ipsum & Regi morem gesturum esse, & nihil contra Dei jussa acturum. Nequaquam dignum ea est ætate, in qua sum, respondit ille, hoc uti figmento, propter quod plurimi adolescentes rati Eleazarum nonaginta natum annos a Judæorum ad Ethnicorum legem transfugisse, & ipsi deciperentur ea simulatione, qua ego usus fuissem, ut exiguum, quod adhuc mihi superest, corruptibilis vitæ spatium tuerer; atque ita turpissimam nomini meo maculam inurerem, & senectutem meam in mortalium omnium execrationem adducerem.... Quamobrem strenuè moriens dignus

dignus ea videbor ætate, in qua sum, atque junioribus fortitudinis relinquam exemplum pro sanctarum legum observantia alacriter, atque constanter gloriosam mortem perpessus.

Hypocrisis Judæ. Nequissimus hypocritarum omnium antesignanus fuit proditor Judas, qui electus, ut aliis Fidem, veramque Religionem annunciaret, diu sub Apostoli qualitatem impiam, & avaritia corruptam animam celavit; cujus præsertim indicia præbuit, cum Magdalenæ factum increpavit, quæ vera, sinceraque pietate ducta pretiosum unguentum super Salvatoris caput effudit, elata voce dicens, pecuniam, quæ ex unguento distracto conflari potuisset, melius in pauperum sinum fuisse erogandam; quia in privatos convertebat usus argentum, quod illi in hoc opus asservandum tradebatur.

Hypocrisis Sacerdotum legis. Legis Sacerdotes cum recepissent pecuniam, quam Judas inani ductus pœnitentia, quod Justi Sanguinem vendidisset, illis retulerat, & ad eorum pedes projecerat, dixerunt intra se: Quid facimus? Illam in Templi thesaurum inferre non licet, quia pretium sanguinis est. O insanissimam cæcitatem! Hypocritæ isti non verentur ex Templi ærario pecuniam depromere, qua ex proditore Juda JESU CHRISTI sanguinem emant, ac religioni sibi vertunt, eam iterum illuc inferre. Si non audent hos commiscere nummos cum illis, qui in Dei cultum, Templique ministerium sunt impendendi, quia pretium sanguinis sunt; cur hunc ipsum sanguinem audent effundere? Verisimile enim est illos de Templi gazophylacio eduxisse pecuniam Judæ erogandam: & in hoc eorum maximè patet hypocrisis, quod in impium convertunt usum argentum, quod populi pietas contulerat.

Hypocrisis Simonis Magi. Simon Magus sacrilegæ hypocrisios accusatus, convictusque fuit argento volens emere Spiritum Sanctum, ac potestatem illum conferendi quibuscumque manus imposuisset, ut pro Apostolo, atque Sancto homine miraculorum opifice haberetur. Illi exprobravit Sanctus Petrus, cor ejus rectum non esse, & ab eodem sceleris sui pœnitentiam agere admonitus, simulavit dolorem, ut illud evitaret supplicium, quod ipsi fuerat intentatum.

Hypocrisis Elymæ populos seducentis. Sanctus Paulus hoc ipsum hypocrisis crimen alteri exprobravit Mago, cui nomen Elymas, qui ficta pietate os populi subliniebat; & quod Apostolus subita cæcitate percussit, ita illum corripiens: *O plene omni dolo, & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis justitiæ, non desinis subvertere vias Domini rectas?*

Necesse non est istic repetere exprobrationes, quibus toties Dominus Scribarum, & Pharisæorum redarguit hypocrisim; neque scrupulum, quo se moveri professi sunt, veriti, ne polluerentur, si Pilati domum ingrederentur, cum Judicem hunc urgebant, ut Dei Filium morte damnaret.

Applicationes.

Sepulchra dealbata. Similes estis sepulchris dealbatis. Matth. 23. Nihil aptius hypocrisim, fucatamque hypocritarum virtutem exprimit, quàm comparatio a JESU CHRISTO cum dealbatis sepulchris instituta. His quidem monumentis extrinsecus speciosius nihil inveniri potest. Superba nonnumquam videntur mausolæa, ubi ars, quidquid in Architectonica magis exquisitum, & lucalentum est, profert in medium, magnifici fulgent ornatus, simulacra marmorea, anaglypha, columnæ, diserta epitaphia, superbæ inscriptiones. At intus inspice, nihil nisi horrorem invenies, tabum, ossa computrescentia, veteresque mortis exuvias. Hæc hypocritarum imago est; caput obstipum, demissa facies, lingua Dei, virtutisque celebrans encomia. Sed exteriorem hanc speciem aufer, quid sub eadem invenies, nisi animos impudicitiis, & iniquitatibus refertissimos?

In imagine pertransit homo. Psalm. 38. Hypocrita homo est, ut ita dicam, in imagine pertransiens, eo quod Sanctus Gregorius ait, nihil in illo est nisi exterior imago, ac species; at nihil realea *Ostendit in imagine, quod non habet in veritate.* Extrinsecus, & in imagine nihil est aliud quam charitas, lenitas, humilitas, mortificatio, pœnitentia, & in exiguis quibusdam Religionis muneribus cura. Intrinsecus verò, & reipsa nihil est nisi superbia, odium, ultio, injustitia, mollities, vanitas; Demum nihil nisi virtutis imago: *In imagine pertransit homo: In libro, cui titulus: Essais de Sermons pour la Careme.: feria tertia hebdomada secunda.*

Peccatori dixit Deus: quare tu enarras justitias meas? Psal. 49. Hypocrita ea docet, quæ ipse minimè servat: de Lege loquitur, & illam infringit; de justitia, & illius speciem tantummodo gerit; & huic peculiariter videtur hæc dicere Deus: *Peccatori dixit Deus; quare tu enarras justitias meas?* Homo, qui te insignem peccatorem nosti, cur audes de justitia, sanctisque mandatis meis verba facere, cum interim illa flocci facias, atque contemnas? Loqueris tantùm suiipsius abdicationem, affectuum victoriam, vitæ reformationem, cum interim legis meæ, interioris gratiæ meæ vocis, omniumque institutorum meorum inimicus, cæcè cordis tui errores, atque abominationes sectaris: *Tu verò odisti disciplinam; & projecisti sermones meos.* Psa. 49. *Liber, cui titulus: Les Caracteres tirez de l'Ecriture, & appliquez aux mœurs de ce siecle.*

Cor eorum vanum est. Psalm. 5. De hypocritis propriè dici potest, omne in illis vanum esse, & vacuum. Vanum in intentionibus, vacuum in remunerationibus: vanum, aliud quærunt, quàm Deum; vacuum, nullum habent meritum coram Deo: vanum, sine illo ædificant; neque ille tuetur hoc amoris proprii fragile ædificium; vacuum, ipsi nequicquam laborant, & vigilant, ut illud tueantur. Ratio verò ex Sancto Augustino desumpta est, docente, virtutes non respiciendas esse tantummodo in officiis earum, videlicet in iis, quæ facienda sunt; sed earum præcipuè finem esse spectandum: Quid faciendum, & quæ intentio habenda in faciendo? Nihil nisi justum faciendum, & nonnisi justè faciendum. *Ex Dictionario Morali.*

PARAGRAPHUS IV.

Loci, Sententiaque Sanctorum Patrum, hujus Argumenti.

Falsi, atque fallentes Christiani, vel sancti. August. l. 5. Confess. c. 10.

Ubi hypocrisis, ibi dolus. Idem, lib. 2. contra Julian. cap. 8.

Hypocritæ simulatores dicuntur, quia justi esse non quærunt, sed tantùm videri volunt. Idem.

Foris lucet, & intus lutum est (hypocrita.) Idem.

Quicumque vult se videri quod non est, hypocrita est. Idem.

Simulata æquitas non est æquitas, sed duplex iniquitas, quia iniquitas est & simulatio. Idem, in Psalm. 63.

Sicut propè summa & divina virtus est neminem decipere, sic ultimum vitium est, quemlibet decipere. Idem, l. 83. Quæst.

Esse Christianum magnum est, non videri. Hieronymus.

Si prabeo eleemosynam ut glorificer ab hominibus, recepi mercedem meam, & mercenarius appellandus sum. Idem, lib. 6. sup. Isaiam, c. 15.

Vere monstrosa res est, speciem habere columbinam, & mentem caninam; professionem ovinam, & intentionem lupinam; intus esse Neronem, & foris apparere Catonem. Ita ut ex contrariis diversisque naturis novum monstrum novamque bestiam diceres esse compactam. Idem, Epist. 58.

Quamvis aliis vitiis carere possimus, hypocriseos tamen habere maculam non posse, aut paucorum

rum est, aut nullorum. Idem, contra Pelagianos, libr. 2.

In comparatione duorum malorum, levius malum est apertè peccare, quam simulare, & fingere sanctitatem. Idem, l. 7. in Isaiam.

Hypocrita in cunctis suis virtutibus, nihil sperat nisi honoris reverentiam, gloriam laudis à melioribus mereri, sanctus ab omnibus vocari. Gregorius, in Moral.

Dupliciter rea est anima, si bonum non faciat unde spiritualiter vivat, & appetat similitudinem boni, sub qua malè vivat & lateat. S. Prosper, l. 3. de Vit. contemplat. c. 1.

Boni videri volunt, non fieri. Idem;

Qui magna dicunt, nec parva faciunt. Idem.

Qui publicè execrantur, quod occultè agunt. Salvian. lib. de Gubernat.

Nihil simulatum & fictum veræ virtutis esse certum est. Ambr. l. 2. Offic.

Crudeli arte virtutes truncat mucrone virtutum. Pestilentia cavenda, quæ de remediis creat morbos, sanctitatem vertit in crimen, placationem facit reatum. Chrysolog. Serm. 7.

Sibi facit de virtute vitium, de veritate mendacium, de remissione peccatum. Idem, ibid.

Hypocritas evitare facile non potes, propterea quod pietatis prætextu, pravitas eorum fucata, & adornata profundè latet. Basil. Homil. 7.

Hypocrita dicitur histrio, qui in theatro personam sustinet alienam. Idem, Homilia 1. de Jejunio.

Mulier, quæ nativa pulchritudine destituta est, ad colores, pigmenta, & fucos confugere solet: ita hypocrita cùm specie solida perfectaque pietatis careat, adumbrationem quamdam pietatis externam simulat, qua eorum oculos retinet, qui adumbrata virtutis simulatione capiuntur. Greg. Nazianz. in Orat. funeb. Patris.

Hypocrita ostendit in imagine, quod non habet in veritate. Gregor. l. 15. Moral. c. 3.

Hypocrita foris candidus, intus sordidus; amator vanæ gloriæ, verba Sanctorum habet, vitam non habet. Bernard. de ordin. vitæ.

Hypocritæ oves sunt habitu, astu vulpes, acta & crudelitate lupi; hi sunt qui boni videri, non esse; mali non videri, sed esse volunt. Idem, Serm. 66. in Cantic.

Minus semper malitia palàm nocuit; nec unquam bonus, nisi boni simulatione deceptus est. Idem, ibidem.

Hypocrita homo sibi dissimilis intus Herodes, foris Joannes, totus ambiguus. Idem, Epist. 193.

Nulla res sic exterminat bonum, sicut simulatum bonum; nam manifestum malum quasi malum fugitur & cavetur: malum autem sub specie boni celatum, dum non cognoscitur, nec cavetur, sed quasi bonum suscipitur. Chrysost. in opere imperf. sup. Matth.

Sanctitatem vertit in crimen. Chrysol. Serm. 7.

Vult hypocrita scire divina eloquia, nec tamen facere: vult doctè loqui, nec tamen rectè vivere. Gregor. lib. 15. Moral.

Ossa jejuniis atteruntur, & mente turgemus; corpus despectis vestibus tegitur, & elatione mentis purpuram superamus; doctores humilium, duces superbiæ, ovina facie lupinos dentes abscondimus. Gregor. in Regist.

Hypocrita alienum tollit, quia justorum laudem arripit. Idem, l. 5. Moral. c. 14.

Hypocrita justus esse non appetit, sed videri: justus contra hoc ipsum videri fugit, quod esse meruit. Idem, l. 26. Moral. c. 28.

Hypocrita callidè novit, & occultare quod est, & ostentare quod non est: vera mala premit, & falsa bona demonstrat: atque ut majorem gloriam teneat, fingit se gloriam declinare: quia enim videt se eam sequendo apprendere non posse, curat habere fugiendo. Idem, 26. Moral. c. 28.

Hypocrita dum alios fallere voluit, occulto Dei judicio permittitur, ut tunc ipsi potiùs intus fallantur. Idem, 26. Moral. c. 29.

Hypocrisis subtile malum, secretum virus, venenum latens, virtutum fucus, tinea sanctitatis. S. Chrysolog. Serm. 7.

Quis magis impius, an profitens impietatem, an mentiens sanctitatem? Bernard. ad Guill. Abbatem.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia penu ad hoc argumentum depromi queat.

Quid sit hypocrita.

HYpocrita, quemadmodum illum definit Sanctus Hieronymus, ille est, qui operatur omnia in hominum conspectu, ut eorum sibi existimationem conciliet: *Hypocritæ sunt, qui quodlibet faciunt, ut ab hominibus glorificentur*; qui videri vult eam habere virtutem, quam non habet, & qui ita se gerit, ut melior, quam revera sit, existimetur. Hinc sequitur, cum qui toto pectore incumbit ad pietatem, & perfectionem, quæ sibi deest acquirendam, qui virtutis actionibus ad eam contendit, eamque assequi nititur pro hypocrita atque dissimulatore homine haberi neque potest, neque debet; quamquam sua agendi ratione ideas adstruat, quæ suam virtutem excedunt, quas qui considerant illum credere possunt perfectiorem, quam revera sit, majoribusque virtutibus præditum. De hoc homine judicium ferendum est ex intentionibus illius, atque ex fine, quem sibi proponit; cumque eum non habeat finem, neque ea mente operetur, qua hypocritæ, talis verè non est, & qui talem eum esse arbitrarentur, seipsos fallerent, & injusti essent virtutis ejusdem æstimatores.

In cap. 5. Matth.

Unde nomen hypocritæ, & hypocriseos definitio.

Hypocritæ nomen ab histrionibus desumptum est, qui in scæna aliam ludunt personam præter eam, quæ sibi est naturalis; talis ille est, qui modò Principis partes gerit, regiis induitur vestibus, sermonem, corporis habitum, atque majestatem imitatur; modò muliebribus ornamentis sese in aliam personam immutat, atque fallit spectatores. Simili ratione hypocritam dicimus peccatorem, ac nefarium hominem, qui affectata pietate, exterioribusque actionibus virum bonum simulat. Itaque hypocrisis est fictio, & dissimulatio, qua aliquis persuadere conatur se prorsus alium esse ab eo, qui verè est. Omnis enim hypocrisis est simulatio, licet non omnis simulatio dicenda sit hypocrisis. Ita, qui bene operatur ea tantùm mente, ut hominibus placeat, non Deo; hypocrita est, non quod simulet bonum opus, quod facit, illud enim in se tale est, quale videtur; sed quod simulat se rectam habere intentionem, quam in corde non habet.

D. Tho. 2. 2. q. 111. ar. 2.

Hypocrisis opponitur veritati.

Hypocrisis ex diametro opposita est veritati, seu quod species est mendacii, seu quod hypocrita aliam fingit personam, quæ ipse non est, quod accidit quotiescumque peccator ab aliis vir bonus cupit haberi. Hoc tamen non prohibet, quominus hypocrisis cæteris etiam virtutibus possit opponi; quatenus potest aliquis simulare externos harum virtutum actus, licet earum non habeat habitum; quemadmodum si ineruditus, & literarum expers haberi vellet ab hominibus doctus, & litteratus.

Ibid. art. 5.

Quodnam peccatum sit hypocrisis.

Hypocrisis in eo, qui sanctitatem habere non vult, sed eam tantummodo simulare itaut ab aliis eam possidere credatur, quamvis in corde suo illam contemnat, semper est mortale peccatum; privat enim animam gratia, & justitia, quæ sanctitatem constituit, qua nonnisi per solum mortale peccatum quispiam carere potest. Quod si hypocritam eum vocemus, qui absque eo quod sanctitatem contemnat, quærit ab aliis æxistimari, quasi vir sanctus esset, & justitiam verè possideret, qua nihilominus ob aliquod lethale scelus destitutus est; tunc si quod simulat, charitati vel erga Deum, vel erga proximum non adversatur, hypocrisis noxa mortalis non erit; atque non secus, ac non

Idem art. 4.

omne

omne mendacium peccatum grave est, neque omnis hypocrisis erit. In hypocrisi duo consideranda sunt; alterum est sanctitatis defectus, alterum; ut ita dicam, hujus sanctitatis simulatio. Eam fingere sanctitatem, quæ non habetur, si contemnatur, est peccare mortaliter; eum veniale peccatum sit eam fingere citrà contemptum, dummodo actio, per quam simulatur, non sit criminosa, qualis esset indigna confessio, aut communio, quæ ad populi admirationem aucupandam fieret.

Possumus quodam modo hypocritæ esse nobilisipsis.

Quamquam vulgò hypocrisis eò tendat, ut proximum fallat, atque in alienis mentibus conceptum excitet de iis meritis, quibus destituti sumus; adest tamen alia quædam hypocrisis occultior, & delicatior, quæ efficit, ut homo sibimetipsi hypocrita fiat. Prior facit, ut egregia sanctitatis specie alios decipiamus, posterior verò, ut nosmetipsos fallere gestiamus, nosmet meliores, quam verè simus, existimantes. Plerique mortales in hoc errore versantur, quia honestè vivunt, neque sunt crassioribus vitiis obnoxii, qualia sunt furtum, apertæ injustitiæ, adulterium, aliaque id genus; & prætetea quia aliqua bona opera faciunt, se verè putant virtute præditos, licet anima spiritualibus vitiis fœdata sit superbia, avaritia, ambitione, invidia, vindicta. Non postrema est dæmonis ars, illis, quos ex honestis hominibus perdere quærit, persuadere, ut exteriora quædam bona opera faciant, quæ pro vera, solidaque justitia satis non sunt; sed satis, superque sunt, ut facientibus illa, inanem gloriam inspirent, eisque persuadeant, ipsos justos, ac bonos homines esse. Sed fallax hæc virtutis species potius ad jactantiæ, quam ad hypocrisis vitium refertur.

In hypocrisi fictæ virtutes veras imitantur, licet sint illis oppositæ.

Quantum veritati mendacium, tantum falsæ virtutes veris adversantur. Mendacium veritatis personam, os, habitumque sumit; & hypocrisis, quæ non aliud est, quam fallax virtutis similitudo, omnia, quæ ad eamdem pertinent, imitatur: Et quemadmodum solida, & sincera virtus animam, in qua reperitur, justificat, eam perdit, & damnat, in qua simulata tantummodo invenitur. Per hanc autem homo dupliciter nocens est, Sanctus Prosper inquit, & quod bonum, quod facere tenetur, si secundum Deum vivere vult, non facit; & quod præsefert similitudinem boni, quod sibi faciendum, ac sincetè amandum esset, inutea specie contentus, qua sua vitia tegat, cum interim nequissimam vitam traducat. *Ex morali Dictionario.*

Impietas, & hypocrisis variè opponuntur Religioni.

Hoc omnibus vitiis commune est, quod unumquodque eorum divinam Majestatem offendit; verùm non desunt in illis discrimina; quibus alia ab aliis distinguuntur. Hoc potissimum hypocrisim inter, ac impietatem deprehenditur. Impietas quippe vitium est, quod apertum præsefert divini cultus contemptum; manifesta Religionis est prophanatio; non quærit latebras, non erubescit populi ora, & oculos, qua re scandalum adfert; sed hypocrisis e contra nihil tantum extimescit, quàm sese prodere, & agnosci. Impietas ut plurimum impudens est, & nisi legibus coerceatur, sese qualiber occasione palam ostentat; hypocrisis verò ingenium omnino oppositum est; ejus agendi ratio callida est simulatio, ac jugis fallacia, qua utitur ad contemptum, & confusionem evitandam, quam profectò mereretur, si detracta larva ab omnibus agnosceretur.

Discrimen inter veram pietatem, & hypocrisim.

Pietatem inter, & hypocrisim idem intercedit discrimen, quod artem inter, atque naturam; ubi scitus Pictor alicujus imaginem studet referre coloribus in eo totus est, ut ad vivum imitetur os, oculos, vultum denique totum illius, quem repræsentare contendit; in hoc tota illius ars, studiumque consistit. Sed e contra natura hominem effingens omnium diligentissimè cor ipsum efformat, quia cor est vitæ principium. Ita ficta pietas, atque hypocrisis, cum hominibus tantum placere contendat, exteriorem tantummodo speciem intuentibus, & nihil ultra conspicientibus, hæret solum in iis, quæ videntur extrinsecus, & uti loquitur Scriptura, dummodo ovinam gerat pellem, non laborat, utrum rapacium luporum cor habeat.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, Recentioribusque Concionatoribus loci hujus Argumenti.

Difficile est hypocritam ab eo, qui vera virtute præditus est distinguere.

Vitium quædam post se relinquit vestigia, quæ oculos perstringunt, & quæ ignorari non possunt; mundus ipse illud condemnat, & pudor, quem secum trahit, satis illius fœditatem ostendit. Sed omnia hypocritæ, fictique devoti hominis vanitati favent; populi laudes sibi conciliat, virtutis speciem gerit, quam omnes admirantur, & quæ prohibet, ne illius appareat nequitia. Hypocrita pietatem tanta simulat arte, & imago adeo belle imitatur autographum, ut qui ingenio magis sunt perspicaci, & ipsi nonnumquam fallantur. Adeo difficile est hos omnes obices superare, ut veritas intelligatur. *Desumptum ex quodam Tractatu de Conscientia.*

Affectato pietas fidē adstruit ipsum fucatam esse, & hypocritam.

Affectatæ pietati fidendum non est; ex quo in homine dignoscitur adfectatio, suspicioni locus adest, non deesse dolum, atque cordis corruptionem hac pietatis simulatione celari. Et profectò adfectata pietas ut plurimum nihil est aliud quam peccatorum nimis insignium fuga, secretorum verò perfugium, ubi aluntur, & amantur, eum illa oporteat odisse; exuuntur fastus, & nobilitatis insignia; abdicantur ea, quæ mundus luxum appellat; sed domi nulla desunt vitæ commoda, eaque inquirenda esse censentur, tamquam ipsius devotionis adminicula; patentia quidem evitantur commercia, sed non desunt amicæ, quæ in singulas ferme horas invisuntur; & fortasse libidinosi amores minus sunt teneri, minusque pertinaces [illegible], quos sibi devotio permittit, & qui innocentes vocantur. *Idem.*

Hypocritæ character.

Minus plerumque artis, calliditatis, politicæ rationis in mundi, quam in hypocritæ, negotiis invenitur, qui virtutis suæ æstimatores, præconesque conquirit, & vult ne minimam quidem stipis erogatæ, aut visitationis charitatis specie obitæ, circumstantiam ignorari. Cum mundi spiritus hanc animet devotionem, eamque ad agendum impellat; agit tantummodo vi machinamentorum suis duntaxat temporibus, extra quæ nihil operatur. Qui falsò devotus est, sua bona opera ostentat: numquam prodit, nisi virtutibus circum undique stipatus; Superbus est, & se tegit humilitate: caput inclinat; submisso vocis tono loquitur, Dei gratiam commendat, sed ut gratiæ hujus admirantes effectus eum amemus, & in pretio habeamus, qui hanc gratiam accepit. Cum iis, quibuscum consuescit, de piis tantum meditationibus loquitur, deque interioribus gaudiis, quæ Spiritus Sanctus in ipsius cor effundit. Quæcumque sese offerat occasio, austeram morum disciplinam præsefert: sed summa pollet ingenii vi, ut dogmata dogmatibus conciliet, ubi in eo res posita est, ut seipsum crimine absoluturus laboret. Generalia quidem effata austera sunt, sed eorum applicationes pro se, amicisque suis sunt valde remissæ. Ne cum illo disputare audeas de iis, quæ ad pietatem pertinent; te ubique tamquam prophanum venditabit; irrisio quælibet illum maximè vulnerat, & si vel minimum te de illius sinceritate diffidere significaveris, te indignum venia scelus patrasse conclamat. Hypocrita nulli parcit. Illum ex eo caractere dignosce, te numquam falles: Ira, & ultio sub fictæ pietatis umbra delitescunt: æterno flagrat odio in eos, qui illius dolum detegere audeant. Denique hypocritæ vita mixtio est abditorum vitiorum, virtutumque apparentium: virtus illius est ex scelere suo luctum percipere, quin pudore afficiatur; atque videri amatorem Dei, cum unicè mundum deperreat. *Idem.*

Nullis

Hæresiarchæ omnes ferme fuerunt hypocritæ.

Nulli fuerunt Hæresiarchæ, si duos tantum elapsi retro sæculi excipias, quorum libidines manifestæ sunt, qui austera morum disciplina, insignis charitatis officiis, speciosis virtutibus, morum suavitate, honestate, atque urbanitate, exteriori corporis habitu ad pietatem composito, atque adsectatis mortificationibus magnam sanctitatis laudem adepti non fuerint. Itaque numquam hac graviorem, atque perniciosiorem tentationem Ecclesia passa est. Externi horum hæreticorum mores egregii erant, nitidique; nihil sanctius, vel integrius eorum vita, nihil modestius vultu, nihil suavius voce, nihil magis sobrium mensa, nihil in speciem humilius eorum spiritu, nihilque eorum corde ad charitatem exercendam pronius. Hi reipsa insignes erant hypocritæ nequissima contegentes vitia sub inani specie virtutis.... Sola humilitas, & Ecclesiæ obedientia verum efficere potest judicium hominis; eaque una verè pium ab hypocrita, Catholicum ab hæretico distinguit; cætera sunt illusioni subjecta. Speciosæ devotiones, eleemosynæ utraque manu effusæ, adsectata modestia, jejunia, austeritates, aliaque id genus sunt æquivoca signa egregiam quidem virtutem significantia, si ex humili, sinceroque corde procedant, falsam verò pietatem, & execrandam hypocrisim, si ex hæretico nequam, versuroque proficiscantur. *P. Crasset libro 2. de Fide Victrici.*

Omnes hypocritarum actiones ad cœlestem promerendam gloriam sunt inutiles.

Religio vertitur in superstitionem; anima occulta lepra infecta sibi complacet in fucata pulchritudine sua, quam exterior mortificationis species intuentium oculis offert. Deplorabilis illusio, quæ ab Evangelicis Pharisæis in sæculi nostri hypocritas transiit, qui similis ficui maledicto percussæ, frondes tantum habent, inanemque speciem, qua bonorum operum celant sterilitatem; qui religiosam quarumdam humanarum traditionum observantiam præferunt divinis mandatis; in odiis irreconciliabiles, in judiciis præcipites, diligentes in exteriori calicis parte detergenda, cum intus fæcem, ac ultionis suæ fel relinquant, vestimentorum regularem normam consectantes, quia palam videntur, negligentes verò maximè necessaria charitatis, & humilitatis officia, quia latent. Alterum quidem faciamus, alterum verò non omittamus. Profectò exterior pietatis habitus negligendus non est, eo quod sese illo ornant hypocritæ (Sanctus Augustinus ait;) Oves vellus suum non debent abjicere, eo quod lupi eodem se contegunt; At virtutis speciem non fugiamus, ut fratres nostros ædificemus, non ut gloriemur. *Abbas du Jarry; Sermone de Sancto Antonio.*

Ejusdem argumenti.

Si mundi amore duceris, omnes justitiæ tuæ horror sunt, & abominatio. Pro mundo laborasti; mundus erit merces tua. Quot extremo judicii die dicent: Domine, Domine in nomine tuo prophetavimus, dæmonia ejecimus, ac plurima opera bona operati sumus: at illis reddet JESUS CHRISTUS; nescio vos, discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem. Hoc nomine ille appellat omnia hæc virtutis phantasmata, quæ sæculi spiritu animantur. O te miserum! carceres visitas, Evangelium pauperibus annuncias, viduas consolaris, ægris assides, & nihilominus iniquitatem operaris. Officiis adeo sanctis persungens; hominum quidem existimatio, & laus, quam in piis operibus aucuparis, omne tibi eorum meritum auferunt. *Idem.*

Hypocrisis serius, ocyus detegitur.

Putasne diu te ferre posse hanc, quam simulas, personam? Credisne populum semper hypocrisi tua deceptum iri? Crede mihi, illum male nosti; oculos enim habet magis perspicaces, quàm retis. Sub pii hominis larva detegetur aliquando homo cupidus, ambitiosus, impudicus; seriùs, ocyus ovina pellis decidet, ac lupus detegetur. Difficile est, ubi in hominum lucem prodis, non agnosci, qualis es. Sed licet etiam adeo callidus esses, ut omnium mortalium oculos falleres, numquid teipsum fallere poteris? Nihil video magis caducum, & fragile, quam hanc simulationem in eo, qui aliquem adhuc honoris, & religionis sensum fovet. Ubicumque aliis virtutis præcepta tradere volueris, teipsum tua redarguet conscientia: Medice, cura teipsum. Semperne hanc geres personam adeo charactere tuo indignam? Numquid semper devotionem tibi vertes in ludum? Semperne cor tuum mentientur labia tua? Numquamne eris, quales alios esse desideras? *Ex libro, cui titulus: Le bon gout de l'Eloquence Chretienne.*

Hypocrisis, fucataque virtus duplex est crimen.

Quam efficax esse potest illius hominis vivendi ratio, cui simulata tantummodo virtus est? Deusne hoc utetur veluti instrumento ad gratiam suam fidelibus communicandam? Quomodonam ad effectum adeo salutarem uti volet hypocrita; quandoquidem e contra eodem utitur, ut populi peccata puniat? *Qui regnare facis hominem hypocritam propter peccata populi.* Job. 34. Velle igitur bonum virum videri, & non esse, hoc potius malum auget, quàm imminuat; & velle hoc pacto officio suo persungi, hoc idem est ac velle æs alienum adulterina pecunia dissolvere; hoc est injustitiæ injuriam addere, hoc est duplicem damnationem subire, uti Salvator ait: *Hi accipient damnationem majorem;* Luc. 20. alteram quidem pro vitiis, quæ celantur; alteram pro virtutibus, quæ simulantur. *Sermo Manuscriptus.*

Hypocrisis sæpe plures habet admiratores quam vera pietas.

Hypocrisis longiùs procedit, quàm vera pietas; ars majorem, quàm natura, habet industriam: videbitis homines in morali doctrina austerissimos excogitare conscientiæ casus, de quibus eruditissimos consulant Theologos, id verò, ut ostendant se inter bonum, ac malum minimum quodlibet discrimen cognoscere velle, & hac in re sibi fidere nolle. Hæc adsectata pietas artem redolet; hypocritarum sollicitudo testantium eum, quem minimè habent, vitii horrorem, ut plurimum major est, quàm bonorum virorum eum, quem verè habet præseferentium. Proprius id genus hominum character est, implacabiles esse, & ultionis cupidos; eorum iracundia prodit, ipsos tunc maxime se læsos putare, cum fucata eorum pietas detegitur. Advertite etiam ipsos omnium maximè indociles esse; putant suum esse censoria nota aliorum facta damnare, & diligentiores sunt in iis persequendis, qui illos audent corripere, quàm in fructu ex correptionibus percipiendo. *Ex Tractatu quodam de Conscientia.*

Hypocritæ natura, & indoles.

Hypocritæ malam semper habent conscientiam; quia quid sibi faciendum non ignorant, sed semper oppositum faciunt; officia sua ultra justos cancellos protendunt; levia etiam peccata amplificant, eaque efficiunt horribilia: præcepta multiplicant, & aliis non ferenda onera imponunt; sed ipsi ne digito quidem movent illa: At e contra postquam teterrimis coloribus vitium descripsere, non ideo tamen in eo cessant volutari. Hoc olim Salvator Pharisæis exprobrabat. Doctrinam eorum non redarguebat; quod dicunt vobis, id facite, sed mores & facta eorum improbabat, prohibens, ne quis secundum opera eorum faceret. *Idem.*

Hypocrisis videtur vitium esse omnibus hominibus commune.

Jure hypocrisim odimus, & contra hanc vitii dissimulationem invehimur, quæ fucata virtutis specie Deo, & hominibus imponere velle videtur. Verùm id fateri oportet, quod est: hypocrisis est vitium, quod omnibus hominibus commune videtur; omnes enim ea in luce videri student, in qua majorem consequi laudem possint. Næ illi vehementer errant, qui putant nonnisi pietatis hypocritas dari, sunt etiam honoris, fortitudinis, liberalitatis hypocritæ, & plures in mundo simulatores invenies, quàm eos, qui in Ecclesia velint imponere. Hæc tamen hypocrisis non adeo nefaria est, & hominibus invisa; & ubi deprehenditur, ne animus quidem ad illam advertitur, & non adeo grave scandalum affert. Ratio verò, mea quidem sententia, hæc est, quod Religio virtutum omnium moralium princeps est, atque præstantissima, & optimarum rerum corruptio cæterarum

rum

rum est pessima. *Desumptum ex Anonymo Auctore.*

De Pharisæorum hypocrisi.

Videte, quousque Pharisæorum ambitio, & hypocrisis procederet. Omnia opera bona in hominum oculis operabantur, ut eorum plausus, & elogia aucuparentur: religiosissimè jejunabant; austeritas in omni exteriori ipsorum cultu effulgebat, licet intrinsecus molles essent, atque delicati. In se multa quidem indulgentia, in alios verò multa severitate utebantur; Leges constituebant, at illas minime servabant; palam largè, effuseque eleemosynas erogabant, privatim verò summas injustitias patrabant: sub charitatis prætextu familias evertebant, & sub specie pietatis obscœna alebant commercia.... Verbo; existimari cupiebant tamquam irreprehensibiles, quamvis vitiorum omnium sordibus essent coinquinati. *De la Volpilliere, Sermone hujus argumenti.*

Simulatio, & dolus rebus in omnibus æque ac in iis, quæ ad pietatem pertinent.

Actio æque fallit, ac vox, & communis agendi ratio minus sincera non est, quàm communis ratio loquendi. Quotidie sexcentas personas induimus, ne, quod sumus, agnoscamur, & ut quod non sumus, videamur; non solum suppositis titulis, fucatisque coloribus mundum decipere volumus; sed tamquam si Deus falli posset, illum etiam fallere admittimur simulata pietate, ore quidem illi honorem adhibentes, cordis verò cultum ei denegantes: palam quidem illi inservientes, clanculum verò peccantes; cultum merè externum illi deferentes, eique auferentes quod ante omnia ex nostra pietate deposcit, videlicet interius nostrarum cogitationum, affectuumque sacrificium. *Ex Sermonibus Moralibus. Sermo de pietate.*

Hypocritarum doli ut se tegant.

Quot hodie videntur hypocritæ, qui externam speciem ita bellè servare norunt, ut irreprehensibiles habeantur? Sese ad modestiam componunt: religionem, zelumque præseferunt, insignioribus misericordiæ, & charitatis operibus commiscentur: eos frequentant, qui meritis, ac virtutibus nitent: contra vitium invehuntur, ac in aliis damnant, quod clam in seipsis probant... Crebrò ad Sacramenta accedunt, non ut eluant, sed ut contegant scelera, non ut sancti fiant, sed ut videantur. *Fromentiere, Sermone de hypocrisi.*

Ejusdem argumenti.

Diligentissimè id servant, quod meri consilii est, cum interim, quod præcepti est, liberè infringant; ne aliqua de ipsorum integritate suspicio oboriatur, & ut, cum adeo solliciti sint in iis, quæ supererogationis sunt, multò diligentiores, in iis, quæ tenentur facere, habeantur. Omnia sibi facilè licere putant, cum interim in aliis minimos defectus, tamquam gravissima scelera detestentur; atque sibimet indulgentissimi, se in alios severissimos ostendunt. In externis eorum actionibus omnia redolent mortificationem, licèt intrinsecus molles sint, atque immortificati: Verbo, volunt ob sublimem perfectionem, consummatamque virtutem laudari, quamvis ipsa imperfectionibus, & vitiis diffluant. *Idem.*

Dissimulatio facit hypocritam.

Considerate quomodo sese gerant hypocritæ, præsertim verò perpendite cultum, quem deferunt Deo; invenieris in illis nihil esse nisi simulationem, & pietatem eorum hypocrisim esse. Plurimos videbitis, qui Religionem, tamquam scœnicum aliquod spectaculum ludunt, & qui omni sanctitatis principio carentes, illius tamen personam in mundi hujus theatro gerunt: Qui Deo in speciem tantummodo serviunt; qui palam quidem benè, clam verò malè agunt; qui verbo tenus pii sunt, moribus autem impii; qui virtutem laudibus celebrant, cum interim in scelere consenescant, & qui diligenter externum oris habitum componunt, cum interim intus omni vitiorum labe sordescant. *Idem Sermone de hypocrisi.*

Per hypocrisim hæresis invecta est.

Sæpe veritatis partes deferuntur, ut in erroris partes concedatur, namque homines aliena se decipi fraude patiuntur; hac via, Gerson inquit, hæretici adeo mirè profecerunt, bonamque hominum fidem corruperunt. Permittit enim Deus, ut cæcè ejus farinæ homines sequamur, quos S. Augustinus describit; qui videlicet doctrinam suam probaturi, externam sanctitatis speciem affectant, minimos quoslibet defectus condemnant, atque ut erroneis opinionibus suis fucum tribuant, eas severitatis, & mortificationis pallio dissimulant: *Ne veritatis luce carere videantur, umbram severitatis obtendunt.* Ad solum reformationis nomen omnes accurrunt mortales; hi lupi ovina pelle contecti asseclas quærunt: simplices verò statim in laqueos eorum impingunt. Hic primum quidem popularis simplicitatis effectus est; sed mox in animis omnium insignes progressus fiunt. *Ex Sermone, qui sub P. Bourdalove nomine circumfertur.*

Dei Filius Pharisæis nihil frequentius, quàm ipsorum exprobravit hypocrisim.

Væ vobis hypocritæ. His verbis mundi Salvator in Evangelio Pharisæorum hypocrisim exprobrat, fictam pietatem, simulatamque devotionem, qua illi sese ab aliis distinguere affectabant. Eam verò summo succensus zelo corripit JESUS CHRISTUS, qui, ut Sanctus Hieronymus inquit, hac una in re suavitatis suæ videtur oblitus, & qui hoc plerumque divinarum institutionum suarum esse cupiebat argumentum; quandoquidem majorem ostendit zelum, ut solam Pharisæorum hypocrisim redargueret, quam ut cæteros quoscumque peccatores corriperet. *Idem.*

Hypocritæ facile patronos inveniunt qui sua excusent flagitia.

Quantumvis improba sit versuti hominis causa, dummodo hic pietatem prætexat, justitiam sibi facilè nanciscetur, præpotentes patronos inveniet, qui illius partes suscipiant, & qui absque eoquod aliud considerent, se Deo gratum facere existimabunt, illi faventes. Ita si ambitiosus homo sub hujus pietatis colore ad sublimes dignitatum gradus evehi studeat, licet indignus hac fortuna sit; non deerunt illi suffragatores, qui sibi religioni minimè vertent illius ambitioni velificari, & injustis cupiditatibus obsequi. Quare? quia illos fascinavit hypocrisis. Denique homo violentus, & hypocrita sævissimas etiamsi vexationes exerceat, ultionem suam ad extremum usque provehat, atque in his omnibus se devotum simulet; violentia illius excusabitur, apertissimi etiam ejusdem impetus probabuntur, ipsaque innocentia damnabitur. Devotus est, vir bonus est; satis est; namque hypocrisis aliorum imponens simplicitati, illos in injustitiam allicit. *Idem.*

Hypocrita exprobratur.

Itane pietate abuteris, & illam tamquam velum tuæ nequitiæ audes obtendere; pietatis, & religionis exercitium adhibes, ut vitæ tuæ scelera tegas, & criminum tuorum impunitatem a Deo consequaris: quasi posses judicia ejus eludere, atque fictis officiis, affectatoque cultu illius justitiam corrumpere? Deus omnia tui cordis consilia scrutatur; & si virtus tua inanem tantummodo speciem præsefert, detestatur illam: si pietas tua in exterioribus tantùm cæremoniis consistit, eam reprobat; & frustra externum oris habitum componere satagis; si inordinati fuerint affectus tui, fies objectum abominabile in oculis ejus; ac veniet tempus, quo devotioni tuæ detrahens personam, omnes versutias tuas deteget, secreta commercia revelabit, teque æterno opprobrio suffundet. *Ex libro, cui titulus: La vie reglée dans le monde.*

Hypocrita dolosus est, & sycophanta.

In hypocritis non solum veritas, immo neque sinceritas invenitur; non solum dolosi sunt, verum etiam mendaces, Sanctus Augustinus ait, quippe non sunt veri hypocritæ, nisi quod sunt ficti devoti, & *tota eorum substantia mendax est.* Hypocrita, ut ita dicam, homo est in seipso divisus; homo in quo omnia secum pugnant, ac sibi obluctantur. Deum laudat, ut ipse laudetur. Ejus actiones, gestus, mores, habitus, indumenta numquam cum ejusdem intentione consentiunt. Hæc omnia exteriora sanctitatis indicia non aliud erunt, quàm dæmonis vexilla, & exuviæ. *Ex Moralibus Sermonibus. Sermone de Hypocrisi.*

Sæpe simulatur pietas, cum aliunde

Non desunt, qui Deo ob id unum preces effundunt, quod eæ quas mundo effundere possent, opportunæ non sunt; & quædam mulieres se spiri-

tui

Hominibus placere non possumus.

tui vacare simulant, veritæ, ne si adhuc muliebrem mundum amare videantur, sibilis, & cachinnis excipiantur. Deo placere volunt, quia hominibus non possunt amplius placere; vel potius ut hominibus placeant, se Deo placere velle simulant; & sæpe, quæ expectare ulterius non possunt suæ pulchritudinis, & hilaritatis encomia, gaudent pietatem suam, atque precum assiduitatem laudibus celebrari. *Idem*,

Hypocrita in morali quædam est monstri species.

Eccli. 2.

Inter eos, qui cor suum celare contendunt, nemo hypocritis est dissimulatior; hi quippe non homines solum, verùm Deum etiam fallere gestiunt. Hypocrita a Sanctis Patribus homo vocatur duplicem habens faciem, & cor duplex: *Va duplici corde*. Et sane nonne aliam habet in publico faciem, aliam in privato? Nonne habet cor, quo peccato servit, & cor, quo Deo servire videtur? Extitere quidem monstra multiplex habentia caput, & plura brachia, nullum tamen, quod plura haberet corda, Hypocrita, ut ita dicam, est quidam veluti pietatis, & religionis artifex; exteriorem tantummodo pietatis speciem componit, faciem, oculos, manus, gestus quosdam devotos; hæc ea sunt, quæ ab illo fieri possunt. Homo ille, quem ad aras stantem videris, simulacrum est, non cor, neque animam habens; figura est, & Christiani hominis imago. *Ex Manuscripto Sermone*,

Hypocrita furatur Deo.

Isaiæ 42.

Hypocrita non solum Deo, quod debet, minimè tribuit; sed illi etiam, quod ipsius est, suffuratur, auferens eidem gloriam, quæ una illi maximè cordi est. Hominibus omnes fere perfectiones suas Deus communicavit, sapientiam, vim, potentiam; gloriam verò suam nemini tradidit; *Gloriam meam alteri non dabo*. Sed quod Deus alteri dare neque vult, neque potest; hoc ipsi aufert hypocrita. Hypocritæ Deum æmulari volunt, qui omnia fecit ad sui nominis gloriam; illi omnia pro seipsis faciunt; Deo auferunt supremam extremi finis qualitatem; seipsos sibi ultimum constituunt finem; seipsos intuentur, pro seipsis operantur. *Idem*.

Facile est devotum hominem simulare, sed raro inveniuntur, qui verè devoti sint.

Nihil facilius est, quàm devotum hominem simulare, faciem suam ad gravitatem componere, demissis in terram oculis incedere, cum interim cor plenum sit vanitate, insanis cogitationibus, perniciosis, criminosisque desideriis. Nihil facilius est, quam lupinum cor sub ovina pelle contegere, & animam duplicem, remissamque conscientiam sub simplici, arcto, pannosoque tegumento: verbo, nihil facilius, quam hominibus imponere, & religiosa modestia ad aras procumbentes videri; Sed cor mundum habere, atque ab omnibus terrenis affectibus expeditum, mentem, cui persuasum sit de mysteriorum nostrorum dignitate, animam Divinis submissam voluntatibus, atque semet pro amoris proprii eversione sacrificantem, hoc opus, hic labor est. Hoc rarum quidem est, attamen hoc a nobis exigit Deus. *Abbas Trappensis*,

Ejusdem argumenti.

Cum nobis felix hæc evenerit sors eo vivendi sæculo, quo delitescere debet licentia, & virtus imperans dominatur; nihil vulgatius est, quam videre hæc Christianorum phantasmata, quæ gloria aluntur, quæ cupiditate aguntur, quæ omnem pietatis speciem foris præseferunt, & quæ reipsa ne prima quidem habent Christiani hominis rudimenta. Prima Ecclesiæ tempora desideramus, quibus virtutes, insigniaque bona opera floruerunt. Verùm æque hæc nobis suppetunt, ac temporum eorum fidelibus: nequiores etiam alienæ salutis curam præseferunt; quilibet sibi gloriæ vertit, bonorum operum cohortem ducere; ipsa etiam devotio, quam mundus semper persecutus est, nunc tanquam temporis hujus consuetudo probatur. Sed non uti hominibus, ita & Deo sufficit externa species. *P. Cheminais Sermone de Fide*.

Fucatæ hominum virtutes.

Virtutes nihil aliud sunt, quam ambitio, & avaritia variis modis ornatæ, cum non aliis ducuntur rationibus, quam illis, quas mundus suppeditat. Humanarum virtutum fallacia non vocatur amplius in dubium; liquet ipsam integritatem; delicatam esse cupiditatem, liberalitatem ambitionis negotium, gloriam dandi rebus omnibus, quæ dantur anteferentis; modestiam artem vanitatis suæ dissimulandæ; urbanitatem, affectatam aliorum sibimetipsi prælationem, ad tegendam veram prælationem, qua nosmet omnibus anteferimus; pudorem, affectatum earum rerum silentium, quarum cogitatione perfruimur; cupiditatem de aliis benemerendi, secretum desiderium aliquid ex eorum animis delinitis proficiendi; quemadmodum impatientia muneris nostri obeundi, non aliud est, quam ob officia nimis dilata pudor, & verecundia; & omnes generatim virtutes totidem satellites sunt, quibus amor proprius utitur prohibiturus, ne vitia, quæ intrinsecus latent, extrinsecus prodeant. *Ex Anonymo Auctore*.

Hypocrita est homo duplex. Jacobi 1.

Eccli. 2.

Ibidem.

Quid est hypocrita? *Vir duplex animo*: homo duplex cor habens, quorum alterum quidem ostentat, alterum autem abscondit; alterum pro Deo est, alterum pro mundo, alterum pro cœlo, alterum verò pro terra. Homo est duplici, eaque diversa gradiens via, cœlesti quidem in speciem, re autem ipsa, quæ ducit ad inferos: *Ingrediens duas vias*. In hypocrita omnia duplicia sunt, spiritus, cor, manus, cogitationes, actiones; ideoque Dominus æternas contorquet maledictiones in hujus generis homines: *Va duplici corde*. *Essais des Sermons*.

Hypocrita omnibus utitur virtutibus, ut finem suum consequatur.

Hypocrisis omnibus virtutibus ad sua explenda consilia, gloriamque coram hominibus acquirendam abutitur. Temperantia, mortificatio, modestia, vobis utuntur hypocritæ, ut primos in Ecclesia gradus consequantur, ut in foro, & compitis salutentur, & ut aliorum Magistri, Doctoresque vocentur. Hoc JESUS CHRISTUS in Evangelio Pharisæis exprobravit. Severitas, Charitas, vobis utuntur illi, ut in populo distinguantur, atque locupletentur sumptibus eorum, quos pia credulitas in laqueos hypocrisis trahit. *Ibidem*.

Hypocritæ cæcitas, non videntis Deum a se falli non posse.

Hypocrita hominibus tantùm placere quærit, quorum existimatione, nec melior fit, nec beatior; negligit verò judicia Dei, qui unus illius perfectionem, & beatitudinem potest constituere. Licet hypocritæ e voto contingeret, ut omnes homines, & se ipsum quoque falleret, numquid Deum quoque fallere posset, qui, ut Sanctus Paulus ait, scrutari novit animam in abditissimis etiam proprii amoris recessibus delitescentem; qui densissima etiam velamenta penetrare, obscurissimasque tenebras scit illuminare? Nulla inveniri potest larva, qua recti non agnoscamur a Deo. Nullus adeo secretus est conscientiæ sinus, quo Dei oculus non pervadat; quid verò mihi proderit mortales omnes, ac memetipsum decipere, nisi Deum quoque fefellero? *P. Nepueu in Considerationibus, Tomo 3.*

Hypocrita omnem habet virtutis laborem, ejusque merito caret.

Hypocrita videri vult, quod non est, ut laboribus parcat, qui necessarii sunt ad hoc, ut quod esse debet, evadat. Virtutem quidem honorat, quia illam se in pretio habere simulat, cupiens videri eadem ornatus; sed seipsum dedecorat virtutis specie contentus, laboremque respuens, qui ad eam verè assequendam est necessarius, Itaque sæpe omnem virtutis laborem sentit, quin illius merita assequatur, atque ita dupliciter miser est. Qui flagitiosè vivens aliis scandalum affert, plurimum quidem aliis officit exemplo; sed hypocrita aliis quidem est utilis, quos ædificat, illos decipiens, & uni officit sibi; attamen hypocritæ minus, quàm flagitioso homini parcimus. *Idem*.

Hypocrita se diu celare non potest, ut eandem non agere fatear.

Hypocritæ non semper e voto cedit, ut homines fallat. Quàm difficile est fallere tot oculos adeo improbos, & perspicaces, qui nos undique inspiciunt! Versutia sibi semper constare non potest; non semper eamdem agere personam possumus; atque operosum est semper æque eas gerere

partes,

partes, quas simulamus. Oportet jugiter nobismetipsis cavere non solum ab iis, a quibus observamur, verum etiam ab ipsis quoque studiis, & affectibus nostris. Quidquid naturale non est, violentum est, & nihil violentum durabile. Pauci sunt hypocritæ, qui semper sint felices; magnum eorum esset malum, si semper felices essent; tunc enim malum ipsorum omni careret medicina. Pudor, qui detectam excipit hypocrisim, manifestus est, sed utilis; prohibet enim, ne malum sit incurabile: attamen perratò contingit, ut hypocritam pœnitentiam agere videamus. *Idem*.

Hypocritarum vitia. Hi in speciem quidem devoti sunt, ac religiosi, sed re politicam tantùm devotionem, & affectatam Religionem habentes, ut melius cupiditatibus suis satisfaciant: homines, qui sub umbra virtutum, quibus carent, novam sibi vitiorum viam sterunt, per quam ambulant; qui pietatis imitationem in quæstu ponentes gloriam bonis debitam colligere student, quin ejusdem austeritatem experiantur, homines, qui, ut inquit Hugo a Sancto Victore, decussatis brachiis in crucis imaginem prodeunt, & nihil magis oderunt, quàm crucem: qui mundo virtutis ad libidinem suam conformatæ speciem ostentantes, idola simul, & idololatræ sibi metipsis complacent, & oblectantur. Orant? orant, ut videantur. Eleemosynas erogant? erogant, ut laudentur. Jejunant? jejunant, ut austeri, & mortificati credantur. Loquuntur? loquuntur, ut plausus sibi concilient. Monent? monent, ut se necessarios ostendant, & dominentur. Oblatas sibi laudes rejiciunt? rejiciunt majores referendi aviditate compulsi. Licet iracundi sint, norunt suavitatem præseferre, & cum bittam habeant pellem Esau, mollem, modestamque vocem Jacob norunt simulare. *Ex Morali Dictionario, Sermone de Hypocrisi*.

Quomodo hypocrisis a Sanctis Patribus describatur. Tale est, ex Sanctorum Patrum sententia, hypocritæ ingenium. Fucatum habens cor, mulieris instar, placere studentis, & genas suas sibio inficientis, quærit fœditatis suæ jacturam fictitia pulchritudine reparare, ut Sanctus Gregorius Nazianzenus ait. Scitus bysttio in mundi scenam prodit exoticis ornatibus, & persona, Sanctos Basilius addit. Si illum inspicias, os habet, indumentaque regis; at postquam cantor, plaudite, cecinit, & fabula jam acta est, ignavum, abjectumque hominem invenis. Hominum oculis, censuræque expositus, os, habitumque componit; sed redit ad ingenium statim ac se a nemine videri putat. In Templo devotus, & mortificatus; domi impudicus, & impius; ad Confessarii pedes humilis, suumque pectus percutiens; cum familia superbus, inexorabilis, acer; foris, quidem salvatur, intus verò damnatur: eò nequior, quò melior videri vult, & eo abominabilior, quia dæmoni eum desert honorem, qui Deo uni esset deferendus, Gerson ait. *Idem*.

Virus hypocrisis virtutes omnes corrumpit. Quid sanctius oratione, quæ Deum flectit, jejunio, quod illi eripit fulmina, eleemosyna, quæ illum reddit propitium? Sed quid inutilius? quid immo perniciosius earum rerum abusu, qui ab hypocrita fit ob inordinatum finem, quem ille sibi proponit, jejunandi, ut mortificatus videatur, orandi, ut laudibus celebretur, eleemosynas erogandi, ut misericors, & liberalis habeatur? Tale nihilominus est feterum illud virus, & occulta pestis, quæ generatim in omne virtutum corpus se effundit, ut illas corrumpat. Talis est, ut Sancti Basilii verbis utar, fur hic nimis acceptus, qui omnes spirituales divitias nobis suffuratur. *Idem*.

Secreta crimina, quæ ab hypocritis committuntur. Fidei videri posset congruum omnem hypocritarum nequitiam in inani, sacrilegaque ostentatione subsistere, eumque amor gloriæ acerrimus sit, qui in ipsis dominetur, affectus, Deum unum ab illis offendi. Verùm cum ex iteratis maledictionibus, quibus Salvator illos percutit, liqueat, sub prolixarum precum prætextu, quibus fictam devotorum hominum speciem acquirunt, domos, & bona viduarum diripere, atque ut ex muneribus Templo oblatis quæstum percipiant, filiis ingratam, barbaramque sævitiam in parentes ipsorum inspirare; cum dicat illis: Væ vobis, Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulcra Prophetarum, & qui æquè nocentes estis ac illi, qui occiderant illos: Cum illos, inquam, ita corripiat, crimen istud spectare incipimus tamquam civili societati perniciosissimum, quo homines improbissimis artibus decipiuntur, ac diripiuntur; & tamquam originem virulentam nequitiæ, violentiæ, obtrectationum, injustitiarum, odiorum, & ultionum. *Idem*.

Alius hypocritæ character. Si hunc hypocritam vides, si audis, ingenuus, simplex, sincerus tibi videbitur, atque illi te satis fidere posse existimabis; sed si propius illud intueatis, videbis officiosam hanc simplicitatem viam esse magis idoneam ad id, quod sibi proposuit assequendum: eumque invenies dissimulatum, inconstantem, callidum, improbum, & teterrimis proditionibus, nequissimisque criminibus parem. Ostentat ille quidem extrinsecus oris habitum ad sinceritatem compositum, & quem ad simplicitatem maximè conformare conatur; ad hæc adhibet officiosum vocis sonum, atque actiones, quæ ad hominum gratiam captandam magis appositæ videntur; facies ejus aperta, ingenui mores te facile in errorem inducunt; illum talem esse putas, sed falleris. Aperi, aperi oculos tuos, ut cor illius intueatis; ibique videbis fontem invidiæ, improbitatis, sævitiæ in fratres suos, in quorum oculis suam nequitiam dissimulat.

Ejusdem argumenti. Videsne hunc pseudo-devotum, qui sub charitatis specie contra ipsa prima charitatis principia delinquit? Largas erogat eleemosynas; pauperum, captivorumque suscipit causas; at scias occultum esse furem, domesticorum suorum mercedem retinere; horrea frugibus, cellasque vinariis mero complere, ut immodico pretio merces has distrahens locupletetur; artificibus pactam laboris mercedem differre, non sine ingenti quæstu pecuniam in fœnore collocare, & iteratis usuris emergere eos, qui fortem persolvendo non sunt. Vides hanc mulierem, quæ cum severitate minora aliarum corripit vitia, quæ de generali morum corruptela conqueritur; hanc audis callidè obloqui, & acutis irrisionibus Religiosos, & Sacerdotes discerpere? Querulis vocibus, & quadam charitatis demonstratione iniquam, quæ de ipsa haberi posset, opinionem præoccupans sub fictæ justitiæ integumento acerrimam detractionem abscondit.... Videsne illum, qui pauperibus pro virili solatium opemque procurare videtur? Sed præterquamquod nihil illis de proprio penu depromit, non exiguam eleemosynarum operæ sua conquisitarum sibi vendicat partem.... Numquam finem mea inveniret oratio si susiùs ista persequi vellem; sed verissimum tamen est, hypocrisim ex peccatis omnibus illud esse, ubi sub specie proximum diligendi plures gravioresque in illum committuntur injustitiæ. *Idem*.

Quam difficile sit hominem nosse. Nihil humano corde magis occultum, ambiguum, ac impenetrabile est. Quod extrinsecus patet, nihil ferme simile habet cum iis, quæ intrinsecus latent. Videtur quidem machinæ motus, sed illius non videntur machinamenta; verba, & actiones afficiunt sensus, sed cætera in occultioribus animæ recessibus delitescunt. Ibi illud habetur consilium, quod Scriptura *Consilium cordis* appellat; (1. ad Cor. 4.) ibi latet *homo absconditus*, quem nemo alius cognoscere potest: modò hoc, modò aliud objectum sequitur; Illius quidem apparet mobilitas, & ciet stuporem, sed quis novit spiritum, unde procedat? Quis illius vias, & cogitationes serutatur? quis verè affirmare potest, utrum ille in sermonibus verax, & in actionibus sincerus sit, an sit hypocrita? *Idem, Sermone* 2.

Quinam dici possint hypocritæ. Hoc nomine illos appello, qui nostris hisce diebus in publica invehuntur flagitia, cum interim ipsi privatim sint flagitiosiores; qui severam tantummodo

modo morum disciplinam loquuntur, & libidinosissimam vitam vivunt; qui palam Deum venerantur, & clam diabolo serviunt; qui ut S. Hieronymus ait, caput quidem Catonis habent, cor verò Neronis. Hoc nomine illos appello, qui ambigui sunt, & incomprehensibiles, qui callidissimos fœnorum, ac simoniarum sinus detegere norunt, & qui ubi sese obtulerit occasio, religioni sibi minime vertunt obliquis, & fortasse nequioribus, quàm quas damnant, viis bona, vel Beneficia comparare. Eorum conversationes suavissimæ sunt, Doctrina autem virulenta, ut ait Sanctus Bernardus. Animarum sanguinem sitientes illas corrumpunt, eisque sermonibus suis teterrimum afflant contagionem; extrinsecus Dei ministerio tamquam Angeli vacantes, intus verò tamquam Lucifer superbiæ, atque invidiæ mancipia. Quibusnam illos comparabo? Dicamne cum S. Thoma, eos similes esse fructibus Sodomorum, extrinsecus quidem speciosis, at nullum intus gustum, nullamque suavitatem habentibus? Dicamne cum S. Bernardo homines esse a semet prorsus diversos, intus quidem Herodi, extra verò Joanni Baptistæ similes; semper æquivocos, & sycophantas? Hanc ille nobis adstruit ideam insignis hypocritæ. *Homo sibi dissimilis; intus Herodes, foris Joannes, totus ambiguus.* JESUS CHRISTUS illos dealbatis comparat sepulchris, quorum exterior species venusta, atque magnifica nitet, interior verò pars tabo diffluit, atque putredine. In facie Evangelicæ severitatis deferunt notas; in cordibus verò nihil nisi inordinatum voluptatum amorem. *Idem.*

Hypocrita virtute abutitur ad ipsam virtutem evertendam.

Hypocrita virtute contra ipsam utitur virtutem, Domo Domini, & ministerio, quo ibi persungitur, ad eam dedecorandam abutitur. Ecclesiasticus ille, qui Beneficium appetit, quid intentatum relinquit, ut illud assequatur? Divinis Officiis assiduus sine attentione; vanitatis ergo mortificatus, ob utilitatem Apostolus, propter dolorem solitarius, avaritiæ causa sobrius, mortalibus omnibus imponit. Omnes illi favent, omnes illi student gratificari; hypocrisis velum est, quo ipse contegitur. Dices illum hominem esse pium, bonum, integerrimum; Deus verò per Prophetam suum dicit, furem esse, cujus latibulum Templum est. Furem, si non vocatus Domum Domini ingreditur; furem si ea Altari lucrum percipiens, Altari non servit; furem, si gloriam, quæ pertinet ad Deum, in se unum convertit. *Idem.*

Infiniti sunt in variis hypocritæ.

Quantum hypocrisis, & dissimulationis in variis vitæ statibus invenitur? Quot mulieres, quæ ideo modestæ sunt, ne malè audiant inter homines? Si se in officio continent, id agunt, quia mundo auferre volunt cognitionem amorum suorum, ut affectatum virtutum bonum odorem tueantur. Æquivoca pati verba non possunt, quomodo ferrent obscœna? Diligentissimæ sunt in iis, quæ pudori suo maculam possunt offundere, quomodo paterentur, ut aliquis quidquam in ipsas palam minus decorum auderet? *Idem.*

Hypocritæ sæpius irridentur, cum se laudari putant.

Sæpe seipsos fallunt hypocritæ, cum se alios fallere putant; pro fictis virtutibus fictæ laudes eisdem tribuuntur; atque vicissim ab iis illuduntur, quos illudunt. Illud verò multo magis & mentis evagationem, & cordis eorum corruptionem ostendit, quod æquo animo accipiunt encomia, quæ sibi adulatio vel palpans, vel irridens tribuit. Sibi persuadent virtutem inesse sibi, cum alios hoc dicere audiunt; conductitiæ, ac malè collatæ laudes pro illis tituli sunt legitimi; seipsos in irridentium oculis, & ore inquirunt; extra se rapti inanis amoris cupiditate, intereunt se inquirentes ubi non sunt, quin in eum locum descendant, ubi verè se possent invenire, hoc est, in cor suum. Quin se interrogent, quid sint, seipsos ad conscientiæ suæ tribunal accersentes, quærunt, quid de se dicatur, quænam sit aliorum sententia, quasi aliena existimatio posset illis veram, realemque virtutem tribuere, Sanctus Hieronymus inquit. *Idem.*

Hypocrisis omne bonorum operum merita amittit.

Hæc hypocrisis, quæ accepta sibi tantum inquirit testimonia, illa charo sibi comparat pretio. Pro fragili existimatione, suam requiem, suaque abnegat commoda; & gravissima, ac molestissima opera aggreditur. Quot eleemosynæ ob jactantiam erogatæ! Quot preces ad ostentationem productæ! Quot officii protestationes, atque humiliationes ob humanas rationes institutæ? Hæc omnia interierunt, nisi dicere velis, hæc a Deo quæsitum iri, ut damnetur hypocrita, atque ut mortalium omnium oculis illius turpitudo detegatur; ut dicant; ecce homo ille, quem adeo sanctum existimabamus. Qui sibi plaudebat propter mensæ frugalitatem, commercii fidelitatem, constantiam resistendi tentationibus, zelum pro morum reformatione, se longe observasse intelliget, cum conscientia illum exprobrabit, se pro hominibus, non autem pro Deo hæc omnia præstitisse. *Idem.*

Discrimina inter veras, fictasque virtutes.

Si nosse cupis discrimen quod inter hypocritam, verumque justum, fictitias, solidasque virtutes, humanas, christianasque actiones intercedit, en tibi aliquot notæ. Humana virtus quærit testes, a quibus laudetur, atque minus esse studet, quàm videri: Virtus autem vera latere cupit, satis contenta oculis Dei, & conscientiæ suæ testimonio. Humana virtus plena est arrogantiæ; nullus casus est, quem se laturam non putet, nullum obstaculum, quod se non superaturam existimet: vera virtus e contra propriis diffidit viribus; numquam eas occasiones quærit, in quibus objectorum adspectus tanta vi affectus ciet, ut sæpe vincatur. Humana virtus superba est, ambitiosa, omnes despiciens; nescit illa quid sit cedere, submitti, obedire; non nisi cum indignatione eos patitur, in quibus nulla invenit merita; improba censura alios notat, quibus plurima inesse dicuntur bona, ac in se cogitationum convertens sibi plaudit rata aliquid singulare in se enitescere, quo inter omnes maxime effulgeat. Vera virtus est humilis, submissa, gaudens se ab aliis superari. Si aliqua utendum est severitate, hac in semet utitur; si indulgentia, hac utitur in alios. Humana virtus cupida est; utilitas maximum est actionum ejus principium, itaut si neque substantiæ conquirendæ sunt, nec gloria comparanda, neque existimatio tuenda, ubi secreta hac non impellatur causa, iners sit, & otiosa. Vera virtus hominem efficit rebus in omnibus integerrimum, tam in nominis sui existimatione, quàm in bonorum possessione; sive ab aliis contemnatur, sive laudibus celebretur, numquam movetur. Ut verbo me expediam; Humana virtus clara est per superbiam, constans per pertinaciam, liberalis per ostentationem, honesta per cupiditatem, suavis, & affabilis per calliditatem, humilis etiam per amoris proprii exquisitissimam artem. Illius justitia in austeritatem, fortitudo in violentiam, constantia in obstinationem, flexibilitas in mobilitatem, prudentia in versutiam, sapientia tandem in hypocrisim degenerat. Omnes istæ virtutes fictæ, & ad homines decipiendos appositæ, cum Deum pro objecto non habeant, similes sunt inanibus titulis, quibus Principes quidam viri gloriantur, qui prædiis, agrisque divenditis, eorum tamen titulos, atque stemmata deferunt. Homines isti, qui adeo generosi, fideles, affabiles, patientes, honesti, sincerique creduntur, similes sunt magnificis mausolæis, in quibus omnium virtutum simulacra nitent exteriùs, interius verò nihil nisi pus, tabumque invenitur.

Hypocritarum mores.

Hypocritæ in exteriori specie suam constituunt pietatem; obstipo capite, demissisque in terram oculis incedunt, suspiria emittunt, manus jungunt, transcendentibus tantum terminis loquuntur: aliorum mores contemnunt; eleemosynas palam faciunt, ut Pharisæi, xenodochia invisunt, & hac de re gloriantur: sed ubi illos coegeris solidas exercere virtutes, interiores, & humiliantes, irascuntur, & rudes, imperitosque eos vocant, qui hac

via

via illos deducere velint. Hypocrisis nota. *Ex Auctore Anonymo recentiore.*

Cur Dei Filius ita in Pharisæos fuerit invectus.

Quid inter Judæos in speciem quidem sanctius erat, quàm Pharisæi? Attamen Dei Filius eos ferre non potuit. Hic homo Deus sapiens, & prudens majorem zelum ostendit contra affectam Pharisæorum severitatem, quàm contra Publicanos, fornicatores, perditasque mulieres. Eheu, fratres! S. Bernardus ait, quid Pharisæis deerat, quid immo illis non deerat? Umbram pro corpore accipiebant; austeros sese ostendebant, ut locupletes fierent, ut fortunas suas augerent, ut quamdam dominationis speciem exercerent in populum, præsertim verò in viduas eorum fucata sanctitate deceptas: *Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, quia comeditis domos viduarum* &c. Hæc sunt capita, quæ fusiùs Dei Filius prosecutus est, nihil enim institutis suis magis, quàm hic cupiditatis, & avaritiæ spiritus adversabatur. Si ergo contingeret, ut nos quoque eadem sequeremur vestigia, & in Christiana Religione Pharisæorum hypocrisim imitaremur, quemadmodum S. Paulus Timotheum Discipulum suum admonebat, fore tempus, quo inter fideles fallax hæc regnaret pietas, & existimaretur Religio lucrum esse: *Existimantes quæstum esse pietatem....* Hoc profectò esset rerum ideas perturbare, ac sententiam fovere sententiæ Salvatoris contrariam, qui non ex hoc fideles sectatores suos agnoscit. *Desumptum ex Sermone de vera pietate, sub nomine P. Bourdaloue edito.*

1. ad Tim. 6.

Ejusdem argumenti.

Pharisæi, quemadmodum testatur Evangelium, otis habitum mortificatum habebant, legum observantiæ ad unguem se hærere ostentabant, atque huic rei innixi secretam meritorum suorum existimationem fovebant. Hac de causa se ipsos perfectos, atque irreprehensibiles putabant, *& in se confidebant tamquam justi.* Itaque cum se cæteris perfectiores existimarent, alios despiciebant: *Et aspernabantur cæteros.* In pietatis exercitiis ideo jejunabant, ut jejunasse viderentur, itaque ad maciem suum vultum redigebant, ut in se decepti populi ora, admirationemque converterent: *Exterminant facies suas, ut appareant hominibus jejunantes.* Sub austeræ vitæ prætextu dominationem in animos affectabant, & sine aliis titulis, quàm adfectatæ sanctitatis, credebant sibi jure deberi primos accubitus in conviviis, primosque gradus in cœtibus. *Amant primos accubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis.* Hi sunt colores fictæ pietatis, & hypocrisis, quibus Salvator eos nobis describit. *Idem.*

Luc. 18.

Matth. 6.

Adfectatio, & singularitas hypocrisis nota.

Volunt Christianæ Religionia exercere virtutes, earumque honorem, & laudem referre; nolunt in turba contineri; sed nitere student, atque inter cæteros eminere. Undenam hoc fit, ut rebus in omnibus diligant singularitatem? Quia hoc proprium habet, quod ciet admirationem quæ est vanitatis illecebra; si quid singulare est, hoc assequi adnituntur; & contra quod facere consuevit S. Augustinus, qui conversionem meditatus, id unum quæsivit quomodo illam hominum oculis auferret, ne mortales crederent, ipsum voluisse nequam videri, ut virtute sua mox majorem conciliaret admirationem; in ipsa pœnitentia quemdam nitorem, qui oculos perstringit, affectant. Satis est mortificationem, atque pietatem præseferre, ut eam usurpent superioritatem, quam neque Deus, neque homines deferunt; namque post hæc fiunt totius mundi censores; seipsos, ut olim Pharisæi, dignos reputant, qui primos Ecclesiæ, atque Reipublicæ gradus obtineant; illis sine ulla religione sese immiscent, & quod magis perniciosum est, sub specie pietatis dominari volunt, & hi sensus degenerant in ambitionem ea nocentiorem, quam Dei Filius Pharisæis exprobrabat. *Idem.*

Hypocritis accensendi sunt qui in minimis religiosi sunt, in majoribus vero negligentes.

Hujus generis homines religioni sibi maximè vertunt nugas, cum interim ea, quæ majoris momenti sunt, flocci faciant: *Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum? non enim lavant manus.* Videtisne, Pharisæos ingentis noxæ loco habere illotis manibus manducare? At noxa vacare putant manus habere alienis bonis sordescentes, quæ sub pietatis prætextu sacrilegè rapiunt, quemadmodum illis exprobrat JESUS CHRISTUS: *Comeditis domos viduarum, orationes longas orantes....* Deficere in statis precibus, quæ quotidie recitantur; cum festivitas quædam devotioni adest, ad Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta non accedere, secundum nobilis Matronæ instituta, grave scelus esset; sed in necessariis suæ conditionis muneribus, & in ea deficere cura, quam filiorum, familiæque suæ gerere tenetur, qua pacem, unanimemque consensum, ac Dei metum domi suæ debet fovere, & utiliter tempus impendere, quin meliorem diei partem vel aleæ, vel fatuis oblectatiunculis, vel obtrectationi, aut vanitati, impendat; hoc illi negotium nequaquam facessit. Pro earum pietatis exercitationum observantia, quas sibimet irrogant, summam præseferunt religionem, ac se scrupulo tangi testantur; Odio, ultione, calumnia, in proprio sensu pertinacia se ne moveri quidem ostendunt, atque suam impenetrabilem conscientiæ duritiem produnt. *Maimbourg Sermone pro feria 4. post quartam Quadragesimæ Dominicam.*

Matth. 23.

Ex aliquot defectibus, qui in alicujus moribus deprehenduntur, hic esse hypocrita censendus non est.

Scitissimi etiam confessarii cum iis luminibus omnibus, quæ ex auditis confessionibus percipiunt, sæpe veram a falsa pietate vix norunt; vos autem de re adeo difficili judicium ferre posse arbitramini ex iis conjecturis, quæ sæpe in mente tantum vestra subsistunt, & quas vestra sola improbitas roborat? Ad unum mundi Salvatorem spectabat Pharisæos hypocrisis nomine insimulare, quippe qui secretissimas eorum cogitationes scrutabatur; vos autem, qui pleni estis spiritu, atque institutis mundi hujus, qui excæcati amore quidem proprio, ne vosmetipsos agnoscatis, improba verò invidia, ne bonas aliorum actiones, uti par est, existimetis, credere potestis, tantum cognitionis, atque integritatis inesse vobis, quantum opus est, ne in re adeo delicata decipiamini? Ideo inexcusabiles estis vos omnes, qui alterum judicatis, Sanctus Paulus ait; quia damnantes alios vosmetipsos damnatis. *Essais de Sermons pro Dominica quinta post Epiphaniam.*

Ex suggestu caute loquendum de hypocrisi.

Argumentum hoc cantiùs a Concionatoribus est pertractandum; ubi enim hypocrisis, ut alia vitia describantur, periculum est, ne Auditores fallantur, aut seipsos fallere velint, ea, quæ audientur, applicantes; & ne, ubi hypocrisim oppugnare conaris, vel licentiæ prætextus suppedites; vel infirmis animabus, scandali causam tribuas. Devota mulier pertinax, & amoris proprii plena, quin seipsam in suorum scelerum imagine agnoscat, ea tantùm videbit, quæ phantasia, vel prava ejusdem indoles ipsi exhibebunt; atque libidinem, livoremque suum pro zelo, & charitate assumens, falsam testabitur miserationem pro iis infirmitatibus, quibus ipsa affluenter abundat. Nihil vulgatius est quàm videre mortales adhuc spiritu hujus mundi plenos, & prima tantùm, ut ita dicam, virtutis habentes rudimenta: Nihil, inquam, vulgatius est, quàm hujus viæ homines audire loquentes, perinde ac summum spiritalis perfectionis apicem attigissent, existimationem, vel contemptum, quibus aliena facta prosequuntur, regere juxta illud discrimen, aut conformitatem, quæ inter se, aliosque intercedunt; & quasi ipsi veræ perfectionis essent exemplar, eas omnes damnare pietatis exercitationes, quæ a devotionis suæ charactere recedunt. *Ibidem.*

Neur hypocritas repellit, neque eis parci potest.

Quænam (Auditores) eorum est Religio, qui virtutis speciem tantùm, numquam verò illius habent veritatem? Qui cor impium gerunt, labia autem religiosa? Qui sua reformant indumenta, & numquam vitia castigant? Dei Filius se respuere testatur dissimulatas hasce Religiones, hos cultores hypocritas, iis meteoris similes, quæ syderibus ipsius nitidius fulgent, licet non aliud sint,

quàm

quàm vapores ſuccenſi, & plerumque grave aliquod malum portendant. Sinceros amat adoratores, qui majorem adhuc in corde, quam facie, manibuſque pietatem habeant. *Auctor Sermonum Christianorum, Sermone de Hypocriſi.*

Hypocriſis eſt idololatriæ ſpecies.

Verus Deus non eſt, niſi Deus labiorum hypocritæ; ſed voluptas ejus Deus eſt ventris illius, ut inquit Apoſtolus. Verus Deus eſt tantummodo Deus linguæ ipſius. Mundus, vanitas, divitiæ, ſunt cordis illius Dii, & idola. Ob hanc idololatriæ ſpeciem abjecit Deus omnia populi ſui ſacrificia tamquam neſaria, & abominabilia. Hoc ille teſtatus eſt per Iſaiam Prophetam: Audite Principes Sodomorum, & vos populi Gomorrhæ, quid mihi cum hac victimarum copia, quas mihi offertis? Auferte ab oculis meis malum cogitationum veſtrarum; ac malè operari deſinite. Hic omnis ſermo ad Judæos ſpectat, eoque videtur Salvator omnia eorum rejicere ſacrificia, eaque damnare, non quod idolis offerrentur; ſed quia tamquam idololatræ offerebant illa corrupto corde, manibuſque crudelibus, & plenis ſanguine. Deus igitur eorum ſolemnitates, victimas, & ſacrificia rejiciens hoc unum cogitabat, videlicet, hunc illis errorem auferre, quo ſe religioſos exiſtimabant, dummodo religionis ſpeciem præſeferrent, atque extrinſecus omnem ſervarent ordinem, qui de ſacrificiis offerendis præcipiebatur in lege, quantumvis cor improbum eſſet, atque nefarium. Hac autem ſeveritate docere volebat, illos improbos hypocritas eſſe, quibus ſatis erat, ſi pii viderentur ſacrificatores, thura adolentes anima flagitiis omnibus coinquinata; neque ſatis dici poteſt, quanta indignatione cultum hujuſmodi reſpexerit, quem ſæpe abominabilem vocat. *Idem.*

Hypocritæ dignoſci nequeunt niſi ex oppoſitione verborum, & actionũ.

Hiſtriones ſunt, cujus nitor omnis theatricus eſt; qui alienas ludunt perſonas, ac ſecum fictitias deferunt larvas cujuſlibet generis virtutum, quibus ſe contegant pro variis, quæ ſeſe obtulerint, occaſionibus. Cumque longè magis occupati ſint faciei componendæ, quàm affectuum ſuorum perturbationi reformandæ; ut cognoſcantur, intentionum ſuarum veritas ſemper inquirenda eſt in verborum ſuorum contradictione; atque videndum, quomodo ea, quæ dicunt, iis, quæ faciunt, adverſantur: *Dicunt, & non faciunt. Idem.*

Matth. 23.

Hypocriſis artem nacta eſt virtutem & vitium in eodem ſubjecto conciliandi.

Hæc hypocriſis in ſæcularium pietate maximè patet, qui artem nacti ſunt, qua & mundani ſimul, & devoti eſſe poſſunt; quibus mirum non videtur, quod ſœnerator juſtus ſit; avarus crudelis, nihil aliis erogans, & utraque manu rapiens omnia, charitatis amator vocetur; ſuperbus, qui ambitioni ſuæ nullos terminos circumſcribit, humilis adorator habeatur; voluptuoſus, & impudicus, qui id unum cogitat, quomodo ſuis pateat affectibus, cenſeatur homo ſuorum votorum, affectionumque moderator. Hoc peperit hypocriſis, quæ in id unum tendit, ut novos efficiat phariſæos. *Idem.*

Occulta hypocritarum flagitia.

Auſteri ſuopte ingenio, atque ob triſtitiam potiùs, quàm virtutem ſcrupuloſi ſcelus eſſe putant innocuam animi remiſſionem, ac meritum alios per ſuperbiam, ambitionem, affectatos contemptus, meditataſque calumnias opprimere. Jejunando ſua exſiccant oſſa, ſed ſub corpore macie confecto ambitioſum ſpiritum, ſuperbamque animam gerunt. Seſe ſacco, & cinere operiunt, ſed ſub veſtium ſordibus latet cor, cujus ambitio purpuram ipſam excedit. Ovina pelle teguntur, ſed ut meliùs ſuam celent crudelitatem, & nequitiam, quæ ad finem, utilitatemque ſuam ſpectat. Quot ſunt id genus hypocritæ (Sanctus Bernardus ait) qui poſtquam mundum acti deſperatione reliquerunt, quia ibi inglorii vixiſſent, omnibus iis vacui meritis, quibus honor debetur, ſeſe in humilitatis ſcholam conjiciunt, ibi dignitates appetituri, ubi illæ a reliquis contemnuntur? Poſtquam domi ſuæ ignobiles, atque contemptibiles vixere, ſolitudinem petunt, ubi de honore ſunt adeo ſolliciti, ac ſi eam ſibi elegiſſent vivendi rationem, & ubi omnia ambitioni ſuæ eſſent ceſſura. *Idem.*

Hypocriſis nota.

Haud ægrè cognoſcimus, nos ſæpe Deo mortuos eſſe, cum videmur vivere creaturis; ſæpe in ea, quam profitemur Religione, nihil aliud ſumus quàm ſpectrum, atque phantaſma; & corpus vivens (ut Sanctus Chryſologus ait) ſæpe non aliud eſt, quam ornamentum funebre ejus animæ, quæ reipſa mortua eſt: *Fit in corpore vivo funus animæ jam ſepultæ ...* Juſtum eſt quibuſdam in occaſionibus, in aliis autem injuſtum; id eligere, quod hominum exiſtimationem promereri poteſt, & obſcura, objectaque officia negligere; quibuſdam in operibus honeſtum ſibi finem proponere, in reliquis verò ſeipſum inquirere, hoc eſt, ſe ex una tantum parte celare; vel dicam melius tectum videri, & non eſſe: hoc eſt, ſub virtutis ſpecie callidam ambitionem veramque injuſtitiam tegere, & in morali id facere, quod in commercio pecuniarum adulteratores, qui ut nummos a ſe confictos diſtrahant, aureo, argenteove illos illinunt folio, atque Principis imagine notant. *Ex Moralibus Sermonibus.*

Hypocriſis ſæpe eſt impietas.

Bona opera facere, ut merces humana referatur non eſt hypocriſis, ſed impietas. Opus illud, quo cœlum potes lucrari, impendis, ut fragilem exiſtimationem, inanem gloriam, contemptibilem, atque irridendam utilitatem aſſequaris, nonne hoc eſt cœlum nullo in pretio habere? Nonne hoc eſt dedecorare fidem? Nonne hoc eſt Deum ipſum contemnere? Sancti quidem ſe beatos putant, cum chriſtianè operari poſſunt ad gloriam promerendam; tu verò Chriſtianus videri vis, ut illam amittas: *Pro bonis operibus ſperas tibi terrenam quamdam felicitatem: impius es; non eſt iſta merces fidei. Liber, qui inſcribitur: Remarques ſur divers ſujets de Religion, & de morale. Tome ſecunde.*

Scribarum & Phariſæorum hypocriſis.

Hi homines erant ad pietatis ſpeciem compoſiti, qui ante cætera legem ad litteræ apicem ſe obſervare gloriabantur; ſed qui cæteroquin ingenti ſuiipſius æſtimatione repleti, atque ſuis præoccupati meritis, oſtentabant quidquid in ipſis videbatur bonum, ſeipſos reſpiciebant, atque ſecreta oblectatione perfundebantur, cum ab aliis tamquam perfecti, atque irreprehenſibiles haberentur. *Qui in ſe confidebant, tamquam juſti.* Hinc ſe jure univerſum genus humanum contemnere poſſe putabant, ipſi quidem ſanctitate, & perfectione vacui, aliorum vero virtutem indignè ferentes: *Et aſpernabantur ceteros. P. Bourdalove in veris ſermonibus. Sermone de Severitate Evangelica.*

Sors hypocritarum infelix, quæ omnes ſimul bonorum, malorumque pœnas patiuntur.

Hypocriſis monſtroſa congeries eſt dolorum improborum omnium, qui in cupiditate vivunt, & bonorum, qui legis jugum, chriſtianæque auſteritatis deferunt pondus. Similes flagitioſis hominibus, pati debent omnes cordis ſui affectiones, deſideria, quæ ambitio producit, timores, quos ultionis excitat amor, metum, ne ſibi auferatur perſona, ardentem divitiarum ſitim, qua uruntur, & cupiditates magis adhuc improbas, quæ ſemper & diſſimulandæ ſunt, & explendæ. Sed his laboribus cupiditatis adjiciunt quoque chriſtianæ auſteritatis labores; procul abſunt ab iis voluptatibus, quæ innoteſcunt; ſæpius ad aras provoluti videntur majoribus ſeipſos cruciatibus torquentes, quàm quos homines verè boni, auſterique patiuntur. Domi etiam ſeveritatem oſtentant, & voluptates ſuas eorum omnium oculis abſcondere ſatagunt, qui non iiſdem myſteriis ſunt initiati. *Sermo Manuſcriptus P. Franciſci Catron.*

Inutilis hypocritarum labor.

Qui ſuæ ſervit ſuperbiæ, vultne gloriam aucupari ſanctitatis adfectatis hypocritæ pietatis exercitiis, eoſque mereri plauſus, quibus indignus eſt? Oportet, ut indeſinenter ſeipſum cogat, atque diſſimulet; invitus intra ſe ſuas paſſiones contineat, nihil de iis dicat, quæ cogitat; ac ſibi negotium faceſſere non ſinat, ea quæ dicuntur. Quàm difficile eſt diu falſam ferre perſonam, velle bonum

videri, cum te nequam esse cognoscis; atque mendacium ore præferre, cum licet invitus veritatem geris in corde. *Flechier, in Sermone habito dum sanctimonialis quædam Religionis habitu indueretur.*

Ficta pietas, & vera hypocrisis.

Ficta virtus ita callidè veram imitatur, ut facillimum sit decipi: dissimulationem, atque personam facili negotio amor proprius assumit. Oris, vocisque habitus ad pietatem compositus nequaquam semper ab affectibus inordinatis abhorret. Ingenium numquam sua abjicit jura, & sæpe redit in scœnam. Dicis te totum Dei esse velle, at totus es mundi, totus cupiditatum tuarum, totus tuimetipsius; gustus, vel ut melius dicam libido regit quædam intervalla pietatis. Arbitratus exercitia, quæ tibi maximè arrident, sancta esse, & meritoria alacriter, ne cupidè dicam ea facis, quæ ad moralium virtutum pertinent exercitia. Interim humilitas, charitas, spiritus mortificationis, purum, sincerumque uni Deo placendi desiderium infirmantur, & nisi cor tuum cautè custodis, omnia sunt proprii amoris, & vanitatis nutrimentum. Hinc fit ut tantum in tui metipsius existimatione proficias, quantùm in ipsa perfectione te profecisse arbitraris: & ex quo superbia suas radices jecit, non quærendum est ultra, quomodo ad interitum ruis; quærendum potius esset, utrum fieri possit, ne intereas. *P. Croiset Christianarum Considerationum Tomo 2.*

Ubique adsunt hypocritæ.

Dicere possumus, Pharisæos ubique fermè inveniri. Eorum quidem vestimenta non gerunt; sed sensus habent, instituta, consilia. Quod tanta vi Dei Filius in primis reprehendit, invenitur in aliis; & quod sine lacrymis cogitari non potest, mundus abundat his hominibus, qui ab eodem dealbata sepulcra vocantur. Ubinam minime occurrunt mortales hujusmodi, qui pietatem omnem in exterioribus exercitiis constituunt, quin cor suum secundum Evangelica principia componant? Ubinam minime videmus homines, qui se plurimum fecisse putant, cum exiguis quibusdam exterioribus Religionis muneribus perfunguntur, unde tamen nominis existimationem acquirunt; sed qui negligunt quidquid in lege maximè necessarium est, puta justitiam servare, bonam exercere fidem, & charitatem erga alios, cum quibus societatem, atque consuetudinem habere tenentur? Denique ubinam desunt animæ vitiis, secretisque sceleribus coinquinatæ quæ exteriorem componunt speciem æque, ac si vita eorum esset irreprehensibilis? Eam induunt personam, quæ efficit, ut illi quidem videantur, at quinam verè sint, nequeat intelligi. *Abbas Trappensis in Moralibus Considerationibus in S. Matthei Evangelium.*

JESUS CHRISTUS in nullum vitium acrius invectus est, quam in hypocrisim.

Quemadmodum Dei Filius sciebat futurum, ut peccatum quod latius in mundo grassaretur inter eos, qui seu status sui conditione, & muneribus, seu vitæ ratione virtutem profitentur, hypocrisis esset; atque noverat vitium hoc majorem mundo vastitatem allaturum; ita nullum vitium est, in quod vehementiùs fuerit invectus, & de quo fusiùs sermonem habuerit. Neque solum ob oculos ejus versabantur illi, quos videbat hanc committere iniquitatem; sed hæc illius mens erat, futurum ut exprobrationes, quibus adeo periculosis vulneribus mederi studebat, imposterum usque ad sæculorum finem traducerentur. Et sanè ille non immerito adeo longe posita prævidit, etenim ex hodierno rerum statu, hoc est ex ea vastitate, quam vitium hoc quotidie in terris parit, intelligimus, nullum magis necessarium esse potuisse præceptum, nullum, ex quo major utilitas percipi possit. Quacumque ex parte mundum spectemus, nonnisi eos videmus, qui id videri quærunt, quod minimè sunt, & qui sæpe in fronte descriptum gerunt caracterem ejus infelicitatis, a cujus intuitu, ac sensu prorsus abhorrent. *Idem in Evangelium Sancti Lucæ.*

Hypocritæ nequeunt veram habere virtutem, & quare.

Hypocritæ, quippe mendaces, virtutis affectant imaginem, ut illius referant fructum, qui est laus, & existimatio. Hi nonnisi fictitiam habere possunt virtutem, virtus enim innititur veritati, & procedit ex corde, quod solidum novit bonum, & illud verè, & ex animo desiderat. Itaque hypocritæ cum sincero hoc desiderio careant, boni tantummodo speciem habent, sed intus mendacium, & dolus delitescit. Illi directè non inquirunt bonum; sed hærent objecto vitiorum, & illud intrinsecus celant. Nolunt aditum aperire virtuti, ut in cor suum ingrediatur, hæc enim simul esse nequit cum pravis affectibus suis; & virtus ipsa, quæ sine veritate esse non potest, nequit introire in animam adeo perversam; itaut omnes eorum virtutes non aliud sint, quam mera superficies. Assequuntur tamen, quod cupiunt, hominum videlicet existimationem, & laudes; homines enim, quibus intimi cordis recessus explorati esse non possunt, ex ipsa exteriori specie judicium ferunt. *P. Surin. Tomo secundo Dialogorum Spiritualium, libr. 5. cap. 9. ubi de falsis virtutibus loquitur.*

J E J U N I U M.

Abstinentia, Jejunium Quadragesimale. Ejus Observantia, & modus Observandi &c.

M O N I T U M.



Ub hoc titulo non agimus solum de jejunio generaliter sumpto, sed etiam particulariter considerato, de Quadragesimali jejunio, de quo frequens auditur e suggestibus Ecclesiasticis sermo. Hoc autem in Argumento tria potissimum occurrunt consideranda.

Primum: Jejunium, & abstinentiam ab iis impugnari, qui hæreseos labe infecti sunt, & ab iis qui vivendi licentiam affectant. Illi quidem palam Ecclesiæ rebelles, cujus auctoritatem detrectant, in præceptum insurgunt; hi vero illud servare propter indignam homine christiano mollitiem refugiunt. Quamobrem Sermonis hujus argumenti scopus esse potissimum debet, alios quidem erroris redarguere, alios verò ignaviæ, & non curatæ salutis insimulare.

Alterum: Quod spectat ad mera devotionis jejunia, satis esse debet Fideles excitare, ut hac in re Directorum suorum consilia sequantur, ne fervore abrepti aliquid audeant, quod officiat valetudini, eosque prohibeat, ne aliis Religionis, officiique sui muneribus perfungantur.

Tertium: Licet specialiter non meminerimus jejunii Vigiliarum, & Quatuor Temporum, nec non abstinentiæ qualibet feria sexta Sabbathoque servandæ; haud operosum erit iis, qui ad particularia

hæc

hæc defendere voluerint, ad argumentum suum locos, rationes, aliamque supellectilem, quam in hisce collectaneis invenient, aptè transferre.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Sermonum hujus Argumenti Synopsis.

I. Ei Filius a Spiritu Sancto in desertum deductus, ut ibi tentaretur a diabolo, quadraginta jejunans diebus tria nos docet ad jejunii observantiam pertinentia.

1. Quibus armis Fidelis præliari debeat contra salutis nostræ inimicos, atque tentationes eorum propulsare; videlicet jejunio. 2. Quomodo exercendæ sint virtutes, quæ jejuniis comites debent accedere. 3. Bona, quæ ex jejunii observantia percipimus: Videlicet mundi Redemptor, cui nulla erat causa propter quam adeo austerum instituerer jejunium, illud nihilominus servare voluit, ut nos doceret jejunii necessitatem, rationem a nobis servandam, ut jejunium verè christianum sit; & denique ingentia bona, quæ a jejunio percipere possumus, ubi religiosius servetur. Hæc tria sunt Concionis puncta.

Punctum primum. Fidelis, cui cum terribilibus hostibus pugna est ineunda, a quibus fortasse jam sæpe devictus fuit, & qui jugi in periculo versatur, ne iterum debelletur; seipsum armare debet jejunio, ut contra dæmonem, qui merus est spiritus, vires acquirat; efficiens quodammodo spirituale corpus ipsum, atque per jejunium concupiscentiam infirmans, in qua præcipuæ consistunt hostis vires, & quæ ipsa domesticus est inimicus, a quo nihil nobis metuendum non est.

Punctum alterum. Docet nos JESUS CHRISTUS, quomodo his armis utendum, videlicet quomodo jejunium servandum sit. 1. secedendo in desertum; 2. diuturnum temporis spatium in precibus traducendo; 3. nobis jejunii sui fructum, meritumque applicando. Itaque recessus, oratio, præsertim verò charitas qua per eleemosynam pauperibus erogantur ea, quæ per jejunium corpori subtrahuntur, sunt virtutes, quæ jejunia nostra concomitari debent, ut Deo accidant perjucunda.

Punctum Tertium. Bona, quæ ex jejunio percipimus, videlicet Affectuum, vitiorumque nostrorum victoria: Fuga, & clades dæmonis, qui non audet nos amplius lacessere hac munitos lorica, quæ omnia illius tela retundit; denique facilitas liberiùs attollendi mentem nostram ad cœlestia, ac efficiendi corpus nostrum animæ officiis peragendis magis idoneum &c.

II. Quadragesimale jejunium, quod admirabile præsidium est contra salutis nostræ inimicos, atque præsens remedium contra quascumque tentationes; ipsum etiam validissimis oppugnatur hostibus, atque patitur, ut ita dicam, acerrimas tentationes, 1. ab Hæreticis, qui acti spiritu mendacii, & erroris illius praxim tamquam superstitiosam condemnant; 2. ab iis qui solutiorem vivendi rationem appetunt, qui illud violant impune, ac illud abolere conantur, veluti suis voluptatibus, quarum mancipia sunt, oppositum. 3. Ab ignavis Fidelibus, qui palam quidem illius institutionem, & consuetudinem probant; clam verò, atque intra privatos parietes illius usum corrumpunt, iis modificationibus, quas prorsus ignoravit antiquitas. Videlicet, primi per errorem impugnant Quadragesimalis jejunii institutionem, eamque veluti superstitiosam habendam esse contendunt: Secundi per licentiam, atque impietatem sese eidem subjicere detrectant: Postremi verò iis, quas afferunt, modificationibus omne illius meritum destruunt, ac se ipsos privant incomparabilibus bonis, quæ illinc percipere possent. Quamobrem in triplici Concionis parte ostendendum est:

1. Contra Hæreticos: Jejunium legitima fuisse auctoritate institutum; omni tempore, ab omnibus fidelibus, omnibusque terrarum plagis receptum. 2. Contra eos, qui morum licentiam præferunt: institutionem, & consuetudinem hanc non æquam esse dumtaxat, sed animæ etiam, & corpori saluberrimam; atque procacissimam tantum licentiam, apertamque impietatem huic sese opponere posse, quia hæc omnibus ferme peccatis præsentissima est medicina. 3. contra ignavos Christifideles; illis ostendendum est, quod quin aliquid utilitatis ex jejunio percipiant; quod quidem cœlestes gratias ipsis posset acquirere; eorum delicata mollities in novum convertit scelus adminiculum illud, quod Deus & Ecclesia pro peccatorum expiatione suppeditant.

1. Jejunandum est, & nihil nos dispensare potest nisi moralis impossibilitas irrogatum nobis præceptum adimplendi. Propositio Prima. Jejunandum est secundum Ecclesiæ leges, & nihil jejunii relaxationem probare potest. Propositio altera. Ex quo nos a jejunio dispensamus, præceptum infringimus: Ex quo illius consuetudinem lenire contendimus, Ecclesiæ spiritui, ac menti adversamur. III.

Homo seu seipsum consideret tamquam creaturam a Deo pendentem; seu veluti hominem indesinenter affectibus suis agitatum; seu denique se peccatorem cogitet, ideoque supplicio dignum; ajo, non posse sine legitima causa, ac morali impossibilitate ab adimplendo jejunii præcepto secum dispensare. Hinc sequitur quod IV.

1. Jejunium est præceptum: ergo violari non potest, quin inobedientiæ scelus admittatur, in Deum & Ecclesiam.

2. Antidotum est peccata præveniens; igitur illius consuetudo citra temeritatem non potest contemni.

3. Levis est pœna, quæ peccata delens, ea punit; ergo citra injustitiam ab eo dispensari non possumus. Tres validæ causæ, quæ procul dubio in cordibus vestris vim debent habere, nisi omnem inde penitus Religionis sensum abjecistis.

Pro Concionis argumento, ac partitione desumi possunt tria jejunii effecta, quæ in Canone Missæ exprimuntur, & quæ totidem causæ sunt, propter quas jejunium fuit institutum. V.

1. Ut vitia nostra, & affectiones, quibus in scelus trahimur, comprimeremus: *Qui corporali jejunio vitia comprimis*. 2. Ut mentem attolleremus ad Deum, eamque aptam efficeremus cœlestibus veritatibus meditandis, atque gustandis: *Mentem elevas*. 3. Ut acquireremus virtutes quæ sunt necessariæ, atque Cœli beneficia promereremur: *Virtutem largiris, & præmia*.

Jejunium generatim loquendo Christianis omnibus est necessarium. VI.

1. Justis, ut innocentiam servent; hoc enim illos a peccato præservat, ac victores efficit de acerrimis affectionibus, ac periculosissimis tentationibus: 2. Peccatoribus; hæc enim ratio est amissam reparandi innocentiam, atque pro patratis criminibus divinæ justitiæ satisfaciendi.

Tres potissimum causæ efficere debent, ut jejunemus. VII.

1. Quia jejunium Deo est acceptissimum. Hoc ille primis parentibus ante omnia in terrestri Paradiso præscripsit, ut liquet. Hoc in lege Moysis, deinde per Prophetas, ac tandem per Apostolos imperavit; unde inferre possumus, nihil hoc esse eidem antiquius. 2. Nihil est, quod dæmon ma-

gis oderit, & timeat; per hoc enim dæmon ex energumenorum, & eorum, quos obsidet, corporibus ejicitur. 3. Nihil hoc hominibus utilius, qui per hoc Dei Misericordiam consequuntur.

VIII. Triplici ratione potest considerari jejunium.

1. Veluti præceptum, quo obligamur, ubi ostendendum est, cuinam rei innitatur, & quomodo servandum sit: 2. veluti remedium imperatum, quo a peccato præservemur, & jam patrata scelera eluamus: 3. veluti virtus, quæ temperantiæ partem constituit; ubi ostendendus est fructus, atque utilitas, quæ inde percipitur.

IX. Considerari quoque potest 1. ratione Ecclesiæ præcipientis; atque tunc est obedientia illi debita, ut agnoscamus auctoritatem, quam a Deo recepit, & rationes, propter quas hanc legem Fidelibus irrogavit; 2. ratione Fidelium illud servantium; atque tunc actus est pœnitentiæ, quam recipit Deus in peccatorum eorumdem satisfactionem; 3. ratione ipsius Filii Dei, qui nobis jejunii exemplum reliquit; atque tunc species est sacrificii, quo in corpore nostro gerimus JESU CHRISTI mortificationem.

X. 1. Jejunio debita nostra cum Dei justitia dissolvimus, cui obærati sumus propter peccata, quæ patravimus. 2. Illud nos contra omnes Diaboli vires invictos facit. 3. nobis Dei gratias, & misericordias acquirit.

XI. Jejunium secundùm Prophetæ monitum sanctificandum est hoc pacto.

1. Jejunandum secundùm Ecclesiæ mentem, quæ illud justis ex causis instituit. 2. Jejunio addendæ sunt comites virtutes necessariæ, oratio videlicet, atque eleemosyna, quæ in Scripturis eidem jejunio consociantur. 3. Ducenda est vita magis frugi, & sancta abstinendo a peccatis, quod Sanctus Augustinus *generale jejunium* vocat.

XII. *Sanctificate jejunium*. 1. Jejunium in ipsa institutione sanctum est, quippe ab Apostolis ipsis, & Ecclesia institutum est. 2. Sanctum est in effectibus, quia efficacissimum est, ut nos sanctos efficiat. 3. Reliquum est, ut ipsum quoque sedula observantia sanctificetur.

XIII. Ostendere quomodo jejunium reparet mala, quæ primus parens per intemperantiam attulit nobis.

1. Adæ intemperantia Divinam irritavit justitiam in ipsum æque, ac in nos; quia Deus peccatum hoc in tota illius punit posteritate; sed jejunium Dei iram cohibet, ejusque justitiæ satisfacit. 2. Primi hominis intemperantia nocentes nos efficit, cum nascimur; sed jejunium, & abstinentia amissam nobis innocentiam restituunt, & quomodo. 3. Adæ peccatum in nobis reliquit concupiscentiam, quæ propensio est erga sensuum voluptates; at jejunium reprimit illam, & pravos ejusdem effectus avertit.

XIV. In Concionis argumentum, & partitionem hæc assumi possunt Sancti Chrysostomi verba: *Jejuna quia peccasti, jejuna, ut non pecces, jejuna, ut accipias, jejuna, ut permaneant, quæ accepisti.*

1. Jejunandum est propter ea, quæ patravimus peccata; atque ostendere possumus, quàm necessarium, & efficax sit jejunium pro peccatorum nostrorum expiatione. 2. *Jejuna, ut non pecces*. Ostendendum est jejunium præsentissimum esse contra scelus antidotum. 3. *Jejuna, ut accipias*. Ostendendum est jejunium potens, & efficax esse, ut a Deo obtineamus, quæ ab eodem petimus, atque ut illius gratias, & beneficia consequamur. 4. *Jejuna, ut permaneant, quæ accepisti*. Necessarium est etiam, ut ea tueamur dona, & gratias, quibus a Deo fuimus donati.

XV. 1. Jejunium character est sanctitatis, quem videtur Deus poposcisse ab omnibus cum antiquæ, tum novæ legis summis hominibus. 2. Hæc ratio est nosmet sanctificandi; & inde initium duxisse videntur, qui majori sanctitatis laude floruerunt; immo dicere etiam possumus, sanctitatem eorum pedibus æquis cum ipsorum abstinentia processisse.

Ostendi potest, quantum crimen sit violare Quadragesimam. XVI.

1. Magnum crimen est propter circumstantias; in hoc enim, ut in Adæ peccato, non deest inobedientia, atque infidelitas. 2. Propter mala, quæ inde consequuntur; quia principium est longè plurimorum criminum in nobis, & in aliis. *P. de la Colombiere Sermone de jejunio.*

Ratio, qua plerique Fideles Quadragesimam servant. XVII.

1. Alii omninò non jejunant, cum hoc facere possint, quin grave damnum inferant suæ valetudini, & toties peccant, quoties jejunium infringunt. 2. Alii eo pacto jejunant quod Ecclesiæ spiritui, ac menti prorsus opponitur. Primi illi destruunt jejunium; alteri verò omnem destruunt fructum, meritumque jejunii. Utrique impugnandi sunt. *Essais de Sermons. Tome 1.*

Ad nostram eruditionem tria notanda sunt in Salvatoris jejunio. XVIII.

1. Modus, quo jejunavit; extrema cum severitate, & quadraginta dierum omnimoda abstinentia, qui dum elaberentur, esuriit. 2. Finis, & causa hujus jejunii, ut nobis videlicet redderet, quod hominum parens nobis sua intemperantia eripuerat. 3. Jejunii hujus effectus, triumphus nempe de inferni hoste relatus. Hæc tria in Fidelium jejuniis requiruntur, & efficere possunt triplicem partem concionis. *Maimbourg Sermone in primam Quadragesimæ Dominicam.*

Ad fideles fortiter solidèque ad religiosam Quadragesimalis jejunii observantiam hortandos, ostendendum est, 1. Quænam illius origo sit, & institutio: 2. Quænam illius auctoritas in tota Ecclesia. 3. Quænam illius olim consuetudo fuerit, & quænam sit hodie. *Ex manuscripto Sermone.* XIX.

Cum homines sæpe secum a Quadragesimali observantia dispensent, vel eam male servent, 1. ad examen revocandæ sunt excusationes, quas afferunt ut a lege sanctè adeo, authenticèque instituta se solvant; 2. deinde ostendendus est abusus, qui in ipsius legis observantia committitur: videlicet legis hujus necessitas; & extensio ritè est ostendenda. *Joly in operibus mixtis.* XX.

De abstinentia sermo potest haberi, quin Quadragesimalis jejunii fiat mentio; atque pro Concionis argumento, ac partitione desumi: XXI.

1. Nosmet considerantes tamquam homines, uti debemus abstinentia præcautionis, ut peccata vitemus. 2. Nosmet considerantes tamquam peccatores, uti debemus abstinentia satisfactionis, & pœnitentiæ. 3. Nosmet considerantes tamquam fideles, uti debemus abstinentia devotionis, quæ pietatem nostram testetur. *Ex Dictionario Apostolico.*

1. Nihil salubrius abstinentia jussu, ac secundum spiritum Ecclesiæ instituta; 2. Qui temerè se ab abstinentia dispensant, ubi lege præcipiratur, ostendunt se pietate, & religione carere. *Ex eodem.* XXII.

Indulgentia, qua Ecclesia aliquid de pristina Quadragesimæ severitate remisit, infirmos excitare debet, eisque omnem auferre illius non servandæ prætextum. 2. Fervor, & diligentia priscorum fidelium in Quadragesimæ observantia hodie confundere, & humiliare debet eos, qui magis ferventes sunt, atque abstinentes. *Ex eodem.* XXIII.

Duplex est nocentium genus circa Quadragesimale jejunium. XXIV.

1. Alii non jejunant, etiamsi possunt; & isti jejunium destruunt. 2. alii male jejunant; & ita fructum, meritumque evertunt jejunii.

1. Jejunium est actus obedientiæ, qui præstatur Ecclesiæ præcipienti. 2. Est actus pœnitentiæ, quo peccata nostra expiamus, XXV.

PARA-

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque, unde supellex suppetere potest ad proposita Concionum lineamenta exornanda.

Sancti Patres.

SAnctus Augustinus Tractatum edidit de utilitate jejunii, qui invenitur Tomo 9. operum ejus.

Idem, de jejunii fructibus agit Sermonibus 55. 56. 62. 64. 65. 69. 77. 157. 172. *de Tempore*.

Idem, Sermonibus 23. 24. 25. 41. *ad Fratres in Eremo*, sive alteri cuipiam opus hoc sit adscribendum.

Idem loquitur de Quadragesimali jejunio in Sermonibus *de diversis*, a 68. ad 74.

Sanctus Gregorius in tertium Regum agit de Quadragesimali jejunio.

Idem, in Homilia 16. in Evangelia.

Idem, in Homilia 16. in Ezechielem loquitur de conditionibus jejunii, ut Deo sit acceptum.

Idem, in Job cap. 26. loquitur de hypocritarum jejunio.

Sanctus Hieronymus in altera ad Nepotianum Epistola loquitur de discretione in jejunio habenda.

Idem, in Epistola ad Demetriadem de eodem loquitur argumento.

Idem, in Epistola ad Furiam loquitur de modo servandi jejunium, & abstinentiam.

Idem, in Epistola 51. ubi refert S. Hilarionis vitam, loquitur de Sancti hujus Anachoretæ jejuniis, & abstinentia.

Idem, Tomo 2. lib. 2. contra Jovinianum loquitur de jejunii utilitate, atque abstinentia, & prolixum habet Sermonem.

Sanctus Ambrosius, *lib.* 10. *Epistol. Epist. ad Vercellensem Eccles.* de jejunii, & abstinentiæ meritis agit.

Idem, in libro de Elia, & Jejunio cap. 1. & 2. prolixum habet elogium jejunii.

Idem, in cap. 9. Libri Judicum cap. 12. de hac re loquitur.

Idem, Sermone 33. de tempore Quadragesimali docet utile non esse jejunium, nisi hoc tempore abstineamus a vitiis.

Idem, Sermone 34. loquitur de obligatione servandæ Quadragesimæ, & unde orta fueris hæc consuetudo; quod ipsum argumentum fusiùs etiam pertractat sermonibus sequentibus 37. & 39.

Tertullianus contra Psychicos, de hac re verba facit.

Sanctus Cyprianus edidit Sermonem, vel Tractatum de jejunio quadraginta dierum JESU CHRISTI.

Sanctus Prosper, *lib.* 2. *de Vita contemplativa cap.* 29. nonnulla habet præstantissima in laudem temperantiæ.

Sanctus Chrysologus, Sermonibus 8. 11. 21. 41. 72. 43. & 166.

Sanctus Bernardus, Serm. 1. 3. & 7. de Quadragesimali jejunio verba facit.

Sanctus Bernardinus, Tomo 1. Serm. 5.

Origenes, Homil. 4. in 6. caput Matthæi rationem docet jejunandi cum fructu.

Sanctus Basilius, Octo Orationes habet, vel Homilias de jejunio, de quo loquitur etiam in libro de Virginitate.

Sanctus Chrysostomus, Homil. 3. ad Populum Antiochenum docet quodnam esse debeat Christiani jejunium.

Idem, Homil. 71. ad Populum Antiochenum, loquitur de virtutibus, quæ jejunium debent concomitari.

Idem de jejunio agit Tomo 1. Serm. 2. & Tomo 5. Homil. 71. & 73.

Idem, Homil. 47. in S. Matthæum ostendit opus esse, ut vita bona comitetur jejunium; quod ipsum docet homilia 8. in Genesim.

Sanctus Leo habet sermones novem de jejunio septimi mensis.

P. Ludovicus Granatensis amplum edidit hujus rei tractatum. Ascetici.

Drexelius quoque particularem de hoc tractatum conscripsit, quem inscripsit *Aloe*.

P. Ludovicus a Ponte, *Tomo* 3. *Tract.* 2. *c.* 14.

Bartholamæus Carranza hispanicè egregium edidit hac de re tractatum, qui non ita pridem gallicè redditus est.

Albertus Magnus, in Paradiso animæ *cap.* 7.

Jacobus Alvares, *Tomo* 2. *de adept. virt. lib.* 3. *p.* 2. *cap.* 10. & 11.

Franciscus Arrias, *Tomo* 3. *Tractatu* 5. *a capite* 4. *ad* 21.

Didacus Stella de contemptu Mundi, *lib.* 3. *c.* 18

Petrus Sanchez in Regno Dei, *part.* 5. *cap.* 7.

Bernardinus Rossignolus, *de Discipl. Relig. Perfect. lib.* 4. *cap.* 34.

Nicolaus Lancicius, *Opusc.* 2. *cap.* 2. & 15.

Lanuza, ex Dominicana Familia, in peculiari Tractatu.

Bellarminus de arte bene moriendi.

Moralis Christiana, *in Pater lib.* 8. *sect.* 5. *art.* 6. fusiùs hoc argumentum pertractat.

Vitæ Monasticæ Officia a Trappensi Abbate edita, ubi de abstinentia, & victus austeritate sermo est.

Annus Christianus P. Suffren.

Aula Sancta P. Caussini, *lib.* 3. *sect.* 24. ubi de temperantiæ praxi habetur sermo.

P. Nouet Meditatione in primam Quadragesimæ Dominicam, quæ finem Tomi 2. facit.

P. Gegou de usu Sacramenti Pœnitentiæ, Parte secunda, ubi agit de patratorum scelerum satisfactione.

Caignet Tomo 1. Dominicalis Pastorum.

Liber, cui titulus: Evangelicus Concionator, Tomo 2.

Longe plures adhuc supersunt; at notiores memorasse sufficiat.

Molinier, Sermone pro prima Quadragesimæ Dominica. Concionatores.

P. Mathias Faber, Serm. 1. & 2. pro die Cinerum.

Idem, in primam Quadragesimæ Dominicam, Serm. 4. 5. & 6.

P. Delingendes initio Quadragesimæ tres fubinde sermones habet de jejunio.

Joly, in mixtis operibus sermonem habet de ratione sanctam dicendi vitam tempore Quadragesimæ.

Auctor Sermonum Moralium.

Abbas de Breteville, in Specimine argumento tertio pro prima Quadragesimæ Dominica.

Fromentiere, pulcherrimum habet hujus argumenti sermonem.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta pro feria quarta Cinerum.

P. le Jeune Presbyter Oratorii.

P. de la Colombiere, Serm. 74. de Jejunio, & Abstinentia.

Granatensis, Titulo *Abstinentia*. Qui collectanea ediderunt.

Busæus, in Viridario, Titulo *Temperantia*.

Didacus a Vega, cap. 13. de *Abstinentia*.

Peraldus, de Temperantia.

Berchorius,

Summa Prædicantium.

Dandinus, lib. 38.

Labatha, in Thesauro morali.)

Lohner, Bibliotheca manualis.) Tit. *Abstinentia*.

Raynerius de Pisis.)

Omitto Scholasticos, & Casuistas, qui Argumentum hoc pertractarunt.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Applicationes Scripturarum huic Argumento.

QUi abstinens est, adjiciet vitam. Eccli. 37. *Humiliabam in jejunio animam meam.* Ps. 34.

Quare jejunavimus, & non aspexisti? Isaiæ 58.

In die jejanii vestri invenitur volantas vestra. Ibidem.

Ecce ad lites & contentiones jejanatis, & percutitis pugno impiè. Ibidem.

Nolite jejanare sicas usque ad hanc diem. Ibid.

Numquid istud vocatis jejanium, & diem acceptabilem Domine? Ibidem.

Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & in fletu, & in planctu. Joel. 2.

Jejunavit David jejunio, 2. Reg. cap. 12.

Genua mea infirmata sant à jejanio. Psal. 108.

Utere quasi homo frugi his, quæ tibi apponuntur, ne, cùm manducas multum, odio habearis, Eccli. 31.

Sanitas est animæ & corpori sobrius potus. Ibid.

Sanctificate jejunium. Joel. 5.

Humiliaverunt animas suas in jejuniis. Judith. 4.

Corpus suum humiliavis jejaniis. Esther 14.

Prædicaverunt jejunium. (Ninivitæ.) Jonæ 3.

Bona est oratio cum jejunio. Tob. 12.

Petentibus à Domino misericordiam, cum fleta & jejuniis. 2. Machab. cap. 13.

Cùm jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes: exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejanantes; amen dico vobis, quia receperant mercedem suam. Matth. 6.

Tu autem, cùm jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans, Ibidem.

Hoc genus (dæmmniorum) *non ejicitur nisi per orationem, & jejunium.* Matth. 17.

Hoc genus non ejicitur, nisi in oratione, & jejunio. Marci 9.

Quare Discipuli Joannis, & Pharisæorum jejunant, tui autem discipuli non jejunant? Marci 2.

Exhibeamus nos sicut Dei ministros, in multa patientia, in jejuniis, &c. 2. ad Corinth. 6.

Juvenes hortare ut sobrii sint. Ad Titum 2.

Sobrii estote, & vigilate: quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret. 1. Petri, cap. 5.

Ministrantibus illis Domino, & jejunantibus, dixit illis Spiritus Sanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos, Actor. 13.

Exempla veteris, novique Testamenti.

Moysis exemplum. CUm vnluit Deus Legis Tabulas tribuere fideli servn suo Moysi, addnxit illum in verticem muntis, cumque illum a Summis Sacerdotibus, atque Senioribus Israel separasset, iodixit illi multorum dierum jejunium, qun tempore, qui in castris erant, ut libitum ipsis erat, manducare, & bibere poterant, Scriptura testatur illum cum Dominn quadraginta dies, totidemque noctes traduxisse, quin vel panem comederet, vel aquam hauriret. Hoc temporis intervalln Tabulas Legis descripsit. (Exod. 34. & 34.)

Davidis exemplum. David Rex erat, atque inter Aulæ suæ delicias officinm hoc minimè prætermittebat, quin immo populis se tamquam austeritatis exemplar præbebat, Non jejunabat solum iis temporibus, iisque in occasionibus, quæ præcipiebantur in lege; sed tunc etiam cum cibum cogebatur accipere, ut vitam servaret, cinerem panibus commiscebat, stratumque suum lacrymis rigabat in signum sinceri doloris, ac veræ præteritorum scelerum pœnitentiæ, Non regis purpura, non dignitas illum a religionis suæ officiis exolvit; & Scriptura singillatim memorat occasiones, quibus sibimetipsi austerius imponebat jejunium, seu ut divinam flecteret justitiam, seu ut a misericordia Dei gratiam aliquam, & beneficium consequeretur.

Exemplum Esther. Esther insignis erat regina; magnificus hic tamen titulus illam minime prohibuit, quin seipsam mortificaret, & diligentissimè exequeretur, quod Mnyses de jejunio præceperat. Humilis in tanta gloria summa officii fide legibus parnit; ut nos doceret, omnes hos inanes dignitatum titulos, qui nostræ vanitati velificantur, nos minime dispensare ab ea lege, quam pro fidelibus omnibus irrogavit Ecclesia. Ut autem magnæ hujus Reginæ exemplo ostendamus, quàm efficax sit jejunium ad avertenda iræ divinæ flagella, ac Deum ipsum, ut nostri misereatur, flectendum, sacer Textus omnibus compertum esse voluit, ipsam jejunio se præparasse ad gratiam hanc pro populo suo impetrandam, atque efficiendum, ut mortis sententia ab Assuero in omnes Judæos, qui in Assyrii regis ditione inveniebantur, lata antiquaretur. Mardochæi, qui illam hoc spiritu educaverat, consilio acta jejunium instituit, ac jejuniis illius sua quoque sapientissimus tutor adjecit a Deo impetraturus, ut Esther benignè audiretur, & ne illa vitæ suæ periculum subiret, eo quod non vocata ultro sese Regi obtulisset. (Esther 4.)

Tres Pueri in Babylonica fornace incolumes. Daniel, 1. Babylnnicæ fornacis flammæ tribus pueris pepercerunt, eo quod corpora sua jejunio consecraverant; quns Danielis docet historia, adeo arctam, religiosamque servasse abstinentiam, ut numquam vesci voluerint iis dapibus, quæ in Regis mensam afferebantur, solis legumiolbus contenti; quod vix ab illn impetrarunt, cui ipsorum cura erat concredita, metuenti, ne Regis in se iram converteret, si coram eodem illi prodiissent minorem corpore venustatem præseferentes, quæ naturali formæ illorum labem offenderet. Sed cum sancti illi pueri tandem assecuti fuissent facultatem more suo victum sumendi, venustiores, gratioresque oculis Regis acciderunt, quàm qui suavissimis vescebantur obsoniis.

Exemplum Judith. Incomparabilis Judithæ exemplum evidens est argumentum, jejunium aptissimam esse dispositionem, ac viam, qua facile maximi quilibet conatus e voto cedant, ubi de gloria Dei, & populorum agatur salute, Generosa hæc mulier, ut Scriptura narrat, omnibus vitæ suæ diebus jejunabat exceptis Sabbathis, ac festis diebus, qui præcipiontur in lege, Hanc vivendi rationem sibimetipsa præscripserat, ex quo vidua remanserat; ac per eam sese toti populn abstinentiæ, atque sanctitatis præbuit exemplar, Itaque ejusdem opera usus est Deus, ut oppidum Bethuliæ a direptione, vel etiam eversione, quam Holophernis exercitus, terrorem latè urbibus omnibus inferens, minitabatur, criperet, atque ut liberaret populum a servitute, in quam proximè erat redigendus. Satis liquet, quodnam facinus ausa fuerit sancta molier, nonnisi divinn acta consilio, & qunmodo imperantem illum obtruncaverit inter tot militum copias, atque inter validissimum, qui ad eam diem extitisset, exercitum. At Deus Bethuliam imminenti periculn liberaturus voluit, ut omnes urbis illius incolæ solemni jejunio tantam cladem, & ignominiam deprecarentur; Judith verò, cujus brachio referenda erat victoria, omnium prima illud sanctè servavit; cumque Hnlophernis accumberet mensæ, nihil de consueta remisit abstinentia, tamquam inde vires, ac robur perceptura ad explendum consilium, quod adeo generosè ad optatum finem perduxit.

Exemplum Ninivitarum. Præcipuus jejunii effectus est Dei iram avertere, & scelerum veniam impetrare. Ninivitæ, ac effœminatus Rex eorum Sardanapalus infinitis sceleribus Deum offenderant, ejusque justas ultiones in suum caput converterant; Deusque per Jonam Prophetam illis minitatus fuerat, futurum ut intra quadraginta dies civitas eorum deleta æquaretur solo; tantum enim temporis spatium pœnitentiæ eorum divina concesserat misericordia. Hac mora illi abusi non sunt; statim enim ac eorum auribus acciderunt verba ignoti Prophetæ, Dei nomine cladem hanc portendentis, in cinere, & cilicio egerunt pœnitentiam; animo quidem dolore confecto, oculis verò lacrymarum imbre manantibus inter ejulatus, ac suspiria suæ conversionis

indicia

indicia jejunarunt; quippe Rex ille voluptatibus abditus ingenti populo, qui illius flagitia propiùs imitabatur, severissimum indixit jejunium. Ipse enim ita præcipit, ac præcepto primus omnium paruit. *Homines, & jumenta non gustent quidquam.* Subditi omnes pœnitentiæ Regis sui exemplum secuti sunt; & jejunium imperatum adeo fuit generale, ut ad pueros etiam se extenderit, qui non erant eorum scelerum participes, & ad jumenta etiam, quæ peccare non poterant; Sed quo effectu? Deus qui suæ nequit oblivisci misericordiæ eorum misertus est: civitas incolumis servata est, & eventus probavit sensum, qui in eorum ore versabatur: *Quis scit, si convertatur, & ignoscat Deus, & revertatur a furore iræ suæ, & non peribimus?*

Jonæ 3. — *Ibidem.*

Eleazarus, & Machabæi.

Non desunt in Scripturis illorum exempla, qui mortem potius oppetere voluerunt, quàm vesci carnibus a Lege prohibitis. Hujusmodi fuere Eleazarus, & septem fratres Machabæi, qui hanc ob causam sævissimis torti suppliciis cæsi fuerunt. Non defuere, qui falsci miseratione commoti pollicebantur seni illi, se licitas claneulum carnes allaturos, ut falleret tyrannum Antiochum simulata obedientia. Verum sanctus senax hoc respexit consilium tamquam insidias suæ constantiæ paratas; ne uno quidem momento hæsit anceps, ac statim respondit se malle potius præcipitem in infernum dari, quam tantum facinus perpetrare. Respondit cito dicens *præmitti se velle in infernum*. Absit, inquit ille, ut Eleazarus nonaginta natus annos adolescentibus locum præbeat credendi, se a Religione defecisse, Equidem scio me arte hac mortem evitaturum; sed fieri non posset, ut vivens, aut mortuus non deciderem in Dei viventis manus. Præstat mihi exiguum vitæ spatium, quod superest, sacrificare, & morte mea omnem docere popolum, quæ reverentia, quis amor sanctas leges deceat.

Exemplum potestatis, quam habet jejunium apud Deum.

In ipsa etiam veteri Testamento inveniri possunt exempla ejus virtutis, quam ad Dei iram flectendam habet jejunium, quo nequissimi etiam usi sunt peccatores, ut misericordiam consequerentur; quemadmodum Achab primo Regum; vel quo freti insignes de hostibus suis retulere victorias, ut Josaphat primo Paralipomenon. Alii in egestatibus suis ad illud confugientes voti damnati sunt, uti legimus 8. cap. Esdræ; alii ab impendentibus sibi malis liberati evasere, ut Israelitæ tot in occasionibus; Prophetæ quoque religiosiùs servantes jejunium apud Deum visi sunt omnipotentes. Hac ratione Daniel obtinuit, quod enixis precibus ipsius vel negatum fuerat vel dilatum. Anna mater Samuelis, ex Sancti Hieronymi sententia prophetæ hujus nativitatem, atque finem miseræ sterilitatis obtinuit; Sara junioris uxor Tobiæ dæmonem ejecit, qui jam septem ejusdem viros occiderat; & Elias, S. Ambrosio teste, per jejunium ea omnia admirabilia operatus est prodigia, quæ tertio Regum libro narrantur &c.

Exemplum Filii Dei in deserto.

Primum, ac maximum, quod sese nobis in lege nova exhibeat exemplum est Auctoris legis ejusdem qui in desertum secessit, & diebus quadraginta ibi permansit, ut se ad conversandum cum hominibus, & ad salutem eorum operandam disponeret; qui cum toto hoc temporis intervallo adeo austerum jejunium servasset, instituit, vel, ex plurimorum Doctorum sententia, instituendi locum dedit Apostolis, & Ecclesiæ jejunium illud dierum quadraginta, quod vocamus Quadragesimam. Sed sive divina, sive Apostolica, sive tantum Ecclesiastica sit ejusdem institutio, patet, inde suam hausisse originem, & JESU CHRISTI jejunium hujus exemplar fuisse.

S. Joannes Baptista.

Sanctus Joannes JESU CHRISTI Præcursor haberi potest tamquam alterum abstinentiæ, atque jejunii exemplar; quippe aquam tantummodo bibens, atque locustis, agrestique melle vescens, sibi vini, carnis, piscium, immo etiam leguminum usum interdixit, atque eo usque singulari fuit abstinentia, ut Salvator de eodem dixerit, quod neque biberet, neque comederet: *Venit Joannes neque manducans, neque bibens*; & S. Hieronymus affirmat hanc vivendi rationem fuisse initium institutionis, atque sanctificationis vitæ eremiticæ. *Habitatio deserti, & incunabula Monachorum talibus inchoantur alimentis.*

Matth. 11.

Exemplum Apostolorum, primorumque fidelium.

Ambigi nequit, quo minus Apostoli Præceptoris sui exemplum fuerint imitati, & in eorum Actis a Sancto Luca editis legimus, eos nullum umquam momenti alicujus opus aggressos, nisi antea precibus, & jejunio sese præparassent. Sed præterea a priscis Ecclesiæ patribus discimus, vitam discipulorum, atque Apostolorum juge fuisse jejunium. Sanctus Petrus, Gregorio Nazianzeno testante, ut plurimum siliquis tantummodo vescebatur. Ex Sancto Clemente Alexandrino accipimus, fructus, olera, & legumina S. Matthæo victum præbuisse. Hegesippus apud Eusebium in hystoria narrat Sanctum Jacobum, qui frater Domini vocabatur, neque vinum, neque siceram bibisse, neque manducasse aliquid, quod vitam haberet. Necnon apud SS. Hieronymum, & Epiphanium legimus primos fideles, qui in Ecclesiæ primordiis Alexandriam convenerant, & qui ab Apostolis docti, institutique fuerant, eorum servasse spiritum, sensus, atque instituta, viventes in solitudine, & a terrenis rebus penitus expeditos, neque alio usos cibo, quam pane, & oleribus; neque inter eos defuisse qui sex dierum spatio ab omni etiam esu abstinuerit; & nonnisi post solis occasum vel biberit, vel manducaverit.

Orat. de amore pauper. 2. Pædag. c. 1.

Quorumdam Scripturæ locorum huic argumento Applicationes.

Corpore jejunante, anima divini verbi pabulo est nutrienda.

NOn in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Matth. 4. His verbis uti possumus, ut ostendamus eodem tempore, quo per jejunium corpori escam subtrahimus, animam precibus, cœlestium veritatum meditatione, præsertim verò Verbo Dei, quod Sancti Patres cibum animæ appellant, esse saturandam. Hinc fit, ut licet divinum hoc verbum nobis esse debeat tamquam panis quotidianus toto vitæ nostræ spatio, quatenus Christiani sumus; attamen hoc sanctum Quadragesimæ tempus, quod corporibus jejunio macerandis destinatum est, sit quoque tempus, quo Ecclesia Evangelicas prædicationes multiplicat, quæ sunt veluti totidem convivia, quibus anima alitur, & saginatur, ut Regii Prophetæ vocibus utar, donec jejuniis corpus atteritur.

Sanctificate jejunium. Sanctus Hieronymus, & interpretes quidam dicunt, jejunium sanctificare idem esse ac illud precibus, eleemosynis, aliisque bonis operibus, quæ illud Deo acceptius reddunt, concomitari; & Sanctus Gregorius Homilia 16. in Evangelis, hæc habet: *Jejunium sanctificare est adjunctis bonis aliis, dignam Deo abstinentiam carnis ostendere;* carnis abstinentiam dignam efficere, quæ offeratur Deo, superadditis bonis operibus, quæ illam jucundiorem exhibeant.

Joelis 2.

Jejunium servandum est secundum Ecclesiæ mentem.

Quare jejunavimus, & non aspexisti? Isaia 58. Ut jejunium eam habeat virtutem, quæ illi Scriptura tribuit, a Deo impetrandi gratias, atque beneficia, quæ ab eodem petuntur, observandum est cum spiritu pœnitentiæ, non autem avaritiæ, aut jactantiæ, aut aliam ob causam. Hoc apertè in Isaia testatur Deus injustis Judæorum questibus respondens, qui cum aliquot dies summa cum austeritate jejunassent libertatem impetraturi, cumque semper se Chaldæorum servituti subjectos intuerentur, per nequissimam insolentiam eidem dicere ausi sunt. *Quare jejunavimus, & non aspexisti? humiliavimus animas nostras, & nescisti?* Jejunastis quidem, sed modo prorsus pravo, abstinuistis quidem epulis, at devorastis substantiam egeni, qui vobis obæratus solvendo non erat: stomachus quidem ve-

ftet est vacuus, cor tamen amore vestri repletum est; *Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites, & contentiones jejunatis.*

Quoniam vitia jejunio vincenda sint. *Hoc genus* (Dæmoniorum) *non ejicitur, nisi in Oratione, & jejunio. Marci* 9. Totidem sunt Dæmones, quot variæ tentationes, quibus oppugnamur. Qui nos de superbia, ambitione, inani gloria tentant, hi per humilitatem, abjectumque de nobismetipsis sensum ejiciendi sunt, & propulsandi. Qui in odium, iram, ultionem impellunt, lenitate, patientia, christiana charitate vincendi sunt. Qui nobis avaritiam, bonorum hujus mundi cupiditatem student immittere, in eas animas, quæ a terrenis rebus prorsus divulsæ sunt, nullam habent facultatem. Dæmones vero illi, qui nobis voluptates obtrudunt, qui ad impuritatem sollicitant, atque in ea nos pertrahere contendunt vitia, quorum principium est in corpore, & quorum caro nostra vel organum, vel subjectum est; hi inquam, non ejiciuntur, non infirmantur, non destruuntur nisi jejunio; quippe illi vires suas ex epularum copia, & deliciis dapum, quibus corpus alitur, recipiunt: *Hoc genus non ejicitur nisi in oratione, & jejunio.*

Si in Quadragesima jejunio dapes mutantur; non mutatur tamen sensuum voluptas. *Dic, ut lapides isti panes fiant. Matth.* 4. Hoc ajebat diabolus Filio Dei, qui dies quadraginta in deserto jejunaverat. Præcipe, ut lapides isti vertantur in panes; sed Fidelium sensualitas, & deliriæ, quæ in Ecclesiasticum jejunium tantum laxationem invexere, efficiunt, ut aliquid simile quotidie dicatur: *Dic, ut lapides isti panes fiant.* Primis enim temporibus Fideles prisci in jejuniis aqua tantum, & pane utebantur, vel ad summum aliquot olusculæ, & legumina addebant; hodie verò hic panis, hæc olera in pisces, easque dapes immutata sunt, quæ non minus suaves, ac delicatæ sunt, quam carnes, quibus abstinere jubemur. Tunc primum in jejuniis corporum mortificatio requirebatur; hodie verò quæritur, quomodo satis fiat gustui epularum, varietate, quas eorum industria efficere studet, gratiores. Itaque hæc mutatio est luxus, non pœnitentia, aut mortificatio. *Dic, ut lapides isti panes fiant.* Diu in jejunio vino æque ac carnibus homines abstinuere; hodie verò voluptas, cujus in prohibitarum carnium abstinentia, jactura fit, liquorum varietate reparatur. Olim lac, & quidquid carnis fructus est, interdicta censebantur; at consuetudo obsoleta est, eaque indulsit Ecclesia, ut facilius jejunaretur; *Dic, ut lapides isti panes fiant.* Pisces quoque in aves mutati sunt, & jam percrebuit vesana opinio, aves quasdam, quæ in aquis vivunt, vel in aquis oriuntur, licet in aera volitent, pro piscibus esse accipiendas: *Dic, ut lapides isti panes fiant.*

1. Petr. 5. Jejunio tribui possunt ea effectus, qui fidei tribuuntur. *Sobrii estote, & vigilate: quia adversarius vester diabolus circuit quærens quem devoret: cui resistite fortes in fide.* Ex hisce verbis videmus Sanctum Petrum fidem cum jejunio, & sobrietate conjungere, ut dæmoni resistatur. Itaque inter jejunii effectus recenseri possunt omnia prodigia, quæ Sanctus Paulus attribuit fidei, & quæ his verbis continentur: *Sancti per fidem vicerunt regna* &c. Sanctus Basilius hæc jejunio applicat. Victoriæ enim, quam populus Dei de Amalecitis, & exercitus Josue de pluribus Regibus retulerunt, nonne effectus fuere jejunii, quemadmodum Sanctus Hieronymus animadvertit. *Operati sunt justitiam.* Nonne hoc pacto sese ad virtutum omnium praxim disposuere? hoc enim justitiæ nomen istic significat. *Adepti sunt repromissiones.* Hoc pacto eam mercedem meriti sunt, quæ sanctis fuerat promissa. *Obturaverunt ora leonum*, quod in Samsone, ac Daniele adimpletum est. *Extinxerunt impetum ignis.* Hoc ipsum visum est in pueris in Babylonicam fornacem conjectis &c.

Ad Hebr. 11.

Corpus infirmatur, ut majori *Ductus est JESUS in desertum, ut tentaretur a diabolo. Matth.* 4. Hoc discrimen intercedit inter prælia a fidelibus contra dæmones præliandа, & ea, quibus milites, atque athletæ cum hostibus, atque antagonistis suis decertant; quod hi, cum indigeant viribus corporis, ut vim inferant, vel propulsent, indigent quoque majori esca, quàm vulgo: corpus enim diuturna effectum abstinentia fit infirmum, & languens, ac minus aptum ressistendo, vel hostium conatibus propulsandis. E contra verò, ut cum dæmone, qui noster hostis est, atque adversarius, quo nomine illum S. Petrus appellat, certemus, jejunii arma nobis sunt induenda; cum enim ille spiritualis sit, spiritu eidem resistimus: cumque corpus mereat ejus stipendia, cum illo conspiret, eique valida suppeditet arma, salutare consilium est illud jejunio infirmare, ut facilior de eodem referatur victoria, & validum hoc illi subsidium auferre, quo tanta cum utilitate contra nos utitur. vi salutis nostræ inimici impugnentur.

Abstinentia jucundum est Deo sacrificium. *David noluit aquam bibere, sed libavit eam Domino. 2. Reg. cap.* 23. O præclarum sacrificium, Sanctus Ambrosius exclamat, Davidis, qui ardenti laborans siti bibere detrectavit aquam, a quibusdam strenuis militibus non sine vitæ periculo conquisitam. Profectò mirabilis abstinentiæ hic fuit actus in Principe, qui cum exercitui suo præesset, atque in certaminis æstu siti ureretur, testatus fuerat se quocumque pretio empturum scyphum aquæ cisternæ cujusdam, qua hostes fuerant potiti. Quatuor strenui bellatores districtis ensibus per hostium ordines penetrarunt, Regique attulerunt hydriam aqua plenam, quam tantopere concupierat. Verum David manu pateram tenens; non fiet, inquam, ut sitim meam leniturus ex aqua bibam quatuor strenuorum militum periculo comparata; statimque illam effudit in terram. Actio generosa! Abstinentia admirabilis, quæ meruit, ut in omnem terrarum orbem, atque in omnia sæcula promulgaretur, tamquam victoriæ sumptus longè nobilior, atque præstantior ea, quam de victis hostibus reportavit.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum ad hoc Argumentum pertinentes.

Hoc me docuisti, ut quemadmodum medicamenta, sic alimentum sumpturus accedam. Aug. l. 10. Confess.

Jejunium magnum, & generale est, abstinere ab iniquitatibus, & illicitis voluptatibus sæculi, quod est perfectum jejunium. Idem, Tract. 17. in Joan.

Jejunium remedium est, aut præmium; hoc est, aut indulgentiam peccatorum, aut præmium regni Cœlestis acquiris. Idem, Serm. 62.

Pro amore castigandi corporis, abstinentibus à vino vel a carnibus, nihil meriti accrescere, hoc non Christiani, sed Joviniani est. Idem, l. de Ecclesiasticis dogmatibus.

Vide quanta sit jejuniorum virtus, ut id facere jejunia valeant, quod Apostoli nequiverunt. Idem, Serm. 65. de tempore.

In Evangelicis, & Apostolicis Litteris totoque instrumento, quod appellatur Testamentum Novum, video præceptum esse jejunium; quibus autem diebus, præcepto Domini vel Apostolorum non invenio definitum. Idem, Epist. 86. ad Cassulanum.

Quantò prolixior abstinentiæ cursus, tantò redemptio copiosior est salutis: quantò austerior cura vulnerum, tantò medicina est salubrior peccatorum. Idem, Serm. 17. & 60. de Temp.

Si jejunavit ille, qui peccatum non fecerat; quantò magis necessaria sunt jejunia homini peccatis obnoxio? Serm. 6. de Jejunio Quadrag.

Clemens & pius Dominus, humanum genus, quod suasione diaboli deceptum fuerat per gustum pomi in Paradiso, sacro-sancto jejunio liberandum decrevit. Idem, Serm. 12. de Quadrag.

Arbitror itaque causam hanc esse jejunii, ut quia

quia primus Adam in Paradiso constitutus per intemperantiam gulæ, gloriam immortalitatis amiserat, eamdem immortalitatem secundus Adam per temperantiam repararet. Idem, Sermone 77. de Tempore.

Hoc egit Salvator, ut eisdem vestigiis, quibus admissa fuerant delicta, purgarentur; hoc est quia homo manducando deliquerat, corrigeretur abstinendo. Idem, ibid.

Caro nostra jumentum nostrum est; plerumque nos rapit caro, & de via conatur extrudere: tale ergo jumentum cohibeamus jejuniis, cibaria ferocienti subtrahamus, & fame domemus, quod fræno non possumus. Idem, lib. de Cantico novo, c. 3.

Quando prælium tentationis infertur, jejunandum est, ut corpus impleat de castigatione militiam, & animus impetret de humilitate victoriam. Idem, Serm. 157. de Temp.

Jejunia humilitatem significant, unde dictum est, Humiliavi in jejunio animam meam. Idem, Epist. 86. ad Cassul.

A peccatis principaliter jejunemus, ne jejunia nostra, sicut Judæorum jejunia, a Deo respuantur. Idem, Tract. 7. in Joannem.

Non laudatur in eo jejunium, qui ad luxuriosam cœnam servat ventrem suum. Idem, in Ps. 43.

Imple miserationis officia, & sanctificasti jejunia. Idem, Serm. 172.

Sunt quidam observatores Quadragesimæ, deliciosi potius quam religiosi: hi multum errant, non est hoc suscipere abstinentiam, sed mutare luxuriam. Idem, Serm. 171. de divers.

Cum corpus castigatur, restringendæ sunt deliciæ, non mutandæ, ne per occasionem quasi domandæ carnis, magis agatur negotium voluptatis, Idem, ibidem.

Quid pulchrius abstinentia, quæ facit etiam juventutis annos senescere, ut fiat morum senectus? Ambr. Epist. 82. ad Vercell. Eccles.

Hanc Quadragesimam Dominus suo jejunio consecravit. Idem, Serm. 34.

Quæ nobis salus esse potest, nisi jejunio eluerimus peccata nostra? Cum Scriptura dicat, jejunium, & eleemosyna à peccato liberat. Idem, Serm. 10.

Nullum tam grave delictum, quod non purgetur abstinentia, eleemosynis extinguatur. Idem, de Natali Domini.

Qui sunt hi præceptores novi, qui meritum excludunt jejunii? Nonne Gentilium vox ista, dicentium: manducemus, & bibamus? Idem, Epist. 82.

Hæc est voluntas Domini, ut jejunemus à cibis pariter & peccatis. Idem, Serm. 33.

Qua causa Christus jejunavit, nisi ut nobis exemplo esset ejus jejunium? Idem, ad Vercell. Episc.

Adamus quandiu jejunavit, in Paradiso fuit; comedit, ejectus est. Hieronym. lib. 2. advers. Jovinianum.

Ostenditur posse nos per jejunium redire in Paradisum, unde per saturitatem fueramus ejecti. Idem, ibidem.

A diebus Joannis Baptistæ jejunatoris, regnum Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Idem, ibidem.

Quid prodest tenuari abstinentia corpus, si animus intumescat superbia? Quam laudem merebimur de pallore jejunii, si invidia lividi sumus? Idem, ad Celant.

Tunc præclara est abstinentia corporis, cùm est animus jejunus à vitiis. Idem, ibid.

Nos unam Quadragesimam, secundùm traditionem Apostolorum, anni tempore nobis congruo, jejunamus. Idem, Epist. ad Marcellam.

Quadraginta diebus Dominus jejunavit, ut solemnes jejuniorum dies relinqueret. Idem, Comment. In Isaiam, cap. 58.

Non recens inventum est, sed pretiosus thesaurus, à Majoribus repositus & traditus. Basil. Homilia de Jejunio.

Reverere jejunii canitiem; tam vetus est; ut simul cum homine condito cœperit; in Paradiso præscriptum est. Idem, ibid.

Quoniam non jejunavimus, exulamus à Paradiso; jejunemus igitur, ut ad illum postliminio revertamur. Idem, ibid.

Joannis Baptistæ vita, quid aliud erat, quam unicum ac perpetuum jejunium? Idem, Homil. 1. de Jejunio.

Scis quòd caro concupiscat adversus spiritum, & spiritus adversus carnem; itaque cum hæc sibi invicem adversentur, subtrahamus carni voluptatem, augeamus animæ robur, ut per jejunium collectis ad superandas concupiscentias viribus, coronis abstinentiæ repositis cingamur. Idem, ibid.

Jejunemus, ut passionis Christi participes simus. Idem, ibidem.

Pœnitentia sine jejunio otiosa, & infrugifera est. Idem, ibidem.

Nulla est insula, nec ulla terra continens, non civitas, non gens ulla, non extremus mundi angulus, ubi non sit auditum jejunii edictum. Idem, orat. 2. de eodem.

Jejunium cibus est Angelorum, & qui eo utitur, ordinis Angelici censendus est. Athanas. lib. 2. de Virginitate.

Vide quid faciat jejunium: morbos sanat, distillationes exsiccat, dæmones fugat, pravas cogitationes expellit, cor mundum efficit. Idem, ibid.

Habemus Quadragesimæ dies jejuniis consecratas. Origenes in Levit.

Jejunium, si discretione regatur, omnem carnis rebellionem edomat. Cyprian. de Jejun. & tentat. Christi.

Quadragesimam nolite pro nihilo habere, imitationem enim continet Dei conversationis. S. Ignat. ad Philippens.

Sacrificia Deo grata, dico jejunia, feras, & aridas escas. Tertull. de Resurrect. carnis.

Portionale jejunium (sic abstinentiam vocat.) Idem.

Ipso Dominus Baptisma suum, & in suo omnium, jejuniis dedicavit. Idem, l. 2. de Jejun. c. 8.

Ut mundum, & solemne jejunium possis offerre. Concil. Nicænum I. Can. 2. agens de Quadrag.

Quod ventri subtrahis, tribue esurienti. Greg. Nyssen. orat. 1. de Paupert. amanda.

Labor quidem est in jejunando, at nondum pro Jesu, crucifixi sumus. Idem, Homilia de Jejunio.

Jejunium Angelorum imitatio est, pro nostra virili parte. Chrysost. Serm. 1. de Jejun.

Spiritale animarum ver, & fidissima tranquillitas animarum. Idem, in quadam in Genesim Homilia.

Jejunium animæ nostræ nutrimentum est, ut sicut corporalis iste cibus impinguat corpus, ita & jejunium animam habiliorem efficit, & valentiorem. Idem, Hom. 1. in Genesim.

Jejuna quia peccasti, jejuna ut non pecces, jejuna ut accipias, jejuna ut permaneant quæ accepisti. Idem, Serm. 2. de Jejunio.

Negotiatio jejunium non est, ut lucrum faciamus non edendo; sed ut quod manducaturus eras, pauper pro te comedat; fiatque tibi duplex bonum, tum quod jejunas, tùm quòd alius non esurit. Idem, ibidem.

Quia cibis lascivit caro, & fit petulans, propterea ciborum jejunium susceptum est, ut carnis imperium coerceat. Idem, Homil. ad Popul. Antiochenum.

Quod quadraginta diebus jejunamus, non humana inventio, sed authoritas divina est. S. Chrysolog. Serm. 11.

Tum demum ad animæ curationem proficit medicina jejunii, cùm abstinentia jejunantis reficit esuriem indigentis. Sanctus Leo, Serm. de Jejunio Pentecostes.

Ego interdum abstineo; sed abstinentia mea est satisfactio pro peccatis, non superstitio pro impietate. Bernard. Serm. 66. in Cantic.

Vide

& hunc finem esse, propter quem præsertim jejunium institutum, atque imperatum est.

Non desunt, qui legitimè sunt a jejunii præcepto dispensandi.

Quemadmodum liquet, non deesse, qui jejunare minimè possunt, quantumcumque temperamentum veteri jejuniorum consuetudini Ecclesiæ attulerit indulgentia, seu propter morbum, atque visibilem infirmitatem, seu propter paupertatem, quæ non suppeditat, unde æquum facere possint prandium, seu propter impensum laborem, cui statu, & conditione sua subjiciuntur; extra omnem dubitationis aleam certum est, illos nequaquam teneri, atque ægrotantes uti posse dapibus, quæ jejunii diebus aliis interdicuntur, Ecclesia, quæ pia Mater est, numquam jejunio obligare voluit filios suos, ubi non vitæ solum, verùm etiam valetudinis non levis jacturæ periculum immineret. Sed hujusmodi in occasionibus semper decet a Pastoribus dispensationem impertrare, ac non fucatas rationes adscere: hæc enim debetur Ecclesiæ reverentia, ut te obedientem filium probes, neque te velle a præcepto eximere, nisi per eorum auctoritatem quibus facultas est dispensandi; & præterea ad scandalum evitandum, quod oboriri posset, & demum ut conscientiæ tuæ consulas securitati.

Quid faciendum illis, qui jejunare non possunt.

Verùm quemadmodum certum est, plurimos jejunare non posse, neque abstinere carnibus, vel propter infirmitatem, vel propter alias æquissimas causas; ita æquum est, ut aliis bonis operibus huic suppleant officio; divites quidem uberioribus, & frequentioribus eleemosynis; pauperes verò diutioribus, ac ferventioribus precibus, magis assidua divinis Officiis adsistentia, vel alia quapiam devotione, quia jejunii tempus potiori modo pietati dicatum est.

De obligatione jejunii.

Lex naturalis nos jejunio generatim sumpto adstringit: cum enim jejunium, atque abstinentia sint necessariæ ad carnis rebelliones reprimendas, eamque spiritui subjiciendam; homo quippe naturaliter animæ corpus subjicere tenetur; inde sequitur, ipsum naturali etiam jure teneri ad jejunium, quod huic effectui, & fini adeo est necessarium. Hanc illationem Sanctus Thomas eruit. Quod si lege naturali jejunare jubemur; quatenus jejunium necessarium est ad sensuum concupiscentiam coercendam; lex divina illud explicitè pluribus in Scripturæ locis imperat: itaut lex naturalis simul, & divina generatim nobis jejunii necessitatem instigant, quidquid post Calvinum effutiant hæretici. Sanctus Augustinus hoc palam ait explicitis verbis: *In toto instrumento, quod appellatur Testamentum novum, video præceptum esse jejunium*. At Dei Filius Ecclesiæ suæ contulit auctoritatem obligationem illius moderandi circa temporis, ætatis, quantitatis, & qualitatis ciborum circumstantias; unde factum est, ut jejunii servandi ratio pro temporum, locorumque varietate variaverit.

2. 2. qu. 147. art. 3.

l. 3. Institutionum c. 12. Epist. 86. ad Casul.

Hæreticorum contra Quadragesimam objectiones.

Ea, quæ contra Quadragesimæ institutionem objiciunt Hæretici, futilia sunt, & nullius ponderis. Ad tria verò potissimum rediguntur. Primum est circa distinctionem quam constituit Ecclesia inter epulas, quas permittit, & eas, quas prohibet, quasi aliquæ earum natura sua essent malæ, quod Apostolus damnat. Alterum, Judaicæ superstitionis insimulant statum illud tempus, quod ante Paschatis festivitatem decrevit Ecclesia. Tertium, denique dicunt Ecclesiæ auctoritatem non esse adeo grave jugum injiciendi, atque hoc sub peccati pœna imperandi. Sed facilè hæc diluuntur. 1. Prohibet Ecclesia carnium usum, non quod per se malæ sint, vel immundæ; alioquin nullo unquam tempore usum earum posset permittere; sed ejus interdictum stato tempore eas illicitas efficit. 2. Non servamus jejunium hoc tempore, quia Judæi eodem jejunare consueverant; sed Ecclesia illud elegit tempus, quod magis opportunum censuit propter eas, quas attulimus, causas. 3. Diximus jam Ecclesiam nihil ultra fecisse nisi determinare tempus, modumque jejunii, quod præcipitur in Evangelio. Cujus enim erat jejunii tempus, modumque constituere, quo præceptum hoc servandum esset; nisi fuisset Ecclesiæ? Alioquin semper incerti fuissemus, utrum præcepto a nobis satisfactum fuisset.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, Recentibusque Concionatoribus loci hujus Argumenti.

Jejunium fieri debet cum spiritu pœnitentiæ.

Dei Filius ad jejunandum in desertum secedit, ut, ex Sanctorum Patrum sententia, nos doceat jejunii tempus statum esse lacrymarum, doloris, & contritionis peccatorum nostrorum per fugam, abstinentiam, & subtractionem voluptatum, atque gaudiorum mundi, quæ temporis hujus non sunt. Alioquin enim jejunium non aliud est, quàm exterius exercitium, & in corpore subsistens, quin in animam ipsam permeet, quo pervenire non potest nisi per dolorem, cujus indicium, & effectus est, per illum, & cum illo peccata nostra detergere. Ideo Scriptura de jejunio loquens, quod internæ cordis nostri contritionis est nota, ut plurimum cum fletibus, lacrymisque conjungit, quæ satis dolorem, & contritionem indigitant: *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & in fletu, & in planctu*. Jejunantes, sed eo jejunio, quod lacrymæ, gemitusque concomitentur. Nequissimorum scelerum veniam consecuti sunt Ninivitæ, sed qua ratione? Jejunarunt gemitibus, sacco, cilicio, & cinere dolorem suum testantes. Cordis lacrymæ ita sunt Fidelium jejuniis necessariæ, ut hæc Dei Filius confundat, & promiscuè tamquam pro una, eademque re accipiat respondens Discipulis S. Joannis exprobrantibus; quod ipsi, & Pharisæi omnibus fere diebus jejunabant, cum interim Apostoli vix diebus in lege præscriptis jejunarent: Putatisne igitur, inquit, eos, qui Sponsi nuptiis adsunt, donec cum Sponso versantur; plorare posse? videlicet jejunare; hac enim de re tunc agebatur. Veniet tempus cum Sponsi præsentiam amittent, atque tunc jejunabunt simul, atque plorabunt. *Maimbourg Sermone pro prima Quadragesima Dominica*.

Joel. 2. 12.

Quadragesimali tempore solatia qualibet sunt rejicienda.

Opus est, ut spiritus pœnitentiæ, & contritionis nos per hoc Quadragesimale jejunium in desertum atque interiorem adducat solitudinem, in recessum, atque procul ab inanibus mundi voluptatibus, ut ibi proferamus, foveamusque felices doloris, & contritionis sensus propter scelera nostra. Præsertim verò tunc temporis semovendi sunt libri prophani, ut ascetici tantum legantur, relinquendæ inanes conversationes, ut diutiùs orationi vacetur, prætermittendæ frequentes nimium deambulationes, ut frequentius Templa adeantur; choreæ pro pietatis operibus, aleæ pro eleemosynis, & inutiles visitationes, ut carceres, & xenodochia invisantur. Heu! quanta hodierna die plorandi adest causa propter adeo formidabiles defectus! Etenim pro fletibus, quibus jejunium irrigare oportet, ut fertile fiat, prophana, & sæpe etiam nefaria, ad jejunii amaritudinem leniendam gaudia adhibentur. *Idem*.

Plerique fidelium malè servant Quadragesimam.

Dici potest nullum esse amplius jejunium plerisque fidelibus; tot illi suppetunt viæ, quibus se eximant, tot nanciscuntur prætextus, quibus illud infringant; quamvis tantum attulerit jejunio temperamentum Ecclesia, ut ad illud diligentiùs servandum illos adstringeret. Alii illud per impietatem violant, prohibitarum epularum usu prophanantes; videntur alii revereri illud ciborum electione, & qualitate; at illud multitudine, & copia, qua omnis illius molestia aufertur, infringunt: plerique illius obligationem eludunt mala fide, fictisque prætextibus valetudinis, infirmitatis, virium defectus, somni carentiæ, assidui laboris, aliisque sexcentis coloribus, quos mendacium gulæ suppeditat ad illius turpitudinem, infamiamque tegendam. Ita jejunium ab Ecclesia imperatum, a Sanctis Patribus commendatum, a Conciliis probatum, omnium

nium

nium sæculorum consuetudine receptum, ab Apostolis ad nos usque transmissum, hodie tot fidelium fabula est, & ludibrium. *Idem*.

Sine jejunio facile a dæmone superamur.

Domesticum habes inimicum, corpus videlicet tuum, stipatum affectibus, ac naturalibus studiis, quæ te in malum trahunt: Dæmon te oppugnat extrinsecus, dolos omnes, artesque adhibens, omniaque objecta, quæ te in scelus possunt inducere: & quin corpus tuum jejunio infirmes, atque mortifices, illud immo contra temetipsum munis, & coboras; arma illi suppeditas, delicias videlicet, & voluptates, quas poscit. Certissimè igitur superaberis, cedens conatibus inimici, quem tu ipse fortiorem efficis, nimium tuo corpori indulgens. *Idem*.

Finis, propter quem Quadragesimale jejunium fuit institutum.

Ecclesia solemne hoc jejunium omnibus simul fidelibus indixit ad iram Domini demulcendam, ad avertenda flagella terribilia, quibus vapulamus, ad præteritas iniquitates puniendas, ad nos in viam justitiæ revocandos, a qua deerravimus; ad virtutis imaginem vitiis deformatam iterum in cordibus nostris imprimendam; ad reparandam, quoad fieri potest, relaxationem zeli, atque austeritatis Patrum nostrorum novissimis hisce temporibus obortam; ad filios tenebrarum reducendos ad lumen, a quo recesserunt; ad inspirandum lugubri hac specie peccatoribus pœnitentiam; ad justorum fervorem excitandum, atque nos omnes præparandos ad gratiam resurrectionis, quæ nobis tamquam stadii nostri terminus proponitur. Hæc fuere sancta Ecclesiæ consilia jejunii legem irrogantis: hic finis est præcepti, sancto hoc tempore nobis impositi: hic esse debet fructus gratiarum, quas huic pœnitentiæ, & mortificationis tempori Deus adnectere voluit. *Sermo, qui P. Massillon tribuitur*.

Dignitas, & qualitas personarũ illas ab hac lege non dispensat.

Ecclesia, divinum imitata Sponsum, nullam habet personarum acceptionem, & quoniam summi æque, ac imi participes sunt noxæ, vult omnes etiam esse pœnitentiæ consortes; omnes participes fuere vetiti fructus, atque intemperantiæ primi parentis; omnes simul participes esse debent pœnitentiæ, atque ab iis abstinere, quæ gustui blandiontur. Dicam amplius; neque enim vereor affirmare, si Ecclesia cum aliquibus inter peccatores remissius esset actura, futurum ut se indulgentiorem præberet pauperibus, non autem illis, qui toties antiquis sceleribus nova crimina addidere. Vobis autem, qui vestra abusi estis auctoritate, ut affectibus latiorem campum præberetis; vobis, qui ne de nomine quidem nostis quid sit regere desideria vestra, eaque intra justæ medioeritatis cancellos coercere; vobis, qui omne vitæ mollis tempus transmisistis, ut varias vobismet necteretis catenas, quibus corrupto mundo hæreretis; vobis nequaquam indulgeret Ecclesia; semperque vobis immineret necessitas moderationis, ac jejunii fræno vestram cohibendi cupiditatem. Attamen vos ante cæteros primi jugum legis exentitis, quæ ab illis tantum servatur, qui propter conditionem suam, miseri sunt, qui ad servilem, laboribus, & egestate plenum redacti statum in sudore frontis suæ vescuntur pane suo; neque ullos habent lætiores dies, quàm qui divitibus non ferendi videntur. *Idem*.

Infirmitatis prætextus, ut plurimum nullus, & fictitius.

At enim imbecilles estis; verùm hæccine affecta imbecillitas prohibet, ne voluptuariis congressibus adsitis, ne solatiis omnibus vacetis, ne valetudinem vestram in aleis, vigiliisque, quibus foetissima quælibet temperamenta cesistere nequeunt, prodigatis? Vosmet iis mancipare flagitiis, quæ robustissimas etiam exhaurire possunt vires, inter voluptatum, quæ opprimunt, vices versari, nonne hæc vestra est ratio vivendi? Imbecilles estis; verum hæccine imbecillitas prohibet, ne tota die venatum proficiscamini, ne tota nocte aleæ vacetis, ne diligentissimè rei familiatis curam geratis, ne in equitationibus, atque itineribus fatigemini? Imbecilles estis, at fictitia hæc vestra imbecillitas prohibet, ne plurimas horas vel prophanorum librorum lectioni, vel illicitorum contractuum transactioni transferatis? Sed bona fide quæso, hæc imbecillitas propter quam ad Quadragesimale jejunium vos minimè teneri vultis, prohibet, ne in solatiis, atque oblectamentis delassemini? *Idem*.

De jejunii dispensationibus ficto prætextu obtentis.

Credulum fallere potestis confessarium; at illum fallere non potestis, cujus nomine hic loquitur, & cujus auctoritate operatur. Potestis etiam ab Ecclesia obtinere dispensationes: verùm cavete, ne id fictis expositionibus fiat; neque enim ideo soluti, tutique essetis. Ne hac in re decipiamini; indulgentiæ, quæ hoc pacto carpuntur, neminem unquam excusarunt. Immo dicere audeo, vos ideo fieri nocentiores; improbæ enim legis prævaricationi malæ fidei crimen adjicitis. At esto legitimæ sint excusationes vestræ, & dispensationes cum rectitudine submissi cordis fuerint obtentæ; quia neminem occidere vult Ecclesia, nec desunt, qui necessitate quadam acti legem observare non possunt: affirmo tamen, vos nequaquam dispensatos esse, quominus pro modulo vestro, & eo modo, quo dicturus sum, jejunetis. *Idem*.

Qui jejunare nequeunt efficere debent opera bona.

Opus est, damnum præstare Domino; opus est, aliis operibus sanctis id reparare, ubi non jejunantes deficitis; opus est ab iis cœtibus, in quibus voluptas, & oblectatio vestra consistit, abhorrere; eleemosynas in pauperes duplò uberiores erogare; urbanitatis, & recreationis visitationibus subrogare xenodochiorum, carcerumque visitationes, clam in cubiculo vestro frequentiùs orare, passim ad templa vos conferre tunc temporis, quod divino verbo enuntiando dicatum est. Hæ illæ sunt regulæ, quas simili in re Sanctus Chrysostomus tradit. *Largiorem det eleemosynam, ferventior sit in precibus, majorem habeat alacritatem in audiendis concionibus &c.* Fovete igitur in corde veræ contritionis sensus; ad adspectum necessitatis, qua laboratis, & qua prohibemini, ne cum cæteris idem pœnitentiæ stadium percurratis; detestamini carnes, quas inviti comeditis; relinquite epularum delicias, quæ vestram minimè decent imbecillitatem; dicite Domino quod olim Esther, cùm interesse cogebatur Assueri conviviis: *Tu scis necessitatem meam, quod non mihi placuerit convivium Regis*. (*Esth. c. 14.*) Domine cordis mei adyta scrutaris, & nosti, quàm mihi gravia sint, & quam hæc obsonia mihi displiceant. *Idem*.

Abusus qui a jejunantibus committuntur.

Nulla in Ecclesia res est, ubi plures, quam in jejunio committantur abusus. In prisca rejicitur tempora accurata sese hac in re mortificandi obligatio, & sin minus nobismet persuadere possumus Legem non pro hoc minus, quàm pro elapsis retro sæculis fuisse irrogatam, saltem omnia quæ possunt lenimenta afferuntur, quæ illius austeritatem imminuunt; atque industrii sumus in iis perquirendis, quæ hoc præceptum eludunt. Saluberrimum hoc subsidium ægre, & cum metu, atque tristitita percipimus. *Idem*.

Artes, quibus jejunii austeritas eluditur.

O utinam illud mihi dicendi flumen eaque esset vis, qua Sancti Patres prædiri fuere, ad eorum exprobrandas artes, qui nihil prætermittant, ut Ecclesiastici jejunii austeritatem eludant. Quot varia juscula! quæ condimenta! quænam epularum delitiæ! quæ artes nuper inventæ, ut gulæ fiat satis! Unica mensa magnificè instruitur mira profusione, atque tot dapibus, quæ abundè plurimarum familiarum victui sufficerent: ibi ad excessum usque saginantur, & comestio unica est convivium: itaut jentaculum vespertinum sit potius valetudinis ratio, & ratio tuendæ salutis, quæ bis in die tantum ciborum pondus ferre non posset, quàm signum pœnitentiæ. Itaque omne jejunii meritum, omnis fidelium mortificatio ad id redigitur, quod nonnisi per indulgentiam invectum est, cui tamen termini essent circumscribendi: Totum pœnitentiæ opus in simplici jentaculo vertitur, quod non aliud est, quàm signum indulgentiæ, cujus usus mille annorum spatio fuit ignotus: quandoquidem in prima comestione nulla pœnitentiæ nota invenitur; omnia delitiæ sunt, omnia

gustui

gustui blandiuntur, & si caro deest, nonne illius jactura exquisitissimis piscibus, suavissimisque condimentis, reparatur? Quodnam pœnitentiæ phantasma! *Idem*.

Quomodo primis Ecclesiæ sæculis jejunabatur.

Heu! quàm longè a primorum sæculorum austeritate distamus! Tempora, quibus vivimus quàm longè differunt a sæculis, quæ primi fideles mortificationibus suis consecrarunt; ubi nihil delicatum, exquisitum nihil inventum fuit. Legumina simpliciter condita, radices aliquot incoctæ cineribus afferebantur, ut effœta, & gracilia corpora alerentur. His eum gratiarum actione vescebantur; usus vini sex sæculorum spatio, & ultra, proscriptus fuit: detestari quidquid gustui favere posset; rebus in omnibus se mortificare: sumptibus parcere, immo eorum nomen etiam ignorare; nullam petere indulgentiam, aut facultatem, ipsius etiam cogitationem horrescere: ea, quæ severissima erant, amplecti; jejunare ad æternam salutem comparandam; edere simpliciter ad vitam trahendam; & vivere ad bona opera exercenda: Hæc erant Ecclesiæ primitivæ jejunia; numquid in nostris simile quidquam occurrit? *Idem*.

Nihil dicam de præcautionibus, quæ contra Quadragesimam sumuntur: non loquar de immodicis voluptatibus, quarum pondere obruti præteritis diebus lacrymabamur, de obscœnis flagitiis, quibus viam nobis ad stadium adeo sanctum aperire contendebamus, de spectaculis, de effrænata licentia, de criminibus omnibus, quibus nosmet pœnitentiæ præparavimus. Heu! quomodo hoc tempus ingredimur! Qua amaritudine, murmure, impatientia! Vix in ipso limine sumus, cum jam ad extremum illius spatium pervenisse cuperemus, ac illud onus abjicere, quod tepidis tantum grave est, & quod ægre, & gravate fertur. *Idem*.

Jejunium satis facit pro criminibus præteritis, & efficit, ut pro futuro tempore mereamur.

Primum scelus gula peperit, & jubet Deus illud jejunio deleri. At quid est jejunium nisi carnium privatio, quarum immodicus usus nocet? Quid est jejunium, nisi dieta, atque abstinentia, quam etiam pro corporum nostrorum utilitate medici ipsi præcipiunt? Attamen quantumvis hoc modicum sit, ubi pœnitentiæ causa suscipitur, & exercetur non solum, ut Sanctus Bernardus inquit, delet peccata, sed eorum radicem revellit: *Non solum abolitio est peccatorum, sed & extirpatio*. Non solum veniam nobis obtinet præteriri, sed efficit, ut in futurum etiam mereamur: *Non solum obtinet veniam, sed, & promeretur gratiam*. Ita facile Divina flectitur Misericordia, quandoquidem nobis præbuit rationem redimendi pœnas, quæ nobis altera in vita perferendæ essent, pœna adeo brevi simul, & levi. *P. Masson Presbiter Oratorii Sermone 5. Adventus*.

Abusus, qui in jejunio committuntur.

Dici nequit corpus jejuniis atteri, ubi nullius rei nobis interdicimus usum, ubi alimenta dumtaxat mutamus, sed ubi gustum simul, & appetitum explemus; ubi iis utimur epulis, quæ si minus habent alimoniæ, saltem nihil minus habent suavitatis; ubi copia reparat, quod in qualitate desideratur; ubi longior requies supplet dapibus; ubi una tantum absumitur cœna, quod alio tempore duabus posset inservire; quod efficit, ut quemadmodum in id genus jejunii nihil aufertur, nihil possit erogari. Attamen ut jejunetur, uti opus est, charitati elargiendum est, quod subtrahitur voluptati; pauper est, tua alendus abstinentia; tuaque pœna in illius voluptatem est convertenda. *Abbas de Monmorel in primam Quadragesimæ Dominicam*.

Jejunium vim præbet affectus vincendi.

Hæc sunt arma, quibus uti debemus tentationem superaturi. Hoc genus dæmoniorum, Dominus inquit, non ejicitur nisi in oratione, & jejunio. Corpus infirmandum est, ut anima confirmetur. Cum infirmus sum, inquit Apostolus, tunc fortis sum, quia virtus in infirmitate perficitur. Christianus est fortis in imbecillitate sua, cum illius caro jejuniis contabuit, & anima saginata est puritate; Etenim quantum nutrimenti corpori aufertur, tantum valetudinis, & gratiæ animæ accedit. Non omne igitur jejunii genus efficere potest, ut tentationem superemus; ut animæ robur addatur, corpori adimendum est. *Idem*.

Mirabilia primorum Fidelium jejunia.

Legimus primos fideles, qui in ipsis Ecclesiæ incunabulis prope Alexandriam convenere, & qui ab Apostolis eruditi, atque formati eorum sensus, instituta, spiritumque servaverunt, vixisse in solitudine a terrenis rebus omnino expeditos, neque alia uti esca solitos, quàm modico pane, & oleribus; & ex illis non defuisse, qui penitus jejunii integros etiam sex dies ducerent, quin ulla re vescerentur; atque vulgò nihil nisi post solis occasum comedere, vel bibere consuevisse. Revocate in mentem ingentem illum Eremitarum numerum, qui ut miram, quam JESUS CHRISTUS egit in deserto, pœnitentiam, imitarentur, integras traducebant hebdomadas, quin ori admoveret offam. Neque hoc dico, ut vos ad imitanda excitem hæc exemplaria, quæ imitari nequaquam posse videntur; sed ut vobis persuadeam, nisi Deus huic pœnitentiæ generi magna subsidia, & peculiares benedictiones voluisset adnectere, nequaquam futurum fuisse, ut illius desiderium ferventissimo cuilibet ex servis suis inspiraret. *Abbas Trappensis de sanctitate officiorum vita Monastica cap. 18. De abstinentia, & austeritate*.

Difficultates, quas hodierni Christiani in jejunii observatione inveniunt.

Aliquot jejunii dies, quos nobis præcepit Ecclesia, immanis videtur mortificatio. Quot excusationes, & infirmitatum prætextus, qui sæpe adfectati sunt, vel imaginarii! Quot dispensationes injustè petitæ, leviterque concessæ? Quænam repugnantia in id pro æterna salute agendo, quod pro valetudine ultro ageretur; atque religionis ergo servando abstinentiam, quam incolumitatis ergo lubenti animo servarent? Quænam de Ecclesiæ severitate auditur querela, licet hac in re plurimum de veteri disciplina remiserit, summa pietatis indulgentia, qua nos uti quidem patitur, abuti verò non patitur? Quænam excogitata fuere lenimenta, ut non egestati solum, verum etiam delitiis satisfieret, atque ut intemperantia jejunio commisceretur? *Flechier Panegyrico S. Benedicti*.

Jejunia plurimorum nobilium, divitumque virorum.

Alterum verò malum, cui sunt obnoxii, qui jejunare videntur, est epularum delitiæ, ingens ferculorum numerus, quo tegitur mensa, & insigne temporis spatium, quod reficiendis viribus impenditur. Audite, quid ajebat Sanctus Bernardus de quibusdam Abbatibus, & Ecclesiasticis ævi sui. Videte, quomodo illorum instruitur mensa: *Fercula ferculis apponuntur, & pro solis carnibus, a quibus abstinent, grandia piscium corpora duplicantur*. Satis religiosi sunt, neque carnibus uti volunt; verùm quid diceretur si non ægrotantes iisdem vescerentur? Sed posthæc illis affertur quidquid in mari, atque fluminibus magis delicatum est, ac magnum. *Cumque prioribus fueris satiatus, si secundos attigeris, videberis necdum gustasse*. Quod plurimos saturasset, illorum tantummodo ciet appetitum, ubi nova fercula apponuntur. *Tanta quippe accuratione, & arte coquorum cuncta apparantur, ut quatuor, aut quinque ferculis devoratis, prima novissima non impediant, nec satietas minuat appetitum*. Coqui magis industrii illis inservium, at nondum satis strenui sunt; & ubi jusculis, vel salsamentis aliquid deesse videtur, acerrimis probris onerantur. Sed tantum artis est, atque tot ex locis appetitus excitatur, ut quo plus manducatur, magis esuriatur, primæque dapes non aliud sint, quàm dispositio ad epulas longiores, & copiosiores. Eorum gustus novis condimentis ita fallitur, mutatio tanta arte comparatur sexcentarum rerum immixtione, ut æquè avidi sint, ac si re adhuc integra modò accubuissent. Abdomen, & stomacus onerantur; sed varietas fastidium aufert. Etenim quemadmodum facile saturarentur iis, quæ natura suppeditat, si communi ratione condita apponerentur, cumque diversa fercula variis vaporibus distincta sint, at tota co-

S. Bern. in Apolog. ad Guillelm.

quorum

quorum industria exhauriatur, ut quam maximam dapibus afferant suavitatem, communem necessitatem prætergrediuntur, at nondum gulæ, atque intemperantiæ satisfaciunt. Hoccine jejunium est? Ut judicium feratis non Scripturas, neque Concilia consulenda vobis propono; bonum tantummodo sensum, & rationem propter quam Ecclesia jejunium instituit, consulite. *Joly, Sermone de modo sanctè traducendi Carnisprivium, & Quadragesimam.*

Jejunii tempore affectus ipsi æquè, ac corpus subigendi sunt.

Ecce malum aliud, quod ad infinitos propemodum attinet Fideles, qui ubi de jejunio agitur, sunt religiosi; at non admodum religiosi sunt, ubi agitur de affectuum mortificatione, atque vitiorum fuga; cum tamen horum jejuniorum alterum sine altero nihil saluti proficiat. Carnibus quidem abstinetis, numquid verò abstinetis obtrectationibus? Gulam quidem mortificatis; numquid verò mortificatis vanitatem, & invidiam? Carnem vestram subigitis; at spiritus, & cor vestrum æquè na subiguntur? An similes sæpe estis hypocritis jejunantibus; ut jejunasse videantur? Qui sub externa hac pœnitentiæ specie suas celant invidias, furores, dolos, habitus pravos? *Idem.*

Exemplum jejunii Filii Dei nos ad jejunandum excitare debet.

At enim hæc abstinentia carnium, hoc diuturnum adeo jejunium difficilia admodum sunt; Verum nonne longe difficiliora esse debebant Filio Dei, qui pro vobis tantæ austeritati sese subjecerat? Christiani estis; cur ergo, Sanctus Bernardus ait, Dei vestri jejunium vobis commune non sit? Ille caput est vestrum, fasne est, membra inter delitias versari, cum ille rebus omnibus abstineat? Si ab hoc capite tot bona recepistis, cur dolorum ipsius aliqua in re participes esse non vultis? Quidquid ille patitur, pro vobis est; cur vos pro illo nihil patiemini? Si futurum speratis, ut mensæ illius accumbatis aliquando, ubi inebriabimini delitiis, quibus in domo illius perfundemini; nonne æquum est, ut illum jejunantem imitemini? Utique, Domine, utile est, ut tibi penitus adhæream. Utique te, quocumque iveris, sequar; tecum ingrediar in solitudinem, tecum a mundo recedam, tecum abstinentiam, & jejunium amplectar. *Idem.*

Quodnam sit jejunii Deo acceptius. *Isaia 58.*

Deum audio per os Prophetæ dicentem: *Nolite jejunare, sicut usque ad hanc diem: Ecce ad lites, & contentiones jejunatis, & percutitis pugno impie. Numquid tale est jejunium, quod elegi?* Nonne hæ circumstantiæ jejunium istud corrumpunt? *Ibidem.* Jejunium, quod volo, audite quid sit: *Hoc est magis jejunium quod elegi, dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes, dimitte eos, qui confracti sunt, liberos.* Falsum illud chirographum comburite, injustam illam tabulam supprimite, litem illam abscindite, relinquite eam, quam fovetis, ultionis cogitationem: Alioquin scitote inutile esse jejunium vestrum; & preces, atque sacrificia vestra mihi placere non posse. *P. Texier, Sermone pro feria sexta post Cineres.*

De tempore Quadragesimæ.

Quadradragesima tempus est a Deo singulariter pœnitentiæ destinatum. Hoc *non humana cogitatione inventum est*, Sanctus Ambrosius inquit, *sed divina majestate præceptum*. Et quemadmodum apud Judæos erat festum Expiationis, quo peculiari cura, & ritu populus Dei sese a criminibus expiare satagebat, uti legimus in Levitico: *in hac die expiatio erit vestri, atque mundatio ab omnibus peccatis vestris*: *Levit. c. 16.* ita apud Fideles Quadragesima instituta est, ut omnino vacent peccatorum suorum per pœnitentiam expiationi. *Idem Sermo in die Pentecostes.*

Abstinentia primum est præceptum, quod homini Deus irrogaverit.

Prima, & vetustissima lex a Deo homini imposita jejunii est, atque abstinentiæ. Vix ille manibus suis formaverat Adam, eumque in Paradiso deliciarum statuerat, ubi nihil votis illius deesse poterat; cum absolutum, atque universale imperium, quod illi in creata omnia contulerat, coarctavit prohibens, ne ex cujusdam arboris, quam illi ostendit, fructu vesceretur. Hoc ille unicum poposcit submissionis, & obedientiæ testimonium. Si illa fideliter legem hanc observasset, obedientia, quæ illum confirmasset in eo statu, in quo fuerat creatus, nobis felicitatem procurasset in eodem statu nascendi, neque ad hoc ut in eodem vel restitueremur, vel servaremur, opus fuisset, ut jejunii legem irrogaret Ecclesia. Sed postquam ex originali justitia per protoparentis nostri inobedientiam decidimus, & caro nostra a spiritu defecit, justo supplicio defectionis spiritus ejusdem a Deo; jejunium nobis factum est necessarium. *De la Fone Propositione pro prima Quadragesimæ Dominica.*

Quomodo jejunium Divinæ satisfaciat justitiæ, & peccatorum veniam obtineat.

Scriptura abundat authenticis testimoniis jejunio mirabilem deferentibus virtutem omnia crimina eluendi. Modò enim in primo Regum libro video, Israelitas, qui Divinæ legis transgressione Dominum irritaverant, eum jejunio ira placasse, ut statim illis gloriosam de Philistiim victoriam concesserit. Modò Regem Achab intueor quantumvis nequam, & impium, qui statim ac se coram Domino humiliavit, atque cilicio indutus jejunavit, omnem Dei lenivit iram, ejusque in se misericordiam convertit. Modò Regium Prophetam conspicio, qui cùm conscientiæ stimulis post patratum facinus agitaretur, Dei iram in ipsum inflammatam exhibentibus, ad jejunium confugit, ut illam sedaret, & impendentia flagella a suo capite averteret. Si ex Judæis quæro, quanam via imminenti liberati fuerint vastatione cum prope fuit, ut Holophernes igni, ferroque terram omnem depopularetur, vel cum Aman illos ad internecionem usque delere machinabatur; dicent illi quidem non alibi nisi in jejunio invenisse perfugium secundum Reginæ Esther, atque Eliacim summi Sacerdotis consilium, ut adeo formidabilia mala procul arcerent. Si Jonam interrogo, quanam arte usi fuerint Ninivitæ, ut subversionem civitatis effugerent, quam ipse illis Dei verbo portenderat; respondebit ille, illos evasisse per jejunium, quod Rex sine exceptione subditis omnibus irrogavit. Si denique ex Joele percontor quid faciendum illis, qui vera ducuntur scelerum suorum pœnitentia, ut expient illa; reddet, ut Deo satisfiat jejunium lacrymis, atque peccatorum dolori esse adjiciendum. Hac de causa Sanctus Basilius ait, pœnitentiam, nisi jejunium accesserit, imperfectam esse, atque ut plurimum inutilem. *Idem.*

Ejusdem argumenti.

Jejunium a Sancto Bernardo *Sacrificium reconciliationis* vocatur. Nostis ad peccatorum expiationem in Religione efficacius nihil esse sacrificio: nihil enim est, quod majorem supremæ Dei majestati cultum afferat, vel quod magis authenticum contineat testimonium absoluti ejusdem imperii in omnia creata, quæ eidem oblata destruuntur. Hinc conjicite quænam sit jejunii virtus, & efficacia ad expianda peccata; quandoquidem hanc Pater iste comparat cum sacrificii virtute, eique vim tribuit hominem cum Deo perfectè reconciliandi. *Idem.*

Jejunium Deum gratias, & misericordiam meretur.

Jejunium non solum peculiarem vim habet ad divinam justitiam flectendam, verùm etiam admirabilem habet virtutem ad Dei gratiam, & misericordiam promerendam. Scio equidem omnia opera nostra bona cum a nobis ea mente iisque dispositionibus fiunt, quæ requiruntur, Deum cogere, ut recentibus nos cumulet bonis, atque sua largitate recentia in nos effundat beneficia. Verùm scio quoque; ea quæ naturæ magis molesta sunt majorem vim, virtutemque obtinere. Mortificatio nostra, ex Patrum sententia, mensura est munerum Dei, atque eò uberiùs spiritualibus gratiæ suæ divitiis nos cumulat, quò propter amorem illius usum nobis interdicimus eorum, quæ chariora sunt, & jucundiora. Videte, quid Angelus Danieli dixerit: Postquam jejunasti, ut consequeretis facultatem intelligendi mysticam visionem, quæ facta est tibi: exaudita sunt vota tua, & me Deus misit ad te, ut desideriis tuis facerem satis. Hinc discite, Theodoretus ait, quanta sit jejunii efficacia ad divinam Misericordiam impetrandam, & summam votorum omnium obtinendam; quandoqui-

doquidem per jejunium Propheta facile obtinuit, quod tandiu fervoti precum illius concedere Dominus cunctatus ferat. *Idem.*

Niniviȼarũ exemplum aliquando Christianos confundet, eosque hodie quoque confundere debet.

Ubi est fides vestra, o peccatores? Dissimulare non potestis; iisdem obnoxii estis criminibus, ac olim Ninivitæ, & fortasse multò nocentiores, quandoquidem majori cognitione, atque ingratitudine in similia flagitia lapsi estis. Nostis, Omnipotentem, cui nihil resistere potest, factum esse vobis inimicum, ac jamjam fulmina, & jacula contorquere, ut vos perdat. Neque vobis ignotus aliquis, ut illis Jonas, excidium inevitabile annuntiat, nisi ad pœnitentiam, atque jejunium confugiatis. Ipse Dei Filius per os Ministrorum suorum vobis prædicat, & ad imitandum proponit Ninivitarum jejunium, ut divinam iram flectatis. Attamen proh pudor? ullane civitas in orbe Christiano invenitur, quæ illorum infidelium jejunia imitetur? Ubinam les jejunii, & abstinentiæ, quam filiis suis indicit Ecclesia æquè fideliter ac Regis populi ejus edictum, servatur? Ubinam iteratæ ministrorum Dei minæ, quamvis Dei ipsius verbo armatæ, tantam vim habent, quantam aliquot Jonæ verba in civitatis illius incolis habuere? *Idem.*

Contra eos, quos jejunii labor prohibet, ne huic pareant præcepto.

Quid vobis adeo grave, molestumque in jejunio videtur, ut ob futiles causas ab eo dispensari velitis? Hoccine est nimis charo pretio peccatorum vestrorum expiationem, atque ab æternis alterius vitæ suppliciis liberationem redimere? Deliberandumne adhuc est, ubi optio detur inter jejunium, & flammas æternas? Oporteret igitur peccatorem, qui propter scelera sua divina excidit gratia, nihil in jejunio nimis molestum invenire, cum Deo rediturum in gratiam? Licet posceret ab illo Deus, ut in pane, & aqua tantùm ad extremum usque vitæ spatium jejunaret, nonne hoc pretio peccatorum venia impetrata inæstimabile videri deberet Dei beneficium? In primitiva Ecclesia non humiliationes, non austeritates, non carnis macerationes, licet nobis adeo terribiles sint, videbantur primis fidelibus nimis austeræ, ut cum Deo sese reconciliarent; sed hodierna die pœnitentes ita delicati sunt, vel ignavi, ut levis quælibet austeritas illis terrorem incutiat; ob levissimam mortificationem quæ illis imponitur, statim animis deficiunt; nihilque abscindere volunt de mensæ deliciis, & unus jejunii dies illis non ferendus videtur. *Idem.*

Quam differt a veteris Ecclesiæ jejunio hodierna Quadragesima.

Jejunium horum temporum quantumvis differt ab illo, quod primis Ecclesiæ sæculis servari consueverat, adbuc nimis molestum videtur plerisque fidelibus, qui se illud nequaquam servare posse putant, nisi recentia adhuc addant lenimenta illis, quæ ab Ecclesia jam tolerantur. Tunc vino, non secus ac carni, & iis, quæcumque nascuntur ex carne interdictum erat; pisces recens captos comedere non licebat; una tantùm fieri poterat post solis occasum, fructibus, oleribusque comestio: hodie verò cum tantum de veteri austeritate remissum fuerit, ut quin jejunii lex infringatur matutino prandio, quod sub meridiem fieri potest, haberi possit solatium levis jentaculi sub vesperam; jejunium adeo mite videtur adhuc nimis grave, & austerum, ut nonnisi querelæ contra præcepti hujus severitatem audiantur. *Idem.*

Quid a filiis suis, ubi de jejunio agitur, petat Ecclesia.

Si ex vobis Ecclesia jugem, & non intermissam peteret orationem, dicere possetis rei familiaris, litium, negotiorumque vestrorum impedimenta non pati, ut per tempus legem hanc observare possitis: Si ingentes vobis eleemosynas imperaret, diceretis fortasse, vobis nequaquam suppetere, unde illas erogetis, & postquam familiæ vestræ necessitatibus consuluistis, nihil ex redditibus vestris superesse. Sed cum præcipiat, ut secundum facultatem, viresque vestras jejunetis, quam justam prætexere potestis causam, ut vos hac lege nequaquam teneri contendatis? At enim nimis imbecilli, infirmique estis, quàm ut jejunium rigorosè observare valeatis. Id si verum est, fateor equidem cum sapientis, doctique directoris consilio vos posse aliquid de severa, arctaque hac observatione remittere; At ne credatis vos ad nihil teneri; cum in omnibus illud servare nequeatis.... Si satis virium non est, ut jejunetis, satis saltem est, ut vosmet aliis in rebus mortificetis. Plures, quàm vulgò, eleemosynas elargiri potestis; quædam vobis solatia interdicere, impensiùs charitatis operibus vacare &c. *Idem.*

Pro corporis valetudine ad facimus, quod pro animæ salute detractamus.

Nonne verum est, ubi ægrotas, te illud vitæ regimen servare multò magis molestum, atque incommodum, quàm jejunium tibi ab Ecclesia imperatum? Desiderium valetudinis reparandæ facit, ut avidè propines amarissimos calices, quos Medici miscere norunt; metusque mortis efficit, ut patienter feras acerbissimas incisiones, quas medica manus expetitur. Verùm si curanda sunt lethalia vulnera, quæ peccatum animæ inflixit, si Dei gratia resarcienda est, æternaque mors evitanda, Quadragesimale jejunium tibi nimis austerum videtur. Tu qui præsto es, ut ignem, ferrumque pariaris, ad hoc ut convalescas, ut aliquot annis vitam malorum, dolorumque refertissimam producas: aliquot dierum abstinentiam ferre non vales, ut alterius vitæ redimas pœnas, quæ adeo horribiles sunt, & ut acquiras immortalem vitam, bonis, & voluptatibus omnibus cumulatam. Eheu! Non desunt tibi vires ad jejunium servandum, deest tibi voluntas expiandi scelera tua. Si explendæ sunt affectiones tuæ, si quod in votis est, obtinendum, satis robustus es ut omnia patiatis: nihil tibi metum, nihil incutit admirationem; tunc solum gratilis, & imbecillus es, cum pro Deo aliquid ferendum est, cum peccata sunt redimenda. Etenim quot videntur mortales imbecilli, atque graciles, & magnis obnoxii infirmitatibus, qui tamen diligentissimè jejunium, & abstinentiam exercent; cum interim robusti, florentes, & bene valentes, hoc supra vires suas esse queruntur, quia nihil tam parum cogitant, quam scelerum suorum expiationem? Cave, ne hos imiteris. *Idem.*

Omnes se a jejuno dispensant, vel dispensatos putant.

Quotusquisque videtur solidam agere pœnitentiam? Quotusquisque jejunii legem secundum Ecclesiæ spiritum, & mentem observat? Senes ætatem suam prætexunt; adolescentes laborem quem jejunantes patiuntur; alii imbecillitatem, & gracilitatem suam, alii malam valetudinem. Alii queruntur, quod jejuniis prohibentur, ne noctu dormiant; alii Quadragesimales epulas saluti suæ obesse testantur; quot denique occurrunt, qui inanes prætextus conquirunt, ne jejunare, & abstinentiam exercere teneantur? Quasi dispensationes, quas obtinent a Pastore nimis indulgente, vel decepto infideli conniventium medicorum testimonio efficere possint, ut tuta sit conscientia; vel tamquam si Deus qui penitiores cordium recessus scrutatur, & videt, has dispensationes ab illis nonnisi impœnitentiæ spiritu flagitari, probet eas gratias, quas vel precum importunitate, vel Ministrorum Ecclesiæ deceptione revellunt. Denique si oculos conjicio in exiguum jejunantium numerum, quàm paucos video, qui jejunium, uti oportet, observent, & qui ut sine labore illud observent, varia ejusdem lenimenta conquirunt, quæ omne illius meritum delent. *Idem.*

Quid cogitandum de Quadragesimalibus cibis, in quibus deliciæ quæruntur.

Qui tot inquirunt juscula, & condimenta in dapibus, quibus sancto Quadragesimæ spatio vescuntur, vehementer errant, si putant hujusmodi abstinentiam in oculis Dei acceptam esse posse, atque ad scelerum expiationem conferre. Haud ita; hoc non est illud jejunium, quod præceperunt Apostoli; nimis opponitur finibus, quos in primæva institutione sibi proposuit Ecclesia. Contendit illa concupiscentiam reprimere, quæ non minus accenditur, atque irritatur tanta hac salsamentorum varietate, quam carnibus, quæ majorem habent alendi, saginandique efficaciam. Jubet illa, filios suos hoc tempore a pluribus licitis voluptatibus abstinere ad expiandas tot illicitas

volu-

voluptates, quibus sese abdiderunt: at qui hoc pacto jejunant, genus tantùm delitiarum commutant. Vult illa carnem mortificare subtrahendo epulas, quas ista requirit: hi verò tantum abest, quod jejuniis corpus suum macerare velint, ut immo jejunii genus escogitarint, cui nihil molestum inest, sed quod potius carni blanditur, & gulæ velificatur. *Non est hoc suscipere abstinentiam*, Sanctus Augustinus ait, *sed mutare luxuriam*.

Malè servatur Quadragesima variis modis.

Si mediocris conditionis homines in jejuniis suis minus nocentes sunt divitibus, plerique tamen ingentia mala committunt, quibus omne jejunii meritum aufertur. Aliquos video, qui crasso errore jejunium suum in sola vetitarum carnium abstinentia constituunt, & qui bis, ut vulgò, prandent, quin aliud intersit discrimen, nisi quod postquam mane multo pisce fuerint saturati, vespere iterum fructibus, oleribusque saginantur; quod omnino evertit essentiam jejunii, quæ in unica stat comestione, & quæ idcirco subsistere nequit cum lautioribus jentaculis, quæ meridiano prandio adjiciuntur. Alios video non diffitentes, id genus jentacula vespertina invecta dumtaxat fuisse per relaxationem pietatis, & meram Ecclesiæ indulgentiam, ut jejunii rigor imminueretur; sed qui putant eorum, quæ vespere comeduntur, quantitatis tantùm, non autem qualitatis habendam esse rationem. Quæ mera illusio est; si enim præcipuum jejunii finem inspiciamus, infirmandi videlicet, & subigendi carnem; modicæ hæ dapes, quæ solidæ sunt, & magnam alendi vim habent, roborant, atque nutriunt magis, quàm levium ciborum major copia. *Idem.*

Contra eos, qui impunè violant Quadragesimam.

Cur mihi non suppetit tempus hoc in loco plerosque fideles confundendi, eisque ostendendi fallaciam tot prætextuum, quibus abutuntur, ut se a jejunio dispensent? Homines sæculi non dubitastis quominus effrænatis libidinibus, vigiliis, immodicisque intemperantiis valetudini vestræ officeretis; modò verò putatis levia incommoda, quorum causæ vestra sunt flagitia, validas esse rationes, quibus Quadragesimæ prævaricatio probetur? Vanæ mulieres, censetis apud Deum vos iri excusatum adfectata mollitie, quam speciei vestræ cultus vobis inspirat, ut ab ea lege solvamini, qua non vos minus, quàm viri tenentur? Metuitis ne jejunium valetudini vestræ noceat, atque vitæ vestræ imminuat dies. Simeonts Stylitæ, Pauli, Antonii, qui in specubus, desertisque suis quibusdam tantummodo radicibus vescebantur ad extremum usque senium pervenerunt: decies centena sanctarum Virginum millia, quæ ejusdem sunt conditionis, ejusdem gracilitatis, ejusdemque sexus sub jugo Domini canescunt, & integris ferme jejuniorum, atque austeritatum sæculis Cœlum sibi promerentur: vos autem, ubi minimum ex jejunio percipere videmini incommodum, mortem imminere putatis, atque Quadragesimæ præcepto vos nequaquam teneri arbitramini? Meditamini paulisper eam mortem, cujus vel sola recordatione contremiscitis; cogitate sæpe, corpus hoc, quod tantopere colitis; aliquando a vermibus derosum iri, atque in tabum, cineremque abiturum; & jejunii lex non amplius vobis adeo austera videbitur. Vos quoque divites mundi, qui in conviviis vestris apponi vultis quidquid pretiosissimum mari, terraque invenitur; qui ut mensas instruatis, omnia eshauritis ejus scientiæ arcana, quæ fuit excogitata, ut gustui, gulæque blandiretur, quam a vobis mortificari jubet Religio: inter tot fercula, & liquores, in tanta rerum omnium copia, & affluentia mementote fortasse venturum diem, quo, ut Evangelicus Epulo, aquæ guttam petetis, exiguum sitis, qua in inferno torquebimini, solatium. *Abbas de Breteville. Essais de Sermons, Tomo 1. prima Quadragesimæ Dominica.*

De temperantia ejus, & potus.

Temperantia, Sanctus Augustinus ait, nostrum perficit spiritum, efficitque, ut dominetur carni, eidem rebelles affectiones nostras subjiciens, cor humilians, omnemque nostræ cupiditatis ignem extinguens; denique nobis hanc procurans puritatem, quæ necessaria est, ut Deo simus accepti. Quamobrem Sanctus Gregorius affirmat, temperantem hominem ducere vitam, majori dignam admiratione, quàm sit Angelica. Angeli enim nec bibunt, neque edunt; sed qui justum servare novit bibendi, edendique modum, nonne per virtutem assequitur, quod beati illi Spiritus obtinent felici necessitate? Nonne præ illis, S. Hieronymus inquit, hoc bonum habet vivendi procul ab omnibus corporis voluptatibus, æque ac si nullum haberet corpus, atque sua vigilantia, & cura triumphum referendi ex improbo hoste, qui in se ipso circumfert? *Idem. Tomo 4. Sermone sexto post Pentecosten.*

Vera in Scripturis pœnitentia numquam est sine jejunio.

Animadvertendum est in Scripturis veram pœnitentiam a jejunio numquam esse sejunctam. David sceleris sui vult agere pœnitentiam? ad jejunium confugit: *Operui in jejunio animam meam.* *Psal. 68.* Achab vult a divina Misericordia inobedientiæ suæ veniam consequi? jejunat: *Jejunavit Achab, & dormivit in sacco.* *3. Reg. c. 21.* Ninivitæ evitare volunt cœli fulmina, quibus urbs illa erat subvertenda? Brutis quoque jejunium indicunt. Denique Deus homini modum præscribens, quo vult agi pœnitentiam, præcipit illi, ut jejunet: *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & in fletu, & in planctu* *Joelis 2.* *Idem Tomo primo, feria quarta Cinerum.*

Quàm audacter violetur Quadragesima.

Quid sibi volunt hæ dispensationes, quæ tanta petuntur audacia, tantaque indulgentia conceduntur? Etenim si quis levi affectus sit morbo, vel se affectum putet, ex medico sciscitabitur, quid sibi faciendum sit, hac mente, ut sibi prohibeatur abstinentia; atque ad conscientiæ stimulos retundendos bonam præseferet voluntatem, qua jejunium servare maximè vellet, nisi affecta valetudine prohiberetur. Si cruditate, vel nausea, si ex stomacho laboret vel capite, si oris color non sit æque vividus, ut vulgò solet, si jejunium prohibeat, ne tranquillè, ut assolet, dormiat; quin alium prætexat titulum, quàm assertam hanc necessitatem, dispensationem efflagitaturus accedet. *Auctor Sermonum Moralium.*

Ecclesia filiorum suorum infirmitatibus indulget.

Ecclesia profectò, quæ pia mater est, & quæ de filiorum suorum interiori parte non judicat, eam quam petunt, facultatem largitur; at quis audeat affirmare, Deum qui intimos cordium recessus scrutatur, eadem usurum indulgentia? Id quod tamquam merè necessarium putamus, non improbatum iri ab eodem tamquam noxiam mollitiem, & ea quæ a ministris ejus tamquam validæ rationes habentur, ab illo tamquam inanes prætextus non esse damnandos? Heu! quam timeo, ne longe aberrasse agnoscamus, cum post obitum hac de re rationem erimus reddituri! . . . . Numquid ego jejunium institueram, dicet illis Dei Filius, ut nullum perciperetis incommodum? Nesciebatis eos tantum, qui sibimet vim fecissent, in Regnum meum esse ingressuros? Pro tot sceleribus, quæ patrastis, opus esse amarissimo pharmaco, molestisque satisfactionibus? Quisnam dixerat vobis futurum ut asserta hæc dignitas vestra vos his liberaret officiis? Ut existimationi, atque utilitati vestræ consuleretis, minus Christianos esse oportere? Honoribus, opibusque vestris jus vobismet comparare posse me injuriis lacessendi &c. *Idem.*

Qui facile se a Quadragesimali jejunio dispensant, facile Paschate sacrilegè communicant.

Non puto equidem ex iis omnibus, qui sine ulla necessitate a Quadragesimali jejunio quod veros docet Catholicos, seipsos dispensant, vel unum esse, qui, ut opus est, Paschale Sacramentum percipiat. Quod homines in omnem licentiam soluti? Quadraginta dierum spatio produxistis, vel iterastis semper idem mortale peccatum, scientes, acque volentes, certo, determinatoque consilio, quod actioni adeo diuturnæ deesse non potest; ac vultis, credam, repente a vespere ad mane crastinum

cor

cor vestrum ita esse immutatum, ut terribilem hanc gulam detestetur tanto horrore, quanta voluptate eidem obsecundarit? Licet vos jamjam animam efflantes intuerer, post scelus adeo recens, & voluntarium, obstinato animo, & cum manifesto Ecclesiastici præcepti contemptu patratum, de contritionis vestræ sinceritate dubitarem; nunc verò cum bona valetudine fruamini, cum parati sitis crastinæ diei jejunium infringendo, si iterum jejunium inciperet, vultis, mihi persuadeam, sinceram esse vestram pœnitentiam: Illam equidem infictam reor, ut crederem, me non posse vobis absolutionem conferre, veritum, ne Dominicum Sanguinem prophanarem; nisi saltem vos dispositos viderem ad jejunandum quadraginta dies post Paschatis solemnitatem, ut certus essem vos duci pœnitentia infracti Quadragesimalis jejunii. *P. de la Colombiere, Tomo quarto Sermone de jejunio, & abstinentia.*

Cur tot inveniuntur difficultates in Quadragesimali jejunio.

Ne miremini ingentem hunc difficultatum numerum, quæ hac in re inveniuntur; veritas quantumvis constans illa sit, semper sexcentis rationibus impugnatur: *Conatur caro, & sanguis* (Sanctus Augustinus ait) *recta depravare, aperta claudere, serena obnubilare.* Et profectò non aliis attribui potest principiis oppositio adeo generalis, quæ fit dogmati probatissimo, quo jejunium servare jubemur. Nam licet nonnulli ob æquissimas causas valeant dispensari; attamen obligationem hanc infirmare, vel delere, idem est ac a Christiana religione proscribere mortificationem, & austeritatem, quam nobis indicit Evangelium. *Abbas Trappensis, Tomo secundo Observationum Monasticarum.*

Jejunium potissima ratio est, qua tentationibus resistere valeamus.

Jejunium, & corporis mortificatio potissima ratio est, quam Dei Filius in deserto nos docuit, ut tentatori spiritui resistamus. Dæmon nihil potest adversus nos, nisi quia corpus, & caro nostra vires illi suppeditant: carnem vestram enervate, simulque dæmonem enervabitis. Ne dicatis hujus vos conditionis non esse, ut jejunetis, atque mortificationem amplectamini; hanc religiosis integram relinquendam: etenim quandoquidem ipse Dei Filius hac uti voluit medicina, licèt eadem non indigeret; nemo est, cujuscumque conditionis ille sit, qui jejunium servare non teneatur. Si viri nobiles, si qui in hac mundi luce vivunt, immunes essent a tentationibus, & insultibus dæmonis, liceret fortasse illis corpus suum blandè excipere; sed cum hostis vehementiùs illos præ cæteris aggrediatur, majori egent præsidio, ideoque jejunium illis magis est necessarium. *Essais de Sermons Tomo 2. pro prima Quadragesima Dominica.*

Præcipuus effectus jejunii.

Præcipuus jejunii effectus est mortificare corpus, passiones animi infringere, & animæ gratiam tueri. Igitur sancto hoc Quadragesimali tempore voluptatibus indulgere, ac sese affectibus suis tradere, est penitus jejunii spiritum, sanctasque Ecclesiæ intentiones subvertere. Quàm miseri illi sunt, qui saluberrimum amuletum sibi in præsentissimum virus convertunt, & cor suum iisdem vulnerant armis, quæ sibi ab Ecclesia ministrantur, ut se a mundi, carnis, ac dæmonis oppugnatione defendant! Quemadmodum primus homo periit, eo quod contra Creatoris sui interdictum, vetito fructu noluit abstinere; Deus jejunio primi hujus mali reparationem voluit adnectere. Hæc una via est, qua funesti originalis peccati effectus possunt evitari; hæc una ratio est reddendi menti tranquillitatem, affectibus malaciam, & rationi carnis imperium, quod peccatum delevetat. Nimius ciborum abusus effecit ut dæmon triumpharet in terris; Jejunium illum inde ejicit, & rubore suffundit. *Hoc genus non ejicitur nisi per orationem, & Jejunium. Idem.* *Matth. 17.*

Jejunium Christiani robur est.

Jejunium Christianos efficit dæmonibus terribiles, invictos, omnibusque tentationum spiculis invios. Hinc factum est, quod Martyres martyrii sui die jejunare consueverant, præsertim cum divinis refici non poterant Mysteriis, rati non posse fortiora inveniri arma, quam abstinentiam. Hoc ipse Dei Filius præstitit, antequam ad certamen cum dæmone in desertum descenderet, ubi ab hoc spiritu tenebrarum tentatus fuit: *Contra dæmonem pugnaturus* (Sanctus Ambrosius ait) *longo se armavit jejunio.* *Ambros. Epist. 82.* Jejunium fuit victoriæ illius instrumentum, virtutis propugnaculum, & sanctitatis trophæum. *Jejunium scimus esse Dei arcem, Christi castra, sanctitatis trophæum.* Dei Filius hujusmodine armis egebat, ut seipsum tueretur? Nullo pacto. Sed nos exemplo illius egebamus, ut ab illo jejunii utilitatem, atque necessitatem intelligeremus. Validi nobis adsunt inimici, qui interdiu, noctuque stant in insidiis. Mundus extrinsecus nos oppugnat; caro domesticus est hostis, & proditor; dæmon leo furens est paratus ad devorandum; nos sumus in terra aliena; pro æternitate decertamus; in singula momenta in periculo pereundi versamur. Quodnam tot malis præsentius inveniri potest remedium, quodnam contra adeo fortes adversarios præsidium, quàm jejunium, & abstinentia? *Castra nobis sunt nostra jejunia, quæ nos a diabolica impugnatione defendunt, murus quidam est Christiano jejunium, inexpugnabilis diabolo, intransgressibilis inimico.* *Idem Serm. 32.* Quinam Christianus jejunio armatus victus fuit? Quisnam fuit superatus, cum intra abstinentiæ vallum sese continuit? Dæmon eos tantum aggreditur, qui abdomini serviunt: simulac jejunium videt, se conjicit in fugam. Christiani pallor hunc terret, illius macies huic vires aufert; illius imbecillitas hunc profligat, quia illius fortitudo latet sub infirmitate. *Quia infirmitas Christiana fortitudo est. P. Novet Meditatione in primam Quadragesimæ Dominicam.*

De JESU CHRISTI jejunio in deserto.

Salvatoris jejunium aliæ plures concomitabantur passiones, quibus corpus illius affligebatur, donec spiritus ejus jugi oratione Deo erat conjunctus. Non enim erga se eadem usus est indulgentia, qua cum Moyse, & Elia, qui miraculo nutriti in quadraginta dierum secessu neque siti, neque fame laborarunt; sed propter desiderium pro nobis satisfaciendi, tantum virium servavit, quantum satis erat, ut oraret, & pateretur; ita ut in dies percrebrescens fames, & sitis vitam illi abstulissent; nisi divina eum servasset virtus, quæ illum ad majora præparabat. Ita qui tot ediderat miracula, ut servos suos solaretur, miracula operabatur, ut seipsum torqueret. Quantam vim fames habeat, & ad quem furorem, ac impotentiam homines redigat, infinita docent exempla. JESUS CHRISTUS non minus adeo gravi necessitate urgebatur, licet nihil tale pateretur; ac dici potest toties nobis vitam suam impendisse, quoties illius jacturam fecisset tanta jejunii austeritate, nisi desiderium, quo flagrabat, pro nobis plura faciendi, illum coegisset operari miraculum, ut eam conservaret. *Ex libro, cui titulus: Passiones Domini nostri Lusitano Sermone editus a P. Thoma a Jesu. Parte secunda de JESU CHRISTI jejunio in deserto.*

Quadragesimæ tempus sanctè traducendum.

Quinam major Dei contemptus, quam tempus propitiationis in iræ, & indignationis tempus convertere? Eo tempore, quo omnia patent propitiationum genera, quo JESU CHRISTI Sanguis adeo copiosè fluit; quo Ecclesia tot vota, precesque effundit; quo tot concionibus nos admonet, quo tot bona exempla nobis præbet; quinam major Dei contemptus, quàm claudere cor suum omnibus hisce gratiis, ac velle similes fieri montibus Gelboe, super quos, neque imber, neque ros decidebat? *Abbas Sancti Germani.*

Jejunium est remedium contra tentationes.

Jejunium corporis tentationes prævertit, & rebelliones carnis extinguit. Intelligite, Sanctus Joannes Chrysostomus ait, JESU CHRISTI, Ecclesiæque consilia; cum ille quidem nobis jejunii exemplum tribuit, præceptumque irrogavit, hæc autem illius observantiam quadragesimali tempori affixit, quid utrumque voluisse putatis? Numquid vanè ostentare legislatoris potestatem, non aliam

rationem, quam meram voluntatem habentis? Haud ita sanè, Sanctus hic Doctor ait: Sed novit JESUS CHRISTUS tentationum nostrarum originem exhauriri non posse, nisi concupiscentiæ nutrimenta subtraherentur. *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur, nisi in oratione, & jejunio.* Per jejunium omnes voluptatis auferuntur illecebræ; corpore domito, & fatigato concupiscentiæ succus exarescit. Cœtus, quos mensæ lautitiæ congregant, cessant, & dissipantur, Jejunium, Sanctus Hieronymus ait, simile est Angelo, qui in Babylonicam fornacem descendit, ut ignes ejus extinguerer; namque concupiscentiæ ardores extinguit, *Sermo manuscriptus*.

Matt. 9.

Jejunium efficacissimum est pœnitentiæ exercitium.

Quacumque ex parte pœnitentiam inspiciamus, vel tamquam unicam rationem divinæ justitiæ, pro præteritis sceleribus satisfaciendi, vel tamquam remedium, ne iterum in peccata labamur, nullum utique huic effectui aptius, & efficacius est exercitium, quam jejunium, & abstinentia. Cur? Quia cum jejunium molestum sit opus carnem mortificans, & subigens corpus, nihil hoc aptius esse potest ad satisfaciendum Deo, iram ejus leniendam, flectendamque ipsius misericordiam, Quomodo enim conjicere ille potest oculos in calamitosum hominem per jejunium, & abstinentiam macie confectum, quin illius misereatur? Ipsa etiam ejusdem justitia, quæ violata fuit, ac irritata per scelus, obsistere minime potest veniæ illius, qui seipsum affligit, suumque macerat corpus hac mente, ut eidem satisfaciat. Rationem hanc Guillelmus Parisiensis indesinenter in omnibus suis usurpat operibus: Quid enim aliud, magnus hic Doctor interrogat, divina expetere potest justitia, quàm punire peccatum? At nonne hoc præstat jejunium corpus debilitans? Jejunium ergo suscipit justitiæ partes; cur igitur de manu Dei non excutiat fulmina, justamque leniat iracundiam, nisi fortasse justitiæ opus est bis in nocentem animadvertere? *P. Gegou, libro cui titulus. Usus Sacramenti Pœnitentiæ.*

Jejunium validissimum est antidotum contra recidivas.

Si jejunium pro præteritis peccatis satisfacit, omnem etiam vitiorum radicem revellit, atque ab iis criminibus, quæ nobis in futurum essent metuenda, præservat. Quomodo autem? Quia mortificat corpus, moderatur impetus concupiscentiæ, quæ omnium affectuum, vitiorumque nostrorum origo est, atque ita spiritui subjicit carnem. Equidem scio non deesse pœnitentiæ cilicia, aliasque id genus austeritates, quæ sunt veluti arma, quibus utitur in bello, quod jugiter cum vitiis exercet; sed præter quam quod sæculares non ita facile hæc arma attrectant; nisi jejunium accedat, si nihil negetur corpori; si nihil de consueta illius alimonia imminuatur; si in deliciis adhuc habeatur; quomodo domari poterunt rebelliones carnis, & propulsari juges impetus, quibus adversus rationem ac spiritum insurgit? Et profectò flagella, cilicia, & si quæ sunt pœnitentiæ instrumenta, quantumvis utilia sint, semper tamen sunt extrinseca remedia, & quæ extrinsecus semper subsistunt; jejunium unicè singulas intimasque corporis nostri partes pervadit, ejusque robur, ac vires imminuere, & spiritui, ac rationi carnem subjicere potest. *Idem.*

Pœnitentia sine jejunio ex Sanctorum Patrum sententia inutilis est.

Unanimi, & pene conflato consensu docent Patres sine jejunio inutilem esse pœnitentiam, vel saltem fructu carere: *Pœnitentia sine jejunio infructuosa est.* Et ita arguunt. Verus pœnitentiæ fructus est vitæ reformatio; pœnitentia, quam reformatio nulla subsequitur, arbos est sterilis nullum proferens fructum. Cum autem vegetus, & robustus corporis habitus sit causa, & maxime communis origo peccati, nulla vitæ speranda correctio est, qui verus est pœnitentiæ fructus; nisi corporis, & carnis studia reprimantur: hoc est nisi concupiscentiæ impetus cohibeantur, nisi illius ardor, roburque infirmetur. Eadem causa eosdem semper gignet effectus, donec in eadem dispositione permanebit. Quoniam igitur verum est, ad jejunium spectare, debilitare corpus, & carnem subigere; æquè etiam verum est asserere pœnitentiam sine jejunio omni fructu carere: *Pœnitentia sine jejunio infructuosa.*

Inanes plerorumque peccatorũ excusationes, qui putant, se jejunii lege non teneri.

Peccatorum plerique se excusare non cessant, alii quidem labores, alii ætatem, infirmitatem alii prætexentes. Dicunt laborem suum violentum esse, se nondum ad jejunandi ætatem pervenisse, vel jejunio sibi operandi vires auferri. Verum ex illis quæro, utrum labore suo satis delassentur, ita ut prohibeantur, ne in plurimas libidines; atque impudicitias decidant? Haud ita; immo seipsos accusant de his sceleribus, quæ sua ipsis exprobrat conscientia, Illos igitur moneo, si Ecclesiastica lege non tenentur servare jejunium, lege quidem naturali teneri, carnem spiritui subjicere, Evangelica verò, omnes concupiscentiæ motus reprimere, ad quod præstandum unica, vel potissima ratio jejunium est. Hoc ipsum adolescenti illi respondeo ætatem suam causanti. Potest ille quidem per ætatem libidinosum esse, & impudicum. Fateor ipsum quidem lege Ecclesiastica non teneri; sed tenetur aliis omnibus naturalibus, divinisque legibus, quæ hominem obligant, nihil intentatum relinquere, dummodo affectibus suis moderetur, & pœnitentiam agat suis criminibus parem; quod sanè per jejunium præsertim efficere potest. *Idem.*

Divites, ac nobiles passim a jejunio, & Quadragesima seipsos dispensant.

Mirum profectò est, quod illi tantùm, quibus in hac vita nihil vel ad voluptatem vel ad commodum deest, neque satis virium, neque satis valetudinis habeant, ut Ecclesiastiacas leges observent. Paucissimi sunt divites, pauciores mulieres, quibus, si illis habenda fides est, jejunium non obsit, & quorum valetudini oleum non afferat detrimentum. Videntur immò cum reditibus crescere infirmitates. Ille in mediocri fortuna severissimas pœnitentiæ leges servabat, quin ullo afficeretur incommodo, at cum factus sit locuples, & potens, sibi deesse vires putat vel minimæ austeritati perferendæ. Dispensationes pro divitibus ferme tantùm sunt. Gracilis, & imbecillus est ille, cui nihil deest. Diceres abstinentiam, atque jejunium, priscis fidelibus adeo familiaria, nunc verò peccatoribus adeo necessaria ferme non esse, nisi pro pauperibus. Solum Quadragesimæ pœnitentiæ, mortificationis nomen divites, & felices hujus sæculi terret. *P. Croiset Tomo 2. Considerationum Spiritualium.*

Jejunii antiquitas illud commendat.

Nemo unus ignorat, ubi de Religione sermo est, antiquitatem secum ferre nescio quem vis, & certitudinis charactèrem, quem secundum Spiritum Sanctum revereri debemus, quem tamquam cognitionum nostrarum principium possumus constituere, & in quo tamquam purissimo fonte perquirere debemus veritatem Legum Ecclesiæ. Porrò jejunii præceptum tamquam fundamento, antiquitati incumbere affirmo; illud cum mundo incœpisse, & primum hominem quoque eidem obnoxium fuisse. Nonne in terrestri Paradiso fructus aderat, ab eo non tangendus, quin se funestissimæ inobedientiæ crimine adstringeret? Nonne in Scripta Lege epulæ quædam prohibitæ erant, quibus homines vesci non poterant, quin justum iræ divinæ pondus subirent? Aliquidne in Sacris Scripturis magis, magisque commendatum nanciscimur, quàm præceptum affligendi corporis sui, in servitutem illius redigendi, & mortificandi? Prophetæ Elias, Samuel, Joel, aliique, per quos Deus populis suas aperiebat voluntates, nonne illis jejunandi necessitatem indixere? Denique Apostoli, qui in terris divinarum voluntatum interpretes extitere, nonne illas Ecclesiæ tradiderunt, ut filii ejus de iisdem erudirentur? Ita jejunium omnibus temporibus fuit, omnibus mundi ætatibus, sæculis omnibus. *Sermo Manuscriptus.*

Juxta Filii Dei exemplum Ecclesia Quadragesimam jejunare præcipit.

Ad Quadragesimale jejunium persuadendum nihil aptius esse potest exemplo JESU CHRISTI in deserto jejunantis, quod nobis Evangelium suppeditat.

dragesimale jejunium observat.

peditat. Etenim numquid ille propter se jejunabat? At ille non egebat pœnitentia. Numquid ut se præpararet tentationi, qua a dæmone erat lacessendus? At certus erat victoriæ. Numquid ut affectibus suis frœnum injiceret? At nullus in eo rebellis erat affectus, & caro ejus perfectè subjecta erat spiritui. Numquid ut peccata, quæ patrasset, expiaret? At ille per se mortalium omnium innocentissimus, & sanctissimus erat. Non jejunavit igitur primus, nisi ut nobis præberet exemplum. Utique, o Fideles, jejunavit, ut in persona sua hoc dierum quadraginta jejunium consecraret, atque illud omni posteritati venerabile efficeret. Jejunavit, ut nobis occasionem præberet respondendi impiis hominibus, ignavisque fidelibus cum Sancto Ambrosio: Quid? quo tempore, non dubitatis peccare, eam impugnare legem audetis, qui Dei ipsius exemplo est confirmata? Quid? vultis Christianos non teneri illud ferre jugum, quod ipse JESUS CHRISTUS primus tulit, ut nos ad illum post se ferendum hortaretur? Et profectò secundum illud dierum quadraginta jejunium, semper sapiens Ecclesia Quadragesimalis jejunii legem instituit; & voluntariam Domini sanctissimi, atque innocentissimi abstinentiam in præceptum peccatoribus omnibus inevitabile convertit. Credidit illa, nec immeritò, in anni curriculo spatium aliquod destinatum esse debere, quo peccata quisque sua ploret, agatque pœnitentiam, & quod sit veluti regula spiritus, carnisque destructio. Hoc autem præceptum videmus vulgò a Patribus, Apostolis, primisque fidelibus observatum fuisse. Nulla est ratio, ubi statim ac fidei lumen affulgere cæpit, pronunciatum non fuerit, alacriterque ab omni mortalium genere exceptum, edictum jejunii. *Sermo Manuscriptus.*

Jejunii præceptum facilè & sub vanis prætextibus violatur.

Numquid mihi blandior cum dico me loqui apud filios dociles, & Ecclesiæ præceptis obtemperantes; an meipsum in hoc judicio decipio? Eheu! nisi hoc jejunii præceptum in dubium revocarent; tantane temeritate illud perfringerent? Viderenturne alii affettam valetudinis suæ infirmitatem, alioquin ad quodvis aliud facinus millies difficilius robustissimam, causari? Viderenturne alii affertas occupationes prætexere, quas tamen ad minimæ voluptatis adspectum relinquere minimè dubitant? Viderenturne tot mundanæ mulieres propriæ conscientiæ sumptibus, inanes causas prætexendo iis uti dispensationibus, quæ fere sine causa petuntur, nimiaque indulgentia conceduntur? Inanes inquam causas; nam secundum Patres, & Concilia, nihil dispensare nos potest a jejunio ab Ecclesia constituto, nisi urgens necessitas, & moralis impossibilitas adsit. Cur id? Quia lex jejunii lex est generalis fidelibus omnibus irrogata, similis explicito illi præcepto, quo Rex Saul prohibuit, ne quis ex militibus suis aliquid ante vesperam gustares: præcepto, a quo Jonathas Regis ipsius filius, qui illud promulgari minime audierat, non fuit immunis, & cui parum absuit, quo minus innocens transgressio morte esset luenda. O Principes, & Potentes sæculi nequaquam soluti estis ab hac Ecclesiastica lege; qualitates, atque honores, qui vos supra reliquos constituunt ordines, vos ab hujus præcepti necessitate non liberant: Nobis imperatis, & dominamini; ideoque honor, & obedientia vobis debetur; at non minus servi estis Dei, ideoque illi honorem cultumque, divinisque legibus illius obedientiam debetis. *Idem.*

Inanes prætextus, qui efferuntur, ut homines se a jejunio dispensent.

Ut jure se aliquis a jejunio valeat dispensare, non satis est dicere posse, corpus suum jejunio frangi, atque debilitari; cum jejunium ad corpus mortificandum fuerit institutum. Ulterius aliquid esset dicendum, atque ostendendum corpus jejunio penitus destrui. Ita somnus magis quàm vulgò interruptus; nausea, quæ in quibusdam epulis invenitur; vapores, qui ad cerebrum attolluntur, & levia capiti inferunt mala; stomachi languores non admodum metuendi, sunt malæ corporis affectiones, quæ jejunium integrius, magisque meritorium efficiunt; sed quæ legitimæ esse nequeunt causæ, ut se quis a jejunio solutum existimet. Nemo enim ab eodem solutus esse potest, nisi qui potest ostendere moraliter sibi impossibile esse jejunium servare. Verùm quis dicere poterit, sibi tale jejunium esse? Numquid bellator aliquis, aut Heros, qui in acie militum præfectus copiis nihili facit omnes famis, sitisque horrores, & qui ob inanis gloriæ phantasma molestissimorum anni temporum intemperiem contemnit? Numquid avarus ille, quem cupiditas ad gravissimos vitæ labores indurasse videtur? Numquid mulier illa, quæ millies pallescere, pati, languere ad lusoriam mensam videbitur; quin tamen pallor hic, languorque suus illam deterreat? Numquid vos negotiosi homines, qui ob minimum fortunæ fulgorem vosmet æternis vigiliis atteritis? Vos mercatores, qui ob sordidi lucelli spem millies vitam, valetudinemque vestram in discrimen adducitis? Vos denique, amatores mundi, qui pro vanis creaturis plurimum sufferris; cum interim ubi de peccatis vestris expiandis agitur, futiles tantum prætextus excogitatis, quos in auriculam vel nimium infirmi Confessarii, vel nimium indulgentis medici insusurratis? Si vobis tantum est fortitudinis, roborisque, ut valetudinem, & requiem vestram omnibus hisce humanis rationibus posthabeatis; cur non satis est, ut pro peccatorum vestrorum expiatione eamdem imminui feratis? Cur justum est non deesse avaritiæ cultores suos, ambitioni servos, ludo, aleæque martyres; pœnitentiæ verò deesse suos? Æquumne est, nihil nus facere velle pro amore illius, qui vitam ipsam pro nobis effudit; & e contra paratos esse, ut nihil pro perituris rebus non aggrediamur? *Idem.*

Jejunio præsertim corpus est mortificandum.

In corpore fere semper, & sensibus pleraque vitiorum originem habent; ideoque testatur Apostolus homini utilius esse nihil, quàm corpus suum castigare, in servitutem redigere, externis sensibus pœnitentiæ medicamenta applicare. Hoc posito inde inferendum est præcipuum Christiani hominis officium esse debere domesticum hunc castigare inimicum, eò magis periculosum, quia nisi mortificetur, superari non potest. Quid autem ad illum castigandum, mortificandumque, & ad corpus in servitutem redigendum aptius esse potest jejunio, quod illi subtrahit alimentum, sine quo subsistere nequit? Cæterum quot pertinacissimi dæmones indesinenter animam nostram lacessunt, & qui expelli, nisi jejunio, non possunt? Quot impudicitiæ, intemperantiæ, carnales motus, qui vinci, domarique nequeunt, nisi per abstinentiam ciborum, quibus aluntur? &c. *Idem.*

Videmus hoc sæculo corrupto jejunium pro nobilibus viris non esse irrogatum.

Hoc sæculo, quod adeo corruptum est, nonne inveniuntur homines ita audaces, qui palam, & non sine scandalo violant non jejunium solum, verùm etiam sanctam a carnibus abstinentiam, quæ pro Quadragesimalis jejunii observantia est necessaria: hoc, inquam, sæculo, quo violatio hæc habetur quasi privilegium aliquod generis, honoris, nobilitatis; & hujus præcepti prævaricatio tamquam necessaria cura animabus pretiosis debita, quarum statim negligitur pretium, cum carum vitæ avaritia, vel ambitio est obfutura. Quandonam redibitis felicia sæcula! quibus, ut S. Joannes Chrysostomus testatur, jejunium erat portio mortalium omnium; quibus pauper, & dives, mulier, & virgo dicata Deo, sæcularis, & cœnobita, quibus omnes indiscriminatim pari fervore servabant jejunii præceptum ab Ecclesia institutum? Felicia hæc redibunt tempora, o Fratres, cum nostra metiemur officia ad certissimam urgentis necessitatis, vel moralis impossibilitatis legem hanc adimplendi, normam. Tunc valetudinis imbecillitas, generis nobilitas, sæcularium negotiorum multitudo non afferenrur tamquam prætextus ad jejunii dispensationem obtinendam: Tunc peccator magis intentus sceleribus suis enumerandis,

quàm incommodo ponderando satis se pati non putabit, ut divinæ Justitiæ toties a se lacessitæ faciat satis. *Idem*.

Quid faciendum illis, qui Quadragesimale jejunium servare non possunt.

Ne tibi credas ea in re, ubi adeo facile temet ipsum decipere potes: consule illuminatos duces, qui te non decipiant, & nisi omnino tibi suppetunt vires, ut hoc stadium ad extremum usque spatium absolvas; tunc quin clanculum ea gaudeas infirmitate, quæ alio quolibet, præter quam Quadragesimali tempore tibi accideret permolesta, geme potius coram Deo, & erubesce, eo quod vel nimiis vigiliis, vel immodica intemperantia te imparem præbueris, qui ejusdem mandato obsequereris. Dole, quod culpa fortasse tua sejunctus es a cœtu Fidelium optimæ Matri Ecclesiæ obtemperantium. Saltem relinque aleam, epularum delicias, sumptusque conviviorum, a mensa proscribe tua quidquid gustui blandiri potest, ut iis tantum, quæ sunt necessaria vescaris: præsertim verò Domino præsta damnum, ac ferventioribus, quàm vulgò, precibus, uberioribus eleemosynis, magis frugi vivendi ratione, privatione quarumdam voluptatum, quæ tibi interdictæ forent, si minus nocens esses, repara jejunii defectum. *Idem*.

Jejunium servandum est, quin labor illius imminuatur.

Quod hic rigorem, atque jejunii severitatem voco, ne vobis negotium vocabulum facessat, nihil est aliud, quàm exacta illius observantia Evangelicis regulis conformis, atque iis omnibus viduata lenimentis, quæ amor proprius reperit, ut quod ad corpus mortificandum inventum est, commodum, ac facile sibi præbeat. Hæc autem lenimenta vel id respiciunt quod in jejunio exterius est, atque sensibus patet; vel quod est interius, & spirituale. A quibusdam epulis abstinere, statis tantum horis comedere, ac data vesci quantitate ciborum; hoc in jejunio exterius est, atque pertinet ad corpus. Abstinentiæ huic quarumdam voluptatum privationem, quarumdam periculosarum occasionum fugam, peccati horrorem, virtutis exercitationem, & a quibusdam rebus abstinentiam, quæ aliis temporibus licere possent adnectere; hoc interiorem jejunii partem, hoc jejunii, Ecclesiasticæque legis spiritum voco. Duplici autem hac ratione peccatur, cum in Quadragesimali jejunio lenimenta quæruntur. Peccatur contra finem illius, qui est per hanc abstinentiam, & communium ciborum subtractionem corpus infirmare; peccatur contra extensionem, & ut ita dicam, integritatem jejunii, quæ magis adhuc voluptuosæ vitæ illecebrarum, quam carnium, corporeaτumque epularum privationem complectitur. Atque hoc pacto, quidam Ecclesiæ Pater ait, sumitur occasio irritandi Deum per ea, quæ ad illum placandum sunt instituta. *Idem*.

Quanam severitate jejunium in primitiva servaretur Ecclesia.

Cum jejunium institutum fuerit ad carnes, quæ concupiscentiam irritant, prohibendas; non aliud habeo, quod dicam, nisi in Ecclesia semper habitum fuisse tamquam lenioribus etiam epularum deliciis oppositum; atque creditum fuisse, quod non copia tantum, verum etiam dapum, quæ comedebantur, nimia suavitate perfringeretur. Veritas adeo constans, ut primis quidem illis temporibus, in diurna mensa nihil nisi legumina, & olera male condita apponerentur; subsequentibus verò Patres Ecclesiæ nimiam salsamentorum lautitiem improbarint, eaque injustissima jejunii lenimenta censuerint. Eheu! Quid ergo dixissent illi, si vidissent epulas nostras, quæ esse deberent mortificationis, & frugalitatis indicia, deliciis cumulari, atque suavissimis jusculis præ reliquo anni spatio magis condiri? Quid illi dixissent, si nos temperantiæ fines prætergredi conspexissent, ut gulæ fines latè produceremus; cœnam proferre, ut abstinentiæ tempus imminueremus; hoc vespertinum, ac matutinum lenire intervallum suavium quorumdam liquorum usu, & damnum modici cibi reparare quietis, somnique longitudine, qui tunc tantum abrumpitur, cum jamjam mensæ accumbendi hora nunciatur? Qui omnes ferme noctes in vigiliis, precibusque transigebant, & qui ne vini quidem usum Quadragesimali tempore tolerabant, quid dicerent, si viderent copiam hanc vespertini jentaculi, quod a meridiano prandio, nonnisi ratione ferculorum apponendorum discordat? Qui semel tantum in die ad attritas corporis effœti vires reparandas vescebantur, quid dicerent, tot indigna legis temperamenta videntes? Dicerent utique, o fratres, vos fictos esse pœnitentes, magis voluptuosos corporis vestri cultores, quàm religiosos Ecclesiasticorum institutorum observatores; nihil magis indignum esse, quàm carni suæ blandiri eo tempore, quo unusquisque illam mortificare tenetur; in opiparas dapes, & gustus irritamenta meliorem patrimonii partem obligurire; tunc temporis, quo præcipit charitas, ut magis quàm alio quovis, pauperum fames reficiatur, atque indigentium necessitatibus subveniatur. Dicerent illi, nostra nihil referre, ab utro horum abstinentiæ inimicorum superemur; dicerent denique jejunare, uti oportet, non esse tantùm ab illicitis carnibus, sed a minimis etiam gustus illecebris abstinere; quod non solum est noxiis carere voluptatibus, sed eas etiam, quæ culpa vacant, sibi interdicere. *Idem*.

In Quadragesima non corporale solum, verum etiam spirituale jejunium est de præcepto.

Jejunium corporale non aliud est nisi, ut ita dicam, umbra spiritualis, interiorisque jejunii. Utique, Sanctus Augustinus ait, in hoc Ecclesiæ præcepto, quo carnium prohibetur usus, atque communium voluptatum privatio tempore Quadragesimali præcipitur, aliquid ad nostram doctrinam deprehendimus. Hoc enim salutare nobis est monitum, ut nobis ea negemus, quæ numquam nobis permittuntur. Frustra enim offerimus Deo sacrificium corporis nostri earum rerum abstinentia, quæ alio tempore licent, si tunc temporis anima saginatur peccatis, quæ non licent umquam. Itaque sensus omnes suum habere debent singuli jejunium; quia singuli sua habent particularia peccata. Oculorum rebellio sunt obtutus impuri, aurium oblectatio, qua obtrectationes, colloquia prava, obscœnæque cantiones audiuntur, pedum, est inordinatus motus, quo ad spectacula, prophanos cœtus, & periculosas occasiones festinant; manuum verò, motus ultionis, atque rapinæ. Opus est ergo, ut imprudentes oculi jejunent, atque claudantur rebus omnibus, quibus decipi possunt, & inde cordi necem inferre. Opus est, ut jejunent aures, atque omnibus claudantur obtrectationibus, periculosis cantiunculis, simulatis, verisque amicitiæ protestationibus, quæ ab alterius sexus mortalibus fiunt, opus est, ut pedes jejunent, abstinendo a spectaculis, prophanisque cœtibus, & locis omnibus, quibus per occasionem labi potest. Opus est, ut manus crudeles jejunent benefaciendo illis, quibus attulere damnum, & ex iis, quæ superfluunt, bonis, uberes in sinum pauperum effundendo eleemosynas. Cur istud? Quia jejunium sese debet extendere ad ea omnia, quæ in homine rebellia sunt: hæc species est holocausti, in quo nihil impurum, & contaminatum integrum relinquendum est. *Idem*.

Quadragesimali tempore sanctius vivendum est, & mores non secus ac dapes mutanda sunt.

Cum sancta buccina olim resonabat in Sion, ut abstinentiæ tempus annuntiaret, nullæ amplius erant nuptiæ, nulla convivia, non venatus, non voluptates, non deambulationes, non aleæ; balneis quoque quibusdam in climatibus adeo necessariis erat interdictum; forum, quod semper patuisse videbatur, ut jus diceretur, indicto justitio, erat desertum; tota denique civitas non aliud erat, quàm pœnitentium congeries. Heu! hodie, cum jam aperta sit Quadragesima, quod omnes fideles norunt, ullane videtur morum, & consuetudinum varietas? Superestne vel sola illius pœnitentiæ species, quam Patres nostri tanta religione servabant? Aliquod profectò discrimen occurrit inter hujus temporis, & anni totius epulas. At mores nonne semper iidem sunt? Hactenus vivendi rationem mutavimus? In ipso etiam Quadragesimæ

gesimæ

gesimæ sine idem erimus, quales in plurimorum annorum extitimus sine fine ulla morum mutatione. Amatoriæ illæ festivitates, ludi, spectacula, quibus hoc etiam sanctissimum tempus prætextum suggerit, ipso saltem Quadragesimæ intervallo cessabunt? Solventurne congressus illi, ubi minimum, quod fiat, malum est novas subinde affectiones excitare, & suscipere? Visitationes, publicæque deambulationes minus erunt frequentes? Numquid obærati minori crudelitate obstringentur? Numquid ab inimico illatæ injuriæ majori cum patientia perferetur? Quadragesima verò elapsa, eademne videbitur hilaritas, luxus idem, eadem in voluptates studia, eadem mentis evagatio? &c. *Idem*.

Abstinentiæ antiquitas.

Nulla vetustior lex est, quam quæ præcipit abstinentiam; eadem cum terrarum orbe jactat primordia, S. Basilius ait; homo enim in mundum veluti summus quidam Sacerdos introductus, Deus nequaquam præcepit, ut sibi victimas jugularet, neque ab eo sacrificia, vel tymiamatum fumum poposcit; sed satis habuit legem irrogare, qua imperavit, ut abstineret. Omne religionis arcanum in præcepti hujus observatione constituit, atque, ut verbo me expediam, totam legem in hoc posuit, ne fructu arboris, quæ erat in terrestri Paradiso, vesceretur. Hoc sane parum est, ac facile observandum; verùm homo quid? Præceptum fregit, ejusque gula fuit malorum omnium illi principium. Intemperantia, heu! quam caro nobis stas pretio, quandoquidem voluit Deus, illa a rebellis hujus parentis filiis reparari! Hoc etiam omni tempore contigit; si enim prima usque repetere lubeat sæcula, videbimus, antediluvianis temporibus homines ab esu carnium abstinuisse; postdiluvianis verò ab animantium cruore; & in lege Moysis, Aaronem, & summos Sacerdotes, pœna mortis proposita ausus non fuisse vinum delibare. Rechabitæ quia ab eodem abstinuere, bonis cumulantur, & populus Israel propter intemperantiam in deserto malis obruitur. *Ex manuscripto Sermone*.

Ninivitarũ Jejunium.

Assyriæ Rex, qui infamis fuisse creditur Sardanapalus post terribiles minas, quas Dei nomine illi Prophetæ intentaverat, de solio descendit, regium exuit paludamentum, ut cilicio indueretur; jejunare cœpit, edictumque generale pronunciavit, quo ipsi etiam lactentes pueri, immo bruta quoque animantia jejunare jubebantur, ut Dei flecteretur ira, quæ Ninivitis terribile minitabatur excidium, & ut sanctus, ut ita dicam, conscriberetur exercitus, quem iræ Domini opponeret. Neque ipsum sua fefellit sententia: hominum pœnitentia protulit pœnitentiam Dei; & pœnitentia mutantium mores mutavit immutabilem. Illud verò magis notandum est, ex jejunio hanc potestatem, has vires pœnitentiæ accessisse. O jejunium, quod tot animas morti devotas servasti! Jejunium, quod Deum exercituum exarmasti, quod fulminum illius ignem extinxisti, & civitatem, quæ futura erat horribilis ultionis theatrum in divinæ Misericordiæ trophæum admirabile convertisti? Quinam pœnitens post hoc exemplum ad te non confugiet, tamquam ad asylum tutissimum? Cui post hæc videri potes vel novum, vel nimis austerum, nisi illis, qui suum amant interitum, vel qui illum evitare detrectant? Divina justitia jam nobis bellum indixit; non procul abesse potest excidium. Ubinam contra omnipotentem suppetias invenire poterimus? In nobis sanè per voluntarium jejunium. Torqueamus viscera nostra pœnitenti fame, & certi simus, futurum ut vox eorum ad Dei usque thronum ascendat non secus ac vox Ninivitarum, ad peccatorum nostrorum veniam obtinendam, & jacula de manibus illius deturbanda. *Godeau in Tabulis Pœnitentiæ Ninivitarum*.

Constantinopolitanorum civium fervor in Quadragesimæ observatione.

Ecclesiastica testatur historia Byzantii Justiniano imperante factum accidisse, quod egregii profectò instar exempli esse potest. Cum civitas illa maxima laboraret fame, atque jamjam Quadragesimæ tempus deesset, antequam terribile hoc flagellum detonuisset, jussit Imperator, laniorum officinas ubique patentes esse, atque palam promulgari generalem ab sancti hujus temporis abstinentia dispensationem. At quomodonam arbitramini exceptum fuisse edictum hoc adeo justum, & necessarium? O sæculum felix! O Superi, restatne adhuc vel una antiqui hujus fervoris scintilla? Crederetis ne, fideles, in tanta urbe, in adeo luctuosa, urgentique necessitate, ne unum quidem, (videte, quid dicam) ne unum quidem inventum fuisse Christianum, qui collata sibi gratia uti voluerit? At nondum satis: vix dispensationis edictum prolatum fuerat, cum undequaque ad regias ædes concursum est, atque enixiùs, obortisque lacrymis flagitatum, ut placeret Cæsari antiquare recens illud edictum, & præcipere, ut antiqua instituta servarentur; quoniam fame potiùs interire cupiebant, quàm veteres leges infringere. Nonne diceres hic agi de aris viventis Dei; quasi Princeps bono huic populo ex corde Religionem vellet divellere? *P. de la Colombiere, Sermone de jejunio, & abstinentia*.

De prætextibus qui afferuntur, ne jejunetur.

Cur mihi non superest tantum temporis, quantum satis est ad plerosque Fideles confundendos, eisque detegendam tot prætextuum fallaciam, quibus abutuntur, ut se a jejunio dispensent? Quænam indignandi cum Propheta nobis occurrit causa, videntibus temere, & audacter illud infringi præceptum, cujus prævaricatio, nisi legitima adsit ratio, peccatum est, quod ex unanimi Doctorum omnium consensione damnationem meretur! O mortales abdomini nati, non timetis vestræ valetudini officere vigiliis, & immodicis commessationibus; & putatis incommoda, quorum causæ vestra extitere flagitia, validas rationes futuras ad Quadragesimæ prævaricationem probandam? Mulieres, arbitramini futurum ut Deus rationem habeat affectatæ hujus mollitiei, quam corporum vestrorum cæcus amor inspirat, ut ab ea lege solvamini, quæ non pro vobis minus, quàm pro viris est lata? Esther fidelis fuit legi Dei sui in ipsa aula Assueri, neque vetitarum epularum usu fœdari passa est; attamen iis omnibus prælata fuit, quæ ad tantum regni honorem contendebant. Daniel, Sodalesque illius leguminibus enutriti in oculis Nabuchodonosor venustiores, formosioresque visi sunt, quàm alii adolescentuli exquisitissimis dapibus saginati. Simeones Stylitæ, Pauli, Antonii, atque tot alii Anachoretæ, qui in speluncis, desertisque suis radicibus tantùm vescebantur ad extremum usque senium pervenerunt; vos autem, ubi jejunium, vel potius imaginatio vestra efficit, ut alio affici videamini incommodo, mortem imminere arbitramini? Seriò mortem hanc meditamini; vobismet exhibete corpus hoc, quod tantopere colitis, vermibus, taboque diffluens; & jejunii obligatio vobis non videbitur ultra tantum austera. Mortem hanc meditamini, o divites sæculi, qui in conviviis vestris terræ, marisque divitias congeritis; qui ad mensas instruendas omnia exhauritis ejus scientiæ arcana, quæ excogitata fuit, ut alliceret gustum, & palparet gulam, quam mortificandam vobis Religio præscribit. Inter tot fercula, & pocula, quæ abundant, atque superfluunt, mementote venturum aliquando diem, quo ne unam quidem obtinere poteritis aquæ guttam, quæ soletur sitim, qua in inferis cum malo divite, (cujus tanta est fama in Evangelio) conficiemini; & præceptum jejunii, quod pauperibus tantum irrogatum videtur, non adeo austerum vobis videbitur. *Essais de Sermons, pro Dominicis. Dominica prima Quadragesimæ*.

IGNORANTIA.

Ignorantia earum rerum, qua ad Deum, & salutem nostram pertinent. Ignorantia affectata, & voluntaria. Ignorantia invincibilis &c.

MONITUM.



Agna illa relatio, qua inter ignorantiam, & mentis cæcitatem intercedit, aliquem fortasse in eam mentem impellere posset, at duos hosce titulos simul conjungendos, atque sub uno capite pertractandos fuisse arbitretur; sed præter discrimen illud, quod semper causam inter, effectumque invenitur, ex iis, qua istic aguntur, & ex malis, que utrinque oboriuntur, facile intelliget hec non esse unum, & idem; quod tamen non prohibet, quominus alterum alteri ferat opem in iis, qua sunt utrique communia.

Eo in argumento, de quo hic loquimur, agimus præsertim de voluntaria ignorantia officiorum Religionis, statusque nostri; de negligentia iisdem imbuendi; de variis ignorantia speciebus, que nos coram Deo inexcusabiles prabent: de peccatis omissionis, que per adfectatam ignorantiam patrantur, deque periculo, quod hoc pacto subimus intereundi præter mentem; ac tandem de ea necessitate, qua curare debemus, ut edoceamur, alioquin rationem redditari criminum omnium, in que ceciderimus.

Animadvertendum dumtaxat est, quemadmodum hujus argumenti sermo didascalicus esse debet, ita plurima ex Ethicorum, atque Theologorum pena hac esse afferenda, quin tamen aliquid statuatur, antequam solida, atque non labefactanda jacta fuerint principia. Tale illud est, quod Sanctus Augustinus constituit, vitio nobis verti non posse, quod inviti ignoramus, & quod nosse in potestate nostra non fuit. Et alterum illud: Voluntariam, & adfectatam inscitiam, vel qua inde orta est, quia edoceri neglexims, non solum non excusare, sed ut plurimum nocentieres efficere.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus Argumenti Systemata.

1. 

Bi primum ostenderit, inscitiam cum qua nascimur, justam esse pœnam peccati primorum parentum, qui in boni, malique scientia Deo similes esse voluerunt, pro concionis argumento desumere poteris: 1. Officiorum nostrorum ignorantiam, seu de Religione, seu de status nostri muneribus agatur, nunc inexcusabilem esse in Christiano rationis usum habente, cui tot suppetunt viæ, atque subsidia sese erudiendi. 2. Malum, quod in Religione, & Republica hæc gignit inscitia.

Pars prima. Incipere possumus dicendo quantumvis magna sit ignorantia, quæ primum est vulnus, quod originale peccatum homini intulerit; Deum tamen in anima illius quemdam intelligentiæ suæ radium impressisse, lumenque satis fulgens, quod illi ipsius officia detegeret; eique bonum, & malum ostenderet, rationis tantùm, atque conscientiæ magisterio: itaut omnes homines licet inter Ethnici erroris tenebras educati, inexcusabiles sint, Sanctus Paulus ait, atque justis afficiendi sint pœnis, eo quod huic naturali legi nequaquam obtemperaverint, quin prætexere valeant causam ignorantiæ officiorum suorum. At haud hæsitanter affirmari potest, hominum omnium nocentissimos esse Christianos, qui moribus, vivendique ratione ostendunt se prima suæ Religionis principia, atque maximè necessaria sui status officia ignorare. 1. Ignorantia officiorum Religionis suæ criminosa, & inexcusabilis est; christianas enim veritates nemo ullus ignorat: explanantur, atque docentur de suggestu à Concionatoribus; rudibus etiam, agrestibusque hominibus in pagis, agrisque annunciantur; pueris ab ineunte ætate, & à teneris usque unguiculis traduntur; Sed hæc fortasse causa est ignorantiæ eorum, qui sunt provectiores ætate, qui memoriæ mandarunt religionis veritates eo tempore, quo per ætatem ad easdem animum advertere, earumque pondus meditari non poterant; & qui cum deinde non satis illas perpenderint, atque animo penetrarint, vivunt quasi illas omnino ignorarent, vel satis esse putant eas theoreticè tantùm nosse, quin unquam exerceant. Hinc fit, ut sæpe qui majori in cæteris rebus mentis acumine pollent, atque doctissimi habentur, in salutis suæ scientia, quæ nonnisi ex praxi earum veritatum, quas Religio docet, acquiritur, rudes, & planè hospites inveniantur. Hic latus aperitur campus descriptioni status deplorabilis, ad quem hæc ignorantia Christianismum redegit, cum paucissimi vitam suam secundum christianas veritates instituant, quasi hæ illis essent prorsus ignotæ, & absconditæ. Hæc scientia, & harum veritatum cognitio in Bibliis sapientiæ nomine appellatur; sed cum paucissimi sublimibus hisce luminibus tegantur, quæri posset cum S. Job; *Sapientia ubi invenitur?* Et profectò si omnes hominum status percurrere velimus, inveniturne inter homines negotiosos in id unicè intentos, ut suam provehant fortunam? Inter viros principes, auctoritate, ac genere insignes? Heu! nihil ibi nisi ambitio est; nomen, honorem, auctoritatem suam adhibent, ut sibi metum, & reverentiam concilient; quin Deum timeant, & sub potenti manu illius sese humilient, in quo vera sapientia consistit. *Sapientia ubi invenitur?* Numquid inter litteratos viros multivaga eruditione præditos? At sæpe hi præ cæteris rudes, & hospites sunt in ea, de qua loquimur, scientia. Scientia sua illos inflat; neque aliud est nisi superbia, vanitas, ostentatio: hæc omnia Evangelicæ opponuntur sapientiæ; ignari sunt evanescentes in cogitationibus suis. Numquid inter homines e populo, qui manuum suarum laboribus sibi comparant victum? Hi profectò præ cæteris aptissimi habentur ad scientiam hanc exercendam; sed ut plurimum illam minùs callent, & id fere unum cogitant, quomodo in hoc mundo vivant, quin vitam cogitent æternam, quam laboribus suis possent acquirere &c.

Pars altera. Aperta inductione ostendendum est, 1. malum quod parit ignorantia negligenti doctrinam officiorum Religionis, ac status sui. 2. quod adfert rei publicæ. 3. Perturbationem, quam in

fami-

familiis ciet. Primum autem si malum spectemus, quod singulis adfert, hæc est plerorumque peccatorum, quæ patrantur, causa, præsertim verò peccatorum omissionis, quæ sunt maximè familiaria, ubi semper voluntaria, & adfectata ignorantia immiscetur; sive id per negligentiam accidat, sive per improbitatem. In Religionis officiis, exempli gratia, qui dies festos non colit, jejunium non servat, neque aliis Dei, vel Ecclesiæ præceptis obtemperat, nequit prætexere ignorantiam, quæ fere numquam esse potest invincibilis. Secundò in rebus publicis; quam enim injustitiam committeret Judex, qui rudis est legum, & juris, & qui de facto aliqua cognoscere negligit? Quot cædium reus est Medicus imperitus, ac rudis hujus artis hominibus adeo necessariæ? Homo negotiis impeditus, qui nescit, quid sibi leges, & conscientia permittant &c. Inferenda est denique naturalis, & inevitabilis necessitas, qua singuli officia sua tenentur cognoscere.

II. De munere docendi, erudiendique ignaros seu pueros, seu alios: In hujus argumenti sermone ostendi possunt tres veritates, quæ illis, quibus hæc credita provincia est, sublimem vocationis suæ existimationem comparabunt.

1. Nihil esse præstantius hoc charitatis officio, cum hoc fine exerceatur, illis videlicet præbendi, aut faciliora efficiendi salutis eorum subsidia. Hoc est fungi munere Apostolorum, quorum ministerii hæc pars fuit potissima. Hoc est eleemosynam facere magis præstantem, magisque acceptam Deo, quàm quæ pauperibus erogatur, ut corporali eorum necessitati afferatur solatium. Zelus est, quo Deo operam nostram præstamus, qua Salvatori nihil fuit unquam antiquius. 2. Nihil hoc utilius, vel reipublicæ, vel Religioni, immo neque illi, qui, uti decet, hoc munere fungitur. 3. Nihil hoc aptius est, ut ad sublimiorem sanctitatis, & perfectionis apicem nos extollat.

III. 1. Quàm arcta, & inevitabilis sit obligatio, qua fidelis nosse tenetur mysteria, & veritates suæ Religionis, ac sui status officia; ideoque ea discere. 2. Quam criminosa, & inexcusabilis sit horum officiorum, harumque veritatum ignorantia, cum esse nequeat invincibilis.

IV. 1. Quàm noceat saluti ignorantia veritatum Fidei, institutorum Religionis, & officiorum status nostri. 2. Quàm futiles sint excusationes, quæ afferuntur, vel quæ possent afferri, ut quis a necessitate seipsum de illis erudiendi dispenset. *La Font. Propositione pro sexta post Pentec. Domin.*

V. 1. Ignorantia alia est pœna peccati, quæ nobis quidem est naturalis, sed quam luminibus fidei expellere debemus officia nostra edoceri curantes. 2. Alia est ignorantia, quæ peccatum est & pœna plurimorum peccatorum, quæ ex negligentia, vel improbitate nostra procedit. 3. Alia ignorantia est excusatio peccati, quæ videlicet invincibilis est; sed alia quæcumque illud aggravat.

VI. 1. Numquam homines magis illuminati fuere, quàm hoc sæculo sint, quo Ethnici erroris tenebræ jamjam ex universa terra dissipatæ sunt; quo sæculorum omnium luminibus, & cognitionibus uti possumus, quo celeberrimi florent Evangelii præcones zelo, ac doctrina præditi; atque Doctores omni eruditionum genere instructissimi; quo penitiora Ethicæ Christianæ adyta jam vestigata sunt, omnesque Theologiæ difficultates explanatæ: attamen hominum error, & ignorantia numquam gravior fuit in Christianarum veritatum exercitio. 2. Ostendendum est quid naturaliter ex veritate adeo comperta, atque explorata consequatur. Primum; Christianos nocentiores, magisque inexcusabiles esse iisdem Ethnicis; non enim iis, quibus septi sunt, luminibus utuntur, ut suam vitam instituant; sed illis oculos claudunt, ut in voluntaria officiorum suorum ignorantia permaneant. Sequitur secundò, illos in hac quidem vita punitum iri omnimoda cæcitate, quod gravissimum est divinæ justitiæ supplicium; in altera verò gravissimis pœnis, postquam oculos aperuerint, & agnoverint errorem, atque ignorantiam, in qua permanere voluerunt. *Ergo erravimus, & sol intelligentiæ non luxit nobis.* Sap. 5.

1. Officiorum nostrorum ignorantia, cum de moribus, & religione sermo est, nos iis omnibus privat bonis, quæ in lege gratiæ fuere promissa, luminibus fidei, donis Spiritus Sancti, omnibusque gratiis supernaturalibus. 2. In nos omnia detrahit mala, quæ magis metuenda sunt, dedecus, tristitiam, vitæ hujus molestias, ac tandem pœnas omnes, atque supplicia alterius. VII.

1. Quædam adest ignorantia neque noxia, neque vituperabilis; earum videlicet rerum, quas scire non tenemur, quippe quæ procul a statu, & professione nostra dissentiunt: ubi latè disseri potest de plurimarum scientiarum inutilitate, quæ minimum prosunt, ut meliores fiamus. 2. Plurima sunt, quæ ignorare magis expedit, quæ nostræ tantùm alendæ curiositati, ac nobis ab officio avellendis inserviunt. 3. Quædam noxia est ignorantia, earum scilicet rerum, quas scire tenemur, ut professionis nostræ muneribus rite perfungamur. VIII.

1. Quamvis quicumque peccat, ignorans est, juxta commune effatum; non tamen inde sequitur quodlibet peccatum, peccatum esse ignorantiæ. Quamobrem postquam esplicitum fuerit, quonam in sensu hoc intelligendum sit, ostendendum est; earum rerum, quas scire tenemur, inscitiam, earumque percipiendarum incuriam particulare peccatum esse; peccatum causam plurimorum peccatorum, & præterea circumstantiam, quæ efficit, ut peccata quæ per illam patrantur, graviora sint, & minùs venia digna. 2. Nihil prohibere posse ea mala, quorum ignorantia fons est, nisi doctrinam, quam, qui sua ignorant officia, inquirere debent; & illi, quibus credita est populorum erudiendorum cura, quales sunt Pastores, iique omnes, qui salutis alienæ curam gerere debent, illis conferre arcta necessitate tenentur. IX.

1. Summa necessitas, quam plerique Fideles habent discendi officia, & munera sua, cum tanta in mundo grassetur ignorantia, ac tot mala pariat. 2. Magnitudo obligationis, qua illi, quibus aliorum cura commissa est, eos debent erudire; quandoquidem officii utriusque negligentia criminosa est coram Deo, & utrorumque parit damnationem, qui illi sæpe ad id ne animum quidem advertant. X.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest ad propositas Concionum structuras exornandas.

Sanctus Augustinus, *lib.* 22. *de Civit.* ostendit quanta cum ignorantia nascamur, & quænam nobis remedia conferat Providentia contra tantum hoc mali. Sancti Patres.

Idem, *lib.* 3. *de libero arbitrio cap.* 19. respondit quæstioni cur propter primorum patrum scelus cum tanta ignorantia, & difficultate bonum operandi nascamur? *Et cap.* 20. *libri ejusd.* hujus rei rationem adfert.

Idem, *lib. de Peccator. merit. cap.* 17. ostendit quomodo ignorantia prohibeat, ne bonum fiat.

Idem, *lib.* 3. *de libero arbit. cap.* 22. docet quomodo, & quando ignorantia hominem excuset a noxa.

Sanctus Hieronymus in epistola quadam ad Damasum Papam, ostendit illius Ecclesiastici indignitatem, qui muneris sui nescit officia, eaque negligit, ut tempus omne in rerum inutilium studia transmittit.

Sanctus Gregorius, *lib.* 27. *Moral.* docet eum, qui rationis compos est, ignorare non posse, quid bene factum, quid secus fuerit, & quemlibet peccatorem a propria damnandum esse conscientia.

Idem, *lib.* 15. *Moral.* in hæc verba Job: *Omnes vias ejus intelligere noluerunt*, ostendit eos, qui adfectata peccant ignorantia, neque coram Deo, neque coram hominibus excusabiles esse.

Idem, *in Pastoral.* 1. *part. cap.* 1. acriter invehitur contra Pastorum inscitiam, qui cum alios ducere teneantur, viam, qua eundum sit, & ipsi ignorant.

Sanctus Ambrosius, *lib.* 1. *Offic. cap.* 26. docet, ignorantiæ, atque cæcitatis Ethnicorum causam inde profectam, quod in veritatis perquisitione usi non fuerint luminibus mentis suæ.

Idem, capite eodem, ostendit non satis esse in perquirenda veritate laborare, sed opus esse, ut vitæ nostræ actiones luminibus, quæ nobis suppetunt, respondeant.

Idem ibidem, docet Philosophos veteres contra sua principia peccasse in veritatis perquisitione.

Sanctus Bernardus, Sermonibus 35. & 36. in Cantica fusiùs loquitur de noxia ignorantia, quæ vitanda est, & scientia necessaria, quæ est acquirenda.

Idem, vel potius collectio ex operibus illius, cui titulus, *Flores D. Bernardi* cap. 108. quæritur, utrum ignorantia sit semper damnabilis.

Idem, *in Epistola* 77. *ad Ugonem de S. Victore*, ad examen revocat, statuitque quando, & in quo peccari possit per ignorantiam.

Idem, *Serm.* 35. *in Cantic.* ostendit suipsius ignorantiam, & sui met cognoscendi neglgentiam sexcentorum malorum esse causam.

Idem ibidem, ostendit ignorantiam, qua & Deum, & nosmetipsos nescimus, causam esse nostræ damnationis, atque in nos Dei maledictionem trahere.

Idem, *de Ascensione Domini Serm.* 6. docet eo, quo sumus tempore, de Fidei nostræ mysteriis eruditi, officiorum nostrorum ignorantiam omni prætextu, & excusatione carere.

Idem, *Serm.* 22. *super Cantic.* ostendit quomodo Filius Dei prædicatione sua omnes ignorantiæ tenebras disjecerit.

Idem, *tract. de precepto, & de dispensat. capite* 12. docet quænam excuset a peccato ignorantia, & quæ non. item.

Sanctus Bernardinus, *Tom.* 2. *Serm.* 20. agit de causis ignorantiæ.

Afferret aliquæ. Granatensis in præfatione partis alterius Catechismi sui loquitur de plurimorum Fidelium ignorantia in iis, quæ ad Religionis suæ pertinent fundamenta.

Bellarminus in Opusculo septem verborum, quæ in Cruce protulit JESUS CHRISTUS cap. 1. explicans hæc verba: *Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt*.

In libro, qui inscribitur: *Les Conduites de la Grace*, P. Antonii de Sancto Martino a Porta, parte secunda, ubi sermo est de causis peccati, agitur etiam de omnibus ignorantiæ speciebus.

Idem articulo sequenti quærit, utrum fieri possit, ut aliquis invincibilem habeat naturalium præceptorum ignorantiam.

P. Haineuve, in libro de Ordine parte prima Sermone tertio, docet in fidelibus, qui negligunt edoceri, non tantum esse ignorantiæ, quantum improbitatis.

Liber, qui inscribitur: *Guerre aux Vices* 28. cum prælium est contra ignorantiam.

Gobinet libro, cui titulus: *L'Instruction de la jeunesse*, *part.* 3. *cap.* 1. ostendit primum salutis obicem esse doctrinæ defectum.

Liber, cui titulus: *Sacra Catechismi Scientia*, docet, quomodo a Pastoribus docendi sint populi, & a populis quærendum, ut edoceantur.

P. Paulus Segneri, in libro, qui inscribitur: *Praxis Officiorum Curatorum*, ostendit, quomodo teneantur Pastores erudire, quos Deus ipsorum credidit curæ.

Baudon libro, cui titulus: *Christianus ignotus*, lib. 1. cap. 1. docet quanta sit plurimorum Christianorum ignorantia in iis, quæ spectant ad Religionis veritates, præsertim verò eorum, qui in pagis, agrisque degunt.

P. Camaret libro, cui titulus: Purus, perfectusque Christianismus. Tomo 2. cap. 3. sect. 1. ubi sermo est de ignorantia, quæ una est ex pœnis peccati originalis.

P. Texier in Adventu, cui titulus, Impius infelix, Sermone de Impio in Intellectu suo maledicto loquitur de ignorantia plerorumque fidelium in iis, quæ ad salutem pertinent. Concionatores Neoter.

Reina, *Conc.* 24. *in feriam* 3. *Domin.* 4. ostendit tenebras, quæ terris incubuerant, & Divinarum veritatum ignorantiam, antequam Salvator nasceretur.

La Font Sermone pro sexta Dominica pro Pascha loquitur de omnibus ignorantiæ speciebus, quæ peccatum excusant, vel secus. Sed erronea est propositio affirmare velle, quod ille facit, invincibilem juris naturalis ignorantiam a peccato non excusare.

Sarazin, Sermone 1. Adventus, ostendit necessitatem cognoscendi JESUM CHRISTUM.

P. Duneau, Sermone pro Dominica quarta post Pascha, docet Spiritum Sanctum venisse, ut omnem doceat veritatem contra peccatoris ignorantiam, & errores.

In libro, qui inscribitur: *Essais de Sermone pour l'Avvent*, Sermone quarto, ostenditur nobis satis esse cognitionis, ut nostra sciamus officia, & fatis vitium, ut iis perfungamur.

Non afferuntur hoc in loco Theologi Scholastici, neque Casuistæ de ignorantia agentes; eos etiam prætermittimus, qui hujus argumenti collectanea ediderunt, quia hoc non distinxere a cæcitate, de qua alibi locuti sumus.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Scripturarum Applicationes huic Argumento.

Si anima una nesciens peccaverit, offeret capram anniculam pro peccato suo: & deprecabitur pro ea Sacerdos, quòd inscia peccaverit: impetrabitque ei veniam, & dimittetur illi. Numer. 15.

Immisit in eos Dominus leones, & ecce interficiunt eos, eò quòd ignorent ritum Dei terræ. 4. Regum, cap. 17.

Quia nullus intelligit, in æternum peribunt. Jobi 4.

Qui dixerunt Deo: Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Jobi 21.

Quasi de industria recesserant ab eo, & omnes vias ejus intelligere noluerunt. Jobi 34.

Erraverunt ab utero, locuti sunt falsa. Ps. 57.

Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte. Psalm. 12.

Accedite ad eum, & illuminamini. Psal. 33.

Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris. Psal. 24.

Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant. Psal. 81.

Noluit intelligere ut benè ageret. Psal. 35.

Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis. Psal. 118.

Usquequo imprudentes odibunt scientiam? Prov. 1.

Via impiorum tenebrosa: nesciunt ubi corruant. Proverb. 4.

Impius ignorat scientiam. Proverb. 29.

Ubi non est scientia animæ, non est bonum. Proverb. 19.

Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei: & de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est. Sapient. 13.

Viam autem Domini ignoravimus. Sapient. 5.

Cor sapientis quærit doctrinam: & os stultorum pascitur imperitia. Prov. 15.

Itæ

Ipsi Pastores ignoraverunt intelligentiam: omnes in viam suam declinaverunt. Isaiæ 56.

Filii nolentes audire legem Dei. Isaiæ 30.

Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam. Isaiæ 5.

Stultus populus meus me non cognovit. Jer. 4.

In dolo renuerunt scire me. Jerem. 9.

Quoniam non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam. Baruc. 3.

Forsitan pauperes sunt & stulti, ignorantes viam Domini. Jerem. 5.

Non est veritas, non est scientia Dei in terra. Osee 4.

Non est scientia Dei in terra; maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt. Ibidem.

Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt. Matth. 15.

Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. Osee 4.

Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Joann. 1.

Hæc est vita æterna, ut cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum. Joann. 17.

Tu es Magister in Israel, & hæc ignoras? Joann. 3.

Dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem. Ibidem.

Si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi; nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Luc. 19.

Ignorantiam Dei quidam habent. 1. Ad Cor. 15.

Non judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum. 1. ad Cor. 2.

Si quis ignorat, ignorabitur. Ibid. cap. 14.

Cùm deberetis magistri esse propter tempus, rursum indigetis ut vos doceamini quæ sint elementa exordii sermonum Dei: & facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo. Ad Hebr. 5.

De tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum. 1. Petri 2.

Ergo erravimus à via veritatis, & justitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis. Sap. 5.

Veteris, novique Testamenti exempla.

Ignorantia, in qua nascimur, pœna est ambitiosæ cupiditatis sciendi, quæ fuit in primo homine.

PRimum hominis peccatum fuit ambitiosum, inordinatumque sciendi, ac per scientiam hanc similis efficiendi Deo desiderium, justa dæmonis consilium, ejus curiositatem verbis istis sollicitantis: *Eritis sicut dii, &c.* Ideo non postremum ex iis suppliciis, quæ divina justitia peccato inflixit, fuit ignorantia, qua nocentis hominis intellectum percussit. Hìc autem mente repetite, quod Fides docet de beato innocentiæ statu, in quo primus homo creatus fuit. Sapientiam habebat spiritui suo infusam per ea lumina, quæ divina ibi effuderat sapientia, tamquam tot similitudinis suæ lineamenta: hunc luminum statum cum ignorantiæ tenebris, in quibus versamur cum in statu peccati nascimur, & quæ post Baptismum remanent adhuc in nobis, comparate. Verum quidem est reliquam adhuc in nobis esse aliquam usus rationis scintillam, per quam homo factus fuit ad imaginem Dei; sed non aliud est, quàm scintilla jampridem, tamquam cineribus insepulta. In infantia non magis lucet quàm si omnino esset extincta; & nonnisi multo labore, ac studio cum adolescimus, aliquot nobis comparamus cognitiones, quæ sæpe inutiles sunt, ut sanctiùs vivamus.

Ignorantia, ac stupiditas Judaici populi licet ille solus veri Dei cognitionem fuerit assecutus.

Primo parente ex felici statu dilapso, in quo Deus illum creaverat, ignorantia, quæ fuit peccati ejusdem pœna, in ipso uno non substitit; migravit etiam, ut omnes norunt, ad posteros illius; sed tenebris adeo densis obsepta, ut prout homines a mundi primordiis recedebant, eorum cresceret ignorantia; ac lumen naturale, quod ex primo statu adhuc in illis supererat, infirmaretur, eousque ut ipsum quoque universorum creatorem ignorarent, cujus satis erat opus inspicere, ut potentiam, sapientiam, bonitatem, & Opificis magnitudinem intelligerent. Verum est veri Dei cognitionem diu viguisse in populo, quem sibi elegerat Deus; at si verum Deum cognoscebat, illius cultum ignorabat, & omnino ferme oblitus fuerat legis naturalis, quam in omnibus cordibus Deus imprimere consuevit. Moyses, Legislator Altissimi eam in lege scripta descripsit, quam Dei nomine ad populum tulit; & nihilominus quoties questus est Deus de ignorantia, ac stupiditate carnalis populi, qui ad hunc quoque diem vivit in ignorantia, ac deplorabili cæcitate post adeo manifesta veritatis argumenta?

Ethnicorū ignorantia.

In quem deplorabilem statum omnem fere terrarum orbem, dum Ethnicæ superstitionis tenebræ incumberent, ignorantia redegit? Etenim quin loquamur de populo, quem jure optimo omnia sæcula rudem, ignarumque censuerunt; nonne mirum est videre dubitationes, incertitudines, disceptationes, immo etiam ineptissimas nugas Philosophorum, celeberrimorumque naturæ ingeniorum circa eas veritates, quæ maximè essentiales sunt, & quæ hodierna die sunt meridiana luce clariores; de Providentia, de animæ immortalitate, de bonorum post hujus vitæ mortalis curriculum præmiis, & malorum suppliciis? Quid dicam de monstrosa multitudine idolorum, fictorumque numinum, quibus repletus erat mundus, & quorum ultra quadraginta millia in una Romana urbe numerata fuisse auctor est Augustinus? Quænam tenebrarum caligo! quàm extrema ignorantia! quàm prodigiosa cæcitas! Nonne dicendum est, ignorantiam ad insaniam usque, & dementiam processisse, ut in Deorum album referret homines flagitiosos, adulteros, incestos, crudeles, & scelerum omnium labe coinquinatissimos? ut res anima carentes, solem, & sydera venerarentur? ut abjectissimis animantibus, ipsisque insectis divinos honores deferrent? verbo, ut omnibus ferme creatis rebus thus adolerent, quod uni Supremo Enti, a quo ex nihilo educta fuere, debetur? Nonne igitur indigebant mortales divino Institutore, qui adeo graves errores discuteret, & qui per Fidem, & Religionem ab ipso in mundo institutam gravissimas hujus caliginosæ ignorantiæ tenebras dissiparet?

Ignorantia veritatum essentialiū fidei, & præsertim divinitatis J. C. modò nequit excusari.

Fidei lumina satis ostendunt necessitatem, qua mortales omnes credere debent Hominem-Deum, qui est JESUS CHRISTUS, esse præcipuum Religionis fundamentum, & nos ideo Christianos esse, quatenus novimus veritatem hanc maximam, saluti nostræ præ cæteris necessariam. Sed cum fides sit in plerisque quodammodo extincta, cumque ignorantiæ tenebræ ad summum in anima efficiant JESU CHRISTI cognitionem prorsus imperfectam, & sæpe etiam erroribus plenam, quàm maximè interest rursus divinam hanc facem accendere, eique pristinum, verumque splendorem tribuere, ut omnibus tenebris, omnique errore sublato, iis nosmet subjiciamus, quæ docet Religio; idque tantò magis, quia cum hujus articuli cognitio sit absolutè necessaria saluti, ejus ignorantia inexcusabilis esse non potest, nisi fortasse populis barbaris, quibus Evangelium, & Fides nondum anunciata fuere.

Cur Salvator duodecimum agens annum videri voluerit in medio doctorum.

Mysterio vacuum non est, quod Salvator duodecimum ætatis annum agens incœpit hominibus apparere ea in actione, quæ seiti alicujus Doctoris erat, ut humanæ ignorantiæ tenebras dissiparet. Eum nobis exhibet Evangelista sedentem in cœtu doctorum, illos audientem, atque interrogantem de iis, quæ dixerant, non ut ab illis edoceretur, sed ut illis occasionem legis explicandæ præberet. Quemadmodum hic Homo-Deus in terras venerat, ut inde ignorantiam ejiceret, atque doceret homines, quomodo cognoscendus Deus

esset,

esset, eique serviendum; opus erat, ut primum scientiæ prorsus divinæ munus impenderetur illis erudiendis de veritatibus, quas ignorare non licebat. Si Evangelista singillatim nobis reliquisset quæstiones a divino hoc puero propositas, eique traditas responsiones; proculdubio illas admiraremur, non secus ac, qui audierunt eas. Verum quoniam ipse Deus non permisit, ut illæ ad nostram usque cognitionem pervenirent; ex iis, quæ fecit, discamus, optimum acquisitæ a nobis scientiæ usum esse hanc aliis communicare; iis luminibus, quæ nobis contulit Deus, uti ad alios illustrandos, atque hac ratione pro Cœlestis Patris gloria adlaborare.

Scribarum, & Pharisæorum ignorantia illos non excusabat in iis, quæ contra Salvatorem peccabant.

Longè periculosus est error defectus cognitionis, quam in nostra situm est potestate acquirere, & credere, quod voluntaria, & adfectata ignorantia excuset a crimine. Scribæ, & Pharisæi exempli causa, excusabiles non erant iis in sceleribus, quæ per ignorantiam patrabant. Nolebant consulere Scripturas, atque Prophetas, nolebantque intueri miracula, quæ Salvator operabatur; & posthæc sexcentas in illum evomebant blasphemias; illumque calumniis petebant: hæc illorum ignorantia culpane vacabat? an causa erat omnium scelerum, quæ ab ipsis perpetrabantur? Ista Judæorum cæcitas sæpe hoc tempore iteratur; etenim quot scelera parit ignorantia, quæ hoc pacto prætexitur? Quot usurarios contractus? quot injustitias? quot obtrectationes, quot pravos conatus nobismetipsis hac ratione possumus excusare? Hoc ipsum dici potest de Saulo, qui tanta rabie actus persequebatur Ecclesiam, licet hoc per ignorantiam faceret, quia falso correptus legis zelo, Scripturas consulere negligebat, & ad examen vocare fidem eorum, quos persequebatur, quemadmodum ille deinceps testatus est,

Applicationes quorundam Scripturæ locorum huic argumento.

Cur Salvator in cruce oraverit pro persequentibus se, & illorum ignorantiam excusare voluerit.

PAter dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt. Luc. 23. Si inanis est excusatio, suam prætexere inscitiam, cum voluntaria, vel adfectata est, cur Salvator de Cruce pendens, & jamjam animam efflaturus Patri suo inquit: *Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt?* Responderi potest, primum illum orasse pro carnificibus suis, qui probabiliter neque illius dignitatem, neque innocentiam cognoscebant; & qui simpliciter sententiam contra ipsum latam exequebantur. Procul dubio de illis dicere poterat: *Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt*. At secundò pro nobis orabat, qui nondum eramus nati, vel pro innumeris peccatoribus, qui cum longè abessent a Jerusalem, quid ibi fieret, nesciebant. Verum et dicere, nos licet causa fuerimus Passionis, & mortis ejus, nescisse tamen, quod malum tunc illi inferebamus. Denique si oratio ejus pro Judæis erat, qui illius astitere supplicio, & quibus nulla suppetebat dubitandi ratio, quisnam esset ille, Messias ne, an homo justus, & innocens: hoc unum dici potest, quod videlicet cum charitate flagraret erga inimicos suos, pro virili eos excusare studuisset. Nam quamvis ignorantia, qualis in illis erat, non sit excusatio admittenda; nihilominus ita aliquantulum criminis imminuebatur, quod longè majus fuisset, nisi illud aliqua concomitata fuisse inscitia. Adhibuit ergo Salvator hanc rationem, ut illos excusaret, quia peccatores amabat, & quia aliam potiorem nancisci posse voluisset.

Populi pereunt in ignorantia sua, & intereunt, quia per pastorum negligentiam non erudiuntur.

Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam. Isaia 5. Populi scientia, atque intelligentia carent, & fiunt affectuum, vitiorumque suorum mancipia, quia non erudiuntur; pereunt fame, quia nemo illis divini verbi panem frangit, cum interim Pastores, quorum interest edocere illos, eos languere sinunt in tenebris ignorantiæ, ubi fatali somno capti quiescunt. Quænam infelicitas, si Pastores ipsi negligant, vel etiam ignotent inevitabilia, quæ ipsis incumbunt officia, eos erudiendi! Ignorare ne possunt mala, quæ ex hoc instructionis defectu proficiscuntur, & divinam ultionem, quam in seipsos convertunt, quod in causa sint damnationis tot animarum?

Ignorantia hominem quodammodo brutis similem facit.

Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis. Psalm. 48. Profectò si jumenti naturam consideremus, inveniemus creaturam esse corporalem, & materialem, cujus maxima perfectio, est sensibus esse præditum, sese movere; cum interim nihil habeat spirituale, vel immortale. Neque mirum esse debet, si bruta homines fieri non possint; quandoquidem Deus illa rationis fecit experta; sed dolendum, & conquerendum est, quod homines fieri velint quodammodo bruta, & uti loquitur Scriptura, insipientibus jumentis similes, immo etiam magis stupidi, & contemptibiles, quàm ipsa jumenta per voluntariam ignorantiam, quæ efficit ut quicumque Creatorem suum minimè noverit, pro bruto habendus sit, ut S. Hieronymus ait: *Absque notitia Creatoris sui, omnis homo pecus est*. Et addi potest, brutis ipsis pejorem esse, quia nescit quod scire & potest, & debet, cum bruta omnem habeant cognitionem illam, quæ tum decet naturam: *Homo comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis*. Hæc enim ignorantia causa est, quod neque bonum a malo, neque virtutem a vitio, neque sacrum a prophano distinguere sciant; quod nesciant metuere Deum, quod Judicium, & infernum neque metuere, neque sperare; neque supremum amare bonum, neque supremum odisse malum noverint. Hæc denique ignorantia in ipsis efficit spiritum adeo caliginosum, & hebetem, ut neque cognoscant, neque in pretio habeant, neque cupiant, neque petant bona cœlestia, perinde ac pro ista tantùm terra facti fuissent, neque ullam vitæ alterius, æternarumque veritatum cognitionem haberent. Ullane major videri potest similitudo cum jumentis, quæ præ cæteris magis stupida sunt, & insipientia?

Hieron. l. 9. Epist. Epist. 92.

Deplorabilis status, in quem ignorantia Christianismum redegit.

Dominus de Cœlo prospexit super filios hominum, ut videat, si est intelligens, &c. Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Ps. 13. Hic status est plurimorum hujus ævi Fidelium, quæ ignorant, & fere numquam student iis, quæ pro salute scire debent. Quid prodest illis in divinæ Sapientiæ schola versari, si numquam seriò navant operam præceptis illius, si minimè præbent aurem, ut doctrinam ejus audiant, atque de æternis veritatibus edoceantur; sine quibus alia quælibet cognitio inutilis est? Deus, dicit Regius Propheta, de summo cœlo terram respicit, & neminem fere videt, qui sciat, & hanc intelligat scientiam, quam ignorare Christiano viro nefas est. Et utinam hac in urbe nullus esset Christianus, ad quem pertineat exprobratio illa, qua olim Sanctus Paulinus scitum nescio quem virum, doctum, disertumque, sed in iis, quæ ad salutem pertinent, rudem omnino, hospitemque exprobravit: Collegisti, ajebat ille, omnes Poeseos flores: *Floribus Poetarum spiras:* repletus es Oratorum omnium eloquentia: *Fontibus Oratorum inundas*. In Philosophorum scientia versaris; verbo, omne tempus, laboremque tuum transmisisti in humanis cognitionibus acquirendis: at aumquam invenisti spatium temporis, quo christianis veritatibus studeres: *Vacat tibi, ut sis Philosophus & non vacat, ut sis Christianus*. Inter nos proculdubio plurima est crassa, & criminosa ignorantia; quamplurimi enim negligunt operam dare principiis Fidei, & Evangelicis veritatibus ne animum quidem advertunt.

Plerique fidelium præferunt ignorantiæ tenebras lumini, & scientiæ Evangelii.

Dilexerunt magis tenebras, quam lucem. Jo. 3. Verum quidem est eos, qui ex fidelibus hodierna die minori lumine illustrari sunt, sapientiores sapientissimis esse Philosophis, quos jactat antiquitas: sed si perpendantur flagitiosi mores plurimorum

rum Christifidelium, credere aliquis posset, nos adhuc inter Ethnicæ noctis tenebras versari, vel saltem quemadmodum dilectus JESU CHRISTI discipulus de Judæis dicebat, quos Dei Filius doctrinæ suæ lumine illustraverat, Ethnicæ ignorantiæ tenebras fulgidissimæ Evangelii luci præferri, & homines non magis illuminari, nisi ut sint nocentiores. Verùm esto; non desint Fideles, qui rudes, ignarique sint, cum interim Deus tanta organorum utatur varietate, ut eos alloquatur, & qui in crassa vivant ignorantia præcipuorum status sui officiorum, atque essentialium fidei suæ veritatum. Hæc tamen ipsa ignorantia scelus est, quod iis omnibus addunt, quorum illa est causa: neque enim adeo criminosum est, quam ignorare, quod necessariò sciendum est, cum tot suppetant erudiendi rationes. Hoc utique est diligere magis tenebras, quam lucem.

Fidelium ignorantia, non minor est ea, propter quam Dei Filius super Jerusalem flevit. *Si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi; nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Luc.* 19. Nonne jure hodierna die hos ipsos Salvatoris mundi sensus fovere possemus, lacrimasque effundere super plerasque Fidelium urbes, quemadmodum ille Jerosolymam intuitus lacrymis temperare non potuit? Christianorum hujus ævi ignorantia non minus est deplorabilis, quàm olim Judæorum. Jerusalem vocata pacis visio, se non minus tunc temporis fidelem existimabat, quàm hodie sint Roma, aliæque Christianitatis Civitates; ejusque incolæ, qui ex electo erant populo, se filios lucis esse, quales nos sumus, glomabantur. Nihilominus Dei Filius madentibus lacrymarum imbre genis, Jerosolymæ clamans dicit: *Si cognovisses, & tu!* Sed quid cognoscendum supererat huic civitati, ubi Sapientes, seniores, legisque Doctores non deerant; ubi erat Templum, Arca Fœderis, Biblia sacra, Propitiatorium, & Sanctuarium; ubi omnes divini cultus cœremoniæ servabantur; ubi quotidie vero Deo sacrificia rite offerebantur? Attamen, *Si cognovisses!* Populi hujus ignorantia erat exteriori inhærere cortici, quin interiorem divini cultus spiritum penetrarent; non cognoscere veritatem sub tot figuris expressam; scire tantum cæremonias, mysteria verò, quæ per illas repræsentabantur, nescire; corpus tantùm, non autem spiritum Religionis habere. Verbo; Judæorum ignorantia fuit non cognovisse, & nondum cognoscere JESUM CHRISTUM. Sanctus Joannes Baptista ita illos exprobrat. *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis.* Illum in medio vestri, & ob oculos vestros habetis, neque cognoscitis. Nonne hæc plurimorum Fidelium est ignorantia, qui Christianæ Religionis extimum duntaxat corticem, Sacramenta, Fidei Symbolum, quod quædam JESU CHRISTI mysteria complectitur, norunt. Verùm hoc non aliud est quàm corpus, & cortex Christianæ Religionis; interior verò pars, & spiritus ab illis ignoratur, vel nisi ignoratur, theoreticè tantùm ab illis cognoscitur.

Joan. 1.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum, hujus Argumenti.

MElior est fidelis ignorantia, quàm temeraria scientia. Aug. Serm. 20. de Verb. Apost.

Pessimæ matris ignorantiæ, pessimæ itidem quæ filiæ sunt, scilicet falsitas & dubietas: illa miserior, ista miserabilior, & perniciosior. Idem, ibidem.

Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere quod ignoras. Idem, l. 3. de liber. arbit. cap. 19.

Nulli homini ablatum est scire utiliter quærere, quod inutiliter ignorat. Idem, ibid.

Illud quod ignorans quisque non rectè facit, & quod rectè volens facere non potest, ideo dicuntur peccata, quia de peccato illo liberæ voluntatis originem ducunt. Idem, ibidem.

Ignorantia & infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum. Idem, de peccatorum merit.

Non quod naturaliter nescit, & naturaliter non potest, hoc animæ deputatur ad reatum; sed quòd scire non studuit, & quod dignam facultati comparandæ ad rectè faciendum operam non dedit. Idem, de liber. Arbit. c. 22.

Per ignorantiam delinquens minùs peccat, quàm qui ex certa scientia, peccato tamen vulneratur. Idem, l. 1. de Bapt. c. 5.

Ideò divina præcepta data sunt, ut homo de ignorantia excusationem non habeat. Idem, l. de Grat. & liber. Arbit.

Post inspirationem, & revelationem factam veritatis, qui in eo quod erraverat, perseverat prudens & sciens, sine venia ignorantia peccat. Idem, l. 4. de liber. Arbit.

Hæc est causa impietatis Christianorum, quod videntur excusare se de eo quod ignorant. Idem.

Tolerabilius est Deo quempiam cum ignorantia in humilitate jacere, quàm cum elatione alta sapere. Gregor. l. 17. Moral.

Cum ignorantiam nostram cognoscimus, leviùs aliena mala toleramus. Idem, l. 1. Moral.

Aliud est nescisse, aliud scire noluisse, nescit quippe qui apprehendere vult, & non valet; qui autem ut nesciret, aurem ab ore veritatis avertit, iste non nesciens, sed contemptor dicitur. Idem, l. 15. Moral.

Nescire, ignorantia est; nescire voluisse, superbia. Idem, ibid.

Quisquis vult audita intelligere, festinet ea, quæ jam audire potuit, opere implere. Idem, Hom. 23. in Evangel.

Absque notitia Creatoris sui, omnis homo pecus est. Hieron. l. 2. Epist. Epist. 22.

Acuti ad vana, hebetes ad divina. Ambros.

Quæ mentis ignavia, quæ cæca dementia, ad lucem de tenebris non venire? Cypr. cont. Demetr.

Deus in aperto constitutus, tantis operibus notitiam sui armavit. Tertullianus.

Anima à primordio conscientia Dei dos est, Deus numquam latebit. Ibidem.

Ubi populus sui Pastoris incuria spiritualem famem cœlestis doctrinæ patitur, ibi est omnis pietatis & religionis exterminium. Chrysost. Hom. 54. in Genes.

Sicut Deum non licet contemnere, sic non licet ignorare. Chrysologus in Sermonibus.

Nullus in culpa magis est, quam ille qui Deum nescit. Isidor. l. 2. Sentent.

Sunt qui non modò Dei, sed & sui ignorantiam habent, itaut nesciant se animam habere. Bernard. in Psalm. 90.

Frustrà sibi de ignorantia blandiuntur, qui ut liberiùs peccent, libenter ignorant. Idem, de Gradibus humilit.

Multa facienda nesciuntur, aut sciendi incuria, aut discendi desidia, aut inquirendi verecundia, & quidem hujusmodi ignorantia non habet excusationem. Idem, in Epist.

Ignorantia sui, initium omnis peccati ignorantia Dei, consummatio omnis peccati. Idem, super Cantic.

Sicut ex notitia tui venit in te timor Dei, atque ex Dei notitia itidem amor; sic de crebra ignorantia tui superbia, & de Dei ignorantia venit desperatio. Idem, ibidem.

Maledicetur homo, qui ignorantiam Dei habere inventus fuerit; Dei dicam, an sui? Utrumque sine dubio; utraque ignorantia damnabilis est, & utraque sufficit ad perditionem. Idem, Serm. 35. super Cant.

Si ignoras Deum, poteritne spes esse salutis cum Dei ignorantia? Idem, ibid.

Nove-

Noveris te, ut Deum timeas; noveris ipsum, ut æquè ipsum diligas. Idem, ibid.

Tam utraque ignorantia cavenda est tibi, quàm sine timore, & amore Dei salus esse non potest. Idem, ibid.

Si nos ignorantia Dei tenet, quomodo speramus in eum, quem ignoramus? Idem, ibid.

De ignorantia tui venit superbia, at de Dei ignorantia venit desperatio. Idem, ibid.

In his duobus mandatis, verbi scilicet & exempli, summam tui officii, sed & conscientiæ securitatem pendere intellige. Idem, lib. 4. de Considerat.

Nullus prætexat, quòd ignorans virtutem neglegat; simul cum formatione hominis implantata est scientia faciendorum, & non faciendorum. Chrys. Homil. 54. in Genes.

Horrenda quædam profunditas ignorantiæ. Augustinus, sic vocat ignorantiam quæ ex peccato originali nascitur.

Ultrà nescientur à Deo, qui Deum scire noluerunt, Idem.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia fontibus hoc in argumento valeat hauriri.

Antequam definiatur ignorantia, quæ peccatum est, vel causa peccati, omnes illius species, & differentiæ sunt cognoscendæ.

NEcesse non est hoc in loco generalem ignorantiæ definitionem afferre; nemo enim id ignorat; & hoc unum illud est, quod præ cætetia maximè cognoscamus. Loquimur particulariter de earum cognitionum defectu, quæ respiciunt salutem, & observantiam officiorum nostræ Religionis, statusque nostri, verbo, eorum omnium, quæ scire tenemur, ut salutem consequamur, & muneribus nostris perfungamur. Ecce autem quid hac de re nos Theologi docent; sine quo tuto de ignorantia, quæ vulgata est peccatorum, quæ patrantur, causa familiaris, loqui non possumus.

Quo in sensu intelligendum sit quod omnis peccator est ignarus.

Axioma est desumptum ex Aristotele libro sexto Ethicorum, & a Theologis quoque adoptatum; hominem, qui peccat, ignarum esse; verùm non adeo facile est affirmare, quo in sensu intelligenda sit hæc adeo communis, & universè adeo probata sententia. Ut bene intelligatur, scire oportet duplex esse ignorantiæ genus, quæ deinde in species plures subdividuntur; altera merè negativa est, & cognitionis defectus; veluti eum nos latet aliqua veritas: quo in sensu nemo est, qui non ignoret aliquam veritatem, tum quod cum minimè studuerit, plurima ignorat, quæ traduntur in scientiis; tum quod non desunt veritates quædam mortalibus omnibus inexploratæ, quas nemo scire tenetur. Alterum verò ignorantiæ genus est, quæ positiva nuncupatur, & quæ propriè error est intellectus, cum de re aliqua aliter judicat ab eo, quod est; veluti si quis terram centuplò sole majorem esse opinaretur. Nemo est, qui aliquando in judicio suo non fallatur. Unus tantum est Deus, qui falli nequeat, quemadmodum unus est, qui peccare non potest. Respondendum igitur est peccatorem quemlibet esse ignorantem, quia in errore est, & quia affectus aliquis ita illum excæcat, ut nonnisi imperfectè videat malum, quod vetito inest objecto, vel non considerer modicum illud boni, quod ibi invenitur.

Notandum quoque cum Theologis est duplex aliud ignorantiæ genus inveniri; quarum altera invincibilis est, quæ peccatum excusat; quia potius oritur ex mentis nostræ infirmitate, quam ex improbitate voluntatis; altera noxia est, & criminosa, cujus tres adhuc sunt species; ignorantia videlicet crassa, affectata, & meræ nequitiæ. Crassa eorum est ignorantia, Sanctus Bernardus ait, qui novis rebus, & inanibus curiositatibus inquirendis vacant, interim rerum, quæ necessariæ sunt, cognitionem negligentes; vel eorum qui per nefariam ignaviam laborem metuunt discendi; vel eorum tandem, quos de officiis suis pudet erudiri. Ignorantia hæc indirectè voluntaria est, quatenus operam navare nolunt superandæ difficultati, quæ in scientiæ, & necessariæ cognitionis perquisitione invenitur; vel quatenus animum ab inanium, & inutilium rerum, quibus vacant, attentione divellere nolunt; quod est velle Christiani hominis officia ignorare. Hoc ignorantiæ genus secum gerit quemdam reprobationis caracterem; Deus enim per Oseam Prophetam Apostolumque Paulum profitetur, eum qui scientiam repulerit a Deo repellendum, & ignorantem esse ignorandum. *Osee 4. & 1. ad Cor. 14.*

Ambigendum non est, peccari per ignorantiam posse, & quænam ad id requiritur ignorantia.

Per ignorantiam peccari posse, certis Scripturarum testimoniis probatur. Scio equidem, Fratres, dicebat Judæis Sanctus Petrus illos ad pœnitentiam hortaturus, equidem scio, vos id per ignorantiam fecisse; & Sanctus Paulus epistola prima ad Corinthos nonne dicit, futurum fuisse ut si Judæi Regem gloriæ cognovissent, numquam eò usque crudelitatis evaderent, ut eum crucifigerent? Sed in eo tota sita difficultas est, ut cognoscamus, quodnam ignorantiæ genus sit causa peccati. Qua in re sciendum est adhuc, aliam antecedentem esse ignorantiam, aliam concomitantem, & aliam consequentem, & posteriorem voluntati. Prima vocatur antecedens, quæ omnem prævenit cognitionem, attentionem, deliberationem, rei, quæ accidit, discussionem, & cui voluntas, si illam prænoscere potuisset, numquam præbuisset assensum. Exempli gratia vir aliquis bonus, cui satis inest pietatis, atque conscientiæ, itaut improbè factum numquam patraret, si illud improbum esse cognosceret, vel etiam si de illius improbitate dubitaret, illud tamen committit, mentem nimis rudem habens, ita ut malum ejus cognoscere nequeat: ignorantia hæc est antecedens, & supposita invincibilis; ideoque neque est, neque esse potest causa peccati.

Utrum juris, vel naturalium præceptorum ignorantia excuset a peccato.

Quæstio est hodierna die summo partium studio agitata, utrum ignorantia verè invincibilis, (talis enim semper est supponenda) juris naturalis, hoc est naturalium præceptorum transgredientem hæc excuset a crimine. Ut rectè loquamur, omnemque vitemus errorem, qui hac in re potest occurrere, sciendum est, præcepta, quæ naturalia dicuntur, a Theologis passim in triplicem classem distingui. Quædam primitiva sunt, & universalia, quorum statim cognitionem assequimur ex sola, simplicique idea terminorum ea spiritui nostro exhibentium, quale esset, aliis ea non facere, quæ nobis fieri nollemus: Alia non æque generalia sunt, sed immediatè ex præcedentibus inferuntur, tamquam ex principiis conclusiones; qualia sunt Decalogi mandata: Alia denique, ex iisdem principiis eruuntur, & inferuntur per argumenta, vel ratiocinationes, ideoque remotiora, obscurioraque sunt, qualia sunt pleraque præcepta, de quibus loquuntur Theologi. Primi ordinis præcepta, dicendum est, a nemine, qui per ætatem rationis habeat usum, posse ignorari; generalia sunt præcepta, atque universalia, in quibus, tamquam radicibus cætera continentur, & quæ Creator ita animabus nostris insculpsit, ut ea ignorare, & oblivioni tradere nequeamus, quin omnino rationis jacturam faciamus; ideoque dubitationi locus esse non potest, quominus horum præceptorum prævaricatio nefaria sit, & inexcusabilis. At enim non desunt populi adeo rudes, & barbari, ut nullam habeant vel divinitatis, vel legis naturalis cognitionem; & non aliam legem, nisi affectuum suorum impetum sequantur: Hoc si verum est, mortales hujusmodi adscribendi sunt insipientibus, vel pueris, qui cum rationis usu careant, non sunt obnoxii peccato. Quod si fieri possit, ut cum rationis usu invincibilem habeant primorum principiorum ignorantiam, quod vix aliquis persuadeat; absolutè pronunciari potest, hos peccare non posse, juxta illud Sancti Augustini effatum pro generali canone constituentis, invincibilem ignorantiam legitimam esse excusationem, ut nobis peccatum

non

non adſcribatur: *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras.*

Quod ſpectat ad ordinis alterius principia, probabile eſt aliquem ad tempus, non autem ſemper, habere poſſe ignorantiam involuntariam, & invincibilem. Hæc eſt S. Thomæ doctrina, cujus ratio eſt, quia fieri non poteſt, ut aliquis ſaltem aliquo vitæ ſuæ tempore, tunc præſertim cum vitium nondum radices agit diuturni habitus, ut ex cognitione, ex. gr. generalis hujus principii, quod ex ſe adeo manifeſtum eſt, *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, non inferat, *ergo nemini vitam auferre debeo, neminem contumeliis proſcindere, neque bona, quæ ad alium ſpectant, eripere;* cum iſta concluſio palam adeo pateat, ut quantumvis parum illi advertatur animus, ex ſe ferme inde inferatur. Sed quod ad tertii ordinis præcepta ſpectat, eorum haberi poteſt ignorantia, cui mederi nonniſi doctrina poteſt, quæ ſi haberi non poſſit, ignorantiam efficit invincibilem. Exempli gratia ex hoc adeo latè patenti principio: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, difficile inferri poteſt: *ergo fornicatio eſt evitanda*, niſi, quod iſtic obſcurum, & quodammodo involutum eſt, longè ratiocinatione, cui non omnes pares ſunt, evolvatur.

2. 2. Quæſt. 94. art. 4. & 6.

Quid reſpondendū locis Auguſtini, quem putant nonnulli cenſuiſſe invincibilem juris naturalis ignorantiā non excuſare a peccato.

Quoad Sancti Auguſtini auctoritatem, cujus plurimi afferuntur loci, ubi putant nonnulli, ipſum docuiſſe, quod naturalium præceptorum ignorantia minimè prohibeat, quominus quidquid contra id genus præcepta peccatur, verum peccatum ſit, quia ignorantia hæc eſt pœna peccati, quod in Adæ perſona commiſimus: reſponderi poteſt, 1. Sanctum Auguſtinum eumdem quoddam ſtatuiſſe principium, unde prorſus oppoſitum infertur; videlicet, nihil eorum nobis vitio verti, quæ per invincibilem ignorantiam patramus: *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, ſed quod negligis inquirere quod ignoras.* Neque juris naturalis excipit ignorantiam, alioquin pueri, qui nondum rationis uſum aſſecuti ſunt, & inſipientes, qui illius jacturam fecerunt, peccarent; quia hæc juris naturalis ignorantia in illis æque ac in aliis hominibus pœna eſt peccati parentum noſtrorum. 2. Liquidò conſtat ex pluribus locis, qui ab hoc Patre afferuntur, ſermonem eſſe de jure divino poſitivo, cujus invincibilis ignorantia vitio verti non poteſt. 3. Reſpondendum eſt, ignorantiam hanc non prohibere, quominus hæc peccata ſint tantummodo materialia.

Aug. l. 3. de lib. arb. cap. 19.

Peccatores cæci, & indurati a peccato excuſari non poſſunt.

A peccato excuſari non poſſunt illi ex numero fidelium, qui longè peccatorum quorumdam conſuetudine ita excæcati ſunt, ut peccantes, ſe peccare minimè animadvertant; alioquin iterando peccata fierent quodammodo impeccabiles, & quotidie ſcelera ſceleribus agglomerando bonum illud acquirerent, quod juſtiſſimus quiſque virtutum magis heroicarum praxi nequit obtinere. Cæci igitur peccatores peccant, etiamſi defectus conſiderationis in ipſis criminibus quædam ſit ſpecies ignorantiæ. Et ratio eſt, quod hæc ignorantia voluntaria eſt in cauſa ſua, præterquamquod minimè eſt invincibilis. Nam quamvis aliud quodvis deeſſet illis ſubſidium, ut violentæ habitus, quo trahuntur, inclinationi reſiſterent; non deeſt illis unquam gratia orationis, cujus ope emergere poſſunt ex miſerrimo hoc ſtatu, & validiores obtinere gratias ad habitum ipſum infringendum, & peccati conſuetudinem relinquendam.

Neque illi excuſari poſſunt, qui voluntariè ignorant veritates ſaluti neceſſarias.

Neque excuſari a peccato poſſunt, qui voluntariè præcipuas fidei veritates ignorant, eas verò præſertim, quæ ad ſalutem conſequendam ſunt neceſſariæ: qui neque ea ſciunt, quæ credenda ſunt, neque Dei præcepta, quæ ſunt obſervanda; qui negligunt Verbum Dei, ſanctas Lectiones, vel familiares inſtructiones, veriti ne ibi ſua doceantur officia, ut affectam hanc prætexere valeant ignorantiam, ne ea teneantur obire. Hinc inveniuntur mortales quidam, qui per voluntariam ignorantiam facti ſunt brutis ipſis ſimiles, qui adeo parum afficiuntur iis, quæ ad æternam eorum ſalutem pertinent, & ad officia, quæ Deo ſuo debent præſtare, ut neque orare, neque Creatorem ſuum colere norint; & quidam etiam adſunt, qui dubitant, utrum anima ſua ſit immortalis, & utrum poſt hanc altera vita ſuperſit. Tanta eſt eorum ſtupiditas, ut neque ipſa Dei beneficia cognoſcant, neque Deo pro illis, quibus quotidie cumulantur, gratias agere norint. Illud verò maximè mirum eſt, quod homines ignari, atque in mundi hujus negotiis periti in iis, quæ ad Deum pertinent, & quæ unicè intereſt ſcire, ignari ſint, hebeteſque, ut Sanctus Ambroſius inquit: *Acuti ad vana, hebetes ad divina.* Hi autem mortales in Dei judicio ſeſe excuſare poterunt, voluntariam prætexentes inſcitiam?

Vera cauſa ignorantiæ, in qua vivunt plerique Fidelium.

Ex iis, quæ a nobis dicta ſunt, ſequitur, ex malis omnibus, atque vitæ hujus infelicitatibus non minimum eſſe ignorantiam earum rerum, quæ a nobis ſciendæ ſunt, ut chriſtianè ſanctèque vivamus eo in ſtatu, ad quem nos Providentia evocavit, quia ibi nemo ſalvus fieri poteſt, quin ejus expleat officia, & quin iis perfungatur muneribus, quæ ſtatui eidem inhærent. Quomodo verò hæc poſſunt cognoſci, niſi de illis erudiamur, niſi illis ſtudeamus, eaque seriò meditemur? Dicunt ſe hæc a teneris uſque unguiculis didiciſſe, hæc prima eſſe rudimenta, quibus formatur pueritia, antequam etiam rationis uſum obtineat. Sed hæc fortaſſe cauſa eſt ignorantiæ illius, in qua provectiori ætate, & ſæpe etiam in omnem reliquum vitæ ſpatium verſantur. In ipſa infantia memoriter diſcimus præcipuos fidei noſtræ articulos, & hoc ſatis eſſe putamus; cumque per ætatem illos meditari poſſumus, eorum neceſſitatem concipere, eoſque iterum iterumque reputare, quemadmodum Deus in lege veteri fieri jubebat; illos minime recolentes animo in tanta vivimus ignorantia, quanta ſi numquam eos didiciſſemus.

Quid fidelis non ignorare tenetur.

Plurima ſunt in Religione Chriſtiana, quæ ſcire, & ſcrutari mortales non tenentur: immo non deſunt ibidem myſteria impenetrabilia, ad quæ mens humana aſſurgere nequit; & demum quædam ſunt, quæ non ſine periculo poſſunt inveſtigari, ubi permittit Deus, ut ſpiritus nimis curioſi divinæ majeſtatis pondere opprimantur, ut loquitur Sanctus Paulus: *Scrutator Majeſtatis opprimetur a gloria.* Sed non deſunt etiam veritates, & myſteria, quæ abſolutè neceſſarium eſt fidelem ſcire, ut ſalutem ſuam operetur. 1. Hæc myſteria ſunt, Dei unitas in Trinitate perſonarum, Verbi incarnatio; æterna felicitas Juſtorum, poſt hanc vitam remuneratio, & infernos eorum pœna, qui in lethali peccato moriuntur; extremum Judicium, in quo omnes homines aliquando ſunt judicandi. 2. Callere debet Dei, Eccleſiæque præcepta, hæc enim lex eſt, juxta quam ſe vitam traducturum recepit. Ad hæc ſcire debet, præcepta hæc violari poſſe non actionibus ſolùm, verùm etiam deſideriis, & conſenſu, qui pravis cogitationibus præbetur. Scire etiam debet numerum Sacramentorum, & eorum recipiendorum modum, fidei, bonorumque operum neceſſitatem, virtutum exercendarum rationem, & Chriſtianæ Religionis dogmata, quæ ſi ignorentur, quomodonam vitam homine Chriſtiano dignam ducere poterit?

Concomitans ignorantia ea eſt, quæ actionem concomitatur, & quæ in eventu ſuo fallit operantem, cum aliquid accidit præter mentem, atque expectationem; ſed quod probatur, & error ipſe placet; exempli gratia quidam venatu feram interficere ratus inimicum interficit, qui fortuito vulnus excipit, & ad quem venator ſpicula contorquens animum minimè adverterat. Hactenus peccatum nondum patratum eſt, at ſi poſtquam errorem agnovit ſuum, quin inopinatus hic caſus mœrorem, doloremque adferat interfectori; lætatur immo quod inimicum ſuſtulerit: profectò inopi-

natus

natus hic effectus voluntarius censendus non est; at neque omnino involuntarius; voluntas enim quin doleat facto, sibi complacet, & lætitia perfunditur. Hoc efficit, ut ignorantia, quæ innocens, & quodammodo invincibilis est in principio, voluntaria, & nocens fiat in effectu, qui probatur, & placet.

Denique ignorantia alia est consequens, & posterior, quæ ex tacita, atque interpretativa voluntatis confessione reputatur voluntaria, quia sibi poterat, cura, & diligentia ab illa cavere. Mala autem, quæ per hanc ignorantiam committimus, quam prævenire, & evitare poteramus, voluntaria quoque in fonte, & radice sua fuisse censentur; ideoque vera peccata sunt, quæ nobis vitio vertuntur.

Alia ignorantiæ divisio in juris, factique ignorantiam.

Præter hæc adest quoque invincibilis facti ignorantia, sicut adest invincibilis juris ignorantia. Hæc supponit, legem, contra quam agimus, nobis ignotam esse, eamque nos cognoscere non potuisse; illa verò, rem, vel peculiare de quo agitur factum, ignorari. Qui, exempli gratia, in excommunicationem incidit, neque id novit propter juris ignorantiam, non est quocumque modo reus; qui verò Sacerdotem percussit, illum Sacerdotem esse nesciens, per facti ignorantiam nonnisi a circumstantiæ hujus gravitate exensatur. Alia denique ignorantia est, quam judicii gignit depravatio, cum aliquis ita suo inhæret sensui, atque ita suæ opinionis est tenax, ut minimè velit illam abjicere, neque hunc mentis errorem sibi auferri patiatur. Ignorantia hæc, quæ potius pertinacia est appellanda, vel cæcitas mentis, semper criminosa est; cum enim agitur de lege, præcepto, opinione, quæ ad salutem, moresque pertinet, universalem sensum tenemur sequi, neque arbitrari, nos cæteris omnibus mentis acumine antecellere.

Utrum officiorum nostrorum ignorantia sit peculiare peccatum.

Dubitari rationabiliter potest, utrum rerum ignorantia, quas nosse tenemur, ut prudenter, & religiosè in actione aliqua nosmet geramus, sit peculiare peccatum ab eo distinctum, cujus causa est hæc ignorantia. Negativam partem Doctores passim propugnant; dicunt enim peccata ex habituum, & virtutum illis oppositarum qualitate metiri; At non liquet, ignorantiam alicui termino opponi, præterquam scientiæ, vel cognitioni, quæ inter morales virtutes locum non obtinet. Nulla igitur ratio est, propter quam ex ignorantia rationé ipsius naturæ peccatum fiat. Ita vulgò dicunt ignorantiam non esse vitium. Sed quamvis hæc vera sint, affirmare possumus actualem rerum, quarum cognitionem proprius singulorum status, & conditio necessariò flagitat, ignorantiam proprium esse, & peculiare peccatum oppositum curæ, & mentis attentioni, quæ est adhibenda iis rebus, quæ ad nostrum pertinent munus, ut de iis erudiamur, quæ necessariò tenenda sunt, & ut rite eodem perfungamur: ita ut oscitantet, & perfunctoriè tantum illis vacare, peccatum sit peculiare, & ab aliis distinctum.

Discrimen inter peccata ignorantiæ, infirmitatis, & nequitiæ.

Omnia peccata, ut propriè loquamur, non sunt peccata ignorantiæ, licet semper illis aliqua insit ignorantia; non secus ac non omnia sunt fragilitatis, nec omnia nequitiæ peccata. Ignorantiæ peccatum propriè dicitur, ea nescire, quæ tenemur scire, veluti si quis Dei, vel Ecclesiæ præcepta ignorat, quia de illis erudiri neglexit; quorum aliquid si fuerit transgressus, transgressio hæc ignorantiæ peccatum vocabitur, quia ignorantia fuit illius causa peccati. Peccata fragilitatis ea sunt, quæ committuntur vi alicujus affectus judicium perturbantis, ac terrentis, instar voluntatem humanam rapientis, licet hæc absolutè illi resistere valeat, & satis se peccare cognoscat. Peccata verò meræ nequitiæ sunt illa, quæ data opera, consultò, & sola voluntatis improbitate patrantur, quin judicium aliquo vehementi affectu perturbetur. Tale fuit infidelitatis peccatum, quod Judæi commiserunt,

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, nuperisque Concionatoribus loci hujus argumenti.

Christianorum, & fundamentalium fidei veritatum ignorantia in Christiano inexcusabilis.

Vita æterna, Sanctus Joannes ait, in hoc sita est, ut unum Deum, & JESUM CHRISTUM ab eo missum agnoscamus. Non possumus ergo ad æternam vitam pervenire sine cognitione hac, quæ adeo inevitabilis est necessitatis, ut Doctor Angelicus doceat, deficiente Dei præcone, a Deo missum iri Angelum aliquem, a quo erudiretur ille, qui Deum cognoscere non potuisset, & alioquin naturalem legem servasset: etenim sine fide, inquit Apostolus, impossibile est, quemquam placere Deo. Ideo accedenti ad Deum credendum est, Deum unum esse, bonorum operum remuneratorem, justum esse, atque pro bonis quidem æternam beatitudinem, pro malis verò infernum, hoc est pœnarum omnium congeriem, reservare. Hi primi sunt Christianæ Religionis Canones; quos qui rationis est compos, ignorare non potest; & negligere nequit erudiendi curam, quin æternam illam abdicet felicitatem, quam mundi Salvator morte sua nobis promeruit, & acquisivit. Cæterum cum impossibile sit habere fidem, & has cognitiones absolutè necessarias ad salutem consequendam, nisi de illis edoceamur, uti Apostolus idem ait; Dei Filius, qui factus est homo, ut humanæ saluti consuleret, & ut illius assequendæ nobis subsidia præberet; constituit in Ecclesia Pastores, qui æternæ damnationis pœna propositâ juberentur populos de fundamentalibus Religionis veritatibus populum erudire; atque ut nulla esset natio, cui divinæ Religionis lumina non eluceścerent, in extremas usque terrarum plagas Apostolos misit, qui prædicarent, & Gentes instruerent; atque ejus providentia quotidie adhuc Apostolicos viros suscitat, qui in remotissimas, barbarasque regiones ad eumdem finem concedunt; unde inferri potest, utrum in ipsa Christianæ Religionis luce, & in ipso fidei centro excusari possit christianarum veritatum ignorantia. *Auctor Anonymus.*

Ignorantia humanæ mentis naturalis est.

Ignorantia humanæ menti naturalis est; quamobrem antiquiraris sapientes conquesti sunt, scientiam longam esse, & vitam brevem, atque mortè ipsa nos præoccupari, antequam doceri possimus. Primi hominis culpa hanc meruit pœnam, & quia nimis scire voluit, factus est ignarus: etenim quemadmodum incomposita honoris cupiditas illum dedecore affecit, & semper vivendi desiderium, mortem eidem inflixit; ita injustus sciendi ardor illum cum posteris in ignorantiam præcipitem dedit. Omnes cum hoc nascimur supplicio: Error malum est, hæreditario veluti jure ad nos transmissum, non secus ac peccatum, & quemadmodum omnes filii Adæ sunt nequam, ita omnes etiam ignari sunt. Si nullos habeamus, a quibus edoceamur, magistros; hoc malum nobiscum adolescit, & cum nova percipere lumina cogitamus, recentibus tenebris involvimur. Malum hoc tolerabilius esset, si Deus delens originale peccatum Baptismatis gratia, ignorantiam hanc, quæ pœna est, cui sumus adhuc subjecti, in rebus merè naturalibus coarctasset, quarum cognitio minimum confert ad salutis æternæ acquisitionem: sed veræ infelicitatis nostræ, ut plurimum, causa est, quod licet per regenerationem prorsus supernaturalem facti fuerimus Filii Dei, & quatenus ejusdem hæredes jus fuerimus assecuti ad regnum Cœlorum, ignorantia viarum, per quas illud acquirere possumus, in nobis permansit, & documentis indigemus, ut veritates æternæ saluti absolutè necessarias percipiamus. *Desumptum partim ex Homine criminoso P. Senault.*

Ignorantiæ tenebræ quæ effusæ

Nemo est, qui non perhorrescat, ubi considerat quàm densæ fuerint in mundo tenebræ ignorantiæ,

erant in omnem terram Ethnicæ Religionis tempore,

tantiæ, antequam fides eas dissiparet; attamen licet tot idolotatriæ monstra ac tanta morum corruptio latè universam terræ faciem fœdassent, numquam permisit Deus, ut communes rationis, & naturalis æquitatis notiones omnino in humanis mentibus delerentur, ne ulla superesset legitima excusatio illis, qui officia adeo necessaria neglexissent, & ut illi, qui damnari non poterant lege scripta, quæ ipsis irrogata non fuerat, interiori conscientiæ suæ judicio redarguerentur, & damnarentur. Quod si non desunt populi brutales adeo, & barbari, ut invincibili ignorantia nesciant prima legis naturalis principia, quæ habent cum omnibus terrarum populis communia, qualia sunt fateri, & colere Deum aliquem, parentes suos revereri, alteri non inferre injuriam, quam sibi minimè inferri nollent; opus est, ut jam animadvertamus, id genus homines inter puerorum, vel dementium ordinem rejicere, qui cum rationis participes non sint, peccato obnoxii esse non possunt. *Desumptum ex Domino de la Font. Sermone in sextam Dominicam post Pascha.*

Ignorantia, & falsus Judæorum zelus, qui persecuti sunt primos fideles, nequaquam illos a peccato excusarunt.

Numquid crimine absolvemus Judæos, qui cæco ducti zelo pro legis suæ observantia, de Synagogis ejecerunt primos JESU CHRISTI discipulos, eosque contumeliis affecerunt, persecuti sunt, atque tot modis ultimo supplicio affectos, sustulerunt? Evangelium profectò hoc illis perhibet testimonium, quod tantum aberat, quid se peccare arbitrarentur, ut immò acceptissimum Deo se offerre sacrificium censerent in eos omne crudelitatis genus exercentes. Eorum ignorantia, & error efficiebant, ut conversiones omnes, quæ ab illis fiebant, tot veluti crimina, atque contumelias legi suæ illatas censerent. Quicumque in Christianæ Religionis castra transibant; videbantur illis tamquam decepti, seductique, & a veri Dei cultu divulsi, ut rebus novis velificarentur. Itaque zelum suum erga Deum se insignire putabant persequentes novæ hujus doctrinæ præcones, atque sibi merito adscribentes cædem eorum, quos tamquam victimas aris suis immolabant. Dicemusne igitur ignorantiam eorum, assertamque bonam intentionem sese opponendi ejus legis, quæ a Deo acceperant, eversioni, illos scelere excusavisse? Haud ita sanè: Non permittit Sanctus Paulus, ut de illis ita sentiamus, etenim postquam ait illos necem intulisse Prophetis suis, & persecutos fuisse Apostolos Domini, addit, frustra putare se placere Deo his crudelitatibus; sed e contra pro viribus prohibentes, ne illi Gentibus Dei verbum annuntiarent, cumulum addidisse mensuræ peccatorum suorum. Quid igitur dicendum, & cogitandum est de Judæorum ignorantia? dicendum est, illam nequaquam fuisse invincibilem, ideoque ab eadem non potuisse excusari. Debebant illi ad examen vocare vitam moresque illorum, quos persequebantur, & legem ipsam, quæ ab illis prædicabatur; debebant cognoscere miracula illius, qui legis ejus auctor erat, & quem turpissima morte sustulerant, apertissima esse missionis ejusdem argumenta; debebant reminisci illum a Joanne Baptista probatum fuisse, atque sæpe a populo eodem pro magno aliquo Propheta fuisse habitum, Quamobrem cæcitas eorum oriebatur ab affectu illo, quo excæcati erant, cumque zelus eorum scientiam non haberet sociam, nonnisi invidiæ, odiique sui in Magistrum æque, ac discipulos effectus esse poterat. *Idem ex parte.*

Aliter judicandum est de aliis ignorantiæ speciebus per quas, vel cũ quibus agitur.

Sedulò animadvertendum est, ignorantiam, quæ in seipsa defectus est luminis, & cognitionis, modò esse earum rerum, quas neque scire, neque exercere tenemur; modò earum, quæ sciendæ sunt, ac in praxim redigendæ, & modò tandem earum, quas scire negligimus, licet sciendæ a nobis sint, & quas etiam ignorare adsectamus, Nemo non videt non esse ratione eadem differendum de triplici hac specie ignorantiæ, easque non esse æque noxias, atque vituperabiles; etenim primum extra omnem dubitationis aleam positum est, nemini noxæ vertendum esse ignorare ea, quæ scire non tenetur, & quarum cognitione non indiget, ut status sui perfungatur officiis. Si Ecclesiasticus medicinæ regulas, vel militarem artem ignorat; hoc sanè ejus existimationi, & saluti non potest officere: e contra verò liquidò constat, adsectatam officiorum professionis suæ ignorantiam, non solum non excusare, sed graviora efficere eorum peccata, qui eadem obire contemnunt; quia ignorantia hæc non efficit involuntariam legis prævaricationem; sed illam magis adhuc efficit voluntariam recenti audacia, quam inspirat, illam sine ullis conscientiæ stimulis perfringendi, ac sine metu sibimet crucem figendi in illius cognitione inquirenda. Hic igitur abusus est, ac insignis error eorum, qui scire nolunt, quod tenentur facere; minorem sibi pœnam subeundam rati, si bonum, quod exercere debuissent, ignoraverint. Magnum intercedit discrimen inter eos, qui simpliciter sua ignorant officia, & eos, qui illa nosse detrectant: qui ea scire conatur, & scire nequit, simplicem habet ignorantiam; at qui rejicit occasiones, & modos sese de illis erudiendi; qui timet, ne illa cognoscat, qui avertit aures a voce veritatis, hic testatur contemptum magis contumeliosum voluntatis domini sui, & magis criminosam salutis suæ negligentiam, nullo habens in discrimine, utrum illa, quam sequitur, via ab eadem recedat, an propiùs ad illam adducat. Itaque prava hæc dispositio, quæ efficit, ut cæci isti voluntarii oculos claudant lumini veritatis, quin eorum lapsus excuset in ea, in qua gradiuntur, caligine tenebrarum, efficit e contra, ut eorum crimina magis enormia sint, ac venia indignissima. *Idem.*

Ignorantia, quæ ex ignavia, & negligentia proficiscitur minus est nocens, quam quæ affectata est.

Verum quidem est eorum munerum, quæ statui inhærent nostro, ignorantiam ex ignavia, & negligentia eadem cognoscendi profectam minus esse noxiam adfectata ignorantia; at non ideo minus in oculis Dei nocentes habentur, qui aliquod sui status officium omittunt, ob curæ, ac diligentiæ defectum, qua uti debuissent, ut eodem imbuerentur; quia eorum ignorantia indirectè voluntaria est, & æquo jure censentur ignorare voluisse, quod discere neglexerunt. Esto quidem, ille, cui defuit modus legis alicujus cognoscendæ, dignus sit excusatione, & vacuus crimine, in quod incidunt; qui scientes, atque volentes illam infringunt; At idemne judicium ferri potest de eo, qui eamdem ignorat, eo quod laborem de illa erudiendi detrectaverit? Æquum ne esset, ut ejus negligentia in iis cognoscendis, quæ ab ipso facienda sunt, mitius inveniret judicium, quam impotentia, qua alter quispiam ea cognoscere nequit? Sive igitur officium suum non agnoscatur, Sanctus Bernardus ait, propter negligentiam discendi, sive propter pravam inquirendæ hujus cognitionis verecundiam, semper æque nocens est; hæc enim ignorantia cognitioni mali æquipollet. *Idem.*

Quid docet S. Thomas de involuntaria ignorantia, 1. 2. qu. 6. art. 8.

Sanctus Thomas, qui tanta soliditate, atque profundo acumine ad examen omnia Ethicæ revocavit officia, docet ignorantiam bifariam esse posse voluntariam. Primùm, cum nobis placet nostræ professionis officia ignorare, ne si ea nobis comperta fuerint, nobis vim afferre teneamur, atque ut sine metu, atque conscientiæ stimulis nosmet cordis nostri desideriis mancipemus; Secundò cum edoceri negligimus ea, quæ nobis sunt cognoscenda, Itaque quemadmodum fideles omnes vacare debent earum rerum cognitioni, quas scire debent, ut suis muneribus perfungantur; ita distinctè nosse debent præcipua legis mysteria, præcepta Decalogi & peculiaria sui status officia; neque dubio locus esse potest, quo minus harum rerum ignorantia vituperanda sit, cum ex negligentia discendi ea proficiscitur. *Idem.*

Quid ex hoc principio consequatur.

Ex hoc principio, satis innotescit, quid consequatur; quod sanè plurimis auferre debet gravissimum errorem, quo se innocuos putant, ubi præ igno-

Ignorantia ea, quæ tenentur, non obeunt munera. Ne vobismet fucum faciatis, Medici, qui per ignorantiam præcipitis pharmacum ægrotantibus perniciosum, eorumque mortem prævertens, licet hoc illis juvandi consilio propinetis: pharmaci hujus temperamentum, & vires exploratæ vobis esse debebant, antequam eodem uteremini; ita ignorantia vestra vos efficit illorum interfectores; vobisque ratio erit reddenda damnorum omnium, quæ eorum familia fuerit perpessa. Judices ne confidatis adeo rectitudini cordis vestri, atque amori justitiæ, ubi sit vobis comperta; si quid injustè judicatis, eo quod partium causas non satis diligenti examine scrutati estis: quamvis animus vobis fuerit justè judicandi, nocentes estis, atque eam reparare debetis jacturam, qua ille affectus est, qui injustè, licet per juris ignorantiam, a vobis fuerit damnatus. Sacerdotes, Pastores, Confessarii, qui ad animarum curam, & regimen vocati estis, ne nimis tribuatis puritati intentionum vestrarum, & zelo, quo acti estis ad lucrandas animas: quidquid peccatis in ministeriorum adeo præstantium exercitatione per ignorantiam canonum in eadem servandorum, vobis vitio vertitur. Non erat cur vosmet huic immisceretis rei ea destituti doctrina, quæ ad munera vestra dignè obeunda requiritur; vobis luenda erit pœna cum pravorum consiliorum, quæ pœnitentibus tribueritis, tum malorum, quæ illa fuerint consecuta.

Ignorantia legum positivarum divinarū, humanarumque excusat a peccato.

Positivarum ignorantia legum, quas variis subinde temporibus hominibus irrogavit Deus, nocentes non facit eos, qui illas ignorant, quemadmodum certè non peccabant Ethnici non observantes cæremonialia legis præcepta, quæ Judæis tantum fuerant imposita. Quod pertinet ad naturæ legem, quam imprimis Deus in hominibus, cum illos crear, & rationis facem ad bonum a malo secernendum, ut discant vitam ducere naturæ suæ conformem, distinguendum est. Si enim hæc ignorantia propter ipsorum stupiditatem est invincibilis, qualis est in pueris, & insipientibus, vehementer errat, qui putat illos legem eamdem minimè servantes peccare: verum si rationis usum habeant, probabile non est, in illis esse posse invincibilem juris merè naturalis ignorantiam, saltem quoad generalia principia, atque vulgariores ejusdem notiones. Verum est, post innocentiam amissam, peccatum, quod in homine deformavit imaginem Dei, rationi ejusdem plurimum caliginis offudisse; verùm cum imago hæc non sit penitus deleta, ratio non ita caligavit, ut in ea non superfit tantum luminis, quantum satis est dignoscendis generalibus regulis justitiæ, atque virtutis a via iniquitatis.

Negari nequit, per ignorantiam peccari cum hæc ignorantia vincibilis est.

Si per ignorantiam non peccatur; immeritò, Sanctus Bernardus ait, tantopere detestamur persecutores Apostolorum, & Martyrum, quia se nequaquam peccare arbitrati sunt, illos sævissimis cruciatibus interficientes; sed e contra rati sunt præclatam Numinibus suis operam impendere, eos sequentes, qui illorum sese hostes ferebant. Frustra etiam simili ratione JESUS CHRISTUS in Cruce positus Patrem precatus est, ut tortoribus suis veniam elargiretur; quia nescientes quid facerent, culpa vacabant; & si illum esse Regem gloriæ agnovissent, ut Paulus ait, numquam illum crucifixissent. Videte ergo, Pater idem concludit, quanta sit eorum ignorantia, qui per ignorantiam peccari non credunt, quod semper intelligendum est de ignorantia voluntaria, & affectata, vel quæ ex doctrinæ negligentia procedit. *Idem ex parte.*

Peccat, qui legem violat quam culpa sua nescit.

D. Thom. quodl. 8. *art.* 13.

Duplex nobis est morum, actionumque nostrarum norma, quemadmodum docet Angelicus; Lex videlicet Dei, & conscientia; at ut bonum aliquod fiat, non satis est illud alterutrui huic regulæ esse conforme; sufficit tamen ad hoc, ut malum fiat, alterutrè adversari. Ita peccato non vacat, Sanctus hic Doctor ait, qui aliquod Legis præceptum infringit, licet hac in re fallax conscientiæ suæ sensum sequatur; & in hoc eodem sensu, Sanctus Augustinus ait, si quis bonum putat, quod malum est, & illud erronea hac fide sequatur, nequaquam a culpa immunem esse, quia fallax ista persuasio ipsa etiam peccatum est: *Si quis bonum putaverit esse, quod malum est, & fecerit, hoc putando, utique peccat.* Sin autem scire lubet, cur hic error, & hæc ignorantia peccatum est, ideo est, quia id agens noluit, vel neglexit legem cognoscere; si enim hæc invincibilis esset ignorantia, hic error, & hæc ignorantia præter voluntatem accidisset, & peccatum non esset. *Idem ex parte.*

S. August. Epist. 154.

Peccato excusari non potest Hæreticorum inscitia, nisi sit invincibilis.

Peccato absolvi non possunt Hæretici, qui inter Catholicos vivunt, licet nullam habeant de Religionis suæ facto dubitationem, seque tutò credant in via salutis; quia non deest unquam illis dubitandi causa, neque desunt erroris agnoscendi adminicula, si bona fide veritatem agnoscere vellent. Sed pertinacia præventioni conjuncta; commoda, & bona, quæ ea inveniunt in causa, in qua nati sunt, vel quam per errorem, vel effrænem licentiam arripuere, illos mordicus retinet. Ita cum in asserta securitate sua blasphemias evomunt contra veram Religionem, quam veluti falsam respiciunt; cum illam improbant, ac defensores illius persequuntur, vel sævissimis discerpunt conviciis, eisque omne ingerunt genus contumeliarum, culpa non vacant, licet in hæc facta divinæ Legi opposita ruant per ignorantiam, quæ causa est falsi zeli, qui in furorem migrat. Hæc ignorantia numquam illos excusabit ab omnibus hisce criminibus; nam inexcusabile crimen est esse Hæreticum, & non inquirere modum, quo error abjici possit. *Idem ex parte.*

Major requiritur diligentia, ut in quibusdam rebus ignorantia excusetur, quam in aliis.

Sedulò animadvertendum est, diligentiam, quæ sufficit, ut quibusdam in casibus veritatem intelligamus, atque ut ignorantiam excusemus, aliis in casibus non sufficere, qui impensiorem attentionem, majoremque efflagitant diligentiam. Si de quadam facti circumstantia tantummodo agatur, veluti, utrum hic vel ille dies festus sit, aut dies jejunii, pendere possumus a viri boni consilio, a quo si deciperemur, vitio nobis vertendum non esset: sed cum de jure agitur, puta, utrum contractus aliquis usurarius sit, nec ne; utrum liceat palam producere tabulas, in quibus obscœnæ videntur imagines, non satis esse debet unum tantum consulere, & in unius sententia immorari, quia nobis arridet, & suffragatur; etenim itane agere consuevimus in terrenis negotiis, quæ alicujus momenti videntur, & quæ vel tantillum nobis sunt curæ? Cum litem habemus de gravi aliqua re, pendemusne ab ore unius Causidici, qui sese forte nobis obtulit? Cum periculoso laboramus morbo, illius, qui prior occurrit, Medici consilio acquiescimus? Nonne immo eos consulimus, qui doctissimi, & consultissimi habentur? Potestne igitur invincibilis haberi Divinarum, Ecclesiasticarumve legum ignorantia ea, quæ facile superari potuisset, si eædem adhibitæ fuissent curæ, quæ in momenti alicujus negotiis adhiberi consueverunt? Aliter agere profectò est suam salutem negligere. *Idem.*

Cum ignorantia sit naturalis in homine, cumque hic dicendi flagret cupiditate, illis vacare debet studiis, quæ illum beatum possunt efficere.

Cum mentes nostræ a Deo creatæ sint, qui illis intelligentiæ suæ radicem, tamquam primum suæ imaginis characterem communicavit; in illis aliquod semper reliquum est semen, & quidam sensus primorum luminum, qui rationem sollicitat, ut naturali hac utatur face, ejusque fulgorem augeat nova accessione cognitionum, ut principio nostro magis similes evadamus. Cæterum cum ex nihilo educti fuerimus in ordine naturæ, atque huic alterum adjecerimus morale peccati nihilum, omnes in tenebris ignorantiæ nascimur, quam nobiscum gerimus tamquam nihili nostri residuum, & quam tamquam scelerum nostrorum pœnam patimur. Quamobtem mentes nostræ secretos conatus exerunt, ut huic suppleant defectui, & sen-

sim

sim has tenebras dissipent. Sed ex omnibus objectis, quæ in nobis hoc studium excitare, ac nos ad ipsorum cognitionem inflammare valeant, illa potissimum in animis nostris vim debent habere, quæ magis præstant, & quorum cognitio saluti nostræ magis utilis est, vel necessaria. Hæc autem potissimum sunt Religionis nostræ sanctissima dogmata &c. *Biroat Sermone 2. Adventus de mundi damnatione.*

Parum interest ignorare cætera, dummodo agnoscatur JESUS CHRISTUS & ea, quas docuit, veritates. 1. ad Cor. 2.

Quid quæso sibi vult Apostolus, cum se nihil nisi JESUM CHRISTUM scire profitetur? *Non judicavi me scire aliquid inter vos, nisi JESUM CHRISTUM.* Credo equidem ipsum tres pulcherrimos sensus exprimere juxta triplicem hujus loci explicationem. 1. Ipsum nihili facere alias quascumque scientias, ubi, cum ea, quam habet JESU CHRISTI, cognitione conferantur. Licet in legum scientia consultissimus esset, neque in prophanarum litterarum studiis rudis, & hospes, se tamen nihil scire arbitratur; omnia hæc lumina tenebras putat, & omnes has scientias veram existimat ignorantiam. 2. Innuere vult se in omnibus mundi hujus negotiis respicere JESUM CHRISTUM tamquam curarum, & cogitationum suarum, atque totius studii sui objectum universale. 3. Denique significat se libenter cætera quæcumque abdicare studia, ut uni vacet JESU CHRISTO, qui ipsa veritas est, & qui omnes docet veritates, quas scire nos decet, itaut qui scit JESUM CHRISTUM omnia sciat, licet cætera nesciat, & qui cætera scit, nihil sciat, si unum nesciat JESUM CHRISTUM. *Idem.*

Ignorantia Christianarum veritatum quæ in plerisque hominibus adest.

Ignorantia, quam in plerisque mortalibus videmus in iis, quæ ad mysteria, & Religionis veritates pertinent, effectus est stupiditatis animorum eorumdem. Salutis suæ negotia nullo habent in discrimine; & minimum laborant, ut viam, qua sibi certam faciant æternam beatitudinem, requirant. O Deus! quænam rationis nostræ perturbatio! tanto ardore studemus cœlorum motibus, naturæ arcanis, aliisque humanis scientiis insudamus, veritatum autem æternarum meditationi ne minimam quidem attentionem vellemus impendere. Attamen aliæ quæcumque scientiæ saluti nostræ inutiles sunt. Infelix est homo, Sanctus Augustinus exclamat, qui cætera quæcumque callet, at tot licet illi affulgeant lumina, te tamen Domine, ignorat: *Infelix homo, qui scit illa omnia, te autem nescit. Idem.*

Aug. l. 5 Confess. c. 4.

Mundus non agnoscit JESUM CHRISTUM, quemadmodum alias illum non cognovit.

Quinam hic mundus est, de quo dilectus loquitur Discipulus; hic mundus, qui non cognovit JESUM CHRISTUM: *Mundus eum non cognovit?* Hic non solum est mundus ævi illius, sed etiam qui hodie in Christiana Religione vivit, contra quem Salvator questus iterat, quos olim Pater ejusdem per os Isaiæ contra populum suum protulerat: *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui; Israel autem me non cognovit.* Ea etiam quæ magis stupida sunt inter bruta benefactorem, dominumque suum cognoverunt; Israel verò populus meus electus; Christiani tot gratiis præventi, tot beneficiis aucti, tot illustrati luminibus me cognoscere nolunt; ut plurimum in cœca mysteriorum meorum, personæ, & veritatum, quas illos docui, ignorantia versantur: *& mundus eum non cognovit. Idem.*

Isaia 1.

Ejusdem argumenti continuatio.

Non exigua mortalium pars JESUM CHRISTUM ignorant, certa quadam negligentia, qua suæ salutis negotia contemnunt. Cum hinc quidem nulla adorabilis hujus objecti cura tangantur, inde verò mentes suas variis impendant objectis, prout eos vel curiositas, vel animi affectus sollicitant; minime laborant de Salvatore suo cognoscendo, atque in cætera quæcumque tantum temporis transmittentes, ne unicum quidem horæ quadrantem singulis diebus inveniunt, quo legant Evangelium, æternasque recogitent veritates, donec umbræ mortis, extremique Judicii fulgura oculos cæcorum aperient, ut videant, quod agnoscere noluerunt, & ora, ut cum ignaris insipientibus dicant: *Et sol intelligentiæ non est ortus nobis.* Præoccupemus, Christiani, crimen istud, atque hanc infelicitatem; & donec superest nobis aliqua lucis particula, illam agnoscere incipiamus; oculosque nostros bonorum librorum lectioni impendamus. Heu! tantum impendimus temporis, ut noxios, ac inutiles evolvamus, cur invenire non possumus horæ quadrantem in die, ut oculos in Evangelium conjiciamus? Aperiamus aures, ut Dei vocem audiamus ex ore Concionatorum; hæc enim magis communis & efficax ratio est, quam Salvator instituerit, ut nos de suis veritatibus, atque mysteriis edoceat: tandem mentem nostram divini hujus objecti meditationi applicemus. *Idem.*

Sap. 5.

Ignoramus res naturales, & causas effectuum, quos oculis intuemur.

Fatendum est insitam nobis esse ignorantiam; hoc rebus in omnibus innotescit; Natura, morum disciplina, & Religio tot nobis hujus rei argumenta suppeditant, ut abundè edoceamur. Licet enim natura omnem oculis nostris suam objiciat pulchritudinem, nobisque admirabiles suos ostendat effectus, quisnam omnia illius cognoscit arcana? Quamvis cœlum super caput nostrum sit extensum, quis novit, ex qua materia compositum fuerit? Quamvis sol singulis diebus oriatur, & occidat, quisnam omnes illius influxus, & motus agnoscit? Quamvis terra sub pedibus nostris germinet flores, & ob oculos nostros fruges ad maturitatem perducat, quis novit quonam utatur opificio, ut colorem, ac maturitatem illis impertiat? Quis novit qua secreta virtute natura terram convertat in aurum, eique auferens quidquid impurum est nitidum fulgorem eidem impertiat, qui operibus nostris extremum addit ornatum. Quis intelligere potest quomodo ros in margheritas concrescat, quomodo aqua in crystallum densetur, & solida facta, pellucida esse perseveret? Quis scit, cur palea cum ita frigida sit, ut inter ferventissimos æstus glaciem conservet, ita sit calida, ut inter hyemales brumas fructibus conferat maturitatem! Magnes nonne ad desperationem Philosophos adigit, & miracula hæc, quæ nostris sensibus accidunt, nonne mentes nostras confundunt? Omnia videmus, & nihil scimus; elementorum quidem usum habemus, cognitionem verò non item, & quidquid oculis nostris solatium adfert, mentibus nostris exprobrat ignorantiam. *P. Sennault in Homine criminoso Sermone tertio.*

Nati cum ignorantia scire cupimus: quod malum nobis adferat ignorantia.

Quamvis cum ignorantia nascimur, quæ nobis naturalis est, naturaliter tamen summa sciendi cupiditate flagramus; eò usque ut juxta veteris cujusdam verba, hæc sitis sit inexplebilis, vel inflammatus discendi appetitus: *Inest mentibus nostris insatiabilis quædam cupiditas veri videndi.* Nonne ita dignas luimus pœnas peccati primi Parentis. qui æque ac Deum scire cupiebat? Ut enim vera dicamus post plurimos laboris, studiique annos ille omnium doctissimus est, qui se nihil scire cognoscit. Verum non deest, unde laborem hunc solemur, quia scientiæ omnes, quas tanto ardore conquirimus, saluti nostræ necessariæ non sunt. Hoc maximum ignorantiæ nostræ malum est, quod nosmetipsos ignoramus, quod ignoramus Deum primum principium, extremumque finem nostrum, quod ignoramus ea, quæ ad finem hunc nos adducere possunt, quod tandem ignoramus quid bonum sit, quidve malum, & rerum harum non satis perspicuam, solidamque habemus ideam. Hæc autem ignorantia non solum puerorum est, rudisque vulgi, sed eorum qui & provectiori ætate sunt, & qui se litteratos, sapientes, atque politicos jactant; verbo, qui, ut Scripturæ utar vocabulo, filii sunt hujus sæculi. Hi tamen Christiani sunt, atque se fideles, & lucis filios dicunt. Nonne hujusmodi ignorantia deploranda est? *Liber, qui inscribitur: Perfectus Christianismus.*

Nunc major igna-

Ne tantum inscitiam nostram insimulemus; ne-

vis, quam ignorantia culpa est, cum mune ta nnitra non obimus.

que enim eo fæculo sumus, in quo latè, ut olim, ea dominetur. Hodierna die satis nobis persuasum est de christianis veritatibus, Hæ quippe de suggestu summis viris tantum prædicatæ fuerunt; hæ tantum imis, & ubique fuerunt annuntiatæ, ut tandem aliquando ignorantia dogmatum, non secus ac mysteriorum JESU CHRISTI non sit maximus ille labor, qui post Baptismum superfit. Deo immortales habeantur gratiæ; hoc ævo, æque & fortasse melius etiam, quàm alio quolibet omnia hominis Christiani, fidei & legis JESU CHRISTI officia callemus. Sed non satis est scire; at facere, quæ scimus facienda esse, hoc opus, hic labor est: labor est ea velle, labor ea facere posse; & hæc plerumque causa est, propter quam ignorare cupimus, ut ignaviæ nostræ causam aliquam prætexamus. *Idem*.

Ignorantia aditum obstruit omnibus supernaturalibus bonis, eaque facit inutilia.

Cum intellectus, ut ita dicam, primum sit ostium, per quod gratiæ bona ingredi in animam debent, si primum hoc ostium per ignorantiam obstructum fuerit, quænam illuc ingredi possunt bona? Si prima horologii rota, per quam cæteræ moventur, quiescat, opus est cæteras etiam quiescere. Igitur si Dei, veritatum ejus, & dogmatum, quæ Religionem respiciunt, cognitio deficiat, hæc est veluti prima rota cæteris motum imprimens, qua cessante, cessant universa. Ideo potissima inimici salutis nostræ cura est in animabus nostris caliginem offundere lumini, quo illustrantur, nempe cognitioni æternarum veritatum, atque ibi effundere tenebras ignorantiæ; quemadmodum Philistiim, cum Samsone potiti sunt, ante omnia illi oculos effoderunt; deinde, & prout lubitum fuit, illi insultarunt. *Catechismus Granatensis*.

Nocentes sumus si per ignorantiam nosmet iis bonis privamus, quæ Dei lex nobis procurat.

Nonne magnum doloris argumentum est, ac scelus ingens per adfectatam ignorantiam non percipere fructum ex insigni beneficio, quo homines cumulati fuere a Deo, qui illos suas edocuit veritates modò naturali lumine, modò scripta lege, modò tandem per se populos erudiens, eisque novam legem annuncians? Beneficii hujus magnitudo mirum in modum explicata fuit a Moyse Legislatore, cum populum alloquens, dicit illi: *Quæ est alia gens sic inclyta, ut habeat cæremonias, justa judicia, & universam legem, quam ego proponam hodie ante oculos vestros?* Si igitur verum est, adeo insignem esse hanc gratiam, quid nobis prodest lex Evangelica, si, licet Fideles, illam ignoramus? Quid nobis prodest, nisi quod nobis fit causa damnationis, si illam in manibus tantum nostris deferimus, ut olim populus Dei gerebat eam, quæ ipsis tradita fuerat; & nisi per illam ignorantiæ nostræ tenebras dissipamus? Quid nobis proderit tantæ virtutis remedium, nisi illud adhibere noverimus? Hominis bonum nequaquam situm est in earum rerum, quas possidet, dignitate, sed in hoc ut illis bene uti sciat, atque ex illis proficere, cum debet. *Idem*.

Deut. 4.

Plurimi, qui optimas habent dispositiones vivunt in ignorantia.

Accidit crebrò, ut qui optimas habere videntur dispositiones, tamen in ignorantia, vel saltem in præcipuorum officiorum suorum oblivione versentur. *Fascinatio nugacitatis obscurat bona*, quæ in illis sunt, Sapiens ait. Attamen illi, ut plurimum, se culpa vacare putant, atque lætantur, quod dicere possint: Si malum operatus sum, illud ignorabam. Illud ignorabas? Veritas undequaque sese tibi offerebat, eamque tibimetipsi abscondisti. Cœleste lumen affulgebat super caput tuum, ac vittam opposuisti oculis tuis, ne illud videres. Illud ignorabas? Nonne tuum erat inquirere, a quibus de eadem edocereris? Tanta sollicitudine, & cura mundi hujus consuetudines, & urbanitatis officia discere quæris; in iis adeo prudens es, ut ne pedem quidem proferre velis, cujus te pœniteat; adeo solers in iis cognoscendis, quorum inscitia fortunæ tuæ posset obesse; at in iis, quæ ad ipsum te pertinent, in officiis iis, quorum omissioni æterna infelicitas adjacet, frigidissimam habes negligentiam, & putas adfectatam te prætexere posse ignorantiam? Illud ignorabas? Rectius loquere; dic, te scire noluisse, ne ea facere cogereris, quæ vel negotiis, vel voluptatibus tuis perturbationem aliquam attulissent. Illud ignorabas? Consulendi erant tibi docti viri, & nihil illis abscondendum; adeundus erat amicus ille, quem probum, doctum, integerrimumque virum esse noveras; at nihil horum fecisti. Ignorantia tua a te uno procedit, qui affectibus dumtaxat tuis aurem præbuisti; quibus honorem, rationem, conscientiam, & quidquid antiquissimum esse tibi debebat, sacrificasti. *Ex Dictionario morali, Sermone 2. de Veritate*.

Sæpe fatetur præstat per improbitatem, quam per ignorantiam peccatum fuisse.

Equidem scio hac, qua sumus ætate, quemlibet ita ingenii laudem perquirere, ut homines suos defectus dissimulaturi malint illos in voluntatem rejicere, ac fidem adstruere velle, quod per nequitiam potius peccant, quam per ignorantiam, quam confiteri nullo modo possent, veriti ne pro stupidis, sensuque carentibus habeantur. Quomodo enim fatearis te fidei tuæ articulos ignorare, te Dei, & Ecclesiæ præcepta nescire, te bonum a malo nequaquam dignoscere, te numquam audivisse, nos ideo creatos esse, ut serviamus Deo, eique servientes saluti nostræ consulamus? Profectò si ita rudis, & imperitus esses, mittendus esses cum illis, quos Sanctus Paulus alloquebatur, ad puerorum scholam, qui plurima hac de re tibi præcepta tradere possent. Sed licet hæc vera essent, non deesset improbitas æque ac ignorantia, etenim ob status tui officium teneris de veritatibus adeo necessariis erudiri; nulla enim noxia est ignorantia, nisi in illius partem voluntas accedat. *P. Haineuve par. 1. de Ordine Sermone 3.*

Quam indignum sit ignorare sui status officia, ut iis quæ ad illum minimè pertinent, immorari.

Quam indignum est, scribebat olim de specus sui recessu ad Damasum Papam Sanctus Hieronymus, videre Ecclesiasticos in dignitate constitutos, & ad insignes honores evectos ignorare Concilia, Canones, Theologiam, ac interim in prophanorum librorum lectione terere tempus? ludis omnibus, solatiisque interesse; indesinenter in Aula versari, & sexcentis rebus vacare, quæ ad ipsorum munus, & officium minime pertinent! Nonne hoc ipsum dici potest de Magistratu, Judice, qui in penetralibus suis poetarum fabulas potius evolvit, quàm Jurisconsultos, leges, Statuta, consuetudines, in quibus planè hospes, & rudis lites, de quibus agitur, dijudicat, ac temere sententiam dicit? Nonne hoc ipsum de Quæsitore, qui quin diligenter causæ alicujus singraphas evolvat, in qua de pauperum fortunis agitur, tempus terat historias perlegens, atque quotidianas ephemerides curiosiùs inquirens? Quot mortales munus aliquod non solum inconsulto suscipiunt Deo, verùm etiam quin de muneris ejusdem officiis edoceri quæsierint? Hac in ignorantia quot injustitiis admittendis præsto sunt? Hæc proculdubio inscitia omnino peculiarem habet nequitiam præter mala, quæ gignit. *Auctor Anonymus*.

Hoc tempore non tam metuenda est ignorantia, quam sexcentarum rerum inutilium tempus nostrum occupantium cognitio.

Quin conqueramur quod non satis edocti fuerimus de Religionis nostræ veritatibus, verendum est, ne nimis illas sciamus; neque deesset occasio convertendi ad plerosque hujus ævi fideles, quod olim Sanctus Paulus sancto correptus zelo dicebat ad Galatas: *O insensati Galatæ! quis vos fascinavit non obedire veritati?* Christiani cæci, & insipientes, quænam funesta illecebra oculos vestros perturbavit, ne, cum sapienter instituti fueritis, sequeremini veritatem, quam nostis, & Evangelicis legibus obediretis? Eheu! Sæpe id scimus, quod ignorare deberemus, & ignoramus quidquid nobis esset sciendum; mundi scientiam summa cura perquirimus, & in scientia Sanctorum proficere non laboramus. *Vacat tibi, ut sis Philosophus*, Sanctus Chrysostomus inquit, *non vacat, ut sis Christianus*. Alexandri, Cæsaris, Scipionis historiam nosti, historiam verò JESU CHRISTI prorsus ignoras. Ethnicæ Religionis fabulas discis; christianæ verò fidei negligis veritates. *Essais de Sermons pour l'Avvent*.

Ad Gal. 3.

Vera

Undenam oritur plerorumque hominum in divinis rebus ignorantia.

Vera hominum in divinis rebus, & iis, quæ ad salutem pertinent, ignorantiæ causa ea est, quod plerique iis vacant, quæ minus utilia sunt. Si de mundi hujus negotiis sermo instituitur, arrectis adstant auriculis, neque facile aliquod faciendum arripiunt, nisi primum diligenter exploraverint, utrum illud utile sibi futurum sit; sed in iis quæ ad salutem, animam, conscientiam spectant, simplex satis est oculorum conjectus, quin diu immorentur, quin rem sedulo revocent ad examen. Numquid de re aliqua recte judicari, val illa satis cognosci potest, nisi prius diligentiùs fuerit inspecta? Numquid artis, aut scientiæ alicujus penitiora intelligi possunt arcana, quin juge studium adhibeatur? Num tabulæ præstantia rite æstimari potest, si obiter spectetur, quin omnes illius considerentur proportiones, omnesque corporum motus inspiciantur? Numquid de ædibur judicium ferri potest ex earum externa specie dumtaxat, quin intrò pes inferatur, quin videatur, utrum apposité omnia distributa fuerint conclavia, utrum omnia ad artis regulas disposita, extructaque sint? Quomodo igitur fieri potest, ut qui tempus omne, curamque transmittit in familiæ suæ substantiis augendis, in aleis, conviviis, aliisque oblectamentis, ea intelligat, quæ sublimia, necessaria, & supernaturalia sunt, perfunctoriè tantùm leviterque animum illis advertens? *P. Duneau Sermone pro quarta Dominica post Pascha.*

Quanam acciderent mala in rebus publicis, & Ecclesia per ignorantiâ, nisi adessent magistri, & doctores, a quibus ignari edocerentur.

Nulla est optimè instituta res publica, quæ publicis careat institutoribus, qui inde ignorantiam eliminent, docentes ea quæ utilia sunt, vel necessaria communi eorum bono, ex quibus illa componitur. Ecclesia Spiritus Sancti lumine afflata ordini adeo necessario numquam defuit; atque in omnibus Christianis civitatibus instituit Præceptores, Pastores, Doctoresque ad erudiendos fideles, eosque fidei articulis, Evangelicis institutis, ac Religionis officiis imbuendos. Quam perturbationem in mundo pareret ignorantia, nisi vel politiores litteræ, vel Philosophia, vel Jurisprudentia, vel Medicina docerentur? Hæc tamen perturbatio temporale dumtaxar gigneret damnum: sed nisi in Ecclesia traderentur ea, quæ ad Christiani hominis officium pertinent, quamprimum ignorantia mores corrumperet, ac mundum in eum statum redigeret, in quo ante Christianæ Religionis exordia inveniebatur. Et sanè Salvator de Cœlo descendit, ut peccatum deleret. Oportebat ergo, ut ad ignorantiam quoque delendam descenderet, quæ non solum est præcipuus peccati originalis effectus; verum etiam præcipua omnium, quæ patrantur, actualium peccatorum origo. Quoties cespitant, & labuntur viatores, qui inter nubilæ noctis tenebras gradiuntur? In quos errores decidunt homines, qui in ignorantiæ tenebris operantur? *P. Paulus Segneri in libro, qui inscribitur Praxis Curatorum.*

Ignorantia generatim semper vitium est, quod possumus, & debemus corrigere.

Quamvis ignorantia non semper in omni personarum genere sit criminosa; atque excusabilis in iis omnibus videatur, in quibus invincibilis est, vel involuntaria, hoc tamen non prohibet, quo minus semper vitiosa sit, vel tamquam peccatum, quod efficit, ut illi, in quibus invenitur, scientiam salutis contemnant, vel tamquam pœna peccati, quæ efficit ut minime pares sint iis percipiendis, quæ scire deberent. Homo enim nequaquam factus est, ut rudis, & ignarus sit, instar bruti, quamvis oriatur æque stupidus ac bruta illa, quæ nullam admittere possunt disciplinam; sed factus est, ut Creatorem suum agnoscat, ut sciat, quid debeat Deo, animæque suæ, atque ut suis functus officiis salutem suam operetur. At ex omnibus scientiis, quibus discendis homines apti sunt, & quarum excusari non potest ignorantia, una omnium maximè necessaria est scientia salutis, atque cognitio veritatum, & officiorum, quæ obeunda sunt, ut æterna acquiratur felicitas, qui noster est finis. Ideo princeps ratio dissipandi ignorantiæ nostræ tenebras est amor scientiæ, qua docemur supremam soli, verique Dei, qui nobis vitam contulit, majestatem agnoscere; Hæc docet quid ille in seipso sit, quid egerit pro nobis, & quid nobis pro illo faciendum; & nihil excusare potest eos, qui res adeo necessarias negligunt edoceri. *Liber, cui titulus; Bellum vitiis Prelio 28. contra ignorantiam.*

Varietas Religionû, quæ fuerunt, hodieque sunt in mundo, ostendit hominum ignorantiam in cognitione Dei.

Quam mirum spectaculum est infinita hæc religionum varietas, quæ distinet mundum! Omnes populi natura docti, iis omnibus, quæ circumstant rebus, & magis adhuc interiori infirmitatis suæ sensu, erudiri uno ore fatentur, colendum esse numen aliquod, & aliquod Ens superius; sed omnes in ea, quam de eodem concipiunt, idea longissimè discrepant. Quidquid sensibus accidit, & quidquid sola mens excogitare potest; quidquid in natura beneficium est, itemque quidquid in illa funestum est, ac terribile; hæc omnia aliquando velut numina ab aliquo populo habita fuere; hæc omnia sua thura, suasque habuerunt aras, suaque delubra. Religionum varietas numinum varietatem invexit. Hi habere volunt deos semper visibiles, semper in simulacris præsentes; illi nefas putant id exhibere, quod colunt: hic vel brutorum, vel hominum cruore litatur, illic mera fumant thymiamata: alii ludis, atque spectaculis iratum cœlum flectere conantur, alii sibimet gravissimas infligentes pœnas illud lenire contendunt: quod honori est Deo loci unius, contumeliæ esset numini alterius; & sanctæ alicujus populi cœremoniæ, sæpe sunt populi finitimi sacrilegia. Quod majus afferri potest argumentum ignorantiæ humanæ mentis in ea veritate, quam ipsa natura nos docet! *Ex Collatione Orationum Gallicæ Accademiæ oblatarum anno 1693.*

Hominum in iis, quæ ad salutem pertinent, ignorantia.

Quilibet eam ingreditur viam, in quam fortuna, vel honore suo trahitur; suæ tantum vacat utilitati, gloriæ, incremento; sequitur res suas, consilia, inanes omnes vitæ suæ rationes, quin cogitet, quò hæc omnia sint evasura. Sese mancipat errori mentis suæ, ut cordis sui vias sequatur; & cumulus malorum hominis est, quod ferme neque viam, qua graditur, neque locum, quò tendit, agnoscit. Nihil ignorare vult præter ea, quæ ad salutem suam pertinent. Gressus omnes, quos hoc in itinere facit, illum occupant, & terminus solus, quem ignorare videtur, illi negotium nequaquam facessit. Scire vult quidquid sibi in vita sit eventurum, quin curet, quid sibi eventurum sit in æternitate. *P. Rapin libro de salutis momento.*

Ejusdem argumenti.

Non satis defleri potest hæc mortalium in iis, quæ ad Religionem pertinent, ignorantia. Cum coram illis de præcipuis eorum officiis verba fiunt, illos obstupescere intueris, perinde ac in Ecclesiæ sinu nequaquam innutriti fuissent, atque hospites essent huc forte advecti ex aliquo loco, quo Evangelii nomen minimè pervasisset. Si illis, exempli gratia, dicis nobis pœnitentem, ac laboribus plenam vitam esse ducendam; neminem salvari posse, nisi JESUM CHRISTUM sequatur, hunc autem sequi neminem posse, nisi qui singulis vitæ diebus crucem illius deferat: si dicis, Deum nonnisi cordis gemitus exaudire, & totum hunc labiorum motum, cui omnis attentio deest, nonnisi cum contemptu, atque indignatione ab eodem spectari; si dicis, nullum suscipiendum esse ambitiosum consilium ad honores aucupandos, cæterasque illis religionis veritates enarras; videsne ab illis hunc sermonem intelligi? Nequaquam. *Auctor Anonymus.*

Plerumque ignorantia circa statum conscientiæ suæ.

Sæpe nonnulli putant, se cum Deo in gratiam rediisse, neque intelligunt se in peccato mortali versari. Abusus est, o Fideles, cum hæc fallax securitas proficiscitur ex adsectata ignorantia, ex conscientiæ licentia, quæ sibi lata constituit principia, quæ pro norma sequitur pravam consuetudinem, adulantium approbationem, solutiorum ho-

minum exempla, & quosdam mores, qui in qualiber professione inoleverunt. Nemo innocens coram Deo, qui ea, quæ scienda erant, ignoravit; tunc verò potissimum cum dubitationibus quibusdam agitatur conscientia, quibus lucem afferre detrectant, quarum tædio afficiuntur, & cum quibus ut plurimum toto vitæ suæ spatio operantur, cum quibus tamen mori minimè vellent. Hæ dubitationes, quæ libenter scrupuli vocantur, & infirmitates quæ tamen purissimi sunt divini luminis radii, cum quibus tot fiunt superficiales confessiones, quin unquam omnino illæ auferantur; hæ dubitationes adeo solidis inhærentes rationibus, adeo rarò ad examen vocatæ, adeo fortiter rejectæ; hæ, inquam dubitationes coram Deo nos inexcusabiles reddunt. *P. Cheminais, Sermone de Conceptione.*

Veritates Christianæ theoreticè facile intelliguntur, sed practicè ignorantur.

Christianæ veritates iis omnibus patent, qui de illis cupiunt eruditi, inveniuntur in libris, audiuntur in concionibus, & ex piorum virorum colloquiis percipiuntur. Verùm si facile est illas theoreticè assequi; non ita est illis uti veluti lumine quodam ad vitæ rationem instituendam. Amor enim proprius, qui non semper prohibere potest, quominus in memoriam ingrediantur, efficit, ut plerumque ibi steriles immorentur, videlicet, ut numquam pro vivendi norma assumantur, ut illis numquam actiones nostras conformemus, ut numquam inde eruamus illationes, quæ magis naturales, & certæ sunt; ut numquam animum subeant, nisi cum de illis incidit sermo; & tandem ut illas præter propter inspiciamus veluti veterum Philosophorum placita, quæ memoriter didicimus tamquam scientiæ, & eruditionis ornamenta, sed quæ non efficiunt, ut moribus nostris instituendis animum adjiciamus. Hinc fit, ut cum audiunt, homines doctos convictos fuisse; ea, quæ operantur, nequaquam licere; hæc illis perniciem afferre posse; his divina lege interdictum esse: tam parum moventur; ut quælibet res eos valeat confirmare. Quis non videt, rationi illorum affectum offundere caliginem, eosque in voluntaria hac ignorantia detinere? *Essais de Morale. Tomo 3. de suiipsius cognitione.*

Per licentiam vivere volumus in officiorum nostrorum, & Christianarum veritatum ignorantia.

Quamplures vivunt in crassa Religionis suæ ignorantia propter amorem proprium, vivendique licentiam; placet enim officium ignorare suum, cum quod faciendum est, non arridet. Quinam status magis metuendus est; & quinam meruitur minus? *Qui malè agit odit lucem*, inquit mundi Salvator; & non accedit ad lumen, ne detegat malum, quod operatur. Eo sæculo vivimus, ubi ignorantia voluntatis potiùs vitium est, quàm mentis defectus. Fugimus disciplinam, cum morum reformationem perhorrescimus. Officiorum omissiones, a sanctissimis legibus sine ulla causa dispensationes, contractus illegitimi, fœnora, conscientiæ systemata pro animi libidine concinnata; omnia probantur, omnia favore voluntariæ hujus caliginis, quam cordis corruptio offundit, & amor proprius fovet, æqui, bonique fiunt. Cum ignorantia status sit tranquillus, ac nullo stet labore, cumque amorem proprium, omnesque affectus in pace relinquat, semper plurimos asseclas habet. At adeo nefaria ignorantia poteritne esse justus contra leges Evangelicas titulus? Ignoras officia tua; at nonne in te positum erat, de illis edoceri? Non desunt in Israel Prophetæ, neque Doctores, at bona voluntas deest. *P. Croiset Tomo 2. Considerationum.*

Non desunt in cæteris rebus docti viri, qui suam Religionem ignorant.

Quot in mundo sunt eloquentes, diserti, litterati, eruditi; quas mulieres scitæ ingenii acumine præditæ, quas nulla urbanitatis latent officia, & quæ unicè suam religionem ignorant! Sciunt mundum, sciunt sexcentas historiunculas, omnes recentes formas, ludosque omnes sciunt. Quærunt homines sexcentas discere exercitatiunculas honesto viro dignas, & honestus hic vir adeo scitus in negotiationibus, adeo in omni sermone peritus, qui militarem artem in primis novit, qui apud omnes tanto habetur in pretio; virgo hæc, aut mulier nobilis, quæ memoriter tenet omnes ferme fabulosas historias, & carmina amatoria; hæc adolescentula, quæ musicis instrumentis omnibus ad miraculum usque psallere didicit, atque in cœtibus omnibus nitet; mortales hi adeo exculti, atque in cæteris quibuscumque rebus peritissimi fortasse moriuntur in crassa essentialium suæ Religionis officiorum ignorantia, quin ne prima quidem Christianæ fidei rudimenta, atque mysteria didicerint. Attamen lætantur, & in perniciosa hac inscitia tranquillum spiritum ducunt. Quænam desperatio, quænam infelicitas tunc solum tandem doctos fieri, cum jamjam imminet mors? *Idem.*

De ignorantia in militibus.

Satis intelligi nequit ignorantia, ac stupiditas eorum, qui militiæ nomen dedere, in iis, quæ pertinent ad Religionem. Pleríque totum vitæ suæ spatium traducunt, non solum quin Christianæ Religionis munera obeant, verum etiam sæpe quin illa cognoscant. Diceres illos nullo in discrimine habere Deum, & hostes, cum quibus prælium sunt inituri; & quemadmodum bellum illos dispensare videtur a quocumque officiorum genere; ita habitum quemdam contrahere, ut ab omnibus erga Deum se officiis dispensent. Nisi planè, hoc verum esse, liceat affirmare; certum saltem est, cum bellum ars sit, ubi gloriæ sibi vertit miles nihil metuere, & omnia contemnere, ut promptiùs sese cuique objiciat periculo, ubi occasio poposcerit; sensim contemptum hunc, atque duritiem, quæ ad summum in solos hostes esset habenda, ad alios quoque, qui tales minimè sunt, latè se extendere. Hæc ipsa audacia, quam sibi laudi vertunt, sensim, & sine sensu ad ea etiam extenditur, quæ sanctissima habentur, ita ut sine ulla veneratione, & cultu habeantur; & ad ipsa usque religionis officia, a quibus se eadem tranquillitate dispensant, ac si nullius essent momenti . . . Cum bellum producat religionis defectum in iis, qui hanc artem profitentur; religionis defectus in illis producit crudelitatem. *Liber, cui titulus, De Educatione Filiorum, a Joanne Pico editus.*



IMPU-

IMPUDICITIA.

Amor impurus, & inhonestus. Luxuria &c.

MONITUM.



I vetat Apostolus, ne Fideles in hominum cœtu, ac familiari sermone impudicitiæ vitium ex nomine appellent; potiori jure concionatoribus abstinendum videretur, ne de suggestu hac de re verba facerent; periculum enim est, ne auditorum suorum polluant mentem, quin illis criminis horrorem injiciant. Verùm cum impudicitiæ peccatum, quantumvis abominabile, atque in tot species divisum, adeo hodierna die familiare sit, & quocumque corruptionem inferat præseferens minus horribilia hilaritatis, morum festivitatis, relaxationis nomina; nihil est quod Evangelici Ministri zelum magis inflammare debeat, ut maximum auferant impedimentum, quod hominum saluti adversetur, atque ut eodem tempore infinitorum criminum fontem exhauriant.

Fatear equidem nullum esse argumentum, ubi magis ratio habenda sit; seu ne aliquod elabatur vocabulum, quod puras aures lædere possit, seu ne nimis ad vivum per hypothiposim ea describatur ratio, qua peccatum in cor viam sibi facit, seu ne illa exhibeantur objecta, quæ illud excitare consueverunt; & demum ne quid dicatur, quod suscitare possit affectum malè sopitum in illis, qui suapte natura in hoc scelus nimium sunt proni. Quamobrem illis, qui Argumentum hoc adeo tenerum pertractabunt, auctor sum; ne singulis vitii hujus speciebus immorentur, sed generatim dumtaxat de impudicitia loquantur, quin varia illius discrimina memorent; atque latius verba faciant de malis, quæ parit, de perniciosis ejusdem effectis, de occasionibus in eamdem labendi, de pœnis, quas meretur, de scandalo, quod in omnibus statibus gignit, deque periculis, quibus objicit; quod satis amplam, uberemque suppeditat materiam sermoni vehementi, atque perutili.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus Argumenti Systemata.

I. 

Ermo in duas dividi potest partes; quarum prior eos respiciat, qui nondum in turpissimum scelus hoc lapsi sunt; posterior verò illos, in quibus hoc vitium longa consuetudine penitus insedit, atque inveteravit. Quod ad primos pertinet, ajo, nihil facilius esse quàm in hoc scelus ruere; & nisi summa cura, sibi, suisque moribus invigilaverint, in jugi periculo versari. Hoc primum est punctum: alterum verò est, nihil difficilius esse, quàm ex hoc cœno emergere, ubi semel lapsus fueris, & validum vitii hujus habitum contraxeris.

Punctum primum. Facile est hoc peccatum committere; 1. Etenim naturali quodam studio violenter in illud impellimur; in nobis ipsis hunc ignem alimus, itaut nullo etiam exteriori objecto sollicitante, hic periculosus affectus principium suum habeat in corpore, quod nostrummetipsorum partem constituit! Hinc illi, qui majori sanctitatis laude floruerunt, nulla umquam graviora sustinuere certamina, quam contra hunc domesticum inimicum, cujus stipendia quodammodo sensus omnes movent, & qui statim quidem imaginationem, mentemque corrumpit, mox cor ipsum succendit, ac tandem dulce virus in ipsas usque medullas instillat. Hoc igitur vitium, opem ferente spiritu, ac voluntate, studium ipsum magis validum efficit, & peccatum, quod illius effectus est, magis difficile ad evitandum. De hoc inter austeritates, quibus corpus suum domabat, ac in servitutem redigebat, Sanctus Paulus conqueritur; hac de causa Sanctus Hieronymus inter desertorum horrores, sæpe imaginatione se translatum dolebat in cœtus Romanarum mulierum, atque in corpore jejuniis attrito, sub ipsis pœnitentiæ cineribus infelicissimæ hujus concupiscentiæ experiebatur ardorem. Sancti Bernardus, Benedictus, Franciscus, atque alii quamplures, qui pœnitentiæ lacrymis, & pane doloris vescebantur, non aliam inveniebant viam, qua hunc ignem extinguerent, quàm sese gelidis immergere lacubus, vel inter vepres, ac dumos, vel super nives volutari. Ad hanc autem violentam adeo, ac validam propensionem inhibendam non aliud occurrit adminiculum, quàm mortificatio Christiana; eam verò e contra dapum delitiæ, vestium mollities, luxus, & quidquid infernalem hunc ignem accendere potest, fovent, atque inflammant. Numquid ergo non facillimum est statim hoc igne consumi?

2. Quia externa illecebra potens est, atque omnia conspirare videntur, ut nos in scelus hoc pertrahant. Mulieres nihil inausum, intentatumque relinquunt, ut placeant; viri nihil prætermittunt, ut se amabiles præbeant, atque ad extremum usque illis blandiantur: illæ gloriam suam metiuntur, ex numero eorum, qui sibi inserviunt; hi verò se mundum nescire putant, si artem earum captandi amorem ignorent. In hac autem mutua illecebra, quæ utrinque ignem accendit, non alia ratio est pudicitiæ tuendæ, quàm Apostoli consilio adhærere: *Fugite fornicationem*. Sed quin oc- 1. ad Cor. 6.
casiones fugiantur, atque ita evitetur periculum, considerate aliorum quidem, eas inquirentium temeritatem, aliorum verò ab iisdem sibi nequaquam caventium imprudentiam; conversationes, affectus, mollia verba, reciprocæ amicitiæ protestationes, omnia adhibentur; & quæritis adhuc, cur homines, cum adeo fragiles sint, adeo frequenter in hunc incidant scopulum, quem evitare non curant, & qui nonnisi fuga potest evitari?

3. Naturali studio, quo ipsi in turpissimum hoc peccatum ferimur, externisque illecebris adde licentiam ea in re, ubi minimum quodlibet, dummodo voluntarium sit, grave peccatum est. Licet huic vitio hæreat infamia, sub nominibus minus turpibus, & quæ minus audientium aures lædunt, tegitur; & illi, quibus adhuc aliqua verecundiæ particula superest, abstinent quidem a factis, quæ nequiora sunt; sed nullo habent in discrimine, mollia, blandaque verba, libros, epistolas, licentiam; quasi certi essent, virtutem suam labefactari non posse, quin cogitent, has omnes, quas sibi vendicant, licentias, ut Sanctus Hieronymus ani-

animadvertit, signa esse pudicitiæ jamjam interiturꝫ &c,

Punctum alterum. Difficillimum est ex hoc emergere vitio, ubi diuturno, fortique habitu convaluerit. Labyrinthus est, quo nomine veteres illud vocarunt sexcentos habens aditus, exitum verò ferme nullum. 1. Quia mentem excæcat; hoc liquet ex tot Scripturæ exemplis; nulla consideratio movere potest eum, qui huic vitio se abdiderit; nihil eorum videt, quæ ipsam propiùs attingunt, bona, honestatem, auctoritatem, nominis existimationem &c. Mira cæcitas, & vix credenda in Davide, & Salomone &c. 2. Peccatum hoc omnem vitæ rationem perturbat: familiæ negotia negliguntur; æs alienum augetur; voluptatibus tantùm impenditur animus, quin ratio inquiratur eas relinquendi, atque ad Deum revertendi. 3. Maximum obstaculum, quod hoc peccatum opponit, ne peccator convertatur, & redeat ad Deum, illud est, quod videlicet tandem omnes conscientiæ stimulos, Dei sensus, omnemque demum suffocat Religionem &c,

II. Pro divisione Concionis hujus argumenti desumi possunt illa Regii Prophetæ verba: *Via illorum tenebræ, & lubricum, & Angelus Domini persequens eos.* 1. *Tenebræ* in omnibus viis eorum effusæ, qui vitio huic se mancipatunt; mira cæcitas, qua perculsi sunt, & quæ prohibet, ne videant ea, quibus se objiciunt pericula; criminis, quod committunt, magnitudo; effectus, & mala, quæ inde consequuntur; quæ profectò cæcitas satis amplum aperit campum, uberemque materiam suppeditat. 2. *Lubricum*, propensio; quam immutat, ad quælibet maxima flagitia patranda non solum in iis, quæ ad impudicitiam pertinent, verum etiam in quolibet genere, ut votorum summa obtineatur, ut omnes obices infringantur, & auferantur, ut scelera contegantur, atque celentur: Quod illud Prophetæ verbum exprimit *Lubricum*, lubrica videlicet via, qua in scelerum abyssum ruitur. 3. *Et Angelus Domini persequens eos.* Supplicia, quibus hoc scelus punire consuevit Deus, sæpe in hac etiam vita desæviunt præter ea, quæ in altera reservantur,

III. Psal. 106. Pro Concionis partitione hæc etiam desumi possunt ejusdem Prophetæ verba: *Sedentes in tenebris, & umbra mortis: vinctos in mendicitate, & ferro.* 1. Cæcitas, quæ præcedit, & concomitatur hoc scelus, & qua deinde impudicus a Deo ut plurimum percutitur. 2. Turpis servitus, ad quam infame hoc vitium eum redigit; obsequia ab eodem infelici creaturæ præstita, quæ, ut plurimum, omnes illius curas sibi in ludibrium vertit. Latè hic etiam disseri potest de angoribus, molestiis, curis, quibus in dura hac servitute torquetur, ad infamis muliercuiæ pravum ingenium, levitatemque sustinendam. Ullusne servus est, hoc calamitosior, & infelicior? &c. 3. Miseria, mala, desperatio, quæ turpe hoc vitium parit; *in mendicitate, & ferro.*

IV. Matth. 24. Argumentum hoc pertractari potest in Evangelium: *Cum videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto*; & sermo in partes duas dividi potest,

Quarum altera ostendat impudicitiam verè esse abominationem in loco sancto, qui indignè, & sacrilegè polluitur; quia corpora nostra sunt templum Spiritus Sancti, quemadmodum testatur Apostolus, & nosipsi membra sumus JESU CHRISTI, unde hoc infert Sanctus Paulus: *Tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis.* Altera verò exhibeat omnimodam desolationem, quam in anima nostra parit, illam gratiis, donis, subsidiis &c. exuens, eamque in peccati, & dæmonis redigens servitutem. (1. ad Cor 6.)

V. Primum. Peccatum hoc Deo est contumeliosum, & licet non sit omnium peccatorum nequissimum, tamen adversatur, 1. naturæ illius; 2. Beneficio Incarnationis, in qua Deus factus est homo in sinu Virginis, ubi modo purissimo conceptus fuit; 3. fœderi, quod nobiscum percussit in hoc adorabili Mysterio; 4. gratiis ejus. Præterquamquod Deo eripit cultum eidem debitum, ut huoc miseræ deferat creaturæ, quam sibi in idolum proposuit ille, qui infami huic sese abdidit vitio. Denique voluptuosus Deo suum eripit cor, & amoris sui prælationem, eidem rem abjectissimam, ac nullius pretii anteferens; unde Sanctus Thomas infert hujus peccati gravitatem. Secundò ostendendum est, quàm funestum sit homini hoc crimen propter ea mala, quæ corpori, & animæ parit.

VI. Crudelis hæc, & periculosa cupiditas vulgò ignis vocatur, non a prophanis tantùm Auctoribus, qui non aliam usurpant ideam, illam indigitaturi; verùm etiam in Bibliis: *Ignis est usque ad perditionem devorans &c.* Ita loquitur de eadem S. Job; ubi considerari possunt tres noxii hujus ignis proprietates, (Job. 31.)

1. Facile excitatur, & accenditur. Sufficit oculorum conjectus, gestus, vocula, cogitatio, quæ mentem subeat, memoria objecti, quod nimis curiosè fuerit inspectum; verbo, satis liquet quàm facile cupiditas ista excitetur,

2. Perniciosissimas deinde clades affert, & mala, quæ reparari vix possunt. Ignis materialis intra noctis spatium, intra paucas horas latè inflammare, atque in cinerem redigere potest integram urbem, illius templa, ædes, domos, omnesque ejusdem divitias absumere: sed hæc levissima est imago excidii, quod in anima, eodem flagrante ignis hic infernalis producit. Non solum omnes virtutes morales extinguit, sed etiam fidem, mox charitatem, ac denique spem: nam, ut Apostolus inquit, inducit in ipsam salutis desperationem, omnes sensus Religionis extinguens;

3. Hoc habet commune cum igne, quod operosum est illum extinguere, & remedia ipsa quæ majorem habere videntur virtutem, sæpe fiunt inutilia.

VII. Evangelium de immundo spiritu loquens tria dicit, quæ ostendi possunt in spiritu impuro, quo impudicus homo obsessus est,

1. Mala consilia, quæ concipit, & quæ inquietus mente volutat: *Ambulat per loca arida, quærens requiem, & non invenit.* (Matth. 12.)

2. Ejus nequitia: *Assumit septem spiritus nequiores se,*

3. Ejus pertinacia, & effectus: *Et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.*

VIII. Vitium hoc a Sancto Bernardo comparatur inferno propter similitudinem tormentorum, quæ infert, & quæ Pater iste ad tria potissimum redigit; *Ignis ardens, vermis rodens, & sulphur fætens.* 1. Ignis ardentis concupiscentiæ eos absumens, qui huic vitio sunt obnoxii. 2. Vermis conscientiæ, qui sequitur hoc peccatum, & incessanter cor impudici depascit. 3. Dedecus, & infamia, quem sulphurei ignis fœtor significat.

IX. Certum est maximè naturalem impudici hominis in terra imaginem eam esse damnati in inferno; Quatuor autem in Sacris Bibliis occurrunt, quæ nobis exhibent statum, in quo reprobus in inferno invenitur. 1. Tenebræ, ac ignis devorantis caligo: *Mittite eum in tenebras exteriores.* 2. perturbatio, & confusio: *Ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* 3. servitus crudelis: *Pluet super peccatores laqueos.* 4. Vermis immortalis conscientiam lancinans: *Vermis eorum non moritur*, Hæc ea sunt quatuor, quæ impudicitiæ peccatum post se trahit; Horribilis cæcitas, jugis confusio, servitus crudelis, vermis devorans. Hæc est divisio Concionis complectenns quidquid honestiùs dici potest. *Argumentum hoc desumptum est ex Sermonibus, qui sub P. Bourdalove nomine circumferuntur; & ex specimine Sermonum de Breteville, qui illum in compendium redegisse videtur.* (Matth. 22. Job. 10.)

X. Impudicitiæ peccatum considerari etiam potest in sola servitute, ad quam rediguntur, qui huic sese mancipant vitio,

1. Cru-

1. Crudelis est servitus homini, qui hoc sibi vitium patitur dominari; etenim jugibus sollicitudinibus mortalibusque curis ei requiem aufere; sive peccatum hoc spectetur, antequam commissum fuerit, sive consideretur, postquam patratum est; quia in corde amarissimam relinquit amaritudinem. 2. Servitus est turpis, & licet hoc cujuslibet vitii proprium sit, hic tamen proprius est impudicitiæ character. 3. Servitus est saluti perniciosissima; omnes enim Religionis sensus extinguit; nos indurat, ac tandem ad impœnitentiam adducit. 4. Servitus, quæ lapsu temporis fit necessaria, & ex qua emergi non potest, *Hæc est partitio, P. Cheminais in hoc argumento.*

XI. Inspici quoque crimen hoc potest tamquam cæcitatis peccatum; ac trifariam dividi.

1. Privat luminibus rationis, quod videmus accidisse in impudicissimis senibus Susannæ stuprum inferre conatis; hominem similem brutis facit, & ad belluarum redigit conditionem. Salomon mortalium sapientissimus quò usque cæcitatis evasit? 2. Privat luminibus gratiæ; gratia enim introire non potest in obscœnam, impuramque animam: homo suis abditus voluptatibus cœlestia non sapit, ut Paulus ait. 3. Privat denique luminibus fidei; etenim ad licentiam, atque Atheismum inducit &c. *Ex Christianis Considerationibus P. Nepueu. Tomo 2.*

XII. Hæc cæcitas, atque tenebræ, quibus impudicitia hominem immergit, alia efferri potest ratione ostendendo illam tria nobis cognitionum genera auferre. 1. Cognitionem suiipsius, nobilitatis naturæ, generis, status, professionis, verbo eorum omnium, quæ sunt in naturali, civili, & christiana vita, bonorum. 2. Aufert cognitionem Dei, illius præsentiæ, justitiæ, &c. 3. Aufert denique cognitionem peccati, quod committitur, & cujus enormitas ignoratur; sed plerumque habetur tamquam peccatum fragilitatis, & venia dignum, cui mortales haud ægrè veniam concedunt. *Ex subdivisione quadam Sermonis in Specimine de Bretville.*

XIII. Impudicitia spectari potest in ipsius principio, progressu, & fine. In ejus principio nugæ existimantur; in progressu, ætatis impetus dicitur; & in fine facile corrigi posse putatur.

Triplici huic perniciosissimo errori, triplex veritas gravissima opponitur.

Prima, in impudicitiæ principio omnia metuenda sunt, omnia pessimos effectus gignere possunt.

Secunda; hoc vitium non juventutis dumtaxat impetus est, sed abominatio coram Deo.

Tertia; ex omnibus peccatis hoc unum est, ex quo difficillimè nosmet colligimus, & quod conversionem fere impossibilem facit. *Essais de Sermons pro Quadragesima Tomo 1.*

XIV. Ex affectibus omnibus nullus est, qui minus carere culpa possit, & qui plurium scelerum sit causa. Hoc punctum erit primum.

Ex omnibus peccatis hoc illud est, quod minus impune abire patitur Deus, & quod funestissimis afficiatur pœnis. Hoc punctum est alterum. *Desumptum ex P. Aurelianensi de Impudicitia.*

XV. In Evangelium spiritus immundi per inaquosa loca ambulantis, & inquirentis requiem, neque invenientis illam: Ostendi poterit:

1. Impudicum, qui noxiam, infamemque perquirit voluptatem, quam hac in vita in suam felicitatem convertit, in ea statim invenire infelicitatem suam, propter tumultum, infamiam, & amaritudinem, quam ibi reperit.

Secundò, impudicum æternum sibi conflare infortunium; etenim hic est character, quo nullum reprobationis suæ habere potest apertiorem. *Argumentum hoc pertractavit Auctor Sermonum in omnia Ethica Christiana argumenta. Sermone pro feria 4. hebdomada prima in Quadragesima.*

XVI. 1. Impudicitia in homine extinguit omnia lumina, quæ possent illi detegere horrorem compedum ejus, tristesque effectus servitutis ejusdem. 2. Suffocat etiam sensus omnes, qui illam excitare possent ad rupe; & crudele jugum suum excutiendum; atque ad honestam, integramque vitam ducendam. Verbo: mentem excæcat, hoc primum est punctum; alterum verò, cor indurat. *P. la Pesse, Sermone hujus argumenti, Tomo 5. Sermonum.*

1. Impudicitia ex vitiis omnibus turpissimum, & infamissimum est, quia præ cæteris brutale est. XVII.

2. Impudicitia ex vitiis omnibus majorem ciet inquieti animi tumultum, & graviora mala producit. *Ex eodem Sermone.*

PARAGRAPHUS II.

Fontes, ubi inveniri aliquid potest, ad has Concionum texturas exornandas, & Auctores, qui hoc Argumentum pertractant.

Sanctus Augustinus, lib. 14. de Civitate Dei, cap. 16. Sancti Patres.

Idem, contra Julianum lib. 4. cap. 14. ubi adfert ipsorum Ethnicorum de hoc vitio sententias.

Idem, libro de Agone Christiano.

Idem, lib. de Salutaribus Documentis.

Idem, in Psalmos 41. & 75.

Idem, Serm. 3. *de Verbis Apostol.* ubi explicat hæc Sancti Pauli verba: *Ter Dominum rogavi, ut discederet a me &c.*

Idem, Serm. 45. de Tempore.

Idem, lib. de honestate Matrimonii.

Sanctus Ambrosius, lib. de Pœnitentia cap. 13.

Idem, ad Virginem lapsam.

Idem, lib. 4. in Sanctum Lucam, ubi hæc explicat verba: *Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus.*

Sanctus Hieronymus ad Eustochium Epist. 22. *de custod. Virgin.*

Idem, Epist. 48. contra Sabinianum Diaconum.

Idem, Epist. ad Susannam lapsam.

Idem, Epist. 2. ad Nepotianum.

Idem, Epist. 4. ad Rusticum Monachum.

Idem, Epist. 11. ad Ageruchiam.

Idem, Epist. 50. de Vita Pauli Eremitæ.

Idem, lib. 1. Advesus Jovinianum.

Idem, in Regul. Monach. ad Paulam, & Eustochium.

Idem, in cap. 2. Epistolæ ad Titum.

Idem, lib. 1. in cap. 4. Osee.

Sanctus Gregorius, lib. 10. Moral. cap. 8.

Idem, 21. in Job cap. 9.

Idem, lib. 6. in Reg. prolixum habet hujus argumenti sermonem.

Idem, 31. in Job.

Idem, in hæc verba Job: *Pepigi fœdus cum oculis meis.*

Idem, lib. 6. in Reg. adeo uberem, ac prolixum habet hujus argumenti sermonem, ut nihil desiderandum videatur.

Idem, alibi passim.

Origenes, lib. 7. contra Celsum.

Sanctus Basilius, *lib. Constit. Monast. cap. 4.*

Idem, lib. de vera Virginitate ad Letoium Melitensem Episcopum.

Idem, Epist. ad Virginem lapsam.

Sanctus Chrysostomus, Homil. 44. in Genesim, ubi loquitur de victoria Patriarchæ Joseph.

Idem, Serm. de Continentia.

Idem, Homil. 32. & 45. in Genesim.

Idem, Homil. 62. in S. Joannem.

Sanctus Zeno Veronensis, Sermonem habet de Pudicitia.

Sanctus Cyprianus, quoque ejusdem argumenti sermonem habet.

Granatensis pluribus in locis, quos Tabula indicabit. Ascetici.

Aula Sancta, lib. 1. Obstaculo nono. Amor carnalis; & tract. 3. de Affectibus, sect. 6. 7. 8. 9.

Drexellius, *in Niceta* prolixum habet hac de re tractatum.

Jacobus Alvares, *Tomo 2. lib. 1.*

Rossignolus, *l. 4. de Discipl. cap. 14. & 15.*

Petrus Canisius, *Tomo 3. de Peccat. §. 5.*

Marchantius, *in Horto Pastor. lect. 8. Item in Tuba Sacerd. Tract. 3.*

P. Nepueu, in Tomis singulis Christianarum Considerationum.

In Sermonibus, qui P. Bourdaloue nomine inscribuntur, sermo est contra impudicitiam.

Concionatores. In Sermonibus P. le Jeune, P. Cheminais, P. de la Colombiere, P. Aurelianensis, in Sermonibus Moralibus pro prima Quadragesimæ Dominica, in Auctore sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta; Sermone pro feria quarta post primam Quadragesimæ Dominicam; De la Volpilliere; Abbas de Sancto Martino; Specimen Sermonum pro Dominicis, Dominica 3. Quadragesimæ; & pro feria 4. post primam Quadragesimæ Dominicam. P. la Pesse; Tomo 5. Sermonum.

Henricus Engelgrave in luce Evangelica in Dominica 5. post Pentecosten.

Petrus Faber, Conc. 7. & 8. in Dominic. 13. post Pentecosten, & in festo Sanctæ Mariæ Magdalenæ.

Qui collectanea ediderunt. Ludovicus Granatensis, in locis Communibus, V. *Luxuria*.

Busæus in Panario. Verbo *Luxuria*.

Peraldus, Labatha, Lohner &c.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Applicationes Scripturarum huic Argumento.

NOn permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est. Genes. 6.

Non concupisces uxorem proximi tui. Deut. 5.

Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de Virgine. Jobi 31.

Hoc nefas est, & iniquitas maxima. Ignis est usque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina. Idem, ibidem.

Ne attendas fallaciæ mulieris. Prov. 5.

Ne abstrahatur in viis illius (mulieris) mens tua: neque decipiaris semitis ejus; multos enim vulneratos dejecit, & fortissimi quique interfecti sunt ab ea. Via inferi domus ejus, penetrantes in interiora mortis. Prov. 7.

Fovea profunda est meretrix; insidiatur in via quasi latro, & quos incautos viderit, interficiet. Prov. 23.

Qui nutrit scorta, perdet substantiam. Prov. 29.

Qui adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam. Prov. 6.

Ut scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det. Sap. 8.

Turpitudinem & ignominiam congregat sibi, & opprobrium illius non delebitur. Prov. 6.

Derelinquet (mulier adultera) in maledictum memoriam ejus, & dedecus illius non delebitur. Eccli. 23.

Ingreditur blandè, sed in novissima mordebit ut coluber. Prov. 23.

Oculus adulteri observat caliginem, dicens: Non me videbit oculus. Jobi 24.

Vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes. Eccli. 19.

Qui se jungit fornicariis, erit nequam: putredo & vermes hereditabunt illum; & extolletur in exemplum majus, & tolletur de numero anima ejus. Eccli. 19.

Dedisti maculam in gloria tua, (loquitur de Salomone.) Eccli. 47.

Ne des fornicariis animam tuam in ullo, ne perdas te, & hereditatem tuam. Eccli. 9.

Virginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius. Ibid.

Ne sequaris in fortitudine tua concupiscentiam cordis tui. Eccli. 5.

Non dabunt cogitationes suas ut revertantur ad Deum suum; quia spiritus fornicationum in medio eorum, & Dominum non cognoverunt. Oseæ 5.

Omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo. Matth. 5.

Dissipavit substantiam suam vivendo luxuriosè. Luc. 15.

Tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. Ad Roman. 1.

Curam carnis ne feceritis in desideriis. Ad Roman. 13.

Neque fornicarii, neque adulteri, neque molles, &c. regnum Dei possidebunt. 1. ad Cor. 6.

Datus est mihi stimulus carnis meæ angelus Sathanæ, qui me colaphizet. 2. ad Cor. 12.

Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? 1. ad Cor. 6.

Fugite fornicationem. Omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. Ibid.

An nescitis quoniam membra vestra, templum sunt Spiritus Sancti? Ibid.

Hoc scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus non habet hereditatem in regno Christi, & Dei. Ad Ephes. 5.

Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut abstineatis vos à fornicatione; ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, & honore. 1. ad Thess. cap. 4.

Fornicatio autem, & omnis immunditia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos. Ad Eph. 5.

Fornicatores, & adulteros judicabit Deus. Ad Hebr. 13.

Concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum; peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem. Jacobi 1.

Exempla ex veteri, novoque Testamento deprompta.

DAvid, Salomon, Samson tristia sunt exempla, quæ nobis exhibentur in Bibliis, imperii, & potestatis, quam furens hæc, atque indomita cupiditas exercet in hominum, eorum etiam qui sanctissimi, sapientissimi, fortissimique extiterunt, corda, cum sese eidem mancipant, vel illam sibi dominari patiuntur. Quibus addere possumus exemplum turpissimorum senum, qui Susannæ pudicissimæ fœminæ vim inferre conati sunt. Exempla hæc satis nota sunt, & nemo fere, qui concionem hujus argumenti elucubratur, inde argumentum haurire prætermittit. Itaque quin immoremur deplorabilium horum lapsuum circumstantiis inspiciendis; satis sint ea, quæ a Sanctis Patribus in iisdem connotata fuerunt. Videlicet

In Sancto Rege David nullum statum esse adeo sanctum, in quo mortalis sibi diligentissimè cavere non debeat, omnesque evitare occasiones; etenim nimis curiosus oculorum conjectus magnum hunc virum, qui secundum Dei cor erat, in gravissima compulit scelera, adulterium videlicet, & homicidium. Quot deinde lacrymis hæc auctori suo noxia stetit voluptas? quot illi peperit dolores, sollicitudines, mala, quæ justa fuit ejus criminis pœna?

In Salomone, ad quam cæcitatem hæc eadem cupiditas redegit mortalium omnium sapientissimum; vix enim idololatras mulieres adamare cœpit, cum postquam illas adoravit, earum quoque idola veneratus est, atque thus Dei Israel adolevit simulacris gentium. Hac autem in re illud magis mirandum est, quod ille in senectute sua turpi huic tradidit cupiditati, atque eam, quam sibi comparaverat gloriam, fœdavit, & nomini suo, atque altissimæ existimationi, maculam, æternumque offudit opprobrium, uti loquitur Scriptura. Hoc probat non ætatem, non sapientiam, immo ne-

que

que vitam eum summa pietatis laude anteactam efficere debere, ut de viribus nostris præsumamus, neque cessemus quominus nobismetipsis invigilemus, atque ad Deum confugiamus, quemadmodum in juventute sua Salomon consueverat. Felix, si morem hunc ea in ætate servasset, ubi minus metuendus videbatur domesticus inimicus, postquam in regno suo profundam pacem servaverat.

In Samsonis exemplo considerandum est, illum ex quo Dalilam deperire cœpit inutilem factum esse Patriæ suæ, & causæ populi Dei, cujus fuerat præsidium non secus ac terror hostium; qui, illi perfidæ mulieris amore jam excæcato, oculos effoderunt; itaut qui antea roboris prodigium fuerat factus, sit triste humanæ infirmitatis exemplum.

In impudicis senibus, qui castissimæ Susannæ stuprum inferre conati sunt, admiranda est Cœli protectio, qua puris consulit animabus, & justa supplicia, qua impudicos persequitur.

Exempla suppliciorum, quibus Deus hoc peccatum est persecutus.

Divinæ ultionis in hoc scelus exempla tot numero sunt, ut integris opus esset voluminibus, si hic essent singillatim recensenda. Hæc autem potissima sunt. Aquæ diluvii ideo terras omnes submersere, ut extinguerent ignes, quos ubique concupiscentia succenderat: *Omnis quippe caro corruperat viam suam*, ut loquitur Scriptura. Cœli flammæ in Sodomam, Gomorrham, aliasque tres infames civitates ideo lapsæ sunt, ut nequissimarum impuritatum minima etiam vestigia delerent. Quatuor, ac viginti Israelitarum millia, & ultra cæsa sunt, ut impudicitias suas proprio sanguine abluerent. Deus zelum Phinees succendit, ut in re ipsa confoderet Israelitam virum, qui palam cum Madianitide tantum facinus committere non erubuerat: & flagella omnia, quibus semper Deus hoc vitium persecutus est, satis ostendunt quantopere hoc ille perhorrescat.

Genes. 6.

Josephi Patriarchæ pudicitia.

Fidelitatis ejus, quam hac in re debemus Deo, rarum nobis suppetit exemplum in pudicissimi Josephi fuga, qui in scelus illectus ab impudicissima domina, postquam nequicquam eidem testatus est horrorem tantæ erga herum suum infidelitatis, in turpissimæ fœminæ manibus suum pallium reliquit fugam arripiens.

Quemadmodum post Incarnationis mysterium impudicitiæ facinus magis enorme factum est; Deus in novo Testamento nobis præbere voluit exempla malorum, quæ hoc vitium parit, suppliciorum quæ meretur, & consiliorum, quæ nobis ineunda sunt, ut illud superemus.

Exemplum filii prodigi.

Luc. 15.

In filii prodigi exemplo nos docet Evangelium miserrimum statum, in quem hoc vitium redigere consueverit eos, qui sese eidem mancipant: *Dissipavit omnem substantiam suam vivendo luxuriose.* Nihil melius nobis ostendere potest, quomodo hoc vitium hominem de gradu dejiciat, quàm videre adolescentem hunc eò redactum, ut immundissimo pecori cibum invideat.

Exemplum Herodis Tetrarchæ.

Tyrannis, quam imperiosus hic affectus exercet, palam innotescit in Tetrarchæ Herodis exemplo, qui eodem actus Sancto Joanni Baptistæ jussit caput amputari. Sexcentæ rationes actioni adeo tyrannicæ adversabantur; noverat hunc esse Prophetam; ipsa etiam testatur Scriptura Herodem in eo confidere, libenter illius sequi consilia, & plura juxta illius monitum facere consuevisse: *Metuebat Joannem, libenter eum audiebat, & audito eo, multa faciebat:* Itaut non difficilè credendum sit, quod addit Evangelista, illum mœrore affectum fuisse, cum magni hujus viri caput audiit deposci; *Contristatus est*. Sed ut hanc petitionem rejiceret, displicere debebat mulieri, ut sacrilega perfringeret juramenta: *Noluit eam contristare*. Dolor, quo imbecillus hic Rex prohibitus fuit, ne libidinis suæ objecto displiceret, eum vicit, quo conficiebatur injustè vitam eripere debens homini, cujus virtutem admirabatur.

Marc. 6.

Ibidem.

Quid de Idololatris Philosophis doceat Apostolus.

Ex Sancto Paulo didicimus, Deum terribili justitiæ effectu permisisse, ut superbi Antiquitatis Philosophi in turpe hoc flagitium laberentur, in superbiæ, atque idololatriæ pœnam; ut humiliaret eos, in brutorum ordinem rejiciens superbos illos sapientes, qui supra cæteros mortales sese ferebant; atque ut intelligeremus impuritatem simul esse causam, & effectum idololatriæ; & quomodo impudicitia in idololatriam impellit, idololatriam vicissim impuritatis vitio puniri.

Ad Rom. 1.

Zelus, quem habere debet fidelis contra hoc vitium.

Zelus, quo Christianus excitari debet contra detestabile hoc scelus, videtur in exemplo cum Sancto Joannis Baptistæ, qui cum vitæ suæ periculo audacter Herodem incestum corripuit, atque intrepidos dixit illi: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui;* cum Sancti Pauli, qui ad tempus tradidit potestati Dæmonis impurissimum hominem, ut aliis esset exemplo, ac repararet scandalum, quod nascenti Ecclesiæ præbuerat.

Marc. 6.

Misereri debemus eorum qui in hoc scelus lapsi sunt, eosque inde revellere.

Præterea Dei Filius ipse nobis præbere voluit exemplum miserationis, qua excipere debemus eos, qui in hoc flagitium lapsi sunt, pœnitentem excipiens Magdalenam, eique peccatorum veniam concedens. Eadem usus est indulgentia erga adulteram, atque monitis suis charitate redundantibus Samaritanam convertit.

Remedium contra hoc vitium juxta Sancti Pauli exemplum.

Denique generalis vitii hujus superandi ratio nobis suppetit ex Apostolo, qui omnibus sæculis testatum relinquere voluit, se vehementer hac in re fuisse tentatum: ne fideles spem victoriæ abjicerent, si infernalis hujus ignis facis sibi admoveri intelligerent; sed simul discerent, quomodo cinere pœnitentiæ illum extinguerent; videlicet corpus suum mortificatione subigentes, ac in eam redigentes servitutem, quam illud spiritui debet: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo.*

1. ad Cor. 9.

Quorumdam Scripturæ locorum Applicationes.

Gratia nobis certamina sustinenda sunt contra periculosum hunc inimicum.

P*Ugna contra Amalec. Exod. 17.* Primum, gravissimumque bellum, quod Israelitis nuper de Ægypto egressis sustinendum fuit, erat contra Amalecitas, quos Moysi Deus præcepit delendos, atque exterminandos; uti in Exodo legimus. Nullum bellum fuit pertinacius, neque periculosius, neque magis terræ promissæ victoriam retardavit. Ut hic populus vinceretur, arma distringenda fuere, & precibus Dei expetendum auxilium: etenim dum populus præliabatur, Moyses in montis cacumine fundebat preces, attollebatque brachia, ut Dei exercituum opem imploraret. Hæc ex Sanctorum Patrum, atque plurimorum doctorum Interpretum sententia, figura est belli pertinacissimi, quod nobis caro infert; bellum quidem gravissimum, maximèque metuendum; sed ex quo victoria reportanda est, si cupimus ad promissam terram pervenire, quæ cœlestis est Patria, quo nihil coinquinatum ingredi potest. Nomen Amalec, quo significatur *gens bruta* favet huic applicationi, & docet, nobis vix ex dæmonis mundique servitute egressis, ut illud carpamus iter, quod in Cœlum adducit, bellum esse inferendum genti brutali, quæ gravissimis, atque periculosissimis nos præliis lacessit; videlicet carni, concupiscentiæ, sensuum appetitibus: contra quos bellum juge non nisi cum vita ipsa desinere docet experientia, sustinendum est.

Mala, quæ hoc vitium parit.

Ignis est usque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina. Jobi 31. His verbis Job nequissimi hujus vitii naturam, & effectus indigitat. Ignis est devorans, virtutes ipsas radicitus absumens, gratiarum fontem exsiccans; urens, depopulans, convellens, devorans momento quidquid boni seminis bona, & sancta institutio in corde reliquit; ac omnia auferens merita, quæ diuturna annorum, laborumque serie quæsita fuere; omnia naturalia, atque supernaturalia bona; quia eò usque procedit, ut ipsam evertat fidem, aliorum omnium bonorum principium. *Ignis usque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina.*

Halitus

Vis crudelis hujus inimici. Job 41.

Halitus ejus prunas ardere facit, idem Job ait loquens de immanis magnitudinis monstro, ac de furore, pari viribus ejus. Putant Interpretes sub nomine Behemot, quo monstrum hoc appellatur, intelligi humani generis inimicum, & immundum spiritum, qui homines in impudicitiam impellit; cujus flatus, halitusque inflammatus accendit, suscitatque prunas, quas intra nos gerimus. Vis ejus fortissimum, & robustissimum quemque prosternere potest, & ex enormi ejus magnitudine magna terroris eidem fieri videtur accessio; Verùm Deus illum creasse videtur, ut nos inde referremus triumphum, atque ut victoria nostra fieret gloriosior, omnes, si voluerimus, conatus illius eludendo.

Dedecus, & infamia impudicitiæ. Jerem. 5.

Computruerunt jumenta in stercore suo, inquit Propheta Joel cap. 1. quod ex Sancti Gregorii sententia significat impudicos, & eos qui voluptatum suarum mancipia sunt, vitam finire in sordibus, & fœtore suarum libidinum; quia bestiis potius, quàm hominibus similes sunt, & Propheta illos equis comparat: *Unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat*. (Matth. 25.)

Hœdi figura libidinosorum.

Statuet oves a dextris suis, hœdos autem a sinistris. Hisce verbis Dei Filius innuit se, cum venerit extremi Judicii die omnes homines judicaturus, bonos quidem ac prædestinatos a dextris, hœdos verò, hoc est reprobos a sinistris collocaturum. Ubi eruditus quidam interpres animadvertit, reprobos sub hœdorum figura exhiberi; qui lascivum sunt pecus, & symbolum impudicitiæ; eosque præsertim hoc nomine indigitat, ut intelligamus potiorem reproborum numerum eorum esse, qui hoc vitio coinquinati sunt, & quorum pars, & hæreditas est ignis æternus.

1. ad Cor. 9. Vitium hoc mortificatione vincendum est.

Castigo corpus meum, & in servitutem redigo. Ex his verbis intelligimus, arma, quibus inimicus hic debellandus est, esse pœnitentiam, jejunium, & corporis nostri mortificationem. Hoc sanè Sanctus Paulus facere consueverat. Hæc enim nova est deprælíandi in christiana Religione ratio, arma sua in seipsum convertere, sibi vulnera inferre ad ea evitanda, quibus altiùs, & periculosiùs confodere nos potest crudelis hic inimicus. In aliis certaminibus arma distringimus adversum eos, qui vitæ nostræ vim moliuntur; conamur impetum eorum propulsare, ac vicissim in illos tela torquere; sed in hoc domestico bello, nosipsi inimici sumus, contra quos est decertandum. Contra nosmetipsos præliamur; atque de blando hoc inimico victuriam relaturi mortificationis arma distringimus.

Luc. 8. Impuritas secum alia quæcumque trahit vitia.

Maria Magdalene, de qua septem dæmonia exierant. Pro septenario dæmonum numero vitiorum omnium singillatim numerum intelligendum esse, Sanctus Gregorius animadvertit; perinde ac omnes dæmones, qui in illa homines impellunt, ac trahunt; impudicitiam comitarentur, superbia, luxus, avaritia, prodigalitas, intemperantia, aliaque omnia. Inde inferri potest: Hæc mulier erat impudica, igitur erat ambitiosa, superba, avara; igitur amabat luxum, convivia; igitur cæteris quibuscumque flagitiis erat obnoxia; hæc enim omnia impudicitiam consequuntur.

Dei Spiritus in libidinoso permanere non potest.

Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est. *Genes.* 6. Cum impudicitiæ crimen totum sit in sensu, & Deus sit merus spiritus; permanere non potest in homine libidinoso, qui, hoc in statu miserrimo, fit dæmonis domicilium. Cur Apostolus non suadet solum fidelibus, ut a fornicatione abstineant, sed ut illam fugiant: *Fugite fornicationem*? (1. ad Cor. 6.) Quia nihil est, quod Deo magis oppositum sit, nihil, quod magis funestos gignat effectus, nihil quod magis desormet spiritum eumque in adeo miseram redigat captivitatem.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum, hujus Argumenti.

QUi luxuriatur, vivens mortuus est, & ferreas mentes libido domat. S. Hieronymus in Epistol.

Libido transacta semper relinquit sui pœnitudinem, & numquam satiatur, & extincta reaccenditur, usu crescit & deficit; non rationi paret, quæ impetu ducitur. Idem, de Monog. c. 5.

O quàm acerbus est fructus luxuriæ! amarior felle, crudelior gladio. Idem, ibid.

O ignis infernalis luxuria! cujus materia gula, cujus flamma superbia, cujus scintillæ prava colloquia, cujus cinis immunditia, cujus finis gehenna. Idem, lib. 2. Epist.

Nolo sinas cogitationem libidinis crescere, nihil in te Babylonium, nihil confusionis adolescat; dum parvus est hostis, interfice; ne zizania crescat, in semine eradicetur. Idem, Epist. ad Eustoch.

Fornicatio & voluptas pervertit sensum, & de rationabili homine brutum efficit animal. Idem, in Oseam, cap. 4.

Amor formæ rationis oblivio est, & insaniæ proximus; fœdum minimèque conveniens animo sospiti vitium, turbat consilia, altos & generosos spiritus frangit, à magnis cogitationibus ad humillimas detrahit. Idem, advers. Jovinian. lib. 1.

Facilè aliis caremus vitiis, hic hostis in nobis inclusus est; quocumque pergimus, nobiscum portamus inimicum. Idem, ad Eustoch. Epist. 22.

Venter mero æstuans despumat in libidinem. Idem, in Epist.

Hæc sunt ignita tela diaboli, quæ simul & vulnerant, & inflammant. Idem, Epist. ad Demetr.

Nullus peccandi modus, & inexplebilis scelerum sitis nisi morte amantis extingui non potest. S. Ambros. l. 2. c. 5. de Cain, & Abel.

Pascitur libido conviviis, nutritur deliciis, vino accenditur, ebrietate inflammatur. Idem, lib. de Pœnit. c. 14.

Luxuria seminarium & origo est vitiorum; quoniam luxuria ipsius est mater avaritia. Idem, Tract. de Helia & Jejun.

Ubi incipit quis luxuriari, incipit deviare à vera fide. Idem, Epist. 1. ad Sabin.

Affecta vires senum, sed mens plena libidinis. Idem.

Sævus criminum stimulus libido est, quæ numquam quietum patitur affectum. Idem, lib. 2. de Cain, & Abel.

Quasi clavis suffigitur anima corporis voluptatibus; & cum semel adhæserit cupiditatibus demersa terrenis, difficilè in altum potest, unde descendit, sine Dei favore evolare. Idem, in Luc. c. 4.

Totum hominem agit in triumphum libidinis, Cypr. lib. de Pud.

Propudia occisa in publico castitatis, (id est meretrices.) Tertull. lib. de Pallio.

Post evaporata momenta libidinum. Idem.

Infelicissimæ illæ publicarum libidinum victimæ. Idem.

Luxuria ipsius est mater avaritia; etenim cum exhauserit quis luxuriando proprias facultates, quærit posteà avara compendia, Ambr. Tract. de Helia & Jejunio.

Monstrum est libido sine gula, Tertull. lib. de Jejunio.

Qualibet alia fiant bona opera, si luxuriæ scelus non ablaitur, immensitate hujus vitii obruuntur. Gregor. lib. 22. Moral.

Ex quo luxuria cujuspiam mentem occupaverit, vix eum bona cogitare permittit. Idem.

Nihil sic ad edomandum desiderium appetituum carnalium valet, quàm ut unusquisque hoc quod vivum diligit, quale mortuum sit penset. Idem, l. 26. Moral. cap. 29.

De

De luxuria cæcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi, horror autem vel desperatio futuri generantur. Idem, l. 13. Moral.

Crudelis domina & rabiosa luxuria est, libidine, quasi stimulis, servilem mentem exagitans. Greg. Nyssen. lib. de vita Mosis.

Quid infestius illicita concupiscentia, quæ veluti rabidus canis in nos continuo insilit, & quotidie nos obturbat? Chrysost. Hom. 1. de Resurrect.

Inter omnia certamina Christianorum, sola dura sunt prælia castitatis, ubi quotidiana est pugna, & rara victoria; gravem namque fortita est castitas inimicum, cui quotidie resistitur, & semper timetur. S. August. lib. de hon. matr. c. 2.

Libidinis impetus momento transit, & opprobrium infelicis animæ semper permanet. Idem, Serm. 250. de Tempore.

Quanta iniquitas, & quàm lugenda perversitas! ut animam, quam Christus sanguine suo redemit, luxuriosus quisque, propter unius momenti delectationem, diabolo vendat. Idem, ibid.

Non permanet libidinosa delectatio, sed succedit æterna damnatio. Idem, Serm. 250.

Fugite si non vultis perire. Idem, in Ps. 57.

Fornicarius senescit, in quo libido non senescit. Idem, Serm. 18. de Verb. Apost.

Exhalabant nebulæ de nebulosa concupiscentia carnis, & offuscabant cor meum. Idem, l. 2. Confess. cap. 2.

Cùm cætera vitia se quibusdam virtutum tegumentis oppalliant, mens hujus turpitudinis conscia, prima fronte prafers sua accusationis horrorem; & quoties audit aliquid de turpitudine sua, rubore perfunditur, & immundi operis recordatione torquetur. Cassiod. lib. de Amicitia.

Demptis parvulis, ex adultis propter carnis vitium pauci salvantur. S. Remig. Remensis Episc. in Epist. ad Rom. cap. 1.

Quando mens ad delectationem fornicationis impellitur, divini judicii metus, & æterna tormenta ante oculos proponantur, quia nimirum omnis pœna gravioris supplicii formidine superatur. Isidor. l. 2. de summo bono, cap. 2.

O extrema libidinis turpitudo! quæ non solùm mentem effœminat, sed corpus enervat; semper illam præcedunt ardor & petulantia, semper sequitur dolor & pœnitentia. Hugo a S. Vict.

Væ illi, qui tum habet terminum luxuriæ, quando & vitæ. Bernard.

Ut sciat unusquisque, ad idololatriam pertinere luxuriam. Zeno Veron. Serm. de Pudicit.

Sunt matres, quæ in ipsis visceribus, medicaminibus epotis, originem futuri hominis extinguant, & parricidium faciant, antequam pariant. (Ad tegendam luxuriam.) Minut. Felix.

Nulla major est victoria, quam quæ à voluptatibus refertur. S. Cyprian. lib. de Discipl.

Mœchia affinis idololatriæ. Tertullian. de Pudicitia.

Impossibile est profectò si vitam impuram habeas, in fide non vacillare. S. Chrysost.

Individua, & inseparabilis luxuriæ comes est egestas. S. Basilius.

Toties anima Deum negat, quoties substernitur voluptati. Laurentius Justinianus de Triumph. &c. cap. 9.

Cùm me pulsat aliqua turpis cogitatio, ad vulnera Christi confugio. Aug. in Manuali, cap. 22.

Nihil utilius ad domandam carnis lasciviam, quàm cogitare qualis homo sit futurus in morte. S. Bonav. Serm. 41. Dom. Quinq.

Cùm libidine pulsaris, cogita ignem æternum. Idem, de modo vivendi.

Non est possibile ut non redamet, qui amatur. Chrysost. Homil. 58. in Genes.

Lascivia mater impœnitentiæ. Cyprian. de bono Pudicit.

Impudici oculi non norunt animæ pulchritudinem considerare, sed corporum. Hieron. Epist. 22. ad Eustoch.

Non dicatis vos habere animos pudicos, quia impudicus oculus impudici cordis est nuntius. August. Regim. 3. ad Clericos.

Ad comminiscenda mala mirè solers est lascivia. Gregor. Nazianz. Epist. 130.

PARAGRAPHUS V.

Quid hoc in argumento ex Theologiæ fontibus hauriri queat.

DEfinitiones omnes, quæ de hoc vitio, & hac cupiditate a Doctoribus traduntur, eamdem nobis adstruunt ideam, licet variis vocabulis efferantur. Ab aliquis definitur: *Libidinosa voluptatis appetitus;* quod inniti videtur Verbis Apostoli præcipuas illius species referentis, omnesque opera carnis appellantis: *Manifesta sunt opera carnis.* Ita vitium, & passio, quæ nos in hoc scelus impellit, melius vocari non potest, quam desiderium inordinatæ voluptatis, & extra conjugii statum prohibitæ.

Vitii hujus definitio. *Alex. Halens. 2. p. q. 143.* *S. Bonav. in Opusc. de reformatione mentis.*

Necesse non est singillatim hoc in loco varias hujus peccati species recensere; quandoquidem Apostolus ipse prohibet, ne generatim quidem nominentur: scire sufficit peccatum hoc, cujuscumque speciei sit, trifariam committi. 1. Cogitatione, qua alitur, & in qua voluntariè permanetur; si enim statim ac ratio id agnoverit, cogitatio repellatur, non solum noxa non est, sed actus virtutis, qui præmium suum meretur coram Deo, dummodo cogitationi occasio oblata non fuerit. Sin autem data opera, sciens, & volens in ea cogitatione immoraris, hæc in objecto inhonesto morosa vocatur cogitatio, & lethalis est culpa, quia tacitam animi consensionem involvit. 2. Desiderium ejusdem naturæ peccatum est, atque actio, quæ vellet committi; & licèt non sit æque grave, ut actio ipsa, nihilominus nefarium est, & in propria differentia prohibitum per ea divinæ legis verba; *Non concupisces.* 3. Multò magis actio, qua peccatum absolvitur, est contra præceptum, & legem Dei. Quamobrem Sanctus Paulus ait, eos qui hoc scelere fuerint coinquinati, neque illud per pœnitentiam expiaverint, numquam adituros esse Regni Cœlestis possessionem, a qua nemo nisi per peccatum mortale prohibetur: atque ita impudicitia inter capitalia peccata recensetur.

Hac in re peccatur cogitatione, desiderio, & actione.

Satis constans, & generalis veritas est, quæ vitæ nostræ rationi tamquam regula inservire potest, quemadmodum ubi de impudicitia agitur, nihil esse peccatum, nisi aliquomodo vel in causa, vel in effectu sit voluntarium; & nisi sufficienti rationis cognitione admittatur; ita e contra, omnia esse mortale peccatum, statim ac data opera, & sufficienti cognitione fiunt; videlicet nullum esse peccatum veniale propter parvitatem materiæ; sed solum attentionis defectum, vel defectum pleni consensus a mortali noxa excusare. Quamobrem nulla satis umquam uti possumus vigilantia contra naturale illud studium, quo in flagitium hoc rapimur.

Nullum est veniale peccatum, propter parvitatem materiæ.

Ut plurimum impudicitiæ peccatum fragilitati adscribitur, ac venia dignum censetur; sed præterquamquod in effectibus suis funestissimum, atque perniciosissimum est, gravissimum quoque est, si in seipso spectetur. Namque, ut docent Theologi, peccatum eò gravius est, quo contumeliosior est injuria, quæ infertur Deo. At luxuriæ peccatum, eo gravius, & iniquius est, quo res, quæ Deo præfertur, humilior est, abjectior, atque contemptibilior; quia peccatum nihil est aliud, quàm injusta, & indigna Creaturæ Creatori prælatio. Quid igitur impudicus, atque libidinosus? Præfert Deo voluptatem corporis sui, quod non aliud est, quam pus, labes, corruptio; præfert quidquid abjectissimum in terris est, Deo ipsi, qui rerum omnium

Unde judicium ferendum sit de peccati hujus gravitate.

omnium est maximus, præfert momenti unius voluptatem beatæ æternitati.

Post Incarnationis mysterium peccatum hoc factum est magis enorme.

Post JESU CHRISTI Incarnationem peccatum hoc magis est enorme, & peculiari modo Deum lædit, quia recentem contrahit deformitatem. Hoc in Ethnico peccatum erat, modò in fideli species quædam est sacrilegii. JESUS CHRISTUS Homo factus sit caput nostrum, & nos membra ejusdem sumus; atque inde Sanctus Paulus peculiarem impudicitiæ nequitiam in homine Christiano concludit: *Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis?* An nescitis, ait ille, corpora vestra esse membra JESU CHRISTI? Ab ipso igitur CHRISTO JESU propria illius membra divellam, ut ex illis faciam membra meretricis? (1. ad Cor. 6.)

Peccatum hoc turpissimum est.

Inter cætera vitia intemperantia turpissimum est, atque probro dignissimum, uti Philosophus inquit; seu quod intemperantia præ cæteris magis hominis præstantiæ repugnet, quatenus iis obsequitur voluptatibus, quæ sunt brutis etiam communes, ac nos eo privat honore, quem bonus nostræ rationis usus meretur; seu quod impudicitia præ cæteris magis adversatur decori virtutis, quia in actibus intemperantiæ minus, quam in aliis, rationis lumen invenitur. Hæc ea sunt, quæ de hoc scelere docet Sanctus Thomas, ubi de illius natura verba facit.

Effectus impuritatis in eo, qui ejusdem habitum contrahit.

Peccati hujus effectus in eo, qui ejusdem habitum contrahit, sunt cæcitas mentis, considerationis defectus, atque in factis omnibus temeritas; inconstantia, quæ omnem motum ipsius rationem perturbat; præceps in consiliis deliberatio; amor suipsius, qui efficit, ut omnia ad seipsum referat, omniaque ex sua voluptate metiatur. Efficit, ut desideria omnia, omnesque affectiones vitæ hujus rebus inhæreant; atque horrorem injicit rerum omnium, quæ mortis, atque æternitatis memoriam possunt revocare; quia hæc omnia tamquam voluptatum suarum impedimenta considerat. Hinc tandem oritur salutis desperatio, atque æterna calamitas. Hæc a S. Gregorio referuntur lib. 31. Moralium.

Quam infame sit hoc peccatum.

Vitii hujus infamia talis est, ut ipsum turpitudinis nomen eidem adhæreat; atque ita sit cum dedecore, & ignominia conjunctum, ut vix umquam hæc nota deleri possit; cujus rei hanc rationem affert Sanctus Thomas, quia impudicus, (2. 2. q. 15 art 4.) & libidinosus actiones suas nequaquam regit juxta lumen rationis, quæ hominis propria est, sed secundum sensus, sensuumque voluptatem, quam cum brutis animantibus habet communem. Quamobrem Aristoteles, Philosophique omnes, qui Ethicæ disciplinæ præcepta ediderunt, luxuriam intra (7. Ethic. cap 6.) brutorum vitia recensuerunt.

Peccatum hoc excusari non potest, neque vehementia propensionis, qua in illud ferimur, neque vi tentationis; semper enim in potestate nostra situm est eidem resistere; & quod Deus simulac aliquid nobis præcipit, necessarias etiam ad illud explendum vires suppeditat, & quemadmodum loquitur Sanctus Augustinus, nos admonet, ut quantum in nobis est, efficiamus, atque precibus ad eum confugiamus, ut quod ex nobis non possumus, ab illo obtineamus. Hoc sacrosancta Tri- (Sess. 24. cap. 9.) dentina Synodus de omnibus Præceptis generatim sancivit; eademque de castitatis dono singulariter loquens, dicit, a Deo nequaquam negari petentibus illud; neque permitti, ut supra vires tentemur.

Remedia contra hoc peccatum.

Tandem remedia contra hoc vitium, atque tentationes, quæ in illud impellunt, ea generatim sunt, quæ ipse Dei Filius his verbis docuit: (Marc. 9.) *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur nisi in oratione, & jejunio:* Oratione quidem, opem divinam implorando, cum nos nimis debiles, infirmosque cognoscimus; jejunio verò, corpus mortificando, quod potissimum præstat jejunium, quo illi esca subtrahitur; quia opipara mensa, commessatio, & compotatio est tamquam mater, & nutrix impudicitiæ. Sed præterea non desunt etiam antidota quædam, fuga videlicet occasionum periculosarum, vigilantia, & cura in sensibus custodiendis; fidelitas adhibenda in extinguendis primis hujus cupiditatis igniculis, qui brevi insignes progressus efficiunt, & ingentia pariunt incendia. Recessus amandus est, otium vitandum, abstinendum a lectionibus, spectaculis, iisque omnibus, quæ escam præbere possunt igni huic infernali, qui adeo facile exardescit, & tanta cum difficultate extinguitur.

Quam abominabilis sit in Christiano impudicitia.

Verum est impudicitiam in omnibus hominibus crimen esse, sed in Christiano species est sacrilegii, ex quo novit, humanum corpus divinitati consociatum fuisse in persona Salvatoris; ex quo corpus quoque illius Deo consecratum fuit unctionibus Sancti Baptismatis, & factum membrum filii Dei; & ex quo dignus habitus fuit, qui carnem, sanguinemque suum cum adorabili carne, & sanguine JESU CHRISTI commisceret in Communione, quæ gratia, & beneficium est inæstimabile.

Periculosæ occasiones evitandæ sunt, ne in peccatū decidatur.

Si frequenter invisitis alterius sexum, vel aliarum societatum mortales, quò conditionis vestræ vos non vocat officium; si nihil vos agit nisi vanitas, curiositas, voluptas, sympathia, ingenium, propensio, desiderium, quo alios quidem videre, ab aliis verò videri, amare, & amari, detinere, ac detineri cupitis; debetis fugere has conversationes, atque visitationes, præsertim cum vestra vos docet experientia, quod inde non effertis pedem nisi læsa conscientia. Ne fidatis virtuti vestræ; mollis est cera, quæ statim admoto igne liquescet. Dæmon in occasione potens est, gratia infirma, cor ignavum, affectus vehementes, objecta blanda, propensio in malum fortis, & vehemens; citra miraculum peribitis.

Impudicitia corporis, & superbia mentis, ut plurimum conjuncta sunt.

Corpus habemus & animam, quorum utrumque varias habet inclinationes, & studia: spiritus ambitiosus est, caro voluptuosa; maximum spiritus peccatum est ambitio; maximum corporis peccatum impudicitia; & sæpe hæc simul conjuncta inveniuntur. Ad ambitionem nostram infringendam dignatus est Deus omnes humiliationes, & opprobria perferre; & ad obscœnas voluptates auferendas subiit sævissimos suæ Passionis cruciatus. Sed fieri nequaquam potest, ut salutem nostram operemur, nisi hinc quidem mundi vanitatibus abrenuntiemus, inde verò sensuum voluptates fugiamus, quia nihil coinquinatum ingredietur in Cœlum.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, nuperisque Concionatoribus loci hujus argumenti.

Inhonesti, obscœnique amoris ingenium.

FUnestum hujus effectus in cor humanum imperium est, ibi cæteros amores extinguere. Statim ac illius adiit possessionem, nulli sunt amici, qui non contemnantur, nulli consanguinei, qui non deserantur; nulla societas, quæ non infringatur, nulli naturales sensus, qui non suffocentur, nulla adeo sancta vincula, quæ odio non habeantur. Cæterum naturale est, quod funesta hæc passio omnes hos producat effectus, non enim solum impetu cor trahit; sed imperio, atque auctoritate, quam in mente hominum usurpat, nihil illius relinquit examini; quidquid ipsi velificatur, videtur æquum: & licet minimè videretur; labor, quem experimur, eidem obnitentes, ut plurimum major est, quàm metus injustitiæ admittendæ. *P. Aurelianensis. Sermone de Amore cœlesti.*

Hoc vitium excæcat, & prodecit falsam conscientiam.

Quisnam magis cæcus est illo, qui Deum ignorat, qui suiipsius obliviscitur, qui omnia contemnit officia, qui sanctissimas quaslibet considerationes conculcat, qui non videt amplius periculum, in quod præceps ruit? Nonne hic status est hominis, cui impudicus amor imperitat? Aliumne

Deum

Deum esse putat præter idolum, quod sæpe in ipsis etiam Altissimi Templis adorat?..., Præterquamquod nullum peccatum est, propter quod homines magis erroneam, fallacemque sibi conscientiam effingant. Industrii noxiis actionibus innocuos colores, & ambitus deferre conantur: nullo in discrimine habent frequentes illas visitationes, quæ amorem, qui non habetur, inspirare possunt; longa colloquia, & nimiam familiaritatem, qua sæpe libertas sua venundatur illi, cui secretum committitur; illa amoris testimonia, quæ ignem accendunt in corde, cui non ita facile modus injici potest; illa amicitiæ pignora, quæ fovent memoriam ejus rei, quæ esset obliteranda; frequentes epistolæ, ubi quæcumque adhibeatur industria ad animi regendam affectionem, satis semper se prodit, nisi prudentia illius curam gerat. *Idem*.

Qui peccati hujus habitum contraxerunt, difficile convertuntur.

Si hominem esse cessat, qui fit impudicus, quid mirum, si dixerimus, illum non amplius esse Christianum? Dixerat olim Deus Oseæ Prophetæ: Surdis canis, cum populo huic prædicas, ille numquam revertetur, numquam cogitationem fovebit ad me redeundi; quia spiritus fornicationis in medio eorum est, & me non cognoscunt: *Non dabunt cogitationes suas, ut revertantur ad Dominum, quia spiritus fornicationum in medio eorum est, & Dominum non cognoverunt*. Notate verba. Dominum ignorant, neque de Deo cogitabunt. Cur? quia impudicitia omnem ferme spiritualium bonorum cognitionem excludit. *P. Crasset Tomo 1, de Fide victrici*.

Osee 5.

Mulierum consuetudo fugienda.

Vobis cavete a mulierum dolis, quæ omnes illecebras, omniaque adhibent lenocinia, ut vos seducant. Blandula verba, quæ cor vestrum molliunt, sunt Syrenum incantationes vobis interitum studentium inferre; Ita enim neque propter amorem, neque propter benevolentiam blandiuntur. Impudicæ mulieris vita jugis est simulatio; illa pro animi sui libidine vos suæ iracundiæ, suæque zelotypiæ sattificat. Si altera quidem in lance appenderitis hæc prohibita commercia; in altera verò dolores, stimulos, sollicitudines illis inhærentes, tunc vos vestræ pudebit insaniæ. *Abbas de Bellegarde in Salomonis Proverbia*.

Argumenti ejusdem continuatio.

Quibus flagitiis par est mulier impudica? Pietas, & verecundia proprius est mulierum caracter; hæc earum portio. Ubi duplex hoc frænum amoveatur, nullum scelus est, cui pares non sint. Id ne crederet quispiam, nisi suiipsemet oculis intuererut? Quousque novissimis hisce temporibus earum evasit licentia?.... Fuge, si requiem amas tuam, usque in extremas terrarum oras, ut cum hujus viæ mulieribus consuetudinem omnem evites. Qui cum illis ineunt familiaritatem, amittunt fortunas, tempus, conscientiam; & hæc familiaritas eo magis funesta est, quò magis difficile est ab eadem divelli. *Idem*.

Hoc vitium in impietatem, atque idololatriam inducit.

Etiamsi eorum omnium; qui miseras has voluptates experti fuere, confessio satis efficax non esset ut nos in ipso abyssi ore contineret, credendum tamen esset verbis hujus Principis, qui in ejus luti abysso, in quo se alte demersit, extinxit pura, ac vivida ejus sapientiæ lumina, quæ Deus fluvii instar in animam ejus infudit. Quotidie magni hujus Regis lapsum deflemus; obstupescimus, quod Rex adeo glorioso nomine inter cæteros decorus, ac merito Sapiens nuncupatus, deinde factus fuerit mortalium omnium insipientissimus propter insanas cupiditates, quibus se mancipavit; nec sine tremore intuemur divinam hanc, cœlestemque animam, carnem factam, propter turpem voluptatis, cui sese abdidit, servitutem. Intelligere nequaquam possumus, quomodo insignis ille Salomon postquam regias manus consecravit sancti, magnificique Templi extructione, eas coinquinaverit sacrilego thure, quod cæco amore victus obtulit earum numinibus, quas ipse adorabat. Ignoramus quanam incomprehensibili ratione, postquam infinitam illam sententiarum multitudinem protulit, quas ad extremum usque mundi hujus fines sapientes omnes admirabuntur, adeo nefarias actiones commiserit, tot præclarè dictis pugnantes; ejusdem vitæ suæ spatio nomen suum æternitati commendans, cum insigni gloria refulgens, tum turpissimis probris fœdatum. *Abbas du Jarry, Panegyrico de S. Antonio*.

Ejusdem argumenti.

Hic est impuritatis effectus; in idololatriam impellit: Quid enim interest (Tertullianus ait) utrum lapidea, an carnea adorentur idola? Quid minus criminosum est, in sacrificiis bruta animantia immolare, an animam suam in holocaustum offerre? Nonne quædam religionis est species affectio, qua impudicus obscœnæ inhæret passioni, cui semper vacat, in qua totus est, cum interim cæteris rebus minimè afficiatur? Ut illi satisfiat, aliquidne inausum, intentatumque relinquitur? Non locis sanctis, non rebus sacris, non temporibus parcitur; immo e contra hæc omnia adhibentur tamquam adminicula, quorum ope turius nefaria cœpta expleantur. Cupiditati meæ satisfacere; sensibus meis omnem licentiam, desideriis liberum spatium præbere volo: hoc quo nomine vocandum putas? Nonne hæc est idololatria? *Ex manuscripto Sermone*.

Familiaritates, & conversationes periculosæ.

Si Divinæ vocis Minister contra hoc flagitium declamat, vel zelo summo in hanc licentiam invehitur, putatur tamquam homo, qui ex alterò accedit orbe, qui ob rem nullius momenti exardescit; atque hujusmodi familiaritates omnes nugæ censentur. Si matronæ dixero, illam sese periculo objicere; egone, inquiet illa? immo sedulò a quovis periculo abhorreo; vita enim mihi auferetur potius, quam quilibet assensus, qui nomini meo turpitudinis labem offundat. Hic consanguineus est meus, affinis, amicus, erga quem omnes honestatis sensus foveo. Ita sane dicis, ita cogitas, & fortasse, hoc sentis, non enim tanta cum facilitate ab uno ad extremum alterum transitus fit. Non deest quædam in nobis naturalis verecundia, quæ nonnisi plurimorum scelerum catena quadam amittitur. Hoc primum non aliud est, quam urbanitas, officiositas, benevolentia, amicitia. Verùm si istic omnia memoratem earum exempla, quæ æque ac tu constantes erant, & certæ propositi sui, quibus tamen hæ licentiæ laquei fuerunt, & occasiones lapsuum funestissimorum, næ tu quidem præ horrore obstupesceres. *Idem*.

Quam facile sit labi in hoc vitium.

Si peccatum istud cum cæteris hoc habet commune, quod ideo peccata sunt, quia sunt cum injustitia conjuncta, hoc tamen peculiare habet, quod nullum sit, ad quod tot adducant viæ, & cujus accessus adeo sint perniciosi. Quidquid in nobis est, quidquid circum nos est, & quidquid nobis procul est, nonne totidem viæ sunt, quæ nos in impudicitiam inducunt. Intra nos, concupiscentia nonne est stimulus carnis, qui ne sanctissimis quidem hominibus parcit; & a minimo quolibet, ad maximum quisnam ille est, cui pepercit? Divites, & pauperes cùm omnes ex eodem luto compacti sint; eodem igne sub centonibus, ac sub purpura uruntur. Cæterum sensus nostri totidem fenestræ sunt, per quas nihil tam facile, quam impudicitia ingreditur. Celer intuitus efficere potest, ut per oculos ingrediatur; vocula quædam per aures; præsertim verò intemperantia, & immodicus vini usus nonne latæ, ac patentes viæ sunt ad impudicitiam? Otium nonne ubertimus hujus vitii fons est? Propheta testatur, hoc in Sodomam, & Gomorrham invexisse terribilem illam scelerum colluviem; & Poetæ hac in re adeo sciti, non alteri causæ amoris trophæa accepta referenda esse arbitrantur. Ad hæc intemperantia nonne a Patribus impudicitiæ esca vocatur? quod sane effecit ut Tertullianus affirmaverit gulam sine luxuria monstrum esse, & quam rarò videri. *Gula sine luxuria monstrum est*. *Idem*.

De suggestu vix audet aliquis.

Quomodonam vitium hoc exprobrari potest? Quemadmodum horrorem suum in fronte gerit,

atque

De hoc vitio loqui.

atque difficillimum est de eodem verba facere, quin castæ lædantur aures; diceres illud hoc abuti velle privilegio, ac nomine suo efficere, ne quis palam de eo audeat instituere sermonem. In Religione quædam mysteria sunt, quæ scrutari nefas est, adeo sunt augusta: at in moribus quædam sunt iniquitatis mysteria, quæ non licet evolvere, adeo invisa sunt, & infamia. Cui igitur periculo memet hodierna die objicio? Lædendæne fidelium animarum verecundiæ, an impiorum licentiæ excitandæ? Quomodo castè haberi verba possunt de impudicitie? Sed quomodo taceam, ac tanta flagitia dissimulem? Numquid effrænata hæc sese impunè jactabit licentia, quæ in omnes vitæ conditionis letè se effudit; & hoc vitium pudoris inimicum pudorem ipsum tamquam clypeum obtendet contra jacula, quæ in illud Scriptura, Patresque contorquent? Haud ite sanè. Conemur illud iis exhibere coloribus, qui maximè sunt naturales, omnemque illius deformitatem aperiamus. *Idem*.

Vitium hoc secum infinita trahit peccata.

Cupiditas hæc non solum peccatum est, sed peccatorum omnium compendium, peccatorum visus, peccatorum vocis, peccatorum cogitationis, & desiderii. Actiones autem, quis illas audeat repræsentare? Has equidem vobis ob oculos ponere non ausim. In illas omnia effunduntur bona, opes, talenta, spiritus ipse, & corpus. Ipsis oblectatur desideriis, qui non potest factis explere libidinem. Impudicus est homo peccati, quia illud ubique effundit, ubicumque est, omnibus in locis, domi foris, palam, clam, per se, per alios &c. *Idem*.

Mala, quæ parit illis, qui eidem se mancipant.

Mala, quæ impudicitia illis adfert, qui eidem se mancipant, infinita sunt; hæc nulli rei parcit; valetudinem terit; juventutem perdit, ut mœstæ, doloribusque obrutæ locum faciat senectuti. Nulla est animi ægritudo, qua non laboret, nulla valetudo, quam non sacrificet, nullæ opes, quas non dissipet impudicus, Patrimonium obligurit? bona quocumque pretio conquirenda sunt, ut meretriculæ lusus, & licentia foveatur. Sed non satis est familiæ bona disperdere, nisi illius etiam quies perturbetur: inde enim proficiscuntur zelotypiæ, divortia, ac terribiles dissensiones; inde latrocinia, cædes, venena, conjurationes, ut de medio tollatur zelotypus importunus, vel competitor incommodus &c. *Idem*.

Pœna, qua Deus hoc peccatum punit.

Cogitate flagella, & supplicia, quibus Deus hoc punit peccatum. In alia vitia Scriptura minas intentat; in hoc autem detonat, fulminat. Diluvium nonne fuit hujus criminis pœna? Integræ regionis conflagratio nonne fuit hujus sceleris ultio? Si peccatum hoc fecit, ut Deum pœniteret quod hominem creasset, eumque in hanc impulit mentem, & omne fere mortale genus perderet; quomodo illud tamquam levem, veniaque digna noxam habere potestis? Aquæ super terræ faciem effusæ, flammæ Pentapolim comburentes nonne vos edocebunt Deum esse puritatis patronum, atque ultorem impudicitiæ? Numquid hæc flagitia minus enormia facta sunt, ex quo Dei Filius ex Virgine natus est? Ob oculos vestros statuite Sancti Augustini sententiam. Quid? num pœnis nullum habituris finem inanis, fluxæque voluptatis momentum redimam? Transibunt voluptates; non transibit æternitas: voluptates evanescent, sed pœna manebit. *Idem*.

Cogitatio præsentiæ Dei remedium est contra hoc peccatum.

Dei præsentis cogitatio præsens est contra impudicitiam remedium. Quomodo audes inspectante Deo scelus illud patrare, quod coram gravi aliquo viro non auderes committere? Unicus turpis facti testis maximè furentem coerceret cupiditatem; & oculus Dei magis terribilis quàm omnium mortalium oculi, hoc non obtineat? Hic sane est fidei, reverentiæ, & religionis defectus. Nisi te cohibet oculus Dei, saltem metus pudoris, quo suffundendus aliquando es extremi judicii die, videns hæc obscœna facta, hæc opera tenebrarum coram omnibus prodeuntia, cohibeat. *Pat. Neumeu in Christianis Considerationibus, Tomo secundo*.

Vitium hoc nonnisi fuga vinci potest.

Quibusdam vitiis idem accidit, quod quibusdam hostibus, quibus eudacter prælium inferendum est, si de illis victoriam reportare velimus; verùm non desunt vitia, quæ nonnisi a fugientibus possunt superari; fortitudo omnis posita est in fuga, & metu, vel saltem fuga, & metus certam efficiunt victoriam. Hujusmodi est peccatum impudicitiæ, hic periculosus est inimicus. Jam semivictus est, & omnino vinci vult, qui ad illud accedit, vel illud ad se accedere patitur. Ex quo periculoso huic inimico aures præbentur, non procul abest deditio, Secretas hebet cum corde, affectibusque nostris conspiretiones, nisi omne prorsus cum eodem commercium nobis interdixerimus; quam primum proditio fiet, *Idem*.

Juventus huic peccato magis obnoxia, quam ætas provectior.

Hoc vitium in juventute præcipuè glisceit, & potius tenellos corrumpit animos, quam corda eorum, qui ætate sunt provectiori. Non ideo tamen dixerim in senectute effectus illius non videri, neque inveniri insipientissimos senes, qui ætatis suæ gravitatem deturpant, & qui illem turpissimo hoc vitio dedecorant. David non erat adolescens cum in adulterium lapsus est; ac suppetit duorum senum exemplum, qui pudicissimæ Susannæ stuprum inferre voluerunt, voloptatem depereuntes, in impuritatem effrænes, ac misera suæ concupiscentiæ mancipia. Eheu! quot impurissimis horum hominum carnis, sanguinisque hominum vestigiis inhærent? Quot sub ipsa canitie turpissimam celant cupiditatem, ac pedibus lenguentibus, atque nutantibus illam trahunt? Quot sub vetustis cineribus impudicas fovent flammas, cumque in impudicitia effrœnem traduxerint juventutem, cum eadem ad tumulum ferre cupiunt senectutem minus caducam, quam flagitiosam? Turpe commercium illis, quorum albentes capilli verecundiam, atque sapientiam præseferre debent! *Sermo, qui P. Massillon esse perhibetur*.

Hoc vitiū efficit, ut omnes præclaras naturæ dotes amittamus.

Efficit hoc vitium, ut omnium naturalium donorum, quibus cumulati fuimus, jacturam faciamus. Talenta ad quodcumque opus aggrediendum idonea, ingenii vis perspicax, & acuta; spiritus, qui aliquando familiæ suæ decus acquirere, patriæque utilitati prodesse posset; lumen atque felix discretio, in intelligendo facilitas, in regendo prudentia, in perficiendo sapientia; recta studie, optimè instituta educatio, indoles amabilis, amœnæ conversationes; omnia hæc bona uno hoc tantum vitio dissipantur. Mens hebetatur, cor corrumpitur; sublimes spes, quæ conceptæ fuerant, evanescunt, ingenium efferatur, lumina fiunt tenebricosa, atque non aliud in ejus laudem effirmari potest, nisi quod summam nominis celebritatem sibi comparasset; nisi hoc illi vitium dominatum fuisset. *Idem*.

Malum juvenis huic vitio mancipati.

Cæce adolescens! Nonne vides callem hunc, cujus initium floridum est, rosisque in ipso aditu consitum tandem in exitu spinis, tribulisque crudelibus repletum iri? Domus quo ingrederis est inferni janua; non ad mortem dumtaxat, sed *in interiora mortis* adducit, hoc est in altissimam iniquitatis abyssum. Fallax hæc Dalila jamjam manu tenet forpicem fatalem, qua cæsariem, in qua totum robur tuum positum est, resecabit. Dolosæ ejus illecebræ omnem animæ tuæ vim mollient, omnesque auferent virtutes, quæ illius sunt ornamenta.... Insidiæ, quas illi creaturæ struis, efficient, ut decidas in foveam, quam sub pedibus ejus effodisti; cor tuum præda fit oculorum tuorum adulterorum, ac ipsum ante cætera impudico obtutu confoditur. Infelix hoc momentum primus est gradus per quem in tuæ reprobationis abyssum descendis; hic intuitus, qui totam trahit animam post objectum, quod tibi blanditur, prima est scintilla ignis inferni, qui te in hac, & in altera vita consumet; hoc initium est malorum quæ æque ac immortalis anima tua sunt duratura. Re-

Prov. 7.

velle

velle te generoso conatu ex eo limo, in quem incipis demergi: experire quam gloriosum, & leve sit jugum castitatis si conferatur cum turpi, crudelique servitute, in qua dæmon carnis sua torquet mancipia. *Abbas du Jarry in Panegyrico S. Josephi.*

Impudicitia terribiles offundit tenebras.

Peccatum hoc parit in anima terribiles tenebras; ita ut videns non videat, audiens non audiat. Mox verò horribilem in ea gignit obdurationem; quippe stupiditas est sine exemplo. Paradisus, infernus, æternitas, judicium Dei, nihil eam movet; quod palam videtur in illis, qui obscœno huic sese abdunt vitio, præsertim verò si ex statu, atque vitæ instituto ad Sacramenta frequenter accedere tenentur; non enim verentur hoc fœdati scelere ad aras, ipsaque accedere Sacramenta; & id quod terrorem, tremoremque incutere debet illis, in quibus adhuc reliquus est sensus aliquis pietatis, & religionis, cæcis hujusmodi res nullius momenti videtur. O abominationem desolationis in loco sancto! Audere accedere ad Deum, cujus infinita Majestas est, & recipere adorabile Corpus ejus in adeo misero statu, idque citra metum, & quin ne animus quidem horreat; huc usque obduratio procedit, in quam infame hoc scelus tot malos Altarium Ministros impellit. *Auctor Anonymus.*

Supplicia, quibus Deus hoc punit peccatum.

Quid Christiano dicendum est, ut hujus vitii sentiat horrorem? Eheu! vide, vide adhuc fumum incendii Sodomæ, & Gomorrhæ, quas propter civium suorum impudicitiam cœlestis ignis redegit in cineres. Vide reliquias universalis diluvii, quod omnes carnales, & impudicos homines submersit; considera sanguinis effusi torrentes; & infinita mala, quibus infame hoc scelus sæculis omnibus ultrix Dei manus est persecuta. At memento homines illos nequaquam CHRISTI JESU sacris fuisse initiatos, ideo scelus hoc haud ita nefarium, quale est hodie, fuisse. Quæ omnia si te minime tangunt, numquid non afficieris vocibus S. Pauli clamantis; *Nolite errare; neque fornicarii, neque adulteri, neque molles Regnum Dei possidebunt. Idem.*

Impudicorum negligentia, & cæcitas.

Hujusmodi homines scire dediscunt quinam ipsi sint. Nullius rei habent rationem; non vident, quod videbant; non credunt amplius quod credebant; quamcumque jacturam subeant, quamcumque referant contumeliam, quocumque pudore, & infamia suffundantur, hæc omnia nullo ab ipsis in discrimine habentur, dummodo cupiditati suæ satisfaciant. Veritatis hujus suppetunt argumenta in iis, quæ a Scriptura nobis exhibentur, exemplis. Undenam cœpit senum illorum scelus, qui Susannæ stuprum inferre meditabantur? Sacer Textus ait, illos incœpisse oculos a semetipsis, & a Deo destrctentes. *Oculos suos statuerunt declinare in terram*: Etenim qua fronte Cœlum respicere potuissent, animam habentes hoc detestabili scelere commaculatam? Magistratus, Judices in populo summam habentes auctoritatem cum propter muneris dignitatem, tum propter exemplum, quod hactenus populo præbuerant; senes, sapientes, prudentes, quomodo animum adjicere potuissent, ut tantum patrarent facinus, si illud paulò serius considerassent? *P. Bourdaloue in sermone quodam ex iis, qui sub ejusdem nomine circumferuntur.*

Psal. 16.

Quò hæc libido impellat.

Quousque mortales hoc scelus impellit? Nulla sunt negotia, quæ non deserantur, nulla pericula, quæ non subeantur, nulli labores, qui non perferantur, nulla existimatio, quæ in discrimen non adducatur, nulla honestas, quæ non prostituatur, nulla officia, quæ non contemnantur, verbo, ratio nulla, quæ oblivioni minimè tradatur cum de explenda cupiditate sermo est. Pater obliviscitur, quid filiis debeat, sexcentos extra rem sumptus erogans, omneque obligurit patrimonium, præsertim verò funestum illis præbens exemplum; Judex, quid populo debeat illius crimen propria probans auctoritate, amicus quid amico, sacrificans quidquid in amicitia sanctissimum est, uxor, quid viro, unum ex augustissimis Ecclesiæ Sacramentis profanans. *Idem.*

Sexcenta mala, quorum causa est libido.

Nonne mirum est homines qui adeo sanctam, ac puram, qualis est nostra, Religionem profitentur, beatæ sorti adscribere ea scelera, quæ pudorem cient, eaque traducere in argumentum jocorum, atque sermonum suorum; & ipsos impudenter sua flagitia in vulgus proferre? Sed quàm monstrosum est videre Christianas mulieres, quæ hos audiunt sermones, his assuescunt jocis, hæc probant æquivoca, his colloquiis maximè oblectantur? Cum enim de impudicitia loquar, non loquor solum de turpibus factis, quæ satis humana consideratio coercet: loquor de sexcentis aliis rationibus, quibus castitas læditur; loquor de nimium liberis conversationibus, ubi malum licere putatur, dummodo sub æquivocis quibusdam tegatur; loquor de amicitiis, quæ suspicione minimè carent, & quæ sub urbanitatis specie, ac persona dissimulantur, & quarum fallax benevolentia sæpe ad mortem cor nostrum adducit, donec exterior quædam honestatis species retinetur; loquor de cœtibus illis, qui a Sancto Hieronymo peccati reliquiæ vocantur; loquor de secretis familiaritatibus, seu verborum, seu actionum, quæ castitati adeo sunt perniciosæ. *Idem.*

Exteriora mala, quorum causa est.

Verè affirmari potest peccatum hoc esse causam omnium malorum. Hoc bellum in Regnis, seditiones in civitatibus ciet; hoc familias evertit, arctissimos amicitiæ nodos infringit, oppida subruit, perdit imperia. Undenam orta sunt bella? Mulier ab adultero rapta integras ad arma nationes conclamat. Quidnam locum præbuit tot schismatibus, & secessionibus in Ecclesia, tot hæresibus, tot scandalis? Diligentiùs inspicite, quidam Pater ait, & impudicitiam hæc mala pepetisse innotescet. Hinc irrisiones, jurgia, furores, minæ, ultiones, furiæ, infinitorum bonorum dissipationes; infinitaque mala, quæ mundum obruunt universum. *Idem.*

Impudicus amor cæterorum criminum causa.

Tertullianus ait impudicum amorem quemdam habere nexum, & quoddam veluti commercium cum aliis omnibus criminibus, & alia omnia crimina illius, ut ita dicam, merere stipendia. Propter illum mortales moliuntur, & explent ultiones; propter illum agitantur invidia; propter illum opes congerit avaritia; propter illum obtrectatio bonis sermonibus virus inspergit; propter illum ignavia detinet corpus, & carnem in inerti mollitie; propter illum Sacramenta polluuntur, sacrilegia patrantur; propter illum denique, ut omnia verbo complectar, cætera flagitia grassantur. *Idem.*

Hoc in vitio naturæ ars additur.

Diceres naturam per se solam non posse nos in hoc flagitium pertrahere; opus esse, ut arte ad id excitemur; diceres concupiscentiam non satis esse corruptam, opus esse, ut inflammetur, & eo compellatur, quo progredi non audet. Si quis est liber diabolicus, qui turpia exhibeat imaginationi, hic præ cæteris conquiritur; licet id prohibeat pudor, atque castitas ex illius lectione jacturam percipiat; non refert; hic liber est hujus temporis, legendus est, vorandus est &c. *Idem.*

Mala educatio, pravique sensus qui adolescentibus inspirantur, eorum innocentiam corrumpunt.

Quomodonam mundus corruptus innocentem christianæ institutionis caracterem in ridiculum traducere conatus non est? Quam indignæ hujus rei imagines in scœna fuerunt exhibitæ? Hoc tantum sæculo modestia, & verecundia individuæ simplicitati, sodales pro rusticitate, ac stupiditate haberi consueverunt; inde verò quam fallacia excogitata sunt placita circa ea, quæ ad puellarum pertinent institutionem? Diluculò ostentandæ sunt, dixere, atque ab ipsa infantia debent assuescere omnia videndo, omnia audiendo, omnia sciendo. Immo non defuerunt, qui sibi persuaderent, quod puellam ad amatorias artes instituere validissima ratio sit eamdem in officio continendi. Quæ scit mundum, adjiciunt, semper habet, quid sollicitantibus reddat; sed quæ innocens est, statim præter volun-

voluotatem labitur; ejusque lapsus licet minus erimioosi, non sunt tamen minus frequentes. Hic sermo a theatris in maximè serios hominum cœtus migravit, & juxta libidinem Auctoris, qui pravis est moribus, atque exlex, & penes quem est jus ea, quæ cumque vult, in scœna repræsentandi, sententia lata est, qua libera educatio probatur. O Deus puritatis amatot! Itane impudicitiæ schola constituitur, quæ JESU CHRISTI scholæ opponatur? Itane pudor tutissimum contra impudicitiam vallum lnfringitur? Credamne ullum reliquum esse pudorem, eum adolescentularum oculi quidem omnia videre, aures verò omnia audire in mundi commercio consueverunt; eum flagitiosa verba non terrent; cum æquivoci joci risu excipiuntur; cum puellæ ipsæ flagitiosarum conversationum ignem accendunt? *Ex manuscripto sermone P. Francisci Catron Jesuitæ.*

Turba, & sollicitudines, quas inordinata immittit cupiditas.

Cogitate quas turbas injicere, quæ negotia facessere debeat inordinarus amoris affectus? Quàm inquietam esse opus est, quæ cor suum aperuit, secretum suum credidit, atque virtutem, & existimationem suam in manu indisereti alicujus commisit? Quis metus, ne vocula imprudenti elapsa tibi dedecus afferat, vel ne secreta offensio illum a te divellat, efficiatque ut in vulgus proferat, quod tanta cura celare contendis? Quis timor ne amor tanta dissimulatus arte aliquando erumpat, vel a vigilantia parentis, vel a sponsi zelotypia deprehensus! Quis pavor, ne cupiditas in ipsis primordiis secreta, quia oimis erat exigua, quàm ut ab aliis deprehenderetur, in progressu vehementior facta sese ipsam vel inconsideratis gestibus, vel imprudenti oculorum nictu prodat? Quæ crux in publico omnia semper summa diligentia metiri apud eum, cum quo clanculum nulla verecundiæ ratio habetur? O Deus! tu hoc præcepisti; & fere semper accidit, ut pudicitiæ jacturam existimationis, nominisque boni jactura sequatur. Flamma impura, quædam sempet post se vestigia relinquit per quæ detegitur. Frustra vobisioet mutuò persuadetis secreta vestra attentissimos etiam oculos fallere; Quod tanta industria cootegitis, super tecta revelabitur, dicit Deus Davidi peccanti. *Tu fecisti absconditè, ego autem faciam in conspectu solis.* Frustra commoda inquiritis tempora, secretosque accessus, ut noctu ad idolum adorandum pergatis: effusus est in viis omnibus cinis, atque oriente sole pedum vestrorum occurrent vestigia: *Video vestigia hominum, & mulierum*; amorum vestrorum minister; qui ultro citroque defert lenocinia, hic vos prodet. Quid autem tunc in suspicionem criminis voeati efficietis? quoties blasphemias evometis in eam cupiditatem, quæ existimationem vestram to discrimen adduxit? *Idem.*

2. Reg. c. 12.

Daniel. 14.

Alia mala quæ hanc cupiditatem consequuntur.

Ecce alios longè funestiores ejus cupiditatis effectus, quam damno. Quæ turbæ ad minimam infidelitatis suspicionem? Quis furor in eos, a quibus amoris vestri objectum præripitur? Quis metus, ne vestræ existimationis excidium non excipiatur excidio fortunæ vestræ, ac ne ab omnibus contemnamini, postquam ab omnibus in ludibrium traducti fueritis? Quænam desperatio, eum infamia vestra in omnium mortalium oculis apparuerit, atque turpitudo vestra ad ipsa usque judicum subsellia trahetur? Dicere etiam possem, non satis intelligi quousque nos trahere possint hujus cupiditatis initia. Primitiæ quidem suaves sunt; voluptas illam efformat, & fovet; verum fere semper desinit in furorem. Hoc vitium omnia ferme accendit bella; hodierna quoque die carceres scelestissimis replet; hoc suam hæresi commudavit facem, ut meliores Europæ provincias combureret; hoc nos docuit novum latrocinii genus, contra quod militaris virtus non prodest: hoc impudicissimas docuit parentes invidere lucem fœtibus iniquitatis suæ &c. At in orientis affectus initiis ea, quæ coosecutura sunt, non videntur. *Idem.*

De impudicis cogitationibus.

De infinitis cogitationibus, quæ anitoo oostro obversantur, nullæ sunt, quibus minus fidendum sit, quam impudicis; nullæ sunt, quæ ita sensim, & sine sensu animum corrumpant; quocumque in statu sis, periculum est, ne illæ irruant. Sum in recessu, mortificatione, austeritate? rebellis caro mea bellum indicit spiritui; illum adoritur, & oppugnat; sceleris imagines ipsum Hieronymum in specu latentem turbabant. In mundi hujus luce versor? sescenta objecta sensus, mentemque mihi fascinant. Spiritus impurus in atentibus locis deambulans, quos pœnitentiæ imbres non irrigant, mihi semper insidias struet, adversus quas nonnisi summo labore defendar. Quò igitur me recipiam? Locum inquiro, ubi tutò latere possim. Numquid in Dei Templa confugiam? At hi sacri recessus impuris cogitaonnibus invii non suot; obscœna hæc objecta occurrunt animo meo; sexcenta phantasmata catervatim insurgunt, ac trepidationem immittunt: sancta hæc domus; ubi Deus vivens inhabitat pro me repente immutatur. Non ideo tamen semper peccamus, sed semper in peccandi pericolo sumus. *Auctor Anonymus.*

Omnia ad cordis corruptionem impenduntur.

Omnia ad nos perdendos impenduntur, ac nulli rei parcitur; quid enim ad id non adhibetur? Vestes locupletes, ac pretiosæ, ornamenta, joci, acumina, facetiæ; & etiam si pura proferuntur, & simplicia verba, nonne mens illa in lævum sensum detorquet? Prava sententiæ alicujus interpretatio nonne efficit, ut castissima verba pro impurissimis traducantur? Ad cor flectendum verborum vi, noone adhibentur assentatiunculæ, joci, cantiones; nonne idem illi, atque idolis, thus adoletur? Laudantis vox nihil est, attamen inde gloriamini. Adolescens, qui nondum scit, quomodo iis uti debeat, quæ audit in cœtu eorum, qui licentiùs loquuntur, omnia in suam perniciem convertit; sorbet venenum prout de impudicorum labiis egreditur; agnoscit quidem hæc verba esse dumtaxat; sed cor ejus ficta dulcedine illectum, facile hosti oppugnanti victus dat manus. *Idem.*

Infirmitas nostra petit, ut attentiùs nobismet invigilemus. Genes. 6.

Deus cum Noe loquens testatus est futurum ut spiritus suus non permanereot in homine, quia non aliud erat, quam caro: *Non permanebit spiritus meus in homine quia caro est.* Attamen audio impudicos hanc ipsam asserentes causam, & peccata sua excusantes propter humanam iofirmitatem, quæ caro est; ego verò dico ob causam hanc impudicum esse a Deo derelinquendum. Ideo homo semper sibi cavere debet, ac metuere, *quia caro est*; ideo uti debet omnibus gratiæ subsidiis, quam Deus omnibus pollicitus est, *quia caro est*: ideo homo cum sit infirmus, confugere debet ad orationem, & subinde etiam ad recessum eique occasiones omnes vitandæ sunt, *quia caro est*: & hanc ipsam ob causam vosmet temere objicietis; tot periculosos adibitis locos, ubi impuri sunt oculi, & cœtus parum casti, quin timeatis jacturam Spiritus Sancti ab impudico homine recedentis; *quia caro est. Ex manuscripto sermone, qui P. de la Rue tribuitur.*

Quomodo vitium hoc paulatim cor perdat.

Natus eras egregiis præditus dotibus, naturam verò tuam egregia educatio perfecerat. Corporis qualitates in te præclara hæc bona corruperunt, & everterunt spem illam, quam omnes conceperant. Ingressus es in mundum, qui cum adolescentiæ periculosus sit, tibi magis quàm cæteris fatalis extitit. Natura egregiam formam, atque vividum spiritum tribuens, hanc tibi gratiam contulerat, ut omnibus placeres. Oculorum sermo, illecebræ motum, placendi studia, omnia contulerunt aliquid, ut te seducerent; & oris venustate his omnibus accedente incantationibus, cor tuum terentes excepit impressiones, quibus illæ deleræ sunt; quas natura, & educatio pepereraot. Temet tradidisti crassioribus affectionibus, quas sensibilia inspirant objecta, & repulisti laudabiles affectiones, quæ ad virturem adducunt. Affectus hi æstu juventis animati omnem abstulere gustum

volu-

voluptatum spiritus, ac rapido impetu te in ea omnia pertraxerunt, quæ sensus tuos allicere poterant. *Liber, cui titulus: Timandre instruit par son genie.*

Quomodo hoc vitium spiritum vecordem faciat. Caro suis vacans voluptatibus rationis imperium assequitur; & inde accidit, quod spiritus carnalis effectus sensibilium tantummodo rerum cognitione inhæret, & ea consectatur, quæ sensibus placent. Loquere ad eum de rebus divinis, & spiritualibus; eas in ludibrium traducit; illæ sub sensibus ejus non cadunt. Spiritus hic omnino carnalis est, & carnis dumtaxat oblectationibus pascitur. Ecce hic spiritus caractere & divinitatis imagine signatus ad brutorum conditionem redactus, factusque spectaculum infame potestatis, & auctoritatis, quam caro, sensuumque voluptates in ipsam rationem acquirunt. *Animales spiritum non habentes*, quidam Apostolus inquit, (*Epist. Jud.*) & quemadmodum in Genesi dictum est: *Omnis caro corruperat viam suam.* (*Genes. 6.*) Hinc fit, quod quemadmodum diluviano tempore, quo omnes mundi sordes fuerunt detersæ, dicitur, pœnituisse Deum, quod adeo speciosam effinxisset creaturam, quam deinde adeo corruptam, deformatamque intuebatur; *Tactus dolore cordis intrinsecus*; (*Ibidem.*) atque iniisse consilium præclarum hoc manuum suarum opus perdendi: *Delebo hominem de terra.* (*Ibidem.*) Ita eum patimur spiritum nostrum vecordem, & omnino carnalem fieri, Deus qui nos salvos facere decreverat, consilium capit perdendi nos, nosmet inordinatis affectionibus nostris tradens; atque videns nos non aliud esse quàm carnem, spiritum suum removet a nobis. *Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est. P. Antonius a Sancto Martino a Porta ex Carmelitarum Familia, in libro cui titulus, La Conduite de la Grace.*

Sollicitudines, atque tumultus, qui hoc peccatum præcedunt. Quinam conscientiæ tumultus ante hoc scelus? Si impudicus nondum penitus Dei timorem excussit; omnia principia, instituta omnia sanctæ educationis hoc momento contra illum insurgunt. Dei oculus, qui illum videt; judicium formidabile, quod expectat, ignis, quo comburendus est, infelix æternitas illi intentata, quænam tumultus, atque formidinis causæ? At suffocavitne jam conscientiæ suæ stimulos? hominum tamen oculi semper evitandi sunt; mundus enim licet sit nequam, vitium tamen ferre non potest. Igitur mensuræ captandæ sunt, occasiones aucupandæ; recensenda momenta, diligentissima ratio temporum, & locorum habenda: effugiendus solliciti patris oculus, fallenda mater omnibus gestibus explorandis intenta; singulis momentis trepidandum, ne deprehendamur, prævertendæ sunt etiam inanes sollicitudines, quas metus parit: integro annorum spatio præparandus est infelix aliquis congressus; ideo sexcenta perferenda sunt dicta, factaque, omnia dissimulanda, omnia toleranda. *P. Cheminais. Sermone de Impudicitia.*

Argumenti ejusdem continuatio. Impudicus nondum ad finem pervenit crudelium agitationum, quas hæc illi cupiditas adfert; si enim ita infelix est, ut eidem tandem aliquando fecerit satis, pœnitentia statim crimen subsequitur. Quæ turba, ubi peccati sui effectus recogitet; atque rumorem consideret, quod facinus suum pariet, si cui fuerit exploratum? Quis pudor! quæ infamia! Quis exprimere potest adolescentulæ terrores, cui superest adhuc nonnihil honestatis? Non defuere, quæ sibimetipsis mortem consciverint; etenim quomodonam fides habenda est homini vano, nugaci, qui simulatis protestationibus studet obrepere, & qui tandem vulgò desinit in irrisionem? *Idem.*

Hujus vitii tyrannis. Cupiditas, quam explere voluisti, nondum extincta est. Nisi hoc ipso, alio saltem rursus accenditur objectu: temet illi tradidisti, illa in te indesinenter suum exercet imperium, te omni tempore omnique loco urget, in seriis ipsis obscœnarum voluptatum imaginem tibi repræsentat; ad extremos usque altarium te sequitur gradus, atque noxias oblectationes a te revellit: *Oculos habentes plenos adulterii, & incessabilis delicti*, Sanctus Petrus ait. (*1. Pet. c. 2.*) Impudicus oculos habet impudicitiæ plenos, & ejus sceleris, cujus nullus futurus est finis. Quodcumque ipsi occurrat objectum, statim afficitur, eò cor ipsius fertur, & advolat; illud noctes, diesque recogitat tunc etiam cum seriis vacare existimatur; & in honestissimis, integerrimisque conversationibus clanculum sexcenta obit libidinosa consilia. Multis ille præpeditur negotiis? hoc semper præ cæteris distinetur; nullus adeo sanctus est locus, nulla adeo sacra persona, nullum adeo venerabile tempus, quo coerceatur. *Idem.*

Cæcitas, quam hoc vitium parit. Hæc ebrietas quædam est, propter quam impudicus obliviscitur, quinam sit: puella non reminiscitur, honestatem virtuti suæ inhærere; Magistratus nullam habet amplius rationem caracteris sui, qui illum populo venerabilem efficit; Ecclesiasticus non considerat professionis suæ sanctitatem, ejusque polluendæ indignitatem: amicus sacratissima amicitiæ contemnit officia, & in amici familiam dedecus infert; vir, uxor negligunt conjugii fidem, & quid ad Aras se servaturos esse receperint; nobilis vir genere, & auctoritate potens eam exuit superbiam, qua alinquin eos dedignatur, qui infra ipsius conditionem sunt positi: nulla publicæ infamiæ ratio habetur, ex quo hæc tibi dominatur affectio; & hæc omnia vocantur amor personæ, obsequium, existimatio, observantia. Præclara profecto nomina! egregii prætextus, quibus nequissimum, ac turpissimum flagitium contegitur. *Idem.*

Hujus cæcitatis exemplum. Quisnam penetrare posset crassos vapores, qui ex impura carne attolluntur? Turpissimi senes, qui Susannæ vim inferre conati sunt, hac in re docere nos possent. Obliti sunt, quid erant, ut id cogitarent unum, quod amabant; annorum quidem multitudine algentes, at cupiditatis igne flagrantes; Judices populi, sed innocentiæ corruptores; capita Synagogæ, sed parum a brutis distantes, oculos ab officio suo averterunt, ut suæ satisfacerent cupiditati. Si impudicus cœcus non esset, numquid peccatum sibi voluptati verteret? Si in trophæum illud traduceret quod naturam dedecorat, putaretne venia dignum illud facinus, quod a venia longissimè abest, & quod Deus minus excusat? Numquid tlius creaturæ oblatum levem esse putaret Creatoris contemptum? Sed talis est hujus vitii caracter, quod nominari vetat Apostulus; mentem excæcat, rationem prævertit. *Actiones Christianæ P. Simonis Carmelitæ. Sermone de S. Joannis decollatione.*

Mala, quæ hoc vitium in mundo parit. Quoties in brutalis hujus vitii obsequium impensum fuit quidquid in Christiana Religione sanctius, atque sacratius habetur? Quot falsa judicia, ac perniciosæ sententiæ ad mulieris sollicitantis illecebras prolatæ fuerunt?.... Quid de hæresibus dicam, quarum fons est impudicitia? Regna integra pessum abiere, statim ac Reges iis sese mancipare flagitiis incœperunt, in quibus Salomon naufragium fecit. Nihil dico de verme, qui rodit, & indesinenter impudici hominis conscientiam lancinat. Tu, Domine, præcepisti, ut quælibet culpa suam gereret pœnam, atque homo suis traditus voluptatibus in cupiditatibus suis supplicium nancisceretur. *Idem.*

Impudicitia longe plurimorum scelerum causa. Verum quidem est impudicitiæ peccatum per se non esse aliorum gravissimum, sed perniciosissimum est in effectis suis. Infelici fœcunditate seipsum multiplicare didicit, ac dici potest, fons plerorumque scelerum, quæ Christianum orbem latè corrumpunt. Confessiones, & Communiones sacrilegæ, scandala in civitatibus, dissidia in familiis, detractiones, teterrimæque calumniæ, parricidia quoque, venena, lites, cædes, abortus, funestæ desperationes, quæ miseras adigunt creaturas ad fructum sceleris scelere nequiori de medio tollendum, sanctissimarum rerum abominabiles pro-

phanationes, ut plurimum sunt effectus bujus peccati, quod vulgò fragilitas appellatur. Sed horribilis cæcitas nonne recensenda est inter funestissimos nequissimi criminis hujus effectus? Heu. Modicus horror, quem vobis tantum ingerit scelus, nonne indicio est vos hujus cæcitatis esse participes? Numquid non estis participes criminis, ex quo illa procedit? *P. Nepuen in Christianis Considerationibus Tomo 1.*

Cæcitas comitatur, & sequitur hoc peccatum.

Cæcitas vulgatissimus est, ac funestissimus peccati impuritatis effectus. Hac pœna Deus punit impudicos. Inordinatas ipsorum cupiditates ipsis punit cupiditatibus, & cæcitate, quam in noxias eorum voluptates infundit. Sese abdiderunt impudicitiæ, Sanctus Paulus ait, & tradidit illos Deus inordinatis cordis eorum desideriis, ac erroribus cæci spiritus, qui illos ad indignas homine actiones impulit, Statimae pareris hanc tibi dominari cupiditatem, rationis jacturam subire incipis; si illius aliqua adhuc internitent lumina, omne illis suffocandis impenditur studium. Perturbant passionem, quæ cordis imperium affecuta est, importuna sunt, ideoque damnanda. Ubi impudici illi senes criminosa iniere consilia contra castissimæ Susannæ pudicitiam, Scriptura testatur, omnem illos sensum abjecisse. *Idem Tomo 2.*

Impuritas efficit, ut fides amittatur.

Impuritatis peccatum ipsis etiam fidei luminibus hominem privat; cum effrænis est impudicitia, ad licentiam usque, & infidelitatem evadit. Hoc non est amplius peccatum, inquiunt, fragilitas est, necessitas est; mortificatio, & christiana pœnitentia est phantasma, & observantia voti castitatis, Lutherus ait, jugum est tyrannicum; id vovere audacia est, tueri impossibilitas, sese ad id obligare crudelitas. O præclarum morum magistrum! Ille numquam Hæresiarca fuisset, nisi fuisset impurus, A practicis veritatibus gradus fit ad theoreticas, Ignis inferni impudico gravis, & incommodus est; de eodem dubitandum est; mox verò, & negandus. Deus momenti unius voluptatem æterna pœna percutiens, impudico injustus, & crudelis videtur; mutari non potest, igitur delendus est, Nemn, Sanctus Augustinus ait, Denm negat, nisi ille, cujus, Deum nullum esse, interest. Pauci sunt Athei, si qui tamen bona fide sunt, qui impudici non sint; corporum corruptio, cordis peperit corruptionem, cordis verò corruptio mentem ipsam corrupit. Salomonis impudicitia illum idololatram fecit; lapidea coluit idola, quia jam carnea coluerat. *Idem.*

Vanitas sæpe ad impudicitiam via est.

Vanitas, quæ, uti videtur, mulieribus ad pudicitiam tuendam inservire deberet, quàm sæpe iisdem accidit funestissima? Cum vanitati obnoxia est fœmina, jam hominibus placere cupit; quæ placere cupit, non fastidit amari; & quæ amari gaudet, amare non renuit. Cor, quod ita affectum sit, jam nimis pudicum non est. Cæterum cum mulier admodum vana est, quam liberum præbet aditum illi, qui illecebrosis verborum blanditiis illius palpare novit vanitatem! Quam ægre illa a se hominem repellit, cujus obsequium sibi honori vertit, & cujus meritum suam commendare putat venustatem, licet non obscure cognoscat illius consilia suspicione nequaquam vacare..... Ullane potest sine flagitio pati, vel etiam sibi procurare hominis obsequia, quem hoc pacto sua fovere desideria, & non legitimam spem alere patet? *Idem Tomo 4.*

Quam Deo contumeliosum sit hoc peccatum.

Homo per creationem Dei imago est, anima ejus pura est, spiritualis, incorruptibilis, ut ille. At per impudicitiam delet, vel omnino corrumpit omnia hujus similitudinis lineamenta, animam suam materialem, sensibusque obnoxiam efficiens. Quænam Regi inferretur contumelia, si ejus imago in limum dejiceretur? Num ille tanta non afficeretur injuria? Numquid illam impunem pateretur? Contumelia verò, quam Deo infert impudicus, numquid minor est? Deusne minus affici debet, cum impudicus, ut ita dicam animam suam sordibus immergit per nequissimas voluptates, quibus suam carnem commaculat? Ita Deus non dixit post peccatum Adæ, & Cain se pœnitere, quod hominem creaverit; sed hoc tandem professus est, cum eas vidit impudicitias, quibus homines ante diluvium sese abdiderunt. *Idem.*

Corpora nostra sunt templa viventia, quæ per peccatum polluimus.

Si Deus adeo irascitur propter injuriam, quæ sibi infertur, ubi materiale ipsius Templum polluitur, numquid minus irascetur, ubi impudicus polluit corpus suum, quod est vivens templum Spiritus Sancti? Impudicitia in Christiani corde, & corpore est *abominatio desolationis in loco sancto*. Itane respicimus impudicitiæ peccatum, cum illud fragilitatem vocamus? cum illud statuimus argumentum sermonum magis jucundorum, & nostræ voluptatis objectum? cum in illo supremam felicitatem nostram statuimus; ac illud Deo ipsi præferimus? *Idem.*

Servitus, in quam hoc vitium adducit.

Misera hæc mancipia, si infamiam suam audent fateri, suas confitentes miserias, quàm terribili, crudelique exercitatione torquentur noctes, ac dies! quibus vinculis impediuntur, quibus onerantur catenis, cum impudicitia sua eos sexcentis fatigat officiis, & obsequiis, quæ licet inutili conatu; singulis momentis præstare contendunt! Quomodonam illa intrinsecus flammarum suarum æstu impuritas devorat, metu, & zelotypia rodit, odio, ira, & furore ad insaniam usque compellit; vanis insanisque sumptibus extrinsecus absumit; torquet mentem, corrumpit animam, corpus destruit; illa sibi in ludibrium vertit, atque cogit tacere, loqui, metuere, sperare, ridere, lugere, vivere, mori, reviviscere, sexcentas in mundo ludere personas, fieri fabulam populi, & sæpe earum etiam, quas adamant, quæ ob illorum turpia obsequia superbientes eadem contemnunt. Nullus umquam fuit vel periculosior hostis vel crudelior tyrannus, vel sævior dæmon, quam amor iste crudelis, qui in animam exercet vim, & quidquid magis tumultuosum est, ut illam torqueat. *Maimbourg. Sermone pro feria sexta post secundam Quadragesima Dominicam.*

Quam delicata sit virtus castitatis.

Nulla virtus magis tenera est, & quæ facilius lædatur, quàm castitas. Quodcumque vel minimum illi adversatur, est veluti flamma comburens, vel saltem cordi nigredinem offundens, quantumvis parum ibi remaneat; & uti loquitur Tertullianus, sola suspicio eidem potest officere. Unicus sufficit oculorum conjectus, verbum, suspirium; ut cor totum ignescat. Job licet sanctus esset, postquam de dæmone triumphum egit, pepigit fœdus cum oculis suis, ne adeo periculoso certamini se objiceret, Nullus non metuendus intuitus est; S. Hieronymus olim nobilissimæ virgini scripsit: at longe magis mirum est, quod legimus in Ecclesiastico: *Nequius oculo quid creatum est? P. Dozenne in Morali J. C.* Eccli. 31.

Tumultus, quem illicitus amor parit in anima.

Quo non adigit hic amor hominem, ubi corde illius potitus est? Cum illuc aditum sibi vult aperire, sese illi quidem objicit sub imagine jucunda, ac dulcedine referta; sed ubi simul ingressus est, insolens fit, & imperiosus. Sese immiscet cogitationibus maximè seriis, & sanctissimas quoque prophanat: ingreditur tamquam puer, sed ibi regnat tamquam tyrannus. Eodem tempore ciet, atque extinguit sexcenta votorum, & consiliorum genera; & qui videt spem, ac desperationem, audaciam, & metum, lætitiam, & dolorem jugiter sibi succedentes, odium, & iracundiam, in singula momenta prodeuntem, & affectuum omnium immixtionem, fieri nequit quo minus animo concipiat ingentem aliquam tempestatem, ubi ventorum furor attollit, dejicit, pelagique fluctus confundit. *Auctor Sermonum Christianorum, Sermone pro secunda Adventus Dominica.*

Hoc vitium se statim prodit.

Impudici seipsos produnt; quidquid conentur, ut lateant, & hominum oculos fallant, Similes sunt ardentibus lignis, quæ vel flammarum fulgore, vel fumo prodeunte se ostentant. Ubicumque impu-

impudici homines adsunt, putidus eorum fumus, impuræque flammæ illos quales re ipsa sunt, aperiunt: *Compellit libido, ut appareat turpitudo*. Affectus hic in illis apparere incipit, qui libros amatorios, similesque diligunt, a quibus impudicitiæ cogitationes, ardoresque aluntur, atque foventur. Id nisi illos corrumpit, ostendit jam corruptos esse: *Si non ista corrumpunt, jam corruptos ostendunt*, Sanctus Prosper ait. Deinde illi, quibus placet intueri simulacra, tabulas, ac nudata corporum membra christianæ honestati contraria; qui impudentissimè oblectantur dicentes, audientesve obscœna, vel æquivoca verba; qui canunt, vel bibulis auribus excipiunt lasciva cantica, eo quod impudici amoris ingenium in illis elucet. Vitii hujus scintillæ nitent etiam in ornamentis, in immodestis mulierum vestibus, in nimium liberis conversationibus, in familiaritatibus, in mutuo officiorum, & obsequiorum certamine: quæ omnia ostendunt, ignem, quo illi flagrant, exiguo tantum cineri esse insepultum. Denique impurissimi hujus ignis flammæ effulgent in prostitutionibus, raptibus, sacrilegiis, aliisque sceleribus omnibus, quæ nominatim proferre pudor vetat. Ut autem tot criminibus cumulus accedat, plusquam diabolicam homines addunt impudentiam, cum gloriari audent de suis impudicitiis, & gloriæ sibi vertere, quod illos rubore deberet suffundere. *Liber cui titulus: La Guerre aux Vices.*

Hieron. l. 1. Epist.

lib. 3. cap. 6.

Numquam satis præcavere nobis possumus contra hoc vitiū. Tertull. de Carne Christi 3.

Animadvertit Tertullianus, cum virtus aliqua amatur, ferri æquo animo nequaquam posse oppositi vitii suspicionem: *Rei displicentis etiam opinio reprobatur*. Si impudicitiam detestaris, quantum illam detestari fas est; non solum evitandum tibi est, quidquid cor tuum corrumpere potest; sed vitæ tuæ ratio ita irreprehensibilis esse debet, ut maximè venenata calumnia nihil tibi possit objicere: *Rei displicentis etiam opinio reprobatur*. Nequicquam ergo te hortor, ut hoc infringas commercium, quod jam pridem malè audit, respondes quippe nullum munus hac suspicione vacare, nullum hoc esse innocentius. Esto quidem: at nonne plurimi ob hæc colloquia, & familiaritatem hanc obloquuntur? Nonne verum est, ita præberi occasionem suspicionibus adversum te? Aliquidne ultra requiritur, ut salutare, quod tibi traditur, consilium tenearis amplecti? Quicumque puritatem diligit, non feret umquam objici sibi vel solam speciem vitii, quod est huic virtuti contrarium. Multò magis igitur ex ædibus tuis persona illa dimittenda est, quam nimis deperire accusaris; quamcumque rationem afferas, ut factum probes, jam nocens es, ubi illam pertinaciter retines. *Lambert. Sermone decimoquarto de Vita Ecclesiastici.*

Vitium hoc omnes corrumpit virtutes illius, cui dominatur.

Ubi alicui hoc vitium dominatur, nulla fermè jam in mente illius ratio est, nulli ferme boni sensus in corde, nulla, ferme in anima religio. Egregiæ hæ faces obscurantur sexcentis vaporibus, qui attolluntur, illisque offundunt caliginem; etenim ubi spiritus corpori imperitare deberet, corpus dominatur spiritui, eumque in turpi detinet servitute. Boni cordis sensus evanescunt, ac prima pietatis semina suffocantur: tanta cæcitas est. *Auctor Sermonum moralium. Tomo octavo.*

Nullum detrectatur periculum, ut libidini satis fiat.

Nihil inausum relinquitur, ut miseræ creaturæ fiat satis; illi devovetur libertas, bona, honor, conscientia, pro eadem cruces, mortificationes perferuntur; de gradu dejicitur qui illam deperit, ad paupertatem redigitur, tot se objicit, ut totius civitatis fiat fabula, ut parentum, & consanguineorum contemptum, ac indignationem in se convertat. Numquid cognati deserendi sunt, patrum matrumque odia subeunda? jam hæc fiunt; numquid ipsa requies amittere, ac sexcentis indignissimis obsequiis sese dimittere oportet? Hæc etiam fiunt: periculosæ nectendæ sunt artes, & criminosa consilia adimplenda? jam & hæc fiunt &c. *Fromentiere Panegyrico S. Joannis Baptistæ.*

Omnes honoris, &

Saltem aures adhibe iis, quæ dicuntur de te; dicet aliquis puellæ cuidam, mortales omnes de tua imbecillitate loquuntur; existimatio tua pessum abit, honor tuus evanescit; jamjam tamquam prostitutæ, ac infamis mulierculæ haberis. Quidquid de me dicatur; & quodcumque de moribus meis feratur judicium, nihil moror, licet mortalibus omnibus displicerem, voti mei sum compos, dum illi placeam, quem diligo. At vides quantum doloris afferas consanguineis tuis, quibus cordi est tui nominis existimatio, & lugent, quod male audias. Hæc me non movent; & quamvis illis displiceam, penes me actionum mearum arbitrium esse volo, nemini de illis rationem reddi-tura. *De la Volpilliere, Sermone de impudicitia.*

existimationis rationes negliguntur.

Cur hoc scelus perhorrescere debeamus.

Mirum videbitur, quod Apostolus tanto zelo, atque indignatione in impuritatis peccatum fuerit invectus, quod adeo contrarium est sanctitati, quam Christianus profiteri debet, & hujus suggestus amplitudo vix nominari patiatur; quia corpus nostrum dedecorat, carnem prophanat, ac indignos nos efficit, qui JESU CHRISTI corpori uniamur? Numquid mirum esse debet, si in primitiva Ecclesia parcius hujusmodi peccata remittebantur, & si diuturnæ in pœnitentibus austeritates imperabantur? Cum enim hujus severitatis rationem afferi Tertullianus, ait, cum humana caro facta est Verbum, & Deus, felici hac unione consecratam, sanctificatamque fuisse, ita ut quod antea simplex erat peccatum, factum fuerit prophanatio, & sacrilegium horribile. Ante Incarnationem, Pater idem persequitur, humana caro nondum appellabatur JESUS CHRISTUS, & nondum sacram Divinitatis unctionem acceperat. *Nondum caro Christus vocabatur. In Sermone, qui sub nomine P. Bourdalove circumfertur.*

Quomodo cupiditas hæc excitetur.

In choreis, atque conviviis impuritatis ignis accenditur; ibi affectus excitantur, ibi concipiuntur desideria, ibi ineuntur consilia: deinde verò remotis objectis anima obsidetur quodammodo imaginibus, atque detestabilibus phantasmatis, quæ ignem alunt, & cupiditatem, quæ irritant, ac incendunt desideria, ac denique ad turpissima quæque exequenda compellunt consilia..... Adde artes, quæ ad passionem magis adhuc inflammandam adjiciuntur. Quid! nobiles mulieres, quinque, aut sex horas in capite comendo, pingendoque vultu impendere, ut mox adeant virorum cœtus ad laqueos jaciendos, atque præferendam dæmoni facem, qua ubique ignem impuritatis accendat? Noctes integras in choreis insumere expositas oculis, atque illecebrosis assentationibus insipientium adolescentum, & eorum, qui in Civitate flagitiosissimi sunt: adhibere quidquid in arte, atque natura periculosissimum est ad eorum oculos in se convertendos, eorumque mentem fascinandam; immodico luxui, & amatoris illecebris addere intemperantiam, &c. *P. de la Colombiere.*

Mala, in quæ hoc peccatum impellit.

In quæ flagitia hoc peccatum non adigit? Voluptas est imperfecta, ni accedat impietas; voluptates non sunt satis jucundæ, nisi brutalitas sese illis immisceat. Heu! mens mea, cur te obscœnis ideis vis inficere? Ne detegamus sæculi hujus turpitudinem, & infamiam; ne lædamus castas audientium auriculas, ne polluamus hujus loci sanctitatem nominibus eorum scelerum, quibus auditis Cœlum, ac terra pudore suffunduntur; sufficiat generalibus verbis asserere, vitium hoc numquam antea magis exprobratum fuisse, & numquam antea magis fuisse debacchatum; numquam tantum Concionatoribus ardorem injecisse, ut in illud inveherentur, ac illud detestarentur; at numquam plures habuisse sectatores, qui eidem famularentur. *De Sancto Martino, Sermone hujus argumenti.*

Cupiditas hæc est inexplebilis.

Infortunatum impudicæ carnis mancipium! Quid prætermisisti, ut impurissimam hanc cupiditatem expletes? Diceris domum tuam evertisse, valetudinem amisisse, honorem diffamasse, vitam bre-

viorem effecisse decies millies infernum promeruisse totidem peccatis, quæ, ut eidem satisfaceres, perpetrasti. Numquid libidinem tuam explesti? Negant omnes, & ajunt ignem inferni, quem sub canorum nive regis, te adhuc urere, & æque ac olim absumere: *Imples luxuriam, & adhuc esuris; sustines pœnam, & adhuc crescit.* Affirmare non dubitabo cum Sancto Augustino, Paradisum sæpe tanto non stetisse Martyribus nostris, licet ad illius palmam referendam suum cruorem effuderint, quanto hisce voluptatum mancipiis infame gaudium stetit: *Plus torquetur libidinosus voluptatis amore, quam Martyr Christianus sanguinis effusione. P. Texier in Sermone Adventus.*

Mala, in quæ hæc non impellit cupiditas.

Libidinosus violenta torquetur cupiditate, eique satisfacere studet. Quibus hic malis se minimè tradit? Vanæ cultor formæ, cujus omnes nutus adorat, nihil relinquit inausum, ut illi placeat. Furores, iracundiæ, zelotypiæ, immodici sumptus, familiæ dissidia, sanctarum rerum contemptus, Dei oblivio inevitabiles sunt hujus cupiditatis effectus. Surdo canit, qui se corripere, & objurgare studet; donec cor tuum brutali famulatur libidini, omnibus hisce vitiis patere necesse est. Nequicquam fatalis hujus arboris ramos secabis; donec truncus vigebit, novos indesinenter feret. *P. Cheminais, Sermone de affectu predominante.*

Vitii hujus exitus, & effectus.

Amoris obsequium in ipsis initiis jucundum videtur. Cæcè sequeris blandam voluptatem, quam amor otiens tribuit; hic scopulus est: at si oculos conjicere velis in tragicos insaniæ hujus cupiditatis effectus, quænam exempla in mundo non suppetunt. Alius ibi fortunam amittit, alius existimationem; alius ita se furore, ac zelotypia corripi sinit, ut gravissima quælibet audeat facinora; alius dolore conficitur, quod se derelictum intuetur; & omnes vident infelicem ejus commercii exitum, unde vitæ totius sibi felicitatem pollicebantur. *Idem in Sermone Pentecostes,*

Impuritatis principia sunt peculiari studio evitanda.

Consuetudo cum mulieribus est impuritatis principium, quod leve putatur, & tamquam omni culpa vacuum ducitur; sed nihilominus secundum Scripturæ, Patrumque doctrinam admodum est periculosum. Mulieris verba, Sapiens ait, tot sunt laquei, quibus animæ attrahuntur, ac irretiuntur: *Irretivit eam multis blanditiis.* Conversationibus succedunt epistolia; epistoliis conventiones, conventionibus verò infinita peccata. Quid dicam de amatoriarum fabularum, impudicorumque librorum lectione, quod alterum est impuritatis principium, quod citra scelus esse non potest? Statim ac amas, quod legis, illud exercere oblectaris, & Deus, qui intimos animarum scrutatur recessus, in corde illius, qui his prophanis lectionibus vacat, easdem videt impudicitias, quæ in his voluminibus exhibentur. Igitur in ipsis impuritatis initiis omnia sunt criminosa. *In Specimine sermonum pro Dominicis, Dominica tertia Quadragesima.*

Prov. 7.

Mala, quæ libido in homine gignit.

Impudicitia hominem, & omnia, quæ ad illum pertinent, perturbat: Mentem, sexcentis consiliis, quorum alia ab aliis evertuntur, sexcentisque conatibus, qui sæpe ad insaniam tendunt; animum sexcentis curis, sollicitudinibus, atque crudeli spe, quæ illum assiduè adigunt ad desperationem: corpus sexcentis periculis, quibus objicitur, sexcentisque turpibus morbis, qui efficiunt, ut adhuc vivens moriatur: bona insana rerum omnium dissipatione: *Ne des fornicariis animam tuam, ne perdas te, & hereditatem tuam.* Testis esto prodigus filius; quem libido ita perdidit, ut suilli pecoris factus fuerit custos: *Dissipavit substantiam suam vivendo luxuriosè.* Familiam etiam perturbat serens dissidia patres inter, & filios, viros inter & conjuges, inter consanguineos, fratres, amicos, Denique impudicitia ubique ciet bellum, gignit confusionem, atque tumultum. *Idem Sermone pro feria quarta hebdomada prima in Quadragesima.*

Eccli. 9.

Luc. 15.

Exemplum Magdalenæ, & causa criminis illius ante conversionem.

Generis, ac divitiarum privilegiis illud quoque fragilis formæ accedebat in Magdalena, habebat cor, quod antequam ardoribus divini amoris ignesceret, infernali flagrabat igne, omnem animæ substantiam devorante, & in iis, quos urit, nullum virtutis germen relinquente. Magdalena suiipsius ultrix facta statim est idolum plurimorum, qui eam coluere. Desiderium, quo videre, & videri cupiebat, brevi eam constituit objectum eorum obtutuum, quorum præda cor est, uti loquitur Propheta, & eorum oculorum iniquitatibus, atque adulteriis repletorum, qui impudicitiæ scintillas perflant, quibus accenditur. Finge tibi adolescentulam, quæ in sæculi cœtibus nitescere incipit, quæ naturalibus cumulata bonis, ab omnibus colitur, & habetur in pretio; cujus vanitas alitur, atque orientibus affectibus suis vias omnes stratas nanciscitur; hæc est imago Magdalenæ sine ulla præcautione, atque experientia incedens in lubrico primi ingressus in mundum, ac temere, & inconsideratè suscipientis dulces iniquitarum vias, quæ ducunt ad mortem. In ipsis initiis cum nondum pudoris fines perfracti sunt, & cum cupiditatum impetus institutionis fræno coercetur, & lapsus turpes horrorem cient; periculosa colloquia, immodesti ornatus, otiosæ lectiones, indiscretæ vanitates, spectaculorum illusio, laudum virus, placendi libido sensim ad ingentia flagitia disponunt. Hæc sunt, quidam ait; labentis castitatis indicia. *Abbas du Jarry, in Sancta Maria Magdalena Panegyrico.*

Primis statim impuritatis principiis remedium afferendum est.

Ad vitii hujus adeo perniciosi cursum inhibendum infringenda sunt funesta principia, quorum effectus adeo sunt deplorabiles; ubi quia sensuum infirmitates nondum sese illis immiscuerunt, sine ullo metu foventur hæc mutui amoris venenata commercia; & quibusdam veluti finibus peccati statutis, citra religionem iis omnibus indulgetur, quæ turpitudine carent. Sed cum infelicium horum amorum effectus ut plurimum nexu quodam invicem hæreant, itaut abyssus abyssum vocet: hæ pudoris, & urbanitatis reliquiæ, quæ ad aliquod tempus coercent, & quæ non satis cautè servantur, quam primum intereunt. *Idem, ibidem.*

Illud vitium est hoc sæculo commune.

Novissima hæc sæcula, quibus exempla pœnitentiæ Magdalenæ non occurrunt amplius oculis nostris, horum malorum sæpe nobis objiciunt imagines. Videntur, quæ palam attollunt impudicitiæ vexillum, quæ sua jactitant scelera, atque, ut Apostolus inquit, gloriam in sua confusione constituunt.... Videntur homines si hoc nomine appellandi sunt, qui in seipsis Dei imaginem deformant, ac nullum ipsius vestigium reliquunt, ex quo valeat agnosci; qui hominem in brutum transformantes, spiritumque de gradu dejicientes, ut illum carni subjiciant, fiunt similes jumentis intellectu carentibus, qui iteratò sese voluptatibus immergentes luteam sibi efficiunt animam, ubi omnibus rationis, gratiæque extinctis luminibus, iis involvuntur tenebris, quibus olim Ægyptii fuere percussi. Videntur, qui furenti hoc dæmone obsessi, de quo in Evangelio sermo est, modò in aquam, modò in ignem se conjiciunt, qui vel combusti ardoribus impudicitiæ, quibus absumuntur, vel immersi obscœnis deliciis, quibus se penitus abdunt, in sepulcris tantum inhabitant, ubi suorum flagitiorum corruptionem exhalant; modò hic, modò illic; infernalis ignis, quo flagrant per varia objecta quærit, unde alatur, & postquam Virginum innocentiam seduxerunt, conjugum fidem corrumpunt. *Idem.*

Confessio & pœnitentia, quam præseferre debet mulier, quæ flagitiosè vixit.

Christiana mulier, quæ postquam sexui, & Religioni tuæ dedecus attulisti, deberes in cinere ac cilicio agere pœnitentiam, æternis damnare lacrymis oculos, qui tot noxias affectiones inflammarunt; in pœnitenti recessu extremos ducere ejus vitæ annos, quam tot sceleribus coinquinasti, atque impurissimum corpus tuum, cui tbura mortales adoleverunt, efficere victimam, cujus sacrificium gladius mortificationis indesinenter instauret;

erube-

erubesce; quod limum hunc in carne tua paulò elegantiùs, quàm in altera elaboratum tantopere coluisti; pudore suffundere, quod adhuc mundi oculos pascis inani luxus tui apparatu, cum ad scandala reparanda insignia pœnitentiæ præbere deberes exempla. Te pudeat quod tanta amasiorum certatim inservientium corona stiparis, quæ hodie sub dæmonum pedibus conculcareris, nisi tibi Deus relinqueret tempus justitiam ipsius vera conversione leniendi. *Idem*.

Exhortatio ad impudicos, ut a suis recedant sceleribus.

Audite peccatores, in quibus inveteratus libidinis habitus abiit in necessitatem; qui vosmet affectionibus merè animalibus derelinquentes animam prorsus carnalem vobis effecistis; octo & triginta annorum paralytici secretis irretiti vinculis, quæ captivam detinent libertatem veram, quin ne moveti quidem ad pœnitentiam possitis; qui insignibus impuritatis vestræ scandalis Urbes, atque Provincias infecistis; qui millies immersi fuistis in impuris fluminibus Babylonis, & qui secretò omnem abjicitis spem emergendi ex aquis lutulentis, atque profundis: Audite secretam Dei vocem, invitantis, ut ab hac perditionis via recedatis, manumque tendentis, ut de abyssi hujus altitudine educat, atque omnia suggerentis adminicula, ut pœnitentiam agatis. *Idem*.

In hoc scelus pluribus modis fit lapsus & aliter quàm extremum facimus audendo.

Queritur Tertullianus, quod ævo suo non deerant quidam, qui castitatem ad hoc redigebant, ut abstinerent abeo abominabili vitio, cujus nomen numquam in Christiani hominis ore versari deberet: *Quasi pudicitia in sola carnis integritate, & stupri aversione consistat*. Verùm hodierna quoque die plurimi in eodem errore versantur. Quot enim oculis suis integram libertatem relinquunt; quot eos devorant libros, quorum lectio mentem prophanis cogitationibus implet, quot aures impudicissimis sermonibus adhibent? Quot sunt qui jugi meditatione secum reputant prophana, & obscœna colloquia coram se ab impudicissimis habita? Quot denique omnia sibi licere putant, & contra castitatem se haud peccare arbitrantur, quia in extrema flagitia nequaquam labuntur? *Lambert Sermone decimoquarto de Vita Ecclesiastica*.

Optima hujus peccati evitandi ratio, est peccandi occasionem effugere.

Affirmare possumus tutissimam rationem ab impuritatis crimine abstinendi esse diligentem earum personarum fugam, quæ vos in illud allicere possunt: docet enim Sapiens, quærentem periculum, certò in eodem interiturum. Si Providentia in mundo vos retinet, scitote ibi magna cautela esse vivendum; atque fidelibus omnibus pactum feriendum esse cum oculis suis, ne videant ea, quæ cor ipsum corrumpere possunt; ut ponant ori suo custodiam, & ostium circumstantiæ labiis suis, quod illa conclusa teneat, ne immundum verbum aliquod proferant; ut obstruant sepibus aures suas, ne impudicum audiant sermonem; ut denique mentem, & cor suum claudant, ne ullam inhonestam ideam, ac ullum pravum desiderium percipiant: namque in Lege Dei prava desideria æque ac facta ipsa mala prohibentur. Cur autem dicendum est, Sanctos Patres tanta diligentia impuritatem evitasse; nos verò adeo parum nobis ab illa cavere? Numquid illi nobis erant infirmiores? Haud ita sanè, sed nos illis sumus audentiores. *Abbas de Monmorel, Homilia in 12. Dominicam post Pentecosten*.

Quanta cura Job sibi cavebat ab hoc scelere.

Sanctus vir Job nequaquam ignorabat naturalem corruptionem, & fragilitatem hominis, & minimas etiam scintillas repente in magna incendia exardescere. Testatur ille se cum oculis suis fœdus pepigisse, ut ne minimum quidem cogitaret de virgine. Ille Evangelio obsequebatur ante Evangelium; & quemadmodum JESUS CHRISTUS cordis, & oculorum puritatem nobis commendavit, ita ille hac in re potissimum castus erat; nihil se præstitisse putans si a gravioribus peccatis abstinuisset. Aliquisne inter claustra sepositus majori solertia virtutem hanc servare posset, quàm Sapiens hic Princeps inter tot illecebras, quæ in Aulæ fulgore non desunt? Quænam vigilantia in intuitu? Quod cum oculis suis certamen, prohiberentur videre ea, quæ ipsi possent officere? Quæ diligentia, ut in ipsis etiam cogitationibus gereret puritatem? *Liber cui titulus: Vita Sanctorum Veteris Testamenti, in Vita Sancti Job*.

Horror hujus sceleris habendus.

Prætermittamus hæc gravissima scelera, eaque secretò plorare sufficiat. Meminerimus iræ, quam contra hæc flagitia testatus est Deus; ac mente reputemus ignes Sodomorum. Tunc visa est quædam inferni species, & species, quæ semper viget. Conjiciamus quàm horribile sit coram Deo hoc scelus, quandoquidem ad illud puniendum infernum effingit ante ipsum infernum; ulciscitur impuritatem, quæ erat contra naturam, & repentino igne comburit eos, quorum anima detestabili igne urebatur. *P. Castillon Sermone quodam in Octava Ecclesiastici Sacramenti*.

Vitium hoc quailbet ætate metuendum.

Invenietis aliquando senes, quibus gravitas, & anni severum tribuunt oris habitum, qui in mundo modesti sunt, & qui ob speciem virtutis in pretio habentur; sed qui secretò atque in cordibus suis sese tradunt omnibus vitiorum generibus, quæ mortalium oculis auferunt. Ipsorum imaginatio illis earum rerum, quas depereunt, exhibet objecta; idea hæc illis blanditur, eosque inhonesta voluptate perfundit, cujus neque testem habent, neque consortem. Scelus hoc in corde committitur, ibique semper latebit, quousque Dominus venerit, qui tenebrarum caliginem illuminabit, & abdita cordium consilia in apricum proferet. Oportet ergo potissimum, ut nostris cogitationibus invigilemus. Actiones, quæ ab organis pendent, poscunt tempus, auxilium, & commodas occasiones: sed operationes spiritus momento fiunt sine labore, sine difficultate, quin commodum tempus expectandum sit. *Ex quodam Sermone S. Basilii contra peccata cogitationis*.

Impuritatis vitium medicina non caret.

Hoc peccatum quantumvis grave, & detestabile sit, pœnitentiæ tamen medicinam admittit. Hæc veritas est, quam error primis Ecclesiæ temporibus labefactare contendit. Nescio quinam immodicæ serveritatis sensus Tertullianum impulerit, ut affirmaret, impudicitiam malum esse incurabile, & nullo pœnitentiæ conatu delendum. Principium, quo id probare nititur chimericum est. Ait enim, per incontinentiam ipsam animæ substantiam corrumpi, & in reali sensu ad corporis naturam redigi. Error hic non multos habuit sectatores; sed omnes fere impudici longè aliis ducti principiis sibi persuadent, fieri non posse, ut a se habitum suum revellant; ac sæpe desperationem suam tamquam excusationem prætexunt, quod in flagitiis suis perseverant. Non equidem inficior ex affectionibus omnibus impudicitiam difficillimè superari, sive Dei gratia spectetur, qui suum removet spiritum ab homine, cum factus est caro; sive peccator respiciatur, qui omnes animæ suæ facultates abominabili hoc scelere infirmatus nanciscitur. Attamen affirmo nequaquam in desperatis habendam esse vitii hujus curationem, quantumcumque difficilis sit. *Sermo manuscriptus P. Francisci Catrou Jesuitæ*.

Remedia contra hoc vitium.

Non desunt aliqui, in quibus vitium non est passionis, sed licentiæ, ac solutioris vitæ effectus; quorum eam adfert imaginem Sanctus Petrus, quæ terrorem injicere debet: *Habentes*, ait ille, *oculos plenos adulterii, & incessabilis delicti*. (2. Petr. 2.) Homines sunt, quorum oculi non aliud persiant quàm licentiam; quodlibet objectum excitat desideria illorum; & cor eorum in singulos ferme oculorum motus singula peccata committit. Quid illis dicam? Quid? De salute eorum actum esse? Semel efformato habitu, eos necessitatem contraxisse in sceleribus suis semper versandi? Absit, me spem abjicere salutis ægrotantium, quibus Dei sanguis aliquam adhuc pœnitentiæ spem admittit. Profectò malis gravibus violenta sunt admovenda remedia, eane experti estis, auditores, illa adhibuistis?

ftis? Remedia hæc funt oratio, ufus Sacramentorum, corporis mortificatio. Oratio quidem; hoc enim dæmoniorum genus, JESUS CHRISTUS ait, non ejicitur nifi in oratione, & jejunio. Hac Dei Mifericordiam flectetis; hac obtinebitis gratiam, fine qua nihil poteftis; hac accedetis ad Deum, & qui carnales eftis, eluetis eas maculas, quibus vofmet infecillis. *Idem*.

Quam periculofum fit, ac difficile vincentur hic inimicus.

Si D. Auguftino credimus, graviffimum, atque periculofiffimum Chriftianorum certamen eft fefe contra hoc vitium tueri, inimici robur, ejus pertinacia, femperque vincendi neceffitas nos fexcentis objiciunt periculis: hæc voluptatum omnium eft ardentiffima, cujus cupiditas adeo violenta eft, ut de fana mente dejecerit Salomones, vicerit Davides, Samfones proftraverit. Nulla eft fapientia, nulla fanctitas, nulla virtus, cui hic hoftis metuendus non fit; & nihilominus familiaris eft, atque domefticus, femperque nobis inhæret: illum nobifcum gerimus, vim ex viribus noftris defumit, nos armis noftris profligat, neque umquam recedit nifi poftquam animæ, & corporis facta fuerit feceffio. Omni tempore, quolibet in loco omnibufque in occafionibus nos urget, atque perfequitur; ubique infidiæ, ubique doli, ubique furentes oppugnationes, perenne bellum intra nofmet. *Invifcerata pugna*, quemadmodum illam Caffianus appellat. Proh Deus! quomodo adeo fævis infultibus refiftere poffumus, nifi peculiari Dei protegamur aufilio? *Auctor Anonymus*.

Hæc paffio in omnia criminum genera impellit.

Quibus fceleribus impar eft, qui femel furenti huic cupiditati fræna laxavit? Ut huic fatisfaciat nonne non folum honorem, atque fubftantiam, verum etiam valetudinem, vitamque adducit in periculum? Quot infidelitates, quot proditiones, quot cædes, quot facrilegia propter illam quotidie contingunt? Poteftne aliquis cordis fui defideriis laxare habenas, atque pudoris, & honeftatis fines prætergredi, quin abdicet quidquid probitas, juftitia, & innocentia vocatur; quin Dei legem ipfamque naturæ vocem contemnat, quæ licet corrupta fit, adhuc impellit homines licet impuriffimos ad tenebras inquirendas inter fua fcelera, atque ad mortalibus omnibus, & fibi quoque, fi fieri poffit, occultanda inconditarum affectionum fuarum flagitia. *In Orationibus Gallicæ Accademiæ oblatis*.

Impuritas in cordibus noftris Dei amorem extinguit.

Deo prælationis amor debetur; hic uni tantum debetur Deo, & nihilominus a mortalibus quotidie corruptibilibus, & mortalibus defertur idolis, quibus in facrificium offertur, quidquid pretiofiffimum eft, quibus omnes cogitationes, fenfufque omnes devoventur, quibus placere in omnibus homines ftudent, ipfis idolorum cultoribus nocentiores, qui prophanum dumtaxat thus adolent Diis ligneis, atque lapideis; quippe injuriæ, qua verum Deum lacesfunt, adjiciunt etiam abominationem offerendi corruptæ; nefariæque carni facrificia. Fieri ne poteft ut fperent adhuc fe facile Deum ad Mifericordiam flexuros, ut veniam tribuat ejus fceleris, quo fibi fua jura auferuntur, ut idolo carneo fexcentis fceleribus inquinato deferantur? Sperare ne poffunt, nllam ejus criminis, quod omnem in corde amorem Dei extinguit, excufationem effe admittendam? *Auctor Anonymus*.

Impudici, ut plurimum fcandalum afferunt & impudicitia eft peccatum fcandali.

Impudici ut plurimum fcandalum afferunt, atque inhoneftis fermonibus, incompofitis geftibus, actionibus nimium foluris, fexcentifque artibus aliis conantur infirmorum animas in eas detrahere infidias, quas illis ftruunt; quamobrem pro viribus infamis hujus vitii enormitatem imminuunt. Hoc fragilitatis, atque humanæ imbecillitatis peccatum appellant, quod facile remittit Deus, quamvis nullum fit flagitium, quod gravioribus pœnis in Bibliis punitum videatur .... Impudicis etiam fcandalum inferentibus adnumerari poffunt illi, qui domi fuæ obfcœnas exponunt tabulas, & fimulacra turpes nudirates repræfentantia; qui lafcivos vendi tant libros, vel proftrare pariuntur; illæ omnes, quæ immodeftis utuntur veftibus, quæ in indumentis fuis indecoros induendi modos, pudoremque lædentes adfectant. Hi omnes fimul duobus, iifque graviffimis fe obftringunt fceleribus; quorum alterum eft contra virtutem, cui directè adverfantur, quæ puritas eft; alterum verò fcandalum, quod opponitur charitati. *P. Gegon, libro cui titulus: Ufus Sacramentorum Pœnitentiæ*.

Signa, ex quibus judicium ferri poteft, quam commune fit hoc vitium in mundo.

Hoc verò peccatum in mundo vulgarum effe, plurimofque damnati propter facilitatem labendi vel inde innotefcit, quod plerique minimè religioni fibi vertunt hac in re fequi naturale ftudium, vel potiùs tranquillitatem, ac pacem, qua vitam fuam in illius fordibus tranfigunt; perinde ac peccatum iftud minimè contineretur iis legibus, quas Deus nobis reliquit, vel quafi hoc fibi minus effet, quàm aliis crimen. Hoc ipfum liquet ex licentia, qua inter fe utuntur; ex vanitate, qua geftiunt ea narrare, quæ fibi obtigerunt, & ea etiam, quæ minimè obtigerunt: ex tempore, quod huic tradunt cupiditati; ex jugi cura, qua illam explere ftudent; ex periculis, quibus fe objiciunt; & fumptibus, quos erogant, ut eidem fatisfaciant; denique ex jucunda, quam hujus fceleris habent, idea; fenfibilique impreffione; quam illud efficit in corde illorum, & exiguo loco, quem toto vitæ curriculo Deo relinquit: *Liber, cui titulus: De Puerorum Educatione. J. Pici*.

Impudicitia impurũ hominem objicit cæcitati, quæ eft hujus peccati pœna.

S. Ambrofius narrat Theotimum quemdam hominem voluptatibus deditum maluiffe oculorum fubire jacturam, quàm infamem hanc abjicere cupiditatem. Infelix ille in fceleris fui ardore eam fenfit cæcitatem, quæ erat fecutura, & decrevit potius cæcum effe, quàm vitio huic frænum injicere. *Vale*, exclamavit ille, *vale amicum lumen*. Formofe Sol, jucundum lumen, te deinceps nequaquam videbo; at cupiditati meæ fatisfaciam. Hoc ipfum dicere poffunt homines voluptatibus mancipati; cum primum cupiditatibus fuis indulgere incipiunt. Divinæ veritates, adorabilia Spiritus Sancti lumina, falutares gratiæ radii, mihi non affulgebitis. Dominus vos effundet in animam meam, ego verò non videbo vos. Fruftra divinitus illuftrabor, incedam in tenebris, & cæcitas mea me in abyffum adducet. Ecce quo vofmet redegiftis, vos, quibus tot annos flagitiofiffima dominata eft impudicitia: Ecce quid vobis expectandum fit, qui hodie infames nectitis nodos fola morte diffolvendos. *P. la Peffe Sermone de Impuritate Tomo 5. Sermonum*.

Felicitas eorum, qui divina adjuti gratia fefe ab hoc vitio præfervarunt.

Si hactenus veftram tutati eftis integritatem adverfus illecebras hujus voluptatis, quæ mentem excæcat, & cor indurat; millies quotidie gratias agite Domino ob adeo peculiare beneficium; fed longè attentiùs quàm antea vobifmet invigilate fervatori thefaurum adeo expofitum, adeoque pretiofum; puritatem veftram refpicite tamquam pignus fortaffe tutiffimum falutis veftræ. Fidenter ingredemini in viis Domini, fi illam a mundi hujus infidiis, atque concupifcentiæ ardoribus tuebimini. Animæ mundæ, quæ imbutæ non eftis adeo generali hujus fæculi labe, quænam eft gloria veftra, cum Deo victimam oculis ejus dignam offerra poffitis! Heu ne lugearis, violentiam, quam vobifmetipfis ferre contemptum, quem tolerare a mortalibus debetis, & abfentiam ab eorumdem oculis, atque deliciis. Angeli cœlorum vos reverentur; oblectatur Deus fuas in vos gratias effundens; omnes viri boni vos colunt, ac habent in pretio, & in omnibus anguftiis veftris teftimonium confcientiæ veftræ vos confolatur. *Idem*.

INDO-

INDOLES,
NATURA, TEMPERAMENTUM.

Indoles felix quoad salutem pertinet. Ingenium facile, & difficile. Bona, ac prava natura. Illa quidem excolenda, hac autem corrigenda.

MONITUM.



Ix fortasse aliquis arbitrabitur de Indole, atque Natura Concionem ad anima salutem proficuam haberi posse, quin hoc argumentum cum variis permisceatur affectibus, quorum natura fons est, atque principium. Aliqui etiam existimabunt, saltem particularem cujuslibet idolem, ingeniumque esse affectum eidem prædominantem: sed quemcumque nexum hac inter se videantur habere argumenta ex iis, qua deinceps a nobis dicenda sunt facile innotescet, hac unum, & idem non esse; & si in natura Philosophi aliquod inter hac discrimen cagnovere; in morum disciplina Concionatores satis copia reperient, unde plures concinnare valeant sermones. Hic autem admonere sufficiat, ingenium illud, quod a natura sortiti sumus, & cujus vi ad bonum, vel malum impellimur, & quod ideo bonam, pravamque naturam dicimus, semper vel excolendum esse, vel corrigendum, alterum quidem, ut Christianarum virtutum fiat instrumentum, alterum verò ut prohibeatur, ne nos in vitium erahat, & damnationis nostra sit causa.

Caterum quamquam hoc argumentum primo statim intuitu parum ad morum disciplinam conferre posse videatur; spero in aliam prorsus abiturum sententiam, qui animo reputarit uberem illum fructum, qui inde percipi potest, qui profectò tantus est, ut ille, cui e voto contingit, ut pravam indolem corrigat, bonam vero, quod locupletissimum est Dei munus, excolat, nullum non evitare vitium, nullamque non exercere virtutem levi labore valeat, atque hoc pacto ex natura, ingenioque suo optime instituto, exculteque plurimum utilitatis ad salutem consequendam acquirat.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ Concionum hujus Argumenti delineationes, & Structuræ.

I. 

Ihil est de quo frequentiùs accidat sermo In utramque psrtem, quàm de natura, atque indole; sed nihil est, cui minus industriæ vires impendantur, quàm pravo quidem ingenio corrigendo, eum in vitia pronum est, felici autem, ubi in bonum tendit, eacolendo. De nullo verba fieri possunt, qoin illius indoles, atque natura vel celebretur, vel corripiatur, tamquam causa, & principium bonæ, pravæque vitæ rationis ejusdem; & plerique eorum, qui de eadem varba faciunt, illam respiciunt vel tamquam malum, cui nulla prodesse pharmaca valeant, vel tamquam bonum extra Ethicæ disciplinæ jactum, quippe quod unicè Del muous habetur. Hinc tamen laborum suorum initium ducere deberet morum formaodorum doctrina, ut naturam, si in malum vergit, regat, & corrigat, sin antem in bonum, excolat diligatque. Quamobrem duplicem hanc propositionem affero, quæ Concionis argumentum erit, stque divisio. Altera est, nullam adeo pravam esse oaturam, nullum adeo ferox Ingenium, adeoque virtuti oppositum, ex quo ad salutem plurimum percipi nequeat utilitatis. Altera, nullam esse adeo felicem, & ad virtutem pronam naturam; quæ oon vitietur, & quamprimum corrumpatur, nisi sancta educatione, bono exemplo, & singulari fide erga Dei gratias excolatur.

Pro Parte priori. 1. Frustra homioum plerique conantur vitiorum suorum causam in illud ingenium, quod a natura sortiti fuerunt, in Cœli, sub quo in lucem editi sunt, temperiem, in astrorum, quæ nativitati suæ præfuerunt, influxus; in cibum, & in ea omnia conjicere, quæ aliquid conferre possunt ad prave in ipsis cienda studia, ingenium morosum, atque difficile, ac temperamentum, quo tanta vi ad voluptates trahuntur. Quæcumque sit causa, quarum prima ac princeps originali peccato accepta referenda est: quemadmodum Deus, qui tales nos fecit, quales sumus, & qui infinitam suam ostendit sapientiam in admirabili hac ingeniorum varietate, non secus ac in tot creaturarum multiplici varietate: quemadmodum, inquam, Deus valida nobis remedia suppeditavit contra studium hoc, quo in malum rapimur, nobisque affluenter gratias, & adminicula eidem resistendi elargitor; atque aliunde nobis libertatem tamquam proprium oaturæ nostræ bonum concedit; ita si naturæ nostræ sequimur propensionem, si uoo aliam vivendi amplectimor regulam quàm ingenium ipsum furens, atque mobile; si corruptæ naturæ nostræ studiis nos trahi patimur, nobis tantum metipsis debemus irasci, qui unicè infelicitatis nostræ sumus auctores. *Perditio tua Israel, in me tantummodo auxilium tuum.* Osee 13.
2. Quin de divina erga nos Providentia queramur, vel credamus, illam nobis minus benignam fuisse, quàm illis, qui ex illius munere docile, & felix ingenium sortiti sunt, vel denique nobis persuadeamus, indolem nostram invictum saluti nostræ obicem esse, illam potius spectare debemus, tamquam medium, quod nobis suppeditavit, ut finem nostrum, æternam videlicet felicitatem, consequeremur. Etenim quemadmodum voluit Deus in omnibus hominibus miseram hanc relinquere concupiscentiam, quæ in vitium nos rapit, ut jugis esset virtutis nostræ exercitatio, atque ut vi facta Cœlum raperemos; ideo difficilem, rebellem, indocilem nobis tribuit naturam; & vehemens hoc studium in mala proclive, ut illud coercentes, corrigentes, & subigentes, eodem ad salutem nostram assequendam uteremur. 3. Causa nostra hac in re aliorum plurimorum causæ præfereoda videtur; si enim minori cum difficultate, ac labore virtutem adipiscuntur, & cœlum merentur; necnon si ad id pauciores obices inveniant; nobis vicissim hoc bonum est, quod maximè heroicas virtutes exercere possumus majores superando diffi-

 culta-

cultates, & majorem sanctitatis lauream, fulgidioremque coronam in Cœlo mereri, quod Sancto Paulo aliisque plurimis accidisse non latet. 4. Neque ignaviæ nostræ quamdam veluti excusationem prætexere decet formalem oppositionem instant nobis contra eam, quæ virtus appellatur, vel longè alias, quàm nostras requiri vires ad virtutem hanc excolendam. Deus enim qui sincetè mortalium omnium salutem cupit, gratias suas, non sine mirabili supernaturalis Providentiæ in nostrum singulos consilio, nostro aptat ingenio. Vel si mavis, non desunt virtutes cuiliber naturæ, ingenioque pares, & accommodatæ; atque in hoc tota consistit ars, ut naturalibus nostris studiis ea tribuantur objecta, quæ eisdem maximè congrua videntur. Tu, exempli gratia, ad voluptates traheris; quære voluptates veras, quæ in uno Deo reperiuntur. Tu ardenti ingenio es; hoc sancti zeli materia fiat: atque ita nulla indoles est, quæ ad virtutem flecti non possit &c.

Pars altera. Fatendum est, indolem bonam Dei munus esse, & si Theologis credimus, magnum Prædestinationis indicium. Pro bona autem indole intelligendus est spiritus docilis, ingenium suave, studia in bonum ultrò tendentia; & plerumque videmus eos, quibus favit natura, ab ipsis usque incunabulis, primaque pueritia non obscura præbere indicia, & præsagia, unde facile conjicere est, quinam sint aliquando futuri; & quænam sint de iisdem Providentiæ consilia. Verum affirmo, quæcumque sit egregiæ hujus naturæ felicitas, nisi excolatur, nisi summa fide gratiæ afflatibus obsecundarit, faciliùs corrumpi. 1. Indoles enim facilis, & omnibus, quæ sibi traduntur impressionibus pervia, hac ipsa de causa faciliùs flectitur in malum; si bonum illuc facilior, quam alio ingreditur, faciliùs inde, quam aliunde elabitur; speculum est, quod quæcumque sibi exibentur, objecta recipit; mollis & flexibilis cera est ad quascumque figuras recipiendas idonea: Si obvium ipsi fiat malum, si in nefarias decidat manus; mala fiet; bona verò, si ipsi bonum occurrat. Bona, vel mala ejusdem fortuna pendet ab illis sodalitatibus in quibus versabitur, ab objectis, quæ illius sensibus accident, ab occasionibus, quæ illi offerentur; ideoque nihil non est metuendum. Quot hodie in inferis torquentur, quibus ingenium facile, atque suave viam ad deplorabilem hanc stravit calamitatem? Intumuerunt ob egregias dotes suas, atque ut aliis placerent in vitium se trahi passi sunt. 2. Quemadmodum felicia hæc ingenia naturalem habent bonitatem, illis vulgò satis est bonitas merè moralis, quæ parvo illis constat, quandoquidem suapte natura ad eamdem feruntur; hoc est quemadmodum ab hominibus honesti censentur, ac se ab illis abhorrere vitiis cognoscunt, quæ hominibus dedecus afferunt; facile hæc ipsis sufficiunt, quin laborent veras, solidasque virtutes adepturi, quæ Sanctos, & Prædestinatos efficiunt. Hoc quotidiana docemur experientia: egregia hæc ingenia in eo omnem suam collocant industriam, ut Deum simul & mundum concilient, duobus dominis serviant, & quin naturæ bonis utantur, ut Sancti fiant, sæpe gratiæ bonis abutuntur, ut nimis naturæ suæ vitam conforment. 3. Bona hæc ingenia cum pacata, ac festiva sint, laboris inimica, qui ad salutem operandam requiritur, vulgò tantummodo quærunt commodam, suavemque, ideoque parum Christianam vitam traducere; & cum se a nequioribus sceleribus abhorrere sentiant, se salutis suæ certos putant, cum in majori eam per mollem vivendi genus amittendi periculo versantur.

II. Pro Concinnis argumento ad probandum assumi potest, Christianæ Religionis perfectionem in duobus hisce officiis consistere.

Quorum primum est, proximi defectus, malamque idolem pati: *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Ad Gal. 6.

Alterum, nostros defectus, & vitia corrigere; Quod fieri nequit, nisi diligenter pravam naturam nostram corrigere studeamus, quæ illorum fons est.

III. 1. Quocumque in statu, vel qualibet in societate vivamus, numquam contenti erimus, nisi naturæ nostræ defectus corrigamus: sexcenta enim evenient, quæ pacem & requiem nostram perturbabunt. 2. Vicissim nemo umquam de nobis contentus erit; quia prava indoles nostra mortales omnes offendet.

IV. 1. Cum bonam sortiti sumus naturam, hanc tamquam peculiare Dei beneficium debemus respicere, Deoque gratias agere; illam summa cura ad majorem ipsius gloriam excolere; atque diligentissimè cavere, ne pravis societatibus, malisque exemplis corrumpatur &c. 2. Cum autem malam, atque in vitium pronam, maturatò adlaborandum est, ut eam in bonam partem inflectamus; vincenda deinde, ac jugi mortificatione subigenda est: maxima invigilandum cura moribus, & actionibus nostris, nobismetipsis numquam fidendum, & sæpe cœleste auxilium implorandum.

V. Sermo tribus hisce propositionibus comprehendi potest, quæ amplectentur quidquid in hoc argumento dici potest.

Prima. Quàm maximè referre, naturam explorare suam; quoniam hæc scientia partem constituit cognitionis suimetipsius; ut sciamus, quid ferre valeant, quidve recusent humeri, & ne eum vitæ statum amplectamur, quod saluti nostræ futurum sit perniciosum.

Altera. Maturatò opus esse sibimet inferre vim, ut id, ubi deficimus, corrigamus.

Tertia. Summo studio excolendum esse, quidquid in ea bonum, & utile est.

VI. 1. Pessimus prætextus est defectus nostros in indolem, naturamque conjicere; 2. Optimus verò, & charitatis plenissimus aliorum defectus, & peccata illorum naturæ, potiusquam voluntati pravæ tribuere.

VII. Seriò animum debemus advertere pravæ naturæ corrigendæ, neque ipsam naturam sequi, cum ad virtutem prona non est.

1. Propter proximum; alioquin enim semper in periculo versamur lædendæ charitatis, ac nosmet toti mundo efficiendi intolerabiles. 2. Propter nos ipsos; nam præterquam quod hoc nobis conflat inimicitias, atque conciliat eorum, cum quibus vivimus, odia, in periculum adducimur sexcenta patrandi, quorum futurum est ut nos deinde pœniteat. 3. Propter Deum, quem hoc pacto offendimus; idoles quippe, & natura nostra omnium ferme, quæ committimus, peccatorum causa est, & origo.

VIII. Naturam nostram considerare possumus quatenus ad civilem societatem, ad Religionem, vitamque Christianam, & denique ad vitam privatam pertinet.

1. Quod ad urbanam vitam, atque societatem spectat, quantum conscientia patitur, nosmet aliorum ingenio accommodare debemus in iis, quæ honesta sunt, & in neutram partem inclinant; quæ quidem magna sapientia est, optimæque indolis argumentum. 2. Quoad christianam vitam, ac Religionem, nobis persuasum esse debet, veram, perfectamque christiani hominis mortificationem in hoc positam esse, ut nostram superemus naturam, ejusque defectus corrigamus. 3. Quoad privatam vitam pacem, & mansuetudinem servare debemus, ferentes, ac dissimulantes parvum eorum ingenium cum quibus vivendum est.

IX. 1. Naturam nostram ad virtutem formare non modicus labor est: hoc utilissimum studium, & difficillimus labor est. 2. A nobis pendet hoc assequi, & quid faciendum sit, ut illud assequamur.

X. 1. Maximum bonum est naturam habere ad virtutem pronam. Qui hanc sortitus est, sine labore fit Sanctus; nullum ferme nanciscitur obicem

qun

quo prohibeatur; nullos habet affectus difficile superandos &c. a. Periculosissimum tamen est, ubi de virtute agatur, suam sequi naturam. Nonnisi naturaliter agitur, & periculum est, ne in illusionem fiat lapsus &c.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest ad propositas Concionum structuras elaborandas.

Sancti Patres. SAnctus Augustinus, *libr.* 22. *contra Faustum.* Moysis, atque Sancti Pauli exemplo docet, summos viros iis vitiis, quibus fuerunt obnoxii, vel quibus adhæserunt, ostendere, se maximis virtutibus pares esse; atque inde judicium ferri posse de eorum natura.

Sanctus Ambrosius, *lib.* 1. *Offic. cap.* 4. quemlibet hortatur ut exploret, cuinam rei aptum sit illud, quod a natura sortitus est, ingenium; ut jucundiùs, atque faciliùs status sui muneribus perfungatur.

Sanctus Prosper, *lib.* 2. *de vocat. Gent.* ostendit hominem suapte natura in malum potiùs, quàm bonum esse proclivem.

Origenes, *Homil.* 2. *in Cantic.* unumquemque hortatur ut suam scrutetur naturam, ut videat, utrum recta, nec ne sint ejus studia hac mente, ut quæ mala sunt corrigat, quæ verò bona jugiter excolat.

Libri Ascetici aliique. Cardinalis Bona, *lib. de discret. spirit. cap.* 12, agit de varietate studiorum, ac naturæ, quibus homines in malum potius, quàm in bonum feruntur, deque rationibus ea cognoscendi.

P. Haineuve Tomo 1. de Ordine, Sermone an. prolixum habet Tractatum de indole, & quomodo regenda sit.

Idem, in Exercitiis quoque meditatione de quinta veritate hoc ipsum pertractat.

Idem, in libro, qui inscribitur: *La grand chemin, qui perd le monde*, parte secunda, propositione secunda, puncto item secundo latiùs verba facit de indolis, naturæque nostræ consideratione.

P. Antonius a Sancto Martino a Porta, in libro, cui titulus: *La Conduite de la Grace*, parte 3. Tractatu primo, ostendit nullam adeo felicem esse naturam, cui sua non sint bona, suique defectus.

P. Ludovicus Camaret libro, qui inscribitur; *Le pur, & perfait Christianisme*, obstaculo tertio ab ipsa natura sumpto fusiùs pertractat, quidquid hac in re dici potest,

P. Guillorè in libro Sententiarum, sententia quinta, in id contendendum ait, ut virtus naturæ suæ conformis compareretur.

Cambolas in Exemplari Vitæ Christianæ cap. 5. §. 2. ostendit bona, & prava puerorum studia, ut plurimum a Parentum exemplis proficisci.

P. Sennault in Homine Criminoso, Sermone 8. loquitur de pravis voluntatis studiis, quibus rapitur in malum.

P. Cordier in Sancta Familia Tomo 3. ostendit quomodo suiipsius, suæque naturæ cognitio utilis sit Patrifamilias ad domum, familiam, filiosque regendos.

P. Heliodorus Capucinus Sermone sexto de Conversatione loquitur de variis temperamentis, quæ ibi occurrunt.

P. Jacobus de Autun Capucinus in libro, cui titulus, *La Conduite des Illustres*. Parte 2. cap. 22. loquitur de natura morosa, querula, & quæ omnibus gestit adversari.

Liber, qui inscribitur, *La Vie Civile*, Tomo 2. parte 6. amplum habet tractatum, atque documentorum utilium refertissimum de indole, quatenus ad urbanam vitam pertinet; de qua re alibi passim in aliis duobus Tomis verba facit.

Concionatores recentes. Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta, in sermonibus particularibus, Tomo 4. pro Religiosis, ostendit, Religiosum ad hoc teneri, ut suam corrigat naturam.

Idem Tomo 1. Dominic. Serm. pro 3. Domin. Adventus, docet cognitionem hanc præsertim suam naturam indolemque respicere.

Qui de dominanti passione locuti sunt eam cum natura, & indole confundunt, & de hac sub eo titulo verba faciunt.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Applicationes Bibliorum huic Argumento.

SEnsus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. Genes. 8.

Ipse cognovit figmentum nostrum. Psal. 102.

Pedes illorum ad malum currunt. Prov. 1.

Erudi filium tuum, ne desperes. Prov. 19.

Ubi non est scientia animæ, non est bonum. Ibidem.

Deus fecit hominem rectum. Eccl. 7.

Puer eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam. Sap. 8.

Ne sequaris concupiscentiam cordis tui. Eccli. 5.

Filii tibi sunt? erudi illos, & curva illos a pueritia illorum. Eccli. 7.

Fili in vita tua tenta animam tuam, & si fuerit nequam, non des illi potestatem: non enim omnia omnibus expediunt, & non omni animæ omne genus placet. Eccli. 37.

Sadoc puer egregiæ indolis. 1. Paralip. c. 12.

Abierunt post pravitatem cordis sui. Jer. 9.

Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas: & vos poteritis bene facere, cùm didiceritis malum. Jerem. 13.

Ponite corda vestra super vias vestras. Aggæi 1.

Nescitis cujus spiritus estis. Luc. 9.

Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt. Ad Rom. 2.

Ex naturali excisus es oleastro, & contra naturam insertus es in bonam olivam. Ad Rom. 11.

Unusquisque tentatur à sua concupiscentia abstractus, & illectus. Jacobi c. 1.

Exempla ex veteri, novoque Testamento deprompta.

BOnam naturam in bonum pronam insigne munus esse Auctoris naturæ nulla re magis probatur quàm ex eo quod ab ipsis mundi incunabulis, Deus illam quibusdam amicis suis elargitus est, atque ita illis præbuit indicia electionis, & prælationis ejus, qua illos fuerat dignatus. Hoc statim quidem in duobus primis fratribus Cain, & Abel innotuit. Prior ille quidem prava fuit indole, feroci, beneficiis, quibus a Deus fuerat cumulatus, ingrata, impia, & crudeli, quod satis probat ratio illa, qua usus est, sive erga Deum, cui nonnisi quod in grege deterrimum erat, offerebat, sive erga Abel unicum fratrem suum, quem per invidiam, atque zelotypiam, nefariè interfecit. Post adeo grave patratum scelus, feræ instar vitam traduxit, fugitivus, & erro, mortalibus omnibus invisus, & sibi quoque intolerabilis. In Abel e contra quænam indolis suavitas? quinam pietatis sensus? quænam erga Deum gratitudo? quæ docilitas? quæ morum integritas? Sed virtus illius adeo egregiam naturam adjuvit, atque perfecit, ut meritus fuerit esse Sanctorum omnium antesignanus, ac prima Incarnati Verbi figura, & sanctitatis omnis exemplar; quemadmodum Cain reproborum omnium est primipilus eo quod pravæ naturæ suæ fuerit obsecutus, quam corrigere in sua positum erat potestate. Exempla primorum Patriarcharum.

Numquam duo fratres ingenio, ac natura tantum inter se dissimiles extitere, quàm Jacob, & Esau. Eorum antipathia, atque studiorum oppositio ex ipso etiam matris utero apparuit, ubi locum Exemplum Jacob & Esau.

con-

conceptionis suæ certaminis arenam converterant. Hoc exemplo Sanctus Augustinus explodit inanem Astrologiæ judiciariæ scientiam: etenim eorum influxus astrorum, quæ geminorum fratrum nativitati præfuerunt, nequaquam simile ingenium, eamdemque illius idolem præbuerunt. Ex hac autem varietate inferendum est, Deum, qui tales nos facit, quales sumus, conformem nobis tribuisse naturam consiliis, quæ de nobis iniit, eaque studia, quæ muneribus, quibus nos destinavit, sunt accommodata. In hoc etiam sæpe præclara dedit indicia, unde ea prænosci magnitudo potuit, ad quam nonnullos voluit evehere. Quid illi olim essent futuri ex optima illorum indole, atque nobilibus studiis, quæ ab ipsa usque pueritia in illis enituere, judicatum fuit. Cupiebat Deus, ex Jacob efficere Sanctum Patriarcham, atque laboriosæ, & patientis vitæ prototypum, ideoque lene, & pacatum ei tribuit ingenium. Hoc ipsum largitus non est Esau; non enim de hoc adeo sublimia inierat consilia: atque inde factum est, ut hi duo fratres longè diversam vitæ rationem fuerint secuti.

Salomonis exemplum. Quantumvis bonum, atque ad virtutem proclive sortiti simus ingenium, studium illud in malum, quod nobis originale peccatum relinquit, quamprimum bonam hanc indolem vitiabat, nisi sancta educatione excolatur; nisi Dei metus, virtutum, quæ status nostri sunt propriæ, cura tuendæ innocentiæ, salutemque nostram operandi, ac denique gratia, & peculiare Dei patrocinium prohibeat ne corrumpatur. Hujus rei apertissimum nobis suppeditat argumentum Salomon, itaut prætermittendum non sit. A Deo egregiam acceperat *Sap. 8.* indolem, quemadmodum ipse testatur. *Puer eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam.* Attamen licet a natura bonitate fuisset ornatus, atque divinitus infusam obtinuisset sapientiam in quot scelera lapsus est? Præsumptio, ingratitudo, impudicitia, Divinis præceptis inobedientia; & quod magis mirum est, idololatria, quæ scelerum omnium maximè execrabilis est, facilem invenerunt aditum in animam illius propter hanc ipsam naturæ felicitatem, atque ipse unus plura falsis numinibus delubra ædificavit, ut pellicibus placeret suis, quàm omnes simul perditissimi Reges, qui post illum Judæ Regnum obtinuerunt. Denique Scriptura de Principis adeo sapientis, & qui adeo felix ingenium acceperat, exitu nos incertos reliquit, ut ex adeo funesto intelligeremus exemplo, optimam etiam indolem quamprimum corrumpi, nisi virtutum exercitatione excolatur.

Exemplum Manasse probat nullam adeo pravam esse naturam, quæ nequeat mutari. Nullum est adeo pravum ingenium, quod corrigi nequeat, & licet ab infantia ea præseferatur natura, quæ a virtute, atque a pietate abhorrere videtur, semper respicere possumus, & ad Deum converti; quod Regis Manasse nos docet exemplum. Hic Ezechiæ filius erat, cui nondum, vel duodecimum, vel decimumtertium agens ætatis annum successit, & qui usque ad quintum supra quinquagesimum regnavit. Prava ejus natura, quam optimi parentis sedula educatio corrigere non potuerat, sese prodidit statim ac solium obtinuit, atque intra septennium sese vitiis omnibus ingurgitavit, quæ citra horrorem in Scripturis legi minimè possunt. Mira sanè oppositio morum, ingeniorumque inter parentem, & filium! Princeps hic postquam Jerosolymam sanguine, atque subditorum innocentium cæde fœdavit, & a Deo derelictus in Assyriorum decidit manus, qui catenis onustum, Babylonem in captivitatem abduxerunt, ubi in tetri carceris squalorem conjectus fuit. In miserrimum hunc redactus statum, cum se collegit, & agnoscens Dei justitiam qua persequebatur, ad ejusdem confugit Misericordiam. Tanta hæc calamitas pravam illius domuit naturam; Regni jactura, carceris tenebræ, manicæ, compedesque oculos illius aperuerunt, ut & supplicii sui gravitatem, & scelerum suorum deformitatem intueretur. Extremo confectus mœrore Dominum deprecatus est, inquit Scriptura, eumque tunc Deum suum confessus est. Gravissimo scelerum suorum dolore actus ad pœnitentiam, veniam imploravit, neque precibus, lacrymisque pepercit, donec tandem voti compos factus fuit a Deo, qui peccatoris mortem non quærens, illum exaudiit, de carcere eduxit, ac suo regno restituit. Ille statim pro viribus malum, quod patraverat, reparare studuit: *Abstulit Deos alienos & simulacrum de Domo Domini.* *2. Paral. 33.* Delevit idola, quæ conflaverat, evertit aras, quas ædificaverat; reædificavit altare Domini, quod everterat, eique obtulit piacula, & holocausta. Præsertim verò qua edictis, qua exemplis ad idolorum cultu revocavit populum, quem suo perdiderat scandalo. Vixit adhuc ultra quadraginta annos eadem fide, in Dei cultu, in pœnitentia, & virtutum exercitatione, atque ad mortem usque perseveravit. Cum solio redditus fuit primum supra vigesimum nondum excesserat annum. Illius natura, ingenium, habitus, affectus, nondum erant ita immutati, ut in prima flagitia relabi non posset: abstinuit tamen. Cum jam detonuisset procella, atque hoc supplicio repressa fuisset natura, ad vomitum reverti poterat, nisi aliqua re fuisset prohibitus; sed dicendum est, naturam a gratia superatam fuisse.

De aliis exemplis, quæ circa ingeniorũ naturalium varietatem possent adferri. Hic nequeunt referri omnia, quæ in Scripturis inveniuntur seu bonæ, seu malæ indolis exempla. Totidem enim sunt, quot capita eorum, quos aliqua virtus commendavit; vel qui insigni alicui vitio addicti fuerunt; etenim bona, & mala natura, bona, & mala studia nonnisi ex virtutibus, vitiisque possunt dignosci; atque tam multiplex natura invenitur, quot sunt virtutes, & vitia, ad quæ natura nos trahit. Itaque hujusmodi occurrent exempla in peculiaribus virtutibus, & vitiis, de quibus in omnibus Operis hujus Titulis actum est. Suavis, atque ad benefaciendum pronæ indolis exempla in Sancto Patriarcha Joseph, Moyse, & David habemus; proditoris ingenii in Joab; ambitiosi, & crudelis in Absalone; ardentis, ac zelo succensi in Elia, & sic cæterarum virtutum, vitiorumque omnium, quæ varios caracteres efficiunt.

Salvatoris exemplum. Quemadmodum Æternum Verbum, ut Homo fieret, sibimet corpus efformare potuit, & corpus hoc perfectissimo animatum fuit spiritu; ambigendum non est, quominus Deus hic Homo factus æquissimum habuerit temperamentum, ideoque perfectissimam indolem, ac talem, qualem aptam arbitrabatur illi consilio, quo cum hominibus versaturus erat, atque ad eorum salutem adlaboraturus. Secundum felicissimam hanc naturam, efformare debemus nostram; quoniam ipsa nostrum exemplum est illius suavitatem, lenitatem, charitatem, cæterasque virtutes imitando. Dico solum, quemadmodum in lege Veteri hominum plerique ab infantia specimen dederunt virtutis ejus, quam aliquando erant in luce prolaturi, iis actionibus, quæ naturam ad magnum aliquid efformatam ostendebant? Dei Filius præter ea signa, quæ in ipsa nativitate, suæ celsitudinis præbuit, ostendit, quod ille facturus erat aliquando pro universis hominibus, propter salutem quorum in terris versabatur, clanculum a consanguineorum cœtu dilapsus, ut se in Templum reciperet, ubi interrogans Doctores legis, eorumque respondens interrogationibus, probavit, se ideo venisse ut populorum Doctor, & Magister esset, ut novam legem rogaret, atque vias salutis, quæ adhuc latebant, ostenderet.

Patientia qua ferre debemus pravum eorum, cum quibus vivimus ingenium, Salvatoris exemplo. Cum Deus simul quosdam coegisset Discipulos, ut plurimum piscatores in judiciis, affectionibus, & cogitationibus rudes, eos tamquam pater toleravit; atque veluti Magister edocuit ea patientia, qua maxime tunc indigebant: spiritus enim eorum gravis, atque terræ inhærens ad divina minimè attollebatur. Eos tamen patiebatur JESUS CHRISTUS; suaviter illos increpabat, atque tanta familiaritate, ac suavitate edocebat, perinde ac jam homi-

homines perfecti fuissent. Tamquam cum æqualibus se gerebat; illis actionum suarum causas aperiebat, tamquam sociis; illos veluti filios tutabatur adversus eos, a quibus erant lacessiti; sua illis consilia, atque altissima Regni sui Mysteria tamquam necessariis detegebat, quamvis hæc illi crassa quidem, ut ajunt, rudique minerva intelligerent. Si quando palam obscurius loquebatur, atque parabolarum involucro suæ doctrinæ secreta celabat; hæc illis seorsim enucleabat; quæstionibus eorum, licet imperitissimis, respondebat perinde ac rationis, & boni sensus essent repletæ. Quamquam eorum mores, indoles, spiritus omnino essent divinæ Sapientiæ oppositi, illorum tamen dissimulabat inscitiam, defectus celabat, imperitiam tolerabat, ferebatque totum illius conversationis pondus, quæ illi jucunda esse non poterat, nisi propter amorem, quo illos prosequebatur. Hoc magnum quidem esse debet oobis admirationis argumentum videre Æternam Sapientiam apud rudes homines verba facere de iis, quæ maximè profunda sunt, ac tandiu laborare, ut illis cœlestes veritates in pretio habendas, atque gustandas proponeret, cum momento hæc in eorum anima imprimere posset, quod mox præstitit, illis mittens Spiritum Sanctum. Ita Apostoli deinceps meminisse non poterant JESU CHRISTI, quin amore inflammarentur, & suffunderentur confusione.

Quomodo S. Magdalena, quæ natura sua ad amorem erat propensa mundanum amorem in sanctum, & omnino divinum im mutaverit.

Mente tenere minimè licet conversionem Magdalenæ, quam affabre nobis Evangelium describit, quin statim confiteamur, gratiam repente immutare posse naturam mundi voluptatibus penitus addictam, atque manciparam. Mulier hæc in Evangelio peccatrix vocatur; atque legimus Dei Filium ex anima potius, quàm ex corpore illius septem dæmones ejecisse; hoc est, ex Sanctorum Patrum sententia septem capitalia peccata, quibus erat obnosia; ideoque habebat illa naturam in omnia ea vitia proclivem, quibus anima sese potest per licentiam ingurgitare; quamquam omnium effectuum ejus vehementissimus, & qui eidem maximè dominabatur, esset ille, qui magis eum dedecorat sexum, amor videlicet inhonestus, & impudicus. Nihil non fovebat calamitosissimam hanc animi propensionem: ætas, forma, morum festivitas, ingenii hilaritas, mentis celeritas, libertas, opes, visitationes, conversationes, solatia, ita ut suipsius, suarumque actionum dominam suam securam esset naturam, quæ sese satis diuturno habitu confirmaverat. Perfrictæ jam frontis erat, ut quæcumque sibi dicerentur, & quotquot probris incompositi mores sui ipsa etiam audiente petentur, minimè erubesceret. Donec tandem JESU CHRISTI verbum, quod vel ex curiositate, vel forte auribus ejus accidit, Peccatricis hujus cor immutavit, & ex libidinosa, perditaque muliere Pœnitentem effecit, cujus cor ultra nonnisi sancto, pœnitusque divino amore flagravit. Non dicam quo pacto ad JESU CHRISTI pedes, in Pharisæi domo provoluta fuerit, quin illam moveret hominum sermo, & judicium, quod de hac actione coram tot testibus peracta poterat fieri. Animadverto solum subitam naturæ ipsius mutationem, quæ deinceps ea perhorruit, quæ antea ardentissimo amore fuerat prosecuta. Hæccine eadem est Magdalena non ita pridem formæ suæ idololatra, atque omnibus voluptatibus dedita? Hæ eadem omnino persona est, sed natura prorsus diversa. Dei quippe gratia, & divinus amor admirabilem hanc peperit mutationem.

S. Pauli Apostoli immutatio.

Neque minus admirabile est S. Pauli exemplum; hic lupus est in agnum conversus, quemadmodum quidam Sancti Patres loquuntur, & Persecutor Apostolus factus. Sacer Textus illum nobis exhibet ardenti iogenio, vel potius furibundo, sanguinem dumtaxat, cædemque anhelantem: *Spirans cædis, ac minarum in discipulos.* Sed ad unicam Salvatoris vocem, qui apparens interrogat, cur ipsum persequatur; statim domatur; iracundiæ ignis repente extinguitur; & si adhuc naturam suam servat, si æque ardens est, atque antea, ideo est, ut tantum pro victoris, Magistrique sui gloria zelum testetur, quanta rabie actus illum fuerat persecutus, ut nomen ejus suffocaret sanguine eorum omnium, qui illum secuti fuerant, atque doctrinam ejus receperant. Ejus natura sanctificata est, immutato dumtaxat objecto; & infensissimus Christiani nominis inimicus factus est Apostolorum ferventissimus: non indolem, non ingenium mutavir, sed in tanti Præceptoris schola didicit, quomodo illud in sanctiorem usum converteret.

Act. 9.

Exempla S. Matthæi, & Zachæi.

Sanctorum Matthæi, atque Zachæi exempla non minus liquidò probant, peculiaris Dei gratiæ subsidio indolem, atque naturam brevi posse mutari. Hi duo ejusdem erant characteris homines, Publicani, qui exercebant vectigalia. Quæoam sit horum hominum indoles, probè nostis; avari, negotiis suis inhærentes, lucri cupidi, atque opibus tantùm congerendis intenti. Huic autem nequissimæ cupiditati hoc proprium inest, quod cum ætate crescit, & quò plura possidet, eò plura desiderat. Quodnam igitur miraculum est insignes hosce duos publicanos videre adeo repente naturam mutantes! Alterum quidem telonium relinquentem; atque fœnoribus suis postremum vale dicentem, ut JESUM CHRISTUM secutus paupertatem amplecteretur; alterum verò statim ita liberalem factum, ut illico in arena dimidium bonorum suorum pauperibus erogaret, & si aliqua in re proximum fraudasset, illi quadruplum redderet. Nonne dicenda est gratia quodammodo naturam invertere, cum efficit, ut magistrum, consilium que mutemus?

Alia Sanctorum novæ legis exempla.

Hæc exempla dicenda non sunt gratiæ miracula, ideoque infrequentia, tot enim sunt, quot veri Christiani. Insignes peccatores omnes, qui sanctitatem adepti sunt, nonne omnes antiquos habitus suos exuerunt? Nonne vetus homo exuendus est, induendusque novus, ut sis verè fidelis? Et Dei Filius nonne ipse profitetur, opus esse, eum, qui inter illius discipulos cupit adnumerari, denuo renasci, ac vitam ducere prorsus novam? Quid isthæc innuunt? nisi amandum esse, quod erat io odio; ac in odio habendum, quod amabatur; alia prorsus habenda esse studia, novos habitus inchoandos; verbo, renascendum esse, immutandamque naturam. Hoc quidem tanto naturæ stat pretio; verùm hoc divina favente gratia, in nostra positum est potestate, ac solum Sancti Augustini exemplum qui post tot contentiones, & prælia, quæ nobis ipse describit, tandem evasit; satis probat, nobismetipsis vim esse inferendam, cum pravam habemus naturam; videlicet in vitium, ac libidinem pronam.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic argumento.

Dei Spiritus sese variis ingeniis accommodat.

HÆc omnia operatur unus, atque idem spiritus dividens singulis prout vult. Dei Spiritus magous est, qui neque sterilis, neque finibus ullis circumscriptus est in muneribus suis, non secus ac in operibus. Ideo ip gratia, non secus ac in natura non unam tantum rationem sequi tenetur; sed novit se naturæ, & ingenio, non secus ac statui, & conditioni uniuscujusque accommodare; & quemadmodum unicuique tribuit varia corporis, animique talenta, quin duo inveniri queant adeo rebus in omnibus similes, ut nullum deprehendi valeat discrimen, ita non solum gratias, atque talenta divisit, sed illa singulorum naturæ, ingenioque ita accommodavit, ut Sancti omnes diversas habeant virtutes, diversaque merita, atque diversis gloriæ gradibus sint destinati. Ideo quemadmodum eruditus animadvertit Interpres, Spiritus Sanctus in Evangelio comparatur aquæ, ex se nullam habenti formam sibi propriam, sed recipienti formam hydriarum, in quibus recipitur, & quibuscumque

figura-

figuratum generibus sese conformantis. Ita hic Dei spiritus fervidus est cum ferventibus, mitior cum iis, qui ingenio sunt moderato, ardens, ingenusque cum iis, qui sunt zelo succensi, ac multiplicem efficit virtutum ejusdem speciei, & nominis varietatem, pro varietate ingeniorum, quibus se accommodat gratia: *Multiformis gratia Dei*, quemadmodum loquitur Sanctus Petrus.

1. Pet. 4.

Quilibet natura sua uti debet tanquam adminiculo ad cœlū indipiscendum.

Similitudo quatuor animalium.... Unumquodque ante faciem suam gradiebatur. Ezechiel. 1. Quæcumque sit hominum indoles, hac uti possunt ad supremum bonum, propter quod a Deo creati fuerunt, promerendum, atque indipiscendum; quibus addere possum, naturam hanc, quam unusquisque recepit a Deo, esse etiam viam, quam illis aperuit Deus, ut illuc pervenirent. Quod innuere videntur quatuor illa animalia, quæ vidit Ezechiel, quorum primum hominis speciem gerebat, alterum leonis, tertium aquilæ, quartum denique bovis. Interpretes quidam scitè animadverterunt, quatuor hæc animalia nobis exhibere humores quatuor, quæ varia efficiunt temperamenta, & naturas, quæ magis cognitæ sunt. Quatuor hæc animalia sequebantur vim spiritus, a quo attrahebantur, quin neque dextrorsum, neque lævorsum aberrarent; ut ex hac mystica figura disceremus, licet nobis æque iracunda esset natura ac leoni, æque levis, & velox, ac aquilæ, æque lenta, ac bovi, æque tandem parum constans ac homini, qui cum ætate mutatur; si Divinus nos impellat spiritus, & gratia trahat, nos recta processuros ad terminum, ad quem nobis est contendendum. Non estis sanè ingenio magis vehementi, & acri, quam S. Paulus; magis rudi, crassoque, quàm Apostoli, cum Dei Filius eos ad sui sequelam evocavit, magis in libidinem, & voluptates proclivi, quam Magdalena; magis terræ hujus bonis intento, quam Zachæus, atque Matthæus. Quid igitur prohibere vos poterit, ne vestra natura utamini illi sanctum tribuentes objectum, gratiæ sequentes illecebram, ac viam, quam vobis ostendit Dominus, vosmet ingenio naturæque vestræ se accommodans?

Quomodo gratia cor nobis immutans efficit, ut naturam, ac studia mutemus.

Ex naturali excisus oleastro, & contra naturam insertus es in bonam olivam. Ad Roman. 11. Hæc admirabilis est similitudo, qua nos docet Apostulus, quomodo naturam immutare possimus. Vide, S. Paulus ait, in oleastro, quid sis per naturam, quam recepisti ab Adam: vide e contra ex oliva hac, quæ in bonam olivam insita est, quid per JESU CHRISTI gratiam esse valeas. Es quidem sterilis arbos, natura aspera, nihil præter acrimoniam habens, & amaritudinem. Arbor ex fructibus suis cognoscitur; temetipsum satis ex actionibus tuis cognoscere potes; ne dicas tamen, naturam mutari non posse, neque objici prava studia: *Ex naturali excisus es oleastro, & contra naturam insertus es in bonam olivam.* Cur ergo bonos fructus non affers? Nonne *socias radicis, & pinguedinis olivæ factus es*? Numquid JESU CHRISTI gratia in te minus efficax erit, quàm utilis arboris natura sylvestri trunco? Potest natura trunci hujus qualitates mutare; tuas verò immutare gratia non valeat? Oblitus es, atque altus divina hac pinguedine, pretiosoque succo, cujus infinita virtus est, & ea vis, quæ infinitè efficax esset, nisi per scelus illam evanescere sineres. Eam recipias, eique cor tuum aperias, satis est. Illam agere sinas, operationem ejus ne prohibeas; sensim in omnes animæ facultates illabetur; eisque divinas suas qualitates communicabit, quæ tuas omnino mutabat, non secus ac omnis acrimonia, naturalis amaritudo, cæteræque improbæ oleastri qualitates per arboris insitæ succum evanescunt.

Ad Rom. 11.

Nobis adlaborandū est ut naturalia studia nostra destruamus, cum prava sunt.

Ut destruatur corpus peccati. Ad Rom. 6. Corpus nostrum corpus est peccati, non solum enim in peccatum nos trahit per legem corporibus nostris dominantem, ut Apostolus loquitur, verùm etiam quia perturbatio humorum, ex quibus constat, & qui diversa temperamenta constituunt, totidem sunt peccatorum origines, vel saltem tentationes ad peccatum propter varia studia, quæ producunt in nobis. Quomodo autem hoc peccati corpus destrui potest, quandoquidem lege Dei prohibemur, ne mortem illi inferamus? Immo lex ipsa præcipit, ut moraliter destruamus illud; & si nosse cupis, quomodo hoc fieri possit, dicam; immutando naturam, vim faciendo affectionibus nostris, quæ omnes ferme tendunt in malum, nosque illuc trahunt, cum nosmet rapi sinimus naturali corporis nostri pondere; quod ideo corpus peccati vocatur.

Inanes naturæ suæ corrigendæ, vel domandæ difficultates.

Qui molesto sunt ingenio, & natura in vitium prona sæpe non audent conari, ut illam subigant, & nonnumquam se id assequi posse desperant. Similes sunt exploratoribus, qui missi fuerunt, ut terram, quam Deus Israelitis promiserat, inspicerent. Reversi coram universo populo ea, quæ exploraverant, nuntiarunt, dixeruntque se vidisse quidem terram præ cæteris uberrimam; verum simul quoque se vidisse urbes, quarum propugnacula in cœlum usque attollebantur, & quarum incolæ ad prodigium procera erant magnitudine; ideoque se arbitrari, stultum esse consilium regnum illud acquirendi. Hæc eorum figura est, qui ut cœlum acquirant, non audent vim facere inimicis illius aditum prohibentibus: qui sunt pravæ eorum affectiones, natura aspera, violenta studia, & diuturno habitu roborata. Desperant se illud assecuturos; omnia sibi videntur ardua, difficilia, intolerabilia; & eæ difficultates, quæ minimo labore vincendæ sunt, totidem sunt monstra, quibus deterrentur.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum, hujus Argumenti.

QUidquid est peccatorum in dictis, in factis, & in cogitationibus, ex illa (mala indole) oritur. August. Serm. 5. de verb. Apost.

Animæ affectus omnium sunt vitiorum & virtutum quasi quædam principia, & communis materia. August. lib. de Spiritu & anima.

Non est unde concipiat concupiscentia, nisi de te. Idem, Homil. 40. ex 50.

Sat est nobis non consentire malis, quæ sentimus in nobis. Idem, lib. de Continent. cap. 2.

Cùm nulla scientia melior sit illa qua homo cognoscit seipsum, discutiamus cogitationes, locutiones, atque opera nostra. Idem, lib. de Spiritu & anima, cap. 51.

Corrumpit quod in natura bonum est. (*Mala indoles.*) Idem, lib. 5. de Innoc.

Timore saltem frænetur, si amore non ducitur. Idem.

Quamdiu vivimus, finiri non potest, quotidie tamen minui potest, & vinci. Idem.

Attende tibi ipsi, in examen teipsum advoca, quis ipse sis; tuam ipsius naturam fac ut noveris. Basil. Homil. 3.

Nemo in vitio constitutus homo de seipso desperare velit, haud nescius agriculturam stirpium qualitates mutare. Idem, Hom. 5. in Hexamer.

Sæpè perniciosum est quod agitur, & malum esse non creditur. Chrysost. Homil. in Matth.

Volo animam primò omnium scire seipsam, quod id postulat ratio utilitatis, & ordinis. Bernard. Serm. 36. in Cant.

Dæmon illuc maximè nos impellit, quò se per seipsos inclinari perspicit; infirmitatem nostram ad arma nequitiæ suæ convertit, & ingenii nostri morbo adversus nos utitur. Sanctus Cyrillus in Joan. lib. 6. cap. 16.

Passione interdum movemur, & zelum putamus. Thomas à Kempis.

Non una eademque cunctis exhortatio convenit; quia

quia nec cunctos par animorum qualitas adstringit. Gregor. in Job. 38.

Spectandum est ad quæ nos procliviores simus; quippe cum alii ad alia natura propensi sint, id quod ex voluptate & dolore, qui nobis evenit, perspiciemus, atque in contrarium nos abstrahendo. Arist. 2. Ethic. cap. ultimo.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia fontibus ad hoc argumentum hauriri queat.

Quid sit Indoles, & natura.

NAtura in Physicis pro cujusque temperamento desumitur; ita aliquem biliosa esse dicimus natura, aliquem sanguinea, phlegmatica, melancolica &c. In Ethicis verò desumitur pro voluntatis propensione, & sæpe etiam pro inclinatione. Quod si inclinatio hæc fuerit naturalis, idem est ac propensio; sin autem acquisita, in habitum transit, & virtutem, aut vitium constituit, prout nos in bonum, vel malum impellit. Natura verò eo in sensu, in quo istic accipitur, & quatenus vitæ nostræ disciplina corrigenda est, horum omnium quædam est congeries. Hæc propriè est propensio, vel naturalis, aut acquisita inclinatio voluntatis, quæ principium habet suum in temperamento humorum, ex quibus corpus nostrum coalescit, & quod qualitatum earumdem est particeps. Hinc vernacula lingua *humor* alicujus personæ dici consuevit; hæc enim vox simul & naturale corporis temperamentum, & moralis inclinatio vocatur. Sed quia homines in vitæ suæ ratione ut plurimum sequuntur humorem, qui in ipsis prædominatur, hinc dicimus vulgò aliquem humoris esse boni vel mali, videlicet indolis suavis, asperæ, festivæ, morosæ, tristis &c.

Indoles longè differt ab affectu.

Quamvis ut plurimum non pauca dicantur, quæ æque indoli, & affectui conveniant; natura tamen, & affectus differunt inter se; quod operæ pretium est animadvertere, ut hoc in argumento ritè loquamur. Affectus est animæ motus ad boni, vel mali alicujus adspectum cum aperta quadam corporis perturbatione; quemadmodum est amor, desiderium, gaudium, spes, odium &c. Hic autem affectus, quicumque tandem ille sit, non est propriè indoles; sed inde fluit: indoles enim numquam se prodit nisi per aliquem horum affectuum, & ad adspectum eorum, quæ tamquam bona, vel mala spectantur. Ita indoles in Ethicis idem est, ac in physicis natura; quemadmodum enim natura tamquam physicarum actionum omnium principium habetur; indoles quoque locum habere debet principii affectuum omnium, omniumque actionum in Ethicis.

Ingenium hominis si consideratus tamquam persona particularis a cæteris differt.

Particularis persona, quæ differt ab iis omnibus, quæ ipsa non sunt, suum quoque habet ingenium a reliquis diversum, & quod omnino particularia in eadem ciet studia; quod efficit, ut alii alia sequantur, ut hi affectus habeant magis tranquillos, alii verò magis violentos; alii majori polleant mentis vi, lumine, & acumine, alii mentem habeant crassiorem, lentiorem, stupidioremque; alii festivi sint, hilares, omnibusque chari; alii verò tristes, mœsti, morosi, intolerabiles pro temperamento, ac humore, qui dominatur in ipsis. Illud etiam considerandum est juxta variam humorum horum immixtionem, quæ nostrum constituit temperamentum; & prout majorem hujus, quàm alterius copiam habemus, ingenia hominum non solum varia habere studia, sed variè etiam esse modificata, ut cum Philosophis loquar; videlicet, inter eos qui eidem affectui sunt obnoxii, vel eidem inhærent objecto, alios aliter eidem inhærere; quod efficit, ut tot sint hominum ingenia, quot facies, quarum nulla alteri ad unguem similis est: quod vocamus ingenium, indolem, spiritum, *humorem*, qui distinguit, & quodammodo caracterem cujuscumque constituit. Ad hæc cum per intervalla in temperamento nostro aliqua fiat mutatio; hæc in nostro quoque ingenio deprehenditur; quemadmodum docet experientia, nobis in adolescentia ea inesse studia, quæ ætate provectiori non insunt; & quodam tempore nos rebus quibusdam affici, quæ alio nihil nos movent. Hinc inferendum est, ad vitam, moresque nostros regendos quàm maximè referre, nosmetipsos cognoscere, ut sciamus, quo nostrum nos impellat ingenium.

Ut nosmet rite agnoscamus, & cognitionem hanc ad vitæ nostræ regimen referamus, sciendum est, id quod ingenium, vel dominans inclinatio in unoquoque vocatur, ad duo generatim redigi; hoc est ad bonum, malumque ingenium, ad indolem quæ ad bonum, & eam, quæ ad malum impellit. Duplex hæc ingenii, naturæque species totum partiuntur hominem, atque ostendunt, divinam bonitatem non omnibus hominibus idem fuisse elargitam; sed quemadmodum mala tantùm indoles virtuti adversatur, & obicem saluti nostræ constituit, &, ut Sanctus Augustinus ait, corrumpit quidquid bonum in natura nostra invenitur; ita hæc una nobis oppugnanda est, & subigenda. Etenim quod ad bonam indolem spectat, quæ in nobis constituit bonam, atque laudabilem voluntatem fugiendi malum, & bonum operandi, hæc non solum impugnanda non est, verùm etiam diligentissimè excolenda, tamquam arbor, quæ egregios valet fructus ferre; atque exercenda, velut frugifer ager virtutum, quæ illam perficiant exercitatione.

Duplex generatim ingenii species est.

Constans est veritas nullam in hoc mundo esse adeo perfectam, egregiamque naturam, quæ defectibus careat; & vicissim nullam adeo flagitiosam esse, quæ sua non habeat bona, & quæ Dei opem ferente gratia quæ nemini deest, non solum in bonam converti valeat, verùm etiam apta sit quibusdam virtutibus, quæ ipsam decent, & quibus aliæ accommodatæ non sunt. Deus enim, qui potentia sua omnes creavit homines, & sua sapientia disposuit, ut hæc esset admirabilis ingeniorum varietas, bonitate sua voluit etiam, ut nemini deessent subsidia ad salutem suam operandam, & quædam etiam particulares ad id dispositiones, quæ in aliis minimè invenirentur. Ingenia tenera, & ad amorem prona, ad pietatem inclinant; facilè divina inflammantur charitate; se grata præbent beneficiis, quibus divina bonitas ea cumulavit, & in meditatione passionum Domini præ dolore contabescunt. Sed quàm ægrè se a noxio amore tuentur, qui facilè eorum potitur animis, nisi sibimet caveant, & nisi ab iis absint objectis, quæ illos seducere, & corrumpere possunt? Igneæ naturæ facilè ingentem zelum concipiunt, & magna pro Dei gloria conantur; at nihilne ipsis ab hoc naturæ suæ impetu metuendum est? quam vim, ac impotentiam illis suadebit; quæ mala patere non consuevit? Hoc ipsum de omni naturæ varietate dicendum est, quod habet commune cum affectibus omnibus, qui illinc oriuntur: in utramque partem eadem uti possumus. Hoc persuasum esse debet, singulis aliquid inesse boni, quod inservire virtutibus potest, quæ illis conveniunt. Amor charitati prodest, ira zelo, tristitia pœnitentiæ, & sic de cæteris.

Quælibet natura suos habet defectus, & perfectiones.

Quantumvis improba sit natura, gratia non solum illam potest immutare, verùm potest etiam uti iisdem studiis, ad quæ hæc ipsa natura nos trahit, ad egregiarum quarumdam virtutum exercitationem; quod Theologi quidem vocant *artem insitionis*, artem videlicet inserendi gratiam naturæ; & virtutes causis vitiorum. Felicem inseritis sylvestri arbori surculum, quid inde? surculus hic felix malam arborem corrigit, & mutat; surculus insitus, atque truncus sylvestris simul suas virtutes commiscentes efficiunt commune bonorum fructuum ex utroque nascentium principium. Ita aliquando inserit Deus gratiam, & supernaturalia prin-

Gratiam naturæ inferendi secretum est, sua uti ad virtutem natura.

principia virtutum naturalibus ingeniis, quæ ultro in vitium ruunt; atque hac arte pravam eorum fœcunditatem corrigit, eaque attollit ad ferendos gloriæ dignos fructus, quemadmodum videmus in pœnitentis Magdalenæ, convertique Pauli natura.

Duo utilissima monita circa actiones, quæ a nobis naturæ impulsu fiunt.

Vix credi potest, quantum natura, ingeniumque temperamentum in virtute prævaleant, & dominentur; hinc fit quod non ita facilè natura a virtute distinguitur, quæ illi conformis est, & ut plurimum utraque simul confunditur. Non desunt enim virtutes quædam, quæ adeo naturalem habent cum peculiari quorumdam hominum indole similitudinem, ut omnes ferè mortales specie fucata sanctitatis decipiantur, atque naturam, ingeniumque pro virtute desumant. Quamobrem opus est diligenter cavere qua mente actiones singulæ fiant: sed magna quoque prudentia est, ac via sine multo labore virtutem acquirendi, vacare earum exercitationi virtutum, quæ sunt naturæ nostræ conformes. Etenim hoc pacto minori cum difficultate exercentur; facilius & vero eedit, quidquid faciendum suscipitur, constantiùs in bonis operibus perseveratur, habitus nullo labore contrahitur; Hoc spiritualis vitæ magistri nos docent; & hoc præcipuum est axioma, quod exercent in directione animarum, quæ eorum curæ sunt commendatæ.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, Recentibusque Concionatoribus loci hujus Argumenti.

Deus divinas suas perfectiones ostendit in humanorum ingeniorum varietate.

HÆc omnis ingeniorum varietas, quæ inter homines invenitur, non secus ac ingens hæc rerum creatarum diversitas, quibus totus terrarum orbis repletur, ab universorum Creatore productæ nequaquam fuerunt, nisi ut per has infinitæ ejusdem perfectiones cognoscerentur, atque ut variis modis ab hominibus ipsi serviretur, cultusque adhiberetur. Et profectò quis non admirabitur tantam ingeniorum, spirituum, talentorum varietatem? Quis non videt Nationes, atque Provincias magis ex variis suorum temperamentis, quàm ex climate, situque distingui, atque dignosci? Familias quamdam habere naturam, ita sibi propriam, certamque, ut hæreditates suas, suaque decora, immo etiam mortalium singulos potius ex ingenii sui caractere, quàm ex vultus sui lineamentis posse cognosci? Profectò nihil est hoc miraculo admirabilius; verùm si paulisper particulare æternæ hujus Sapientiæ consilium considerare velimus, videbimus, quemadmodum illa creavit tot res adeo diversas, quarum singulæ aliquam divinarum perfectionum speciem præseferunt, cum nulla earum omnes valeat exhibere; ita omnibus hominibus tribuit ingenia omnia fere diversa; ab illis enim varia exposcit officia, atque exigit, ut unusquisque pro viribus, ingenio, moduloque suo illum colat, ejusque gloriam procuret.... Veneremur hac in re divinæ Providentiæ consilium, eo quod voluerit nos hac natura, his qualitatibus, hoc ingenio præditos nasci; quia talia a nobis præstolabatur officia, & quia vult, a nobis Deum hac ratione glorificari. Mandatis illius acquiescamus; æqui, bonique faciamus hujus naturæ munus, quæcunque sit, quia ex manu ejusdem proficiscitur; profiteamur nos illam, omniaque ejus studia ad majorem ipsius gloriam, atque servitutem traducturos; cogitemus non ideo solum nobis fuisse traditam, ut tales essemus homines in terris, sed etiam ut tales essemus Sancti in cœlis: non deesse gratias profusas peculiares, quibus illa perficiatur, quas nobis tantum reservat, & quas numquam aliis impertiet: ipsum deinde nobis coronam præparare, quæ pro nobis tantum facta est; nobisque, si hac usi fuerimus natura fecundum ea, quæ de nobis habet consilia, eum gloriæ destinare gradum, qui ita nostram decet naturam, ut nostræ tantum personæ sit proprius. ***Ex Sermone 21. de Ordine P. Haineuve, ubi hoc Argumentum fusiùs pertractatur.***

Ejusdem argumenti.

Divinæ Potentiæ vestigia quædam reperimus in sublimibus, ac generosis ingeniis, quæ ad magna tantùm contendunt, & quæ nihil nisi summis laudibus celebrandum possunt efficere. Bonitatis ejusdem lineamenta quædam deprehendimus in officiosis, ac liberalibus naturis, quibus nihil antiquius est, quàm aliis gratificari. Sapientiæ intuemur indicia in ingenuis prudentibus, atque consultissimis, quæ ita negotia dirigere norunt, ut ipsos, quinam illorum futurus sit exitus, prænoscere videantur. Justitiæ ejusdem quædam videmus vestigia in rectis, & æquis ingeniis, quæ rebus in omnibus se æquos judices præbent, quin vel utilitas, vel favor in neutram partem eadem impellat; & quæ nec minimum quemlibet defectum sibi condonant. Denique nulla natura est adeo parum Dei munere cumulata, quæ non deferat semper signa quædam infinitæ ejus naturæ, quæ ideo hæc illis impressit, ut possent aliqua pulchritudinis suæ gerere lineamenta. Licet enim hujusmodi infelices naturæ non deferant apertissimos divinitatis caracteres; attamen quædam velut umbræ sunt, quibus aliæ magis commendantur. *Idem.*

Ad hominum conciliandum amorem illorum natura, & ingenium est investigandum.

Industrius homo, qui alicujus amorem sibi conciliare studet, atque in ejus amicitiam sibi aditum aperire, in id potissimum incumbit, ut naturam ejus scrutetur, ingenium, ac studia deprehendat, ut in cor ejus viam sibi pandat, quod illac semper maximè patet, cæteris verò ea partibus clausum est. Hoc est ut ajunt illum ex infirmiori parte aggredi, ut mox prout libuerit, circumferatur. Hæc illa solertia est, qua ut plurimum utitur tamquam tutissima via, quam humana prudentia excogitaverit, ut votorum suorum summam consequatur, atque ut id obtineatur, quod ab eo petimus, cujus gratiam inire contendimus: quod ita verum est, ut Deus, & dæmon, qui de cordis nostri possessione decertant, atque illud singuli in partes suas pertrahere conantur, hac eadem arte uti velint. Deus enim, qui perfectè novit omnia ejus cordis consilia, quod ipse creavit, ideoque scit quanam via sibi sit insistendum, ut de illius renitentia, & obstinatione triumphet, aptat, & accommodat gratias suas ejusdem ingenio, atque opportunum præstolatur momentum, quo videt futurum, ut cor hoc sit ad ipsum excipiendum paratius: Dæmon verò, qui nihil relinquit inausum ut cor ipsum fallat, non aliam aptiorem invenit viam, quàm illius naturam explorare, ut ea ipsi repræsentet objecta, quibus allicitur; certus se hac arte illud decepturum, atque in laqueos suos pertracturum. *Auctor Anonymus.*

Naturam nostram investigare debemus, ut vitam, moresque nostros regamus.

Ad vitæ, morumque nostrorum regimen procul dubio quàm maximè refert nosmetipsos seriò explorare, & naturam nostram attentè perspicere, videlicet studia nostra, & ingenium. Mirum fanè est, quod in hac re, quæ ad nos potissimum spectat, præ nobis alii sint oculatiores; & vicissim nos majori cura alios inspicere, & eorum studia, ingeniumque, quam proprium, velimus cognoscere. Et profectò nosmetipsos satis prodimus aliis eo dolore, quem aliis morosum, asperumque ingenium nostrum parit; servi conqueruntur, amici offenduntur, & illi omnes cum quibus versamur, illud assequuntur. Ubi bis, aut ter cum aliquo egimus; ubi duo, aut tria cum aliquo negotia transegimus; videmus statim quò illum sua rapiat natura, quanam re afficiatur, & mox illius imaginem effingimus, quæ eumdem ad vivum repræsentat; atque in hac re non sine summa cura procedimus, ne decipiamur. Verùm enimverò nostis suipsius cognitionem scientiam esse omnium non solùm maximè necessariam, sed difficillimam. Affirmo autem, scientiam hanc adeo necessariam, & parum adeo exploratam, & ad quam cæteræ sunt referendæ, in eo positam esse, ut non naturam tantum nostram, facultatesque animæ, & corporis,

ris, ex quibus constamus, investigemus; verùm etiam ingenium, inclinationem, indolem, studia; hæc enim regenda sunt, ut vitam rationali homine, & multò magis Christiano dignam vivamus. Hinc conjicite quantæ sit utilitatis ingenium suum probe cognoscere, ut quod in illo pravum est, corrigatur, quod verò bonum, excolatur.

Plurimum profectò discriminis interest inter eos, qui Ethicæ disciplinæ principia, & conclusiones norunt dumtaxat ex librorum lectione, & eos, qui experientia docti hæc sciunt, atque ex motuum cordis sui examine, atque seria consideratione didicerunt. Si enim primi possunt melius hominis naturam, proprietates, operationes, passiones, & motus appetitus definire; generatim cognoscunt quid sit homo, quid cum aliis hominibus, immo cum reliquis etiam animantibus habeat commune. Verùm si eos interroges quid ipsi sint, qua in re ab aliis hominibus sint distincti, & quinam sit peculiaris eorum caracter; fateri tenentur, curtam asse, ac modicæ utilitatis scientiam suam, eo quod se ipsos non norunt. Sed quanam via, qua ratione cognitionem hanc assequi possunt? Ego dico, o Fideles, hanc obtineri, si ab effectis de causa judicium feratur; videlicet si communes actiones nostras consideremus, cogitationes, quibus sæpius mens nostra vacat, verba, quæ ne cogitantibus quidem elabuntur, affectus, qui nos perturbant, vitia quibus sumus magis obnoxii; quippe natura, ac ingenium nostrum harum rerum omnium principium est, & causa, quæ sese per effectus maximè prodit. *Idem.*

Quanti referat natura sua bene uti ad Dei servitutem.

Si natura nostra egregiè uti sciremus, atque ea scrutari possemus consilia, quibus nos ad sanctitatem, sublimioremque virtutis gradum Deus cupit evehere, brevi sanè ad perfectionem progrederemur, atque sine multo labore ad eminentem gloriæ gradum perveniremus! Sed ut plurimum ita nostrum metipsorum nostræque felicitatis inimici sumus, ut sæpe nosmet perdamus per ea, quibus maximè uti deberemus, ut in Supremi Domini gratiam procederemus, cui omnem operam, laboremque nostrum dicare nos decet. Etenim quin naturalibus studiis utamur, ut gratiæ motibus velificemur; quæ quidem cum illis fœdus serite gestit, atque hoc pacto nobis sternere viam Cœli, ac virtutis, quæ illuc adducit: nos ut plurimum iisdem utimur ut Divinis erga nos consiliis resistamus, sanctis gratiæ motibus obluctemur, & verbo, ut rebellemus contra Creatoris nostri consilia, qui nobis naturam tribuit conformem, iis finibus, quos ab æterno pro nobis disposuit. Et sanè constans est veritas, Deum quis melius cor nostrum novit, quam hoc seipsum noverit, quandoquidem efformavit illud, atque in illo naturales has inclitiones impressit, ut illud ad eum finem deduceret, ad quem destinavit illud; Deum inquam, qui sincetè salutem nostram cupit, eidem consequenter tribuere adminicula maximè efficacia, quæ quidem non aliud sunt, quàm hæ gratiæ ejusdem ingenio, ac naturæ conformes: quibus si cor nostrum fideliter responderet, nulla ex his gratiis non esset efficax, nulla ex his inspirationibus inutilis, nulla, quæ suo careret effectu. Quod si Deus studiis nostris indulgere dignatur, ut illis suas accommodet gratias, quibus nos ad suam trahat servitutem, nonne æquum est, ut nos studia gratiæ ipsius nos attrahentis accommodemus? Si hac in re non dedignatur naturam nostram sequi, ut faciliùs aditum in cor nostrum inveniat, non ne æquum est, ut voluntates ejus sequamur; quandoquidem hac in re nostris concordant; & nonne hæc admirabilis est divinæ bonitatis erga nos indulgentia? Quid autem ut tanto beneficio pares referamus gratias minus efficere possumus, quàm naturalibus studiis uti, ut Dei gratiis consentiamus, quemadmodum gratiæ, & inspirationes illius nostris utuntur, ut nos ad ipsius pertrahant servitutem? *Idem.*

Bona, quæ ratio, & gratia e natura nostræ cognitione percipere possunt.

Naturæ nostræ cognitio non mediocris est ad malum quidem fugiendum, bonum verò amplectendum utilitas; si enim hæc natura in bonum fertur, ratio bonis illius utitur studiis, ut agat, ea ex naturalibus efficiens sancta per electionis suæ libertatem; & agens, non quod facta studiis nostris consentiant, sed quia studia nostra rectè rationi, quæ lex est æterna, consentiunt. Quod si natura hæc mala est, videlicet in malum proclivis, ratio sustinet primos illius motus, qui cum sint merè naturales, nihil adhuc criminis habent; secundos verò coercet illis minimè assentiens; sed e contra agens, per auctoritatem, quam voluntas habet in illos, & per gratiæ subsidium... Quemadmodum autem nemo est, qui licet bene natus in peccato natus non sit, ideoque qui natura sua in peccatum minimè tendat, & quamdam in malum propensionem non sentiat: licet non omnes in omnia, immo neque in eadem vitia ferantur; particulari huic inclinationi ratio nostra fidere nequaquam debet, postquam illam detegere studuit; etenim per illam appetitus rebellare contendit, per illam dæmon sæpius impetum facit, per illam denique omnia incipiunt mala. *P. Haineuve Sermone 21. de Ordine.*

Incessanter naturæ ingenioque nostro invigilare debemus.

Præter naturalem inclinationem, quæ nobis cum omnibus hominibus communis est, nosmet inordinatè amandi, & nimia festinatione temporalia bona, honores, & vitæ voluptates quærendi, habemus adhuc naturam, ingeniumque omnino peculiare, quod inclinationi cum aliis communi addit pondus, quo violenter rapimur ad quoddam vitiorum genus, vel saltem quò longè alia ratione, quàm homines reliqui, illuc pertrahimur. Quemadmodum enim habemus naturæ temperamentum & corporis qualitatem omnino particularem; habemus etiam naturalem propensionem erga ea, quæ ad mores, vivendique rationem pertinent, ita nobis propriam, ac personalem, ut per illam ab aliis distinguamur æque facilè ac per oris lineamenta, vocisque tonum dignoscendi. Cum autem naturale temperamentum corporis nostri potissimùm ab excessu cujusdam ex quatuor humoribus, ex quibus constamus, in nobis prædominantis oriatur; ita naturalis animæ nostræ inclinatio prædominantis hujus humoris vim sentit, atque potentiùs ad illud concupiscentiæ, vitiique genus nos impellit, quod cum corporis nostri constitutione majorem habet rationem, & sympatiam.... Hinc sequitur, ei, qui salutem suam operari, vitam, moresque suos regere studet, invigilandum esse, ut eò majori cura, atque solertia suam naturam subigat, quò majorem hæc imperium habet; alioquin dubitari non potest, si hæc vigilantia, & diligentia defuerit, illum quocumque in statu majus saluti suæ obstaculum esse inventurum. Hæc vis illa est, de qua Dei Filius loquitur, qua regnum Cœlorum rapitur; hæc illa est, quam nobilmetipsis inferre debemus, ut regni illius possessionem acquiramus. Opus est necessariò, ut vel natura regatur, & ratione, & gratia; vel contra rationem, & gratiam natura nos regat. *Idem in libro, qui inscribitur: Le grand Chemin, qui perd le mond, parte secunda, propositione secunda.*

Natura nostra, ac studia statui, & conditioni nostræ sunt conformanda.

Insignis prudentiæ effectus est, atque sapientis indicium consilii in id incumbere, ut natura, studiaque nostra statui, conditioni, ac muneri nostro accommodentur, ita ut iis tantùm vacemus, quæ ad unam ex tribus hisce rebus referuntur. Namque ulla ne res est, quæ majorem conflet indignationem, quæ majorem sibi conciliet contemptum, quæ magis mortalium omnium censuræ se objiciat, quam videre hominem aulici mores præseferre, mundi ritus affectare, postquam Ecclesiasticam amplexus est professionem? Alium privatas persequi injurias, cum Magistratus auctoritatem obtinet, atque juris dicundi provincia eidem est demandata? Alium denique se nobilem ostentare, cum nullum a natura bonum sortitus sit? Suam hujus-

hujusmodi in occasionibus indolem sequi, atque suo ingenio obtemperare, idem est ac aliam personam induere, ut omnino alius ab eo, qui es, videaris; omnes urbanitatis leges subvertere, ac sese omnino insanum declarare. Quamobrem cum omnes ætatis industriæque nervos intendere debeamus ut naturam nostram formemus, vel reformemus, cum aliquid in illa regendum, & corrigendum est, nihil æquius est quàm illam statui, & conditioni nostræ conformare ad majorem ejus gloriam, qui nos ad hunc statum nasci voluit, atque naturales nobis contulit qualitates, ut illius adimpleremus officia. Et profectò si eo constitutus in loco sum, ubi teneat eos admittere, ac audire, quibus mecum res erit, nonne mihi naturalis cohibenda est inclinatio, qua fortasse recessum, & quietem diligo? Si Ecclesiasticus, vel Regularis sum, atque natura mea me in hominum cœtus, & sodalitates trahit, nonne opus est, ut meam vivendi rationem status mei muneribus conformate percipiam? Si ad aliquem dignitatis gradum evectus sum, nonne opus est, ut natura mea nimium levis, & facilis se ad eam gravitatem componat, quæ ad decorem servandum requiritur? Si superbus sum, ingenioque tumido, & conditio mea obedientiæ, atque submissioni me subdat, nonne opus est, ut naturam banc cedere, ac sese submittere cogam? Si in foro aliquo judicis munere perfungor, atque ea indole sum, qua aliis placere, omnibus gratificari gestio, nonne opus est, ut severior fiam, ut utrique parti æquum me judicem præbeam, ideoque consuescam nihil gratiæ, nihil favori tribuere, licèt amici, optimatis, potentis alicujus viri precibus, commendationibus, imperiis sollicitet? *Ex eodem partim in compendium coactum.*

In muneris sui exercitatione secundum naturam agendum non est.

Licet sua semper sit consulenda natura, ingeniumque, ubi munus, & vitæ hujus status eligendus est; sapiens nihilominus consilium est nihil secundum naturæ impetum, libidinemque in hujus muneris exercitatione aggredi; sed semper secundum rationis, officiique normam operari, alioquin periculum adest non solum graviter peccandi modò per negligentiam, modò per festinationem juxta ingenium, quod nobis aderit, verùm etiam omnem vitæ nostræ rationem perturbandi: itaut omne actionum meritum amittatur, quin Christiano more, & secundum gratiæ lumina agamus, & quin ut hominem decet operemur, cæcum secuti naturam brutorum instar, quæ naturæ suæ instinctum tantummodo sequuntur; quod proculdubio gravissimum est vitæ nostræ malum, longè perniciosiores gignens effectus. *Idem.*

Prava natura maximum semper est virtuti obstaculum.

Qui pravum habet ingenium, malamque naturam, huic res est cum valido, & periculoso inimico; quamvis enim verum sit, eos omnes, qui ab ipsa nativitate improbam indolem sortiti sunt, non semper improbos esse; omnium tamen hominum docet experientia, indole hac illos in malum ferri, ac fere semper a virtute deflecti. Hic domesticus hostis est, qui vel idem est cum concupiscentia, quæ in malum nos rapit, vel saltem qui ejusdem fructus est ex infelici ea radice in lucem editus, & educatus. Quamobrem non minus hunc hostem oppugnare, & superare tenemur, quam maxima quælibet vitia: quia nos ad illa impellit; quia eum illis conspiratione facta consentit, & cum vitium ingenio, ac naturæ nostræ conforme est, longè difficilius est ab illo abstinere. Bona indoles e contra, locuplesque natura proculdubio insigne Dei munus est, in nobis nobilem constituens inclinationem, qua malum quidem fugimus, bonum verò optamus. Hæc autem natura non solum oppugnanda non est, sed immo diligentissimè excolenda velut arbor, quæ eximios potest ferre fructus, sanctificanda est nobilissimarum virtutum exercitatione, atque attollendæ actiones, quæ naturales, ethicæque tantummodo sunt, cum ratione, atque natura duce fiunt, non autem ob causas prorsus supernaturales. *Liber, cui titulus: La Guerre aux vices, prælio 45.*

Natura bona cœli munus est, sed facilè eadem abutimur. *Sap. 8.*

Certo certius est, egregiam naturam eximium Cœli munus esse, ab hominum sapientissimo inter præcipua Dei beneficia adnumeratum: *Sortitus sum animam bonam*, eamque Theologi inter prædestinationis signa recensent. Et constat ratio; bona quippe natura non aliud est, quàm docilitas quædam in iis omnibus, quæ recta ratione docentur; & cordis inclinatio, atque propensio bonum quidem appetens, malum autem perhorrescens: quæ quidem optima est ad morales virtutes dispositio, & facili negotio ad christianam, & supernaturalem virtutem deinceps attollitur. Accidit tamen eventu contrario, qui ostendit, Deum nulla qualitate naturæ, quæ in nobis eniteat, sed unicè mera ipsius misericordia, & bonitate ad gratias suas nobis elargiendas excitari: Accidit, inquam, egregiam quamlibet naturam, non ideo semper gratiæ muneribus esse cumulatam. Quot enim videmus, qui per ignaviam inutiles efficiunt egregias dotes, quibus ab ipsa natura donati fuerunt, vel etiam qui illas in interitus sui instrumentum convertunt? Quosdam videmus, in quorum fronte pudorem, atque modestiam depictam esse fatereris; pietatem in corde impressam, atque sculptam; quosdam, quorum animos fortitudo videtur ita confirmasse, ut nullis umquam terreri possint periculis; & in quibus naturalis elucet æquitas, quam satis numquam possumus admirari: attamen ut hæc egregia natura corrumpatur, satis nonnumquam est cum pravis hominibus societatem inire, vel malum aliquod objectum intueri. *P. Antonius a S. Martino a Porta ex Carmelitarum Familia parte tertia ejus libri, qui inscribitur: La Conduite de la Grace, Tractatu 1. art. 2.*

Deo districtam reddituri sumus rationem, si natura nostra malè usi fuerimus.

Nulla natura ita est in bonum proclivis, & in virtutem prona, quam vitium corrumpere nequeat, & quæ gratiæ auxilio, & singulari Cœli protectione non egeat, ut se tueatur, & qua homines passim non abutantur. Aliudne requiritur ad hoc probandum argumentum, quàm vos ipsi, Auditores, si ita infelices fuistis, ut optimam vitæ vestræ partem inter vitia, & crimina transigeretis? Deus vobis sublimem, & perspicacem mentem concesserat, qua difficillima quæque penetrare possetis; ut Dei magnalia meditaremini, atque ita dignum gloriæ ipsius instrumentum fieretis; vos autem illam adhibuistis, ut novos ejus lædendi modos excogitaretis: vobis generosum tribuerat animum, quo affectus vestros frænare possetis; eodem verò estis usi contra mentem ipsius, atque ut divinis voluntatibus ejus vosmet opponeretis: vobis ingenium mite, ac facile, jucundam, officiosamque largitus indolem fuerat, & quin hac uteremini, ut alios ad virtutem pertraheretis; vosmetipsos voluptatum illecebris trahi passi estis: omnibus naturæ bonis, totidem veluti Cœli muneribus cumulati fuistis, quæ vobis maximam ferre poterant opem ad Cœli ipsius acquisitionem promerendam; hac enim mente vos illis cumulaverat Deus: sed hæc omnia non profuere, nisi, ut vos nocentiores, & in noxis vestris magis efficeret inexcusabiles. Quam enim excusationem afferre potestis Deo erga vos adeo liberali, postquam beneficiis adeo eximiis vosmet ingratos præbueritis? Quid illi respondebitis objicienti innumeros mortales, qui saluti suæ consuluerunt, licet tot bonis, atque auxiliis caruerint? Quis pudor, quæ pœnitentia, quod tot salutis adminicula in irritum abire passi estis; quod in æternam calamitatem lapsi estis, cum adeo facili, modicoque labore salutem vestram operari poteratis; quod in ea scelera cecidistis, quæ vos ipsi horrebatis, & quæ iterum animo repetere non potestis, quin rubore plurimo suffundamini: qui adhuc effectus est bonæ indolis, qua toties abusi fuistis: *Quomodo cecidisti de Cælo Lucifer*? Heu Felix ingenium, quod ita corrupistis? Egregia indoles, talentum tam variis muneribus aptum; quo- *Isaia 14.*

nam

Ezech. 18. nam hæc omnia bona abierunt? *Perdidisti in decore tuo sapientiam.* Hoc ingenium vestrum, hæc natura facilis, & jucunda, hæc ægregia indoles vestra vos perdidit; non enim illa in eum finem usi estis, propter quem a Deo receperatis. *Desumptum partim ex eodem.*

Ipsa etiam bona natura regenda est prudentia, & ratione perficienda.

Si in variarum naturarum divisione a Deo instituta, felix nobis sors obtigit, & singulari gratia ad bonum impellimur; si temperamentum, ac indoles nostra nos arcet ab iis vitiis quibus plurimi sine verecundia, metuque seipsos mancipant; si malum ita perhorrescimus, ut ne minimam quidem labis hujus suspicionem ferre valeat conscientia; si ea nati sumus æquitate, eaque integritate præditi, ut quidquid vel minimam proximo afferre potest injuriam, sive in bonis, sive in honore, atque existimatione, nos illico perturbet, ac prohibeat, ne ulteriùs procedamus; prudentia tamen, & ratio naturam ipsam regere debet; nisi ex semet ruat in actiones, quæ bonæ quidem sint, sed nimis naturales, efficiatque, ut temperantes, modesti, liberalesque simus ex natura, non ex virtute, vel ex virtute merè morali, qualis fuit in pluribus Ethnicis, vel, ut Sanctus Paulus ait, efficiat, ut potius boni simus ex ingenii, quam ex voluntatis nostræ æquitate. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciant. Auctor Anonymus.*

Ad Rom. 2.

Ex prava ipsa natura, inordinatisque studiis fructum percipere possumus.

Providentia omnia tanta cum sapientia disposuit, ut nobis integrum sit ex naturæ nostræ pravitate, atque studiorum nostrorum pravitate, non modicum fructum percipere, eas corrigentes; atque earum clade utentes, veluti gradu, quo ad justitiæ cumulum evadamus. Hæc severa quidem, sed æquissima est Dei dispensatio, quod homines in pœnam superbiæ protoparentis sui licet inviti, obnoxii sint secretæ propensioni, quæ illos in peccati corruptionem detrahit, & quod Jebusæus semper adsit in finibus Israel. Verum profectò est Sacramenti Baptismo perfractos fuisse compedes, in quos originis nostræ calamitas nos conjecerat, at Deus hoc nobis studium relinquit, quod ad sensuum illusionem nos trahit, ut decertare teneamur, atque gloria nostra purior evadat, ac dignior, quæ coronetur. Hoc autem intelligendum est non solum de concupiscentia, quæ generatim in omnibus hominibus invenitur, verùm etiam de ingenio, ac natura, quæ singulorum particulatiter propria est, & quæ cum in malum est prona, vocari posset secunda concupiscentia, quæ nobis propria est, vel quæ illam, quæ toti mundo communis est, peculiari naturæ nostræ determinat, nobis ea studia, vota, & affectiones tribuens, quæ in nobis solum, eadem saltem ratione, inveniuntur. Particularis autem impressio, ac propensio illa, quam nobis tribuit hæc in malum prona natura; non secus ac generalis inclinatio, quam originale peccatum in nobis reliquit, esse potest meriti occasio, pugnæ causa, ac triumphorum materia: Expetit, ut jugiter nobismetipsis invigilemus, docet, ne nobismet confidamus, nosque palpemus; denique pro nobis est jugis humilitatis, mortificationis, patientiæ, heroicarumque virtutum exercitatio. *Ex Auctore Anonymo.*

Iis vacare debemus, quæ propriis sunt characteris nostri, atque naturæ nostræ conformia, dummodo licita sint.

Unusquisque suum ingenium noverit, & ad id se applicet, quod sibi aptum elegerit. Itaque quid sequatur priùs consideret. Non solum noverit bona sua, sed etiam vitia cognoscat; æqualem se judicem sui præbeat, ut bonis intendat, vitia declinet. Alius distinguendæ lectioni aptior, alius psalmo gratior, alius exorcizandis, qui malo laborant spiritu sollicitior; alius sactario opportunior habetur. Hæc omnia specter sacerdos, & quod cuique congruat, id officii deputet. Quo etenim unumquemque suum ducit ingenium, aut quod officium decet, id majore implet gratia. *Ex S. Ambrosio de Offi iis lib. 1. cap. 44.*

Quilibet secundum ipsius naturam regendus est.

Quemadmodum longè alius ab aliis sum propter naturam meam; ita affectiones meæ studia habens adeo mihi propria, & naturalia, ut ad me tantummodo spectent. Hæc autem natura, a gratia temperata, atque ad ordinem supernaturalem evecta constituit etiam discrimen virtutum, atque meritorum in Sanctis, quorum ne unus quidem est, qui similem habeat; verum etiam efficit varietatem viarum interiorum, ac spiritualium. Hinc Sapientes animarum directores hac veritate ducti, nequaquam omnes indiscriminatim moderantur; sed pro naturarum, talentorum, & gratiarum distinctione, quam deprehendunt in illis, quos Spiritus Sanctus ad illos adducit ad virtutem, pietatemque formandos. Ad hoc suum dirigunt regimen, consilia, monita, atque remedia secundum singulorum vulnera, & hortationes secundum personas applicant. *Pat. Haineuve Sermone 21. de Ordine.*

Modus naturam sua cognoscendi.

Ut naturam vestram rite assequamini, quin Physionomistas, vel Medicos consularis, vel intra vos ratiocinemini de variis humoribus, ex quibus vestrum constat temperamentum; animo reputate præcipuas vitæ vestræ actiones; ac memoria ea peccata repetite, in quæ sæpiùs lapsi estis. Considerate quonam ex parte Dæmon vos aggredi consueverit, videte imbecillitatem vestram; verùm virtutem quoque vestram intuemini: considerate ad quam virtutem vestra vos impellant studia; a quibus vos amoveant vitiis, & in quæ trahant; & ex hisce omnibus circumstantiis naturæ vestræ qualitatem cognoscite; ut si ea bona sit, non abutamini eadem; sin autem mala, eam nova vivendi ratione maturatò corrigatis. *Idem.*

Parvum ingenium nostrum causa curarum nostrarum.

Indoles maximam constituit partem earum curarum, quibus & ipsi torquemur, & alios vexamus, quantumvis misera sit conditio nostra, rarò ea accidunt, quæ nos molestia afficere, ac verè nos affligere possunt. Quidquid dicant homines, quorum assidua est querela; ingentia mala accidunt infrequenter, non secus ac ingentis lætitiæ causæ rarò contingunt. Itaut si in murmurationem, atque impatientiam erumpimus, potior ut plurimum naturæ nostræ causa sit tribuenda, quàm malis, quibus obruimur. Si qui nostrum sequamur ingenium, agimus secundum moderationis, atque sapientiæ consilia; jam sexcenta negliguntur a nobis, quæ alioquin nobis crucem figerent. Hæc per pravam dispositionem, quæ in nobis est, amplificamus; nobis molestiam afferunt, quia illa nobis molesta esse volumus; & de illis ideo conquerimur, quia querulus vocis tonus ei quadrat ingenio, quod dominatur in nobis. *Ex libro, qui inscribitur: Les devoirs de la vie Civile, tomo 2. 6. parte cap. 1.*

Mala indoles nostra sæpe aliis gravis est.

Vulgò non putant homines gravem defectum, suo subditum esse ingenio: Attamen si res propiùs inspiciatur, inveniemus, id genus homines aliis graves esse, & cum eorum explorata natura est, paucissimos sibi conciliare amicos, & eos etiam, inter quos erat antea necessitudo, sensim amitti. Oris habitus indifferens, & nonnumquam etiam inurbanus; crudeles molestiæ, quæ temerè nobis ingeruntur, & quarum in moribus nostris frustra scrutamur originem; tepor, vel festinatio nimia, quæ nobis ostenditur, blanditiæ, quibus importunè excipimur, atque tunc temporis, cum par pari referre non possumus; hæc omnia ex præsenti dumtaxat temperamenti nostri dispositione proveniunt, quæ cum bona, vel mala sit, prout astum in nostrum agit temperamentum, vel pro lætitiæ, vel mœroris, quæ nobis inesse putamus, argumentis; proculdubio sequimur dispositionem hanc in iis omnibus, quæ a nobis fiunt; & indiscriminatim placemus, & displicemus, prout illa tulerit, quin ferme sese nostra immisceat intentio. *Idem.*

De animi libidine, ac naturæ impetu.

Animi libido naturæ effectus est, impetusque, propter quem semper extra locum, tempusque operamur. Per hanc largimur, quin aliquis petierit, vel gratiam habeat; & inurbanè respuimus, quidquid cum justitia, & honestate postulatur. Hujus

viæ mortales rebus in omnibus nullum tuentur ordinem. Non desunt, qui per occasionem id eunt cedunt, quod alii per æquiratem facere nequeunt, quominus concedant, & qui æs alienum ita dissolvunt, ut eleemosynam erogare videantur. Non desunt alii, qui blanditiis onerant eos, quos neque æstimant, neque amant, quin ulla vel urbanitatis, vel utilitatis ratione ducantur; & qui e contra illis obtrectant, quos habent in pretio, & quibus arctissimis vinculis conjuncti sunt. Fateri quidem necesse est, magnum esse hisce hominibus malum, hanc sortitos indolem esse; eorum quidem officia nullam ipsis laudem conciliant; beneficia verò gratum animum excitant in iis saltem, qui illos minime ignorant. *Idem*.

Pleræque actiones a nobis fiunt, quia ita natura fert, non suadet ratio.

Nequaquam miramur hominum actiones ita esse varias, quandoquidem ab eo pendent principio, quod æque inordinatum est, ac ingenium nostrum. Deliberare quod faciendum sit, rectum sensum consulere, veritatem inquirere, ea abjicere præjudicia, quæ ritè ratiocinandi libertatem auferunt, hoc nimis molestum erit, nimiique laboris opus; semper mentem cordis affectioni submittimus, eamque hujus imbecillitati accommodamus. Quamobrem temere primum sympathiæ, vel antipathiæ motum sequi; ob leves, futilesque causas maxima quæque negotia suscipere; inanissimæ circumstantiæ rationem habere, ubi tot aliæ desunt rationes, quibus adhærendum esset, ut alia prorsus insisteretur via; æquitatis ordinem invertere; Religioni, consanguineis, & amicis deesse; denique pro re nullius momenti, & cujus rationem habendam censemus, quia præoccupati fuimus, suiipsius penitus oblivisci; hi sunt hominum mores, hæc idea est inconstantiæ mentis eorum & cordis. *Idem*.

Indignum est homines in honore constitutos ex ingenii libidine operari.

Homo hic, inquiunt, optimus est; dummodo velis temet illius ingenio accommodare, atque opportunum, commodumque fandi tempus invenire scias, nihil est, quod ab illo frustra desideres. Opusne est, homines hoc insignitos caractere, a quibus cæteri pendent, & ad quos in negotiorum suorum periculo sæpe tenentur confugere, ex ingenii sui libidine omnia vel concedere, vel respuere; & in honorum muneribus persungendis, atque in distribuendis gratiis minimè sequi justitiam, atque rationem? Intervalla hæc, atque hæc ingenii inconstantis libido, ut plurimum indigitant animam inordinatam, atque ab affectibus suis agitatam. *Idem*.

Non desunt qui defectuum suorum culpam in suam rejiciant naturam.

Nihil inter mortales vulgarius est, quàm defectuum suorum culpam in suam naturam rejicere; ideoque ab ipsis spetandam non esse correctionem, quandoquidem naturam mutare non possunt. Inanis prætextus; a quonam hæc admittetur excusatio? Tandem enim ingenio nostro resistere minimè possumus; & hoc satis esse putatur, ad gravissimos excusandos defectus; hæc natura mea est; hoc ingenium meum. Nonne videmus imbecillas, gracilesque corporum constitutiones labori, atque vili cibo assuescere? Nonne plurimi ex utroque sexu cum post teneram institutionem mundo abdicarunt intra sex menses gravissimis austeritatibus assuescunt? Nonne alios novimus, qui cum igneo essent temperamento, moribusque feris, indomitisque, mansuescunt, ac humanos esse discunt; postquam mundi errores abjicientes, sese ad Deum omnino convertunt, & austeræ, atque mortificatæ vitæ genus amplectuntur? *Idem*.

Pravum ingenium nō semper est effectus temperamenti.

Neque putes pravum ingenium semper temperamenti esse effectum. Læsa imaginatio sæpe triste in nobis ingenium ciet, quod nos perturbat, ac tantum affert molestiæ, quantum si alicui essentiali causæ inniteretur. Verbum in lævam partem desumptum; oculorum conjectus malè explicatus, actio temere, ac sine ulla ratione, tamquam ex prava intentione proficisci credita efficiunt vulgò, ut illi, qui alioquin præoccupatam habent mentem, & quorum imaginatio facili negotio re quacumque excitatur, lævum induere videantur ingenium, quod fantasticus genius vocatur. *Idem*.

Non satis est bonos esse, quod naturam habemus in bonum proclivem.

Virtutem diligere, eo quod ingenio sumus tristi, & voluptatum inimico; merito nobis vertere, quod sobrii, castique sumus, quia ea sumus natura præditi, quæ nihil inordinatum pati potest; hoc sanè est exiguo sumptu virtutem acquirere, ac de eo gloriari bono, quod fortuitò dumtaxat possidemus. Sed virtutem amare propter ipsam, & quia ejus amore illecti sumus, naturalibus studiis vim facere, ut divinæ legi obsequamur; ubi muneribus nostris persungimur nihil nobis proponere, vel valetudinis rationem, vel hominum laudes, vel aliquam utilitatem; verbo virtutem ratione, non natura duce sequi, eam sequi quanmmvis magis nobis stet sumptibus, quia hoc & Deo, & nobismetipsis debemus: hoc est esse verè virtute præditum, hoc illud est, in quo verum meritum consistit. *Idem Tomo* 1.

Quædam sunt virtutes naturales, quæ speciem tantummodo virtutis habent.

Certum est quasdam adesse virtutes naturales non secus, ac defectus; vel potius quædam studia, naturalesque facilitates ad nonnullas virtutes exercendas. Non desunt, qui sibi plaudunt, ob quamdam vitæ mediocritatem ab omni labe vacuam; quia cum sint frigida, tenera, ignavaque corporis constitutione, citra difficultatem intra hoc vitæ genus consistunt. Non desunt plurimi, qui sinceri videntur, & qui nihil dissimulare possunt; quia ad hoc opus est, ut meos sit semper attenta, sibique invigilet; ideoque id genus homines defectibus tantùm suis debent eas qualitates, propter quas habentur in pretio. Non temperamento, neque defectibus suis verè Christianus virtutem suam debet; cum redargui minimè possit tamquam iners, dissimulatus, flagitiosus, nec aliquid illi objici quod sit contra jus, & fas; bona illius facta non naturæ, neque inclinationi accepta referenda sunt; sed legi, a qua ne latum quidem, ut ajunt, unguem, seu difficilis, seu facilis sit, recedere patitur; sed severitati, qua pravam naturam impugnat, ubi prava sit; sed curæ, qua fideliter divinæ legi vult adhærere. *Idem*.

Perfectum meritum in eo positum est, quod studium nostrum cum officio, & lege fiet conformemus.

Cum naturam nostram, in sensus proclivem agnoscimus nihil melius conari possumus, quàm illam pro virili ad virtutem convertere, atque præsertim illam rationi, divinæ legi, nostroque officio subjicere. Non sufficit bene agere, quia ita naturæ studium fert; immo dicere possumus, qui hoc egerit, dimidia tantum ex parte bonum operari; opus est, ut quidquid fit, ratione, Deique regatur imperio. Hoc potissimum efficit hominem virtute præditum coram Deo, qui toto cœlo exiguam anteferet actionem pro sancta aliqua causa susceptam alteri cuipiam longè majoris momenti, vel magis insigni, quæ tamen ex naturali tantum studio proficiscatur. Verumtamen semper operæ pretium est scire, quodcumque sit illius boni pretium quod ratione officioque duce facimus, ubi animi studium desit numquam adeo exquisitum, acceptumque esse, ac illud, quod utraque fit causa; atque affirmare possumus ex duarum harum rerum concursu extremam illi perfectionem accedere. *Idem*.

Temperamentum sæpe causa est vitæ flagitiosæ.

Prava vivendi ratio non semper oritur ex corde penitus corrupto, & quod nullum boni gustum percipere valeat; ut plurimùm effectus est modicæ considerationis; quæ in omnibus actionibus adhibetur, & qua de nulla re judicium ferentes stupidè propria sequimur studia, propriamque naturam, quin ad examen revocare velimus, quod faciendum aggredimur. Hæc omnia temperamentum producit; cum nimis vividum est ad ea nos trahit, quæ nocent; cum nimis iners, ac frigidum, efficit, ut ea, quæ utilia essent, negligamus. Illud satis agnoscimus, ut eidem medeamur, si cupimus: sed ut plurimum vis, quæ nobismet esset inferenda, majus malum videtur; quam sit bonum, quod inde perciperemus. *Idem*.

Defectus quidam a natura profecti.

Non desunt res quædam, in quas tantam vim obtinet natura, ut hujus impetus superare vix liceat; quod cum omnino non pendeat a nobis, natu-

corrigi omnino nõ possunt, sed possunt imminui.

naturæ vitium est, cujus non sumus participes; ideo nobis nequaquam integrum est, ab eodem prorsus abesse; nondum enim inventa est ars naturam ipsam penitus evertendi; & gratia eadem, cui nihil est arduum, hoc ne conatur quidem. Resistere quidem illi possumus; illam quodammodo immutare possumus; at eadem semper manet, quidquid obluctemur. Non desunt etiam motus adeo violenti eo tempore, quo illa pacatissima existimatur, ut spiritus ipse, & ratio præoccupentur, antequam sibi cavere potuerint. Sed quæcumque tunc in nobis sit perturbatio, atque mutatio; ubi semel ratio magnam sibi in cor auctoritatem comparaverit; quamprimum sese colligit, suasque vires resumit. Ideo impetus illius non adeo diuturnus est, ac rarò funestos parere effectus intuemur. Immo e contra, quibus promptior est spiritus, & vividior natura, de his mihi minus desperandum esse videtur; quandoquidem admirabilem fundum præseferunt. *Idem*.

Illis, quibus prava indoles est, omnia accidunt permolesta,

Nonnulli generatim ob omnia tristantur, sibi dicta putant, quæ proferuntur, quin ne animus quidem illis advertatur, & qui pravam inveniunt intentionem in illis, quæ minime possunt alicui peculiariter applicari. Si in colloquiis proclivior accidat sermo de hominum improbitate, ac nequitia generatim, credunt se data opera indigitari; atque existimant in se deprehensa fuisse vitia, quæ improbantur, atque sumptibus suis tempus teri. Hinc asperi sunt, atque molesti, & in iis, quæcumque faciunt, interlucet semper morositas quædam, & iracundia, quin liqueat quò spectet. Hinc aliis in occasionibus, aliisque sub prætextibus succensent illis, de quibus ipsis oborta suspicio est, quasi eos lacessere voluerint; quæ res illos querulos efficit, injustos, atque ultores, immo etiam proditores iis in occasionibus, in quibus tibi minime caves, quia ab illis nihil tibi cavendum arbitraris. *Idem*.

Prava indoles, libido &c.

Non desunt homines ita tristis ingenii, ut omnia mundi gaudia veneno adspergere valeant, ita inconstantes, ac morosi, ut ad eos accedere minimè valeas, ac nescias quanam ex parte illos aggrediaris, ut eos rationi submittas. Ubi cum illis negotium aliquod transigendum est, si pacem servare cupis, cedere debes, quidquid volunt: etenim nulla in re ipsi aliquid remittunt, & postquam omnia feceris, ut illis placeas, conqueruntur adhuc, quasi a te indignè habeantur. Si hujus viæ mortales satis intelligere possent, quanto digni sint odio; fortasse humaniores sese præbere adniterentur, neque intumescerent tamquam tyranni, qui sese terribiles illis præbent, cum quibus rem habent. *Abbas de Bellegarde, Tractatu de Adulatione*.

Varia sunt hominum ingenia.

Omnes homines suum habent ingenium, propter quod in hanc, vel illam partem inclinant; fere semper vel nimium, vel nimis modicum habent spiritum; vel nimis afficiuntur, vel nimis parum. Omnia extrinseca objecta, ut plurimum sunt, naturales humani cordis tyranni, & vix ullum reperies, cujus recta ratio dominetur naturæ, cordi, menti, imaginationi, sensibusque ejusdem ministris. Sed sine causa ibi videtur mobilis inæqualitas, quin ulla videatur ratio decies in singulos dies ingenium mutandi. Non desunt alii, qui cum malo possidentur ingenio, omnia improbant, atque vituperant, nihilque bonum, vel speciosum inveniunt; & qui e contra ubi jucundo, hilarique ingenio sunt, omnia temere laudant, & nihil improbandum existimant. *Ex Anonymo Auctore*.

Prava natura nostra efficit, ut omnes a nobis fugiant.

Quereris, quod tibi molesti sint homines, atque te ad iracundiam provocare conentur: verùm nonne improbitas tua has tibi molestias conciliat? Quereris quod tibi fidem abrogent, quod te lacessant; sed mores tui inurbani, atque inofficiosi; hæc tua agendi ratio, qua tot ornatissimos viros flocci facere videris, nonne tuæ officiunt existimationi? Quereris, quod te evitent, atque tecum necessitudinem inire detrectent; at nonne ex illis es alienarum voluptatum osoribus, qui censoria nota, sermonibus, improbisque judiciis virus adspergunt suavitati integerrimarum, sanctissimarumque societatum? Quereris, quod ea in domo, ubi a nutu tuo omnia pendere deberent, te inconsulto fiant omnia; atque in odium tui omnia fieri videantur; verùm nonne ex eorum es numero, qui contradictionis spiritu, numquam in aliorum abeunt sententiam, vel qui ita mordicus suo inhærent sensui, ut inde numquam divelli patiantur? *P. Aurelianensis Sermone de amore proximi*.

Ingenium triste pietati oppositum.

Tristitia nonnumquam diffidentiæ cogitationes immittit, atque fidem labefactat. Solitudo in delitiis habetur, tristes tantum cogitationes aluntur, futurum tantummodo cogitatur judicium, minæ, quas peccatoribus intentat Deus, inevitabilis eas effugiendi necessitas, infirmitas subsidiorum, quibus adjuti illas evitare valeamus. Non solum propriis diffidimus viribus, qui quidem humilitatis quidam veluti sensus haberetur, sed divinæ etiam gratiæ, quæ impia est diffidentia. Imaginatio fervescit, turbatur, terrorem incutit; minimum quodlibet crimen augetur, atque fit inevitabilis causa damnationis: perterretur conscientia, nullumque vel ab homine, vel a Deo auxilium nacta vergit in desperationem. Anima retro hoc obsessa ingenio nihil in se reperit, quod ipsius dolorem non augeat. *Ex libro, cui titulus: Tractatus de Conscientia, lib. 2. cap. 2.*

Vitium optimam quamlibet naturam corrumpit.

Quod egregiam quamlibet naturam corrumpit, vitium est, quod pravis habitibus suis, Deique supplicio penitus prævertit hominem, qui se eidem mancipavit; ita ut qui exempli gratia iratus est, furens fiat; quemadmodum e contra virtus illum perficit, & mirum in modum commendat effectu quodam, qui ipsius proprius est, & præmio, quod tribuit Deus illis, qui sese in eadem exercent. *Auctor Anonymus*.

Egregia indolis bona.

Insigne profectò bonum est sine labore in virtutem pronum esse, atque mihi videtur hic esse fluvius lenis, atque tranquillus, qui naturalem secutus cursum inter ripas virentes, floribusque depictas suaviter defluit. E contra verò illi, qui rationis usu virtutem assecuti præ reliquis magis præclara opera efficiunt, mihi videntur tamquam adspergines illæ, ubi ars naturæ vim facit, & quæ postquam in Cœlum usque salientes ascenderunt, sæpe ad minimum quemlibet obicem desinunt fluere. Non desunt homines, quorum quælibet studia bona sunt; sed qui, eo quod superiori quodam spiritu destituti sunt, in quadam virtutis mediocritate consistunt, quæ efficit, ut ita dicam, ut in studiis optimis dormitent, quin super cæteros sese attollere quærant. Deinde verò propriè loquendo insignem non meretur laudem, qui sua trahitur natura ad aliquid boni faciendum. Nascimur cum iis studiis, quæ nobis immittere superis placuit; neque eorum vel laudis, vel probri in partem accedimus, nisi ex quo rationis usu compotes sumus. Ad id usque tempus omnia nullo nobis sunt in discrimine; deinceps verò sumus rationem reddituri eorum omnium, quæ vel bene, vel malè gessimus. Tunc nostra refert videre quænam studia sequi, quænam impugnare debeamus, & postquam verum gloriæ cognoverimus iter, in eo incedamus, quæcumque in nobismetipsis repugnantia inveniantur. *Ex Anonymo Auctore*.

Descriptio naturæ in virtutem pronæ.

Vix insignis hic vir primos pueritiæ attigit annos, cum plurima tradidit suæ pietatis indicia, atque ea in ætate, ubi in aliis natura vix suam ostendit industriam, gratia provectius ædificium ostendit. Quilibet perfecti viri facta admirabatur in puero: atque in ipsa annorum imbecillitate elucebat spiritus subtilis, & acer. Ibi præcox videbatur virtus, quæ nihilominus nullis obnoxia defectibus deprehendebatur. Inter tot præsagia, quæ pollicebantur futurum, ut aliquando inter specta-

tissimos ætatis suæ viros enitesceret, temperare non poterant homines, quominus vicissim sibi dicerent, quemadmodum olim quærebatur de S. Joanne Baptista, statim ac in lucem prodiit: *Quis putas, puer iste erit? Ex Vita Cardinalis de Berulle, lib. 1. cap. 2.*

Luc. 1.

Bona natura Dei munus sit, at metuendū, ne naturaliter tantum agatur.

Videmus ingenia quædam in bonum prona, & malum horrentia; ingenia ita felicia, quemadmodum ea Sanctus Thomas appellat, ut eorum studia cum virtute aliquam habere sympathiam, & affectus cum ratione consentire videantur. Non desunt profectò hujusmodi ingenia, quæ, ut vulgò dicunt, peccati Adæ fuisse videantur expertia. Verùm mementote hoc Cœli donum esse, & gratiam, quæ naturalis dici potest, & quæ cum grati animi sensu Deo accepta est referenda. Adhæc triplex bonitatis genus distinguite, quæ non semper in subjecto eodem simul inveniuntur. Alia bonitas physica est, vel naturalis; altera moralis vocatur, tertiam, si per vos mihi liceat, Christianam vocabo. Dubitandi locus non est, quominus natura hæc adeo justa, temperata, commoda, sit Dei munus, quo nos donaverit ad ea, quæ de nobis fovet consilia adimplenda, itaut cum Sapiente dicere possis; *Sortitus sum animam bonam.* Verùm hæc bonitas naturalis erit dumtaxat, nisi alio ad virtutem agaris principio, quàm humana ratione. Ut ergo Christiana fiat, quid faciendum? Opus est, ut JESU CHRISTI spiritu animetur; ut secundum illius fidem vivatur, ut in gratiæ statu sis, & supernaturali ratione ductus opereris. Difficile autem est, nisi jugi attentione omnibus naturæ, gratiæque motibus in ipso te invigiles; difficile, inquam, est, agnoscere quonam principio ductus tuis actionibus vaces; utrum dumtaxat, quia ita ingenium fert, an quia sola ratio suadet, an verò quia te gratia, & JESU CHRISTI spiritus agit. Et sanè quantum facile est secundum naturam, vel sola rationis lumina operari in iis rebus, in quas nostra nos agunt studia; tantum difficile est cognoscere quonam acti principio operemur. Hinc fit, quod bona hæc natura seipsam facile decipit, ex meris naturæ agens principiis, cum putat se ex gratiæ motu operari, & cum reipsa non aliam habet, quam naturalem hanc bonitatem, cum virtutis habitum se habere arbitratur. Similitudo, & conformitas, quam felix ingenium habet cum virtute, efficit ut alterum pro altera desumatur. *P. Camaret in libro de puro, perfectoque Christianismo.*

Sap. 8.

Ingenium in vitia pronum ubi ad virtutem sese convertat constantius est.

Hoc quidem consideratione dignum est, atque illis consolationem afferre debet, qui puerorum erudiendorum curam susceperunt; videlicet cum ingenium parum docile, luminibus gratiæ rebelle, & in omne vitiorum genus proclive, ingenium, quod tamquam pravum, ac indocile respicimus, semel ad virtutem convertitur jugi cultorum vigilantia, ut plurimum constanter in virtute persistere: Hoc non ita facile mutabit formam. Quemadmodum videmus, ut ex lapide, vel ligno rudi elegans fiat simulacrum, pluribus cœli, malleique ictibus opus esse, plurimum temporis, ac laboris requiri, sed ubi fuerit elaboratum, non amplius figuram amittere, neque ita facile lineamenta insculpta deleri: ita præter propter in rudi, difficilique natura, quæ gratiæ impulsibus non movetur, accidere consuevit; ubi semel bonam formam induerit, non adeo facile amittet illam, quia cœlo, ut ita dicam, impressa est, multoque labore, ac tempore insculpta. Abscindendum est secundum; naturæ vis est inferenda, ac superanda subjecti, in quo laboramus, renitentia. *Idem.*

Ingenium magis suave, commodum & felix magis colendum est quam quodlibet maximè asperum, atque indocile.

Satis illud apparet discrimen, quod inter mitia ac docilia, & inter aspera, difficiliaque intercedit ingenia. Illa intuemur tenera, & in bonum prona, ad quod alia ne moventur quidem; Non deest illis suavitas, officiositas, comitas, cum interim in his nonnisi asperitas impetus, ac inurbanitas deprehendatur. Illi affabiles sunt, faciles, officiosi; hi verò inculti, crudeles, contemptores, quin alicujus rationem habendam esse arbitrentur. Hoc discrimen est, quod facile deprehendi potest: Fateor ergo ingenium hoc, quod æquum est, & naturam hanc adeo facilem, quæ non rationi, neque virtuti resistit, maximum esse bonum, Auctoris naturæ beneficium, gratiam, ut ita dicam, naturalem; verùm animadvertite suavem hanc, facilemque naturam, & quæ bona vocatur propter facilitatem hanc, qua in bonum vergit, non minorem habere facilitatem in malum; eamque utrinque æque flexilem esse; a primo loquente vinci, ab altero in aliam partem inverti, a tertio superari. Ita bona hæc, facilis, commodaque natura facile alienos imbuit sensus, bona erit cum iis, qui virtute sunt præditi, flagitiosa cum perditis; sors, occasio, sodalitates illam pro re nata, malam, improbamque efficient. Igitur colenda est, gratiæ ope confirmanda, bono exemplo, christianarumque virtutum exercitatione regenda. *Idem.*

Summus requiritur labor, ut ingenia quædam ad virtutem formentur.

Cogitate quantus requiratur labor, ut ex informi trunco, rudique marmore egregium simulacrum educatur. Comparationem hanc nostro argumento applicate: Eam nobis suggerit Augustinus, atque se ipsum profert in exemplum. Eram, inquit ille, distortus arboris truncus, nulli utilis rei, nisi in ignem conjiciendus, cum divina tua gratia, Salvator adorabilis, me vidit in nemore, cumque prævidisset, se ex hoc trunco efficere posse imaginem, quæ te referret, informe hoc lignum, quod minime merebatur, ut in eodem tuus labor exerceretur, summa cura dolavit. Truncus hic ingratus, ac stupidus quin gratiæ lineamenta reciperet, ictibus ejusdem obduruit, manumque repulit a qua tangebatur. Quot divinæ hujus gratiæ ictus in irritum abiere? quandiu ille restitit tibi? Arboreus tamen truncus, ac lapis nonnisi sua duritia obluctatur; sed artificis manum minimè fugit, neque contra eumdem insurgit; gravissima etiam patitur vulnera, quacumque in parte secetur: Ego verò toties gratiæ tuæ obluctatus sum; illam repuli, illam elusi, ictum illius declinavi. Ita præter propter Sanctus Augustinus laborem, qui ad efficiendam naturam bonam requiritur; bonum nonnisi summa cum difficultate illuc ingreditur, cum interim malum ibi semper facilem sibi aditum inveniat. *Idem.*

Difficultas corrigendi naturam violentam, ac vitiosam.

Ut ea corrigatur natura, quæ violenta est, aspera, iracunda, impudica, aut in aliud quodlibet vitium prona, necessariò cum gratiæ operatione hominis etiam cooperatio requiritur. Quomodo autem? Per actus contrarios asperitati, iracundiæ, impudicitiæ; contrarium enim nonnisi altero contrario corrigitur. Opus est, ut natura hæc iracunda, violenta, impudica leniatis, patientiæ, ac temperantiæ actibus exerceatur; quod ita necessarium est, ut alioquin, quod petitur, nequeat obtineri. Verùm ut illud fiat, ullone opus esse conatu arbitramini? Heu! Hæc sola cogitatio, quod nobismet vim debeamus inferre, terrorem incutit; ubi adsit occasio, vix ad breve temporis intervallum affectum compescere, vocem cohibere, ac nos prohibere possumus, quominus aliquo gestu, qui elabatur, nostram significemus iracundiam. Quid ergo erit contrarios actus efficere, in labiis mellita dumtaxat, officiosaque habere verba, injuriam illatam pati, hilari vultu eos, a quibus contumeliis afficimur, excipere? *Idem.*

Sæpe naturalia studia tamquam gratiæ effectus putamus.

Passione interdum movemur; & zelum putamus, inquit Auctor de Imitatione JESU CHRISTI. Nonnumquam passionem ipsam zelum esse arbitramur, & fallimur. Sancti Joannis, Fratrisque ejusdem, qui de Cœlo ignem detrahere cupiebant in quoddam Samariæ oppidum, quod fores suo obstruxerat Præceptori, hoc satis probat exemplum; uterque enim ab ipso Dei Filio correpti fue-

fuerunt: *Nescitis cujus spiritus estis*. Quod Sanctus hic Vir de zelo ait, dici quoque potest de iis omnibus, quæ a nobis fieri bona videntur secundum ingenii felicis inclinationem, & studia. Passio plerumque, natura, mera humana ratio nos agit, non autem gratia, & quod hæc satis distinguere non possumus naturalem hunc sensum pro supernaturalis virtutis habitu accipimus, & nihil pro Cœlesti gloria meremur. Natura bona iis, quæ ad Deum pertinent, afficietur; fluent ex oculis lacrymæ, ubi audierit Dominicæ passionis historiam. Hæccine vera pietas est? Nonne hic sensus est teneræ indolis, quæ ad ea objecta, quæ misericordiam ciere consuevit, maximè flectitur? Si non ita facile altera ab altera operatione distinguitur, si in hoc sita est discretio spirituum, quæ est scientia eorum, qui in viis Domini illuminati sunt, & qui jam perfectionem attigere; putasne in praxi te minus illusioni obnoxium fore, si propriis confidas luminibus, quin illuminati directoris consilia sequaris? Tandem fieri potest, ut natura in bonum proclivis salutis animarum, ac reformationis morum zelo succensa videatur, severiorem tantummodo sequatur medicinam, ac bellum indicat cuilibet relaxationi, veteris dumtaxat pœnitentiæ rigores loquatur, absolutiones negatas, anathemata, reformationes, austeritates. Hæccine verus est zelus? Hæccine scintilla est divini illius ignis, quem Dei Filius in terras attulit, & quo mortalium omnium corda conflagrare desiderat? Equidem nescio: aliqua profectò species veritatis adest; sed vereor, ne immodico huic zelo sese immisceat natura; vereor ne ingenium naturaliter feverum, & ferox, ardens temperamentum, ac bilis accensa principium sit horum dogmatum, & consiliorum, potiusquam gloriæ Dei, atque salutis proximi desiderium. *Nescitis cujus spiritus estis.... Passione interdum movemur, & zelum putamus. Idem.*

Felicia ingenia sæpe solidas virtutas acquirere negligunt.

Illud verum malum est, quod felicia hæc ingenia eo sensu præoccupata, quem de se ipsis habent, atque eo præclaro testimonio, quod sua sibi perhibet conscientia, bona videlicet sibi tantum inesse studia, omnesque cordis eorum motus ad virtutem esse conversos; hanc adipisci non curant, quia sibi persuasum est, se illam possidere. Bona indoles, tenera, & quæ orationis suavitate perfruitur, facile se devotam existimat: felix ingenium pacatum, quod sine tumultu amabili gaudet quiete, sibi non deesse patientiam arbitratur; illud verò, quod ex toto corde in opera bona pronum videtur, nonne præclaram habet occasionem Deo gratias agendi, quod ita ipsum imbuerit charitate? Ita omnia hæc bona ingenia in egregia hac, quam de seipsis habent sententia, vel potius in hac illusione quiescunt, & virtutem putat, quod mera natura est, rebusque in omnibus ex hoc tantum principio operantur. *Idem.*

Natura bona facile corrumpitur.

Quod autem pertinet ad hæc ingenia, quæ bona vocantur, quia vel ex se mala non sunt, vel quæ cæteris sunt minus mala; certum est in illa malum facilius, quàm bonum obrepere; faciliùs enim vitium, quàm virtus discitur, quamvis virtus naturali rationi sit magis conformis, & vitium eidem sit omnino contrarium; quia magis secundum sensus, quàm rationem vivimus, & plures nobis occurrunt occasiones, quæ in malum, sub aliqua boni specie nos agunt. Natura bona, ut alibi dictum est, speculo similis est, quod omnia repræsentat objecta, quæ sese offerunt illi; ut mala sese frequentiùs offerunt, quam bona, & præterea mala magis sunt efficacia ad mali vestigia imprimenda, quàm bona, ad boni relinquendam imaginem. Hoc ipsum dicendum est de bonis, malisque exemplis erga hæc ingenia adeo facilia, quæ ad eum boni, tum mali recipiendas imagines dispofita sunt; bonum ibi nullam relinquit impressionem diu permanentem; malum verò ibi lineamenta quædam indelebilia relinquit,

quemadmodum non desunt objecta, quæ obscurant, atque corrumpunt specula, a quibus repræsentantur. *Idem.*

Nulla adeo prava natura est, quæ ubi excolatur, corrigi nequeat.

Nullum vitium est, neque natura ulla adeo improba, quam divina favente gratia corrigere nequeamus. Rerum naturæ corrigendæ artem invenimus: exempli gratia (hæc est Sancti Basilii similitudo) hinc quidem malus punica acerba, inde verò amygdalus prorsus amara; alterius quidem acrimonia, alterius verò amaritudo; ut ita dicam, est earum natura; & adinventa fuit ars, qua harum arborum fructus mites fiant, atque, ut ita dicam, naturam ipsam, non multo labore, permutent. Quod autem industria, atque agricultura præstat ars in harum arborum natura, id gratia, nostra accedente cura, in hominum ingeniis præstare non poterit? Nemo igitur desperat, licet imperfectissimus sit, sciens animarum culturam non minus validam esse ad pravas quidem qualitates illis auferendas, bonas verò injiciendas, quàm sit cultura plantarum. *Idem.*

Facilè est corrigere pravà puerorum naturam.

Nulla adeo rudis, & aspera natura est, quæ tandem non poliatur, atque mansuescat, si maturato adlabores; dexteritate, ac methodo opus est. Diligens cura, ubi de pueris instituendis agitur, numquam caret effectu. Pueri ceræ mollis instar, quamcumque imprimas figuram admittunt. Nihil facilius est, quàm cordibus hisce adhuc tenellis pietatis sensum Dei metum peccati horrorem, amoremque virtutis immittere. Si pueri cum lacte, ut ita dicam, hæc Religionis præcepta exsugerint, nullum est, quod flecti nequeat, ingenium. Pietas effeatissima quoque cicurit ingenia. Illis virtutis gustus immittatur, quamptimum officiisæ, urbanæque vitæ rationes, politioresque artes edifcent. Sæpe in ingenii indocilitatem rejicitur modicus, qui ex educatione percipitur, fructus, sed injutia. Num in pueris instituendis ea insistimus methodo, de qua sumus locuti? Numquid sedulò illis virtutem infundere, eosque ad pietatem formare sumus adnisi? Hæc immo nobis negotium nequaquam facessunt; & post hæc miramur, si provectiori ætate nihil ferme religionis habeant, si naturam habeant rebellem, indocilem, omnis austeritatis inimicam, in vitium, omniaque flagitiorum genera pronam? Quisnam alius expectari potest fructus ex ea negligentia, qua illorum indolem corrigere; atque ad virtutem convertere, & illis bona instillare principia contemnimus? *P. Croiset Tomo 2. Considerationum Christianarum.*

Varia ingenia ad virtutem formandà, quod studium operamque requiris.

Non desunt ignita quædam ingenia, quæ statim ignem corripiunt. Numquam læduntur, quin aliqua existat scintilla. Hæc statim profectò extinguitur; adolescentum ira præceps est, sed brevis, levitas in omnibus ferme illius affectibus invenitur: attamen sæpe una satis est scintilla, ut magnum excitetur incendium; natura iracunda, ac violenta, sæpius causa est pœnitentiæ. Non desunt vehementia, ac fervida ingenia, quorum ardor sæpe inordinatus considerationem prævertit, neque alteri cuipiam rei prodest, nisi ut in majorem lucem eorum producatur imprudentia. Non desunt timida, infirmaque ingenia, quæ ut ita dicam lucem timent! Omnia illis terrorem incutiunt. Præcepta correptiones esse putant. Exempla illos adigunt ad desperationem. Quot præclare ingenia latent sub obscura timiditate sepulta? Non desunt ingenia, quibus mira inest hilaritas, atque jucunditas, & quæ risus tantummodo jocosque requirunt. Vim sibi inferri oderunt, ac majorem semper libertatem inquirunt. Correptio parum mœroris illis adfert, eaque minus adhuc corrigit. Omnia, ipsæ etiam nugæ, illis solatium adferunt, & in iis etiam, quæ magis seria videntur, eorum interlucet hilaritas. Alii prorsus oppositum habent characterem. Tristes, mœsti, cogitabundi, qui propter luminis defectum nulla re afficiuntur, & quibus atrum prædominatur temperamentum. Ratio semper ex animi sui libidine pen-

pendet, Sunt etiam ingenia molesta, importuna, pertinacia; nihil nisi arte, ac vi inde elici potest, Diceres hoc unum ipsis placere, displicere aliis. Pravum ingeoium hominem efficit iostabilem, spiritus imbecillitas, pertinacem; neutrum virtuti idoneum est. Occurrunt etiam ingenia adeo aperta, & quorum studia adeo pertinaciter feruntur in malum, ut difficilè reformari valeant, Nisi scita regantur manu, in irritum cedit educatio. Adsunt quoque inordinata temperamenta, quæ optima etiam alimenta pervertuot, atque corrumpunt. Denique inveniuntur etiam corda ita bene efformata, animæ ita bene natæ, ingenia adeo felicia, ut dicere possimus, parvolo eis stare impendio virtutem, & nihil reliquum facere educationi. Sed quàm rara sunt! hæc tamen indigent adhuc cultura; pulcherrimum quodlibet ingenium parum est, nisi summa cura perficiatur. Hæc sunt diversa ingenia, quibus excolendis est adlaborandum. Opus sæpe ingratum est, semperque difficile, & in hac multiplici naturæ varietate, quænam sunt adhibenda remedia. *P. Croiset in Christianis Considerationibus, Tomo 2.*

Varia, quæ occurrunt ingenia, quæ difficile, ac molestum efficiunt cum mundo commercium.

Scire debes in omnibus societatibus inveniri homines inurbanos, & qui verbis, moribusque suis accidunt permolesti; alii inconstantes sunt, vani, litium amantes; alii jocari, subsannare, obtrectare, censoria nota perstringere, omnibus generatim adversari gestiunt; alii maledici sunt, invidi, suspiciosi, tumidi, superbi; qui sui rationem haberi ab omnibus, ac se nemini rationem habere cupient. Occurrunt alii vel oimis pertinaces, vel nimis indifferentes, vel oimium seduli, vel nimium inconsiderati. Verbo; hoc persuasum esse debet ex tot mortalibus variæ indolis, cum quibus versandum est seu propter urbanitatem, seu propter consanguinitatem, seu propter negotiorum necessitatem, sæpe accidere, ut ne unus ferme quidem sit, cum quo consuescere oblectemur, & cum quo rem habere minime pigeat, Quid ergo faciendum? Toleranda sanè sunt hæc ingeoia, quæ nobis sunt antipathica, & illud Apostoli servandum præceptum, *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Joannes Picus in libro, cui titulus, Puerorum Educatio.* Ad Gal. 6.

Ad omnium amorem conciliandum nosmet omnibus ingeniis accommodare debemus.

Certa promerendæ existimationis, atque amoris mortalium omnium via, est habere mite ingeoium, quod cum omni hominum genere se facile accommodet, atque propriam, ut ita dicam, naturam exuere, ut nosmet cooformemus alienæ. Christiana Religio, immo etiam vera urbanitas, non petit, ut illis conformemur, quorum indoles, ac studium est nostro conforme, sed generatim ad omnes extenditur, neque minus sese conformat illis, quibus ignota est, quàm illis, qui mutuis officiis par pari reddere noruot, *Idem.*

Ut quieti vivamus, ac fruamur pace, alieno nosmet conformare debemus ingenio.

Vobis persoasum esse debet, non posse in vitæ commercio felices esse, quin io via sexcenti vobis occurrunt, qui nulla ex parte placebunt, & quos oeque in pretio habere, neque amore mutuo complecti potestis, Attamen cum iisdem ita vivendum est perinde ac vobis placerent, eosque rebus in omnibus proberetis. Hæc una superest via, ut quietem habeatis, ac pace fruamini, Sapientes homines cum id genus mortalibus sese conformare norunt, qui ullam oomioìs jacturam patiantur. Vel omnioo vivendum est seorsim ab hominibus, vel superanda est hæc difficultas, quæ in pravis aliorum ingeniis perferendis occurrit. *Idem.*

INDULGENTIÆ, JUBILÆUS.

Eorum Institutio, Bona quæ inde proveniunt &c.

MONITUM.



Rgumentum hoc pertractantibus nonnulla præcavenda sunt. Primùm Indulgentiarum virtus, & efficacia ita statuenda est, ne Auditoribus præbeatur occasio negligendi pœnitentiam, & satisfactionem, quæ divinæ Justitiæ debetur. Alterum, ne earum potestas vitæ imminuatur, ut illas ad nihilum redigere velle videamur, quod faciunt nonnulli, qui affirmant, iis tantam inesse vim, quanta severitas inest pœnitentiæ, quæ easdem concomitatur. Tertium denique est insignis hujus muneris, quod nobis conceditur, pretium, & bona, quæ per illud excipiuntur ita exaggerare, ut simul ostendantur etiam conditiones, eidem inhærentes, & in nobis requisitæ; quæ si desint, quantumvis plenariæ sint Indulgentiæ, alii quidem eas nullo pacto lucrantur, alii verò non alium inde referunt fructum, nisi qui par est fervori, ac fidei, qua eas conditiones adimplent.

Discrimen quod Jubilæum inter, & Indulgentiam, tunc potissimum cum plenaria est, intercedit, cum essentiale non sit, sed in exterioribus dumtaxat circumstantiis consistat, utraque simul consociabimus; re enim ipsa unum & idem sunt. Animadvertendum tantumodo est, cum harum rerum usus primis Ecclesiæ temporibus fuerit infrequentior, mirum esse non debere, si Patres de illis pauca dixerunt, & si nos paucos eorum locos afferemus: verum supplebimus validis rationibus ex Conciliorum auctoritate, ac celeberrimorum Theologorum sententiâ desumptis.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Sermonum hujus Argumenti Systemata.

I. 

Um plurimi nullo in discrimine habeant Indulgentias, seu quod earum pretium ignorant, seo quod vix persuadere sibi possunt Deum ita benignum, ac liberalem esse, qualem Indulgeotiæ illum suppoount, & haberi voluot; operæ pretium mihi videtur perspicuè id explicare, quod ad Indulgentiarum veritatem, & usum pertinet, Hoc autem ostendendum suscipio triplicem hanc veritatem exponens, ubi quidqoid hoc in argumento alicujus est momenti, contioetur. Prima est; Salvatorem cujus infinita sunt merita, Ecclesiæ reliquisse thesaurum satisfactionum uberem adeo, & affluentem, ut abunde supperat, oode peccatorum totius mundi satisfactionibus supplere valeat, quaotumvis enormia

eorum

eorum crimina extiterint. Altera est, JESU CHRISTI Vicarium thesauri hujus clavem habentem, ejusque dispensatorem ita nobis applicare posse JESU CHRISTI satisfactiones, ut ad extremum usque quadrantem ea dissolvi possint, quæ divinæ justitiæ debemus. Tertia est, preces, vel opera bona a sancto Patre præscripta, esse necessarias dispositiones, & conditiones, quæ ad has lucrandas Indulgentias requiruntur.

Prima adeo perspicua est; ut nullis indigere videatur argumentis. Memoria satis est repetere, cum Sanguis JESU CHRISTI verè sit Dei Sanguis, unam quamlibet illius guttam infiniti esse pretii, propter unionem, quam habet cum persona Verbi, ideoque unicam ad totum mundum redimendum suffecturam fuisse. Cum ergo ille totum effuderit, nequaquam æquum est, ut magnus hic meritorum, & satisfactionum thesaurus, quem nobis comparavit, & qui tanto illi stetit pretio, inutilis sit. Restat ergo in Ecclesia, & quia infinitus est, omnia omnium peccatorum peccata illum exhaurire non valent. Hæc una sufficit ratio, & demonstrativa est. Hoc tamen non prohibet quominus in divitiarum thesaurum hunc componentium additamentum passiones, & satisfactiones Deiparæ Virginis, Martyrum, Sanctorumque omnium, qui divinæ justitiæ plus persolverunt, quàm eidem deberent, accedant, & quominus hoc ipsum auctarium applicari valeat nostrarum satisfactionum defectui in supplementum. Hoc autem scitè amplificandum est, ac in lucem suam proferendum.

Ad alteram veritatem confirmandam paulò major difficultas invenitur: probandum enim est JESU CHRISTI Vicarium ab eodem JESU CHRISTO potestatem excepisse fidelibus thesaurum hunc distribuendi, eosque ideo ab omni pœna, etiam temporali, quæ eorum peccatis debita est, liberandi. Hæc autem veritas probari potest, 1. ex potestate, quam Dei Filius contulit S. Petro, atque in ejus persona omnibus successoribus illius, cum
Matth. 16. dixit: *Tibi dabo claves Regni Cœlorum; quodcumque solveris super terram erit solutum, & in Cœlis; quodcumque ligaveris super terram erit liga-*
Joan. 21. *tum & in Cœlis .... Pasce oves meas*. Quid est autem Cœli claves habere, nisi illud aperire posse, & auferre quidquid illius aditum obstruit? Quid autem prohibere potest, ne animæ justæ de corporibus egressæ statim ingrediantur illuc, nisi temporalis pœna illis luenda? Qui igitur Cœli claves accepit, accepit etiam consequenter potestatem obicem hunc auferendi. 2. Si Filii Dei satisfactiones satis superque virium habent ad scelera nostra expianda; quod abundat, interire non debet, quia ad nos pertinet, nobisque est maximæ utilitatis. Opus est ergo in terris aliquem esse, qui tamquam fidelis œconomus constitutus sit ad eas prudenter, prout opus tulerit, dispensandas. Sed cuinam æquius hæc deferri potestas debet, quàm illi, cui eamdem Salvator ipse contulit? Ita Sancto Petro nequaquam majorem tribuimus auctoritatem ea, quæ ab eodem CHRISTO JESU eidem collatam accepimus, &c.

Quoad tertiam a nobis propositam veritatem, videlicet, Supremum Pontificem has concedéntem Indulgentias, præsertim verò Jubilæos, quasdam conditiones requirere, atque præscribere preces, bona opera, jejunia, eleemosynas, Templorum visitationes pro iis, quos habet fines, & quæ sunt rationes, quibus actus hos aperit, distribuitque thesauros ostendendum; ut horum participes fieri possimus, requiri 1. ut simus in statu gratiæ; ideoque præcipit, tamquam primam conditionem, ut Fideles ad Pœnitentiæ Sacramentum accedant, & adorabili Salvatoris corpore se reficiant. Summa diligentia, devotione, atque pietatis sensu ea præstanda sunt, quæ fusius in Bulla notantur, atque ubi hæc præsolvuntur officia eædem habendæ sunt intentiones, quas habet ille, ut unanimi, conflatoque consensu a Deo precibus obtinere conemur, quod ille petit, & flagitat. Finis concioni faciendus est, ostendendo quonam in pretio tantum hoc boni habendum sit, ac hortandi fideles, ut nihil prætermittant tanto munere perfruituri.

Jubilæus, qui hoc tempore per intervalla pro Ecclesiæ necessitatibus conceditur, comparari potest cum Jubilæo, qui in veteri lege celeberrimus fuit; ostendendo hunc similia nobis, sed toto cœlo præstantiora bona conferre. Hæc autem bona in Isaiæ Prophetæ verbis continentur dicentis a Deo missum fuisse: 1. ad liberandos captivos, 2. ad debita dissolvenda, 3. ad ægrotantium vulnera curanda; quæ verè ea sunt, quæ annuntiatus nobis procurat Jubilæus; & quibus perfrui in nobis est positum. II.

1. Nobis procurat libertatem, & Ecclesia hac in occasione suam adhibet potestatem, ut carceres aperiat; inferni quidem peccatorum culpam remittens per Pœnitentiæ Sacramentum, quod eo tempore præcipit tamquam necessariam dispositionem ad lucrandum Jubilæum illis, qui in mortali peccato versantur; purgatorii verò omnem remittens pœnam, cujus debitores sumus divinæ justitiæ. 2. Nobis debitorum nostrorum remissio annuntiatur; etenim ex inexhausto satisfactionum, atque infinitorum Hominis Dei meritorum thesauro depromitur, unde illa dissolvantur, quin nonnisi modico nobis labore hæc stet dissolutio. 3. Ibi valida, & præsentissima remedia nanciscimur ad conscientiæ nostræ vulnera curanda, quæ quidem sunt scelera nostra, atque ad nos imposterum ab iisdem præservandos.

Cum Jubilæus fidelibus concedatur, ut cum Deo peccator redeat in gratiam, perfectamque cum illo pacem constituat; Concionator hac in occasione legati nomen, & auctoritatem potest induere, ideoque tria hæc illi obeunda sunt munera ad eam pacem spectantia, quam sancire conatur? III.

Primò media pacis efficiendæ proponere debet; idque faciam naturam explicans Jubilæi.

Secundò exponere debet causas pacis, & ingentia bona, quæ utrique parti cessura sunt: quo munere perfungar in altero puncto, rationes afferens, quæ ad Jubilæum lucrandum excitare homines debent.

Tertiò pacis conditiones debet declarare; quod tertio exequar puncto id explicans, quæ nobis ad Jubilæum lucrandum imperantur. *Ex Sermone P. Texier hujus argumenti in Dominicali Tomo 2.*

Concionis hujus argumentum est duo ostendere, de quibus neminem audii funditus loquentem, & quæ nihilo minus maximi momenti mihi videntur. IV.

Primum respicit Ecclesiæ mentem, & potestatem in thesaurorum suorum dispensatione per Indulgentias plenarias, & Jubilæos.

Alterum respicit particulares clausulas, & circumstantias in Pontificum Bullis pro lucrando Jubilæo constitutas. In utroque invenietur unde fideles ædificari possint, & edoceri. *Ex propositione prima Joly hujus argumenti.*

In Jubilæo lucrando tanta percipiuntur bona, ut nemo fidelis sit, qui 1. sive Dei Misericordia, 2. sive propria ejus utilitas, 3. sive commune Ecclesiæ bonum spectetur, ad illud lucrandum potenter non invitetur, & urgeatur. Hæc tria possunt esse puncta concionis. *Idem propositione secunda.* V.

De dispositionibus ad Jubilæi gratiam recipiendam afferendis. Potissimæ duæ sunt, quas satis erit proponere tamquam partes totius orationis. VI.

Prima, opus est esse in statu gratiæ; qui enim in statu peccati est, hic frui minimè potest iis bonis, quæ Jubilæus nobis procurat.

Altera est, pœnitentiæ spiritum habendum esse; nam sine hoc spiritu nulla datur temporalium pœnarum remissio: ideoque nullus est Jubilæus. Duo hæc explicanda sunt, ac diligenter enucleanda. *Idem propositione tertia.*

Quid est Jubilæus, & qui fructus inde percipitur. VII.

tur. Ex parte Dei pax est perfecta; & misericordiæ superabundantia. Hoc prima in patte videbitis. 2. Quænam sunt conditiones ad Jubilæum lucrandum necessariæ? Ex parte nostra est sanctitatis, & perfectæ conversionis habendæ obligatio. Hoc in altera parte. *Ex Dictionario Morali Sermone primo de Jubilæo.*

VIII. 1. Jubilæi gratia tanta est, ut satis æstimari non possit felicitas nostra, qui eamdem lucrari possumus. 2. Jubilæi gratia quamvis exiguo ster labore, non tamen ita facile, uti existimatur, illam assequimur. *Idem Sermone primo pro Jubilæi conclusione.*

IX. Cum Jubilæus, quem nobis offert Ecclesia, ratio sit populos omnes ad pœnitentiam invitandi, quæ ex semet semper gravis, acerbaque est:

1. Ostendam priori in puncto, quomodo illius austeritas per Jubilæum imminuatur; ideoque nullam esse excusationem, nullumque prætextum, qui prohibeat quominus divinæ satisfaciamus justitiæ, cum ejus leniendæ via adeo facilis, & efficax nobis aperiatur. 2. In altero puncto videbimus, quandoquidem Deus adeo parum dignatur accipere pro tot peccatorum satisfactione, nobis pro virili adnitendum esse ut hoc præstemus ea, qua fieri poterit, diligentia, & fidelitate. Hoc pacto felicem illum efficiemus consensum, de quo loquitur Propheta, divinæ videlicet justitiæ, atque miseri-
Psal. 84. cordiæ: *Misericordia, & veritas obviaverunt sibi. Auctor Sermonum in omnia Ethica Christiana argumenta Tomo 1. argumentorum particularium.*

X. Plurimi de Indulgentiis loquuntur ignorantes inæstimabilem thesaurum, qui nobis offertur; illum autem tribus Concionis hujus partibus ostendam, ubi provinciam ingredior explicandi.

1. Quid sit Indulgentia, & cuinam rei innitatur. 2. Quanti facienda sit; & quàm maximè nobis intersit eamdem lucrari; 3. Quid ad eam lucrandam, & omnem, quem possumus, fructum percipiendum, requiritur.

XI. De rationibus, quæ nos ad Jubilæum lucrandum debent impellere.

Prima est privata cujuslibet utilitas.

Altera est generalis utilitas Ecclesiæ. Prior illa effectum Jubilæi continet; altera hæc causam ostendit.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque, ex quibus hauriri potest copia ad propositas Concionum structuras exornandas.

Sancti Patres, & Concilia. Sanctus Cyprianus eo in tractatu, quem ad Martyres scripsit, loquitur de libellis, quos illi tradebant Pœnitentibus, ut habita ratione cruciatuum suorum illis imminueretur austeritas, ac brevius fieret earum pœnarum tempus, quas illis Ecclesia imposuerat.

Idem, *lib.* 3. *Epistolarum Epistolis* 10. 11. 12. 13. 14. *&* 15. verba facit de iisdem Indulgentiis, & Canonicarum pœnarum remissionibus.

Idem, Sermone de *lapsis*, iterum de eadem re loquitur, & cupit, ne facile, neque omnibus id genus gratiæ conferatur.

Origenes, *de Exhort. Mart.* ostendit Martyres quodammodo administrare peccatorum remissionem, eorumque martyrium, exemplo illius, quod pertulit JESUS CHRISTUS, esse baptisma, quo plurimorum peccata expiantur. Innuit autem ratione habita passionum, & commendationum eorumdem, remitti consuevisse Canonicas pœnas peccatoribus inflictas.

Tertullianus libro ad Martyres cap. 1. & libro de Pudicitia earumdem meminit Indulgentiarum in hoc sensu.

Sanctus Augustinus *in Psalm.* 50 ostendit misericordiæ, atque Justitiæ in Deo concordiam in eo quod remittente Deo noxam, qua læsus fuit, peccator sibimetipsi pœnam infligit per pœnitentiam; atque Deus ipse admirabili indulgentia satis levem recipit satisfactionem.

Idem hoc ipsum ostendit Tract. 124. in Joan.

Primum Concilium Nicænum Canone 11. postquam pro insignibus quibusdam peccatoribus statuit aliquot annos pœnitentiæ, quorum spatio aliquæ corporales austeritates illis essent exercendæ; præcipit, ut possint Episcopi Indulgentia uti, & pœnitentiæ hujus partem imminuere habita ratione illorum, qui cum zelo, atque fervore illam exercuerint.

Concilium Laodicenum Can. 2. & ipsum etiam Ancyranum Nicæno vetustius, hoc ipsum præceperunt, quod præstitit etiam aliquot post annos quartum Carthaginense, cui Sanctus Augustinus interfuit.

Prætermitto alia Concilia, quæ de Indulgentiis loquuntur, confirmantia potestatem, quam habet Ecclesia eas concedendi, atque earum cum regunt usum, tum abusum corrigunt. Sed duo fusiùs de illis verba faciunt, ac præcipiunt, ut tamquam fidei articulus habeantur; videlicet

Concilium generale Lateranense, quod egregias hac de re proposuit regulas, quas post aliquot annos Concilium generale Lugdunense approbavit, & confirmavit.

Concilium Tridentinum *sess.* 25. *Decreto de Indulgentiis*, præcipit retinendum esse Indulgentiarum usum, ac eos damnat, qui eas inutiles esse contendunt. Et quemadmodum partim ex erroris hujus occasione sacrosancta illa Synodus congregata fuit; non alia, de hac re fusiùs verba fecit, atque potentiorem attulit medicinam iis abusibus, qui obrepserant, illos ad veterem Ecclesiæ consuetudinem redigens.

Quemadmodum hoc in argumento plura sunt, quæ inter Catholicos etiam Doctores in utramque partem disceptari consueverunt, eos afferam Theologos, qui mea quidem sententia argumentum hoc extricarunt, atque explanarunt.

Cajetanus, Opusculo de Indulgentiis. *Theologi.*

Suarez, de Pœnitentia, *Disput.* 50.

Maldonatus, *Tom. de Pœnit.* at cavendum est, cum enim Auctor hic minus faveat præsenti Ecclesiæ consuetudini, particulares habet hac de re sententias, quas Doctores æquis rationibus explodunt.

Cardinalis de Lugo doctissimè, & juxta præsentem Ecclesiæ consuetudinem argumentum hoc pertractavit.

Bellarminus ea omnia dixisse videtur, quæ dici possunt hoc in argumento, sententiamque suam optimis, validisque rationibus confirmasse.

Cardinalis de Richelieu egregium edidit hujus argumenti Gallico sermone, tractatum in Controversiis adversus Hæreticos.

P. Dominicus a Sancta Trinitate ex Carmelitarum Excalceatorum Familia, Tractatum hac de re elucubratus est Romæ editum anno 1650. ubi de iis omnibus loquitur, quæ ad hanc pertinent materiam.

Ex Asceticis verò, qui more suo Argumentum hoc pertractarunt, hi sunt præcipui.

Cornelius a Lapide, *in Epist. Pauli*, ubi loquitur de Indulgentia, qua S. Paulus usus est cum Corinthio incestuoso. *Ascetici aliique.*

P. Suffren, volumine secundo Tomi primi Anni Christiani agit de natura, necessitate, & utilitate Jubilæi, atque Indulgentiarum.

P. Auger, Tomo secundo de Charitatis exercitio erga mortuos, sect. 3. loquitur de Indulgentiis generatim.

P. Monford Anglus in libro de Charitate erga defunctos cap. 4. loquitur de Indulgentiis, earumque lucrandarum ratione.

Pædagogus Christianus, *cap.* 18.

Liber cui titulus: *Catechismus Indulgentiarum, & Jubilæi ad usum Confessariorum & Pœnitentium.*

Liber, qui inscribitur: *Doctrina Indulgentiarum, & Jubilæi*, edita auctoritate Aginnensis Episcopi.

Palla-

Pallavicinus, *Hist. Conc. Tridens. tract.* 1. *cap.* 4. loquitur de Indulgentiis ab Adriano VI. concessis.

Raynerius de Pisis, Verbo *Indulgentia*.

Hortus Pastorum, *Tract.* 5. *lect.* 2.

P. Theophilus Renaud, *Tract. de Eucharistia pagina* 588. docet quid differant Indulgentia plenaria, & Jubilæum.

Idem, libro, cui titulus: *Heteroclita Spiritualia* refert, ac refellit quidquid contra Indulgentias objicitur.

Concionatores recentes.

P. Faber, Sermone in feriam tertiam Pentecostes.

Idem, Sermone sexto post Pascha.

Biroat in separato volumine aliquot continente sermones de quibusdam anni Dominicis, tres habet de Jubilæo.

Godeau Vencii Episcopus Sermonem habet hujus argumenti.

P. Texier, Tomo secundo Dominic. Sermone ultimo aliis adjecto.

Joly Aginnensis Episcopus tres habet de Jubilæo Propositiones; in prima explicat Ecclesiæ hac in re sententiam; in altera adfert rationes, quæ nos debent impellere, ut omnibus viribus illum lucrari contendamus; in tertia verò dispositiones ad illum lucrandum necessarias redigit ad has, ut videlicet simus in statu gratiæ, & pœnitentiæ spiritum habeamus.

In Dictionario Morali duo deinceps occurrunt sermones de Indulgentia, & Jubilæo.

Idem duos alios habet sermones de Jubilæi conclusione.

Idem plurimas habet Morales hujus argumenti animadversiones.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta, Tomo 5. Sermonum particularium, Sermonem habet hujus argumenti, qui est decimussextus.

Idem, Sermone sequenti, qui est de Indulgentia Portiunculæ, plurima habet ad Indulgentias spectantia.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Scripturarum Applicationes huic Argumento.

SAnctificabis annum quinquagesimum, & vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ: ipse est enim Jubilæus. Levit. 25.

Amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Psal. 50.

Miserere mei Deus, secundùm magnam misericordiam tuam. Ibidem.

Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me. Psal. 37.

Si iniquitates observaveris Domine; Domine quis sustinebit? Psal. 129.

Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine. Psal. 100.

Non defrauderis à die bono, & particula boni doni non te prætereat. Eccli. 14.

Diem pro anno dedi tibi. Ezech. 4.

Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. Isaiæ 12.

Dissolve colligationes impietatis; solve vincula colli tui captiva filia Sion. Idem, 52.

Spiritus Domini misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam. Idem, 61.

Dabo tibi claves regni Cœlorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis. Matth. 16.

Ecce nunc tempus acceptabile; ecce nunc dies salutis. 2. ad Corinth. 6.

Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ait enim: Tempore accepto exaudivi te, & in die salutis adjuvi te. Ibid.

Dispensatio mihi credita est. 1. ad Corinth. 9.

Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi. Ad Coloss. 1.

Cui aliquid donastis, & ego; nam & ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi. 2. ad Cor. 2.

Data est mihi gratia evangelizare investigabiles divitias Christi. Ad Ephes. 3.

Deus, qui dives est in misericordia, ut ostenderes in supervenientibus sæculis abundantes divitias gratiæ suæ. Ad Ephes. 2.

Horrendum est incidere in manus Dei viventis. Ad Hebr. 10.

Copiosa apud eum redemptio. Psal. 129.

Pro Christo legatione fungimur... Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. 2. ad Cor. 6.

Veteris, novique Testamenti Exempla, & Figuræ.

De Legis antiquæ Jubilæo.

JUbilæus apud Judæos solemnis erat Festivitas, quæ in Bibliis modò gratiæ, atque propitiationis tempus, modò indulgentiæ, & remissionis annus vocatur. Itaque clangentibus buccinis populo annunciabatur, & mox cum pompa, insolitoque apparatu celebrabatur, postquam singulares gratiæ, quæ in eodem concedebantur, effecerant, ut diu expectaretur, publicisque populi totius votis præverteretur. Ubi Felix hic annus advenerat carceres omnes aperiebantur, debita omnia dimittebantur, omnia remittebantur scelera, acceptæ injuriæ oblivioni tradebantur, hæreditates omnes, quæ distractæ fuerant, ad primos earum possessores revertebantur, & quilibet bonorum suorum iterum possessionem adeptus, totum annum illum in pace transigebat.... Cum, uti Apostolus docet, in lege veteri omnia in figura contingerent; affirmare possumus hoc tempus adeo propitium reis, & hunc indulgentiæ, atque remissionis annum esse umbram, & figuram Jubilæi, quem Ecclesia per interjectos annos identidem nobis annunciat, quo peccatorum nostrorum vincula infringuntur; qui jampridem sub turpi affectuum suorum servitute gemebant, beata libertate fruuntur; omnibus debitis nostris remissis, nostrum est gratiam recipere, ac illud rursus acquirere jus, quod ad Cœli hæreditatem habuimus.

Jacob præcepit filiis suis, ut in Ægyptum pergerent fruges empturi Jubilæi figura.

Quid moramini, dicebat olim Sanctus Patriarcha Jacob filiis suis, quid moramini? Fruges in Ægypto veneunt, & nostis ad quam rerum omnium inopiam elapsorum annorum sterilitas nos redegit: cur non festinatis hac usuri occasione? Celeriter pergite empturi, quæ ad victum sunt necessaria, ne fame intereamus: *Descendite, & emite nobis necessaria, ut possimus vivere, & non consumamur inopia.* (Genes. 42.) Res hodierna die se melius habent; non suscipienda sunt vobis molestissima de Canaanitide in Ægyptum itinera: non est in barbaras regiones migrandum, neque longæ, ac periculosæ ingrediendæ viæ, ut ex spirituali egestate, in qua sumus, emergamus. Patent horrea Patrisfamilias; Joseph amantissimus gratis offert, quidquid pro nobis congessit: *Omnes sitientes venite ad aquas; & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite.* (Isaiæ 55.) Venite in infinitis meritis ejus, & affluentibus Sanctorum ejusdem satisfactionibus quæsituri, unde debita dissolvatis, ò vos omnes, qui iisdem obruti estis, & quibus per vosmet solos satisfacere non potestis.

Indulgentiæ quibus Dei Filius usus est in vita, erga aliquos peccatores.

Indulgentiæ, quæ jure optimo plenariæ vocari possunt, quas Dei Filius in mortali hac vita insignibus quibusdam peccatoribus concessit, probant eas, quas Ecclesia, ejusque Ministri, quibus hanc ille contulit potestatem, modo fidelibus æquissimas ob causas concedunt. Plurima hujus rei nobis suppetunt in Evangelio exempla. Ad JESU CHRISTI pedes provolutam intueor peccatricem temporia momento peccatorum omnium & simul etiam, quod ambigere nefas, omnium, pœnarum illis debitarum veniam obtinentem: *Remittuntur ei peccata multa.* (Luc. 7.) Video Paralyticum, vix quatuor hominum

minum valentium humeris gestatum in lecto, qui cum non posset ad JESUM accedere magna populi confluentis turba stipatum, neque domum ingredi, quò se ille receperat, detecto domus culmine funibus ad Salvatoris pedes demittitur. JESUS autem ejus fidem intuitus, dixit Paralytico. *Confide fili: remittuntur tibi peccata tua.* Nullam aidem pœnitantiam imponit, sed largissima utitur indulgentia. Neque minus indulgentem se præber erga mulierem adulteram: *Mulier neme te condemnavit? Nec ego te condemnabo.* Sed indulgentia, qua erga bonum latronem utitur, supra cæteras nites; etenim quin aliam ex eo satisfactionem deposceret, illum de cruce, quam sceleribus suis meritus fuerat; ad locum pacis, ubi ipse quoque eadem die esse debebat, socium sibi traduxit. Hæ gratiæ sunt, atque indulgentiæ, quæ satis ostendunt illum tamquam supremum Dominum aliquid de jure suo remittere, & non peccata solum, verum etiam omnem debitam peccatis pœnam dimittere potuisse. Quid ergo obstat, ne ille Ecclesiæ suæ hanc potestatem contulerit iis in occasionibus, in quibus gloria ipsius, & peccatorum salus agitur?

Matth. 5. Marc. 2. Luc. 5.

Joan. 8.

Ipsis etiam Apostolorum temporibus maximum accidit inter Fideles Corinthi scandalum. Quidam enim ex illis abusus est uxore patris sui; quod cum S. Paulus audiisset, illum JESU CHRISTI auctoritate damnavit, *tradere hujusmodi satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini:* præcepitque ne alii fideles cum eodem ultra consuescerent, atque ut ab eorum communione proscriberetur. Peccator hic correctionem, impositamque sibi pœnam subiit tanto sceleris sui dolore confectus, ut illius miserti fideles, pro eodem apud Sanctum Paulum precibus laboraverint, ut cum illo uti vellet indulgentia. Apostolus autem, & fidelium Charitatem, & gravissimum pœnitentis dolorem considerans, petitam concessit indulgentiam in nomine, ac persona JESU CHRISTI, ne ille immodicæ tristitiæ excessu conficeretur. Immo deinceps tanta illum excepit benevolentia, ut non satis ratus illatam auferre excommunicationem, pro eodem ad Corinthi Fideles, his verbis scriberet: *Sufficit illi, qui ejusmodi est, objurgatio hæc, quæ fit a pluribus: Ita ut e contrario magis donetis, & consolemini, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur, qui ejusmodi est.* Hæc autem gratia, quam Paulus peccatori pœnitentiam agenti concessit, pœnam impositam remittens illud proprie est, quod nos dicimus Indulgentiam.

Indulgentia qua usus est S. Paulus cum Corinthio; incestuoso.

1. ad Cor. 5.

2. ad Cor. 2.

Nemo unus ignorat juvenem illum, quem Sanctus Joannes de exilio suo, quod in insula Pathmos fuerat perpessus, converterat, atque commendaverat Episcopo, qui lustralibus aquis illum abluerat. Adolescens ille voluptatibus pravisque sodalibus illectus sensim in vitia fuerat prolapsus ita ut tandem latronum caput evaserit. Sanctus Apostolus eam reversus in urbem, ubi Cathecumenum reliquerat; ubi audiit, quid contigisset, ad ovem, quæ perierat, inquirendam festinavit; quem statim videns perditus adolescens, adspectum illius sustinere non valens fugam corripuit; sed illum persecutus est Apostolus elata voce clamans: Fili, cur fugis? nondum actum est de salute tua; ego Deo pro te reddam rationem. Hisce vocibus perculsus ferox adolescens obstupuit, lacrymasque effundens amplexus est sanctissimum senem, qui discipulum ad Ecclesiam perduxit, ubi cum pro illo deprecatus fuisset, & aliquot diebus jejunasset, eumdem Ecclesiæ restituit quin ullam eidem imponeret pœnitentiam, qualem scelera illius merebantur. Talis fuit Sancti Joannis indulgentia. *Hoc narrat Eusebius in Historia Ecclesiastica tamquam ex libro S. Clementis Alexandrini descriptum.*

Indulgentia, qua S. Joannes Evangelista usus est erga hominem Apostatam.

Ubi tacitus mecum reputo integram perfectamque gratiam, quæ in Jubilæo percipitur, videre mihi videor amantissimum Evangelii Patrem, qui eminus redeuntem prospiciens prodigum filium, obvius illi occurrit, in collum ejus ruit, illi osculum pacis dedit, dixitque famulis suis: *Proferte cito stolam primam.* Properate, afferte, mihi tunicam, qua antea induebatur; Obliviscor eorum, quæ in me ausus est; non reminiscor injuriarum, quibus mihi parere detrectavit: possem, quamquam peccatum remitto, gravissimis illum damnare suppliciis, sed peccatum simul, pœnamque dimitto. Veni, fili mi, omnes tibi amoris, paternæque benevolentiæ notas tibi præbere volo: en tibi stolam primam, quasi numquam illam commaculasses; omnia tibi reddo tua jura, & agnosce me parentum omnium optimum.

Prodigus filius post reditum a Patre exceptus figura est veniæ integræ, quæ percipitur in Jubilæo.

Luc. 15.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic argumento.

E*Cce nunc tempus acceptabile.* 2. *ad Corinth.* 6. Ecce tempus propitium, ecce magni Jubilæi annus, qui aliquam habet cum Judæorum Jubilæo similitudinem, sed qui nobis toto cœlo utilior est, quam olim illi populo foret. In lege veteri Jubilæi annus clangente buccina annunciabatur; in nova autem Apostolicæ vocis tono promulgatur. Olim hoc anno temporalia debita remittebantur, nunc verò spiritualia remittuntur. Olim hæreditatum, quæ venundatæ fuerant, iterum acquirebatur possessio; hodie verò perfruimur bonorum operum fructu, quæ peccatum mortificaverat. Olim qui a patria procul aberant, Jerosolymam confluebant, ut Domino in Templo laudes concinerent; hodie congregamur in Templis eum laudaturi, humilesque gratiarum actiones oblaturi. Olim omnia servilia agriculturæ cessabant opera, hodie verò inordinata quælibet terrenarum rerum cura cessare debet.

Comparatio Jubilæi legis antiquæ cum nostro.

Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis. Matth. 16. Dicimus Jubilæum esse remissionem totius pœnæ, quæ nobis in altera vita piacularibus flammis, vel in hac etiam luenda fuisset. Præterea dicimus remissionem hanc fieri, quin Dei justitia ullum detrimentum patiatur; quia peccator ære suo conflata debita non dissolvit; neque enim illa dissolvit vel jejuniis, vel precibus, vel eleemosynis, quas erogare jubemur; hæ quippe non aliud sunt nisi conditiones ad Jubilæi gratiam promerendam: sed ipsa satisfactio ex JESU CHRISTI satisfactionibus desumitur, & ex thesauro meritorum ejus mutuamur, unde debita dissolvamus: *Erit solutum, & in Cœlis.* Deus sibi persolutum arbitrabitur, suæque satisfactum justitiæ, debitumque delebit.

Divinæ justitiæ debita ex Dei ipsius bonis persolvimus in Jubilæo.

Omnes sitientes venite ad aquas; & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite. Isaia 55. Quam dulcis, & accepta hæc est invitatio! Ita tamen hoc sancto Jubilæi tempore vos Deus invitat. Vos ille invitat, ut ad gratiæ suæ aquas accedatis; vos hortatur, sollicitat, urget, ut ematis ea, quibus, maximè indigetis, ut comedatis, famemque vestram satoretis. Quemadmodum verò causari possetis vel egestatem, vel commercii ignorantiam, vos ipsos dignatur prævertere dicens, se affluenter vobis collaturum lac, & vinum gratiæ suæ sine argento, & sine ulla commutatione. O Deus! quàm liberalis es, & misericors! quam magnificus in gratiarum tuarum distributione! Ipse profectò, o Fideles, gratias suas plenis effundit manibus, tempore hoc remissionis, atque salutis: sitis, ac interior justitiæ fames, humilis miseriæ, ac spiritualis paupertatis confessio, verum inde emergendi desiderium, atque divitias comparandi, & seipsos salvandi cupiditas, illæ sunt conditiones, quas petit, ut sine pecunia ematis, & recipiatis sine commutatione quidquid in bonitatis suæ thesauris est pretiosissimum.

Deus invitat, ut hoc tempore gratias ipsius percipiamus.

Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia. Ad Roman. 5. Quemadmodum in nobis fortasse abundavit delictum, ita pariter hoc tempore gratia superabundat. Et sanè quænam gratiæ superabundantia illa est, qua non peccati tantum con-

In Jubilæo recipitur gratia superabundantia, & in quo sensu.

ceditur

ceditur veoia, verùm etiam peccato debitæ pœnæ temporales remittuntur? Quænam gratiæ superabundantia, qua non solum absoluti declaramur, sed ubi etiam muneribus, & donis cumolamur? Quænam gratiæ superabundantia, ubi non solum non vocamur amplius nocentes, & iræ filii, sed sceleribus nostris debita remittuntur supplicia, ut Regnum, & filiorum hæreditas oobis conferatur?

Per Jubilæū modico, & quasi nullo pretio cœlum acquirimus.

Pro nihilo habuerunt terram desiderabilem. Regius Propheta Judæos alloquens ad eorum confusionem, omnemque illis excusationem auferendam hæc ait: *Pro nihilo habuerunt terram desiderabilem.* Quidam hunc locum ita explicant, quasi contemptu, ac fastidio terram illam excepissent, quæ omnibus votis erat expetenda; sed alii alium his verbis sensum appingunt. Deum videlicet pro nihilo conferre cœlum, quo omnia vota nostra contendere debeot; atque exiguo pretio comparare possumus, ital pro oihilo illud obtioere valeamus; *Pro nihilo habuerunt.* Et profectò recipere pœoarum omnium peccato debitarum remissiooem, in Cœlum ingredi tanta facilitate, quanta puer ex lustralibus aquis emergens, quanta pœnitens postquam omni pœniteotiæ suæ ad ultimum usque quadrantem satisfecit, quanta Martyr, qui pro Deo vitam, sanguinemque effudit; hanc remissionem recipere, & post aliquot preces, jejunia, mortificationes, eleemosynas, uti infra explicabimus, Cœlum ingredi, nonne est pro nihilo maximum hoc consequi beneficium? Videsne omnia vulnera sua ad cicatricem rediisse, omniaque pœnarum debita adeo modico pretio deleta, nonne est pro nihilo gratiarum omoium maximam obtinere?

Quomodo Jubilæus animæ morbos perfectè curet quoad culpam, & quoad pœnam.

Totum hominem sanum feci in Sabbatho. Jo. 7. Hoc Judæis Salvator dicebat, ægre ferentibus, quod Sabbatho ægrotantes curaret, Cum aliis Medicis tantum peritiæ, vel felicitatis est, ut ægrotum cureot; illum successivè tantummodo curant, atque paulatim, quamobrem dici solet morbos repente irruere; at pedetentim abire. Sed Filius Dei non solum repente, verum etiam Jubilæi tempore totum simul hominem curat: *Totum hominem sanum feci in Sabbatho.* Homo totus curatur hisce diebus misericordiæ, & bonitatis Dei: non culpa tantum, æternaque illi pœna, sed temporalis quoque pœna remittitur.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum, hujus Argumenti.

QUi libellum supplicantium à Martyribus acceperunt, adjuvari ad Dominum in delictis suis possunt. Cyprian. lib. 3. Epist. Epist. 14.

Potest in acceptum referri, quidquid pro talibus (Pœnitentibus) petierint Martyres, & fecerint Sacerdotes. Idem, Serm. de lapsis.

Quid tam gratum, tamque jucundum, quam peccatoribus prædicare Indulgentiam? Ambros. Comment. in 1. ad Timoth.

Coimus in cœtum & congregationem, ut ad Deum, quasi manu facta precationibus misericordiam ambiamus orantes: hæc Deo grata vis est. Tertull. Apolog. c. 29.

Facilitas veniæ incentivum præbet delinquendi, Ambrosius.

Omnis iniquitas, parva magnave sit, puniatur necesse est, aut ab homine pœnitente, aut à Deo vindicante. August. in Ps. 58.

Temporaliter hominem detinet pœna, quem jam ad damnationem æternam non detinet culpa. Idem, tract. 124. in Joan.

Confitenti ignoscit, (Deus) sed seipsum punienti. Ita servatur misericordia & veritas: misericordia, quia homo liberatur; veritas, quia peccatum punitur. Idem, in Psal. 50.

Deus indignas pœnitentiæ satisfactiones despicit. Cyprian.

Hunc annum verè sanctum, primus in mundo annunciavit ipse vitæ & salutis nostræ Auctor Jesus Christus, Filius Dei. Clemens VIII. in Bulla Jubilæi.

Sancta Synodus declarat falsum omninò esse, & à verbo Dei alienum, culpam à Domino nunquam remitti quin universa etiam pœna condonetur. Conc. Trident. sess. 14. c. 8.

Potestas conferendi Indulgentias à Christo Ecclesiæ concessa est; atque hujusmodi potestate antiquissimis etiam temporibus usa est. Idem, sess. 25. in Decreto de Indulgent.

Sacro-sancta Synodus Indulgentiarum usum populo maximè salutarem, retinendum esse docet, ac præcipit; eosque anathemate damnat, qui inutiles asserunt, aut eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant. Ibid.

Quem quidem thesaurum, Christus per B. Petrum ejusque successores commisit fidelibus salubriter dispensandum. Clemens VI. in Extrav. de pœnitentiis & remissionibus.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ penu ad hoc argumentum depromi queat.

Indulgentia eo in sensu, quo hic accipitur definitio.

INdulgentia, de qua hic agitur, est temporalis pœnæ peccatis nostris debitæ remissio, quam nobis concedit Ecclesia postquam culpa, ac æterna pœna per Sacramentum, vel aliter nobis remissæ fuerunt. Definitiones hanc omnes tradunt Theologi, qui hoc argumentum pertractarunt. Indulgentia vocatur remissio pœnæ peccatis nostris debitæ, non autem culpæ vel delicti, quo Divina Majestas læsa fuit; peccatum enim quoad culpam remitti non potest nisi per illius retractationem, quam peccator facit, per dolorem, quem inde concipit, & per absolutionem Ministri Pœnitentiæ, postquam peccator se ipsum accusaverit, omniaque delicta sua integrè, sincerèque fuerit confessus. Hæc remissio pœnæ peccatis debitæ extra Sacramentum confertur; quia per aliam potestatem, atque jurisdictionem indulgentia conceditur, quæ peccatorem cum Deo in gratiam jam rediisse præsupponit. Denique Indulgentia vocatur modò remissio, vel relaxatio juris, quod divina habet Justitia exigendi pœnam hanc postquam noxa remissa fuerit; modò condonatio, dispensatio, solutio debiti hujus, & nonnunquam etiam absolutio. Pontifices, Doctoresque promiscuè hisce utuntur nominibus, ut innuant per Indulgentiam, quæ plenaria est, nos ab omni pœna liberari, cujus eramus Divinæ Justitiæ debitores.

Quid sit Jubilæus, & qua in re differat ab Indulgentia.

Jubilæus insueta est Indulgentia, ubi remissioni temporalis pœnæ nostris criminibus debitæ plura accedunt bona, quæ in plenariis Indulgentiis non conceduntur. Hinc autem sequitur, 1. quoad rei essentiam Jubilæum, & plenariam Indulgentiam unum, & idem esse, & utriusque discrimen in quibusdam circumstantiis tantummodo positum esse. 2. Verè dici Jubilæum præstantius, majusque beneficium esse, quam plenariam Indulgentiam. Primùm in causa, quia est pro bono generali, totique Ecclesiæ communi; Secundò in extensione, quia universè omnibus fidelibus tribuitur: Tertiò in privilegiis, qualia sunt facultas eligendi quemcumque Confessarium approbatum, potestas cuilibet Confessario collata absolvendi a reservatis, atque censuris, facultas permutandi vota, duobus dumtaxat castitatis videlicet, & religionis exceptis, aliaque privilegia, quæ exprimuntur in Bullis. Cætera verò cum sint Indulgentiæ plenariæ, & Jubilæo communia, ea quæ docet Theologia, promiscuè de utroque sont intelligenda.

Cuinam rei innitatur potestas concedendi Indulgentias, & Jubilæos.

Potestas, quam Dei Filius Ecclesiæ suæ tradidit ea in re, de qua agimus, ad duo capita redigitur: videlicet ad potestatem ligandi, & retinendi; & ad potestatem solvendi, ac remittendi. Duæ hæ pote-

potestates, quæ hic præsupponendæ sunt tamquam per fidem cognitæ, reipsa una tantùm sunt, duplex habens exercitium. Ecclesia ligare potest, & solvere, remittere, & retinere tum quoad culpam, tum quoad pœnam. Solvit, atque remittit, cum absolutionem impertit; ligat, & retinet, cum sapienti discretione absolutionem vel detrectat, vel differt illis, quos eidem minime pares judicaverit; hoc pertinet ad culpam. Quod autem ad pœnam spectat, Ecclesia jus habet severissimas imponendi pœnas pro peccatorum numero, & gravitate; & jus quoque habet illas temperandi, relaxandi, & prudenter remittendi. Hæc Ecclesiæ tum quoad culpam, tum quoad pœnam potestas æque in Scriptura, & Traditione liquidò constat. Hæc illa duplex est potestas, quam cum primis fidelibus exercebat Ecclesia; quæ peccatoribus contritis, atque pœnitentibus non solum peccati culpam, verùm etiam magnam pœnarum, quas inflixerat, & quæ Canonicæ appellantur partem remittebat, ubi hoc e re futurum putabat, neque sine æquissimis caussis. Hoc est fundamentum Indulgentiarum, & unde illæ originem acceperunt. Sed cum fidei articulus sit, post peccatum, quoad culpam dimissum, Dei justitiam adhuc in hac, vel in altera vita satisfactionem reposcere; quæstio est etiam inter Catholicos, utrum Ecclesia per eam, quam concedit Indulgentiam, remittat, vel habeat potestatem remittendi non eas solùm, quas ipsa pœnas imponit, verùm eas etiam, quæ singulis debentur sceleribus, & quas Deus unus agnovit; itaut omnia ex asse per Indulgentiam plenariam Divinæ justitiæ debita persolvantur. In hoc tota vertitur difficultas.

Quid sit Ecclesiæ thesaurus, ex quo depromuntur Indulgentiæ.

Cum remissio pœnarum, quæ criminibus nostris debentur, fiat per applicationem, & communicationem thesauri Ecclesiæ, Theologi per hunc thesaurum intelligunt superabundantes satisfactiones, quas obtulit JESUS CHRISTUS Deo Patri pro mortalium omnium peccatis; eas etiam Beatissimæ Virginis, Apostolorum, Martyrum, omniumque fidelium, qui per cruciatuum suorum cum Domini pœnis unionem plura passi sunt iis, quæ ipsorum peccata merita fuerant. Quod pertinet ad superabundantes JESU CHRISTI satisfactiones, in dubium revocari non possunt; Salvator enim cum Deus simul esset, & Homo, satisfactiones ejus, quarum dispensationem Ecclesiæ suæ credidit, infinitæ sunt, & inexhaustæ; & neque Providentiæ, neque Bonitatis Dei interest, inutilem hanc superabundantiam permanere. Gloriosa Dei Mater, cum nulli fuerit crimini obnoxia, propriis sanè satisfactionibus minimè indiguit. Sanctorum verò satisfactiones quantùmvis superabundantes fuerint plurimorum habita ratione, licet toto Cœlo minores fuerint satisfactionibus JESU CHRISTI, attamen ipsæ quoque hunc thesaurum adaugent. Etenim si secundum sanioris Theologiæ principia eadem opera bona simul esse possunt & meritoria, & satisfactoria; accidit etiam, ut non solum prosint saluti, & gloriæ operantis illa, sed etiam ut aliis utilia esse queant, qui, per secretam Divinæ Misericordiæ œconomiam illum fructum percipere valent, ubi fuerit superabundans. Non secus enim ac in naturali corpore membra per eam, quam inter se habent unionem mutuis sese juvant auxiliis: ita Militans Ecclesia Triumphanti conjuncta, & cum illa unum dumtaxat corpus efficiens, cur ab eadem in gravissimis necessitatibus opem, subsidiumque non percipiat? Et ut cum Sancto Paulo loquar, cur alterius affluentia paupertati non suppleat alterius? Notandum est tamen, cum dicimus Sanctorum satisfactiones in Ecclesiæ thesaurum inserri, & ad indulgentiam, atque temporalis pœnæ remissionem concurrere, supponi semper, has nihil conferre, nisi quatenus causas particulares, & descendentes; cum interim satisfactiones JESU CHRISTI illius causæ sint principes, & universales, ex quibus omnes Sanctorum satisfactiones virtutem suam mutuantur. Quamobrem commixtio earum nulla in re derogat satisfactioni, & Passionibus Filii Dei; qui semper unicus est nobis Redemptor. Neque dixeris, cum Salvatoris satisfactiones infinitæ sint, illas Deiparæ Virginis, Sanctorumque inutiles esse: si enim gloriosum est JESU CHRISTO per seipsum Patri suo satisfacere, gloriosum quoque est satisfacere per membra sua, & per Sanctos, quos in honoris hujus societatem accersere dignatus est.

Cujus intersit thesaurū hunc distribuere, & indulgentias conferre. D. Thom. in 4. Sent. q. 20.

Non prætermittenda hic est S. Thomæ Doctrina asserentis Communitatis bona privatis esse distribuenda secundum voluntatem, atque auctoritatem illius, qui præest communitati. At fatemur Supremum Pontificem esse caput spirituale Orbis Christiani, atque Ecclesiæ præesse; ad hunc igitur pertinet horum thesaurorum distributio, eosque dispensat cum ob æquissimas caussas Salvatoris, Sanctorumque satisfactiones applicat in solatium fidelium illis aditum aperiens lucrandi Indulgentias, & Jubilæos, videlicet recipiendi relaxationem debitorum, quæ suis conflarunt criminibus. Ut huic doctrinæ lumen accedat, memoria repetendum est, thesaurum hunc, unde hauriuntur Indulgentiæ, Ecclesiæ fuisse concreditum; cumque sit fructus laborum, ac meritorum Domini ab eo proficisci, illum ejusdem auctorem esse, atque per seipsum congessisse; sed per manus Ministrorum suorum, & eorum, qui ipsius vices gerunt, quos Sanctus Paulus Mysteriorum ipsius dispensatores appellat, distribuere, atque applicare. Quemadmodum verò Salvatoris merita ad hæc duo præstanda sint efficacia, videlicet ad peccati culpam delendam, & ad pœnam illius expiandam; ita duplex est, eaque varia applicatio pro hoc duplici effectu. Ad culpam delendam, & hanc Dominici Sanguinis applicationem efficiendam, quilibet Sacerdos legitimus est Minister, dummodo habeat intentionem, applicationem, & necessariam ministerio huic peragendo jurisdictionem; sed extraordinaria Sanguinis, & Meritorum JESU CHRISTI pro peccatorum, & quoad culpam, & quoad pœnam remissione, applicatio a JESU CHRISTO tradita fuit Ecclesiæ suæ, & relicta in manibus Episcoporum pro particularibus, finitisque Indulgentiis; at majori cum auctoritate relicta in manibus Summi Pontificis pro plenariis Indulgentiis, & Jubilæis. Et hæc una est ex facultatibus ejus auctoritatis, quam Salvator contulit Petro, ubi huic Cœlorum claves commisit; etenim conferens illi potestatem aperiendi Cœlum, simul etiam tradidit illi dispensationem eorum subsidiorum, quæ illuc adducunt, & potestatem obices auferendi, qui aditum ejusdem impediunt. Hæc verò causa est, propter quam ordinaria potestas absolvendi a peccatis differt ad extraordinaria pœnas remittendi, necesse enim est ut prior illa pluribus communicetur; sed jus elargiendi Indulgentias cum saltem plenariæ sunt, atque generales, Supremus Pontifex uni sibi reservare consuevit.

Ratio potestatis, quam habet Ecclesia remittendi pœnas temporales debitas peccato. Matth. 16.

Deus, S. Petro, ejusque successoribus tradidit Cœli claves cum plena ligandi, solvendique super terram potestate. De hac re dubitari non potest: hæc enim explicita sunt verba Salvatoris: *Tibi dabo claves Regni Cœlorum: & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis*. Igitur qui Cœli claves accepit, ut illud aperiret, & clauderet, consequenter accepit etiam potestatem auferendi quidquid aditum intercludit, & quod impedire potest animam justam corporeis solutam vinculis, ne statim ac sine mora illuc ingrediatur: hanc sane illationem, nemo rationabiliter potest inficiari. Quid autem aditum intercludere, vel retardare potest introitum, cum Cœli janua patet; nisi pœnæ, quæ perferendæ sunt, & quæ sunt divinæ justitiæ persolvendæ? Cumque certissimè constet, nisi hac in vita divinæ fecerimus satis justitiæ illam in altera pœnas majori

cum

cum severitate expetituram; nonne sequitur, Ecclesiam in Sancti Petri Persona, qui illius constitutus est visibile caput, cum clavibos Cœli recepisse potestatem remittendi pœnas bas, quæ ad sempus aditum nobis intercludunt? Ex potestate solvendi omnes Theulogi inferunt, Indulgentiis remitti posse omnes temporales pœnas cum illas, quas pro peccatorum nostrorum satisfactione nobis imponit Ecclesia, tum illas, quas ob patrata scelera meriti sumus, & quæ uni Deo cognitæ sunt; tum denique illas, quæ in Purgatorio nobis essent perferendæ, si ex hac vita egrederemur, antequam integrè illis satisfecissemus: *Quidquid solveris super terram, erit solutum & in Cœlis.* Dei Filius nihil excipit, sive peccatum sit non remissum; sive pœna peccati jam remissi; omnia generatim hoc verbo continentur: *Quidquid solveris.* Adde hia, mirum futurum fuisse, si Salvator Sancto Petro, Ecclesiæque suæ adeo amplam contulisset potestatem remittendi culpam scelerum gravitate, & numero etiam infinitorum, quæ prorsus divina potestas est, ac Dei propria, (*Quis est, qui peccata dimittit, nisi solus Deus?*) ei verò negasset facultatem, quæ longè minor est, remittendi videlicet pœnas his debitas peccatis.

Veritates supponendæ, ut agnoscatur natura, virtus, & effectus Indulgentiæ, & Jubilæi.

Ad hanc Doctrinam illustrandam, & judicium de illius soliditate ferendum nobis persuasum esse debet de quibusdam veritatibus, quæ in hoc argumento fundamentales possint nuncupari. Prima est, in peccato quolibet, seu veniale sit, seu mortale, duo esse distinguenda, culpam videlicet, & pœnam. Culpa est injuria facta Deo; pœna verò injuriæ bujus effectus; quod satis patet, quin ulteriori opus sit explicatione. Altera, quæ nihilo minus est constans, est culpam sæpe remitti, pœnam verò æternam immutari in temporalem, quæ post dimissum peccatum adbue permanet; plurima hujus rei nobis suppetunt in Scripturis exempla, quorum nonnulla a nobis jam allata fuerunt. Tertia est pœnam, quæ post remissam remanet culpam, Divinæ justitiæ necessariò persolvendam esse vel in hac, vel in altera vita; sed longè utilius esse in boc mundo satisfacere seu per voluntariam pœnitentiam, seu æquo animo, libentique patienter ferendo corporis, animique adversitates, & calamitates omnes, quas divina nobis immittit providentia. Quarta veritas est, pœnam, vel satisfactionem divinæ debitam justitiæ postquam noxa remissa est triplici ratione in bac vita leniti; primò per pœnitentiam, quam imponunt Confessarii, quæ addita Sacramento, cujus est pars, prorsus peculiarem ad finem hunc habet virtutem; secundò per pœnitentias, & satisfactiones, quas peccator, vel alius quilibet facere, & offerre Deo potest pro illo ad finem eumdem: tertiò per Indulgentias, per quas infinitæ JESU CHRISTI, & superabundantes Sanctorum satisfactiones nobis applicantur. Quinta denique, & postrema veritas fundamentalis est, indulgentiam, & remissionem pœnæ peccato debitæ, quæ fit per applicationem Passionum Domini, depromi ex thesauro meritorum illius, quem Ecclesiæ reliquit ad fidelium utilitatem, & cujus depositarium Summum Pontificem voluit. Hæ veritates tamquam in dubium nequaquam revocandæ supponendæ sunt, quæ si rite fuerint conceptæ, facile erit explicare naturam, virtutem, vim, & potestatem Indulgentiæ, & Jubilæi, ac deinde omnes solvere difficultates, quæ hoc in argumento objici consueverunt.

Indulgentiæ, & Jubilæi pro legitimis, ac magni momenti causis sunt concedenda.

Quantumvis magna sit, lateque pateat potestas a Deo summis collata Pontificibus concedendi Fidelibus Indulgentias, & Jubilæos; credendum non est ipsos hac uti posse sine legitimis, magnisque momenti rationibus. Hoc bonum est, quod illis dissipare non licet, nec prodigere, sed prudenter dispensare, est enim depositum illis a Deo commissum tamquam sapientibus œconomis, ut illud fidelibus tanta prudentia, quanta liberalitate partiantur: œconomus enim sapiens, & fidelis est, cum de bono, cujus habet administrationem ad majorem heri sui utilitatem disponit. Ita Pontifex nequit ingentes hos aperire thesauros, nisi cum Ecclesiæ maximè interest, cum de gloria Dei augenda, aliove præstanti agitur fine, qualis esset, ut fideles ad pacem precibus petendam, ad belli mala, & funestos effectus, qui illud solent concomitari deprecandos, excitarentur; ad implorandam hæresum extirpationem, fidei propagationem, inimicorum Ecclesiæ humiliationem, aliasque id genus causas, quæ ut plurimum in Jubilæorum Bullis exprimuntur. Itaque Sanctus Bonaventura, omnesque Theologi sentiunt, Indulgentiam imprudenter, ac temere concessam nullam fore. Finis ergo, quem Summi Pontifices sibi proponunt, est, obtinendi per opera bona, facilia, & communia, quæ ad Indulgentiam lucrandam imponunt, magnum aliquod bonum, & bonum, ex quo plus gloriæ Deo cedat, quam ex satisfactione, quæ in Purgatorio ejusdem præberetur Justitiæ, vel si diuturnas, diratasque in scelerum pœnam austeritates pateremur. Ita loquitur Cardinalis Bellarminus: cumque Supremus Ecclesiæ Pastor ita se gerit coram Deo in commissorum sibi thesaurorum dispensatione, dici potest, perfectè suo munere fungi.

Non est prodigere, paucas preces, aliaque bona opera petere, ut tanto beneficio perfruantur.

Hæretici immo etiam nonnulli Catholici objiciunt, Summum Pontificem adeo egregium tantæque perfectionis finem habentem, minimè iis uti adminiculis, quæ fini huic congrua videantur. Insignes a Deo gratias obtinere vult, & ad id nihil aliud, nisi breves aliquot preces, quædam jejunia, quasdam eleemosynas, aut levem aliquam mortificationem indicit. Sed qui hæc objiciunt, non attendunt ad ea, quæ ob oculos ipsorum versantur; videlicet statim ac Jubilæus indictus est, Populos, Civitates, atque Provincias, & omnia ferme Catholica regna maximo cum ardore ferri ad ea efficienda, quæ ad illud lucrandam imperata sunt. Non enim considerandum est quid quisque singillatim agat seorsim ab aliis, quasi solus esset in terris; addendæ sunt omnes preces, quæ enixè, & certatim in orbe toto ab omnibus fidelibus effunduntur ductis spe obtinendi remissionem pœnæ, quæ suis omnibus peccatis debetur. At Sanctus Pater tutiùs magnum aliquod Ecclesiæ bonum procurare non posset, nisi excitando, ut solet, filios suos ad illud conjunctis precibus efflagitandum. Et patet ratio: Cum enim ea, quæ ab illis petit, facilia sint, & Indulgentia, quam illis concedit, sit magna, & plenaria; omnes excitantur ad explendum id quod imperatum est, sperantes se magni hujus boni futuros participes: e contra verò si illis difficilia imperaret; pauci, uti oportet, illa adimplerent, & qui melius, quàm cæteri hæc adimplerent, utpote pauci, minus bonum efficerent, quàm tota simul hæc magna multitudo, quæ haud ægrè, & gravatè exigua illa, quæ sibi imperata sunt, operatur.

Quod Summi præscribunt Pontifices non est adeo leve, & facile, uti vulgò existimatur.

Quod Supremus præcipit Pastor ad Jubilæum, vel plenariam Indulgentiam lucrandam, non ita leve est, ut primo statim videtur intuitu. Ut hoc intelligamus, satis est ad examen revocare circumstantias; etenim primò nullam, quæcumque illa sit, lucrari possumus Indulgentiam, nisi in statu gratiæ fuerimus. Ut autem simus in statu gratiæ, plurima requiruntur, quorum qui alicui mortali peccato sunt obnoxii, sentiunt difficultatem; quæ tanta est, ut illi ipsi aliquando hoc fieri nequaquam posse dicant. Sincera, & integra facienda est confessio, firmum, & efficax concipiendum propositum meliùs vivendi, evitandi occasiones, per quas iterum in culpam relabi possint, & socios, qui illuc valeant pertrahere; aliena bona restituendi, reparandi jacturam, quæ vel obtrectationibus, vel scandalis illata fuit; verbo, adimplendæ sunt omnes illæ conditiones, quæ in bona Confessione, & vera cordis, morumque conversione requiruntur. Post hæc esto leve sit, quod in Bulla præcipitur; at certus sum, hoc omne non leve judicatum iri

propter

propter primam hanc conditionem, qua in statu gratiæ esse debemus; & ea omnia præstare, quæ ad id sunt necessaria.

De Indulgentiis particularibus.

Omnes fatentur justas requiri causas ad hoc ut generales Indulgentiæ, & Jubilæa concedantur, atque publicis Ecclesiæ necessitatibus probari Summorum Pontificum hac in re consuetudinem. At plures in dubium revocant validitatem particularium Indulgentiarum largè adeo, effusèque concessarum Confratribus, Ordinibus Regularibus, Congregationibus, & iis, qui quædam pietatis opera exercent. Ad eas probandas, ecce quid celeberrimi Doctores dicant. Plures sunt nostræ Religionis articuli, quos Hæretici conantur evertere, quales sunt cultus Reliquiarum, invocatio Sanctorum, preces pro Defunctis, bonorum operum praxis. At ad fidem tuendam quid magis efficax est quam pietatis, & religionis exercitia, quæ ab illis omnibus habentur, qui Indulgentias lucrati conantur? Alioquin enim hæc Religionis principia sensim in populorum mentibus infirmarentur per Fidelium negligentiam, & contemptum, in quo ab hæreticis, & impiis habentur. Non igitur sine causa hoc in sæculo adeo corrupto, ubi error, & licentia grassantur, quorum cursum inhibere quàm maximè refert, Pontifices amplissimas concedunt Indulgentias illis, qui hæc bona opera exercent, quæ Hæretici tantopere improbant, & qui hac mente, & ad hunc finem congregantur; cum bonum, atque utilitas, quam inde percipit Ecclesia, major sit, quàm pœnitentia, quam illi pro peccatorum suorum expiatione susciperent.

Quarum pœnarum obtinetur remissio per Indulgentias.

In diversa abeunt Theologi, ubi sermo est de utilitate, quæ percipitur ex Indulgentiis licet ad optimum finem concessis. Inter illos habetur quæstio de pœnis, & satisfactionibus earum virtute remittendis, postquam remissa fuerit peccati culpa, & pœna æterna, quæ eidem debetur. Tenent alii remitti solum pœnas, quæ in confessione imponendæ essent congruæ magitudini, atque multitudini peccatorum, quæ patrata fuerunt; quales erant pœnæ Canonicæ, quas olim imponebat Ecclesia, & quas deinde quibusdam pœnitentibus remittebat: hæc enim origo, primusque fuit usus Indulgentiarum; & Tridentinum Concilium videtur, inquiunt, hanc probare sententiam, præcipiens, ut Indulgentiæ, quarum usus est retinendus, ad veterem consuetudinem redigantur. Sed cum hæ Canonicæ pœnæ jam obsoleverint, nonne Indulgentiarum virtutem, ac usum quodammodo ad nihilum redigeret, qui illas coarctaret ad supradictarum Canonicarum pœnarum supplementum? Docent alii, quemadmodum Indulgentia, & pœnarum peccato debitarum remissio illis tantum concedebatur, qui incœperant impositam sibi peragere pœnitentiam, & qui in eadem erant perseveraturi; sed qui propter infirmitatem illam ad finem usque perducere non poterant, vel qui in periculo erant, ne vitæ prius, quam pœnitentiæ finem facerent, eo in casu seu ad intercessionem, & commendationem Martyrum, cujus quàm maxima ratio habebatur, videns Ecclesia eorum fervorem, & dolorem, quem ob scelera sua testabantur, imminuebat tempus pœnarum, quas illis imposuerat, & quod supererat, quasi ritè persolutum censebat. Ita, hi Doctores inquiunt, illi tantum, qui suum probarunt dolorem magnis susceptis austeritatibus, & qui pro viribus divinæ satisfacere justitiæ conantur, merentur Indulgentiam, quæ illis Domini satisfactiones applicans, iis, quæ remanent, suppleant. Sed præterquamquod solus patratorum criminum dolor tantus esse potest, ut sine ulla indulgentia sufficiat, ac satisfaciat pœnæ universæ, quæ criminibus debetur; & ille cum ad Sacramentum recipiendum satis est, magnam semper pœnarum partem remittit; quis non intelligit hac doctrina coarctari potestatem, quam Dei Filius sine ulla restrictione concessit Ecclesiæ omnem æquè pœnam, atque culpam peccati remittendi? *Quodcumque solveris*; Ecclesia verò nonne fideles falleret, ac se ipsam quoque deciperet suæ potestatis ignara plenarias Indulgentias impertiens? Hoc sanè cogitari non potest, quin erroris, vel imprudentiæ redarguatur. Alii denique Ecclesiæ hac in re auctoritatem agnoscunt; sed ex hac integra remissione eximunt pœnitentias in confessionibus, quæ Jubilæum præcesserunt, inflictas, neque adimpletas, & eas, quas Confessarii infligere possunt, in eadem Confessione, quæ præcipitur, tamquam dispositio ad Indulgentiam, vel Jubilæum lucrandum. Sed licet huic innitantur rationi, quod satisfactio pars est Sacramenti, quod pro dispositione requiritur; & licet pœnitens teneatur completum efficere Sacramentum impositam adimplens pœnitentiam: magis sana tamen opinio, magisque Ecclesiæ sensui conformis est; Indulgentia, cum plenaria est, omnes remitti pœnas, immo etiam satisfactionem impositæ pœnitentiæ, si quis humanis decederet, quin improbè illam omisisset; tandem enim redeundum est ad illa verba, quibus nihil excipitur in ea, quæ confertur, potestate solvendi, ac remittendi quidquid Cœli aditum intercludere posset homini, qui lucratus Indulgentiam vita defungeretur. *Quodcumque solveris super terram.*

Indulgentiæ legitimè collatæ non probāt relaxationem, neque pœnitentiā enervant.

Vidimus jam ad plenariam Indulgentiam lucrandam opus esse semet disponere gratiæ statum acquirendo, ideoque absolutè peccatum, & proximas peccati occasiones omnino relinquendo, quod quidem in pœnitentia difficillimum est, & maximè essentiale. Indulgentia autem, & Jubilæus qui nobis offertur, occasio acceptabilis est ad flagitia deserenda, atque cor, & mores immutandos, ad quod in Bullis suis nos invitant Pontifices, ut in statum adducamur a Deo obtinendi, quod pro Ecclesiæ bono enixius efflagitant. Igitur tantum abest quod hoc nos a pœnitentia dimoveat, ac illius spiritum extinguat, quod nonnulli asserere non dubitarunt, spe absolutissimæ peccatorum nostrorum veniæ, & pœnæ illis debitæ; ut immo ad pœnitentiam nos invitet, nos alliciat, & illius nobis omnia præbeat subsidia. Sin autem veteris Ecclesiæ praxis adferatur in usu Indulgentiarum; respondebimus Ecclesiam sapienter morem illum secutam fuisse, dum primus Christianæ Religionis fervor minimè intepuisset, licèt aliter efficere posset; & quemadmodum immutavit consuetudinem, ac disciplinam in rebus plurimis, præsertim verò in iis, quæ ad pœnitentiam pertinent, cujus rigorem moderata est, ut filiorum suorum infirmitati indulgeret, ita nunc uti hac potestate, ut per indulgentias Cœli viam illis sternat faciliorem.

Quid sibi voluerit Tridentina Synodus Indulgentias secundum veterem consuetudinem moderata.

Qui spiritu severitatis acti adversati sunt indulgentiæ, qua hodierna die utitur Ecclesia, student in partes suas Tridentinam Synodum pertrahere, quæ retinens usum Indulgentiarum, utpote Fidelibus saluberrimum, jubet eas ad veterem consuetudinem revocari, unde arguunt, illis nullam vim, nullamque inesse virtutem, nisi quam mutuantur a pœnitentia, cujus, ut ipsi loquuntur, Indulgentiæ non aliud sunt, quàm supplementum. At, ex hominibus ejusmodi, quibus veteris disciplinæ ratio adeo cara est, liceat mihi sciscitari, utrum Synodus illa restituere voluerit pœnas Canonicas, eadem ratione usura, qua olim utebatur Ecclesia? Hoc enim inane fuisset consilium, & quod adimpleri nullo pacto valuisset. An voluerit eam auferre potestatem, quam contulerat Deus Ecclesiæ capiti remittendi culpam, & pœnam peccatorum, vel saltem eam coarctare, eique limites statuere, vel denique potestatis hujus exercitium infringere? Hoc profectò dici nequit; vult enim Indulgentiarum usum, utpote fidelibus salutarem, retineri. Hoc unum igitur dicendum restat non aliud statuere voluisse, nisi ut ea confirmarentur, quæ a Lateranensi Concilio, & aliis, quæ præcesserant, jam fuerant sancita; ut videlicet auferrentur abusus,

fuit, qui obrepserant in hujus thesauri dispensationem, & qui novissimis illis temporibus, quod neminem latet, eò pervenerant, seu per Ministrorum avaritiam, quæstum inde facere quærentium, seu per eorumdem ambitionem vindicantium sibi potestatem, ac jus illas pro ingenii sui libidine distribuendi, ut nimis frequens illarum usus aliis quidem eas contemptibiles faceret, aliis verò ansam præberet negligendi pœnitentiam, sperantibus, se modico sumptu Divinæ Justitiæ satisfacturos. Prætereaquamquod cum Synodus ista præcipit, ut Indulgentiarum usus secundum veterem consuetudinem reformetur, haud illa quidem primi sæculi, sed sequentium sæculorum intelligit consuetudinem; quibus cœptum est iisdem uti ad fideles ad opera bona excitandos, vel ab obtinendum a Deo auxilium, cum Ecclesia gravibus premeretur necessitatibus, tunc enim propriè initium fecit consuetudo illas distribuendi eo modo, quo cupit Concilium, videlicet infrequentiùs, & ob gravissimas causas, & minori largitate, quam antea.

De Indulgentiarum vetustate. Hoc tamen non prohibet, quominus Indulgentiarum usus in Ecclesia æquè vetustus sit, ac ipsa Ecclesia; quandoquidem illis usus est Sanctus Paulus erga incestum Corinthium, cui impositæ pœnitentiæ partem remisit. Liquidò constat etiam morem hunc semper deinceps obtinuisse, ut patet ex Tertulliano eo in libro, quod ad Martyres scripsit; ex Sancto Cypriano in epistola 15. & in tractatu de lapsis tempore persecutionis; ex primo Nicæno Concilio, & ex Ancyrano, quod priori est antiquius. Profectò Sanctus Thomas testatur, Sanctum Gregorium instituisse Indulgentias Stationum Urbis, ac septennii indulgentiam concessisse illis, qui ea inviserent Templa, quemadmodum deinde successores ejus eidem rei plenariam Indulgentiam concessere. Ad hæc certum est remissiones, quas Martyres intercedebant peccatoribus, pœnarum eisdem impositarum, fuisse quoque pro pœnis, quas divinæ debebant justitiæ; alioquin parum his fuisset iis liberari pœnis, quæ peccatis suis debebantur coram hominibus, nisi & coram Deo fuissent liberati. Hoc autem explicitis verbis Tertullianus, & Sanctus Cyprianus testantur.

D. Thom. in 4 dist. 20. art. 3. q. 3.

De Indulgentiis pro Defunctis. Hic locus non est verba faciendi de Indulgentiis in Defunctorum gratiam concessis, scire tantùm necesse est, hoc discriminis inter esse inter has, & eas, quæ viventibus conceduntur, quod illæ quidem in absolutionis, & remissionis, hæ autem in suffragii, & precum formam tribuuntur. In hoc mundo Ecclesia remittit pœnas peccatis debitas auctoritate simul, & precibus, in altero verò precibus tantùm; & indulgentiæ quas in altero hoc modo largitur non aliud sunt quàm vota, & satisfactiones, quas offert Deo, ad obtinendam illius misericordiam, qui dignatur ex thesauris, quos ipse reliquit, accipere solutionem pro temporalibus pœnis, quæ sibi ab animabus Defunctorum debentur.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, & nuperis Concionatoribus loci hujus argumenti.

Indulgentia, & Jubilæus via est compendiosa, atque extraordinaria satisfaciendi justitiæ Dei. Tempore hoc, vel nullo imitari oportet Apostolum, & in nobis adimplere ea quæ desunt Passioni Dominicæ operibus pœnitentiæ; a Deo petere veniam, & indulgentiam peccatorum nostrorum satisfactionibus condignis, & quæ delicta nostra maximè deceant, quemadmodum loquitur Sanctus Cyprianus: *Deum plenis satisfactionibus deprecemur.* Jubilæus est indulgentia composita ex Sanguine Dei, & lacrymis, jejuniis, precibus, atque eleemosynis peccatoris pœnitentiam agentis, quæ divinæ justitiæ ultiones exhaurit, & ignem iracundiæ ejus extinguit. Divinæ autem justitiæ satisfaciendi duplex via est, ordinaria altera, altera extraordinaria. Prior illa via est pœnitentiæ; jejuniorum, precum, eleemosynarum; quibus nemo nocens uti non potest. Altera verò est via gratiæ, & quædam misericordiæ simul, justitiæque commixtio. Hæc extraordinaria est, nam modico multum acquirimus, levibusque sumptibus Divinæ satisfacimus justitiæ; unde duplex discrimen pœnitentiam inter, & Jubilæum esse argumentor. Primum est, pœnitentiam lento gradu procedere; plurimum in eadem temporis requiri; hodierna die jejunium, crastina aliud; quemadmodum plurimum requiritur temporis, ut ad ultimum usque quadrantem æs alienum dissolvatur, cum paulatim, ac per intervalla dissolvitur. At per Indulgentiam divinarum misericordiarum compendium assequimur; ibi præceps fit operatio; præproperum iter est, & quod integris pœnitentiæ annis vix expiatum fuisset, unico Indulgentiæ die expiatur. *Pat. Texier. Sermone de Jubilæo, qui est ad Calcem Dominicalis.*

Quidam Ecclesiæ Patres pœnitentiam vocant *compendium pœnarum æternarum*; quod enim Divinæ debemus justitiæ in æternitate paucis diebus per pœnitentiam expiatur. Indulgentiam verò ipsius pœnitentiæ compendium dicimus, quia pœnitentia majori nobis labore stat, ipsa Indulgentia. Aliud quoque discrimen est, quod peccata expiare per districtam hanc pœnitentiæ viam difficile est, sed per Indulgentiam facile: illa enim Baptismus est justitiæ, hæc misericordiæ. Ita tria Baptismi genera quodammodo distinguere possumus. Baptismus aquæ nullo stat pretio illum recipienti; Baptismus pœnitentiæ, multo; Baptismus Indulgentiæ inter utrumque positus modico; ibi enim exiguis sumptibus generalem omnium peccatorum nostrorum expiationem nanciscimur. Hæc est commixtio quædam satisfactionum, & JESU CHRISTI, & peccatoris; modicum illud, quod peccator confert, plurimi æstimatur. Attamen Jubilæis nequaquam nostris, sed præsertim Dominicis innituntur satisfactionibus; etenim Dominus JESUS hanc nobis Indulgentiam suo cruore promeruit, nobisque meritorum suorum thesauros reliquit, ut his sumptibus locupletaremur. *Idem.* Ejusdem Sententiæ confirmatio.

Si quis ex me quæsierit, cur Dei Filius Summis Pontificibus contulerit potestatem ita sanguinem suum per indulgentias, & Jubilæos applicandi; hoc sanè fieri voluit, ut nos facilius salutem consequeremur. Illi non satis est æternas Inferni flammas extinxisse; vult etiam hoc sanguine exsingui temporalem pœnam, quam divinæ justitiæ debemus. In primitiva Ecclesia, ubi Fideles zelo succensi erant atque ferventes, nullum erat opus Jubilæis ad commissa scelera expianda: illi sese subjiciebant gravissimis pœnis, easque alacri animo subibant; neque aliquid enixius optabant, quàm austerissima pœnitentia divinæ Justitiæ satisfacere. Sed quia lapsu temporis incepuit Charitas, nunc Jubilæis, atque Indulgentiis est opus, ut possimus perfectè cum Deo in gratiam reverti, & facere satis ejusdem justitiæ. *Idem.* Cur Dei Filius Summis Pontificibus contulerit potestatem applicandi meritum suum per indulgentias.

Non nostra tantùm, atque singulorum, sed rei quoque publicæ, hoc est pacis, pro qua preces effunduntur; refert lucrari Jubilæum. Neque animus mihi est hoc in loco belli horrorem vobis objicese, neque corda vestra ad miserationem flectere, ea mala describendo quæ bellum affert, vobis persuasuro, ut ad Deum confugiatis, ac ab eodem pacem petatis: Si enim Fideles sumus, nonne opus est, ut pro Fidelium sanguine, qui quotidie effunditur, lacrymas effundamus? nonne æquum est, nos deflere tot animarum interitum, quæ dæmoni mactantur? At certum est nullam obtinendæ pacis certiorem esse viam, quàm Jubilæum; opus est, ut mortales omnes consentiant, ut preces, jejunia, eleemosynasque consocient Dei iram lenituri, ejusque misericordiam impetraturi; & quemadmodum privatorum peccata Dei iram inflammarunt, ita opus est, ut privatorum preces, & pœnitentia eamdem extinguant. *Idem.* Publicæ interest rei, quod omnes Jubilæum lucrentur.

Quemadmodum reconciliatio perfecta, qua cum Deo Quantum debeamus

Deo, quod nobis suorum meritorum thesaurum reliquerit.

Euseb. Emiss.

Deo redimus in gratiam per Jubilæum sit propter satisfactiones JESU CHRISTI, Sanctæ illius Genitricis, atque Sanctorum; immortales illi gratias agere, & habere debemus, quia cum sit Judex noster, fieri voluerit pretium pro nobis erga sui Patris justitiam: *Ipsum video transire in pretium meum*. Cogitate non satis illi fuisse pro nobis semel pretium persolvere; sed in Ecclesia reliquisse thesaurum sanguinis, & meritorum suorum, qui nobis per Indulgentias applicatur. *Idem*.

Quanti referat lucrari Jubilæū, & Indulgentias. 2. ad Cor. 6.

Ibidem.

Hoc tempore, quo Ecclesia nobis aperit aditum, præbetque modum lucrandi Jubilæum, jure usurpare possumus hæc Apostoli verba: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis*; & Concionatores quoque ejusdem jussu ad populum sermonem habentes cum eodem Apostolo dicere possunt: *Adjuvantes exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ait enim: Tempore accepto exaudivi te, & in die salutis adjuvi te*. In hac civitate decem fortasse peccatorum sunt millia, & ultra, quorum vera conversio ideoque salus, ab hoc pendet Jubilæo. Cum tempus elapsum fuerit, volent quidem, ac converti non poterunt; quia nonnisi tenues gratias habentes, numquam emergent ex hoc statu, in quo versantur. Hæc magna est prædestinationis nota, David ait, quærere Deum, dum inveniri potest, & ad eum tempore opportuno confugere: *Orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno*. Vos igitur cum Spiritu Sancto obsecro, & obtestor per salutem vestram, ne labi patiamini vel unum adeo pretiosi temporis momentum. Hujusmodi Jubilæi, & Indulgentiæ non conferuntur quotidie; nostrum est singularibus hisce gratiis uti, cum a Deo offeruntur. *Idem*.

Psal. 31.

Indulgentia sæpe unica est, quæ nobis superstit via divinæ justitiæ satisfaciendi.

Nunnulli sunt, quibus non alia suppetit ratio expiandi peccata sua, præter Indulgentias, quia jejunia, preces, & eleemosynæ, quas faciunt, & quæ ad hunc effectum præcipiuntur, illis minus sunt materia satisfactionis erga Deum, quàm causa supplicii, itaut Indulgentiæ numerandæ sint inter Dei beneficia insigniora, & quorum maxime egemus; Nisi enim misereretur Deus nostræ infirmitatis; nisi aliquid de suo jure remitteret, si juxta rigorosæ justitiæ leges nobiscum ageret, quomodonam omnia delicta nostra expiare possemus operibus satisfactoriis, quæ exigua sunt, pauca, & sæpe etiam pluribus permixta defectibus, ut præclare nobiscum agi censendum sit, nisi nobis in peccatorum numero recenseantur? Quid ergo de nobis fieret, nisi Deus Indulgentias nobis conferre dignaretur? Sed tantum quidem negligentiæ, fidei verò tam modicum in mundo est, ut non multi videantur, præsertim verò peccatores insignes, qui ex tanto beneficio fructum percipere conentur: itaut adeo pretiosi muneris contemptus non sit postrema ratio, propter quam hujusmodi homines altera in vita diutioribus afficientur suppliciis. *Pat. Monfort, in libro de Charitate pro Defunctis*.

Cuinam reliquerit Deus Indulgentiarum dispensationem.

Cuinam jure attribuere possumus hanc potestatem conferendi indulgentias, & distribuendi pretiosum thesaurum hunc, nisi illi, cui Salvator dixit: *Tibi dabo claves Regni Cælorum: quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cælis; quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cælis*? Quisnam potiori jure hoc sibi vindicare potest, qui magis idoneus est ad hanc exercendam auctoritatem, quam Sanctus Petrus, & successores illius? Quàm Sanctus Petrus, inquam, cui Salvator suas oves commisit, cui Cœlorum claves tradidit, cui absolutissimam elargitus est potestatem ligandi, atque solvendi? Quid est habere claves Cœli, nisi illud aperire, & auferre posse, quidquid aditum illius intercludit? Quid autem prohibere potest, ne justorum animæ de corporibus egressæ illuc statim ingrediantur, nisi temporalis pœna subeunda, antequam janua illius aperiatur? Qui ergo Cœli claves accepit, accepit quoque potestatem obicem hunc auferendi, ut animæ nihil divinæ debentes justitiæ e corporibus non egrediantur, nisi e carcere suo ad Cœli gloriam migraturæ. Salvator apertè hanc memorat potestatem cum ait; *quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis*. Nihil excipit, ideoque quidquid animam ligare potest, eamque Cœli aditu prohibere, sive peccatum sit non remissum, sive pœna peccati jam remissi, omnia generatim his verbis continentur: *Quodcumque solveris*. Ita Sancto Petro nihilo conferimus majorem auctoritatem, quàm ab ipso acceperit JESU CHRISTO: & quemadmodum hæc auctoritas Petro collata fuit, non pro ipso tantùm, sed pro Ecclesia universa; Pastor enim minus suiipsius est, quàm gregis sui, ita illa ad successores ejus debet migrare. Igitur si JESU CHRISTI grex permanet semper, si nos ex hoc grege sumus æque ac primitivæ Ecclesiæ Fideles, eundem habemus Pastorem Sancti Petri successorem. Hujus igitur est nos absolvere, si quid peccamus, omniaque peccati vincula infringere, quæ nos in Cœli via remorantur. *Idem*.

Si Salvator S. Petro contulit auctoritatem dimittendi peccata; quomodo negasset potestatem leves aliquot pœnas peccatis debitas remittendi.

Si Salvator Ministris suis contulit potestatem dimittendi peccata, quæ antequam remitterentur, æternum merebantur supplicium; mirum videbitur, quod illi contulerit auctoritatem dimittendi quasdam pœnas, quæ post dimissa peccata adhuc persolvendæ supersunt, non quidem in Inferno in æternum, sed ad tempus in Purgatorio? Profectò multo minor requiritur potestas ad aliquem ex Purgatorio eruendum, quam ad prohibendum ab Inferno. Ideoque mirum potius esse deberet, si Salvator, cum Sancto Petro adeo absolutam contulerit potestatem absolvendi ab omni scelerum genere, negasset illi auctoritatem dimittendi leves aliquot pœnas, & si cum infernis ignibus conferantur, brevi duraturas.... Itaque si Ecclesia potest mortalia peccata dimittere, ideoque ab inferno servare, quæ illorum communis, & inevitabilis pœna est; quo jure inficiabitur aliquis, illam posse temporalem pœnam remittere, quæ superest in hac, vel in altera vita persolvenda, ubi semel peccata per Pœnitentiæ Sacramentum fuerint remissa? At pœnam hanc remittere posse nihil est aliud quàm posse conferre Indulgentias. *Idem*.

Veteris legis Jubilæus obsolevit, et novæ legis viget.

Nequaquam veteris Jubilæi tubis clangimus captivis nunciaturi, eos libertate esse donandos, in carcere detentis eorum compedes esse infringendos; ære alieno obstrictis, eorum debita esse dimittenda; iis qui hæreditatem suam alienarunt, hanc ad ipsos postliminii veluti jure esse reversuram. Evanuerunt umbræ, figuræ transierunt, veritas prorsus manifestata est. Ministri Domini in quibus ille posuit reconciliationis verba his diebus nobis pacem annunciant Jubilæum annunciantes; pacem ineffabilem, quæ juxta Apostoli sententiam excedit quidquid dicere, aut sentire possumus; pacem integram, atque perfectam, in qua Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis satis esse non putans nobis peccata nostra dimittere, ac nos iis liberare pœnis quas meriti fueramus, in additamentum Misericordiæ dignatur etiam temporales relaxare pœnas, quas sibi justitia ipsius reservaverat. *Ex Dictionario morali Sermone* I.

Cum Ecclesia loquitur de Indulgentia, & Jubileo loquitur de pace, & reconciliatione cum Deo.

Hoc posito, quod in dubium revocari non potest, Ecclesiæ jus esse Jubilæos, & Indulgentias concedendi, ajo, quotiescumque de illis nobiscum loquitur, toties de gratia, misericordia, remissione, pace loqui. Quid enim est Jubilæus? Est relaxatio, atque remissio pœnarum peccatis debitarum iis facta, qui verè sunt pœnitentes: relaxatio, & remissio non in hac tantum vita, sed in altera quoque valida, contra errorem Lutheri. Persolutio est pro nobis facta, qui ære alieno obruti, cum solvendo minimè simus, utimur thesauro, composito ex infinitis JESU CHRISTI meritis, quæ sola per se debita quæcumque dissolvere possunt, & ex plurimorum Sanctorum satisfactionibus, qui plura passi, quàm divinæ justitiæ deberent, nobis ingentes reliquerunt opes, quibus

locu-

locupletaremur, & Domino persolveremus quæcumque ejusdem justitiæ debemus.... Quæ igitur nostra cæcitas esset, vel stupiditas, nisi uti contenderemus hac gratia, quæ adeo generosè nobis offertur? Nisi aliud quodcumque negotium negligeremus, ut nosmet disponeremus ad hos pacis fructus percipiendos, qui modico, vel ferme nullo nobis stabunt impendio? Nisi tot occupationibus, quibus distrahimur, expediri nosmet pararemus cum alacritate id recipiendo, quod plurimis pœnitentibus tot lacrymis stetit? *Idem.*

Proprius Jubilæi effectus.

Directus, & immediatus Jubilæi, vel Indulgentiæ effectus non est peccata remittere; ea quippe jam remissa supponit; Est temporalium pœnarum relaxatio; oportet igitur non esse nos æternis obnoxios: Est additamentum gratiæ, & veniæ extra Sacramentum Pœnitentiæ; alia igitur gratia præcedere debet, quæ sit effectus Sacramenti: Est plena reconciliatio amicis concessa; hinc inde sequitur nos non amplius haberi tamquam inimicos: Est restitutio primorum baptismalis innocentiæ, quæ amissa fuerat, bonorum. Postquam in remota terra patrimonium dissipavimus, ut olim prodigus filius; cum gaudio paterna in domo recipimur, prima induimur stola; annulum, & alios ornatus, quibus antea decorabamur, deferimus: sed quando? cum prostrati ad optimi Parentis pedes, summo dolore confecti dicimus: *Pater, peccavi in Cœlum, & coram te: jam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut unum de mercenariis tuis. Idem.*

Utilitas, aliique effectus Jubilæi.

Secundum Canones antiquos pro uno tantum mortali peccato tot præcipiebantur anni pœnitentiæ, & tot pro alio. At quot peccata patrastis, ex quo rationis usum obtinuistis? nonne illorum numerus capitis vestri capillos excedit? Licet ergo pluribus sæculis viveretis, hoc vitæ spatium quantumvis diuturnum, satis fortasse non esset ut magnitudinem explere possetis earum satisfactionum, quas Divinæ justitiæ debetis. Quantum igitur est Jubilæi, vel plenariæ Indulgentiæ beneficium? Hoc non imminuit solum tempus impositum pœnitentiæ, qualis erat consuetudo Indulgentiarum, quæ primis Fidelibus concedebantur; non solum opem fert, ut ea quæ vel in hac, vel in altera vita debemus, persolvamus Deo: sed, quod Indulgentiæ, & Jubilæo est essentiale, modicis sumptibus immania persolvit debita, Deo propriis ejusdem bonis satisfacit, & ex thesauro meritorum Domini depromit, unde ad ultimum usque quadrantem quidquid debemus dissolvat. *Idem ex parte. Sermone 2.*

Ecclesia e re potius censuit hoc sæculo uti Indulgentiis, quam veteris pœnitentiæ severitatem revocare.

Novissimis hisce temporibus primorum sæculorum austeram disciplinam revocare velle, inter pœnitentiam, & peccata, in quæ aliquis lapsus est, eam exigere proportionem, quæ in primæva servabatur Ecclesia; restituere Canones antiquos, qui pane solo, & aqua jejunium servari, solo incubare, cineribus adspergi, & patientia plurimos annos probata expectare jubebat criminum absolutionem; idem esset ac extremis hisce caducitatis Christianismi temporibus ab homine senio, morbisque confecto id expetere, quod expetendum esset ex robusta, laboribusque assueta virilitate. Jactet, quicumque voluerit morum disciplinæ austeritatem; nunc tempus non est illam ad ea extrema redigendi, quæ ad desperationem adducant. Tempus non est docendi panem cum lacrymis esse miscendum, quod fecit David; cilicium induendum, ac caput cineribus adspergendum, quod Ninivitæ fecerunt: Doctrina hæc amara est, atque terribilis, quæ ut plurimum nullum potest fructum percipere. Sed nunc res considerandæ sunt, quales sese modo habent, quales esse permittit Ecclesia, quales tenera hæc, sapiensque mater utiles censuit, ut filios debitis exoneraret per dispensationem cœlestium thesaurorum, qui sibi fuere concrediti; & quos ipsa illis aperit Jubilæos, & Indulgentias elargiens. Quod primis illis sæculis fecit Ecclesia, sapientissimè factum fuit; quod posterioribus præstitit, non minorem sapientiam ostendit. Si per Jubilæos, atque Indulgentias imminuit, ac fere antiquavit veterum pœnitentiarum severitatem, id fecit, quod se facere posse, immo quod sibi faciendum esse existimavit. Pepercit illa filiorum suorum infirmitati, rationem habuit frigescentis eorum charitatis; & ne amitteret omnia; antiqui fervoris reliquias servavit, leniens, quoad potuit, efficiens disciplinæ jugum, quod Christiani penitus fortasse excussissent. *Idem.*

Felicitas eorum, qui lucrati sunt Jubilæum.

Ullane aptiori uti possum comparatione ea, quæ sancto hoc Jubilæi tempore eveniunt, ostensurus quàm id in medium proferens, quod olim contigit Loth, ut de Sodomis educeretur. *Surge*, dixerunt Angeli ad illum divinitus missi, *ne & tu pariter pereas in scelere civitatis.* Hoc sane fuit divinæ prædilectionis erga Patriarcham argumentum. Sed ubi viderunt Angeli illum hæc dissimulantem, semper differentem exitum, ac tranquillè in tanto periculo permanentem, ac si illi nihil metuendum esset, relinquentes infinitum calamitosorum hominum numerum igneo, sulphureoque imbre consumi, hunc manu arripuerunt, atque ex nefario solo egredi coegerunt. *Eduxerunt eum, & posuerunt extra civitatem.* *Gen. 19.* Hoc prædilectionis, & prælationis est argumentum. Fatemini, o Fideles, numquid diebus istis aliquid simila vobis evenit? Ad id comparate impensas Dei invitationes, atque obluctationem vestram; charitate refertissimas Ministrorum ejus sollicitationes, & cunctationem vestram; saluberrima consilia, quæ illi vobis suppeditarunt; & animi vestri repugnantiam, qua illis adhærere perhorrebatis. Ipso Loth nocentiores, eos ita frigidè, & oscitanter audistis, quasi res vestra non ageretur. At demum gratiæ vis effecit, ut seriò conscientiæ vestræ statum reputaretis; misericors, & omnipotens manus vos periculo, in quo alii plurimi interierunt, eduxit: Ecce jam ad montem pervenistis, lætamini. Hanc autem respicite non solum tamquam personalem, verum etiam tamquam integram, & absolutissimam gratiam per solemnem Jubilæum concessam. *Idem.*

Quanta sit Jubilæi gratia.

Quædam sunt gratiæ, quas Deus secundum nostram intelligendi rationem nobis tamquam bonus, & misericors elargitur; & aliæ, quas plenis manibus effundit tamquam magnificus; vel si aliis me verbis uti placet, alia communis est, consuetaque misericordia, & alia, quam David magnam, & superabundantem vocat. In posteriori hoc sensu considerari potest gratia Jubilæi, qua Deo satis non est patrata nobis delicta, æternasque remittere pœnas, quas illa merebantur, sed excessu quodam Charitatis vult non exigere, sed remittere temporales etiam pœnas, quas justitiæ illius debebamus. Olim Cœlestes aquæ guttatim tantummodo, & in quosdam tantum locos decidere videbantur; sed hoc tempore universum Christianum orbem irrigant: Hic est universalis Jubilæus. In lege veteri olim tres tantum erant urbes refugii citra Jordanem, at deinde tres aliæ trans eumdem fluvium fuerunt. Satis aperta figura variæ agendi rationis, quam & primis sæculis, & novissimis hisce temporibus Ecclesia secuta est. Primùm quidem Indulgentiæ, spiritualia refugia erant infrequentiora, sed deinde facta sunt magis communia. Ecclesia, quam semper Dei Spiritus dirigit, antiquitus rarò aperiebat thesauros, quorum dispensationem illi credidit Dominus. Ejus filii tunc temporis ut plurimum omnis gratiæ divitiis abundabant; ferventes erant, virtutibus ornati, pietatis operibus dediti; hodie verò sunt pauperes, ære alieno gravati, parum solliciti ad essentialia Religionis suæ munera obeunda; quid melius efficere potest Ecclesia, Mater hæc amantissima, illis amorem, ac miserationem suam testatura, quàm per intervalla suppeditare subsidia, quibus in suis infirmitatibus roborentur, & ea, quæ divinæ debent justitiæ, persolvant? *Idem.*

D d Omnes

Piè, ac devotè adimplendæ sunt conditiones ad Jubilæum lucrandum necessariæ.

Omnes Pontificum Bullæ ad Jubilæum lucrandum præcipiunt Stationes, Ecclesiarum visitationes, preces, eleemosynas, atque jejunia. Quis ambigit utrum hæc omnia pietatis sensu, & eo, qui fieri potest, fervore præstanda sint? Indulgentia, & Jubilæus sunt compendiosæ satisfactiones; fervore, ut ita dicam, pensanda est diuturnitas, & severitas pœnitentiæ, quam juxta vulgatum divinæ justitiæ cursum peccata nostra promeruissent; In Stationibus hic sensus habendus est, Tot vel inutiles, vel noxios gressus protulimus ut ad creaturas accederemus; aliqui etiam efficiendi sunt, ut ad Creatorem accedamus, Tot obivimus locos, ubi innocentiæ jacturam fecimus; in templa etiam eundum est, ut illius reparandæ gratiam a Domino obtineamus. In precibus effundendis meminisse oportet, nos toties sine attentione, immo cum mentis evagatione, & sine constanti consilio relinquendi peccata orasse: opus est saltem, si volumus meritas pœnas nobis omnino remitti, opus, inquam, est ut ferventioribus, sanctioribusque orationibus flectamus Deum. Jejunia quoque satis exigua in numero præscribuntur; saltem illa diligenter servemus hac mente, aliquid videlicet, ex nobis addendi Indulgentiæ, & remissioni, mortificationum corporis, quas a nobis pœnitentia exegisset. Quod autem ad eleemosynam spectat, licet illam singuli suis viribus valeant aptare; attamen obliviscendum non est potissimam illius regulam esse debere charitatem, fervorem, & fructum, quem inde percipimus. *Idem ex parte.*

Divinæ interest bonitatis, quosdam habere dies, quibus uberius in nos suos thesauros effundat.

Mirum sanè esset, quod Reges, ac terræ Principes quibusdam in occasionibus, calamitosis, qui in carceribus detinentur, extraordinarias concederent gratias, & Deus, qui divitiis, & misericordia omnibus Regibus antecellit, pro creaturarum suarum libertate, & solatio nullas vellet conferre. Mirum sanè esset quod Principes illi ea die, qua regni coronam assumunt, vel qua triumphali curru in urbem invehuntur, in pauperum sinum ingentem auri argentique vim effunderent; & in Ecclesia nulli dies essent, quibus JESU CHRISTI thesauri aperirentur, ad eos ditandos, quos Divinus Salvator suo cruore redemit. Mirum denique esset, quod Cœlum non sine manifesto miraculo in Judæorum victum, atque solatium quemlibet quinquagesimum annum præ aliis uberiorem effecerit, & Cœlum ipsum invisibilibus Misericordiæ suæ prodigiis non effunderet in fideles animas quibusdam potius temporibus, quàm aliis gratiarum suarum copiam magis affluentem. Dicamus ergo, quemadmodum Divina justitia suos habet ultionum dies, ita & misericordiam dies suos habere veniæ, & Indulgentiæ. Consolamini igitur, veri Pœnitentes, consolamini, vos alloquitur Deus,
2. ad Cor. 6. cum ait; *Tempore accepto exaudivi te, & in die salutis adjuvi te.* Sed quandonam tempus istud accedet? Ecce adest: *Ecce nunc tempus acceptabile.* Hoc tempus est Jubilæi, quo Deus generaliter suas misericordias profundit. *Idem.*

Ejusdem argumenti.

Si credimus Divo Bernardo quoddam est tempus, quo Deus gratias suas ultra communem mensuram largitur. *In mensura contra mensuram, in mensura gratiæ, contra mensuram justitiæ.* Diceres, ut potestas, & charitas ejus magis apertis elucescerent signis, illum gratias suas erga peccatores duplò liberaliùs effundere, quasi eos vincere vellet, suis beneficiis illos obruens, atque de manibus eorum arma dejiciens, cum in ipsum gravius insurgunt. Hoc autem potissimum Jubilæi tempore copiosiùs suas gratias effundit, ac nocentissimos quoslibet peccatores invitat, ut participes fieri velint gratiarum, quas mortalibus omnibus vult elargiri, hoc tempore non solum dexteram illis tendit, & paratus est, ut omnia eorum peccata dimittat, sed etiam ut remittat pœnas, quas jure suo ab illis exposcere posset justitia. *Auctor Anonymus.*

Potestisne (Fideles) pati, hoc tempus adeo propitium, vobis elabi, quin inde omnem eam percipiatis utilitatem, quæ vobis permissa est, & ad quam ipsa vos hortatur, & invitat Ecclesia? Cum adeo solliciti sitis, ne vobis ulla elabatur occasio seu locupletandi, seu æs alienum dissolvendi statim ac exiguum aliquod cupiditatis vestræ oculis spei lumen affulget; solertes ut ea quæ vobis proponuntur, lucra assequamini, vel ut impendentem egestatem avertatis seduli, ut ab aliena charitate consequamini, quod vobis deest, ut ex carceris squalore emergatis, ubi sine hoc officio reliquum vitæ vestræ spatium in luctu, ac mœrore traduceretis, negligentes eritis, & oscitantes in cœlestibus beneficiis vobismet procurandis? Stupida inertia, vobis e manibus elabi patiemini præclaras hasce occasiones ea persolvendi, quæ divinæ justitiæ debetis, quin inde ullam percipiatis utilitatem? Felices hi, sed perniciosissimi dies, qui, ubi volueritis, non revertentur; effluentne, quin eam vobis suavissimam procureris pacem, ac libertatem, quam vobis promittunt? *Idem.*

Quantopere Jubilæus Christianorum præstet Jubilæo Judæorum.

Solemnitas hæc tantò est præstantior, quantò bona cœlestia atque æterna præstantiora sunt terrenis, & perituris, quæ lex servitutis, quæ non aliud erat quam figura, & umbra novi Testamenti, pollicebatur. Lex hæc promittebat, se Judæis restituturam dumtaxat possessionem terrarum, & hæreditatum, quas venumdederant, atque distraxerant, se illis reddituram corporis libertatem, quam amiserant, atque deleturam debita omnia, quæ conflaverant; at Jubilæo nunc fideles in spiritu libertatis renovantur, roborantur in spe adeundæ possessionis beatissimæ Patriæ, a qua propter scelera exciderant. *Idem.*

Dei misericordia apparet nobis per Indulgentiã pœnas peccatis debita remittens.

Hæc remissio pœnarum, quas peccata nostra nobis promeruissent, sine affluentia misericordiarum, quas hoc Jubilæi tempore nobis divina largitas confert; gratia hæc, quam adeo liberaliter nobis impertit, satis æstimari non potest; & si proprii sanguinis pretio severissima pœnitentia, crucibus, atque martyrio esset redimenda, alacriter tamen hæc nobis essent subeunda; at Dei Filius non vult semper adeo charo pretio nobis sua beneficia conferre, ac nos adeo gravibus pœnis necessariò subjicere. Ut saluti nostræ consuleret bonitas sua illum impulit, ut suaviori, faciliorique via contentus esset, quin justitiæ suæ jura violaret. Hæc autem via est indulgentiæ, quippe Ecclesiæ suæ contulit potestatem applicandi satisfactionum suarum thesauros, ut debitis nostris suppleret, & ut debita propriis ipsius bonis persolveret. *Idem.*

Hac in re Dei apparet erga homines lenitas.

Ratio illa, qua per intervalla utitur Ecclesia ad obtinendam a Deo remissionem temporalium pœnarum, quæ peccatis nostris debentur, est plenaria Indulgentia, & Jubilæus; ratio quidem admirabilis, qua non ad mollitiem palpandam, vel fovendam filiorum suorum relaxationem, & impœnitentiam utitur, sed ad infirmitates eorum recreandas, ad pœnas imminuendas, eisque ferendam opem, ut faciliùs Domini jugum ferant, ad illos Sanctorum meritis juvandos, ac se eorum imbecillitati accommodandum, qui pro peccatis suis satisfacere non valentes, ad infinitam Dei misericordiam confugiunt, cui nihil antiquius est, quam illis prodesse. Etenim propter illos thesauros Dei aperit eorum dispensatrix Ecclesia, eisque applicat infinita passionum Salvatoris merita, & superabundantes tot heroicarum animarum satisfactiones, quæ aliquid præstiterunt, præter ea, quæ facere tenebantur, ut salutem consequerentur. Ratio admirabilis ob virtutem suam; quandoquidem Ecclesia ea, qua donata fuit, facultate illis omnes temporales pœnas remittit, ita ut qui pluribus annis in Purgatorio permanere debuissent, si omnes adimpleverint conditiones, quas illa ad Jubilæum lucrandum requirit, illuc ne ad breve quidem momentum descendant. *Joly, Tomo 3. Propositionum; Propositione prima de Jubilæo.*

Indulgentiæ desum-

Veritas est a nullo Fidelium in dubium vocanda,

præ funt ex thefauro meritorum Salvatoris, & fuperabundantium fatisfactionum Sanctorum, & hic thefaurus eft in Ecclefia.

da, adeffe in Ecclefia thefaurum gratiarum; & meritorum, quem neque manibus, neque oculis attingimus, fed luminibus fidei detegimus, quibus innixi longè certiores fumus, quàm fi fenfuum noftrorum teftimonio confirmaremur. Hic autem thefaurus eft aggregatio eorum omnium, quæ JESUS CHRISTUS meritus eft per Incarnationem, Nativitatem, actiones, prædicationes, labores, paffiones, mortemque fuam. Eft etiam aggregatio operum omnium fuperabundantium omniumque fatisfactionum, quas ultra debitum præftitere Sancti, & quas animæ fideles, ufque ad fæculorum confummationem præftabunt. De hoc JESU CHRISTI meritorum, & gratiarum thefauro loquebatur Sanctus Paulus, cum Fidelibus Ephefi dicebat: Electus fui, ut docerem vos, quàm magni, immenfi, & inexhaufti fint ejus thefauri; quàm dives fit miferationibus, gratiis, meritis, fatisfactionibus. Quemadmodum autem merita, quæ in thefauro hoc continentur, infinita funt, etiam fi omnia commififfem flagitia, dummodo JESU CHRISTI fatisfactiones plenè mihi applicentur, horum criminum veniam confequar; & licet pœnæ omnes, quas animo concipere poffum, mihi fubeundæ forent, hæ nihilominus mihi remitterentur. Adde infinitis hifce JESU CHRISTI meritis fuperabundantes Sanctorum fatisfactiones; non quod earum fit opus ad hoc, ut nobis plena concedatur remiffio; fed, quemadmodum fcite magnus quidam Pontifex ait, honorem hunc Sanctis fuis deferre vult Dominus; illos in focietatem accerfens, ut eorum meritis majus pondus accedat, atque ut nobis aperiat hac in re fuæ mifericordiæ, atque juftitiæ œconomiam. Etenim adjuti, confirmati, roboratique mifericordia illius fæpe fecerunt ultra quam neceffe erat, ad prædeftinationis fuæ opus abfolvendum: & juftitia remunerari volens bonum gratiarum, quas receperunt, ufum, dignata eft eorum merita, & paffiones fuis conſociare, ut Ecclefiæ thefaurum componeret. *Idem.*

Clemens V.

Quod præfcribit Ecclefia ad Jubilæum lucrandum parum eft, fi conferatur cum iis, quæ Salvator paffus eft hanc nobis gratiam promeriturus.

Quid autem ex vobis requirit Ecclefia, ut tantum hoc boni affequamini? Tres jejunii dies? Quid iftud rei eft fi conferatur cum jejunio, abftinentia, mortificationibus Hominis Dei? Quid aliud petit Ecclefia? Preces aliquot, animæque veftræ elationes in Deum? Quid hoc fi conferatur cum Deo pro nobis in Olivarum horto deprecante, fanguinis, & aquæ fudorem effundente, fefe in terram profternente, ac pro nobis dolente? Quid præterea ad tantum obtinendum beneficium requiritur? nempe ut aliquot Templa vifitentur, & Stationes aliquot fiant? Quid hoc fi conferatur cum itineribus, laboribus, laffitudinibus, & pœnis, quas Deus trium ac triginta annorum fpatio pertulit? Æterne Pater quanam feveritate excipis Filium tuum, qua verò lenitate, indulgentia, charitate nos, qui fumus nocentes? Voluifti, Filium tuum poftquam labores inter ac pœnas moleftiffimam duxerat vitam, eidem finem in Cruce pendentem imponere, ex hominibus verò, qui centies meriti fuerunt infernum, aliquot jejunia petis, aliquot preces, eleemofynas, opera bona; nonne hic mifericordiæ, & bonitatis eft erga mortales exceffus? *Idem.*

Omnes temporales pœnæ per Indulgentiam plenariam, & Jubilæū remittuntur.

Pœnæ quædam propter peccata noftra fuerunt nobis impofitæ; quædam in fuperioribus Confeffionibus imperatæ nobis fuere preces, jejunia, eleemofynæ, aliaque opera fatisfactoria, quæ a nobis nequaquam abfoluta fuerunt, vel fi fuerunt abfoluta, cum minimè fuerint paria magnitudini peccatorum noftrorum, coram Deo remanfimus debitores. At fi Jubilæum lucramur, hæ omnes pœnæ nobis remittuntur. Deus licet feverus, atque diftrictus judex nos illis non fubjicit; & fi hoc in ftatu ex humanis decidimus, ubi Filii Dei merita nobis applicentur, ftatim beatæ æternitatis poffeffionem ingredimur... Hinc fit, ut ob hunc effectum comparari poffit Jubilæus cum Baptifmo, Contritione, & Martyrio; tantæ virtutis eft, ut

fi illius lucrandi felicitatem confequamur, tamquam modo geniti infantes evadamus; perfectiffimorum pœnitentium privilegium obtineamus, & fi mors ftatim ingruat, rectà pergamus ad cœlum, non dicam equidem paribus meritis, fed pari certe celeritate ac martyres ipfi. *Idem, Propofitione fecunda.*

Via indulgentiæ, & privilegii multò brevior eft quam pœnitentia, ut divinæ juftitiæ fatiffaciamus.

Inter cætera difcrimina, quæ occurrunt in pœnarum temporalium remiffione, quæ per pœnitentiam, & quæ per Jubilæum obtinetur, hoc etiam eft, quod per pœnitentiam non fine diuturnitate, ac difficultate obtinetur remiffio. E contra verò per Jubilæum brevi, & fuavi modo votorum fummam confequimur; & fi quem fcirem ita obduratum effe, ac in fe ita crudelem, ut parum follicitus falutis fuæ hac via omnibus liberari pœnis negligeret, huic profectò dicerem, quod olim Naamano ejus domeftici, cum ille fubiratus ab Elifæo difcederet, qui eidem præceperat, ut fepties in Jordane ablueretur lepra mundandus: *Pater*, dixerunt illi, *etfi rem grandem dixiffet tibi Propheta, certè facere debueras: quantò magis, quia nunc dixit tibi lavare, & mundaberis?* Hoc ipfum vobis dicerem, fi de Jubilæo lucrando vos parum follicitos intuerer. Etiamfi maria traducere juberemini, ut gratiam hanc quæreretis; etiam fi præciperet Deus, ut vofmet bonis omnibus exueretis; ut veftram libertatem, innocuafque voluptates abdicaretis, ut reliquum vitæ fpatium jejunaretis; ut in cilicio, & cinere aqua tantum, & pane viveretis, prompto, alacrique animo acceptandæ vobis effent omnes iftæ conditiones, ut integram pœnarum omnium peccatis veftris debitarum remiffionem obtineretis. Sed graves adeo pœnitentiæ nequaquam vobis imperantur; multò his minora petuntur; & veniæ facilitas vos non debet impellere, ut ad eam obtinendam omnes conatus veftros exeratis? Fructus quidem uberrimus eft, conditiones facillimæ, quid adhuc dubitatis? Ecce hic Jordanis fluit; illumne JESU CHRISTI cruore intuemini rubefcentem? Vofmet in illum conjicite, & certus fum vos lepra mundandos: *Lavare, & mundaberis. Idem.*

4. Reg. c. 5.

Jubilæum nequaquā collatum eft, ut Chriftianæ vitæ fuæ rationem negligant, vel remittant.

Deus hanc nobis gratiam confert debitas peccatis remittendi pœnas, non ut nofmet in officiis noftris remittamus, eaque negligamus; non ut in illius bonitate aliquem criminibus noftris prætextum inquiramus; non ut credendi occafionem arripiamus ipfum omnia facere, quin aliquid nobis faciendum fuperfit; fed illam confert, ut verum læfi numinis dolorem concipiamus, ut infinitæ ipfius bonitatis confideratio ad fatisfaciendum ejufdem juftitiæ nos adigat; ut, fi minus pœnitentiæ opera facere poffimus, faltem pœnitentiæ fpiritum tueamur. Hinc fit, eos falli, quorum in Jubilæo recipiendo non alia mens eft, quam iis exonerari pœnis, quas divinæ debent juftitiæ, ut rurfus fcelerum fuorum ftadium repetant, ac recentibus debitis obruantur. Ne erretis, S. Cyprianus ait; Ecclefia plenariam pœnitentibus largitur indulgentiam, fed tunc cum illos mœrore confici intuetur eo quod læferint Deum, an cum paratos videt illi certamini fubeundo, in quo turpiter ceciderc? *Pacem non dormientibus, fed vigilantibus damus.* Pacem quidem concedimus, at quibufnam? Non dormientibus, & qui foporem, ac ignaviam diligunt; fed qui vigilent, & qui melius, quàm antea fibimet vigilaturos promittunt. Pacem concedimus; fed væ nobis, fi concefferimus illam, ut mollitiem foveamus, & peccantium voluptatibus obfequamur; illam hoc tantùm fine concedimus, ut iterum, quæ abjecerant, fumptis armis, generofiùs quàm ante decertent. *Idem, Propofitione 3.*

Non negligenda eft adeo propitia occafio integrā, perfectamque peccatorum noftrorū veniam obtinendi.

Profectò licèt hoc tempore non aliud bonum affequi poffemus, nifi noffe, Dei Filium peccatoribus omnibus recipiendis effe difpofitum, ac paratum, ut nobis mortis, atque paffionum fuarum applicet fructus; ne egeftatum noftrarum fenfus nos deberet impellere, ne adeo præclaram occafionem e manibus noftris elabi pateremur. Illud ve-

rò magis urgere nos debet, quod in generali hac bonitate hoc præsertim tempore promittit; Justitiæ suæ severitatem se remissurum; non dico in iis, quæ ad peccatorum nostrorum pertinent culpam, (licet hoc Jubilæi tempore magis, quam alio quovis paratior sit veniæ huic concedendæ, & ad id illum communes Ecclesiæ preces magis disponant, hic nihilominus proprius non est effectus Jubilæi: semper gratiam hanc obtinere possumus ad Pœnitentiæ Sacramentum accedentes præterquamquod ipse quoque Jubilæus culpam jam ablatam fuisse supponit;) sed id quod propriè operatur, & quod Deus nobis potissimum offert, est remissio pœnarum, quas meriti sumus, & quas nondum divinæ justitiæ persolvimus; quapropter Indulgentiæ nomine appellatur. Quod majus nostris necessitatibus solatium Salvatoris largitas afferre poterat? Nonne hæc satis valida ratio est fidelibus omnibus, ut adeo propitia occasione uti velint? *Biroat in Sermonibus Dominic. Sermone* 1. *de Jubilæo*.

Hujus beneficii magnitudo.

Ecce, o Fideles, in Jubilæo, qui nobis offertur, ratio expiandi peccata nostra, divinæque justitiæ satisfaciendi; & illud ipsum, quod Sanctis viris tanto cruore stetit, gravissimas austeritates in corpus suum exercentibus, illud inquam ipsum nobis mitissimis conditionibus exhibetur; dummodo aliquot preces effundamus, aliquot jejunia servemus, aliquot erogemus eleemosynas. Salvatoris satisfactiones iis supplebunt, quæ nostræ desunt pœnitentiæ; ita illius faciemus satis justitiæ, atque quidquid huic debemus ad ultimum usque quadrantem persolvemus. Nonne nostra non tangi utilitate palam ostendimus, si adeo propitiam elabi patimur occasionem? Quid diceres de homine quopiam ære alieno gravato, ac ingentem auri vim debente, cui nunciaretur, omnia a creditore dimitti debita, dummodo aliquot tantum persolveret obolos? Si debitor hic adeo exiguam æris summam creditori suo denegaret, nonne jure illum insipientem diceres, qui adeo præclaram æris alieni dissolvendi occasionem sibi evolare pateretur? *Idem*.

Inter Jubilæi fines est obtinere pacem. Quid pro tanto hoc bono faciendum non est?

Communis Jubilæorum finis est obtinere pacem, quam Deus unus potest conferre. Ad id omnes thesauros suos aperit Ecclesia, nostrasque preces efflagitat ad irritati Dei, qui in mortales flagellorum omnium gravissimo animadvertit, bello videlicet, iram leniendam. Profectò quamvis pacem hanc respiceremus tanquam bonum merè temporale, vel politicam felicitatem, nonne teneremur Ecclesiæ votis velificari, ubi illa hoc a nobis deposceret? Quis nostrum tot annos propter mala, quæ bellum parit, illacrymatus non est, & pacem votis omnibus non expetivit? Omnes boni summo dolore confecti sunt videntes tantum sanguinis fluere, ac tot hominum vitam immolari. Sed ubi immania ad id infligenda fuere tributa, & hauriendus populorum sanguis ad belli sumptus efficiendos, quot in Cœlum emissa fuere suspiria, ut hæc pax tantopere concupita obtineretur? Mihi igitur persuadeo, nihil ulteriùs requiri, ut vestra cum Ecclesiæ votis consocianda esse censeatis. Verùm Ecclesia non petit pacem ob unum hoc bonum temporale, sed etiam propter causas longè gravissimas, quæ æternum respiciunt interitum filiorum suorum, cujus bellum ipsum est causa. Etenim si vacat animo repetere cruentam tot bellorum imaginem, quæ tot annis Europam affligunt, invenietis funestissimis præliis Ecclesiam mirum in modum fuisse afflictatam. Tot hominum millia in acie cæsa erant Ecclesiæ filii; cruor ille, quo tot agri maduere, cruor erat Fidelis; impetus iidem, qui prostraverunt oppida, Aras quoque everterunt. Inde verò quonam dolore contabuit videns tot Christianos per horum bellorum occasionem æternæ morti damnatos? Quomodo illi sine Sacramentorum usu excesserunt? Quomodo rabiem inter ac desperationem efflarunt animam? Nonne igitur meritò adnititur illa hisce malis finem imponere, Dei iram sedare, atque ad id assequendum nihil intentatum relinquere? At præsentissima, & efficacissima hujus boni obtinendi ratio est Jubilæus, qui in unum veluti corpus fideles omnes conjungit Dei misericordiam deprecaturos, ejusque justitiæ precum, jejuniorum, eleemosynarum, aliorumque bonorum operum, quæ hac mente fiunt, congerie satisfacturos. *Idem*.

Privata singulorũ, & communia Ecclesiæ totius bona pacem suadent.

Si privata salutis nostræ, & communia Ecclesiæ bona ex hoc pendent Jubilæo, nonne diligentissima cura nosmet ad illum lucrandum debemus disponere? Ita sanè; quamvis nullam ex precibus, jejuniis, atque eleemosynis perciperemus utilitatem, cum hæc ratio sit pacis obtinendæ, concordiæ inter Fideles Principes tuendæ, malis, quæ patitur Ecclesia, obicem afferendi; hæresis convellendæ, fideique promovendæ; profectò omnibus viribus adnitendum esset, ut hunc Jubilæum lucraremur. Opem hanc debemus Ecclesiæ hoc solatium deposcenti, illam debemus Patriæ, totique Europæ de gravissimis belli calamitatibus conquerenti. Illam nobismetipsis etiam debemus; & si nondum satis boni sumus, ut piis operibus tantam gratiam consequamur, saltem illi obicem injicere non debemus, atque eo in statu nos constituere opus est, ut per nos minime stet, quominus Ecclesia ea fruatur felicitate, quam cupit, & quam impensius efflagitat. Væ illis, qui per negligentiam suam, vel pravam animi dispositionem nihil ad hunc finem conferunt; sed multò magis væ illis qui eidem sceleribus suis adversantur. *Idem*.

Si hac non utimur occasione inexcusabiles sumus.

Si Jubilæum lucraturis graves diuturnæque nobisim perarentur pœnitentiæ, cilicia, vigiliæ, integrorum annorum jejunia, fortasse negligentiam nostram harum rerum difficultate excusare possemus; sed quænam sunt utilissimarum harum Indulgentiarum conditiones? Aliquot dumtaxat eleemosynæ, eæque secundum vires, vel potius voluntatem singulorum erogandæ; quorumdam Templorum, immo unius etiam visitatio; satis est enim juxta Bullæ verba unicum Templum invisere; tridui jejunium in una tantum hebdomada, a quo, si affecta simus valetudine, Confessarius dispensare nos potest: Numquid hæc nimia videantur peccatori, qui postquam millies infernum meritus est, qui post reconciliationem meretur adhuc Purgatorii supplicia, & qui justissimè omnibus mundi hujus cruciatibus potest torqueri? Numquid non inexcusabiles sumus, si hanc elabi sinimus occasionem non ultra fortasse nobis redituram? Eheu! Si miseris damnatis hæc affulgeret occasio; si Jubilæus, quem hoc in Templo vobis annuntio, ad inferni ostia prædicaretur, quid non efficerent animæ illæ nequam illum lucraturæ? Preces, jejunia, mortificationes; hæc non sufficiunt ad Dei iram leniendam; ad id omnes cruciatus martyrum sibi adoptarent. Sed quod illæ numquam habituræ sunt omni suppliciorum suorum æternitate, hoc nos confessionibus nostris, & Indulgentiarum lucro assequi possumus; utamur solùm divina misericordia, dum præsto est, ut nobis pœnas dimittat. Veniet aliquando illa dies qua nullus erit amplius Jubilæus, indulgentia nulla; & fortasse si præsentis occasionem negligimus, aliam quamlibet Deus nobis est ablaturus, bonitatis suæ contemptum subtractione gratiarum ulciscens; & fortasse tandem hic Jubilæus postrema erit vestræ salutis occasio. *Idem*.

Comparatio effectuũ Jubilæi, & Baptismi.

Sancti Patres pœnitentiam difficilem, molestumque Baptismum appellant. Baptismum imitatur, quia delet peccatum, illudque non secus atque hoc Sacramentum remittit. Sed est Baptismus severus, quia plurima requiruntur jejunia, plurimæque mortificationes, ut effectus suos consequatur. Sed longè mitioribus propositis conditionibus per Indulgentiam remittuntur peccata: hæc lenior est Baptismus, tum quod Jubilæus omnino delet peccata, tum quod ea facile, ac sine multo labore delet. Quemadmodum in Baptismo ad peccata omnia

expian-

expianda tres tantum aquæ guttæ sufficiunt cum vero dolore ob patrata scelera in eo qui baptizatur; ita ad Jubilæum lucrandum aliquot dumtaxat preces, jejunia, mortificationes sufficiunt. Itaque dici potest pro peccatorum expiatione triplex esse Baptismatis genus; Aquæ Baptisma, quod primum est Sacramentum Ecclesiæ, & hoc sine ulla severitate applicatur; Baptisma lacrymarum pœnitentium, & hoc cum magnis pœnis, atque austeritatibus confertur; & Baptisma gratiæ, quod in Jubilæo, atque Indulgentiis acquiritur. Tertium hoc est quoddam veluti inter utrumque temperamentum; habet enim aliquam pœnitentiæ severitatem, nam aliquis dolor, aliquot jejunia, ac mortificationis opera requiruntur; at aliquam habet Baptismatis facilitatem, eo quod Deus parum adeo requirit. *Idem*.

In Indulgentia aliquæ in nobis requiruntur satisfactiones quæ Dei satisfactionibus accedant.

In Indulgentia, & Jubilæo preces, & eleemosynas nostras Salvatoris meritis, & satisfactionibus consociamus; unde fit, ut quemadmodum exiguus aliquis rivus sese magno alicui fluvio committeet, & eodem alveo defluens, hac immixtione, & auxilio facilius in mare fertur, quò fortasse numquam pervenire potuisset; similiter lacrymæ, ac pœnitentiæ nostræ, quæ numquam in Dei sinum fuissent ingressæ, si solæ fuissent, cum Hominis Dei sanguine permixtæ instar exigui rivuli cum ingenti flumine magnificè in misericordiæ Dei sinum ferantur, ibi integram criminum nostrorum remissionem impetraturæ. *Idem, Sermone* 3.

Quomodo in indulgentiis, & Jubilæo Sanctorum satisfactiones cum Filii Dei satisfactionibus consocientur. *Apoc.* 4.

S. Joannes in Apocalypsi ait, se vidisse *tamquam mare vitreum simile crystallo*. Mare hoc, o fideles, inexhaustus est meritorum, & satisfactionum thesaurus, quem Salvator suæ reliquit Ecclesiæ, similis crystallo indesinenter & Patris, & suis oculis exhibens pretium, & dignitatem satisfactionum suarum, quæ infinita scelera valent expiare. Sed quemadmodum mare sexcentos sinu recipit exiguos fluvios, qui ibi desinunt non ex necessitate, quia non ideo augetur mare, sed potius ex quadam indulgentiæ specie, ut ibi recipiantur, ea partem immensi hujus pelagi constituant; unde fit, ut exigua hæc flumina nomen amittant, cum in abyssum eam ingrediuntur: ita Dei Filius in thesauris sanguinis sui recipit merita, & satisfactiones sanctorum, quæ ad peccatorum expiationem necessariæ non sunt; quippe Salvatoris satisfactiones ad id satis, & super abundant: easque recipit non ex necessitate, vel ut sua augeantur merita, sed quia mirabili bonitatis suæ consilio hanc patitur Sanguinis, lacrymarumque suarum, cum humanis commixtionem, ut mare hoc componatur. Hinc omnes istæ satisfactiones cum JESU CHRISTI meritis consociatæ nomen suum amittunt statim ac abyssum hanc ingrediuntur, & efficiunt, ut absolutè dicamus hunc esse generalem misericordiarum Salvatoris thesaurum, infinitum hoc ærarium humanis necessitatibus offerentis. *Idem*.

Discrimen inter eam satisfactionem, quæ Deo fit per communem pœnitentiam, & eam, quæ fit per Indulgentiam.

Quemadmodum in miraculosis curationibus, quas operabatur Deus, repente perfectam restituebat valetudinem: ita repente in Indulgentiis peccatum cum debita eidem pœna remittit. Pœnitentia non est adeo velox; sensim hæc expiat peccata: hodie jejunium unum, cras alterum: hodie una eleemosyna, perendie altera; lento incedit gradu non secus ac consuetæ morborum curationes. Sed in Indulgentiis satisfactiones, quas divinæ debemus justitiæ, repente fiunt, fiunt enim per applicationem meritorum Salvatoris, & cum S. Cypriano dicere possumus: *Non per momenta temporis, sed compendio gratiæ maturantur*. Hoc est pœnitentiæ compendium, quod non expectat temporum intervalla, sed momento eas persolvit pœnas, quæ plures annos a nobis ferendæ fuissent. Hinc locupletissimum etiam fructum percipimus; nam per Indulgentiam perfectè peccata nostra expiamus, quod rarò accidit pœnitentiæ. Et ratio est, quia per partes debitum persolvendo, numquam integra fit dissolutio, & semper debita recentia contrahuntur. Mensis, exempli gratia, pœnitentiæ pro mortali peccato requiritur; esto quidem, satis fervens, & Christianus sim, ut hanc pœnitentiam ad unguem adimpleam; verùm cum minime sim impeccabilis, nova subinde peccata, saltem venialia, committo. Hæc nova sunt debita, novæ obligationes, ideoque pro iis, quæ committo, peccatis novas subire teneor pœnitentias: hæc nova sunt debita, pro quibus divinæ justitiæ non satisfeci; sed Indulgentia, & Jubilæus triduo, ad summum quatriduo acquiruntur, & per ea, omnia ex asse divinæ justitiæ debita persolvuntur. Nonne hoc incomparabile bonum est? *Idem*.

Quo spiritu Jubilæum lucrari debeamus.

Cum Jubilæi effectus integra sit animarum nostrarum curatio, cumque involvat præteritorum criminum remissionem, & peculiarem gratiam, ne illa imposterum amplius committantur, Jubilæum hunc lucrari debemus duplici hoc spiritu, pœnitentiæ pro præterito, & conversionis pro futuro. Satis non est jejunare, orare, eleemosynas erogare; quemadmodum hæc opera destinata sunt, ut divinæ fiat satis justitiæ, ut peccatorum nostrorum venia oretur, & exoretur, ut actiones nostræ animentur; facienda sunt in spiritu, & veritate, ut veræ sint satisfactiones; facienda sunt in spiritu pœnitentiæ, ut, si minus Jubilæus re ipsa pœnitentiæ habet severitatem; saltem habeat semina doloris, & pœnitentiæ. Hac hebdomada incipitis implere conditiones, quas ad Jubilæum lucrandum requiruntur, incipitis jejunare, Templa invisere, eleemosynas erogare; at hic tantùm cortex est, atque externa species Jubilæi, hujusmodi actiones vos efficere oportet cum spiritu pœnitentiæ, cum sensu doloris; veluti nocentes, qui læsi numinis contumeliam reparare tenentur, & misericordiam deposcunt. Sed ubinam signa sunt hujus spiritus pœnitentiæ? Num major videtur in ore modestia, minor in vestibus pompa renidet? an potius videntur Fideles invisere Templa eodem satellitio stipari, eadem vanitate, eodem luxu ac si ad aliquod solatium pergerent; preces aliquot festinanter, modico fervore, modicaque attentione fundere, leves erogare eleemosynas, quæ ne minima quidem sunt pars ejus pecuniæ, quam in incertum aleæ jactum committunt; jejunare cum vespertina refectione, quæ aliis opiparum esse posset convivium, & quin ullum famis incommodum sentiant? Et putas hoc esse lucrari Jubilæum; hoc esse adimplere ea, quæ ad Indulgentiam, criminumque remissionem obtinendam præscribit Ecclesia? Haud ita sane. Non huic jejuniorum, orationum, & eleemosynarum generi peccatorum nostrorum venia, & pœnarum, quæ nobis debentur, remissio conceditur, si Jubilæi fructum, & bona percipere cupimus. *Idem*.

Jubilæus est perfecta reconciliatio cum divina Majestate, quæ a nobis læsa fuit. *Psal.* 50.

Cum Jubilæus fidelibus conferatur insolita divinæ misericordiæ effusione, animadvertendum est secundum Scripturæ stylum in Deo quamdam esse misericordiam, quæ propter insigniores ejus effectus magna vocatur: *Secundum magnam misericordiam tuam*. Divinæ misericordiæ idem accidit, quod ingentibus fluminibus, quæ semper æqua fluctuum suorum magnitudine feruntur, sed quæ aliquibus anni tempestatibus exundantia proximis agris afferunt ubertatem. Jubilæi autem tempore dicere possumus divinæ misericordiæ in Christianum populum fieri exundationem, & fidelibus gratiarum diluvium afferri. Hic divinæ bonitatis fluvius non adlambit solum radices arborum, quæ secus decursus aquarum sitæ sunt, ut Regius Psaltes ait; hoc est non iis solum se communicat, qui justi, ferventesque sunt, atque in ipsa fluminis ora consiti; verum ad nocentissimos quosque sese peccatores effundit, qui ab eodem quàm maximè distant. *P. Texier. Sermone de Jubilæo*.

INFERNUS.

Pœna Damni, & Pœna Sensus; Infelix Æternitas &c.

MONITUM.



Ondum aliquod pertractavimus argumentum hoc uberius, amplius, atqun difficilius. Omnes Concinnatores de Infernu sermonem aliquem sunt ulucubrati; neque su munere suo functos fuisse existimassent, si terribile hoc subjectum prætermisissent. De hoc ascetici omnes luquuntur; cumque hic sit ux præcipuis fidei articulis, atque ux iis, quæ difficillimè intelligi possunt; Theulogi eas sulvere, & explicare adnituntur difficultates, quas hominis ingenium obtrudere potuit. In tanta rerum ubertate, quæ ad hoc pertinent argumentum, ea deligemus, ut moris est nostri, quæ suggestum maximè decent, & quibus uti valeant Cunciunatores, ut Auditoribus suis Inferni, & peccati, quod ad illum sternis viam, salutarem metum incutiant.

Cum verò omnia, quæ in hoc argumentu pertractari possunt, redigantur ad privationem Dei, quæ vulgò Damni pœna vocatur; ad pœnam, quæ dicitur, sensus ab igne profectam, & ab aliis suppliciis, quibus in calamitosissimo eo loco damnati cruciantur; atque ad æternam duplicis hujus sævissimi tormenti durationem; mirum essu non debet, si Concionum systemata a nobis afferenda, vel ea quæ a variis Auctoribus mutuati sumus, sunt potius diversa ejusdem argumenti efferendi rationes, quàm variæ Concionum imagines; etenim quacumque ex parte spectentur, aliud profectù dici non potest.

Cæterum necessu non est admonere, exaggerationem Christianu Oratori, quolibet in argumentu antque pejus evitandam, in hoc nun esse metuendam; humana mens enim conciperu nequis cruciatuum Inferni magnitudinem; illud veru diligentissimè explicandum est, nec ob unum tantummodo mortalu peccatum hoc supplicium mereri; tamen nun operosum esse hic per pœnitentiam delere, quod in altera vita quibuscumque suppliciis minimè erit expiandum.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus Argumenti Structura.

I. 

Um superiùs jam monuerimus, quidquid de Inferno dici potest, redigi ad pœnam damni, quæ est summi boni privatio; ad pœnam sensus, quam ignis, aliaque tormenta gignunt; ac tandem ad æternam utriusque incomprehensibilis cruciatus durationem: Prima concionis idea quæ sese offerat inter varias rationes triplex hoc pœnæ genus efferendi, pertractandique, est eas una oratione complecti, neque separare quæ semper erunt in eo tormentorum loco conjuncta; & quæ tria solidæ, patheticæque concionis puncta suppeditant.

Punctum primum respicit pœnam damni propter privationem, ac absentiam Dei, cujus adspectus totam Cœli felicitatem constituit. Hujus supplicii magnitudo, quod capitale, atque essentiale damnati supplicium vocari potest, metienda est. 1. ex magnitudine boni, quod poterant adipisci, & de cujus spe dejecti fuerunt; cumque jactura hæc infinita sit, parit dolorem ineffabilem. 2. ex vi desiderii quo flagrant calamitosi illi, & ex conatibus, quos exerunt necessariò, ut illuc tamquam ad finem suum perveniant, sed unde semper repelluntur. 3. Ex earum rerum cogitatione, propter quas tanto bono exciderunt; quas fluxas, fragilesque solidæ, æternæque beatitudini præferendas censuere, cum facili negotio tantam evitare poterant calamitatem.

Punctum alterum; Sensus pœnam gignit ignis iræ Dei statu succensus, atque supernaturali virtute, ultra naturam suam elevatus: 1. Qui in animam æque atque corpus damnatorum aget. 2. qui in simplicitate essentiæ suæ quæcumque tormenta alia complectetur. 3. qui universali, ac intolerabili extensione sua immensum afferet dolorem.

Punctum tertium respicit æternam supplicii utriusque durationem. 1. Ostendi potest solidis argumentis illius æquitas, atque justitia. 2. Quomodo æternæ durationis cogitatio minimos quoslibet dolores non ferendos efficit, idcoque multò magis incomprehensibiles cruciatus. 3. Quomodo in infinita hac duratione, ne unum quid momentum vis tormentorum remittetur; hinc aditus ad conclusionem patebit, contra insanissimam hominum cæcitatem, qui parum adeo reputant, quod fortasse aliquando ipsis eveniturum est, neque sibi cavent, æternum supplicium evitaturi.

De pœnis Inferni generatim. II.

1. Inferni pœnæ certæ sunt, veræque; cum nihil sit constantius, vel probatius in Scripturis, Conciliis, Sanctorumque Patrum Sententia, nihilque rationi consormius, quàm quod destinaverit Deus locum, ubi post hujus vitæ stadium impii debita sceleribus suis supplicia patiantur.

2. Hæ magnæ sunt pœnæ, magnoque in numero, pares magnitudini læsæ majestatis, & indignitati peccatoris, qui Creatorem suum læsit, leges illius violavit, beneficiis ejusdem abusus est, & qui tot modis illum contumeliis lacessere est ausus.

3. Æternæ sunt, & numquam desituræ propter rationes exploratas, atque hoc in tractatu a nobis referendas.

De calamitoso reprobi in inferno statu, qui in triplici hac consideratione consistit, quæ jugiter animo illius obversabitur. III.

1. Subsidiorum, quæ sibi non defuere, quorum ope evitare poterat malum, quod culpa sua merisus est, quod illi ineffabilem dolorem gignit.

2. Causæ suppliciorum, quibus justissima Divinæ æquitatis sententia adjudicatus est, videlicet propter inane, fragile, fluxumque bonum creatum, propter honoris auram, propter momenti unius voluptatem.

3. Impossibilitatis, in qua est, eritque semper ex eo statu emergendi, quod quidem æternam illi adfert desperationem.

1. Præsens infelices damnatos urget incomprehensibilium, quas patiuntur, sensu pœnarum. IV.

2. Præteritum memoria scelerum, falsarumque voluptatum, quas in hac vita gustarunt, & quas æternæ beatitudini prætulerunt.

3. Futurum, æternæ suorum malorum durationis

nis intuitu, sine spe videndi cruciatuum suorum finem.

V. Calamitosissimi in inferno damnati patientur.

1. Pœnas in extensione immensas, quia animæ, & corpora, facultates, & sensus, quilibet propriis excruciabitur tormentis, præter ignis supplicium, quod ubicumque sæviet.

2. Pœnas crudeles, & intolerabiles in rigore suo.

3. Pœnas in duratione æternas.

VI. Tria de inferno Scriptura tradit, quæ sermonis partitionem possunt efficere.

1. Hunc locum esse, ubi reprobi a Deo separati sunt, ideoque omni carent bono: *Discedite a me maledicti.*

2. Locum, ubi ignibus infepulti sunt numquam extinguendis, semperque graviores animæ, corporique dolores allaturis: *In ignem æternum.*

3. Locum, ubi crudeles patientur morsus vermis numquam interituri, stimulos videlicet conscientiæ suæ, sensibilium dolorum, variorumque affectuum: *Et vermis eorum non morietur.*

VII. 1. Infernus locus, & status est, ubi malorum omnium congeries invenitur.

2. Nullum solatium, nullum ex aliqua parte refrigerium.

3. Nulla spe futurum ut desinant mala, & ex calamitosissimo carcere exitus pateat.

VIII. 1. Infernus malum est, in quod in singula momenta labi possumus, quod centies, ac ultra fortasse meriti sumus: sed hoc mirum est, quod paucissimi illud recogitent, quasi nihil sibi esset metuendum: *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* 21.

2. Infernus aliquid est adeo terribile, ut nequissimi peccatores illum reformident, ac tamen ita vivant, quasi nullus esset Infernus.

IX. 1. Inferni cogitatio, ex Sancti Chrysostomi sententia, impios facit: quia illius suffocant fidem, ut sese suis abdant cupiditatibus, videntes se pacatam ducere vitam non posse, donec infernum esse crediderint, in quo omnes voluptates suæ terminabuntur.

2. Eadem cogitatio, idem ait, bonos facit, nam ut tantum hoc mali effugiant, haud ægrè voluptates suas propriæ saluti sacrificant.

X. Hæc S. Bonaventuræ verba tribuere possunt argumentum Concionis de pœnis Inferni generatim.

1. *Acerbitate intolerabiles.* 2. *Æternitate interminabiles.*

Sin autem mavis concionem elaborare de sola damni pœna, quæ in supremi boni privatione consistit, plures inveniri poterunt rationes argumenti hujus efferendi, quæ semper ad eumdem finem colliment.

XI. 1. Hæc pœna damnato supremum auferet bonum, quod anima a corpore separata tantopere concupiscit, & in quod unicè tendit.

2. Bonum, ad quod validissimum jus obtinebat; quod illam acerbissimis doloribus excruciabit, eo quod culpa sua illius jacturam subierit.

3. Bonum denique, cum quo tantum habebat affinitatis. *Biroat in Quadragesima.*

XII. Ex triplici magnitudine de pœna damni ferri potest judicium.

1. Ex infinita magnitudine supremi boni, quod damnati amiserunt.

2. Ex magnitudine, admirabilique vi ejus desiderii, quo tanto bono frui concupiscunt.

3. Ex magnitudine juris, quod ad tanti boni possessionem obtinebant, & quo culpa sua exciderunt.

XIII. 1. Reprobi amisere Deum, eumque amittentes amiserunt omnia. Hæc jactura universalis est, & infinita.

2. Infinitum hoc bonum pro nihilo, pro terreno quæstu, pro fluxa voluptate amiserunt.

3. Illud ultrò amiserunt, attamen in æternum, ac citra spem ejusdem recuperandi.

XIV. 1. Damnatus rebellis est creatura, quam Deus æterno odio prosequetur. Ex Dei odio conjici potest magnitudo suppliciorum, quibus illum torqueri jubebit.

2. Damnatus quoque Deum vicissim execrabitur tamquam tormentorum suorum auctorem; Hinc conjici potest, quanta futura sit illius rabies, & furor contra Deum, & quanta illius desperatio videntis omnes conatus suos in irritum cedere.

XV. 1. Reprobatus a Deo per scelus recedit, Deus autem recedet in æternum ab eo per ultionem.

2. Creaturis per peccatum adhæret, & hæ Creaturæ æternum illi ejusdem supplicium futuræ adhærebunt.

XVI. De pœna sensus, de qua Concionatores aliqui seorsim concionem habuere: Deus igni in duplicem peccatorum abusum duplici pœnatum genere animadvertet.

1. Abusi sunt libertate sua, ut Deum offenderent; Deus verò captivos detinebit illos in igne, igneisque vinculis, & catenis alligabit illos: *Pluet super peccatores laqueos.* Psal. 10.

2. Abusi sunt creatis rebus illicitam in illis voluptatem quærentes; Deus verò hanc voluptatem violentissimo agentium omnium, igne videlicet, puniet. Itaque dolor, & captivitas duæ erunt impressiones, quas in damnatis ignis efficiet.

XVII. Ut intelligamus tormenti magnitudinem, quo inferni flamma reprobos discruciabit;

1. Considerari potest hic ignis in semetipso, & in natura sua: hoc gravissimum est, & crudelissimum omnium suppliciorum.

2. Considerari potest in manu Dei, illum excitantis, eoque ad reprobos puniendos utentis; tunc enim vires ejus auget Deus, ut illi majori dolore torqueantur.

3. In applicatione ad animam, & corpus damnati, qui indesinenter, ac sine ulla imminutione doloris in omnem æternitatem patietur.

XVIII. De mala æternitate, de qua justa nonnullorum Concionatorum exempla integra potest haberi concio: tria considerari possunt, ac ostendi.

1. Veritas, vel necessitas infelicissimæ hujus æternitatis contra infideles, & hæreticos.

2. Justitia ejusdem, docendo æquum fuisse, ut æternas constitueret pœnas Deus scelera in altera vita punituris.

3. Rigor, ostendendo æterni supplicii cogitationem damnatis esse pœnæ additamentum.

XIX. 1. De inferno minimè cogitare summa cæcitas est in Fideli.

2. Omnes conatus non exerere ad illum evitandum, extrema est, & inexcusabilis insania.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest ad propositas Concionum structuras exornandas.

Sancti Patres. Sanctus Augustinus, *in Enchiridio* conatur ostendere, quam grave supplicium sit a cœlesti gloria prohiberi.

Idem, vel Auctor sermonum ad Fratres in Eremo, *Serm.* 63. & 68. loquitur de horribilibus Inferni cruciatibus.

Idem, *Homil.* 16. *ex* 50. & *in Psal.* 68. ostendit reprobos æternis ignibus adjudicatos numquam ex tristi eo lacu exituros.

Idem, *l.* 3. *de spiritu, & anima*, prolisum instituit sermonem de inferni igne, vermi conscientiæ, aliisque damnatorum suppliciis.

Idem, *Serm.* 36. *de Sanctis*, ostendit quomodo, qui iisdem sceleribus sunt obnoxii, simul in inferno vincientur, & torquebuntur.

Idem, *Serm.* 4. *de Adventu ad judicium*, recenset pœnas, quibus in Inferno damnati excruciabuntur.

Idem, *l.* 21. *l.* 9. & 10. *de Civit. Dei*, loquitur de pœnis, quas in anima, & corpore patientur.

Idem, *in Psal.* 49. ostendere adnititur, quam grave supplicium sit in æternum a Deo separari.

Idem, *Serm.* 181. *de tempore*, docet quam crudele tormentum sit ignis.

Idem, loquitur etiam, *lib.* 16. *de Civit.* & *Serm.* 227. *de temp.* de damnatorum suppliciis.

Sanctus Gregorius, in hæc verba Matth. 8. *ejicientur in tenebras exteriores*, horribilem Inferni habet hypotiposim.

Idem, in verba Job: *Ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat*, amplum instituit sermonem de cruciatibus, quibus reprobi in inferno torquentur. *Lib.* 9. *in Job.* 37. 38. & 39.

Idem, *lib.* 15. *Moral. c.* 8. in hæc ejusdem Job verba: *Affligetur relictus in tabernaculo suo*, describit miserabilem reprobi statum.

Idem, *cap.* 34. *in cap.* 42. *Job*, & *lib.* 9. *cap.* 48. & 49. explicat quomodo ignis Inferni sine luce comburet.

Idem, *lib.* 4. *Dialog. cap.* 28. & 44. docet, materialem inferni ignem acturum in animas a corporibus separatas; & veritatem hanc certam esse confirmat.

Idem, *lib.* 6. *Moral.* in hæc verba Job: *in vastitate, & fame ridebis*; ostendit, quomodo damnati esurient, & sitient.

Idem, *Homil.* 40. *in Evang.* explicat hæc S. Lucæ verba: *Inter nos & vos magnum chaos firmatum est*; & docet quanam in re hæc separatio consistat.

Idem, *Homil.* 38. in hæc S. Matthæi verba, *cap.* 22. *Ligatis manibus, & pedibus ejus mittite eum in tenebras exteriores*; moraliter explicat, quomodo reprobi vincti sint, & quas pœnas patiantur.

Idem, *lib.* 34. *Moral. in cap.* 15. *Job*, ostendit damnatorum pœnam æternam futuram, & oppositam Origenis sententiam confutat.

Idem, *lib.* 8. *in c.* 8. *Job*, de pœnarum Inferni æternitate iterum loquitur.

Idem, *lib.* 15. *cap.* 11. *Job*, docet damnatorum singulos pro criminum gravitate, ac multitudine passuros, quod ipsum ostendit *in cap.* 39.

Sanctus Hieronymus, *lib.* 18. *in cap.* 65. *Isaia*, loquitur de igne inferni, & adfert hac de re Scripturarum testimonia.

Idem, explicans hæc Jeremiæ verba: *Plorans ploravit in nocte &c.* docet in inferno nullum futurum solatium, & ostendit quinam futuri sint dolores reproborum.

Sanctus Chrysostomus, *libro de Provid. Dei*, ostendit, nisi Deus hominibus minitatus esset Infernum, atque pœnarum æternitatem, paucos pro Cœli promerenda gloria fuisse laboraturos.

Idem, *Homil.* 24. *in Matth.* docet maximum damnatorum supplicium esse Dei adspectu carere; & inferni descriptionem exornat.

Idem, *Serm.* 25. *in Epist. ad Rom.* docet, ea, quæ de inferno dicit Evangelium non esse simplices minas, sed reales pœnas.

Idem, *Homil.* 50. *in cap.* 5. *Epistola secunda ad Corinth.* ostendit quàm terribiles sint pœnæ, quibus damnati eo in loco torquentur; præsertim verò quantum sit ignis supplicium.

Idem, *Homil.* 49. & 5. *Tomi* 5. de eodem loquitur argumento.

Origenes, *Homil.* 8. *in lib. Numer.* loquitur de pœnarum damnatorum inæqualitate.

Sanctus Basilius, *Orat. in Psal.* 33. terribilem habet inferni hypotiposim.

Idem, *Homil.* 50. *in Psal.* 28. explicat naturam ignis Inferni ardentis, quin luceat, & absumat.

Innocentius Papa III. *de Contemptu mundi c.* 10. docet damnatis nullam reliquam esse spem, nullam misericordiam.

Eusebius Emissenus, *Homil.* 1. *ad Monachos*, & ipse terribilem adfert descriptionem tormentorum, quibus damnati cruciantur.

S. Petrus Damiani, *Serm.* 60. hoc ipsum præstat.

Sanctus Bernardus, *Epist.* 252. reddit rationem, cur peccator in inferno æternum torqueatur.

Idem, *Serm.* 16. *in Cant.* tristem hunc locum describit, & illum testatur metum, quem de eodem concepit.

Idem, de eodem pathetice etiam loquitur *lib.* 5. *de Consider. ad Eugen. Pap.*

Hugo a Sancto Victore, *lib.* 2. *de Anima*, teterrimum eum locum, ejusque tormenta describit.

Sanctus Thomas, *contra Gentes lib.* 4. *cap.* 90. docet, quomodo materialis ignis in damnatorum animas agat.

Sanctus Bonaventura, *Tom.* 1. *Opusc. Opusc.* 1. fusius de Inferno verba facit.

Sanctus Bernardinus Sennensis, *Tomo* 2. *Sermone* 22.

Dionysius Chartusianus de quatuor Novissimis, *a cap.* 35. *&c.*

Sanctus Ephrem, Tomo 1.

Sanctus Dorotheus, *Doctr. Orthod. Tom.* 2.

Nemo fere ex Patribus est, qui in operibus suis de Inferno locutus non fuerit: ii, quos memoravimus, præcipui sunt.

Liber de Imitatione JESU CHRISTI, *libro* 3. *cap.* 24. Ascetici aliique.

Pat. Ludovicus Granatensis, in Duce Peccatorum, *cap.* 8.

Idem in Tractatibus de Consideratione Tract. 5. ubi quinque habet hujus argumenti Paragraphos.

Idem, in Memoriali fusiùs hac de re verba facit.

Cardinalis Bellarminus, *lib.* 2. *de Gemitu Columba*, *cap.* 2.

Cardinalis de Richelieu, in Perfectione Christiani.

P. Salianus, libro de timore Dei capite ultimo.

Drexellius, Tomo primo, Consideratione de Æternitate.

Idem, de damnatorum rogo.

Gabriel Inchinus de quatuor Novissimis parte 3.

Besse, præter sermones peculiarem edidit librum de Novissimis quatuor.

Cardinalis Bellarminus, peculiarem habet de Inferno tractatum.

Dionysius Chartusianus, in Speculo amatorum mundi, loquitur de æternitatis extensione.

Sanchez, de Regno Dei, *lib.* 8. *cap.* 5.

Petrus Canisius, de quatuor Novissimis *cap.* 3.

P. Caussinus in Aula sancta, Effato 18. de calamitosa æternitate.

Essais de morale, Volumine quarto, Tractatu secundo, capite sexto.

P. Guillelmus Stanihurstus de quatuor Novissimis.

P. Antonius a Sancto Martino a Porta, in libro qui inscribitur, *la Conduite de la Grace*, parte 2. tract. 3. ubi agit de pœnis damni, & sensus.

Celada, Commentario in Judith, egregia quædam habet hujus argumenti.

P. Guilleminot, in Sapientia Christiana *cap.* 6. ubi docet, Infernum esse; summum esse suppliciorum ejus rigorem, eaque supplicia æterna esse.

P. Guillorè, sub finem operum in unum Tomum collectorum, collationem habet de Inferno.

P. Croiset, Tomo 1. Considerationum Christianarum loquitur de infelici æternitate.

Lessius, de perfectionibus divinis; *in Serm.* 13. ubi de justitia Dei agitur, de Inferno quoque sermo est.

Reynerius de Pisis, in Pantheologia argumentum hoc Theologicè tractat, titulo, *Ignis Inferorum*.

P. Theophilus Reynaud, in Theologia naturali quærit, quomodo ignis materialis agere possit in animas.

Et Sanchez, Tertia parte.

Quicumque Meditationes concinnarunt, argumentum hoc non prætermiserunt.

A Ponte, aliique præter infinitos Asceticos in omnibus linguis, quos referre impossibile est.

Molinier, Sermone secundo pro feria quinta hebdomadæ tertiæ in Quadagesima loquitur, de pœnis Inferni. Concionatores præsertim recentiores.

P. le

P. la Jeune Oratorii Presbyter, Tomo 7. Sermonem habet de inferno, & tres de misera æternitate.

P. Reina, in Evangelium Epulonis, ostendit infernum esse locum tormentorum, mortis, & separationis.

P. Paulus Segneri, præclaras habet animadversiones in Concione hujus argumenti.

P. Deliugendes, tres edidit Sermones ejusdem argumenti, ubi agit de pœna sensus, de pœna damni, & de mala æternitate.

Joly, in Propositionibus suis tres habet sermones de Inferno. In primo ostendit pœnas inferni generatim; in altero dolorem, quem ex privatione Dei animæ damnatorum patiuntur; in tertio docet, quomodo ignis in anima simul, & corpore dolorum omnium acerbissimum pariat.

Biroat, in Quadragesima tres habet de inferno sermones. In primo, qui tertius est pro feria secunda post primam Quadragesimæ Dominicam loquitur de supremi boni separatione, deinde de sententia in reprobos ferenda: *Discedite a me maledicti*; in altero pro feria quinta post alteram Quadragesimæ Dominicam loquitur de miserrima æternitate; atque in tertio pro feria sexta post eamdem Dominicam loquitur de pœna sensus, quam ignis producit.

P. Texier in Adventu de Impio infelice, loquitur de misera pœnitentia, & conversione animæ reprobatæ in inferno.

Idem, pro feria sexta post secundam Quadragesimæ Dominicam loquitur de cruciatibus, quæ damnato ignis affert, & in Sermone feriæ tertiæ post quintam Dominicam, loquitur de infelici æternitate.

P. de la Colombiere, *Serm.* 55. differit de pœnarum inferni æternitate.

Idem, in Christianis Considerationibus de eodem loquitur argumento, aliisque inferorum suppliciis.

P. la Pesse, Tomo tertio duos habet sermones, alterum de pœnis, alterum de inferni æternitate.

P. Aurelianensis, Tomo 1. Sermonum loquitur de pœnis peccati in altera vita.

Inter Sermones P. Bourdaloue sermo est de inferno feria 5. post alteram Dominicam.

P. Giroust, *Tomo* 2. *Quadrag.* sermonem habet de sola pœna, quam ignis producit.

In Sermonibus Moralibus, non deest hujus argumenti sermo.

In Sermonibus Christianis Tomo 4. concio habetur de misero damnatorum apud inferos statu.

La Font, in Ecclesiasticis sermonibus, Propositione pro prima post Epiphaniam Dominica loquitur de jactura Dei in inferno, & pro tertia post eamdem diem Dominica loquitur de igne, aliisque inferorum suppliciis.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta agit de pœna sensus. In Tomo primo Quadragesimæ de infelici æternitate. In Tomo 2. & Dominicali Tomo 3. loquitur de pœna damni.

Essais de Sermons, pro Adventu, Dominicis, & Quadragesima, plures habet de Inferno Sermones.

Duo in altero Moralis Dictionarii Tomo inveniuntur.

Abbas de Monmorel, Dominica vigesimanona post Pentecosten.

Fromentieres, & de la Volpilliere hoc argumentum non prætericrunt, & pauci Concionatores ejusdem obliti sunt.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Scripturarum Applicationes huic Argumento.

Ignis succensus est in furore meo, & ardebit usque ad inferni novissima. Deut. 32.

Congregabo super eos mala, & sagittas meas complebo in eis. Ibid.

Terra miseriæ & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Jobi 10.

Luet quæ fecit omnia, nec tamen consumetur; juxta multitudinem adinventionum suarum, sic & sustinebit. Jobi 20.

Devorabit eum ignis, qui non succenditur. Ibid.

Vadent, & venient super eum horribiles. Jobi 20.

Mirabiliter me crucias. Ibid. c. 10.

Omnis dolor irruet super eum. Ibid. c. 20.

Mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ adversaris mihi. Ibid. c. 30.

Dabit ignem, & vermes in carnes eorum, ut urantur, & sentiant usque in sempiternum. Judith 16.

Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Jobi 21.

Pluet super peccatores laqueos. Psal. 10.

Ignis & sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum. Ibid.

Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium, & usque ad inferos peccatum illius. Jobi 24.

In diem perditionis servatur malus, & ad diem furoris ducetur. Jobi 21.

Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos. Psal. 48.

Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus. Psal. 96.

Devorabit eos ignis. Psal. 20.

Turbatus sum, & non sum locutus, cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui. Psal. 76.

Calix in manu Domini vini meri plenus misto, & inclinavit ex hoc in hoc: verumtamen fæx ejus non est exinanita, bibent omnes peccatores terræ. Psal. 74.

Cadent super eos carbones. Psal. 139.

Peccator videbit, & irascetur; dentibus suis fremet, & tabescet; desiderium peccatorum peribit. Psalm. 111.

Quis novit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare? Psal. 89.

Erunt gementes, & memoria illorum peribit. Sapient. 4.

Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, & traducent illos ex adverso iniquitates ipsorum. Ibidem.

Dicentes intra se, pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes. Sap. 5.

Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur. Sapient. 11.

Via peccantium complanata lapidibus, & in fine illorum inferi, & tenebræ, & pœnæ. Eccli. 21.

Sunt spiritus, qui ad vindictam creati sunt, & in furore suo confirmaverunt tormenta sua. Ecclesiastici 39.

Ibit homo in domum æternitatis suæ. Eccli. c. 12.

Iniquitates vestræ diviserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem ejus à vobis ne exaudiret. Isaiæ 59.

Potentes potenter tormenta patientur, exiguo enim conceditur misericordia. Sap. 6.

In sempiternum ascendet fumus ejus, à generatione in generationem desolabitur. Isaiæ 34.

Stuppa collecta synagoga peccantium, & consummatio illorum flamma ignis. Eccli. 21.

Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Isaiæ c. 66.

Calcavi eos in furore meo, & conculcavi eos in ira mea. Isaiæ 63.

Congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum, & claudentur ibi in carcere, & post multos dies visitabuntur. Idem, c. 24.

Flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam (terram.) Idem, c. 30.

Nocte & die non extinguetur, in sempiternum ascendet fumus ejus. Idem, c. 34.

Dilatavit infernus animam suam, & aperuit os suum absque ullo termino; & descendent fortes ejus, & po-

& populus ejus ; & sublimes, gloriosique ejus ad eum. Idem, c. 5.

Convertentur torrentes ejus in picem, & humus ejus in sulphur: & erit terra ejus in picem ardentem. Isaiæ 34.

Bibent de manu Domini calicem iræ ejus. Idem, cap. 51.

Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? Idem, c. 33.

Insanabilis est dolor tuus : propter multitudinem iniquitatis, & propter dura peccata tua hæc feci tibi. Jerem. 30.

Creatura tibi factori deserviens, exardescit in tormentum adversus injustos. Sap. 16.

Quare factus est dolor meus perpetuus, & plaga mea desperabilis? Jerem. 15.

Voca nomen ejus absque misericordia, *quia non addam ultra misereri domui Israel, sed oblivione obliviscar eorum.* Oseæ 1.

Paleas comburet igni inextinguibili. Matth. 3.

Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus. Ibidem, cap. 25.

Ligatis manibus, & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores. Ibid. c. 22.

Timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam. Ibid. c. 10.

Bonum est tibi debilem introire in vitam, quàm duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Marci 9.

Filii regni ejicientur in tenebras exteriores ; ibi erit fletus & stridor dentium. Matth. 8.

Ibunt hi in supplicium æternum. Ibid. c. 25.

Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Luc. 16.

Ut testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum. Ibid.

Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala ; nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris. Ibid.

Omnis arbor non faciens fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. Ibid. c. 3.

Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet. Joan. 15.

Qui dabunt pœnas in interitu æternas. 2. Ad Thessal. cap. 1.

In flamma ignis dantis vindictam. Ibid.

Horrendum est incidere in manus Dei viventis. Ad Hebr. cap. 10.

Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos. 2. Petri, cap. 2.

Angelos vero qui non servaverunt suum principatum, in judicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reservavit. Epist. Cathol. Judæ.

In diebus illis quærent homines mortem, & non invenient eam, & desiderabunt mori, & mors fugiet ab eis. Apoc. 9.

Hæc est mors secunda, & qui non est inventus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis. Apocal. 20.

Terribilis quædam expectatio judicii, & ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios. Ad Hebræos 10.

Blasphemaverunt Deum cœli præ doloribus, & vulneribus suis. Apoc. 16.

Missi sunt in stagnum ignis ; pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure. Ibid. 20. & 21.

Quantum in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum. Ibid. cap. 18.

Lacus iræ Dei magnus, stagnum ignis. Ibidem, cap. 14. & 20.

Exempla ex veteri, noveque Testamento deprompta.

Sodomæ, & Gomorrhæ incendium quædam est imago Inferni.

IN Sodomæ, & Gomorrhæ incendio exhibuit nobis Deus levem quamdam imaginem Inferni, ubi damnati igni, & fœtore criminum suorum æternum cruciabuntur. Ad hoc magnum Divinæ justitiæ exemplum animum eò diligentius advertamus, quia Dei Filius ipse nobis proponit impiorum horum oppidorum calamitatem tamquam exemplum illius, quæ improviso illos adorietur qui ab ea vitæ integritate, quam ille nobis præcepit, abhorruerint; ut cum terrorem nobis injecerit earum urbium justè incensarum supplicium, non obliviscamur ea, quæ JESUS CHRISTUS testatus est, futurum videlicet, ut qui Deo, Pastoribusque ipsius non obedierint, severius quàm Sodoma, & Gomorrha puniantur. Nobis dictum putemus quod per Sodomæ, & Gomorrhæ occasionem ille dixit de aliis quibusdam hominibus, in quos terribile judicium aliquod apparuerat: *Putatis, quod hi præ omnibus peccatores fuerint, quia talia passi sunt? Non, dico vobis : sed si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.* Ne sine sensu terribile hoc spectaculum intueamur. Nobismet exhibeamus populum integrum flammis immersum ; aperiamus oculos, ut conspiciamus unum ex gravissimis suppliciis, quæ Deus unquam palam exercuerit in peccatores, & quo ostendit, in thesauris suis habere non aquas solum, ut in mundi totius cataclysmo, ad terras purgandas ; sed sulphureos etiam ignes ad obruendos in inferis impios, quorum imaginem quamdam in nefariarum civitatum conflagratione proposuit.

Ægypti immobiles in tenebris detenti repræsentant damnatos igneis vinculis impeditos.

Ignis inferni, Scriptura inquit, damnatos in loco vinctos tenet, quin egredi valeant, vel minimum edere motum, ex quo solatium possint percipere; itaut damnatus ita igneis alligatus catenis tunc etiam postquam sæculorum myriades effluxerint, hærere debeat, quin violentum illud studium, quo suam amat libertatem, efficere valeat, ut locum mutet. Hujus rei figuram habemus in persona Ægyptiorum, qui justo Dei supplicio diu permanserunt. *Vinculis tenebrarum, & longæ noctis compediti*, ut ait Spiritus Sanctus. Sed damnati igneis vincientur catenis; itaut etiam si Deus ignis activitatem suspenderet, gravissimum tamen esset damnatorum supplicium, seipsos intueri æternum in flammarum carcere impeditos, quin sese movere unquam possint. *Sap. c. 17.*

Pœnitentia Esau post venditæ primogenita, figura est pœnitentiæ damnatorum.

In Genesi legimus, Esau, postquam sua vendidit primogenita pro lentis edulio, ne cogitasse quidem quonam excidisset jure per hanc venditionem: *Abiit parvipendens, quod primogenita vendidisset.* Sed cum vidit, inde fratrem paterna benedictione auctum fieri dominum sibi, ac se privatum agnovit hæreditate, quam præstolabatur; tunc agnovit errorem suum, & quantam subiisset jacturam, pro exigua, modicaque re adeo pretiosum privilegium amittens: *Irrugiit clamore magno, & consternatus est.* Ipsum pœnituit, atque clamores rugitusque edidit, qui parum a desperatione abhorrebant. Hæc fidelis est imago malorum, quæ damnatis accidunt, qui animam dæmoni vendiderunt, atque Deum pro fluxis, perituris que bonis, pro terrenis opibus, & misera aliqua voluptate amiserunt. Nunc surdis canimus, cum illis ostendere nitimur damnum, quod inferunt sibi, pro re abjecta, ac nullius pretii Paradisi gloriam, ac Dei possessionem abdicantes; hanc enim jacturam flocci faciunt: *Abiit parvipendens, quod primogenita vendidisset.* Sed cum sero functi videbunt irreparabilem supremi boni jacturam, sensum, sermonemque mutabunt. Intelligent quàm grave malum sit amisisse Deum, infinitum illud bonum, cujus sublimes, dignasque concipient ideas, atque illud pro nullius momenti voluptate, nec non in nullam reditus spem amisisse. *Genes. 25.* *Ibid. c. 27.*

Ani-

Israelitæ dolentes, quod procul a patrio solo absunt, figura est reproborum, qui in æternum a cælesti patria sunt absuturi.

Animo concipite Israelitarum mœrorem, qui Babylonem in captivitatem abducti, musica instrumenta perpetuo silentio damnata salicibus suspendebant, ac secus flumina Babylonis sedentes Jerosolymæ, cujus oblivisci non poterant, jacturam deflebant. Mente reputate quidquid illis postea contigit, cum de Civitate, ac regione sua a Romanis Imperatoribus ejectis Adriani Cæsaris edicto non solum interdictum fuit ad parentum suorum sepulcra ploraturos accedere, verum etiam ea montium cacumina ascendere, unde solum, in quo alti, educatique fuerant, prospicere possent. Hinc judicium esto de magnitudine desperationis reproborum, cum sedentes non secus flumina Babylonis, sed in ardentibus flammis, cum effundentes non lachrymarum fluvios, sed torrentes sanguinis; cum instrumenta musica non aliquot annorum, sed æterno silentio damnantes, recordabuntur non amplius civitatis Juda, neque templi Jerusalem, sed mirabilium, quæ toties de civitate Dei sibi narrata fuere: *Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei*. Recordabuntur funestæ illius sententiæ: *Discedite a me maledicti*, qua in omnem æternitatem & Deo, & omnibus misericordiis ejus privati fuere.

Psal. 86.
Matth. 25.

Deus produxit vitã Cain, ut ejus supplicia produceret imago eorum quæ in Inferno cũ reprobis Deus operatur.

Deus in æternum cum reprobis id efficiet, quod olim ad tempus cum Cain, qui deliberata nequitia peccaverat. Huic vitam produxit, ut supplicium produceret. Inussit illius fronti quemdam caracterem, ne quis vitæ ejusdem vim auderet inferre, & hoc pacto diutiùs ob patratam a se cædem punitus fuit. Mortem ille, tamquam beneficium expetebat; Deus autem diutius ultionem suam exercíturus, non patiebatur illum humanis decedere: *Cupidum mortis, ut lueret delictum, vetuit mori*, ait Tertullianus. Ita Divina justitia in reprobos sæviet, morientur illi quidem, sed in omnem vivent æternitatem; mors eorum mors erit sine morte, finis sine fine, vel potius finis eorum finis erit infinitus; ut mors ipsorum in pœnis suis sit immortalis.

Sensus Ægyptiorum tempore famis cum præteritæ fertilitatis recordarentur, alia imago dolorum, quibus reprobi torquebuntur.

Mecum reputate, quinam essent Ægyptiorum sensus, ubi beatorum opimæ fertilitatis annorum recordatio mentem eorum subibat, atque cogitabant, non solum adfuisse sibi propitiam in futurum tempus annonæ suæ consulendi occasionem, verùm etiam in omne reliquum vitæ spatium locupletandi. Cogitate, quænam fuerit eorum pœnitentia, & quonam dolore sibi metipsis hæc exprobaverint. Eheu nos miseros! quàm facilè poteramus, non unius tantum anni necessitati prospicere; sed in æternum rerum omnium affluentiam nobis comparare, & noluimus. Hæc sanè querela in calamitosorum eorum hominum ore justissima fuisset; verùm tanta est inter eorum, reproborumque calamitatem, inter eorum, & plurimorum mortalium cæcitatem disparitas, quanta umbram inter, & veritatem. Fames, quam illi pertulere, septennis fuit, sed reproborum erit æterna; illa remedium nacta est, licet maximo pretio comparandum, at hæc nullum inveniet finem; non defuit ratio, qua magna argenti vi illi sibi consulere possent; at nihil hos tantis liberare poterit pœnis: horum supplicium nequit remitti, horum sententia revocari non potest.

Evangelici Epulonis exemplum.

In Evangelio pauca tantum nobis suppetunt hujus argumenti exempla, aut imagines. Exemplum verò quod meliùs expressum est, nobisque aperit excessum tormentorum, quibus reprobi in inferno torquentur, & ea peccata, quæ ut plurimum illuc deducunt; Evangelici Epulonis est, sive illum tamquam simplex parabola proponatur, sive, quod fidei magis congruum videtur, tamquam historia vera narretur. Dicit Evangelium, divitem hunc virum post vitam in deliciis transactam mortuum fuisse, atque in Inferno sepultum: *Mortuus est dives, & sepultus est in inferno*. Animadverti possunt sepulturæ duæ longè dissimiles, quibus infelix iste dives elatus est, altera quidem quoad animam, quoad corpus alteram. Quemadmodum ille in rerum opulentia vixerat, in terra honoribus erat cumulatus, & post mortem etiam funebri pompa, magnoque cum honore illi parentatum fuit. Cadaver ejus magnificè elatum fuit, atque superbum illi extructum mausolæum. Licet nequam extitisset, non defuere tamen Oratores, qui illius laudes recitarent, eique illas tribuerent virtutes, quibus ornatus non erat. Verùm non eodem pacto anima illius tumulata est; alibique districto judicio, quin ulla vel opum, vel nobilitatis ratio haberetur, damnatus, pro meritis exceptus est. Cum enim corpus ejus magnificè tumularetur, anima ejus in dæmonum prædam cessit, & quin, ut illa pauperis Lazari, in Abrahæ sinum deferretur, præceps dejecta est in abyssum ignis, ardentibus involuta flammis, & eo redacta, ubi in omnem æternitatem non aliam, quàm infernum, sedem sit habitura. Aliæ suppliciorum ejusdem circumstantiæ satis notæ sunt, ac ex iis peti possunt, quæ a nobis sunt in Paragrapho sexto dicenda.

Luc. 16.

Fatuarum Virginum parabola.

Parabola a Salvatore apud Sanctum Matthæum *cap.* 25. nobis proposita, docet post elapsum vitæ hujus curriculum, reprobis, quibus Cœli aditus interclusus est, nullam reliquam esse spem illuc umquam ingrediendi. Virgines sapientes, quæ paratæ erant, ut Sponsi ædes introirent, illic admissæ fuerunt; illis verò, quæ fatuæ dicuntur, quia in lampadibus suis oleum neglexerant infundere, hoc est, quibus charitas deerat, & quæ malum non præviderant, quod ipsarum negligentia sibi conflare poterant, janua clausa fuit. *Quæ paratæ erant intraverant cum eo ad nuptias; & clausa est janua*. O clausa janua! o claustrum numquam reserandum! hoc in loco sapiens, piusque Ludovicus Granatensis exclamat: O bonorum omnium ostium numquam aperiendum! Hoc idem est, ac si Evangelista dixisset apertiùs: janua clausa est veniæ, misericordiæ, spei, gratiæ, meritis, omnibus denique aliis bonis, quæ sperari possunt; & nihil damnatis reliquum est, quàm æterna desperatio.

Matth. 25.

Parabola de eo, qui sine veste nuptiali ad convivium accedit.

Aliam habemus capite 22. ejusdem S. Matthæi parabolam, quæ in illius persona, qui ad nuptiale convivium accesserat sine ea veste, quæ in hujusmodi celebritate urbanitatis postulat ratio, nobis ostendit, quomodo sint aliquando excipiendi illi, qui sese præbuerunt indignos, qui ad gloriæ convivium admitterentur. Princeps, qui solemni huic cœnæ invitaverat, videns hominem hunc indecora veste indutum, statim ministris suis imperavit, ut illum pedibus, manibusque vinctis in tenebras exteriores projicerent. Hic Jerosolymæ carcer erat, ubi sontes coercebantur; atque ut innuat per tenebricosi hujus carceris allusionem, se intelligere infernum reprobis destinatum, addit in tristi eo loco ploratus, stridoresque dentium non defuturos.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum, huic argumento.

Damnatorum animabus imprimet Deus ideam, quæ erit velut crystallus quæ ipsum illis iratum exhibebit.

ASpectus crystalli horribilis. Ezech. 1. Ezechiel Propheta nobis descripturus iram Domini exercituum sese præparantis ad ultionem de inimicis reposcendam, illum exhibet sub imagine speculi e crystallo, sed crystallo horribili. Quid sibi vult Propheta? Nonne melius, juxta aliorum Prophetarum ideam, affirmasset, futurum, ut Deus sese ostenderet flammarum throno insidentem, vel tamquam ignem devorantem, vel tamquam ingentem nubem fulgura emittentem, atque in fulmina, atque tonitrua erumpentem? Hæc, mea quidem sententia, magis propria, atque emphatica extitissent ad Deum iratum exhibendum. Verùm hæc locutio mysterio non vacat. Propheta enim significare vult, Deum reprobos condemnantem eorum animæ impressurum quamdam suipsius ideam, quæ erit tamquam crystallus, ac terribile lumen, in quo, & per quod in omni temporum discrimine, ac per omnem æterni-

æternitatem videbunt boni illius magnitudinem, quod amiserunt, Deum amittentes.

Omnia vitæ hujus mala non aliud sunt quam guttæ iræ Dei; in inferno autem pluvia erit, & imber inundans.

Stillavit super nos maledictio. Daniel. cap. 9. Omnia perfunctoria mala, quibus nos Deus affligit in tempore, nihil aliud sunt, ut cum Scriptura loquar, nisi guttæ quædam flagellorum, quibus divina justitia Inferos inundabit: *Stillavit super nos maledictio*. Habitualis infirmitas languorem inducit; ægritudo opprimit; dolor acutus cruciat, & torquet; sed hæc non aliud sunt, quàm levo aliquod specimen terribilium malorum, quæ Deus minitatur, & quibus vos est percussurus, nisi illum præoccupare sategeritis: *Stillavit*. Lis vos turbat, bonorum jactura dolore vos afficit, inopinata calamitas vobis profundum mœrorem, & nonnumquam desperationem etiam inducit; verumtamen hæ nonnisi quædam guttæ sunt, super vos sensim stillantes: *Stillavit*. Immo Deus propriè non ita vos punit iratus; sed e contra diebus misericordiæ suæ ita visitat; Quid autem erit, secundum Prophetæ verba, cum in suo furore percutiet? Si gutta, Sanctus Hieronymus inquit, tantum vobis dolorem adfert, quid tandem erit, cum aggeribus, vallisque disruptis tumidus in vos undequaque torrens irrumpet? *Si tanta est stilla, quid erit torrens? Ex Patre Girousť Sermone de Inferno.*

Damnati pœnitentia, quod ob modicam voluptatem sese tantis tormentis objecerint.

Gustans gustavi paululum mellis, & ecce morior. 1. Reg. cap. 14. Damnatus inter supplicia sua recordatus præteritarum voluptatum, quæ tormentorum, quibus torquetur, causa extitere, nonne dicere poterit, ut Jonathas ultimo jamjam afficiendus supplicio, eo quod imprudenter paululum mellis gustasset: *Gustans gustavi paululum mellis, & ecce morior?* Me miserum! si fluxis, frugalibusque perfruens voluptatibus mortis periculo me tantummodo objecissem, minus mihi de imprudentia mea dolendum esset; sed amarissime doleo, semperque inutili pœnitentia discrucior, quod pro levibus, brevibusque voluptatibus memet malis numquam desituris objeci.

Sepultus est in inferno. Luc. 16. Evangelium de divite nequam æternis flammis damnato loquens ait, illum *sepultum* fuisse in inferno. Quemadmodum autem mortuus ingesta tumulatus humo, eadem undequaque tegitur; ita reprobi in flammis sepelientur, hoc est undequaque ignibus erunt circumdati: *Sepultus est*. Hinc illa figurata Scripturæ locutio; *pars illorum erit in stagno ardenti*
Apoc. 21.
igne, & sulphure; itaut quocumque se vertant, ubique eumdem ignem inveniant, quo circumdati sunt. Verùm non satis: ignis pervadet, permeabit, penetrabitque hæc corpora sævissimis devota doloribus, quemadmodum loquitur Sanctus Bernardus. *Corpora doloribus devota*. In igne erunt, & ignis in eis; itaut in omnibus sensibus sive exterioribus, sive interioribus unusquisque æquè cruciabitur.

Infernus Ignis æternus.

In ignem mittent, & ardet. Joan. 15. Salvator de ignis supplicio, quo in inferno reprobi sunt afficiendi eodem loquitur modo, quo de æternitate per verba temporis præsentis, semper permanentis: *In ignem mittent, & ardet*. Improbum hoc sarmentum, hoc est impœnitens peccator in ignem projicietur, & ardet; ubi dicendum videretur, *ardebit*; verùm non ita. In æternitate omnia sunt præsentia. Quærite ex malo divite, qui tot ab hinc sæculis illuc conjectus fuit, quid istic agat, & respondebit: *& ardet*. Quocumque momento, quod effluit, quacumque hora, die, anno, qui labitur, quocumque sæculo, quod in hac volvitur æternitate, hoc ipsum ex eo percontamini, & idipsum respondebit semper: *& ardet*: indesinenter ardet, ac sine ulla intermissione torquetur.

Infernus est mansio æterna.

Ibit homo in domum æternitatis suæ. Eccle. 12. Infernus domus erit, æternaque reproborum habitatio. Quot effluxere sæcula, ex quo malus dives ardet, & gemit in inferno? Numquid ideo ulla spes est, futurum ut inde aliquando egrediatur? Haud ita; illuc descendit, & hæc erit domus æternitatis suæ. Numquid post centum annorum millia, post decies centena millia, post millies centenas sæculorum myriades ibi adhuc aderit! O terribilem temporis mensuram! At hæc omnia dicit, qui verbo ait, mansionem hanc æternam fore; impios illuc relegari in æternum sine ulla spe illinc unquam egrediendi.

Peccata, quæ damnati patraverunt, illis semper erunt præsentia.

Non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum. Ps. 37. Nullam requiem vel habeo, vel habere possum, cum ante oculos meos omnia peccata mea statuo. Ita in aula sua loquitur quidem Rex, qui sexcentis vacare poterat solatiis, ut a mente sua cogitationem hanc amoveret. Attamen quamvis Rex sit, nullam invenit requiem, ubi præterita scelera animo repetit. Heu! quid igitur erit de anima inferno addicta, cui in omnem æternitatem semper, & necessariò peccata sua ob oculos versabuntur? Hoc in mundo facile peccatorum obliviscimur, & cum ab illis ultra nolumus torqueri, scimus illa post tergum rejicere, ut Sanctus Bernardus ait; sed unica animæ in Inferno occupatio hæc erit, sibimet jugiter ob oculos sua delicta objicere. Peccasti, & peccata tua vides; calamitas tua a te profecta est, & quarumque confusione suffundaris, quæcumque tua sit pœnitentia, omnia irrita sunt. *Ex sermonibus editis sub nomine P. Bourdalove.*

Malus mali divitis in Inferno status.

Mortuus est dives, & sepultus est in inferno. Luc. 16. Qui finis! quæ sors! Dives hic, beatus hic sæculi, voluptatibus abdictus, ac vitæ suavitatibus inebriatus; dives hic mortuus est; nihil illum fato surripere potuit, sed e terris sublatus, quid tandem est? Heu! corpus, cui adeo fuerat blanditus, intra paucos dies contabuit, & ex tabo vermes extiterunt, anima verò ejus sepulta est in inferno. Quam mutationem! quod discrimen! egredi ex domo magnificè ornata, instructaque, ex rerum omnium affluentia, ex delitiis, & voluptatibus, atque in infernum decidere simul cum scelestissimo quoque sepeliendum.

Inferni supplicium nulli ferendum.

Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante &c. Isaia 33. Mundana illa mulier, quæ mollem ducit vitam, quam minima aeris intemperies offendit, poteritne inter has flammas versari, atque ibi versari in æternum? Flagitiosi homines, quibus Domini jugum nimis grave est, atque leges Evangelii nimis austeræ, quomodo assuescere in Inferno poterunt ardoribus sempiternis, infinitis cruciatibus, & innumerabilibus suppliciis? Proh, quam horribile spectaculum! Princeps aliquis, hujus sæculi beatus, in inferno cum dæmonibus permixtus, circumdatus, impeditus, horrentibusque ignibus penetratus! Homo doctus, & insignis, qui in terris summa ingenii floruit celebritate, factus æternum eorum omnium opprobrium, quotquot in terris vixere, atque ad hæc in flammarum abysso sepultus. Ecclesiasticus ipsis etiam angelis venerabilis ob caracterem suum, qui tandiu adorabili Salvatoris corpore fuit innutritus, qui dispensator fuit pretiosi illius sanguinis, quo mundi peccata abluuntur, Sacerdos hic damnatus, Sacerdos hic in inferno æternum contra JESUM CHRISTUM blasphemias evomet! &c.

Timor Dei, qui æternis nos adjudicare potest suppliciis.

Timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam. Matth. 10. Merito quidem nobis dicere potes, o Domine, infernum unicum esse malum, quod verè sit metuendum. Quid enim interest coli, & in pretio haberi; rerum copia frui, & in delitiis versari, si damnor? Quid refert obscuram, mortificatamque vitam ducere, in oblivione, odio, & contemptu haberi, dummodo æternis ignibus non ardeam? Proh Deus! Si vis me scelerum meorum pœnas luere, ulcisci, in hunc peccatorem animadvertere, æquum est; sed in hac vita ulciscere, neque me æternis suppliciis adjudices. Quanta tibi placuerit severitate rebellem hunc puni, dummodo hoc in tempore fiat, non

autem

autem in æternitate. Quantumvis districta, magnaque sint supplicia tua, semper eam laudabo manum, qua in hac vita percutiar; sed æternis abstine pœnis &c.

Inutiles damnatorum querelæ.

Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? *Sap.* 5. Quid modò prodest, damnatus ait, olim divitem fuisse potentem, vitamque in splendore, affluentia, & voluptatibus duxisse? Vitæ hujus suavissimæ terminus infernus est, & fructus præteritorum gaudiorum sunt ignes, æternique ploratus, & pœnitentiæ. O mortales divitiæ! O fallaces voluptates! O bona peritura! quomodo allicere potuistis hominem, qui virus vestrum non ignorabat? Opes, quas possedi, proderuntne mihi, ut elabi possim ex manibus terribilis hujus justitiæ, cui traditus sum? Venerabilis ille character, auctoritas illa, quam assecutus sum, proderuntne, ut revocetur in me lata sententia, vel saltem, ut aliquid illius severitatis, aut diuturnitatis imminuatur? Honores, qui mihi delati fuere, hæc dignitatis insignia, quæ gessi, prohibebunt, ne cum infamissimo, & scelestissimo quoque confundar? Quonam abierunt improbi assentatores, mercenarii amici, qui sceleribus etiam meis plaudebant? Postquam me in hæc horrentia loca impulerunt, aliquandone auxilium præbebunt, ut istinc emergam? Fallaces voluptates, jucunda solatia, in quibus vita mea versata est, proderuntne ad inhibendam, vel imminuendam vim hujus ignis, quo uror, ad leniendum harum flammarum ardorem, quæ numquam extinguentur; vel ad sensum earum auferendum? *Quid nobis profuit?* Opimam successoribus meis hæreditatem reliqui, ipse verò reprobatus sum. Filios reliqui opibus, commodisque affluentes, ego autem comburor. Amici mei adhuc lætantur in terra, adhuc voluptatibus vacant, ego verò sum æternis suppliciis addictus. Amentiam vocabam sanctam eorum vigilantiam, qui in id unum incumbebant, ut beatam æternitatem sibi compararent. Heu! mors fatis eorum facta probavit, nunc perfruuntur in cœlis, ego autem uror in flammis.

Reprobati in inferno sunt victimæ æternæ.

Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos. *Psalm.* 48. Non poterat Propheta melius exhibere terribile sacrificium in omni æternitate faciendum, quàm damnatos tamquam victimas repræsentans. Sed curnam, addit ille *mors depascet eos*; non autem mors illos vorabit? Quia hoc interest discrimen inter herbas, quæ convelluntur, ut armentis comedendæ tradantur, & eas, quas eadem depascunt; quod illæ penitus destruuntur, & absumuntur, hæ verò e contra iterum germinant, ac semper renascuntur. Hoc ipsum discrimen occurrit inter eos, quibus hic mors vitam aufert, & eos, quos æterna justitia in altera vita morti pabulum præbuit; illos enim quodammodo vorat, quia eorum corpora absumit, & destruit, redigens illa in ipsum principium, unde fuerunt educta; hi verò in æternum mortis vim experientur, quin ad nihilum redigantur. Hæ sunt infelices victimæ, quarum, ut ita dicam, jugulo mors assiduè cultrum infiget, quin illas enecet, quas immolabit semper, quin illas absumat. *Ex libro cui titulus: Colloquia Abbatis Joannis, & Eusebii Presbyteri.*

Sensus desperationis in damnatis suppliciorum suorũ æternitate cogitantibus.

Et dixi, periit finis meus. *Thren.* 3. Damnati non conquerentur tam de cruciatuum suorum, quibus obruti erant, numero, quam de pœnarum suarum æternitate. Acerrimi doloris sui causa erit mori non posse, ut desinant pati. *Et dixi, periit finis meus.* In æternum cum de me actum sit, necesse est, ut vivam: Ignes devorantes me comburite; percutite, ac iterate vulnera, sævi carnifices: Divina justitia ne parcas huic victimæ. Sed nulla spes erit penitus pereundi. O vivendi necessitas infinitè gravior ipsa necessitate supplicia adeo terribilia subeundi! *Periit finis meus:* Finis meus æque discessit a me ac solatium meum: mors mea æque mihi impossibilis, ac requies mea. Terribilis scelerum meorum Judex tot, quot tibi placuerint, sæculis patiar hunc carcerem, has pœnas; sed permitte tandem, ut aliquando evanescam. Potueras mihi vitam non tribuere, quid interest, me in æternum subsistere? Frustra perire peto; frustra me hic ignis naturaliter deglutire deberet; vita mea æque certa est, ac infernus meus: *Periit finis meus*; nonnisi in omnem desperationis excessum, reliquum est, ut erumpam. *Ex Sermone de inferno P. la Pesse.*

Damnatus æternum Dei aspectu, quod supremum illius bonum est, privatus.

Abscondam faciem meam ab eo. *Deuteron.* 30. Infelix, qui hoc momento in Infernum labitur, te numquam, o supreme Creator, in æternum videbit! Jam actum est: jam in æternum carere debet adspectu infinitæ illius pulchritudinis, quæ amicos tuos æternum beatissimos efficiet: *Abscondam faciem meam ab eo.* Jam in æternum dejectus est de spe hæreditatis, & Regni, quod illi præparaveras; cum interim fideles servi tui in gloria ineffabili triumphabunt. Eheu! quænam inter prædestinatum, & reprobum, Cœlum inter, & Infernum oppositio? Quis mente concipere potest desperationem hominis in carcere clausi, qui numquam aperietur, in flammis, quæ numquam extinguentur, in tormentis, quæ numquam cessabunt, præsertim verò in æternum carentis visione illius, qui supremum illius bonum fuisset! *Idem.*

Damnati in æternũ concupiscent cœlum, quo numquam ingredientur, & hoc desiderium pars erit eorum supplicii.

Plangite super regione desiderabili. *Isaia* 32. Infelices animæ reputantes vos æterno damnata exilio, ab amabili cœlesti patria in æternum abesse, quò numquam pedem estis illaturæ, plangite, & ululate. Et profectò damnatus videbit Paradisum clausum, eumque concupiscere non cessabit. Esto; non possideatur, quod minime cupitur, vel quod non adeo ardentibus votis exoptatur; at numquam frui posse eo, quod semper desideratur, semperque fervidioribus votis perquiritur? Quid cogitare, quid dicere potest reprobus, qui de medio fornacis ardentis indesinenter ad Paradisum anhelat, & sine intermissione inferni supplicia perpetitur? Quanam amaritudine Cœli adspectus cor ejus replet? Quot clamoribus, quot lacrymis hoc illi non stat desiderium? Cœlum felix Sanctarum animarum habitatio, te numquam videbo; & te, o inferne infelicissime carcer, patiar in æternum. Amabilis prædestinatorum societas tuis deliciis non fruar; & vos o dæmones, vos o calamitosissimi reprobi, in æternum vobiscum in hoc tormentorum loco permanebo. *Idem.*

Numquam removebit Deus manum suam damnatos percutientem.

Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, & confirmasti super me manum tuam. *Psal.* 37. O Domine! Regius Psaltes ajebat, sagittæ tuæ altè adeo inhæserunt mihi, ut ne unam quidem convellere valeam. Ita manum tuam aggravasti, ut indesinenter omne illius pondus experiar. Numquam amovebis, numquam auferes terribilem hanc manum tuam, ac videor quovis momento iis omnibus vulneribus affici, quæ illa præparat mihi: *Confirmasti super me manum tuam.* Sagittis tuis confossus, tuaque manu percussus in eo statu sum, in quo æternum permanebo. Hæc dicere potest damnatus. *Idem.*

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum, hujus Argumenti.

IN inferno, etsi erit stimulus pœnitudinis, nulla tamen erit correctio voluntatis, a quibus ita culpabitur iniquitas propria, ut nullatenus ab iis diligi possit vel desiderari justitia. August. lib. de fide ad Petrum.

Quæ quisque gravia patitur, in comparatione æterni ignis, non tantùm parva, sed nulla sunt. Idem, Serm. 109. de temp.

Dixit hoc infinita Dei sapientia, & quæ damnatos punit, est infinita Dei potentia; quod facit miris, sed veris modis. Idem, lib. 12. de Civit. cap. 10.

Majore

Maiore timore minora contemnimus, & majore æternitatis cupiditate, omnia temporalia fastidimus. Idem, in Psal 68.

Quantum exegerit culpa, tantum sibi de homine quadam flamma rationalis disciplina vindicavit. Idem, Homil. 15. ex 50.

Quantum stulta iniquitas suggessit, tantum sapiens pœna deseviet. Idem.

Nullus id unquam justitia legis attendit, ut tanta mora temporis quisque puniatur, quanta mora temporis unde puniretur admisit. Idem, lib. 21. de Civit. cap. 11.

Quodlibet scelus non temporis longitudine, sed iniquitatis, aut impietatis magnitudine metiendum. Idem, ibid.

Non est in æternitate, fuit, aut erit, quia & quod fuit jam non est, & quod erit nondum est, sed quidquid ibi est, non nisi est. Idem, in Ps. 91.

Mors depascet eos, quia semper moriuntur ad vitam, & semper vivent ad mortem. Idem, in Psalm. 48.

Omnia seculorum spatia definita, si æternitati interminatæ comparentur, non sunt existimanda exigua, sed nulla. Idem.

Nihil in regno Dei desideratur, quod non inveniatur; & in infernu nihil invenitur, quod desideretur. Idem.

Prima mors animam nolentem pellit de corpore; secunda mors animam nolentem tenet in corpore. Idem, lib. 2. de Civit. c. 3.

O mors, quàm dulcis esses, quibus tam amara fuisti! te semper desiderant qui te semper oderunt; clamant enim, o mors veni, interfice nos, o mors destrue nos. Idem, l. de miseriis mundi.

Timens terreo; securus vos facerem, si securus fierem ego: ignem æternum timeo. Augustin. in Psalm. 80.

Dolor manebit ut affligat, natura permanebit ut sentiat. Idem, lib. 19. de Civit. cap. 28.

Si anima in pœnis vivit æternis, mors illa potius æterna dicenda est quam vita; nulla quippe major & pejor est mors, quàm ubi non moritur mors. Idem.

Separari à Deo, hæc est tanta pœna, quantus ipse est Deus. Idem.

Hic ure, hic seca, modo in æternum parcat. Idem.

Vel mortem time, si non times peccatum; non times peccatum, time quo perducit peccatum. Idem, lib. 50. Homil. Homil. 42.

Ut mors eis adsit ad supplicium, & desit ad finem. Idem, lib. 19. de Civit. c. 28.

Numquam viventes, numquam mortui, sed sine fine morientes. Idem, l. 13. de Civit. c. 11.

Ubi mors semper vivit, & finis semper incipit, & defectus deficere nescit. Idem, lib. de spiritu & litt. cap. 56.

Ibi duplex offenditur gehenna, scilicet nimii frigoris, & intolerabilis fervoris. Gregorius, cap. 8. super Matth.

Licèt gehenna una sit, non tamen cunctos una eademque qualitate distinguit; quia quod hic agit valetudo corporum, hoc illis exhibet dispar causa meritorum. Idem, l. 9. Moral.

Ad districti judicis justitiam pertinet, ut nunquam careat suppliciis, qui nunquam in hac vita voluit carere peccato, & nullus detur iniquo terminus ultionis, quia quamdiu valuit, habere noluit terminum criminis. Idem, ibid.

Idcircò peccantibus æternam pœnam minatus est Deus, ut eos à peccatorum perpetratione compesceret. Idem, l. 4. dialog. c. 44.

Ex igne visibili ardor & dolor invisibilis trahitur, ut per ignem corporeum, mens incorporea, etiam flamma incorporea crucietur. Ibid. c. 29.

Tunc edax flamma comburit, quos carnalis delectatio polluit: tunc infinitum inferni baratrum devorat, quos inanis elatio nunc exaltat. Idem, lib. 9. Moral.

Juxta modum culpæ pœna distinguitur; & secundùm modum criminis, unusquisque damnatus in inferni igne cruciabitur. Idem, l. 20. Moral.

Intolerabilis quidem res est gehenna, & supplicium illud horribile; tamen si mille aliquis ponat gehennas, nihil tale quid dicturus est, quale est à beata illius gloriæ honore repelli. Chrysost. Homil. 24. in cap. 7. Matth.

Multò inferni ignem timent, sed ego maximè amaram dico privationem gloriæ; nam qui non novimus magnitudinem cœlestis boni, non possumus intelligere quantum sit mali illo privari. Idem, Homil. 47. ad Popul. Antioch.

Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt quæ præparasti Deus offendentibus te. Idem, l. de reparat.

Pone ferrum, ignem, & bestias, & si quid his difficilius; attamen non umbra sunt ad illa tormenta. Idem, Hom. 49. ad Popul. Antioch.

Nemo eorum qui gehennam ob oculos habent, in gehennam incidet; nemo gehennam contemnentium gehennam effugiet. Idem, Homil. 2. in c. 2. Epist. 1. ad Thessalon.

Sapiens ille ignis membra urit & reficit, una eademque potentia & cremabit impios & recreabit; quantum absumet à corporibus, tantum reponet; absumit ut fervet, servat ut cruciet. Minutius Felix in Octav.

Sicut ignes Æthnæ Montis & Vesuvii & ardentium ubique terrarum flagrant nec erogantur; ita pœnale istud incendium non damnis ardentium pascitur, sed inexesa corporum laceratione nutritur. Idem.

Absumit ut fervet, servat ut cruciet, dabiturque miseris vita immortalis, & pœna servatrix. Cassiodorus.

Immortales miseri vivent inter incendia, & inconsumptibiles flammæ nudum corpus allambent. Cyprianus.

Hæc gehenna flamma totum hominem complectitur. Joan. Chrysol.

Plus cœlo torquentur quàm gehenna. Idem.

In uno igne omnia tormenta sentiunt. Hieron.

Heu quanta insania est, exiguis, & brevi tempore duraturis deliciis æternos emere dolores. Idem.

Ubi putas finem invenit æternitas, ibi incipit. Hilarius.

Si gehennam comminemur, quæ est ignis arcani subterraneus ad pœnam thesaurus. Tertull. lib. de Anima.

Jugis ignis habens ex natura sua divinam subministrationem incorruptibilitatis. Idem, in Apol.

Non absumit quod exurit, sed dum erogat reparat; sicut manent montes semper ardentes, & qui de cœlo tangitur salvus est, ut nullo jam igni decinerescat; & hoc erit testimonium ignis æterni, hoc exemplum jugis judicii pœnam nutrientes. Idem, ibidem.

Ignis gehennæ lucebit miseris ad pœnæ augmentum, ut videant unde doleant; & non ad consolationem, ne videant unde gaudeant. Isidorus, l. 1. de summo bono.

Ignis inquisitor meritorum. Cassianus.

Interrogabit ossa, & medullas, & cogitationes nostras. Eusebius Emissenus.

Væ qui hæc lugenda in posterum, ridenda nunc putant; væ quibus hæc prius experienda sunt quam credenda. Idem.

Dum sibi nullam spem promittere poterit (damnatus) jam etiam in præsenti sentiet consequentium tormenta seculorum. Idem, Homilia 3. de Epiphan.

Fit miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu; quia mors semper vivit, & finis semper incipit, & defectus deficere nescit. Augustin. lib. de spiritu & anima. Eadem verba habet sanctus Gregorius.

Non descendit ad inferos sanguis Christi, qui effusus est super terram. Bernardus.

Semper

Semper puniri potest, quod non potest expiari. Idem.

Totus tremo ad memoriam istius regionis, concussa sunt omnia ossa mea. Idem, Serm. de Sancto Nicolao.

Vigilias times & jejunia, sed hac levia sunt meditanti pœnas æternas. Idem, Epist. 1.

Descendant in infernum viventes, ne videlicet descendant morientes. Bernardus ad fratres in monte de Vit. solitar.

Optimum est nunc sentiri vermem cum suffocari potest. Idem, de Consider.

Quid tam pœnale quàm semper velle, quod nunquam erit, & semper nolle quod nusquam non erit? In æternum non obtinebit quod vult (damnatus) *& quod non vult in æternum nihilominus sustinebit.* Idem, l. 5. de Consider. c. 11.

Durante anima durat & memoria, sed qualis! fœda flagitiis, horrenda facinoribus, vanitate tumida, contemptu hispida & neglecta. Idem, ibidem.

Priora transierunt, & non transierunt; transierunt à manu, sed non à mente: quod factum est, factum non esse non potest; proinde etsi facere in tempore fuit, sed fecisse in sempiternum manet. Idem, ibidem.

Non transit cum tempore quod tempore transit: in æternum ergo necesse est cruciet, quod perperam te egisse in æternum memineris. Idem, ibid.

Horreo vermem mordacem, & mortem vivacem; horreo incidere in manum mortis viventis, & vitæ morientis. Idem.

Momentaneum quod delectat, æternum quod cruciat. Idem.

Hoc solatium vasti doloris est, quod necesse est desinas illum sentire, si nimis senseris; nemo enim potest valde dolere, & diu. Seneca, Epist. 78.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia fontibus hoc in argumento hauriri possit.

Quid sit Infernus quatenus æterna reproborum domus.

INfernus locus est, quem Divina justitia destinavit rebellibus Angelis, & hominibus, qui post patratum lethale scelus, quin antea egerint pœnitentiam, ex humanis decedunt, & qui facti objectum odii, atque ultionis Dei, in æternum in Dæmonum societate permanebunt, Dei aspectu, omnibusque bonis carentes, ubi sine ulla intermissione, & solatio ignis æterni supplicio afficientur. Vel brevius, locus est in terræ centro Angelis rebellibus, hominibusque in mortali peccato decedentibus destinatus, ubi utrique omni bonorum genere carent, & omni malorum genere excruciantur.

Duplex pœnæ genus in inferno.

Quamvis pœnæ, quibus damnati in Inferno torquentur, numero careant, ad duas tamen redigi possunt, pœnam videlicet, quam damni, & eam, quam sensus vocant Theologi. Damni pœna est; in æternum a Dei visione, quæ unica nostra felicitas est, esse projectos; pœna verò sensus ea est, per quam corpus, omnesque miserorum sensus æternis doloribus afficiuntur. Duplex hæc pœna duplici malo respondet, quod peccatum concomitatur, quorum alterum est insolens contemptus, quo peccator a Deo recedit, alterum verò amor inordinatus, quo ad creaturas convertitur. *Aversio a Deo, & conversio ad creaturam.* Ita omnes Theologi cum D. Thoma. Damni pœna, quæ in Dei privatione consistit, respicit contemptum supremæ illius Majestatis; æquum est enim, ut qui primi Deum reliquerunt, a Deo in æternum relinquantur, numquam adspectu ejusdem perfruituri. Pœna sensus respicit sensuum voluptates, quibus impii in creatarum rerum perfruitione gavisi sunt; æquum enim est, ut sensus, qui felicitatem suam in rebus Divina lege prohibitis constituerunt, pœnas, doloresque persolvant pro deliciis, quas peccantes gustarunt.

Explicatio pœnæ damni.

Cum ex duobus malis, quæ peccatum complectitur; primum, videlicet Dei contemptus, altero sine ulla comparatione majus sit; inde sequitur secundum justitiæ regulas damni pœnam, quæ hujus mali supplicium est, præ pœna sensus longe majorem esse. Ita loquitur Cardinalis Bellarminus *De gemitu Columbæ*, libro secundo, capite secundo. Pœna damni in eo consistit, quod damnatus longè abest ab ultimo fine suo, numquam videt essentiam Dei, æternum a beata exulat patria, numquam ad cœlestem hæreditatem adspirare potest, verbo semper omni bonorum genere carere debet. Ita reprobus in æternum Dei hostis est, objectum odii, & severissimæ ultionis illius; ideoque Deus quantum fieri potest recedit ab illo, atque ut ita dicam, reprobæ hujus animæ abjicit possessionem. Nam licèt omnia ad Deum pertineant, & nequeat ille abdicare supremum, quod in omnia creata obtinet dominium, attamen quædam sunt, quæ ipse sua vocat, & quæ peculiari jure ad ipsum spectant. Ita olim Judæorum populum, populum suum, partem, hæreditatemque suam appellabat, præ reliquis omnibus terrarum nationibus. Nunc autem renuntiatione, & processus singulari abdicatione juris, proprietatis, & dominii, quod obtinebat in animam reprobam, eam repellit, rejicit, derelinquit, atque omnia illi aufert signa possessionis illius, quam ipse adierat. Illam omni bonorum, supernaturaliumque gratiarum, ac titulorum, quibus olim ad Deum pertinebat, genere exuit: *Voca populum hunc, Non populus meus.*

In damni pœna mutuum est, & irreconciliabile odium Deum inter, & animam.

In Dei privatione, quæ damni pœnam constituit, odium adest mutuum, atque extremum irreconciliabile odium Dei in peccatorem, & peccatoris in Deum; quia Deus creaturam hanc perhorrescet, & execrabitur: *Discedite maledicti.* Quemadmodum enim amoris est conjungere, & unire, ita & odii dividere, & separare: *Venite benedicti, Discedite maledicti.* Et quemadmodum a Deo amari causa est bonorum omnium; ita Dei odium meruisse fons est omnium malorum: quemadmodum amor Dei suprema est beatitudo, ita odium Dei summa calamitas est; nihilque majorem nobis terrorem debet incutere, quàm æternum hoc divortium, Implacabilis hæc inimicitia reciproca, & numquam desitura.

Providentiæ, & justitiæ Dei opus est infernus.

Præter fidem, ac Verbum Dei palam adeo totiesque in Sacris Scripturis iteratum, quo docemur adesse infernum, ubi, qui in peccati statu moriuntur, debitas sceleribus suis pœnas luunt; ratio quoque hoc debet persuadere, quandoquidem hæc ipsis etiam persuasit Ethnicis inter infidelitatis tenebras excurrentibus, quibus tamen non defuit tantum luminis, quo veritatem hanc intelligerent. Hoc sanè esset Dei Providentiam invalidam, & justitiam ejus nullo contra iniquitatem, quam odit necessariò, succensam zelo, arbitrari in altera vita nulla constituta fuisse supplicia pro illis, qui impii fuere, & in hac divinas leges perfregere. Cum hæc agendi ratio æquissima sit, & opposita minimè deceat infinitam sapientiam, atque potentiam; arguendum est, non debuisse Deum aliter operari, atque justitiæ ipsius interesse reparare injuriam ab impiis Divinæ suæ illatam Majestati, supplicio eorum eo in loco luendo, qui ad hanc cem sit destinatus.

D. Thom. de verit. q. 6. art. 3. in corp.

Sanctus Thomas hoc ipsum argumentum aliter effert. Ait enim nihil a generali divinæ Providentiæ fine abhorrere posse, licet ens aliquod seipsum valeat subtrahere peculiari alicui fini ad quem est destinatum. Itaque homo, qui naturæ suæ privilegio habet libertatem, potest quidem recedere a peculiari fine, quem de illo habet Deus, scilicet a salute, supremique boni perfruitione; verum nequit recedere a postremo, & universali fine operum Dei, qui gloria ipsius est, propter quam ille fecit omnia; ita ut homo, qui nihil ad gloriæ illius magnitudinem conferre voluerit iis rationibus,

bus, quæ simul ipsum ad supremi boni possessionem adducere debent, invitus licet, aliquid tamen conferet, ejusdem justitiam expertus, quæ in supplicio, quo rebelles, sontesque puniendi sunt, elucescet.

Quam justa sit pœna peccatoris in inferno.

Supplicium hoc justissimum est; peccator ad Deum pertinebat per creationem, redemptionem, omnesque titulos, qui animo fingi possunt; sed hic ipse peccator se omnino divinæ dominationi subtraxit; seipsum, ut ita dicam surripuit Deo, ut mundo, ac voluptatibus se manciparet: opus est ergo, ut inevitabiliter, & absolutè violatus hic ordo reparetur. Misericordia illum ultra reparare non potest; ejus quippe regnum cum tempore finitum est; peccator hanc sibi demeceri misericordiam sincera pœnitentia non potest amplius, illius quippe tempus vita hac est circumscriptum; ideoque peccator cum nequeat amplius sese dedere divinæ bonitati, & misericordiæ, opus est, ut justitiæ, & ultioni dedatur.

De gravitate pœnarum inferni.

Doctores omnes docent, inferni supplicia, sine ulla comparatione omnibus simul vitæ hujus tormentis esse graviora; atque citra terrorem legere nequeo, quod Sanctus Augustinus ait: pœnas omnes, quas hoc in mundo pati possumus, non solum leves esse, verum etiam nihilum, ubi comparentur cum igne æterno; nulla quippe inter hæc duo malorum genera proportio invenitur. Dicunt alii, minimum tormentorum inferni gravius esse, quàm omnia simul exquisitissima tormenta, quæ excogitari possunt in terris. Hoc ipsum Sancti Patres sentiunt, ac Theologi unanimi conflatoque consensu post Divum Thomam hanc doctrinam tuentur, in qua nulla exaggerationis oboriri potest suspicio; etenim rationes eædem, quæ infernum esse probant, Dei videlicet gloria, quæ reparanda est, & peccati gravitas punienda, palam hanc ipsam probant gravitatem supplicii, quod peccatori nequitiæ debetur.

Deus æque justus sit, ac misericors.

Hæresis est Deo contumeliosa, & blasphemia ex Marcionis ore, ut Tertullianus testatur, egressa, Deum non æstimandum, neque agnoscendum esse nisi ex bonitate, qua omnia complectitur, quin aliquid justitiæ illius relinquatur. Ad errorem hunc diluendum satis est cum Tertulliano eodem respondere, Deum irrationabilem fieri, eique sapientiæ, & æquitatis gloriam auferri ab eo, qui illi tribuere velit bonitatem ab ea severitate sejunctam, quæ illum impiis terribilem facit. Cum justitia sit virtus æque, ac misericordia, utraque esse debet in Deo, & qualibet objectum suum debet habere. Rationi quippe conforme est, ut pœna crimen sequatur. Solum naturæ lumen hanc homines docet veritatem; politico huic innititur principio, & universorum ordinem everteret, qui illud vellet destruere; ideoque etiam si in reproborum supplicio Dei gloria non quæreretur, opus esset, ut justitia æquitati satisfactura, atque secundum peccati demeritum operatura, in inferno ignes ad noxios puniendos excitaret. Ob hanc rationem Salvianus ait, malum puniendum esse, ut in ordinem redigatur; & Sanctus Augustinus affirmat hoc in se optimum esse, & in natura optatissimum; licet unicè naturæ bonum, & universorum ordinem intueremur, quin Dei consilia scrutari vellemus.

Dei odiū, quo reprobos persequetur efficiet, ut hi gravissimas pœnas patiantur.

Quantumcumque ingenium nostrum acuere velimus, quibuscumque argumentationibus utamur, fateri tenemur, odium, quo Deus æternum creaturam persequetur, quam ex hac mortali vita egredientem peccatis coinquinatam invenerit, quæ non poterit amplius per pœnitentiam expiare, semper tribus circumstantiis conjunctum iri, vel si mavis, tres semper habiturum effectus adeo terribiles, ut in se complectantur, quidquid in inferno magis horribile est, ac formidandum. Quemadmodum enim Deus potest omnia, & nihil prohibere illum potest, ne potentiam suam in ultione persequenda exerceat; ideo cum ferre nequeat reprobum, qui eidem objectum est aversionis; & odii, sequitur, ut eum in æternum a suo amoveat adspectu, illum semper persequatur, eique omnia inferat mala, quæ pati poterit, ac tandem universas armet creaturas, easque in partes suas concedere cogat, ad insignem de calamitosissimo hoc homine ultionem sumendam. Hos sensus odium inspirat, & quicumque inimicum, a quo lacessitus fuit, mortali odio persequitur, experientia doctus scit, se hoc pacto acturum esse, si in sua potestate hoc esset positum, nullumque inveniret obicem, qui votis suis adversaretur.

In Inferno ignis realis & verus est.

D. Thom. 1. p. q. 97. art. 5.

Constans est in inferno realem, verumque ignem esse; quem S. Thomas corporeum vocat: quotiescumque enim Scriptura loquitur de pœnis, quas reprobi in tristi eo loco patiuntur, semper ignem memorat, semper ignem minitatur, tamquam acerrimum divinæ justitiæ instrumentum. In ea sententia, quam supremus Judex post sæculorum finem contra hos miseros laturus est, ignis pœna palam exprimitur: *Ite maledicti in ignem æternum*; & alibi, *vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur:* Unde patet, ignem hunc verum esse. Cum enim aliquid metaphoricè dicitur, non semper iisdem vocibus indigitatur, quæ regula est a Sanctis Patribus tradita, ut sciamus, quandonam Scriptura sit ad litteram intelligenda. Ad hæc constat, animas, æque ac corpora æternum in igne conflagratura; quapropter Judicis sententia hæc habet: *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus.* Si enim hic ignis agere potest in dæmones, qui sunt spirituales substantiæ, non minus aget in animas corporibus, sensibusque expeditas.

Matth. 25.

Ignis non agit solum in animas illas capitivas detinens.

Sancti Augustinus, & Gregorius Magnus eos condemnant Auctores, qui dixere, reproborum animarum in inferno supplicium consistere solum in hoc, quod tamquam in carcere, in hoc igne detinentur, cujus inseparabilis adspectus illos torquebat, ac signum erat iræ Dei. Falluntur isti, duo illa doctissima Ecclesiæ lumina inquiunt, & hæc opinio satis non est ad exprimendam ignis in animas a corporibus separatas actionem: *Non tantum videndo, sed experiendo torquentur*; igne in illis eamdem impressionem efficiente, quam nosipsi experimur, cum incendimur. At enim objicis, opus esse ut inter agentem, ac subjectum aliqua proportio inveniatur; nullam verò inveniri inter ignem materialem, ac spiritualem animam; ideoque inter utrumque nullam esse posse physicam actionem, nullumque effectivum tormentum. Respondemus, non esse quidem integram proportionem animam inter, & ignem; esse tamen inchoatam, & ut ita dicam radicalem. Hominis anima sensitiva est, ideoque in se principium habet sentiendi, exempli gratia tangendi, per quod ignis ardore, atque activitate affici potest; & quamvis anima a corpore separata naturaliter sensum hunc exercere non possit, posse tamen supernaturaliter. Et sanè liquidò constat, animam corpore indutam ignis impressionem recipere posse; anima enim, non corpus dolorem percipit, uti liquet, quia cum anima impensiùs alicujus objecti speculationi vacat, nihil videtur, sentitur nihil. Itaque anima dolorem sentit, recipitque, cum corporis membra comburuntur, quemadmodum, per oculos anima videt, per aures audit anima. Quamvis autem oculus, aurisque necessaria naturaliter sint ad videndum, audiendumque organa; Deus tamen corporis defectui supplere potest, & efficere, ut anima ignis sentiat actionem.

Quomodo Deus elevet ignem, ut in animas a corporibus sejunctas agat.

Ut hoc apertiùs cum Theologis explicemus, dicendum est, animæ tormentum per ignem bifariam fieri. Primum Deus illi præparat animam extendens illius patiendi potentiam. Secundò attollit ignem, omnipotentia sua illius augens agendi virtutem, eumque parem faciens spiritibus dolorem inferendo. Hi profectò duo modi sunt admirabiles, Sanctus Augustinus ait, sed veri sunt:

Miris,

Miris, sed veris modis. Ignis igitur Divina virtute supra naturam suam elevatur, ut in animas agens sit earum cruciatus, atque supplicium. Hoc innuere vult Spiritus Sanctus, cum ait, hunc ignem quatenus creaturam, Creatoris sui nutibus, & imperiis servientem potenter contra peccatores a se puniendos irritari, atque inflammari: *Creatura enim tibi factori deserviens exardescit in tormentum adversus injustos*. Si nobis persuasum est de magnitudine Dei, Sanctus Augustinus inquit in hoc argumentum, credere tenemur, voluntatem ejus esse rei uniuscujusque naturam: *Tanti quippe Creatoris voluntas, cujuscumque rei natura est*. Quemadmodum igitur creaturæ non sunt nisi quod illas esse Deus voluit, ita non faciunt, nisi quod ab ipsis fieri ille jubet; neque ullum magis proprium habent studium, quam id faciendi, quodcumque Creator imperaverit. Ignis contra naturam suam descendit, & refrigerat, Deo præcipiente; & Deus, ubi voluerit, illum supra naturam ejus attollit, ut sit miserorum supplicium.

Sap. c. 16.

Ignis præterquam quod reprobos in Inferno urit, illos captivat, eisque aufert libertatem.

Non solus est ignis effectus damnatorum corpora, animasque comburere; alter quoque adest, sævum illis supplicium afferens, videlicet illos in inferno clausos detinere, eisque libertatem adimere. Ideo Scriptura inquit, Deum facturum, ut super eos catenis, igneisque vinculis pluat: *Pluet super peccatores laqueos*. Ubi animadvertendum est nobis duplex esse libertatis genus, alterum quidem exterius, alterum verò interius. Exterior libertas, quæ est libertas motus, nobis confert potestatem eundi quò lubet. Libertas interior in quadam nostræ voluntatis, cogitationum, sensuumque nostrorum dispositione consistit. Ignis autem inferni, quatenus vinculum est damnato duplicem hanc eripit libertatem, qua olim abusus est: 1. Motus illius frænat, eumque in eodem loco vinctum detinet; quod nobis exhibet Dei Filius in Evangelio, cum ait: *Ligatis manibus, & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores*. 2. Hæ igneæ catenæ non exteriorem tantum damnatis libertatem eripiunt, verùm etiam interiorem, quæ residet in voluntate, atque in damnati intellectum, & voluntatem extenditur. Est plurimorum Theologorum sententia non postremum inter hujus ignis supplicia in hoc positum esse, quod illum attollat Deus, ut ultionis suæ signum sit immortale. Ignis iste damnato semper ostendet Deum irritatum in ipsum, atque, ut Cardinalis Cajetanus inquit, spiritum ejus in hoc objecto remorabitur, figetque cogitatione semper actuali, necessaria, & invariabili. Illius voluntatem captivabit, illum cogens, ut incessanter suam calamitatem, suumque æternum execretur excidium, quod hic ignis illi ad vivum exhibebit: *Detinebitur intellectus ad considerandum, & voluntas ad detestandum*.

Matth. 22.

Varii modi, quibus Theologi explicant, quomodo animæ per ignem torqueantur.

Theologi explicare conantur, quomodo ignis inferni, qui materialis est, agere possit in dæmones, animasque a corporibus separatas. Nonnulli, ut faciliùs sententiam suam explicarent, dixere, ignem hunc metaphoricum esse, vel alterius speciei ab igne nostro; ideoque mirum non esse si in animam æque ac corpus sæviret. Alii quidam illum nostrati similem crediderunt, sed adjecerunt, illum non torquere per se animas reproborum; sed illum ante damnatorum oculos videri, tamquam irreprehensibilem nequitiæ ipsorum testem; eorumque supplicium in hoc situm esse, quod illum per omnem æternitatem intueri tenerentur. Dixerunt alii, ignem ob hoc animas excruciare, quod invitæ illi adhærere cogantur, atque hujus supplicii severitatem inde proficisci, quod vi illas detinet. Verùm hæc parva est pœna reis læsæ divini Numinis majestatis, pati solum suæ libertatis jacturam, vel solo supplicii sui adspectu, solave scelerum suorum consideratione torqueri. Dicamus potius cum Sancto Gregorio Magno, eaque est probatior Theologorum sententia, damnati animam præter has omnes pœnas, reipsa sentire flammas, sibi, data paritate, imprimentes eosdem dolores, quos ipsi experimur, ubi nobis ignis admovetur: *Ex igne visibili ardor, ac dolor invisibilis trahitur, ut per ignem corporeum, mens incorporea, etiam incorporea flamma crucietur*. Ex hac opinione, quæ solidissima, & verissima esse videtur, sequitur: 1. Ignem virtute divina elevatum esse ad producendam in anima spiritualem qualitatem, quæ efficit, ut illa patiatur; cum aliter exprimi nequeat rei materialis in spiritualem substantiam impressio. 2. Deum ad hoc animam præparare extendendo illius patiendi potentiam; & ad utrumque explicandum Theologi utuntur nomine potentiæ obedientialis, quæ ignis habita ratione activa est, ratione verò animæ patientis passiva. Hæc ea sunt, quæ in hoc argumento, æquiora possunt afferri.

L. 4. Dial. c. 29.

Quid sit vermis, quo damnati æternum torquebuntur.

Verum est, Sanctum Augustinum dicere, per eum vermem, de quo in Evangelio, ac per eos serpentes, de quibus alibi sermo est, non immeritò intelligi posse vermes, serpentesque veros, qui ut damnati, vivent in igne; ideoque non inanem esse meditationem putare in eo sulphuris stagno non defuturos vermes, atque serpentes, qui reproborum membra discerpent, eisque dolores afferent sceleribus illorum pares. Verùm idem sanctus Doctor magis probare videtur, per vermem hunc, qui non moritur, intelligendum esse conscientiæ stimulum, quo damnati sævissimè, & in æternum cruciabuntur.

De Civit. l. 20. c. 16.

De applicatione animæ supplicio suo in inferno.

Liquidò constat, dolorem, quem parit ignis, non esse simplicem ignis in corpus actionem, sed animæ huic motui applicationem. Si hæc omnino non adverteret animus, nihil omnino pateretur, & eò majore afficitur dolore, quo impensiùs eidem attendit. Certum autem est animæ in hac vita applicationem semper mancam, ac infirmam esse, propter organa corporis, a quibus pendet, quæ cum sint infirma, & exilia, actione nimis violenta destruuntur. Sed cum in altera vita corporis organa incorruptibilia futura sint, anima cum tota naturæ suæ activitate sese illis applicabit objectis, quæ summum illis afferent dolorem.

Rationes, quibus probatur Dei Providentia, qua pœnarum æternitatē reprobis præparavit.

Ad rationem nostram evincendam, omnesque illius dubitationes de æternis damnatorum suppliciis auferendam, satis esset dicere hunc esse articulum fidei, atque ita jussisse Deum; cujus voluntas summa nobis ratio esse debet. Ille noster Dominus est; ipse jus habet in nostram æternitatem æque ac in tempus nostrum, ut de utroque ad majorem nominis sui gloriam disponere possit: *Lex non disputat, sed præcipit*, neque eorum, quæ præcipit, rationem præbere tenetur. Attamen cum mens nostra ægrè hanc Dei severitatem ferat, qua suppliciorum æternitate punit peccatum, momenti unius spatio patratum, nonnullas afferemus rationes, ex quibus patet, quam æquum fuerit Deum hoc pacto disponere.

Ratio prima.

Prima ratio huic innititur principio. Cum Deus leges irrogare vellet ad hominum mores regendos, necesse erat, ut pœnas proponeret, quæ eorum libertatem in officio contineret, eosque a crimine deterreret. At nullæ erant pœnæ, quæ satis essent hominum libertati compescendæ, ac prohibendo, ne latæ leges infringerentur, nisi æternæ fuissent. Et sanè quàm parum afficimur æternitate infinitæ beatitudinis, quam nobis Deus pollicetus! Cogitatio divinæ bonitatis, & beneficiorum ejus non magnam obtinet vim in plerorumque spiritum, quia illius Crux, passiones, & mors non satis validæ sunt ad cor hominum trahendum, eosque omnino vincendos. Reliquus igitur dumtaxat est æterni supplicii metus; nam sicut immortalem habent animam, & aliud quodvis bonum præter æternam felicitatem illos beatos efficere nequit, ita quodvis supplicium minimè par infinitæ eorum durationi nonnisi leviter illos affecisset, neque sceleribus eorum frænum injicere potuisset.

Ratio secunda desumpta ex

Ratio altera desumpta est ex Divo Thoma docente, quodvis malum suapte natura irreparabile,

naturæ peccati destruentis gratiam.

malum esse æternum; at malum peccatoris in peccato mortui est irreparabile, mirum igitur esse non debet, si æternum est: Magnum autem peccatoris malum est separatio a Deo; est destructio gratiæ sanctificantis, quæ erat vitæ ejusdem supernaturalis principium. Peccator ultro recessit a Deo, inordinato erga seipsum amore æternæ beatitudini abrenunciavit; volens, & sciens nequiter destruxit gratiam sanctificantem, quæ omnium supernaturalium bonorum radix erat, atque principium. Nunc post mortem eo in statu reperitur, in quo ad Deum nequit ultrà reverti; cum sit extra viam, ut loquuntur scholæ, veræ conversionis capax non est. Exempli gratia quicumque ultrò sibi mortem consciscit, ostendit, se velle in omnem æternitatem omnibus vitæ hujus bonis carere, ac de se uno tantùm conqueri potest: *Factus est malo dignus æterno, qui perimit in se bonum, quod esse posset æternum*. Sanctus Augustinus ait.

Ratio tertia, ex peccati gravitate lædentis Deum, qui infinitus est.

Justitiæ Divinæ interfuit pœnas peccati nequitiæ pares præscribere, & congruas dignitati illius, qui per contemptum læsus est, ut ablata eidem gloria reparetur. At peccatoris nequitia peccatum patravit in seipso infinitum; opus est igitur, pœnam esse infinitam. Cum autem homo per se finitus sit, pati nequit eos cruciatus, quorum vis, atque acerbitas sit infinita; opus ergo est, ipsum pati tormenta in sua duratione infinita, & æternitatis extensione suppleri intensioni cruciatuum. Contempsit ille amorem Dei sui, opus est, ipsum in æternum pati odium ejusdem. Ita cum pro unius peccati momento præcipit Deus suppliciorum æternitatem, eadem utitur mensura, qua cum illo usus est peccator. Quemadmodum enim peccator Deum mensus est momento voluptatis, ita Deus hominem pœnarum æternitate metitur.

Ratio quarta desumpta ex peccatoris voluntate, quæ quodammodo est æterna.

Homo in peccato moriens, peccatum illud in æternum committere velle censetur, duobus modis. Primum, quia in peccati voluptate æternam habuit voluntatem; optavit in æternum vitam producere, ut æternum in peccato suo posset volutari; ita opus est, ut hæc voluntatis æternitas pari suppliciorum æternitate puniatur: *Ut quia æternam voluit habere peccati perfruitionem, æternam vindictæ inveniat severitatem*. Secundò, quia qui in peccato moritur, quin illud per pœnitentiam expiaverit, dispositionem habet habitualem, & permanentem in æternum in peccato suo persistendi, si æternum viveret: *qui enim impœnitens moritur, si semper viveret, semper peccaret*. Si moritur, quin egerit pœnitentiam, habet voluntatem hanc interpretativam, ac tacitam æternum in peccato suo permanendi, & cum hac dispositione ad Dei tribunal accedit; unde Sanctus Gregorius concludit, Divinæ interfuisse justitiæ, ut qui nullum peccato suo finem voluit statuere, nullum supplicii sui finem inveniat.

Aug. Epist. 49 ad Deog.

Greg. 4. Dial. c. 44

Ratio quinta, ex legibus sumpta, quæ reum capite plectentes criminis ejusdem diuturnitatem non spectant.

Communis est omnium populorum sententia, Principes, quibus supremum jus est in subditos suos, ferre posse leges bono principatus sui convenientes, ac simul pœnas statuere, quibus infractores earum coerceantur. In hoc autem ordine politico pœna minimè aptatur sceleris, quo lex infringitur, diuturnitati, sed perniciosis effectibus, & damnis, quæ ex legis perfractione possunt oriri. Laqueo suspenditur fur pro furto; quod celeri manuum motu factum est; & homicida interficitur propter cædem ictu oculi illatam. Attamen mors quædam est species æternitatis; natura enim nullum habet remedium; & judices extremo supplicio damnantes, non cogitant utrum damnatus aliquando sit resuscitaturus. Hinc patet, justitiam humanam sibi vendicare potestatem puniendi privatos æterna pœna pro reipublicæ otio, & tranquillitate. Cur igitur Deus, qui per essentiæ suæ necessitatem, omniaque jura, quæ excogitari possunt, supremus est omnium hominum Imperator, non possit leges ferre; atque æternas infligere pœnas, ut subditos suos ad earum observantiam impellat? Hæc est Sancti Augustini argumentatio.

Sexta ratio desumpta ex jure, quo omnes tueri se possunt adversus opprimentes.

Nihil in jure naturali probatius est, quam justa defensio ad vim injusti aggressoris propulsandam. Licet abyssos statuerem inter me, & inimicum meum, prohibiturus, ne ille mihi officeret, ac damnum inferret, quis insimulare me posset? præsertim verò si illum admonerem, ne me persequi auderet, & ille mihi vim illaturus non posset accedere, quin præceps in abyssos hasce decideret: post hæc si rabie actus inimicus ruerit, ac in præceps laberetur, quid mirum tibi videretur ejusne furor, atque temeritas, an mea justa defensio? Verùm si mortalis homo hoc facere potest, ut se ipsum ab injuria tueatur, quid non liceat Deo hominum contumelias propulsanti?

Ratio septima desumpta ex iis, quæ Dei Filius passus est, ut nos ab inferni pœnis eriperet.

At cur alibi æternitatis hujus probationes inquirimus? Ipse Dei Filius qui hanc nobis minitatur potissimam probationem suppeditat. Ille factus est homo, ut peccata nostra deleret; ipse pro nobis crucem ascendit; ipse mortuus est, ut a terribilibus hisce pœnis nos liberaret. Dicendum est igitur, eas æternas esse juxta Sancti Bernardi argumentum: *Si non fuissent ad mortem, & ad mortem sempiternam, numquam pro eorum remedio Dei Filius moreretur*. Si peccatum fuisset malum finitum, & Infernus finitus tantummodo pœnas habuisset; ad nos puniendos, non oportuisset, ut ad illas delendas Deus totum effunderet sanguinem.

Respondetur objicienti peccatorem non cognovisse infinitam Dei magnitudinem, cum peccaret.

Ex eo, quod Theologi docent, cum Deus infinitus sit magnitudine sua, inde sequi, peccatorem, a quo ille graviter læsus est, pœna quodammodo infinita puniendum esse; nullam verò nisi in duratione sua infinitam esse posse pœnam; objicendi locum arripere posset peccator, se hanc Dei infinitatem non comprehendere; cognitionem suam finitam esse, atque peccatum cognitioni suæ respondere. Futilis est hæc objectio. Miser, qui Regi suo contumeliam inferret, nonne læsæ Majestatis reus esset, licet Principis hujus sapientiam, fortitudinem, virtutesque alias ignoraret? Regem suum convicio lacessis; humana justitia nihil ulterius exposceret, ut severissimis suppliciis in illum animadverteret. Peccator offendit Deum & perfectionibus, & magnitudine infinitum: hoc satis est, ut mereatur supplicium, quod aliquam habeat cum Deo læso paritatem, quod si æternum non esset, liquet, illi hanc defuturam paritatem, quia in seipso finitum esset.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, Recentioribusque Concionatoribus loci hujus Argumenti.

Magnitudo pœnarum in inferno generatim.

QUod Sanctus Paulus dicebat olim de Cœli deliciis, quas neque oculus viderat, neque auris audiverat, neque in cor hominis ascenderant, hoc ipsum jure dicere possumus de reproborum in Inferno suppliciis; videlicet tantos esse eorum gemitus, quæstus adeo flebiles, clamores adeo terribiles, horroribilesque, ut meritò exclamare possimus, neque oculus vidit, neque auris audivit, neque in hominis cor ascenderunt. Miseri illi indesinenter gemunt, Sanctus Cyrillus ait, & nemo illorum miseretur; de imo inferni clamores emittunt, at nemo tangitur; millies in die desperatione rapiuntur, & nemo illis opem ferre conatur: quem statum Sanctus Job unico expressit verbo: *sempiternus horror*. *Drexellius in Tabula justitiæ divinæ*.

Memoria præteritæ felicitatis damnatorum pœna.

Si malorum omnium maximum, Boetio teste, est præteritæ felicitatis meminisse; gravissimus sanè damnatorum dolor est, in horribili carcere contineri, & in malorum omnium abyssum præcipites datos esse, cum possent unà cum beatis Cœli gloria frui. Veluti cum Sedecias Victoris imperio de regio deturbatus solio in obscurum carcerem detrusus fuit, atque damnatus, ut post thesaurorum, natorumque suorum jacturam, oculos etiam

amit-

amitteret; Quæ suspitia in Cœlum sustulit? Cum superbus Aman, postquam diu Regis Assueri gratia gavisus est, atque eò dignitatis evectus, ut nemini honore, opibus, ac potentia in florentissimo secundus esset imperio, se damnatum intellexit, ut de cruce suspensus animam efflaret, se, qui pati æquo non potuerat animo, ut omnibus sibi prætereunti assurgentibus, unus tantum ignotus hospes salutem sibi dicere detrectaret: quinam fuere sensus ambitiosi hujus hominis mirè adeo humiliati? Quinam sensus Antiochi, qui terræ, marique imperare videbatur, cum horribili percussus morbo seipsum ab omnibus derelictum, sibique metipsi gravem intellexit! Memoria status illius, in quo ante floruerat, mœrorem, doloremque ipsius augebat, eumque dupliciter miserum efficiebat. *Idem*.

Damna orum dolor, quod Dei carent adspectu.

Inexplicabilis dolor est, atque ineffabilis tristitia, seipsum per scelus suum, atque in æternum Dei adspectu, & possessione privatum videre. Heu! hæc memoria cor laniat, & indesinenter excruciat. O me miserum! incessanter damnatus exclamat, poteram, si voluissem æterna in cœlis gloria frui; mihi non deerant gratiæ, pro Paradiso creatus eram; at illum nolui, & nunc Deum meum amisi, amisi illum in omnem æternitatem, supremam beatitudinem meam, unicum objectum, quod felicitatem meam poterat constituere, & quod ulterius minimè acquiram. Querela, quam olim in Deum edidit impius Cain, levis erat imago illius, in quam erumpent damnati. Hodie, ajebat ille, te mihi abscondis, & super faciem terræ a te procul me ejicis. Hei mihi! quò concedam? Ille tamen infelix poterat adhuc gratiam acquirere; Sed damnati procul a Deo exterminati sunt, in terræ centrum relegati, non amplius hujus Solis splendorem, neque adorabilis hujus faciei gloriam intuituri. *Idem*.

Inutilis damnatorū in inferno pœnitentia. *Job. 29.*

Nequicquam miseri illi suspitia, & ejulatus emittent, repetentque ea Jobi verba. *Quis mihi det, ut sim juxta menses pristinos?* Quis nos pristinis annis restituet, cum opobalsamo nos inungere, & abluere poteramus; cum mundi Salvator affluenter misericordiæ suæ oleum, pretiosique sanguinis sui effundebat unguentum? Heu! modò ne una quidem gutta stillat super nos; fons nobis exhaustus est; rivi gratiæ, & cœlestium favorum exsiccati sunt; Agni sanguis frustra pro nobis effusus est; mors, & passio illius nobis nihilum prosunt: tot impensæ, tot labores nobis inutiles sunt; eorum participes ultra esse non possumus; tempus, quo ex illis uberrimum fructum percipere poteramus, elapsum est; jam actum est; tempus illud non revertetur amplius. Hæc illa crudelis est cogitatio, quæ in æternum damnatorum corda discruciat; eo quod cum potuerint levi labore illud evitare malum, quo opprimuntur, & cœlum mereri, hoc non fecerunt; eo quod gratiam Dei, quæ sexcenties sese illis obtulerat, contempserunt; eo quod cum non defuerint sibi tot tantaque salutis suæ operandæ adminicula, ea contempserunt. Hæc est causa eorum mœroris, atque desperationis. *Idem*.

Pœna damni est Dei privatio.

Deus damnatum a se removebit, eumque in æternum a suo conspectu projiciet; hoc est, quamvis infelix anima sese tunc omni rapi studio sentiet, ut Supremo huic Enti cognoscendo, atque amando vacet, non enim ignorare poterit amplius, quod hic esse deberet suus finis extremus, & unica requies sua; illam suavissimo hoc adspectu privabit, eamque replebit ideis, quæ ipsam in contrarios motus determinabunt. Itaque tantum aberit, quod in omni æternitate divinam hanc intueatur essentiam, & videat quam amabilis, perfectusque sit Deus, tantum aberit, quod divino hoc incendatur igni, quo Seraphim in beata gloriæ sede flagrant; ut non aliter supremum hoc Ens agnoscet, quàm per tormenta sua, quæ ipsum illi exhibebunt tamquam Judicem severum, inexorabilem, irritatum, ac ultionem tantummodo anhelantem. Illa rabie, quæ explicari non potest, acta ipsum execrabitur. Fateor equidem; ignotam linguam loquor; etenim ad intelligendam ejus supplicii severitatem, quam tristis hæc separatio gignit, opus esset, ut in mea positum esset facultate efficere, ut sensu vestro cognosceretis quodnam sit desiderium, ardor, sollicitudo animæ corporis sui pondere liberatæ, ut creatorem suum cognoscat, & diligat. Nostis, quænam in hoc argumento adhiberi consueverint similitudines: Sagitta in metam suam tendens; accipiter irruens in prædam; ignis ad suam sphæram ascendens; lapsis ad centrum suo nisu descendens, significant quidem studium, quo hæc ad suum finem feruntur; sed cum anima sit spiritualis, hoc studium, hæc inclinatio alterius est ordinis, ac naturæ. In anima enim post vitam hanc agnoscente Creatorem suum, esse supremum bonum suum, & se extra ipsum phantasmata dumtaxat umbrasque consectari; instinctus hic, quem habet, si hoc pacto loqui fas est, sopitus, atque mortalis hujus vitæ spatio suspensus, repente excitabitur; nullumque inveniens obicem, quo prohibeatur, illa naturalem impetum sequetur; itaut imperiosa hac vi versus hoc divinum objectum trahatur. Verùm enim verò omnes conatus erunt inutiles; agitabimini, ac vosmet ejaculabimini, sed frustra: Deus enim invisibili manu vos propulsabit, & recedet a vobis. Necessariò felices esse cupietis, at felices esse non posse citra adspectum Entis supremi, quod se invisibile præbet, & fugit; quam horrendum supplicium! Quisnam illud posset explicare? *Ex manuscripto Sermone P. Stephani Chamillard*.

Alia idea, & descriptio pœnæ damni.

Ut aliquam animò concipiatis ideam separationis adeo crudelis, mementote solum eos conatus, quos ipsa exerere elementa vidistis, cum detinentur, ne ad suum naturale bonum festinent, licet illud minimè norint. Modicus ventus in terræ visceribus clausus montes evertit, rupes explodit, mundi concutit fundamenta. Quem rumorem edit exigua flamma in nube clausa? Frangit, & conterit, quidquid illi resistit: volvitur, & murmurat super caput nostrum, efficitque, ut natura ipsa contremiscat. Quænam igitur erit vis animæ, quæ tanto impetu erga Deum suum rapta, & sciens, quam bonum sit illi adhærere, seipsam semotam, separatamque a suprema sua felicitate videbit? Qui dicit separationem, dicit dolorem; & vosipsi nostis, quo major est propensio, eò graviorem, sævioremque esse separationem. At quodnam studium potentius est, quàm quo anima fertur in Deum? Non solum in illum totis viribus, tamquam finem suum tendit; sed Deus etiam, quatenus Deus, illam ad se tamquam magnes, attrahit, ideoque auget vim motus, quo ipsa tendit in illum. Scio equidem futurum ut anima reprobata, & in peccato suo obfirmata ipsa velit recedere a Deo; Scio, futurum ut Deus non ferendam hujus animæ videns deformitatem, illam rejiciat tamquam indignam, quæ ad ipsum accedat; verum animadvertite; ipsa horum motuum oppositione peccatori separationem hanc magis terribilem effectum iri. Simul Deus, tamquam rerum omnium finis reprobam animam ad se trahet, & simul tamquam ejusdem nequitiæ inimicissimus illam repellet: eodem temporis momento, quo reproba anima feretur in Deum, tamquam bonum suum naturale; eodem ejus voluntas corrupta ab eo tamquam persecutore recedet. Necessario ad Deum ferri, necessario a Deo recedere, quod supplicii genus est duobus adeo violentis, oppositisque motibus simul agitari? Sed quò crudelior erit hæc separatio, eò minus cognosci potest. *Essais de Sermons pour l'Avent*.

Rationes ob quas Christianus habet cum Deo a quo separatus est in inferno.

Dæmones non alium fere cum Deo nexum habebant, nisi creationis; saltem, se illis non conjunxerat, & uti videtur, a se illos non rejecerat, nisi eo pacto, quo figulus ea abjicit vasa, quæ formam amisere. Sed Christianus qui præter crea-

tionis rationem ad Deum propter Incarnationem quoque, & Redemptionem pertinet: Christianus, cujus anima JESU CHRISTO conjuncta est per mortem ipsius, per sanguinem, Sacramenta, gratias, innumera beneficia, nonne multò majorem dolorem quam dæmon ipse passurus est, cum hæc omnia vincula perfringentur? Et sine horrore cogitare solum possumus severissimam illam declarationem, cum Deus omnibus Domini, Regis, Pastorisque nominibus abdicatis, illos populum suum non amplius esse profitebitur? *Voca nomen ejus, non populus meus. Ibidem.* (Osee 1.)

(In hoc mundo Dei absentia dolorem nobis non adfert.) In hoc mundo absentia Dei non afficimur; propriè enim ignoramus, quod sit Deus, & quomodo ab eodem pendeamus; in altera enim vita tantummodo, ubi anima nostra non amplius a corporis hujus organis pendens, propriè alia habet lumina, quorum ope, cum fideliter Dei magnitudinem, & suavitatem possessionis ejusdem intelligant, norunt etiam quàm malum sit ab illius possessione excidisse. Umquamne in patris duo habentis filios alterum quidem adhuc prætextatum, alterum verò ætate provectiorem obitu animadvertistis, hunc tantum dolore confici, hunc afflictari? Facilis ratio est: hic enim natu major solus agnovit quantum boni sibi ex patre vivente cederet, at solus judicat damnum, quod parentis optimi morte sibi illatum est. Talis præter propter esse potest idea, qua intelligere potestis, cur Dei privatio, qua homines in hac vita minimè afficiuntur, illos tantopere torqueat in altera. Hic filii sumus nondum rationis compotes, neque agnoscimus quàm miserum sit patris suavissimi adspectu carere. Post mortem verò anima reprobata minori obice agnoscens infinitam beatitudinem, quæ est Deo frui, agnoscet quam calamitosum sit illius jacturam subiisse. Eheu! natus eram, ut bonum adeo pretiosum possiderem; factus eram, ut beatus essem; verbo, ut Deo fruerer, & per scelus meum tantum hoc boni, quod adeptus fueram, amitto. *Idem.*

(Quomodo cognitio Dei, & Electorum beatitudinem, & reproborum infelicitatem gignat.) Deus idem simul est, & summum Sanctorum bonum, & summum damnatorum malum; summum quidem bonum Sanctorum, quia isti eodem fruuntur; summum verò damnatorum malum, quia illum amisere. Ex duabus animabus, quæ Deum agnoscent, altera quidem in cœlo summam inde beatitudinem, alteram verò in inferno summum dolorem percipiet. Heu! Christiani, quis unquam fando assequi posset crudelem hanc divisionem animæ in æternum a Deo separatæ? Indesinenter attrahitur, indesinenter rejicitur. Attrahit illam Deus, quia spiritualis est; rejicit verò, quia nocens: hæc illa sunt quæ ploratum, rabiem, stridoremque dentium, de quibus loquitur Scriptura, producent. Damnatus agnoscet Deum, quem amisit, & ista cognitio excitabit juge desiderium ad eum festinandi; sed hoc desiderium inutile erit, atque ut Propheta inquit, petibit: *Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet, & tabescet; desiderium peccatorum peribit.* (Psal. 111.) Proh! quænam erit reprobi rabies, cum ostendet illi Deus beatos gloriæ possessione fruentes, ac seipsum in æternum a supremo bono suo divulsum, atque in horribilem malorum abyssum dejectum videbit, quin sibi aliquis manum tendat, & ferat auxilium? *Essais de Sermons pour les Dimanches. Tomo 1.*

(Recordatio scelerum, quæ damnatus perpetravit, non extremum erit ejusdem in inferno supplicium.) Ex omnibus tristissimis cogitationibus, quæ damnatorum spiritui occurrent, sævissima erit eorum criminum recordatio, propter quæ in horribile illud miseriarum barathrum ceciderit. *Recordare*, dicebat Abraham, diviti illi, qui omni misericordiæ sensu caruerat, in infernis ignibus sepulto, *Recordare quia recepisti bona in vita tua*, atque in rerum omnium affluentia, deliciisque vixisti. Recordare divitiarum, quas improbè dissipasti; egenorum, quibus te inexorabilem præbuisti; conviviorum, in quibus quidquid sensibus gratum, jucundumque accidere poterat, congessisti; spectaculorum, quæ mentem tuam obscœnissimis, atque ad voluptatem ciendam maximè appositis, imaginibus repleverunt; musicorum concentuum, qui subtilissimum amoris prophani virus tibi medullitus insuderunt! Horum *recordare*; & recordatio hæc in amaritudinis, ac tristitiæ abysso te immergat, quæ par sit scelerum tuorum abysso, in qua te noxiæ voluptates tuæ sepelierunt: *Quantum fuit in deliciis, tantum date illi tormentum, & luctum. In eodem Sermone.* (Apoc. 18.)

(Inutilis reproborum pœnitentia.) Reprobe infelix! in æternum omnem pœnitentiæ dolorem, mœroremque habebis, quin ejusdem fructum percipias; cogitationes, quas hodie foves, tibi fuissent in terra salutares; sed ad sensibilia bona conversus, oculos semper habuisti Evangelicis veritatibus clausos; & opus fuit ut illos aperire justitia te cogeret, eosque ad præteritum misericordiæ tempus attollere. Heu! jam actum est! Non est amplius tempus te dedendi; obstinato quidem animo Deum tuum odio persequeris; scies tamen, cum ipsum oderis, illum erga te olim nonnisi amorem, benevolentiam, misericordiam fudisse; tuique odii injustitiam semper magis agnosces ex earum rerum recordatione, quibus Creatorem tuum posthabuisti. Recordare, inquit Abraham Evangelico diviti, recordare, quia recepisti bona, quæ concupieras in vita tua, & hæc ea esse bona, quæ unico, supremoque bono tuo prætulisti. O crudelem recordationem! O inutilem pœnitentiam! pœnitentiam seram! cur animum non adhibui hujusmodi cogitationibus, dum tempus erat, & dum mederi huic malo poteram, quod nunc spe omni destitutum est! *Sermo manuscriptus.*

(Damnati recogitabunt peritura bona, quæ Deo prætulerunt.) In tristi eo loco reprobus miser indesinenter peritura bona recogitat, quæ damnationis suæ causa extiterunt. Avarus sibi ob oculos proponit ingentem illam pecuniarum vim, quam hæredibus ingratis reliquit; aurum, argentumque illud, quod tanta cura asservabat, contractus redituum, quos fœnoribus auxerat. Nobilis vir eas sibi videtur magnificas ædes videre, quas sibi extruxit; pretiosam supellectilem, qua erant ornatæ; servorum turbam unicè sibi inserviendo intentam, suisque nutibus obtemperantem. Ambitiosus eas considerat laudes, quibus vani adulatores ipsi blandiebantur; commentitias dignitates, eosque honoris titulos, quos laboribus tandem consecutus est. Voluptuosus animo eas repetit mensas lautissimis dapibus opiparè instructas; vina exquisitissima, quæ tantis sumptibus comparabat. Heu! si Cœlum hos miseros saltem in errore, & ignorantia, in qua versabantur in terra relinqueret; si densas eas tenebras, quæ illos in mundo excæcarunt, minimè dissiparet, hæc fortasse recordatio aliquam ipsis voluptatem tribueret. Verùm Deus aufert hoc phantasma, quod illos fefellit; eisque detegit inane, & nihilum fluxorum, fragiliumque bonorum. Intertur miseros, quibus error suus erit ademptus, vel unus erit, qui in omnem æternitatem terribilem hanc cognitionem pati queat? Hoc illud nihilum est, quod meæ felicitati præferendum putavi; hoc illud nihilum, quod deperii, & quod efficit, ut nunc Deum meum amare non possim. Utri, mihine, an illi adjacet injuria? Cuinam irascar? Quod ex me requirebat, iniquumne erat, ac supra meas vires positum? Verùm attendite, misertimæ huic cogitationi in inferno hoc peculiare, propriumque futurum, quod erit assidua. In hac vita, somnus, mentis evagatio, tempus, amici doloris magnitudinem minuunt; sed ubi loquimur de alterius vitæ supplicio, jam æternum est, omnique caret intermissione. *Sermo manuscriptus P. Stephani Chamillard.*

(Odium damnati in Deum impotens est.) Damnatus in calamitoso eo contubernio Deum æterno persequetur odio; sed eo sub ultricis dexteræ Dei pondere oppresso odium hoc impotens erit. Vellet Deum ulterius non esse, ac omnino destrui; vellet illum videre de gloriæ solio deturbatum, a creaturis omnibus derelictum, ab hominibus,

minibus,

minibus, Angelisque probris, conviciisque impetitum. Vellet illius coercere potestatem, vel ad eum statum redigere, ubi non posset amplius ab ipso torqueri: vellet illi magnitudinem, adorabilem Majestatem, omnesque perfectiones auferre; ut verbo me expediam, vellet illum quoque infelicem, & pœnarum, quas ipse patitur, consortem efficere. Hinc horribiles illæ blasphemiæ, execrabilia juramenta, inauditæ imprecationes, quas evomit indesinenter; hinc furores, ululatus, stridoresque; hinc insana, ac inutilia desideria, quibus incessanter agitatur. Sed Deum hunc semper inveniens fulminibus, telisque armatum omnipotentem, in sententiis suis immutabilem, in duratione æternum, rabiem, ac desperationem suam in seipsum retorquet. *Idem*.

Damnatus frustra mortem cupiet.

Desiderabunt mori, & mors fugiet ab eis. Apocal. 9. Satisne intelligitis crudele hoc reproborum fatum? Si seipsos vorare possent, ac in nihilum reverti, ne momentum quidem hærerent. Quid? suam poscere destructionem, se ad id armare, eam sibi procurare velle, eamque habere loco gratiæ, quæ obtineri non potest? Homo in inferno amittitne naturale illud studium, quo suæ studet incolumitati? Non habet ultra cupiditatem immortalitatis, qua numquam cessare desiderat? Quid ad hoc in terris operatus, vel potius passus non est? Nonne morti prætulit acutissimos morbos, bonorum jacturas, carceres, catenas? Aliquandone eo usque ferebatur, ut sincere ex hoc mundo egredi optaret? Quamvis statim pœnitentia subsequeretur, & palinodiam caneret; attamen inde judicium inferebatur, gravissimis illum doloribus exagitari, quandoquidem hoc capiebat consilium. Damnatus similem habet studiorum inclinationem, immo etiam vehementiorem; oportet ergo, ut illius rabies, & desperatio horribile supplicium sit. *Idem*.

Recordatio gratiarum divinitus acceptarum gravissimum erit damnati tormentum.

Quamquam damnatus miser Deum odit, eumque erga se crudelitatis insimulet, attamen ignorare non potest, hunc eumdem Deum nihil intentatum reliquisse, ut illius sibi amorem sexcentis beneficiis, ac benevolentiæ argumentis conciliaret. Ideæ eorum, quæ in vitæ mortalis suæ spatio acciderunt, omnino deletæ non sunt; quædam supersunt adhuc earum vestigia. Licet terribilibus divinæ justitiæ, iræque telis exagitetur, in mentem revocat semper ea amoris argumenta, quæ toties a Deo recepit; amorem, quo Deus cor ipsius sibi conciliare conatus est; sollicitationes, quibus illum urgere non destitit; patientiam, qua illum præstolatus est; valida, quæ obtulit subsidia; interiores voces, quibus usus est ut eum invitaret, & ab erroribus revocaret; Electas gratias, quibus illum prævertit. Meminit, se integros annos obstitisse, rejecisse, & contempsisse gratias, & lumina ejusdem Dei, quem tunc bonitatis, & misericordiæ plenissimum experiebatur. Ob mentem ipsius versantur flagella, clavi, crux, aliaque tormenta, quæ pro ipsius amore Salvator passus est; sed recordatur simul se omnibus hisce generalibus, & particularibus abusum fuisse beneficiis, & hunc fontem divinæ Misericordiæ, pro se exhaustum esse, quod ejus parit desperationem. *Idem*.

Damnati in æterno odio prosequentur eos, qui magis amaverunt in terra, si illi suæ damnationis extiterint causa.

Scitisne vos, qui hodie noxios fovetis amores, tempus venturum, quo vinculis hisce per mortem disruptis, mutuum, atque irreconciliabile odium erit inter vos, & eos, quos salutis vestræ detrimento amaveritis, vosque invicem supplicii vestri mutua instrumenta futuros? Ita est; Filius, quem tantopere diligitis, & propter amorem cujus ipsa etiam necessaria vobismetipsis negatis, ut opimam illi relinquatis hæreditatem; hic, inquam, filius adeo perditè amatus, propter luxum, libidinesque suas damnabitur; sed statim ac in inferno sepelietur, vobis maledicet, vos odio persequetur, vos, tamquam malorum suorum causam detestabitur. Mater inhumana! exclamabit ille; opusne erat, ut me in lucem ederes damnandum? Eheu! Nisi fuisset cæcus affectus tuus, perniciosæque blanditiæ, quibus meam voluntatem, quacumque tibi libitum erat, circumferebas, secutus fuissem vocem Domini clamantis, & nunc cœlesti beatitudine fruerer. Barbara mater! opusne erat, ut tuus essem filius? Hæc una idea satis erit ad furibundum odium in filio erga te excitandum. Tu verò, o pater, intelligens filium hunc tuum unicum fuisse tuæ salutis impedimentum; tamquam inimicorum tuorum sævissimum intueberis. Non audientur amplius suavissima illa nomina filii, patris, conjugis, amici; hæc immo in atrocissimas convertentur injurias, atque in sævissimas execrationes; quia in illis malorum omnium fons, & principium invenietur. Utique, tu, qui perditè perituram deperiisti formam, mortali odio persequeris illam, a qua amabaris, & illa quæ cor non habebat, nisi ut te amaret, vicissim te oderit, itaut velit supplicia sua augeri, dummodo illinc tuis cruciatibus fiat acerbitatis accessio. Dum tua furebat insania, nihil magis optabas, quam ut ad mortem usque illi hærere posses, eumdemque cum ipsa subire finem. Voti damnaberis; illi in omnem etiam æternitatem hærebis; eorumdem scelerum fontes iisdem ignibus torquebimini, atque alter alterius vicissim tortores eritis. *Idem*.

Quomodo damnati peritura hujus vitæ bona, & peccata ab ipsis patrata considerabunt.

Damnatus, licet invitus animo reputans, se pro fluxis, fragilibusque bonis, & quæ boni inanem tantummodo referebant umbram, vero, unico, summoque bono excidisse; se propter turpem quæstum, obscœnam voluptatem, ineptum honorem æternitate bonorum, deliciarum, & gloriæ carere; hæc inquam reputans in hujusmodi stimulis, in hac pœnitentia, tunc sera, inutilique vermem habebit, qui illum depascet numquam moriturus: *Vermis eorum non moritur*. Hæc illa erit incurabilis plaga, quæ semper ea recordatione exacerbata, quam damnatus abjicere non poterit, æternum in anima illius contabescet. Non indigebit Deus, Sanctus Joannes Chrysostomus inquit, furiarum, & dæmonum opera, ut damnatos excruciet; hi erunt sibimet tortores sævissimi. Iniquus hic Judex torquebitur injustitia sua; detractor ille horribilibus obtrectationibus, quas effudit; mercator suis astubus, quibus cum viduarum pupillorumque detrimento opes congessit. Malarum voluptatum recordatio in reprobo relinquet impressiones fellis, & amaritudinis in æternum minimè delendas, Sanctus Bernardus inquit. Omnes illicitarum voluptatum illecebræ jam præterierunt, pœnitentia verò eo quod peccator se illis addiderit, non præteribit. *Momentaneum, quod delectat, æternum, quod cruciat: Facere in tempore fuit, fecisse in æternum manet. Essais de Sermons, pro septima post Pentecosten Dominica.* — *Marc. 9.*

Gratiæ, quibus damnatus usus erit acerrimus erit dolor ejusdem.

Damnatus præteritorum, quibus abusus est, gratiarum; tot, quæ habuit, neglexitque, ad salutem operandam, adminiculorum recordatione torquebitur. Poteras, exprobabit illi conscientiæ vermis, adeo facile poteras sincera pœnitentia æternam evitare calamitatem: Non defuit tibi cogitatio, non defuit gratia, eamque Deus sanguinis sui pretio tibi comparaverat: in tua positum erat facultate eadem uti; eam verò noluisti, cum potuisti; illam in æternitate velles, & habere non poteris. Cordis contriti, humiliatique suspirium, sinceræ pœnitentiæ lacryma hæc omnia mala prævertere poterat; dolores æterni, perennes lacrymarum fontes te istinc liberare non poterunt. Clamores, stimulique mei tunc te movere non valuerunt; nunc verò torquere te valent. Tunc pro tua salute clamabant, neque illis adhibebas aures; clamabunt pro supplicio tuo, & licet invitus eos audias; sed, o te miserum! quin tamen proficere possis. Cur non præbemus nosmet sensibiles hujusmodi stimulis, Sanctus Bernardus inquit, nunc,

cum nobis utiles esse possunt; & eodem tempore, quo illos sentimus, etiam omnino retundere possumus, auferentes illis materiam, qua aluntur? *P. Nepveu, Tomo secundo Considerationum Christianarum.*

Præterita peccata in damnatorũ memoria subsistent.

Reprobus in inferno tandem præteritorum peccatorum recordatione torquebitur. Quandiu damnati vigebit anima, S. Bernardus ait, tandiu & peccatorum memoria vigebit; sed quàm turpis, quàm horribilis memoria! Crimina illius videntur præterita, sed falsò; in seipsis non subsistunt amplius, non subsistunt quoad voluptatem, sed quoad pœnam adhuc subsistunt; & quemadmodum fieri non poterit, ut hæc scelera minime commissa fuerint; cum eorum non egerit pœnitentiam, fieri non poterit, ne in effectibus suis in omnem æternitatem subsistant.. Reprobus in æternum suo peccato torquebitur; æternum enim recordabitur se illud patrasse, neque per pœnitentiam delesse. *Idem.*

Bonorum, & voluptatum memoria illos angit.

Magnus aliquis, atque felix e sæculo, qui in deliciis volutabatur, momento se ad inferos raptum videt. Quæ mutatio! Præsentem cum præterito statum comparat; & hæc comparatio efficit, ut præsentis infelicitatem magis intelligat; præteritorum enim bonorum memoria præsentium malorum sensum reddit acriorem, præsertim cum cogitat, voluptates suas adeo leves fuisse, cruciatus adeo violentos esse; voluptates fuisse momentaneas, & mala æterna futura. Voluptas prætriit, inquiet ille; tormentum verò ex ea voluptate genitum in æternum permanebit. Me miserum! momenti unius voluptas æterna pœnitentia, ac dolore expianda est? *Idem.*

Agitatio, & conatus animæ in Inferno a Deo separatæ.

Anima hæc a Deo separata, motibus maximè oppositis, ac violentis agitabitur. Agnoscet Deum infinitè amabilem; illum amare volet, & non poterit: sentiet, illum supremum esse bonum suum, attamen illum non poterit possidere. Naturalis, validusque motus versus summum hoc bonum illum impellet, sed peccatum in eodem regnans illum repellet. Cupiet possidere Deum; quandoquidem unum ipsum beatitudinem suam efficere posse cognoscet; sed hoc desiderium rejectum in furorem immutabitur, eumque coget odisse, quod amare vellet, nec potest, atque cupere interitum ejus boni, quod vellet quidem, sed non potest possidere. Deus summum est illius bonum; quomodo illum non concupiscere potest? Deus illius inimicus, & persecutor est; quomodo potest non illum odisse? quomodo non cupere illius destructionem! Ardenti illius rei cupiditate flagrare, cujus numquam obtinebitur possessio; necessariò odisse, quod semper optabitur, hæc damnatorum occupatio est, hoc supplicium. Eheu! quàm tristis erit sors damnatorum! *Idem Tomo 1.*

Quodnam supplicium est Deo carere in Inferno.

Neque expectetis, a me vobis eam describi rabiem, qua damnatus infrendet eo quod Deum suum in æternum amiserit. Æquè miseri essemus, ac ipsi damnati, si dicendo assequi possemus, quid sibi velit Dei jactura; non enim nisi, qui illam experiuntur, & sentiunt, eam intelligere valent. Donec in terris versamur, non sentimus naturalem nexum, qui Deum inter, animasque nostras invenitur; non sentimus secretum illud studium, quo illæ Deo tamquam principio suo adhærere, atque sese cum eodem conjungere cupiunt; non sentimus denique secretos motus, quibus in Deum, veluti centrum feruntur. Corporum nostrorum pondus animas terram versus detrahunt, & graves corporis motus prohibent, ne animæ motus sentiamus; at aliter accidit in inferno: ibi anima non pendet amplius ab organis corporis, nullis sensuum impedimentis prohibetur; atque omnem sentiens vim illius propensionis, qua Deo, & Creatori suo cupit adhærere, nequit separata ab illo subsistere, & singulis momentis seipsam ejaculatur, ut cum eodem conjungat. Sed illam indesinenter repellit Deus, atque rejicit. Nequit illa sine Deo vivere; Deus nihilominus efficit, ut illa procul a seipso vivat in æternum: Illa incessanter feretur in Deum, Deus verò numquam ibit ad illam. *Essais de Sermons Tomo 4. pro Dominic. 3. post Epiphan.*

Inveniet quidem reprobus in inferno Deum, sed suorum scelerum ultorem. *Psal. 138.*

Audire mihi videor quemdam ex calamitosissimis reprobis indesinenter hæc Prophetæ verba in horribili eo carcere teterrima voce iterantem, ex quibus rabies, & desperatio ejusdem augetur; *Si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero in infernum, ades.* Si oculos ad Cœlum sustollo, ibi te Deum clementissimum video, at ego ibi non sum; si in inferis circumspicio, hic es justitiæ Deus, & hic quoque ego sum. Si cœlum suspicio, ibi Deus es beatitudinis, Deus deliciarum, Deus remunerationis; ego verò ibi numquam ero; si in inferno despicio, me miserum! tu istic es Deus terroris, Deus iræ, Deus ultionis, & ego quoque hic semper ero. In cœlo Deus est æternæ bonitatis, at illum in æternum amisi; in inferno Deus est ultionis æternæ, eumque in omnem æternitatem inveni. Hæc duo illa sunt, quibus damnati in inferno ad desperationem redigentur. Deum & amiserunt, & invenerunt; amiserunt Deum misericordiæ, & invenerunt Deum justitiæ. *Ibidem.*

Reprobus sua culpa damnatur.

Inde verò damnatorum rabies, & desperatio in Dei sui jactura crescit, eo quod singulis momentis se tanto bono sua culpa excidisse considerant. Quantumvis miser sis, cum infelicitati huic causam minimè præbuisti, beatior es, quam quilibet putet; sed cum miser es, & culpa tua miser, fateor equidem, hic est cumulus desperationis, & hoc damnatorum infelicitatem efficit intolerabilem. Vident illi indesinenter omnia sua scelera; vident se inferni pœnas meritos fuisse; vident se hoc solatio carituros, ut dicere queant, se injustè pati. *Ibidem.*

Et pro nihilo.

Damnati Deum amiserunt, & culpa sua amiserunt; sed cumulus desperationis eorum est illum pro nihilo amisisse; atque pro brevissimo fallacium voluptatum momento infinita, veraque bona amisisse. Audite, quæso, quomodo reprobi in inferno loquantur: *Quid nobis profuit superbia, & divitiarum jactantia quid contulit nobis?* Quid miseri dicitis? quæritis quid vobis opes vestræ profuerint? Nonne profuere, ut in terris beatam vitam duceretis? *Transierunt illa omnia tamquam umbra.* Heu! hæc omnia fulguris instar evanuere, & pro hoc momento Deum meum amisi? Quænam rabies, quænam desperatio! Misericordem amittere Deum, proculdubio malorum omnium est maximum; sed invenire Deum ultorem hic est cumulus desperationis. *Ibidem.*

Sap. 5. *Ibidem.*

Deus damnatis tribuit sublimem cœlestium bonorum ideam, ut eorum augeat cruciatum.

Imprimit Deus in damnatorum spiritu sublimem pulchritudinis cœli, gloriæ beatorum, ac æternæ perfruitionis ideam, ut actiùs sentiant tot locupletissimorum bonorum jacturam. Ut illos confundat, non ut consoletur, has tribuit cognitiones, atque ut in illos amarissimos, gravissimosque dolores excitet, ubi culpa sua de cœlestium bonorum possessione dejectos, atque in æternum a facie Dei rejectos esse intellexerint. Magnum desperationis eorum argumentum est, supremum bonum sibi non amplius bonum esse; supremum hoc bonum in ipsos severissimum esse; atque omnes Dei perfectiones in id conspirare, ut Dei quidem ulciscantur injurias, damnatorum verò tormenta efficiant graviora. Flagitiose vir, qui modò in ludibrium vertis omnes Concionatorum conatus, aliquam tibi præbere adnitentium ideam magnitudinis hujus jacturæ, videbis aliquando funesta doctus experientia, quidquid ab ipsis dictum fuit, quàm procul a rei magnitudine abesse. Contabesces rabie videns illum Deum, qui te tot cruciatibus torquebit, illum ipsum esse, qui erga te, donec viveres, pietatis viscera habebat. Divinus iste Redemptor, qui postquam pro salute tua vitam, sanguinemque effudit, nonnisi funestissimas ore profert

fert seotentias, ac utraque manu fulmina torquet, ut te a suo aspectu removeat. Dentibus infrendes videos, te supremi illius boni, quod vivens dedignatus es, & contempsisti, summo ardore flagraturum, sed frustra; boc enim desiderium jacturæ tuæ sensum augebit; atque inde mœrori tuo summa fiet accessio, quod pro nihilo te jacturam hanc subiisse, eamque in æternum subiisse videbis. *La Font, in Ecclesiasticis alloquiis pro prima post Epiphaniam Dominica.*

Desideria damnatorũ inutilia. Nihil magis intolerabile, & quod acerbiorem afferat dolorem est, quàm indesinenter velle, quod numquam obtinebitur, & perpetuò odisse, quod semper necessariò perferendum erit. Damnatus in tristissimo hoc statu versatur. Etenim furoris ejusdem, sed inutilis furoris objectum, Deus est, quem possidere non potest, ac vellet delere. Quandoquidem illi adhærere non potest, illum non amplius existere cuperet. Itaque miser ille undique suis & desideriis, & odiis torquebitur. *Joly Tomo 2. Propositionum.*

Dei destitutio in Inferno, Osee 1. Quot sunt, qui io inferis triste hoc nomen gerunt: *Non populus meus.* Hæc funestissima epigraphe ostio illius abyssi insculpta est. Qui hic sunt, non sunt amplius populus Dei; fuerunt quidem olim, at amplius non sunt: illum possidere poterant; at numquam in æternum illum videbunt, nec possidebunt. Fortasse amici vestri, fortasse parentes, fortasse filii hoc in numero recensentur; sed vosipsi quoties deplorabilem hanc destitutionem estis promeriti? Quoties meriti estis, ut in infernum præcipites dejiceremini, nisi perennis Dei bonitas, & misericordia vitam vobis produxisset, ac pœnitentiæ tempus reliquisset! Cogitate, beneficium hoc non extitisse minus, quàm si jam lapsos illuc, re ipsa inde eduxisset. *Ibidem.*

Damnatorum desperatio. *Periit finis meus, & spes mea a Domino. Thren. 3.* Reprobus in inferno dicere poterit: Ecce propter scelera mea damnatus sum; ecce finis, quem tota vita mea invenit. Alteram me inventurum vitam in Dei possessione putabam; sed hæc spes me frustrata est. Deus in æternum meus judex erit, numquam verò merces mea: Deus in æternum erit scelerum meorum vindex; numquam mea erit beatitudo: Deus in æternum erit supplicium meum, numquam requies, & gaudium. Dum viverem cum illo bellum gerere volui; nunc autem pax est mihi desperanda: *Periit finis meus, & spes mea a Domino. Idem.*

De pœna damni, aut privatione Dei in inferno. Sive hæc Dei separatio spectetur tamquam violenta rerum duarum secessio, quæ suapte natura conjunctæ esse deberent; seu consideretur veluti duarum personarum divortium, quæ vicissim altera alterius esse deberent; seu tandem exhibeatur tamquam irreconciliabile duorum odium, qui ultro citroque sese amore deberent complecti: quàm acerbum erit Christiano infernis ignibus addicto Dei sui io æternum jacturam fecisse? *Jerem. 2.* *Vide quia malum, & amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum.* Quinam erit animæ dolor, quæ eò majori nisu in Deum suum rapia, quò magis cognoverit, quantum boni sit adhærere Deo, seipsam a summo hoc bono divulsam, atque projectam videbit? Qui dicit separationem, dicit dolorem; & nostis, quò major est inclinatio, separationem eo acerbiorem esse, & crudeliorem? At quænam vehementior inclinatio, quàm animæ tendentis in Deum? non solum ad eum tamquam finem suum omnibus viribus fertur; sed Deus ipse, quatenus summum bonum illam trahit, ideoque auget vim motus illius, quo ipsa tendebat in Deum. *Fromentieres Sermone hujus argumenti.*

Nostisne, Sanctus Augustinus ait, quid sit privatio Dei, quam reprobus patitur? *Exhæredatio, divortium, dissolutio.* Filius exhæredatus, uxor repudiata, membrum luxatum, atque divulsum ecce quid propriè sit damnatus. Deus erat hujus hominis pater, cœlum ejus hæreditas; & per inobedientiam suam meritus est, ut de adeo opulenta possessione deturbaretur. Deus erat hujus animæ sponsus; illum summa complexus fuerat semper benevolentia, ut sponsam; at ejus infidelitas cogit Deum, ut illi det libellum repudii, tamquam infamis, atque suavissimæ affinitatis nodum infringat. Verùm hæc Dei privatio erit magis adhuc intolerabilis, quia necessariò mutuum Dei, & peccatoris odium complectetur. Deus æterno persequetur odio peccatorem, quia nihil amplius in illo dignum inveniet amore suo. Deus reprobam animam execrabitur, atque omni nisu, ac potestate sua detestabitur; atque ut omnia verbo complectar, illam ex necessitate Essentiæ suæ, quæ illum naturaliter, atque immutabiliter peccati inimicum constituit, abominabitur. *Idem.*

Studium illud, quo anima fertur in Deum, quodammodo infinitum est, quia animæ hujus capacitas aliquid habet infinitum; cum omnia finita illum replere non valeant, & Deus, qui infinitus est, illam ad se trahat cum omnibus perfectionibus suis, quæ ipsum mirum in modum amabilem reddunt, & quarum illi validam imprimit ideam. Quis igitur mente assequi potest vim illam, qua hæc anima fertur in Deum? Summa quidem est, sed constans; numquam interibit, numquam mutabitur, etenim naturalis inclinatio, & capacitas neque relinqui, neque mutari potest, nisi natura mutetur. Ideo desiderium sese Deo conjungendi, eumque possidendi, semper violentum erit, & vehemens; juge erit, ac numquam intermittendum. *Sermo manuscriptus.* *Vividum animæ damnatæ studium, quo Deo fini suo hærere cupit.*

Anima hoc in statu est quodammodo in omnibus facultatibus suis dilaniata, reo similis, qui exquisitissimis urgetur tormentis, ut sceleris confessio ex ore illius extorqueatur. In sublime attollitur, quibusdam machinamentis, quæ illum in aere pendulum detinent; in terra detinetur enormis gravitatis pondere pedibus alligato. Hoc in tormento, & sursum attollitur, & deorsum premitur; pars illius elevatur, pars immobilis detinetur, & miser funestissimi hujus supplicii vi dilaniatur, & incomprehensibilibus doloribus torquetur. Dici potest, licet imperfecta sit comparatio, aliquid simile damnato accidere; illum Deum versus suum attollit desiderium; illum sua detinet reprobatio; & hoc pacto anima ipsa quodammodo dilaniatur. *Idem.* *Ejusdem argumenti.*

Novit profectò Deus se cognoscendum præbere damnatis ad eorum pœnas, ac dolores propter sui privationem augendas. Heu adspectus! heu cognitio! quantum illis dolorem affers! *Peccator videbit, & irascetur.* Ex hoc intuitu orientur rabies, furores, desperationes, odia, horribiles in Deum blasphemiæ, & contra semetipsos imprecationes. Mene, impius in inferno exclamabit, mene Christianum hominem, gloriam, & regnum JESU CHRISTI abdicasse pro aliqua gloriola, pro obscœna quadam voluptate? Nonne id ego feci? Mene Christianum hominem, fidei donum habentem, neque ignorantem, quid sit Deus, quid Paradisus, hæc omnia pro futili quadam re, pro nihilo reliquisse? Nonne id ego feci? Millies hoc feci; inficias ire non valeo. O crudelem ambitionem, quæ mihi vetam eripuisti gloriam! O fallaces opes, quæ mihi cœli bona abstulistis! O profanum amorem, qui mihi Dei mei odium conflasti! Fragiles voluptates! Æterna supplicia! O Christiani dignitatem, quæ ad nihilum mihi prodest, sed me efficit miseriorem! O æternum Dei odium! O Dei furorem implacabilem! O malorum omnium extremum! Hoc nequaquam extimescemus, quia non intelligimus; neque illud intelligimus, nisi quia ad illud animum non advertimus. Sed impius æternis addictus incendiis hoc semper cogitat, ejusque voluntas semper est occupata sceleribus suis detestandis, quæ illum Deo in æternum efficient odibilem. Inde oritur æternus dolor, & maledicta pœnitentia, quæ nullum est unquam finem habitura: *Pœnitentiam agentes, &* *Sap. 5.* *Damnati dolor, & odium contra Deum.*

pra angustia spiritus gementes. P. Texier in Adventu impii infelicis.

Ejusdem Argumenti continua tio. Eheu superbia, divitiæ, noxiæ voluptates, quid profuistis mihi? Ecce me pro ficta boni larva huc redactum, ubi in æternum torquendus sum. Satis levem agens pœnitentiam, pravam illam detestens consuetudinem, alienum illud bonum restituens, cum inimico rediens in gratiam, facile poteram me iis liberare pœnis, quæ patior, nec feci; neque modo ulla superest medicina, neque erit ulla in omnem æternitatem. Quomodo omnia, o Deus, eousque insaniæ, ac furoris evasi, ut vel uno momento tuus essem inimicus! Attamen fui, neque uno momento, sed mensibus, annisque integris fui! Et eo in statu solatiis vacare potui; conscientiam lethali vulnere confossam gerens quiescere potui: sæpe etiam ne cogitavi quidem unæ meæ rationem memet illi objicere calamitati, quam modò patior. O furorem! O miram cæcitatem! *P. Segneri de vera sapientia.*

Repellet Deus in altera vita damnatos, quemadmodum in hac eum damnati repulerunt, Prov 8. Apoc. c. 3. Deus, & anima, ut ita dicam, agendi rationem immutant. In vita, Deus illam vocabat, illa verò audire nolebat; poscebat ille cor hominis, ac de eo victoriam referre meditabatur; in hoc delitias suas constituebat, si illud possideret, ac se cum eodem conjungeret. *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* Anima e contra dedignabatur illum; & ipse non ideo recedebat: *Ego sto ad ostium, & pulso.* Ille præstolabatur, urgebat, instabat, nihilque ipsi grave erat, dummodo id consequeretur, Supremus naturæ Dominus, omnia suo impendit amori. Sed homo tantum aberat, quod responderet, ut imo animum suum obfirmaret, ac nulla re afficeretur; imo verò per summam impietatem omnia contemneret: sed veniet dies, & ecce venit, quo omnia invertentur; vos enim, o miseri, quæretis Deum, & vos ego repellam.... Vos quidem incipietis, at ille non adhibebit aures; vos expectabitis, at ille indurabitur: vos illi dolorem attulistis, ipse vestrum erit supplicium; vos noluistis esse populus ejus, & noiet ipse Deus esse vester. *P. Cheminais Tomo 4.*

Pœnitentia eo quod peccatores salutem operandi, prætermiserint, cum fecerunt, damnatum torquebit. Jerem. 2. Cum anima inanes repetet voluptates, quibus Deum suum sacrificavit, & eas personas propter quas adeo abominabile sacrificium effecit, quot in mentem revocabit momenta, quibus facile sibi certam facere potuisset ejus boni, quod amisit, possessionem? Deus illi apponet, indesinenter io eadem hanc fovebit cogitationem; neque ulla erit, quod in hac accidit vita, intermissio, ubi somnus, mentis evagatio, tempus, amici doloris minuunt acerbitatem: *Scito, & vide, quia malum, & amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum.* Toties hoc tibi dictum fuerat; at fidem adhibere omnquam voluisti; *vide*, senti, tuis disce impensis, experite, ac tandem intellige, quantum tibi supplicium sit a fine tuo separari.

Omnium Inferni tormentorum acerbitas. Luc. 16. Heu! qui poterit justam malorum Inferni concipere ideam? Summus divinæ justitiæ effectus nonne particeps est incomprehensibilitatis ejusdem Dei? & licet creatæ mentis extensio immensam illius æquare magnitudinem posset, quænam verba satis apta possent inveniri, quibus aliis exprimeretur? Possumus quidem cum JESU CHRISTO asserere infernum esse *locum tormentorum*; quorum autem quis dixerit? *Magnum chaos*: abyssus est impenetrabilis, de qua nonnisi confusè haberi sermo potest; locus est, ubi omnia coacervantur mala secundum omnem infinitæ ultionis severitatem, *P. Dozenne, in libro cui titulus: Mundus a seipso damnatus.*

De pœna sensus, præ ferram de igne, quo damnati torquebuntur. Apoc. 18. Pro exterioribus suppliciis, quibus in Inferno damnati torquentur, elegit Deus ignem ultionis suæ instrumentum, quia ex omnibus naturalibus causis, non alia melius suam vim ostendit. Ignis iste locum tenebit Dei potentis, atque irritati: *Tamquam ab igne Dei vicario*, quidam Ecclesiæ Pater ait. Videtur Deus huic omnes perfectiones suas communicasse, sapientiam suam; Dei ipsius discretionem habebit, minus nocentem a nocentiori distinguet; Christianum, qui toties abusus est gratiis Dei sui, ab Infideli, qui illum non cognovit; Hæresiarcam, qui sevit zizania, ab Hæretico, qui deceptus fuit; Peccatorem, qui scandalo fuit, ab eo, qui per infirmitatem peccavit; Sacerdotem a laico, Religiosum a sæculari. Hic igitur ignis pœnam sceleribus æquabit: *Quantum fuit in delitiis, tantum date ei tormentorum.* Ad hæc Deus huic igni immensitatis suæ partem commonicabit; quocumque repet, de vena in venam transiliet; in ossa, medullas, intimasque partes feret incendium. *Sermo manuscriptus.*

Visa sunt profectò sævissima instrumenta, ac terribiles machinæ ad homines excruciandos inventæ: visæ suot rotæ, visæ horribiles prunæ, visi ferventis olei lebetes; sed hæc omnia ne accedunt quidem ad pœnas inferni. Audivimus tot excogitata supplicia, quorum sola cogitatio horrorem ciet; audivimus sævissimos morbos, qui potius perennes mortes vocari possunt, sed hæc omnia nihil sunt, si cum damnati unius cruciatibus comparentur. Scimus, priscorum tyrannorum mentem ea adinvenisse tormenta, quorum sola consideratio pœna est; sed quantumvis magna, sævaque fuerint, non aliud erant, quàm umbræ quædam tormentorum inferni. Si Prophetas interrogo, quid sit infernus, horribilis quidem, ac terribilia dicent, sed earum pœnarum acerbitatem non assequentur. Respondebunt alii, Infernum esse pelagus ignis, ubi ardentes sunt fluctus, & flammæ, quæ ad montium instar sese attollunt, quæ horribiles ignis procellas miscent, numquam sedandas: *Excandescet in illos aqua maris.* Dicent alii infernum esse *terram miseriæ, & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Locum, ubi exeitat Dominus fontes bituminis, sulphurisque numquam exhauriendos: *Convertentur torrentes ejus in picem, & humus ejus in sulphur.* Pro pluvia, & rore super damnatorum capita ardentes decident prunæ: *Cadent super eos carbones.* Ibi peccatores in medio maris ignei vinculis, catenisque pariter igneis vincti fuot, quin inde expedire se valeant: *Pluet super peccatores laqueos ignis.* Ibi nulla pax est, tranquillitas nulla; spiritus procellæ, ac tempestatis perpetuò infelices has victimas agitat: *Spiritus procellarum pars calicis eorum.* Amicitia, & misericordia ibi non regnant; gemitus tantum, clamores, sævique ululatus audiuntur: *Ibi erit fletus, & stridor dentium.* Eheu! Christiani, quàm terribile est incidere in manus ultoris Dei: Mundi opes, mundi vanitates, mundi voluptates huccine tandem evadistis. *Essais de Sermons pour les Dimanches. Tomo 4. in tertiam Dominicam post Epiphaniam.*

Nihil simile visum, aut conceptum fuit damnatorum suppliciis.

Sap. 5.

Job 10.

Isaia 34.

Psal. 139.

Psal. 10.

Ibidem.

Matth. 22.

In igne inferni, Sanctus Chrysostomus inquit, hoc mirum erit, quod Deus illi secretam tribuet virtutem, qua dignoscet, quanam in re damnati Deum magis offenderint: *Interrogabit ossa, & medullas, & cogitationes nostras.* Hic ignis, magnus ille Doctor ait, animæ ipsius penetralia permeabit, ut ibi secretum peccati caracterem inveniat: *interrogabit.* Ignis hic obtrectantium linguæ adhærebit; deteget ibi sermones subdolos, versutosque, quibus proximo parabant excidium .. Flammæ hanc audient secretam Creatoris sui vocem: *duplicate supplicia secundum opera ejus.* Lingua eò gravius torquebitur, quò nequius de fratribus suis est oblocuta: *Interrogabit.* Ignis interrogabit oculos, ac dupliciter obscœnos puniet obtutus: interrogabit. Cor, quod incomposita fovit desideria, interrogabit ignis; atque omnibus cordis hujus partibus hærebit; *duplicate supplicia secundum opera ejus.* Colliget Deus in igne tormenta omnia, quæ damnatus pati potest; & quò majorem hic percepit lætitiam in suis iniquitatibus, eo gravius torquebitur. Ignis hic spiritum penetrabit, ut singulis momentis damnato illius abditissima scelera objiciat. Ignis hic non lucebit, nisi ut ob damnatorum oculos

Admirandæ ignis inferni qualitates.

Apoc. 18.

oculos statuet terribilem scelerum eorumdem imaginem, atque ut simul devorantibus flammis eos puniat. *Ibidem*.

Creata omnia sese offerunt Deo illius ultionem executura. Ignis vero ante cætera.

Mihi videntur, neque sine Scripturarum, Sanctorumque auctoritate loquor, creata omnia sese certatim offerre Deo illius de peccatoribus insignem ultionem experitura. Terra illos deglutire vellet; mare illos fluctibus suis absorbere, aer suffocare, feræ ipsæ eos discerpere. Hæc omnia audire videor clamantia: *Vis imus?* Sed mihi videtur etiam eodem tempore ignis æmulatione ductus hanc sibi provinciam deposcere, atque votis damnari. Quidquid, inquit ille, extra me est, satis illos punire nequit. Trade eos, Domine, vi meæ; hanc ego mihi ultionis tuæ persequendæ gloriam deposco; jube, me justitiæ tuæ ministrum fieri, atque instrumentum; *Ignis æmulatio*. Ita Deus ejus utitur opera damnatos excruciaturus; & fateor equidem hujus ignis vim, virtutemque incomprehensibilem esse, neque aliquid a nobis dici posse, quod propiùs naturam ejus attingat, gravissimumque dolorem ostendat, quo animam afficit. Corporeus est, ideoque ex se in substantiam spiritualem agere nequit, Albertus Magnus ait; sed subjectus est Deo; addit ille, ideoque supra naturam suam potest elevari, ut insuetos producat effectus, & consiliis primæ causæ, a qua applicatur, seipsum conformet. *Joly Tomo 2. Propositionum*.

Vis impressionis flammarũ in damnatos.

Si qui secras, novaculas, aliaque præparari videt instrumenta, quibus brachium, vel crus sibi abscindendum est, totis artubus contremiscit, & semianimis expallescit; si dum operi manus admovetur eos clamores emittit, quæ rupes ipsas scindere valeant; quid erit heu! cum malorum omnium acerbissimum patietur, cum tota irruet in ipsum ira Dei; cum hæc illum non extremo quidem digito, sed lacertis omnibus, omnibusque viribus attinget? Quid erit, cum ignis devorans omnes animæ suæ facultates permeabit, omnesque corporis partes pervadet, ita ut non venæ, non arteriæ, non musculi, non nervi illius careant incendio? Quinam dolor! qui clamores! qui ululatus! qui dentium fremitus! &c. *Idem*.

Quam terribilis sit infernus.

O regio crudelis! regio mortis, Sanctus Bernardus exclamat, postquam carcerem hunc in tabula vidit, quam ipsi Spiritus Sanctus descripserat; regio lacrymarum, & miseriæ: *Totus tremo, atque horreo ad memoriam istius regionis. Concussa sunt omnia ossa mea*. Rigent capilli capitis mei; sanguis frigescit, spiritusque meus in sola Inferni cogitatione terrore victus infrendit. Heu! Si sanctus Vir, qui mundum a puero deseruerat, qui tanta integritate vixerat, & qui quotidie miracula operabatur; quid illi faciendum, qui sexcentis sceleribus inquinatus est, quorum nondum egit pœnitentiam! *P. Texier in Quadragesima*.

Licet non aliud in inferno esset supplicium, quam carcer; hæc sola cogitatio a peccatis deterrere deberet.

Quamvis non aliud nobis supplicium esset perferendum, nisi carceris æterni, nonne hæc una cogitatio nos a peccatis deterrere deberet, nostramque coercere libertatem, qua Deum lædere audemus, qui in æternum nos in hoc horribili loco tenebit, quin inde pedem possimus unquam efferre? Quis enim adeo recti sensus expers esset, qui frui vellet voluptate choreæ alicujus, vel duarum triumve horarum spatio jucundo interesse spectaculo, si sciret, se illinc discedentem in obscuri carceris caliginem in reliquum vitæ suæ spatium esse detrudendum? Velletne adeo leve solatium libertatis jactura sibi comparare? Heu! quandoquidem tantopere hanc diligitis libertatem, quandoquidem adeo suavis, & jucunda accidit vobis, quomodonam pro fluxa voluptate, pro solatio, in quo vosmet peccandi occasioni objiciris, terribilem hanc captivitatem subire voltis, ac in ea igneis vinculis, & catenis detineri? *Pluet super peccatores laqueos. Idem*.

Psal. 10.

Ignis inferni scelerum qualitatem, & gravitatem distinguet.

In inferno, Sanctus Augustinus ait, ignis sapientia præditus esse videbitur: *Quantum exegerit culpa, tantum sibi de homine quadam flamma rationalis disciplina vindicabit*. Rationalis hæc flamma cædem a parricidio, adulterium ab incestu, mendacium a detractione distinguet. Sciet, quomodo singuli peccatores torquendi, urendique erunt, ardorem suum juxta divinæ severitatis imperia distribuet; tot operabitur miracula, quot diversas impressiones efficiet. Si peccator, idem Doctor ait, peccando suam ostendit insaniam; ignis hic puniendo suam ostendet sapientiam: *Quantum stulta iniquitas suggessit, tantum sapiens pœna desæviet*. Non miror igitur, si Cassianus illum *ignem inquisitorem meritorum* appellat; quæsitorem ad id constitutum, ut de singulorum criminibus cognoscat, atque in singulos pro cujusque nequitia, & peccati gravitate animadvertat. *Idem*.

Deus in igne inferni, alia quæcumque includit supplicia.

Cum velit Deus in inferno summam justitiæ suæ severitatem ostendere, efficit, ut ignis omnes activitatis suæ vires exerat. Illi aliorum quorumcumque suppliciorum tribuit acerbitatem; desperationem fovet in synderesi; glaciei frigus auget; sordium, cloacarumque fœtorem continet; serpentum aculeos superat, & licet in se una sit tantum essentia, fit omnia, aliorumque omnium cruciatuum munere fungitur. O fatalis unitas! O funesta immensitas! quæ efficies, ut damnatus omnia simul tormenta patiatur! O inferni ignis activitas, quàm gravis eris, ferendoque difficilis; quippe alia quæcumque supplicia complecteris, & cæterorum instrumentorum vim continebis!... Hoc Dei proprium est omnia ad unitatem redigere, tamquam ad perfectionem; idem omnia, quæ concipi queunt, in igne congregat tormenta, ut reprobos torqueat. *Biroat Sermone pro feria sexta post alteram Quadragesimæ Dominicam*.

Discrimen inter hujus, alteriusque vitæ tormenta.

Heu! quàm differunt hujus vitæ tormenta ab inferni cruciatibus! In terris neque universalia tormenta sunt, neque totum hominem torquent; anima ejus non patitur, nisi quatenus cum corpore conjuncta est, & membrum alterius pœnam non sentit, nisi ex consensu; sed ignis in inferno efficit, ut omnes animæ facultates, omnesque corporis partes torqueantur. Tormenta, quæ hic patimur, momento dilabuntur: mors, quæ limites vitæ præscribit, illis quoque terminos statuit; sed in inferno nullum invenient finem; mors nullam habebit potestatem, & immortalia eorum corpora fient igni nutrimenta immortalitatis. In hoc denique mundo aliquod semper solatium reperimus, vel aliquam cruciatuum intermissionem: sed in eo tormentorum loco mala omnia erunt extrema, & sine lenimento. Amici, a quibus aliquam expectare possemus consolationem, nobis fient inimicissimi; si beati fuerint, gaudebunt nos pœnis affici intuentes, sin infelices, uti nos, nostram augebunt infelicitatem. *Idem*.

Infernorum ignis damnatis eorũ crimina exhibebit.

Infernorum ignis duplici, eoque funestissimo perfungetur officio; non enim solum erit veluti laqueus, quo damnati eo detineantur in loco; verùm etiam tamquam horribile speculum, quod illis ipsorum crimina exhibeat, & magis terribilia repræsentet objecta, quæ illorum supplicium augebunt. Quamvis dicatur infernos esse tenebrarum locus, & ignis ille lucendi vim amissurus, eamque solum comburendi habiturus; dici tamen potest, non defuturum lumen quoddam opacum, & tenebricosum, quod damnatis ea, quæ oderunt, ostendat; & ignis hic, quo circumundique erunt impediti, futurus veluti ardens theatrum, ubi dæmones illis sexcenta terribilia phantasmata exhibebunt; sed funestissima hujus ignis imago erit divinæ justitiæ in æternum irritatæ; & hæc est quorumdam Theologorum sententia maximum hujus ignis supplicium in hoc esse positum, quod erit signum iræ Dei, quod jugiter, ac inevitabili necessitate illis ostendet, Deum in ipsos semper iratum, semperque ad eos torquendos paratum. *Idem*.

Descriptio tormenti ignis, quod patiuntur damnati.

Simulac reprobi corpus resurget, anima ejus igne divinæ ultionis incensa ignem inferet omnibus

bus

bus tabescentibus artubus illius, ignem visceribus, pulmonibus, oculis, cæterisque corporis partibus; & flamma hæc omnibus illius membris adhærescens illa igne replebit, ac inflammabit. Deinde peccatores eorumdem scelerum fontes simul vincientur, ac sibimet erunt mutuò veluti carbones, quibus comburentur justa ea Scripturæ verba:

Matth. 13.

Alligate ea in fasciculos ad comburendum. Ignis flatu iræ Dei succensus; ignis crudelis simul, & sapiens, semper id reparans, quod incessanter adurit; nutriens victimam, quam absumit; eique per illa ipsa, quæ illius supplicium deberent absolvere, funestam tribuens immortalitatem, & prodigiosum nutrimentum, ut recentibus torquendum pœnis servetur. Eheu! separatio Dei! fatalis in iisdem cruciatibus unio! formidabilis ignium æternitas quantum mihi terroris injicitis! .... O terribilis iræ Divinæ ignis, qui novacularum instar intercidet; qui rotarum instar confringet; qui tamquam eculeus, torquebit, qui tamquam fervens oleum penetrabit! Terribilis ignis secum deferens omnes gravissimorum morborum dolores, omniaque cæterorum suppliciorum tormenta complectens. *Ex variis locis collectum*.

Inferni, terrenique ignis differentia.

Si ignis hic illi similis esset, quem videmus, Infernus non esset umbra illius, qui est, & stagnum illud inflammati sulphuris haberi posset pro jucundissimis balneis. Noster ignis sensim languescit, vel saltem brevi partem, cui adhæret, absumit; unde fit, ut quemadmodum nullum est supplicium hoc magis violentum, ita nullum eodem brevius sit; statim omnes exhaurit spiritus, ac vitiat, & corrumpit organum sensus. Ignis inferni, præterquamquod nequit extingui, habet etiam virtutem alendi corpora, prout illa comburit, eisque tantam patiendi vim tribuit, quantam ipse habet torquendi. Idcirco Sanctus Marcus illum sali comparat:

Marc. 9.

Omnis enim igne salietur, quia, ut S. Hilarius ait, ignis & carnem adurit, & vetat simul ne comburatur. Noster ignis fulgidus est, ignis inferni niger, tenebrasque auget, non dissipat. Noster ignis unam tantummodo speciem doloris affert; ignis inferni efficit, ut quovis tempore, quæcumque corporis pars omnes patiatur dolores, quibus naturaliter effici potest, aliaque infinitè plurima, quæ citra miraculum pati non posset. Denique ignis quo utimur, non secus ac reliqua elementa, effectus est divini amoris, & liberalitatis; habet etiam sexcentos usus nobis utiles, atque jucundos: ignis inferni effectus est irritatæ potentiæ, & infiniti odii Creatoris. Iræ, & ultionis est instrumentum; ad id creatus, ut torqueat; huic uni aptus muneri, & perinde ac omnes qualitates, quas illi tradidit Deus ad hunc finem, nimis essent infirmæ, sese Deus huic immiscet igni, illum incendit, illum flatu suo inflammat, illum propria admovet manu, ac naturali ejus ardori addit quodcumque ipse virtutis habet, & industriæ, ut illum crudeliorem, & sæviorem efficiat. *P. de la Colombiere, Tomo Tertio, Sermone quinquagesimo quinto*.

Reprobus nullum habent in hoc igne solatium.

Tanto in supplicio non licebit damnato ullum vel percipere, vel sperare solatium. Dives nequam unicam tantummodo aquæ guttam petebat: Heu! quid erat una aquæ gutta, Sanctus Joannes Chrysostomus inquit, infinito flammarum pelago? Nihil sanè erat; attamen hoc refrigerium, hoc nihilum illi negatum fuit. Cum extremis doloribus agitamur, ambulamus, nosmet extendimus, ac sexcentis modis circumagimur; & hoc motu natura aliquod solatium experitur; sed medius in igne damnatus, stat rupis instar immobilis. Ideò dicitur in Evangelio pedibus, manibusque vinctis in infernum projici. Quantumcumque conetur, ut situm, locumque mutet, invictum nanciscitur obicem; nullo pacto agere potest, neque vitam habet, nisi ut patiatur. In quos horribiles clamores desperatio ejus erumperet, si exiguum hoc cruciatibus suis tribuere posset solatium? Verùm nequit; clamoribus hujusmodi obstant sulphurei fluctus, quibus semper repletus est; Inflammata hæc materia illum suffocare cogit blasphemias, quas proferre conatur. *Idem*.

Infernus est malorũ omnium congeries.

In Inferno, Auditores, non unum perfertur malum, quod ingentes afferat dolores, non chiragra, non calculus, non lithiasis, non colicus morbus, aut similis dolor aliquis urget, sed omnia simul, ac millies plura, quàm istæc omnia; dolores sunt intolerabiles, & universales, alii aliis complicati. Ignis est in omnibus corporis partibus, omnesque corporis partes in igne sunt; sensus omnes, omnesque facultates intus, ac extra affligantur: corpus, anima, omnia torquentur, omnia incomprehensibili modo comburuntur; ac interim nullum subsidium, nullum remedium, spes nulla; horribilis, & assidua nox: stratum prunarum semper ardentium; pro consanguineis, medicis, famulis, qui opem, solatiumque ferant, legiones turpium spectrorum infelicitati damnatorum insultantium, nihilque prætermittentium, quod illorum mala augere, & acerbiora valeat efficere. *Idem*.

Quodnam formidabile supplicium erit in æternum uri.

Quænam erit pœna semper æquali sensu doloris affici, quin ignis unquam vel extinguatur, vel aliquid de ardore remittat? Heu! viginti quatuor Cephalææ horæ, dies unus intensioris laboris adeo longus, ac molestus videtur, quid erit æternum ardere? Aliquid sanè grave est totum vitæ spatium in obscuri carceris horrore teneri, ac suæ tantùm vacare calamitati; sed præterea in flammis æque ardentibus, ac fœtentibus immersum permanere, quin vel fugere, vel sese movere liceat per sæculorum myriades fine, modoque carentes? Heu! peccatores hæc non cogitatis, cum vosmet affectibus vestris additis; nemo enim esse potest, qui hæc simul cogitet, & peccet. *Idem*.

Vis ignis in mundo, & dolor, quem ignis afferet in inferno.

Vitæ hujus ignis numquam universaliter agit in totum corpus; alioquin illud momento destrueret, & nullum ferme dolorem afferret. Ut illius dolor acriter sæviat, in paucas partes tantummodo agere debet; quas etiam brevi sensu carentes efficit, illas comburens. At si in omnes simul ageret, quin corpus deleret, hoc proculdubio terribile esset doloris incrementum. Hoc in inferno continget. Damnati igne penetrati erunt omnino, quemadmodum caro salicta, sale penetratur.

Marc. 9.

Omnis enim igne salietur, & omnis victima sale salietur. At ignis aget in omnes corporis eorum partes; quemadmodum agit in partes omnes ferri candentis. Nulli erunt nervi, aut fibræ, aut tendines, non accensi, & non acerrimum dolorem afferentes: Et quemadmodum harum partium nulla unquam igne absumetur, sed in eadem semper agitatione omnes permanebunt, supplicium semper in eadem violentia persistet. Hæc pœna eo major erit, quia illa propriè est, quam illis divina imponet justitia, & quæ ipsa per se aget, cum cætera supplicia non aliud sint, quàm eorum improbitatis effectus, quin in illis aliter agat Deus, quàm illos ipsismet derelinquens. *Essais de Morale, volumine 4. Tractatu de Inferno*.

Reproborũ in Inferno status descriptio.

Fingite vobis in terræ centro immanem, immensumque carcerem, in cujus medio pateat sulphuris ardentis, ignitique stagnum, quod propter profunditatem in Apocalypsi *Puteus abyssi*, modò lacus Dei irritati ultioni destinatus, & modò *Stagnum ardens* vocatur; quod Scriptura *Caminum ignis* appellat.

Apoc. 9. ead. c. 19. Matth. 13.

Deinde fingite vobis peccatores præcipites dejici in sulphureum hoc stagnum, ubi alii aliis plus, minusve præ scelerum qualitate immergentur, ibique ardebunt, atque patientur vim omnem hujus ignis flatu iræ divinæ in omnem æternitatem accensi. *Incendia nudum corpus allambent*, Sanctus Cyprianus ait.... Neque solum ignis iste extrinsecis corporis partibus admovebitur; hoc est non solum damnati in hoc ignis stagno immergentur; sed ignis ipse, ac sulphur ardens eorum permeabit corpora, in viscera obrepet, ossa, medullas.

dullasque pertentabit, itaut omnia ex igne constare videantur; Deo cum igne concurrente, eique comburendi vim tribuente, atque illius virtutem augente pro gravitate scelerum, quæ quisque patraverit, præter actionem, qua anima immediatè ab igne torquebitur eo modo, quem hodie quidem intelligere non possumus, & qui nihilominus verus, & realis est. Itaque reprobi omnes in hoc ignis stagno dispositi erunt tamquam carbones in camino ardentes, vel tamquam lateres in fornace alii aliis impositi, & coacervati, atque ita in suppliciorum abysso immersi, atque in suis cruciatibus sepulti secundum Evangelii verba: *Sepultus est in inferno*, æternum patientur, atque plorabunt. *Ex P. Delingendes. Sermone hujus argumenti.*

Luc. 16.

Ejusdem argumenti continuatio.

Verum quid facient miseri in hoc deplorabili statu? Salvator hoc duobus explicat verbis: *Ibi erit fletus, & stridor dentium.* In tristi eo loco, ploratus erunt sine lacrymis, ne corpus aliquod percipere solatium possit; sed stridor erit dentium, oris, oculorum, vultusque totius contorsio, itaut horribile videatur. Juges erunt gemitus, & ejulatus cum clamoribus, vel saltem conatibus, quos indesinenter exerent clamores, atque ululatus edituri, ut passim accidit illis, qui amarissimè plorant, qui tanto premuntur dolore, ut neque loqui, neque sensus suos exprimere valeant, neque eorum opem implorare, qui eos reficere possent, si calamitatis eorum causas cognoscerent. Ita ploratus damnatorum extremam, gravissimamque eorum tristitiam significabunt, & stridor dentium eorum rabiem, atque desperationem testabitur propter doloris vehementiam, quem ignis efficiet; etenim quemadmodum illa duo, quæ reproborum infelicitatem constituent, erunt ex altera parte dolor ob tantum bonum amissum, quantum est Dei ejusdem possessio, ex altera verò tristitia, eo quod culpa sua tantam subierint calamitatem; duo aderunt hujus doloris, atque extremæ afflictionis signa, ploratus videlicet, & stridor dentium. *Idem.*

Quid faciendum ad evitandum infernum.

Si omnia miseræ hujus vitæ conservationi posthabenda censemus, quid faciendum non est, ut pœnarum evitetur æternitas? Si qui hodie in inferno gemunt, in vitam redire, iterumque corpus suum animare valerent, illi profectò neque difficultatem, neque laborem, tamquam pœnitentiæ suæ impedimentum prætexerent; omnem potius vitam suam in fletu, lacrymisque traducerent, potiusquam æternis sese objicerent lacrymis: enixè preces effunderent, ut peccatorum suorum veniam consequerentur; verbum Dei meditarentur; peccatum execrarentur, virtutique adhærerent; Cur non facimus hodie, quod aliquando fortasse facere quidem optabimus, facere verò non licebit? *Auctor Anonymus.*

Injusta damnatorum in divinam æquitatem querela.

Peccatum meum momenti unius fuit, reprobus inquiet, & pro hoc momento me Deus æternis cruciatibus damnavit. Heus tu! numquid te fallebat, voluptatem illam unico duraturam fuisse momento? Igitur summa in te fuit nequitia, qui nihilum hoc, quod momento duraturum cognoveras, prætulisti legibus omnibus, minis, promissionibus Dei tui, timori Inferni, ac spei beatæ æternitatis. Cæterum licet pernicissimum tibi momentum illud visum fuerit, in te non fuit efficere, ut lentius esset, atque diuturnius: illud ut in æternum produceretur optasses; & hic peccatoris dolor est, quod nequit criminis suavitatem perennare. Hanc igitur voluntatem, hoc votum pœnarum æternitate Deus punit; Deus enim magis voluntatem, & cor, quam effectum ipsum intuetur! *Sermo manuscriptus.*

Æterna Dei privatio.

Psal. 30.

Deus me omnino deseruit, inquiet in Inferno damnatus; ab eo *oblivioni datus sum, tamquam mortuus a corde.* Verùm quid me oblivioni datum comminiscor? Fallor. heu! nimis immo illius adsum recordationi. Sed utrumque affirmare possum; & utrumque meam auget infelicitatem. Infelix, quod oblitus est mei, ideo enim oblitus est, ne quid mihi boni conferret; infelix, quod non oblitus est mei, non enim meminit mei, nisi ut graviores cruciatus infligat. Infelix, quod oblitus est, ideo quippe oblitus est, quia me contemnit; infelix quod meminit mei, non enim meminit, nisi ut me persequatur. *P. Aurelianensis, Sermone de alterius vitæ suppliciis.*

Damnati oderunt Deum.

Quomodo autem amari Deus potest, donec has excitat flammas, hos nutrit rogos, donec igni, quo ardeo, tam sævam impertit vim, donec iræ suæ flatu jugiter novas ignibus vices addit? Justum quid hoc supplicium est; at hoc efficit ut duplò mihi fiat intolerabilius; quia iniquus cum sim æquè ferme illius justitiam odi, ac ejusdem severitatem esperior. Ita æquè crudelis, & quia justus est, & quia severus; & justitia ejus non alium in me operatur effectum, nisi quod injustas blasphemias nimis æquis quæstubus addo. *Idem.*

Dolor damnati æternum subeuntis supplicium pro fluxis voluptatibus.

1. Reg. 14.

Damnatus dicere potest, quod Princeps ille morti adjudicatus, eo quod imprudens parum mellis gustasset: *Gustans gustavi paululum mellis, & ecce morior.* Eheu! si fluxis, fragilibusque voluptatibus perfruens, morti me tantummodo objecissem; minus profectò de imprudentia dolerem; sed ideo vehementer doleo, & frustra doleo, quia mori non possum, quia pro brevibus, exilibusque voluptatibus memet tradidi iis malis, quæ nullum sunt finem habitura. Etenim o gratiæ, quarum jacturam feci, numquam vos recipiam, infinita, quæ me perimitis, mala, numquam vos cessare intuebor: ignes, qui me comburitis, estis æterni; vermes, qui me depascitis, estis immortales; tenebræ, quæ me circumundique obvolvitis, in æternum permanebitis: chaos, quod a Deo me sejungis, semper insuperabilis eris. Quid in damnati corde parere possunt hujusmodi cogitationes, nisi pœnitentias inutiles, acerrimos dolores, mœrores gravissimos, amaras redargutiones, horribiles terrores, stimulos aculeatos, teterrimas desperationes. *Idem.*

Damnatorum corpora erunt immortalia, ut æternum patiantur.

Post resurrectionem iterum damnatorum animas eorum corporibus eo glutine conjunget, quod neque a temperamento, neque ab elementaribus qualitatibus pendebit, vel si illinc pendebit, temperamentum hoc immutari non possit. Glutten, quo conjungetur utrumque, nec vi suppliciorum, nec annorum longitudine dissolvetur; ignis ipse, quo comburentur, erit tamquam sal, ut inquit Salvator, atque eorum sensum sævissimis doloribus torquens, vitæ parcet æternum victuræ. Quemadmodum inne mors erit alterius naturæ, ab ea, quam his temporibus habet; corpora etiam alterius erunt conditionis; mors quin celer sit, immortalis erit; anima enim privata Deo vivere non poterit, cumque sit naturæ incorruptibilis, moriens iis liberari non poterit malis, quibus torquebitur. *Sermo manuscriptus.*

Inferni, ac tormentorum ejus descriptio.

Quis præ horrore non fremeret ad solam infelicissimæ illius regionis cogitationem, quæ suppliciis tantummodo est repleta, ubi nonnisi tenebræ conspiciuntur, ubi nonnisi querelæ, gemitusque audiuntur, ubi teterrimi exhalant fœtores, ubi horribilia tormenta feruntur. Totis artubus contremisco, ubi æternos eos recogito carceres, ubi pœnæ infinitæ sunt numero, crudeles vehementia, incredibiles varietate, æternæ, atque intolerabiles duratione. Ibi hæc supplicia peccatori admoventur manu Dei, qui & irritatus est, & omnipotens, ut ultionem suam persequatur; qui & contumeliis affectus est, & implacabilis. Ibi aderunt cruciatus, quorum ministri, tortoresque insuperabilem habebunt vim, & rabiem, quæ numquam leniri poterit. Irreconciliabiles erunt inimici, in tormentis, quæ excogitabunt, industrii, & in suæ inhumanitatis exercitatione infatigabiles. Qui verò atrocia hæc perferet supplicia, abominabilis erit creatura coram Deo, dæmonum furori tradita, omni ope, & solatio destituta. Mei compos non sum, ubi mihi infirma imaginatione mea loci

illius tormentorum horrorem mihi repræsento. *Reina Serm.* 14.

Graviſſima Inferni tormenta.

O mors verè crudelis, & immitis! quæ ſingulis momentis occidis, & minime deſtruis; ſed indeſinenter, ac ſine intervallo ictus tuos iterans animabus illis ſæviſſimos dolores infligis, & ſævitiam habes numquam deſituram! O mors æterna! Infirmamne te appellabo, an infinitè potentem? Utrumque potius, quia & infirmitatem, & potentiam conſocias, ut miſerorum tormenta perennes, Infirma es, non enim lethale vulnus inferre potes, quod infeliciſſimam hanc auferas vitam; ſed aliunde quàm valida es, inceſſanter percutiens, & numquam removens manum; ſemperque eodem robore ictum infligens! O mors mirabilis, quæ res adeo oppoſitas conjungis, quales ſunt ſimul & novam eſſe, & antiquam. *Idem*.

Cogitationes de ſeparatione animæ a Deo, & de pœna damni.

O neceſſitatem! o tempeſtatem a Deo diſſociari! Inauditum ſupplicium, quod omnia ſuppliciorum genera complectitur. O tempeſtatem, & naufragium momento ſpes omnes abſorbens! *O tempeſtatem a Deo diſſociari!* Ita loquitur Sanctus Cyrillus. Hæc veluti furens procella, quæ ab ipſo portu ablatos in mare calamitatum adducit, tamquam navigium, quod vehemens aquilo magno divellit impetu, fractiſque rudentibus auſert, allidit in ſcopulos, fluctibuſque deglutit. *O neceſſitatem!* crudelem neceſſitatem ſupremo privari bono, ſine quo nullum poſſideri poteſt bonum. Hæc jactura eſt ſine ulla reditus ſpe, ſeparatio eſt, quæ iterum ſarciri non poteſt. O crudelem ſeparationem, quæ animam divellit a Deo! Hinc oritur mors illa, quæ ſemper renaſcitur, & vita, quæ moritur indeſinenter. O fatale divinæ dexteræ vulnus poteſtne gravius damnum inferre? *Idem*.

Incomprehenſibilis dolor eſt ſeparari a Deo, *Act.* 20.

Si ſumma conficiebantur triſtitia Mileſii ob S. Pauli diſceſſum, eo quod non ſperabant ſe amplius illum eſſe viſuros: *Dolentes, quoniam faciem ejus non amplius eſſent viſuri*. Quid erit, cum Dei filius miſeros a ſe repellet, non ultra videndus ab illis? Non caliginoſi carceres, non obſcura me terrent inferni loca; ſed inde rigeſcunt ſanguine venæ, quod non amplius inveniam Deum, finem, centrum, & beatitudinem meam. Ignes flam indignationis ejus accenſi mihi nequaquam terrorem incutiunt; ſed inde totis artubus contremiſco, quia in flammis illis non aderit Deus. Non mihi metum injiciunt immites carnifices; quamvis ſciam, rabiem eorum vi ipſorum parem eſſe; ſed metus, deſperatio, infernus meus eſt; ibi non invenire Deum meum, eoque in æternum me frui non poſſe. Hi dæmones, & ſpiritus nequam terribiles ſunt, nec diffiteor; eorum intolerabile eſt contubernium; ſed hæc omnia mihi jucunda acciderent, ſi ibi Deus eſſet. Gemitus, qui in hoc loco audiuntur, terribiles ſunt blaſphemiæ, quæ ibi evomuntur execrabiles; ſed fac ibi Deum eſſe, jam iſthæc omnia mihi fient Paradiſus. *Idem*.

Inſania peccatorũ metuen tium infernum.

At non ultra in hac miſeriarum abyſſo immorabor. Eos tantùm interrogo, qui non dubitant pro momentanea voluptate, pro fragili honore, vel ſordido quæſtu ſeſe terribilibus tormentis objicere. Unquamne menſi eſtis durationem Dei, qui natura ſua eſt æternus? Numeraſtiſne dies æternitatis? Ad calculos revocaſtis illud temporis ſpatium, quod tempora omnia, omneſque menſuras excedit? Unquamne intellexiſtis quid hæc ſibi velit vocula, æternitas? Eheu! Id ſi intelligitis, quomodo nam ita dementes eſtis, ut momentum voluptatis integræ intolerabilium ſuppliciorum æternitati anteferatis? Vel niſi id intelligitis, quomodo audetis voſmet iis objicere pœnis, quas ne intelligere quidem poteſtis? Si creditis, a Deo unicum ſcelus pœnarum æternitate puniri, quomodo patratis illud? Sin autem &c. *Idem*.

Reproborũ in Inferno infelicitas.

Miſeri illi in omnem æternitatem conſcientiæ ſuæ ſtimulis laniabuntur eam cogitantes beatitudinem, cui abrenunciarunt, divinæque juſtitiæ ſupplicio æquiſſimo coacti animo ſuum malum, ſuamque calamitatem perpendere. Ibi gloriæ Deus ad eorum furorem augendum ſeſe oſtendet tamquam infinitè amabilem; omnes illecebras ſuas eorum objiciet oculis; ejuſque gloria, magnificentia, majeſtas, clementia, bonitas illos ſæviùs torquebit, quàm ultio, & juſtitia. Hic in terris non experimur vim propenſionis animæ in Deum; objecta enim, quibus ſenſus noſtri afficiuntur, illam aliò vocant; ſed hæc anima ubi ſemel a corpore ſejuncta fuerit, totam, quanta eſt, hanc vim experietur; objecta hæc fallacia, ac imponentia diſſipabuntur; errores evaneſcent: hæc erga creatas res inclinatio, quæ efficit, ut a Deo recedamus, per ſeparationem hanc omnino deſtruetur; & anima hæc nonniſi erga Deum ſuum feretur; quia nihil præter ipſum inveniet amabile. Quidquid cogitationum, ſtudiorumque habet in hac propenſione colligetur, & vota ſua quidquid ipſa eſt, illam rapient in ſinum Dei ſui, interim iniquitatum ipſius pondere illam inceſſanter in infernum trudente: Æternum cogetur in Cœlum contendere; & ſcelera æternum illam in abyſſum proturbabunt; atque ſe longè infeliciorem exiſtimabit videns gloriæ ſedem, quin de ſuppliciorum ſuorum laqueis egredi valeat; quam ſi graviora pateretur ſupplicia, quin tamen beatitudinis poſſeſſionem, qua excidit, illa cognoſceret. Quàm acerbum reprobo fatum! Oculis ejus patebit Abrahæ ſinus apertus; & hoc maximum erit illi doloris argumentum. *Ex Sermone de Divite nequam, qui Patris Maſſillon eſſe perhibetur.*

Reprobus in Inferno torquetur memoria bonorum, quæ in hac vita recepit. *Luc.* 16.

Reprobus torquetur etiam recordatione bonorum, quibus vivens gaviſus eſt: *Fili, recordare, quia recepiſti bona in vita tua*, diviti Evangelico dixit Abraham: quibus verbis quam cogitationum triſtiſſimarum turbam calamitoſo huic homini non obtrudit? Exempla juſtorum, quæ ille oculis ſuis fuerat intuitus; conſilia, quæ illum de promiſſa beatitudine admonuerant, hæc omnia illius mentem ſubeunt. Bona ipſius, etiam temporalia quibus uti potuiſſet ad immortalem coronam ſibi comparandam, impenſas in corporis illius delitias, quod pœnitentiæ, & mortificationi deſtinatum erat. Quàm crudelis cogitatio! quinam fons triſtitiæ, atque deſperationis? Ita eſt, Fideles; anima damnata in omnem æternitatem hæc ſibi audiet iterari verba: *Fili, recordare, quia recepiſti bona in vita tua*: Recordare dies in rerum copia traductos, quibus tibi nihil reliquum erat optandum; honores, qui tibi adhibebantur; eam adulantium catervam, quæ præſto erat, ut ſua vota præverteret, ut defectibus tuis thus adoleret, ut abuſus tuos probaret, ut ſexcentis chimæricis laudationibus tuam vanitatem foveret; talenta ea, quæ tibi populi exiſtimationem, atque admirationem conciliabant: *Recordare, quia recepiſti bona in vita tua*. Quò magis præſens animæ conditio in terris jucunda eſt, eò magis futuræ calamitatis imago triſtis erit. Si oblivisci poſſet bonorum, quibus aucta fuit, & abuſa, illius pœnæ imminuerentur; ſed omnia eorum memoriam excitabunt; juſtitia Dei ultionis impatiens, ſcelerum multitudo, quæ ad cumulum evaſit. Ad hæc cum aliquo dolore affligimur, ſemper ultro augemus imaginem bonorum, quibus ante acceptum infortunium perfruebamur, atque in nobiſmetipſis torquendis multa pollemus induſtria. *Idem*.

Damnatorum æternitatem ſupplicii ſui cogitantium deſperatio.

Spes ſuavis, eſt occupatio miſeris dolore confectis, & quantumvis acerba ſint mala, quæ patiuntur, eorum tamen pondus eò minus ſentiunt, quò minus ab illorum fine ſe putant abeſſe. Sed in inferno hæc ſpes reprobo non reſtat. Quò magis in infinita progredietur ſpatia, eò majus iter perficiendum ſupererit, omniſque ejus ſpes hæc erit, ſe numquam ex tot malis evaſurum. Vellet quidem abjicere moleſtam, atque importunam hujus æternitatis ideam; ſed divina juſtitia eam ſemper oculis ejus objiciens eum coget huic vacare, ac inde graviſſimam ſupplicii ſui circumſtan-

stantiam efficiet. Itaque quodcumque habetur momentum pro anima damnata tota erit pœnarum æternitas; atque unicum hujus æternitatis momentum efficiet, ut simul ea omnia patiatur mala, quæ illum nonnisi successivè passurum esse promittit æternitas. Horribilia pati tormenta, & eorum numquam videre finem; pati quidquid magis terribile fingi potest, ac videre supplicia sua incessanter renasci, hoc tristissimum est, & calamitosissimum reprobi fatum. *Idem.*

Pro voluptatis momento suppliciorum æternitas ferenda.

Fierine potest, ut qui ad minimum quemlibet dolorem tantopere exardesco, adeo insanus sim, ut igni numquam extinguendo me objiciam? Numquid pro unico voluptatis momento, suppliciorum pati potero æternitatem? Sanè opus est, ut fidem simul, & rationem amiserim; etenim si scirem mihi hodie ad horæ quadrantem igni esse comburendum, nulla sanè voluptas esset, quam non ultro, ac libenter abdicarem. Attamen, Domine, Divinum verbum tuum, tuæque Scriptura nihil hoc verius, nihil hoc certius esse testantur: aperi oculos nostros, ut horridum carcerem intueamur, ubi justitia tua ignem hunc devorantem succendit; fac ut videam decies centena animarum millia pro eo scelere damnata, quod sum patraturus; quid facerent illæ, si reditus illis interclusus non esset? *Pater Cheminais.*

In æternũ anima in inferno repetabit media, & occasiones quas habuerunt salutem suam operandi.

Cum anima mente repetet inanes voluptates, quibus Deum suum posthabuit, personas, in quarum gratiam Deum ita contempsit; quot in memoriam momenta revocabit, quibus levi negotio certum sibi facere poterat ejus boni, quod amisit, possessionem? Deus illam indesinenter funestæ huic cogitationi applicabit; nulla, ut in hac vita, erit intermissio, ubi somnus, mentis evagatio, tempus, amici doloris magnitudinem minuunt: *Scito, & vide quia malum, & amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum.* Toties hoc tibi dictum fuerat, & credere noluisti: Vide, senti, funestum hoc periculum fac, & agnosce tandem, quodnam creaturæ supplicium sit a fine suo separari. *Idem.*

Jerem. 2.

Quomodo Deus ab anima damnata recedit, eamque persequitur in inferno.

Deus semper a peccatoribus recedit, Isaias ait; attamen Deus semper peccatores eosdem persequitur, addit Jeremias. Ab illis semper discedit, & numquam discedit ab illis: numquam cum illis erit, ut vel minimum afferat bonum, semper cum illis erit, ut sexcentis malis eos obruat. *Ponam oculos meos*, inquit ille per Prophetam, *super eos in malum, & non in bonum.* Numquam videbo illos nisi, ut persequar eos; illi numquam videbunt me, nisi tamquam furentem inimicum. Anima hæc execrabilis semper sejuncta erit a suæ felicitatis principio, & semper erit cum principio suæ infelicitatis conjuncta; semper Deum suum & quærens, & fugiens; semper dilaniara, ut ita dicam, oppositis motibus; semper (absit verbo invidia) infinitæ pulchritudinis illecebris attracta, semperque patis indignationis rigoribus repulsa. *P. Dozenne, libro cui titulus: Mundus a seipso damnatus.*

Jerem. 24.

Damnatorum dolor eo quam sua culpa interierint.

Si fatalis necessitas reprobos in tantam pertraxisset calamitatem; vel si ultro in eam cecidissent aliqua re illecti, quæ in speciem æqua videretur, fortasse hæc cogitantes aliquam solatii umbram, & lenimenti speciem nanciscerentur. Sed sibimetipsis exprobare debere, quod pro voluptatis momento, quod pro terræ particula, pro honoris phantasmate voluerint jacturam facere infinitæ felicitatis, ac sese præcipites in infinitam calamitatem dare, quis furor, quæ insania? Adhæc meminisse, præ manibus non defuisse gratias, consilia, exempla, Sacramenta, sacrificium, Crucem, Sanguinemque JESU CHRISTI, quis dolor? Memet salvare potui, ac volui meipsum damnare, inquient miseri; hic error est, qui nullam patitur excusationem. Cogitatio crudelis, sine saltem, ut liberum paulisper spiritum ducamus. Verùm non ita; incessanter; jugiterque cogitatio hæc illos torquebit.

Interest sæpe infernum cogitare.

Interest spiritu, ac mente, donec vivimus, inferos penetrare, ne re ipsa post mortem illuc ingrediamur, juxta hæc Regii Prophetæ verba: *Descendant in infernum viventes.* Hæc constans fuit Sanctorum omnium praxis, atque præ cæteris S. Hieronymi, qui profitetur, se inferni actum metu deserta, ac solitudines petiisse, ut ibi inter scorpiones, ac serpentes vitam traduceret: *Ille ego, qui ob gehenna metum tali me carcere concluseram scorpionum tantum socius, & serpentum.* Infernus est divinæ justitiæ effectus, & locus ubi acerrimas ultiones exercet; verum simul est divinæ Misericordiæ instrumentum; & quod hominum sceleribus puniendis inservit, reis etiam hominibus servandis non minimum confert. Vulgò quodam in sensu dicunt, plures misericordia, quàm justitia fuisse damnatos; misericordia enim in hominibus peperit in ipsorum sceleribus præsumptionem. Sed simili ratione dicere possumus, plures justitia, quam misericordia servatos fuisse; quippe consideratio justitiæ cogit peccatores, ut per pœnitentiam revertantur ad Deum. *Sermo manuscriptus.*

De pœna damni, & privatione Dei.

Quid est pœna damni in reprobo? Maximus dolor est ex Dei amissione profectus. Hic autem dolor duo complectitur, Dei amissionem, & hujus jacturæ cognitionem. Et quemadmodum jactura hæc, nisi cognosceretur, non magnum dolorem afferret, ita dolorem, atque cruciatum pœnæ damni præsertim constituit intuitus, & cognitio, seu consideratio ejus boni, quod amissum est. Scio equidem in Scripturis passim infernum tenebratum locum appellari, quia verum lumen longe illinc abest, nec unquam ibi videbitur Deus. Audeo tamen dicere, tot licet in inferis densentur tenebræ, ibi quoque lumen esse; & quemadmodum in cœlo lumen est gloriæ, quod Sanctos in admirabili ea felicitate constituit, ita & in inferno lumen esse damnationis, quod erit velut anima, & forma tormenti damnatorum. *Idem.*

n: inferno generatim.

Ut intelligatis quàm gravi dolore torqueatur reprobus in inferno antequam etiam anima illius iterum corpori adhæreat, tria sunt consideranda; Dei omnipotentia ultionem deposcentis; creaturarum, quibus in ultione persequenda, veluti instrumentis utitur Deus, & sensibilitas animæ, quæ est in Dei vindicis manu. Nihil terribilius est quàm Deus sine misericordia justitiam exercens; nihil efficacius, quam creatura ad inauditos effectus a Dei justitia; & omnipotentia elevata; ac tandem nihil calamitosius anima, quæ est iræ divinæ objectum, atque omnibus creaturarum viribus patet. Posthæc ne sciscitemini utrum in inferno sensibiles adsint dolores, & quomodo spiritualis anima omnes agentis corporei impressiones recipere valeat. *Ex Sermonibus Moralibus. Sermone de inferno.*

De igne materiali, qui est in inferno.

Deus tres pueros in Babylonica fornace tuetur incolumes, quod sanè miraculum est, a misericordia patratum; quamvis fornax illa septuplò magis esset incensa, quàm consueverat; quamvis omnia ingesta fuissent nutrimenta, quibus ignis augeri posset, qui ad quadraginta novem cubitorum altitudinem assurgebat. At mirum non est; Deus enim ibi reliquerat ventum roris flantem, quo duplex elementi hujus qualitas sejungebatur. Sed quam terribilia, sævaque hæc sunt miracula, ubi illa operatur justitia! Anima damnata non deberet vim ignis sentire, quia spiritualis est; ut illam sentit. Ignis in illam agere non deberet, quia merè corporeus est; agit tamen. Dei ultoris præsentia, & irritati Judicis flatus hos miseros torquet, qui citra miraculum non torquerentur. Flamma in Babylonis fornace Pueros non attigit, licet eadem illos circumundique obvolveret; & inferni flamma agit in animas, licet illi sint extra sphæram activitatis ejusdem. Deus ut ita dicam vindicem spiritum suum in hoc elemento constituit; quid autem est, quod Deus facere nequeat? *Ibidem.*

De vermé conscien-

Deus infinitis utetur suppliciis ad hostes suos punien-

cia in damnatis.

pooiendos; at duo præsertim sunt, ot ita dicam singularia, & exquisita justitiæ ejusdem tormenta: Alterum ignis est; alterum conscientiæ vermis. Ignis quidem extrinsecus, vermis autem intrinsecus discrucieabunt; & conformitas, quæ inter utrumque adest, ea est, quod videlicet ignis numquam extinguetur, & vermis numquam morietur. *Ignis eorum non extinguitur, & vermis eorum non moritur.* Vermis hic, propriè loquendo, stimulus est conscientiæ in damnatis, dolor, & rabies; qua torquentur, eo quod in statu adeo deplorabili inveniantur; vermis, qui ex eorum peccatis, & cordis corruptione oritur, vermis, qui ex cauteriata conscientia, quo nomine illam Sanctus Paulus vocat, egreditur. Vitæ bujus tempore anima quodammodo extra se egreditur, Sanctus Bernardus ait, & ideo vermis hic levia tantum infert vulnera, quæ superficiem tantummodo, ut ita dicam, allambunt. Sed post mortem, atque in inferno, omnes aditus, per quos anima sperabat se effugere posse, illi obstruuntur; solatia, voluptates, occupationes, distractiones, requies, & lassitudo corporis, somnusque, nihil illius juvare poterit egressum. Quidquid adnitatur, necessariò semper in se clausa permanebit, quin extrinsecùs aliquem exitum valeat invenire. *Ibidem.*

Marc. 9.

Sensus, quos in inferno reprobi desperatio insparabis.

Quid? inquiet reprobus, ex tot lacrymis, quas effundo, ne una quidem mea poterit scelera abluere? Tot inter amicos, & consanguineos, qui in Beatorum numero recensentur, ne unus quidem ad Judicis pedes provolutus pro me deprecabitur? Intercessores, numquam opem vestram imploravi, cum mihi favere poteratis. Austeritates, ego vos neglexi, cum mihi eratis salutares: inspirationes, vos ego contempsi, cum me officii admonebatis, atque, ut pœnitentiam agerem urgebatis: Sacerdotes, numquam ad vos confugi, cum eratis JESU CHRISTI Ministri, Sanguinis ejus œconomi, & gratiarum ipsius dispensatores: vobis aures non adbibui æternas veritates mihi nunciantibus, atque veritates illas fabulas duxi; consilia, minasque vestras in ludibrium traduxi, cum efficiebatis, ut ea, quæ patior, mala præsentirem, meque ad ea per pœnitentiam prævertenda hortabamini. Nunc equidem sentio, veritatem per os vestrum fuisse locutam, atque funesta doctus experientia intelligo æternas flammas, quas toties mihi descripsistis, longè ardentiores esse, quàm exhibebantur a vobis. Sed nullum superest malo remedium; salutis meæ tempus abiit, & nihil mihi nisi pœnæ meæ testat æternitas. Triste momentum, quo genitus fui! Crudelis voluptas! Crudelis honor! crudelis habendi cupiditas! crudelis ambitio, quæ me perdidisti! nefariæ voluptates, omnes dulcedines vestræ præterierunt; sed ea tormenta, in quæ me præcipitem dedistis, non præteribunt. Infelix libertas! pro voluptatis momento, me suppliciorum æternitate obtuisti. *Fromentieres in Quadragesima. Sermone de Inferno.*

Reproborū Deus in æternum derelinquit, & simul justitia sua illum persequitur.

Magnum peccatori malum est a Deo in vita hac derelinqui; sed nullus peccator ita derelinquitur, ut non babeat gratias ad resurgendum. In inferno solum peccator omnino destituitur. Erga solum damnatum divina Misericordia omnino exhausta, & exinanita est, ac Deus est inexorabilis: illius non recordatur amplius, nisi ut ipsum tamquam crudelissimum hostem persequatur, quo irreconciliabili odio insectatur. Fateor equidem terribile spectaculum esse videre Deum in terræ centro effodientem abyssos, ibique excitantem ignes, dæmonesque tamquam sub stipendiis habentem, ut ibi in omnem æternitatem miseram torqueat, & comburat creaturam. Sed non miror, cum altera ex parte cogito, vilem creaturam eò insolentiæ evasisse, ut contra Creatorem suum insurgere non dubitaverit, terræ vermem ausum fuisse bellum indicere illius tremendæ Majestati, & peccatorem sexcentis a Deo beneficiis cumulatum, amatum, & conquisitum, ingratum extitisse, atque tot beneficiis minimè commotum contempsisse pedibusque conculcasse divini Sanguinis pretium, quod re ipsa magis mirum debet videri. *P. Texier Sermone pro feria sexta post alteram Quadragesimæ Dominicam.*

Exclamationes ad æternitatis conspectū.

Captivi æterni, in horribilibus carceribus detenti, Æterni carnifices, quoniam dæmones sunt, ac spiritus immortales; Æterna supplicia; Ignis, qui non extinguitur, vermis, qui non moritur; æternæ pœnæ dolor, & sensus. Deficiunt cogitationes meæ in terribilis hujus æternitatis diuturnitate. Numquam ex illis fornacibus egredi! æternum comburi! O iræ Dei mei æternitas! Æternitas rabiei, furoris, desperationis! O infelices linguæ, quæ æternum aquæ guttam petetis, vobis in æternum negandam! O tristia corpora æternorum ignium pabulum futura! O infelices animæ, quæ in æternum sentire debent divinæ indignationis pondus, & effectum! Infelix æternitas! quisnam est atheus, impius, infidelis, qui te non credit? Vel quis est ille qui te credit, nec metuit? *Ex pluribus locis Auctoris ejusdem.*

Plerique Fidelium vel sensu, vel fide carent in iis, quæ ad pœnarum pertinent æternitatem. Isaiæ 33.

Estisne Christiani, Fideles estis, & Ecclesiæ Filii? Si tales estis, creditis ergo pœnarum æternitatem: *Credis hoc*? Idne creditis? Respondete; creditisne? Si creditis, Isaiæ interroganti respondete: *Quis poterit ex vobis habitare cum igne devorante, & arderibus sempiternis?* Tantumne animi, viriumque inest vobis, ut ignis æternitatem ferre possitis? Negatis; quomodo ergo hos æternos ignes creditis, quandoquidem nihil intentatum relinquitis, ut in æternum illis voremini? Sed jure affirmare possum, vos aut hæc minime credere, aut insanos, ac furentes esse interitum vestrum quærentes. Prophetæ omnes, ipse Dei Filius, ejusque Apostoli profitentur, institutum a vobis vivendi genus ad miserrimam hanc adducere æternitatem; attamen vos minime pœnitet, nec vivendi rationem immutatis; hoc igitur apertissimum est indicium, vos neque Prophetis, neque Apostolis, neque JESU CHRISTI credere Evangelio. Accede huc peccator pertinacissime; libram accipiamus, & in altera quidem lance statuamus ignem hunc, qui non extinguitur, hunc vermem, qui non moritur, dentium stridorem, rabiem, æternamque damnatorum desperationem; in altera verò creaturam illam, quæ jam pridem te perdit, atque prævalens tuum fascinat cor. Aut damnatum esse oportet, aut hanc intercidere consuetudinem. Hanc relinquere detrectas, ergo infernum esse non credis. *Cur credis, quod Deus dixit*, Salvianus interrogat, *& non times, quod Deus minatur? Idem.*

Apostrophe ad damnatos in medio flammarū

Videre mihi videor inter flammas tot reprobos tamquam pabulum ignis; iisque ea dicere posse, quæ olim Ethnici; cum hoc tamen essentiali discrimine, quod illi hæc dicebant Sanctis martyribus rogo impositis, ego verò damnatos alloquor: *Ambulate accincti flammis vestris, quas accendistis.* Victimæ inexorabilis justitiæ Dei, ambulate cum hisce flammis, quibus estis circumdati, & quas vos accendistis; eas vobiscum quocumque deferte, donec quæratis solatium, quod judex, a quo damnati fuistis, denegat vobis, & quod nihilominus ab alio expectare, & recipere non potestis: *Ambulate accincti flammis vestris.* Vel potiùs, permanete inviti alii aliis superadditi, igneis catenis vincti candentibusque vinculis compediti, quæ vos in tristissima detinent captivitate. Et questibus abstinete, malum enim vestrum proficiscitur a vobis: vosipsi accendistis hunc ignem, qui alitur in sinu vestro, & undenam? ex vestris videlicet iniquitatibus, impietatibus, impunitatibus, obscœnitatibus: *Accincti flammis vestris, quas accendistis.* Illum extinguere velletis, sed frustra: Deus ipse, qui illum vobis acerbe adeo applicat vobis, eumdem in æternum applicabit. Quodnam prodigium! Ignis semper comburens, quin absumat unquam subjectum, cui adhæsit, & quin ipse unquam

quam

quam absumatur; itaut post decies centena annorum millia semper idem perseveret subjectum, iisdem semper impressionibus aptum. *P. Giroust Tomo 2. Quadragesimæ Sermone de inferno.*

Æternitatis cogitatio, quam terribilis sit.

Omnibus mundi remotis cogitationibus, temet ipsum coram Deo colligens maturè, atque seriò hæc duo excute verba; *semper, numquam*. Brevia sunt, sed in brevitate sua adeo terribilia, & efficacia, ut tremorem, terroremque infinitis propemodum injecerint peccatoribus, eosque ad pœnitentiam revocaverint. Numquam extra ignem illum, cujus nulla res moderari, cujus nulla res exæquare potest ferventissimos æstus: numquam extra illum; semper in illo, semper! Nunc in terris unica passionis dies, immo etiam quin aliunde aliquis accedat dolor, unica dies in eodem statu, situ, positura, pro me temporis spatium esset prope infinitum, & dolor hic propter ejus diuturnitatem non ferendus mihi videretur; neque requireretur aliquid ultra ad omnem patientiam meam delassandam: Quid igitur erit de æternitate, atque flammarum æternitate? *Idem.*

Pœnarum æternitas.

Maxima quæcumque mala, cum brevia sunt, pro levibus sunt habenda; sed levissima quæque magna fiunt, cum sunt diuturna; sin autem fuerint æterna, fiunt infinita. Quid igitur dicendum de malis universalibus, assiduis, & quodammodo infinitis, si præterea fuerint æterna? Augete, prout vobis libitum fuerit, damnatorum supplicia; proferte longiùs, quàm vestra cogitatio valeat, durationis eorum terminum; si posthæc illis auferatur æternitas, infernus ultra infernus non est. Miseri illi non sunt amplius damnati, quia non sunt amplius desperati; auferte è contra magnam pœnarum partem, quibus damnati torquentur; nisi auferatur æternitas, semper subsistit infernus: & licet tanta fiat pœnarum imminutio, semper damnati sunt, semper infinitè miseri, quia miseri erunt in æternum. Æternitas omnibus damnatorum pœnis immiscetur; ac inde gravissimum illis accedit incrementum. Si cogitare possent, malum suum æternum minimè futurum; vel saltem si hujus æternitatis possent aliquando oblivisci, tunc temporis damnatos esse desinerent. Æternitas damnato est, veluti immensus orbis, sub quo miser gemit. Orbis quidem hunc unico tantum attingit puncto, attamen toto gravitatis suæ pondere illum obruit. Damnati quolibet momento, Tertullianus ait, totius æternitatis sustinent pondus. Eorum spiritus cum Dei justitia conspirare videtur ad eos torquendos, & illis quolibet momento repræsentans omnia futura mala, hæc quodammodo præsentia reddit, omnemque in unum punctum colligit æternitatem, ut opprimat illos. *P. Nepveu in Considerationibus, Tomo 1.*

De igne Inferni.

Non deerit in inferno ignis, qui reprobos torquebit, & etiamsi non alia nobis superessent argumenta, sola ratio hoc debet evincere. Malorum maximo, quod peccatum est, jure maximum debetur suppliciorum. Humana mens non agnoscit aliud igne majus supplicium. At quomodonam materialis hic ignis spiritualem animam torquere potest? Quomodo hoc fiat non intelligo, at scio, Deum dicere, hoc fieri, & hoc mihi sufficit. *Idem.*

Quantum dolorem afferat damnato cogitare, quod ipse salvare se potuit.

Quid aliud in corde damnati, præsertim verò Christiani, patere possunt, nisi desperationem hæ cogitationes: salvare me potui; memetipsum perdidi? Natus in Christianæ Religionis sinu, ac in ipsa Fidei luce, in Ecclesia Catholica educatus, nihil eorum desiderare potui, per quæ facillimè salutem meam poteram operari. Tutissimos habui duces, qui in viis Domini me dirigerent: divinum verbum, Sacramenta, adorabile Corporis, Sanguinisque Dominici Sacrificium, Sacerdotes, Concionatores, Confessarii, omnia mihi eam sternebant viam, quæ ducit ad vitam. Sexcentæ secretæ inspirationes, sexcenti eventus a divina Providentia dispositi, sexcenta vanitatis hujus mundi, mobilitatis humanarum rerum, fragilitatis voluptatum centies me revocarunt ad Deum. Attamen in interitu meo obstinatus, tot licet mihi suppeterent gratiæ, interii. Propter quid autem has gratias contempsi? Propter momenti unius voluptatem, quæ doloribus erat permixta, quam fastidium, & sæpe etiam conscientiæ stimuli exceperunt. Eheu! si ineptis hisce voluptatibus indulgens mortis tantummodo periculum subiissem, minus mihi ob meam imprudentiam dolendum esset. Sed amarissimè, semperque tamen inutiliter doleo, quia mori non possum, quia propter breves has, fragilesque voluptates memet objeci iis malis, quæ nullum sunt finem habitura. Etenim gratiæ amissæ vos numquam recipiam, mala infinita, quibus obruor, numquam cessabitis; ignes, quibus uror, estis æterni: vermis, qui me depascis, es immortalis; tenebræ, quæ me circumundique involvitis, semper manebitis; chaos, quod a Deo me separas, semper mihi eris insuperabile. Quid aliud, iterum dico, in damnati corde hujusmodi cogitationes parere possunt, nisi pœnitentiam inutilem, teterrimam tristitiam, amaras redargutiones, terrores horribiles, acutissimos stimulos, atras desperationes? *P. Aurelianensis, Sermone de pœnis Peccati in altera vita.*

Damnati jugiter interni sunt sensui dolori sui.

Hic doloris effectus est animam exiguis temporis partibus applicare. Jucundis rebus applicatio efficit, ut ne sentientibus quidem tempus elabatur; sed dies, immo etiam doloris hora aliquid diuturnum est, & eò diuturnius, quò acrior est dolor. In mediocribus malis dies numerantur, in gravioribus etiam horæ; sed cum damnatorum mala extrema sint, illi ipsa etiam momenta, quodammodo recensebunt, quorum infinitas invenitur in minima illius, quam æternitatem vocamus, particula; si tamen æternitas partes habere potest. Quocumque sese mens illorum verrat, nihil videbunt, quo non affligentur; omni carebunt solatio; ac nulla spes illis erit, qua suam lenire valeant infelicitatem. *Sermones Christiani, de inferno.*

Reprobi eorumdem scelerum fontes simul ardebunt.

Qui eorumdem scelerum socii extiterunt, tamquam in fasciculos collecti in infernum projicientur, juxta Filii Dei verbum: hoc est, Sanctus Augustinus addit, libidinosi in gremio eorum, qui libidinum suarum socii fuerunt, ardebunt, adulteri cum adulteris, fures cum furibus; quod illos coget immortali sese invicem bello lacessere tamquam clausas tigrides, quæ sese ultro, citroque dilaniant, cum fame urgentur in cavea, ubi interitus illis paratur. Hoc non extremum erit ex terribilibus Divinæ justitiæ consiliis, damnatos per eorumdem scelerum consortes punire, quemadmodum olim rei in amphiteatris Romæ inter se dimicare jubebantur, ut scelesti scelestorum manibus confossi interirent; & ne lex teneretur innocuos homines dedecore afficere, illos efficiens hominum improborum, quos vita indignos arbitrabatur, carnifices. *Idem.*

Descriptio Inferni ex D. Chrysostomo.

Isti Pharaonis imitatores non submergentur quidem in mari rubro, sed præcipites dabuntur in pelagus ignis ardentes fluctus eò magis terribili ratione volventis, quò magis nos latet. Hæc abyssus est nullum habens finem, cujus vivida, & subtilis flamma circumquaque currit, atque adeo acrem dolorem gignit, ut sævissimarum etiam belluarum morsus exsuperet. Si minimè possumus vel voce significare, vel assequi mente pœnam eorum, qui sensibili, ac terræ hujus materiali igne torquentur; quomodo exprimi possent eorum tormenta, qui iis uruntur flammis, quas iræ Divinæ flatus succendit? Si quis istic in ignem conjicitur, momento consumitur; sed ignis ille semper urit; & numquam absumit, quod urit. Inferni ignis, Dei Filius ait, erit veluti sal, qui intimè damnatos penetrabit, eosque conservabit, non destruet, ut semper sint tamquam totidem victimæ Divinæ ultioni immolatæ: *Omnis enim igne salietur, & omnis victima sale salietur.* Marc. 9.

Abbas

Abbas de Montmorel pro 19. post Pentecosten Dominica.

Inferni cogitatio potens est ut patienter vitæ hujus mala perferamus.

In malis, & ægritudinibus, quæ accidunt nobis, nobismetipsis dicamus: Quod patior, parne est pœnis inferni, quas toties meritus fui? Toleramus in hoc mundo, sed toleremus patienter sine murmure, tranquillè sine tumultu, si cum merito, & fructu cupimus tolerare; omnes enim hujus vitæ passiones plurimum nobis prodesse possunt, & nihilominus si cum æternis ignibus comparentur, quos nimis etiam secundum Divinæ justitiæ ordinem promeriti sumus, nihil sunt aliud nisi ros, & dulcedo. *Drexellius.*

De iis, qui putant Deū infinitè bonum non puniturum esse tanta cum severitate scelera nostra in æternū.

At enim bonus est Deus, neque credere potes, infinitam hanc bonitatem æternis suppliciis in peccatores esse animadversuram. Ego verò ajo, Deum, quia infinitè bonus est, infensissimum esse hostem peccati, quod cum minimè punire possit ea pœna, cujus vis, & vehementia infinita sit, illud punit pœna æterna; atque affirmo ex eodem infinitæ bonitatis principio opus esse, ut Deus malum oderit, quod est peccatum, atque illud, ubicumque invenerit, persequatur. Nihil in terris est, Tertullianus ait, quod tantum Dei bonitatem ostendat, quàm videre, quod improbitatem pati non potest, quin illam puniat; cum enim Deus suam diligat bonitatem, opus est, ut peccatum eidem oppositum oderit, & puniat. Hoc in sensu id intelligebat Sanctus Joannes in Apocalypsi: *Quis non timebit te Domine, quia solus pius es?* Cur non dicis potius, Apostole, quis non timebit Domine, quia justus, & vindex es; atque peccatores gravissimis pœnis coerces? Haud ita; timores nostri Dei bonitatem respicere debent; & si *per adynaton* res nobis esset cum malo Deo, non tam metuendum nobis esset ob læsum numen, quàm timere debemus, quod Deum nostrum, ipsam videlicet bonitatem, offendimus. Et ratio est, quia bonitas ipsius seipsam amare non potest, quin oderit, destruatque contrarium suum, namque peccatum, Theologi omnes docent, Deum ob unum tantummodo mortale scelus animam æternis adjudicantem suppliciis eam minus severè punire, quàm mereatur: cur autem? quia ignis inferni, sit licet æternus, finita est creatura, & anima quoque eidem addicta in essentia sua finita est; sed læsus Deus ens est infinitum, & actio contra ipsum peracta, moraliter est infinita. Infernus igitur cum omnibus suppliciis suis nihil habet uni mortali crimini par; & numquam homo peccator in ipso etiam inferno satis pro meritis cruciatur; infinitum quippe delictum infinito supplicio esset puniendum. Sed ubi invenietur? illius enim capax non est aliquid creatum. Oportuit ergo, ut hæc pœnarum infinitas, quam creatura pati non potest, æterna pœnæ ejusdem duratione pensaretur. *P. Antonius a S. Martino a Porta.*

De privatione Dei.

Dei privatio gravissimum est, & quod minimè omnium mente concipi queat, damnati supplicium: Hoc propriè loquendo verum est, ac essentiale ejus malum. Privatio hæc in damnatorum anima contrarios excitabit motus, qui illam in æternum laniabunt. Nullam in terris doloris hujus habemus imaginem. Ultrò ab eo recedimus objecto, quod odimus; damnatus Deum odio insectabitur, ac simul enixè ad Deum accedere cupiet. Quænam pœnæ species! Infelix, licet odio furat, de Deo nobiliùs, ac digniùs, quàm unquam cogitabit, eū nihilominus maledicet; horrescet tamen cum suos audiet tortores gloriantes, quod ipsum in vinculis teneant, eumque legitimo Domino abstulerint. JESUS CHRISTUS mortuus est, ut Patri suo animas lucraretur, attamen hæc trophæa erunt, & præda miseri hostis, propter scelus suum in abyssos dejecti. Dei eram, damnatus inquiet; factus eram, ut illum possiderem; at dæmon in me suum crudele imperium exercet, deque meis malis gloriatur. Quæ crudelis indignatio; quàm gravis dolor! *Auctor Anonymus.*

Damnatorum ineffabilis, sed inutilis pœnitentia.

Hic Deus est, inquient miseri, qui nos creavit, qui nos redemit, qui nihil intentatum reliquit, ut nos in salutis viam revocaret; & hic illi, quem eousque irritavimus, ut nosmet iræ illius traderemus. Hic Deus est infinitas habens illecebras, omnes in se complectens pulchritudines, omniaque bona continens; hic tamen ille, quem læsimus flocci facientes periculum, quod subibamus, ut a facie illius rejiceremur, atque interiremus. Hic Deus est, qui nos suis allicere cupiebat beneficiis, ac amoris sui testimoniis attrahere, qui maximis nos cumulaverat gratiis, qui pro nobis suum effuderat sanguinem, sua impenderat merita, suum Regnum reliquerat, qui tantum operatus, passusque fuerat, ut nos in absolutissimæ felicitatis possessionem adduceret. Quid de sceleribus suis cogitet reprobus? Confusio, quod minime usus fuerit tot salutis suæ adminiculis, non solum erit illius pœna; verùm nescio, utrum post Dei privationem ullo graviori sit afficiendus supplicio. *Idem.*

Humiliationes quas damnati patiuntur.

Quænam humiliatio illi, qui antea præ aliis enituerat, miserorum pedibus proteri, ignorari, contemni, oblivioni tradi, ac sine ulla miseratione crudeliter excipi? Quænam homini, qui aliis imperare, suamque explere voluntatem consueverat, fieri miserum mancipium, & a crudelibus, infamibusque tortoribus obrui catenis? Quænam illi, qui inter delicias versabatur, nullam ultra sperare posse voluptatem, atque horribilibus, æternisque suppliciis damnari? Nullam umquam obtinere existimationis, honoris, miserationis, clementiæ, amicitiæ notam, semper increpationes, irrisiones, omniaque gravissimi contemptus, & odii argumenta. *Idem.*

Rationes æternitatis damnatorum.

Supremum, quod in creata omnia Deus exercet imperium, illum cogit, ut æternis in inferno pœnis puniat peccatores. Hæc rebellia nibila, quemadmodum a Sancto Ambrosio appellantur, contra Deum insurrexerunt, atque in scelestissima sua agendi ratione a supremo illius nutu pendere detrectarunt. Vixere quasi licuisset ipsis divinam eludere auctoritatem: opus tandem est, ut Deus majestatis suam potestatem ostendat illorum defectionem eo puniens supplicio, ex quo palam & illius imperium, & suam intelligant servitutem. Crediderunt se effugere posse criminum suorum pœnam; ideoque justum est, ut illam in æternum patiantur. Si peccati nequitiam ad examen revocabimus, inveniemus minorem inferno pœnam, eidem parem non esse. Hoc autem facile cognoscit, qui setiò cogitat bonum, quod culpa lædit, bonum, quod ad eam reparandum requiritur, bonum, quod per illam destruitur; hæc enim omnia infinita sunt. Deus infinitum est bonum, quod peccato offenditur; gratia JESU CHRISTI, & gloria, quam ille nobis pollicetur, est, ut ita dicam, bonum quod peccato destruitur; bonum verò, quod ad illud reparandum requiritur, sunt merita Dei. Peccatoris etiam pertinacia divinæ justitiæ probat severitatem. Ejus nequitia semper subsistet; ita quia Dei ira, numquam leniri, neque ultio ejus expleri poterit, numquam ab eo puniendo cessabit? quemadmodum peccatoris voluntas semper divinæ opposita erit voluntati; Deus semper hanc puniet oppositionem. Et nonne re ipsa æquum est, ut Deus in justitiæ suæ decretis æquè sit immutabilis, ac peccator in suæ voluntatis improbitate, eumque erga hunc æque inexorabilem esse in omnem æternitatem, ac iste immotus persliterit in omni vita omnibus afflatibus ejus? Omnem vitam suam iste traduxit Deum lædens; Deus quoque suam impendit æternitatem illum puniens. Denique Dei sanctitas poscit, ut peccatorem æterno puniat supplicio: in quo enim sanctitas ista consistit? procuIdubio in odio peccati, & suimetipsius amore. Amor igitur, quo seipsum prosequitur, mensura est odii, quo peccatorem insectatur. Hoc igitur infinitum esse debet, quemadmodum amor ille infinitus est, ideoque peccatum puniendum

est

est ea ratione, quæ par sit odio, quo hoc inferni monstrum persequitur, & æquum est, ut supplicium, quod peccatoribus præparat, ut severissimam ex illis ultionem sumat, tandiu permaneat, quandiu ipsum odium vigebit. *Auctor Anonymus.*

De peccatorum in Inferno obstinatione.

Operæ pretium est in peccatoris obstinatione post mortem duplicem immutabilitatis speciem considerare: etenim quemadmodum qui in hoc mundo sunt, temporis naturam imitantur, quod motus est successivus; qui semel in alteram migraverint, immobilitatem æternitatis imitabuntur. Itaque in reprobis hisce peccatoribus semper aderit immutabilis cognitio veritatis, quam non amabunt, ac æternum peccatorum, quæ patraverunt, & quorum ipsos minime pœnitebit, odium. Ideò in æternum illis nefarias suas in Deum animi dispositiones foventibus, Deus numquam eas assumet, quæ illis gratiores possint accidere. *Idem.*

Idea, quam concipere debemus, infelicitatis reproborũ in inferno.

Nostis quod damnatum esse idem est ac esse a Deo reprobatum, a Deo odio habitum, a Deo maledictum, a Deo in omnem æternitatem semotum, in æternum ab omni bonorum, voluptatum, honorum, & rerum omnium, & quæ cordis nostri aviditatem explere possunt, fonte separatum; esse Inferni victimam omni dæmonum furori sacrificatam, omni crudelis ignis, immortalium incendiorum, flammarumque ultricium quæ nullam damnatis requiem, nullam intermissionem relinquent, severitati perferendæ destinatam: ut verbo me expediam, in æternum esse infelicissimum. Veritates has ignorare non possumus; sed mirum nonne est, nos, cum hæc noverimus, non vereri, ne in malum hoc adeo terribile proruamus? *Sermo Manuscriptus.*

Ejusdem argumenti.

Descende spiritu quandiu tibi liberum fuerit in locum hunc ira divina repletum; descende illuc cum luminibus perspicacissimis Sanctorum, qui præ cæteris doctrinæ laude excelluerunt; finge tibi quidquid horroris, ac suppliciorum, excogitari potest; adde sævissimos torquendi modos: omnes horrores isti, hæ pœnæ omnes ad inferni cruciatus ne procul quidem accedent, idque in æternum: in æternum, donec Deus erit Deus: idque sine ulla consolatione; sed ea mera erunt tormenta. Finge tibi infelicis animæ statum, quæ his damnata suppliciis, ubi pœnarum magnitudinem incipit experiri, palam intelligit, eas numquam defecturas. Quæ rabies! quæ desperatio! Extremos pati cruciatus, ac citra quamcumque dubitationem scire illos nullum finem habituros! Deum hostem habere in omnem æternitatem, qui in æternum Divinæ iræ suæ flagella in calamitosos effundet! Hostes habere omnes beatos Cœlorum incolas! Illi etiam omnes, qui in inferno sunt rabido sese vicissim odio persequentur, quo acti ultro citroque sese laniabunt. *Liber, cui titulus, Christianus ignotus.*

Consideratio damnatorum, qui per scelus suum tantã sibi consciverunt calamitatem.

Ego damnatus sum, reprobus inquit, ego, cui tot aderant causæ, tot adminicula, quorum ope in Electorum albo facile recenserer. Ego damnatus sum, ego qui tantopere in terris enitui opibus, genere, honoribus, nunc cum sceleratissimo quoque permixtus sum! ego, qui inter delicias nutritus fui, qui voluptates amavi, nunc æterno damnatus sum igni; cruciatus omnes sunt hæreditas mea, & habitatio mea infernus. Et futurum non cogitamus! & in præsenti obstupescimus, & quænam futura sit sors nostra in altera vita non quærimus! *P. Croiset, Tomo 2. Recessuum.*

Magnitudo jacturæ, quam subit damnatus amittens Deum.

Intelligendum esset, quid Deus est, ut cognosceremus, quàm grave tormentum sit illum amittere sine spe eumdem iterum inveniendi. Hac jactura modò parum afficimur, sed aliter judicamus cum illam subiimus. Æternum cogitare, non defuisse mihi Redemptorem, me verò pretio redemptionis ejusdem uti noluisse! Cogitare usquequò me dilexerit JESUS CHRISTUS, & cogitare, me non posse in æternum illum diligere; neque in æternum ultra me ab eo dilectum iri; illum numquam misertum esse malorum meorum; illum non ultra nisi indignabundos in me oculos conjecturum esse; manus ejus pro amore meo confossas, nonnisi fulmina, ac tela in me esse ejaculaturas! O horrendam imaginem! O crudelem recordationem! O sortem! O malum incomprehensibile! *Idem.*

Acerbissima æternitatis idea.

Cum damnatus in ignitis illis carceribus incomprehensibili jam temporis spatio pertulerit; hoc ne horæ quidem quadrans est ratione æternitatis. Cum tempus jam everterit domos, quas extruxistis, solo æquaverit urbes, ubi nati estis, susque deque perturbaverit regna, ubi vixistis, sæculorum finis jam universum terrarum orbem cineribus suis tumulaverit, effluxerint etiam tot sæculorum myriades, quot momentis mundus stetit; nihil adhuc effluxisse de terribili æternitate censendum erit. Si damnatus es, tantum tibi perferendum est, quantum erat primo eo temporis momento, quo in has flammas conjectus fuisti. O æternitas! Incomprehensibilis æternitas! quis te credere potest, & vel uno momento in peccato vivere? & vel uno momento pœnitentiam differre? *Idem.*

Ejusdem argumenti continuatio.

Infelices iræ Omnipotentis victimæ! infortunati reprobi! Tempus erit, cum verè dicere poteritis: post obitum meum, ex quo iis uror flammis, si formica unicum arenæ granum in mare gestasset, atque nonnisi post elapsos annos mille iterum id ipsum peregisset, jam arenam omnemque totius orbis terram transtulisset, atque in centrum usque mundi altius defodisset, & nihil jam superesset. Tota hæc terribilis duratio temporis effluxit, ex quo sævissimis cruciatibus torqueor, & adhuc integra superest æternitas, qua sum excruciandus; & infinitus hic myriadum sæculorum numerus, millies, ac millies iterum inceptus nihil est, ubi cum terribili hac æternitate comparatur. Si mihi acerbissima contigerit calamitas, ut aliquando damnandus sim, toto hoc tempore patiar, & potero etiam affirmare, totum hoc temporis spatium millies, atque decies, centiesque millies elapsum fuisse ex eo tempore, quo flammis torqueri occœpi, suppliciorum verò meorum durationem ne unius quidem momenti spatio fuisse imminutum, mihique adhuc integram superesse æternitatem, qua patiar, incendar, ac desperem. O terribilis æternitas! incomprehensibilis, inexcogitabilis æternitas! pro unius tantum momenti nefaria cogitatione, tot elapsa sunt decies centena sæculorum millia, quot dies, vel etiam horas in mundo vixi, & quot momenta in diebus illis enumerantur. O Deus quænam isthæc est proportio! Proh si tempus saltem venturum esset, quod his pœnis finem imponeret! sed certum esse, numquam, numquam tormenta hæc defectura; semper torqueri, ac certò scire semper se esse torquendum. *Idem.*

Tristes damnati cogitationes per omnem æternitatem.

Æternum cogitare infinitum illud bonum, cujus jactura facta est; innumera mala, in quæ lapsi sumus, facilia, & frequentia eorum evitandorum remedia; ob oculos habere semper vanitatem, brevemque earum rerum durationem, quæ nos a Deo averterunt, ineffabilem dulcedinem, quam in illius servitute essemus experti, reales etiam pœnas, quæ nobis ferendæ fuerunt ad hoc etiam, ut damnaremur; infinitum discrimen, quod aderit inter eas difficultates, quæ nos a virtutis semita deterruerunt, & pœnas, quibus in medio flammarum torquebimur, inter vix sensibilem obscœnarum quarumdam voluptatum durationem; & pœnarum, quæ illas subsequentur æternitatem; semper ob oculos, ac in mente formidabilis hujus æternitatis cogitationem habere, quin ne uno quidem momento ab ea animum deflectere liceat: Quænam supplicia, o Deus! quænam desperatio! Hoccine satis intelligo? & id si intelligo, quomodo aliquem in voluptatibus gustum invenire possum? Quomodo vivere possum in peccato, ac pœnitentiam differre? Si hæ cogitationes nos nequaquam convertunt, si horribilium horum cruciatuum, terribilis

hujus æternitatis, æterni hujus doloris conspectus nos a peccatis omnibusque inanibus vitæ hujus voluptatibus non deterret, vel rationis usu destituti sumus, vel Christiani non sumus. Terribiles hæ veritates effecere martyres, frequentarunt solitudines, & hodierna quoque die Cœnobia replent, & Asceteria; quæ nostra mens est? Illine merito hoc faciunt, & fecere? *Idem.*

Multitudo, & varietas tormentorum, quæ in inferno perferuntur. Frustra quis quæreret quot suppliciorum genera in calamitosissimo eo loco inveniantur; verum ut aliquam eorum concipiatis ideam, fingite vobis omnes morborum, dolorumque species, qui hac in vita, & in quacumque terrarum plaga perferuntur, ac pro certo habete, nullum eorum in inferno desiderari; quamlibet corporis partem, quemlibet sensum, quamlibet animæ facultatem suum ibi supplicium pati, neque unum dumtaxat; simul gravissimis cephalæis, acerrimis colicis, nephriticis doloribus, chiragra, ossium luxatione, tabida fame, ardentique siti laborari; de extremo frigore in maximum calorem transirum fieri; ne unum quidem quietis momentum dari, semper lethali mœrore, horribilique confici desperatione. Denique cogitate, quemadmodum omnia flumina in mare confluunt, atque ita dulces suos amaris illius fluctibus conjungunt; quin pelagus turgeat, ita omnia hujus mundi mala, in abyssum illam, ut ita dicam, exonerari, atque cum illis, quæ ibi perferuntur, commista, comparatione facta, suavia, & jucunda videri. *P. Ludovicus a Ponte libro, cui titulus. Morborum, & ærumnarum utilitates.*

Quomodo fieri possit, ut adeo terribilis credatur Infernus, & pauci illum evitare contendant. Post hanc fine fine cruciatuum diuturnitatem, in qua mens nostra confunditur, ignis æque vividus erit, corpus, & anima æque ad patiendam disposita, & suppliciis æque sensibilia; Deus etiam æque irritatus, & irreconciliabilis, ac primo momento. Vorago flammarum inextinguibilium, quas Dei omnipotentia ad peccatorem puniendum accendit; Inferne, infinitum æternorum tormentorum chaos, fierine potest, te fidei nostræ objectum esse, ac nos in nostra impœnitentia persistere? Hoc credunt illi, qui mollem vitam ducunt, & in peccatis voluntantur. Mundana illa mulier, cui mundus idolum est, terribilia inferni credit supplicia. Nefarii illi homines, quorum vita series est peccatorum, qui sanctissima pietatis exercitia in ludibrium vertunt, qui infernum ipsum in jocum traducunt, hi tamen Infernum esse credunt. Homines illi voluptatibus dediti, qui dies suos in molli tradncunt otio, ac oblivione Dei, qui extimant dumtaxat Religionis habent superficiem: homines mundi hujus sectatores, qui tranquillè animam suam fordidæ postponunt utilitati, eamque fexcentis aliis cupiditatibus facrificant; illi, quorum mens ex cordis corruptione vitiata est, & quorum mores sunt adeo Christiano nomine indigni; hi omnes suppliciorum horum magnitudinem, atque æternitatem credunt; credunt esse infernum, & nihilominus in deliriis vitam traducunt. Hæc fane monstrosa est contradictio. *P. Croiset in Christianis Considerationibus.*

De terribili miseræ æternitatis duratione. Prob Deus, quænam infelicitas! singulis momentis ea omnia, quæ concipi queunt, pati tormenta, eaque tormenta, quæ anima ferendo esse potest, eaque simul omnia, semperque pati, quin ulla adsit vel minima spes futurum ut aliquando deficiant, quin ullum adsit solatium, quin aliquis unquam illis assuescere valeat! O Dei mei justitia, quam terribilis es! Si post tot centena sæculorum millia, quot effluxerunt momenta ex quo supra capita nostra sol circumlegitur damnatorum pœnæ finem essent habituræ, non ideo tamen excusabilis esset peccator, qui pro fluxa fragilique voluptate sese adeo miræ tormentorum objiceret diuturnitati; verùm minus intolerabilis ejus videretur insania. Quid! pro una tantum morosa, noxiaque cogitatione decies centena ignis sæculorum millia! pro aliquot momentorum delectatione centum mille annorum myriades! O Deus, quænam inæqualitas! Verum pœnæ hujusmodi infinitæ non essent: quamvis terribilis eorum esset duratio, tandem aliquando tamen finis accederet: miser damnatus dicere posset, quantum passus sum, tantum de meo supplicio imminutum est; nunc mihi uno, duobus, decem annis minus quam antea perferendum est; sed per totam torquebr debere æternitatem! Æternitatem! quin aliquando dici queat, jam horæ unius quadrans meis detractum doloribus est, jam una tormentorum meorum effluxit hora! Immersus, sepultus, obrutus in ignis voragine, ejus verò ignis, qui simul est omnia supplicia; medius in hoc igne tupis instar immobilis, hoc igne penetratus tamquam accensa pruna, damnatus ardet, fremit, desperationi se tradit, semper pariter, semperque cogitat se fine ulla folatii, vel finis spe tanta mala pati. *Idem.*

Huic tormentorum æternitati, adde pœnitentiæ æternitatem; ex necessitate quadam infelicem esse, miserum quidem est, at culpa sua esse infelicem, atque ex voluntate sua, hæc quidem insania est, cujus nullum nisi in damnatione nostra invenitur exemplum; anima hinc summo dolore conficitur, omnemque amaritudinem percipit; ratio ipsa mœrorem acuit, & animam tamquam in pœnitentiæ inutilis prædam relinquit. *Æterna damnati pœnitentia.* Damnatur peccator, torquetur, atque eum proprius ejusdem spiritus torquet: immutabiliter adhærens objecto, quod illum a suo fine detorsit, apertissimè videt inane eorum bonorum, quæ ipsum deceperunt, miorem fortunæ inutilis, qui ipsum in errorem induxit, virus earum voluptatum, quæ illum fefellerunt. Summo cum dolore agnoscit imprudentiam suam, libidinis suæ errores, votorumque suorum vanitatem, atque nequitiam. Denique conatur ille oculos a funestissimis hisce objectis avertere! Objectum immobile est, ac illi spiritus ita inhæret, ut ab eo divelli minimè possit. *Idem.*

Quis dicendo exprimere posset acerrimos, æternosque infelicis damnati mœrores? Potui, ait ille indesinenter, potui non damnari; & nolui eam agendi vivendi rationem, quam securus damnatus non essem. Potui operari salutem meam, ac sæpe etiam id cogitavi, consilium ad hoc susceperam, & minimè illum explevi. Tot, qui salvi sunt, unquid magis tefercbat, quàm mea, in interitum non ruere? plurane illis suppetebant adminicula, ut Infernum evitarent? Pauciores illis obices adversabantur? Cœlum non majori mihi, quàm illis pretio erat comparandum; illi tamen suam operati salutem fuerunt, ego verò meam operatus non sum. Heu! si hæc omnia cogitassem, quam cogitanti afferre poterant utilitatem! Sed me miserum! hæc tune quidem cogitavi; præsensi, me æterno discruciatum iri dolore, eo quod hæc malè cogitassem, ac nullam inde utilitatem percepissem; at nunc hoc mœrore conficior, & mœror hic erit æternus.... Urgentes gratiæ sollicitationes, pii motus, amari quidem, sed salutares aculei! cur tot rationibus, quæ summam ad persuadendum obtinebat vim, non cessi? Cur pertinaci constantia meæ ipsi conscientiæ, rationique meæ sum adversatus? Numquid in æternum memoria mibi repetenda sunt sanguis, & mors Redemptoris, Sacramentorum efficacia, auxiliorum multitudo tot adminiculorum facilitas; ac ideo repetenda, ut jugiter obversetur menti meæ eorum abusus, utilitas, quam inde uberrimam haurire poteram, infinita, ac irreparabilis jactura, quam subii, eo quod liberè, ac ex mera voluntate mea ex omnibus hisce bonis nullum fructum capere volui. O Deus, quàm crudele tormentum est, æterna hæc pœnitentia! Hoc propriè est mentis simul, & cordis supplicium; damnato enim simul ostendit amaritudinem omnem, quam affert memoria bonorum omnium, quibus culpa excidit sua, malorum, quæ per nequitiam suam sibi conflavit, eorum denique omnium, quæ per suam in peccato patitur obstinationem. *Idem.*

Ejusdem Argumenti continuatio.

Quan-

Damnati in inferno præteritarum voluptatum recordatione torquentur.

Quanto dolore afficit animam tristis recordatio brevissimè, ac fermè incomprehensibilis durationis inanium, molestarumque voluptatum, quæ illam in calamitatum omnium abyssum dedere præcipitem! Heu! quid est octoginta annorum vita, si cum terribili æternitate conferatur? Minus est quàm indivisibile punctum, toti terrarum orbi collatum; nihilum est, quod mentem fallit: & punctum hoc, quod vix percipi potest, hoc nihilum, extitit fatalis omnium cruciatuum meorum causa. Hinc illa pœnitentiæ æternitas, quæ non aliud est, quàm mœror æternus cum furioso conjunctus odio contra propriam libertatem, quæ in adeo pravum usum conversa fuit; cum ira ardenti adversus affectuum suorum indignitatem, quorum veluti victimæ damnati extiterunt; cum acri, vehementique dolore propter horribilia supplicia, quæ perferuntur, & quibus merito sunt in æternum torquendi. *Idem.*

Inutilitas pœnitentiæ damnatorum.

Hujus autem pœnitentiæ amaritudo angetur æterna ejusdem inutilitate. Saltem dolor ita acer, & vehemens non omnino inutilis esset! sed nihil eodem inutilius. Et profectò nisi pœnitentia quidquam sceleris æternitatem imminuit, saltem in hac vita minuit pœnitentis indignitatem, eumque aliqua dignum efficit misericordia. Damnatum in inferno perennis torquet pœnitentia, quin merito illi adscribatur. Pœnitentiam hanc dolor, atque tormenta cient, ac rabies nutrit, quin unquam esse queat salutaris. Si reprobus posset aliquando pœnitentiæ suæ causam oblivisci, hoc illi saltem deesset supplicium; sed in inferno sunt omnia præsentia, omnia æterna sunt, ac in æternum immutabilia. Inde hæc inseparabilis desperatio sterilis pœnitentiæ. Nobismet exprobrare quod imprudentissimè contra Religionem, rectumque sensum egerimus; acerrimis pœnitentiæ doloribus affici; pœnitentiæ verò omni fructu, ac spe in æternum carituræ; quæ desperatio, quæ rabies! *Idem.*

Damnatorum desperatio.

Desperatio violentus quidem affectus est, quandoquidem dolore, ac tumultu, quem gignit, cæteros quoscumque suffocat animæ affectus. Desperatio hæc, quæ damnatorum omnium pars est, illis solatii cujusdam loco esset, si suum haberet effectum; sed in inferno desperatio reliquorum cruciatuum est anima, eaque efficit, ut acrius omnia simul æternitatis tormenta singulis momentis sentiantur. Omnia pati sine ulla spe futurum, ut cruciatus unquam imminuantur: concipe, si vales, hujus desperationis amaritudinem; desperationis autem æternæ, & quæ singulis momentis æque violenta est, ac si non ita pridem orta fuisset: Omnia perdidi, damnatus ait, ipsam etiam spem videndi hos meos cruciatus imminui, ipsum etiam jus, quod mihi erat ad æternas Redemptoris misericordias, ipsam etiam libertatem non cogitandi amplius causam meæ desperationis, & lacrymarum. *Idem.*

Inferni cogitatio plurimum valere potest in peccatoribus.

Infernus est, & peccatores non desunt: infernus est, Christiani hoc norunt, & infernus hic Christianis repletus est. Verumne est, o Deus! non deesse calamitosissimos homines, de quibus jam actum est, & qui hoc ipso, quo loquor, momento, igne inferni circumdati sunt, ac penetrati? Verumne est, aliquos etiam nostrum aliquando flammis illis esse obruendos? Heu! jam plerique nostrum, (o Fideles) jam ignibus illis combureremur, si Deus nostra tantummodo merita spectasset. Sed infinitæ misericordiæ illius habendæ, agendæque sunt gratiæ, quod damnationis nostræ sententia ad aliquod tempus suspensa est, ac nobis illam adhuc licet evitare. Tanto hoc munere ne abutamur; æternas illas fornaces adeamus, & serio cogitemus quid illa sit suppliciorum ibi perferendorum æternitas. *P. de la Colombiere. Tomo 3. Sermone 55.*

Damnati quomodo suos cruciatus considerent.

Ita est, Fideles, infelices illi norunt postquam annos centum ignibus fuere combusti, & centum alios comburendos esse, cumque alterum hoc elapsum fuerit sæculum, tertium esse incipiendum, & mox quartum, & post decem millia, centum millia, decies centena millia annorum centies, millesque iterum, iterumque inceptorum, ignem æque vehementem, Deum æque irritatum, atque irreconciliabilem, corpus, animamque ad patiendum æquè disposita, ac re adhuc integra futura. Cogitate tempus, quantum vobis placuerit longissimum, cogitate simul omnes numeros, quos mens vestra valet excogitare, illos toties, quoties libuerit, multiplicate, addite iterum numeros; alia aliis superaddite numerorum refertissima volumina, quot totum illud replere possent spatium quod Cœlum inter, ac terras interjacet; damnatus jam videt se toto hoc tempore torquendum, atque ultra immensam hanc durationem longiùs prospiciens detegit pœnarum æternitatem æque diuturnam, ac si nullum temporis intervallum præcessisset. Hæc omnia terrorem incutiunt; verùm addite, si post immensum hoc temporum spatium in flammis elapsum Dei jussu ad inferos descenderet Angelus, qui testaretur, illis perferendum adhuc esse tot sæculorum decies centena myriadum millia, quot momenta hactenus essent passi; omnes eorum cessarent blasphemiæ, minimum quodlibet murmur in hac horroris, & confusionis domo subticesceret; omniaque undique benedictionibus, laudibus, gratiarumque actionibus personarent; & infernus jam infernus non esset. Sed infelices jam certò sciunt, numquam sibi de liberatione verbum audiendum esse: nullam ipsis pacem, inducias nullas futuras; ac se non gratiam, non reconciliationem inventuros. Nullus erit terminus, nullus finis, immo nulla finis spes: atque pati debebunt donec Deus erit Deus. *Idem.*

Æquum est reprobos a Deo æternis puniri suppliciis.

At enim, dicet aliquis, pro unico crimine, & pro unius momenti delicto pœnarum æternitas? Ullane justitia in judicio adeo severo invenitur? Quisnam ambigere potest, quandoquidem Deus, qui ipsa justitia est, judicii hujus est auctor? Nulla est inter fluxam voluptatem, æternumque supplicium proportio: at ullane proportio est inter vos, & infinitam Dei Majestatem, quam offendistis? Numquid ex tempore, quod in injuria inferenda insumptum est, metiendum est debitum illi supplicium, an ex illius, qui injuria affectus fuit magnitudine? Quid æquius quàm æternis adjudicare cruciatibus illum, qui contra Æternum ausus est rebellare? Ad hæc aliquidne æquius est, quàm nullam illi concedere veniam, quem numquam pœnitebit, illi, qui eam sibi oblatam respuit, illi demum, qui se immortalem optasset, ut numquam a peccando cessaret? Ulla si adest inæqualitas inter unicum voluptatis momentum, ac pœnarum æternitatem; vobis optio est, utrum huic voluptati indulgeatis, an secus. Insanus profecto es, si adeo charo pretio illam comparare velis: Sed justissimus est Deus exigens eam, de qua inter te, ac ipsum quodammodo convenerat, mercedem, neque enim rationem a te experiturum illum ignorabas. Demens es, si Deum lædere audes, quamvis ille tibi tantum minitetur supplicium: sed justissimus est Deus te hoc ipso puniens supplicio, cujus metus nequitiam tuam vincere non potuit. *Idem.*

Quid sit pœnarum æternitas.

Qui dicit æternitatem, dicit perennem sine fine durationem, ultra omnium temporum fines, dicit dolorum jugem assiduitatem spe, & solatio carentem. Cœlum quidem, ac terra transibunt; damnatus verò semper horribile studium suum inchoabit; indesinenter novum ingredietur orbem pœnarum, quæ numquam cessabunt. Numquam! O quam terribilis est vox ista, o fideles! quam formidabilis omnibus, qui rite illam perpenderint? Coloris mutatio, quæ in singulorum facie videtur, satis ostendit quantum terrorem cogitatio æternitatis incutiat.... Gloriæ æternitas a Sancto Paulo pondus vocatur. *Æternum gloriæ pondus operatur*; atque ita nos ad illius acquisitionem contendit impellere. Sed quia gloria nos parum mo- *2. ad Cor. 4.*

vet, ut a peccato detorqueat: addit Deus alterum pondus, cruciatuum nempe in inferno æternitatem; ut qui spe non moventur, pœnarum timore quatiantur. O Deus! quid facerent illi, si non esset infernus, & si omnes pœnæ cum tempore ipso deficerent? Quænam esset rerum omnium in terris perturbatio? *Sermo manuscriptus.*

Adspectus damnati nobis magnitudinē iræ Dei palam ostenderet.

Quisnam vivens justam iræ divinæ concipit ideam? Egredere ex abysso aliquis ex vobis, qui infernis ignibus devoramini, atque huc accede ut nos de tua sorte erudias. Ostende nobis vulnera, quæ ignita ultoris Dei tela tibi infixere; detege turpissimam faciem tuam fumigantem, ac flammis succensam; stilla in nos unicam ignium tuorum scintillam; saltem inspice nos illis oculis, qui numquam clauduntur; eum cruentis illis oculis, unde flammæ inutilibus commixtæ lacrymis egrediuntur; fac, hoc in loco audiantur clamores illi, quos illi extorquet desperatio: aperi os tuum igne, & amaritudine plenum, & profer aliquot verba lugubri eo vocis tono, quo blasphemias evomis. Rationis ipsius jacturam faceremus (auditores), præ terrore concideremus damnatum intuitu. Eum potius, qui salvos facit, & damnat, enixis oremus precibus, ut misereatur nostri, atque luminibus suis nos in terribiles iræ suæ thesauros adducat, ut perciti horrore tormentorum, quæ ibi continentur, per pœnitentiam nostram illius flectamus justitiam, quæ improbos omnes iis pœnis est addictura, *Pat. la Pesse, Sermone de pœnis inferni.*

Infernus est locus, ubi tormentorum omnium congeries invenitur.
Deut. 32.
Luc. 16.
Psal. 32.
Exod. 33.

In Lege veteri Deus hoc minitatus est populo suo: *Congregabo super eos mala, & sagittas meas complebo in eis*; quod tamen nonnisi in Inferno adunguem adimpletur. Ibi omnia iræ suæ tela exhaurit, ibi omnes congregat pœnas: quorsum autem? quia infernus proprius est locus tormentorum: quo nomine dives nequam eum vocat apud Sanctum Lucam: *locum tormentorum*. In terra Deus & Misericordiam, & Judicium semel exercet: *Misericordia, & judicium*: In cœlo misericordia præ cæteris illius perfectionibus elucet: *Ostendam ei omne bonum*: sed in inferno illius dominatur justitia. *Congregabo super eos mala. Idem.*

Descriptio terribilis inferni cruciatuū.

Deus ipse dæmonibus præcipit, ut torqueant damnatos: Deus ignem succendit, qui utrosque simul comburit; Deus omnia acuit spicula, quæ illos confodiunt, & laniant. Neque hic subsistit irati numinis omnipotentia; æque enim damnatos doloribus percipiendis pares, ac dæmones illis torquendis industrios facit, atque crudeles. Quantum virium tribuit igni, aliisque ultionis suæ instrumentis, tantum hostibus suis sensus tribuit, ut omnem eorum dolorem experiantur. Quid! ignis ad explendum Dei Omnipotentia furorem accensus! corpus, & anima damnati hoc igne penetrata, ut eidem furori satisfaciant! aliorum suppliciorum infinitus numerus, infinitus quoque carnificum, quos Deus ipse erudit, ejusque manua sustentat! Quis fando assequi posset reproborum confusionem, pœnas, & rabiem? *Idem.*

In inferno se sentientur mala, quæ in hac vita simul esse non possunt.

Pleraque vitæ hujus mala simul esse non possunt; diversitas subjectorum, & effectuum oppositio illa necessariò pariuntur. Malum, quod calor gignit, non invenitur cum illo, quod frigus parit. Malum quod oculum, & caput afficit, manum simul & pectus non torquet. Malum hodiernum non est crastinum; neque accidere potest, ut quolibet momento, & in qualibet vestri parte, eos experiamini dolores, quos tempus, partes, quibus constatis, eorum propriæ qualitates, infirmitas vestra sese naturaliter invicem explodunt: irritati Numinis potentia hoc sibi in inferno patrandum miraculum reservavit. Neque iden affirmaverim dolores omnes, qui essentialiter sunt insociabiles, simul eodem tempore, eodemque in subjecto congregari; sed quandoquidem Scriptura, & Patres de inferni pœnis loquuntur, tamquam de suppliciis ineffabilibus, atque incomprehensibilibus, fatendum est, Deum ibi consuetas naturæ leges abrogare, ut suæ satisfaciat ultioni, ac verisimile est abrogare illas simul ea congerendo mala, quorum congeriem animo comprehendere nequaquam possumus. *Idem.*

Reprobi in inferno nihil aliud facient, quam pati.

Cæterum reprobis in omnem æternitatem nihil faciendum erit aliud, nihilque aliud facient, quam pati. In hac vita objectorum diversitas, affectuum, ipsarumque pœnarum varietas pœnis ipsis aliquod afferunt solatium: labor unus alterius laboris oblivionem inducit; & mœror unus alterum mœrorem imminuit. In inferno nihil illos ab ipsorum cruciatu distrahit, infinitum pœnarum numerum, infinitis modis patiuntur; ad id ibi detinentur, neque possunt, vel unico momento suum fatum eludere. Quæ suspiria! quos gemitus calamitosi illi emittent! *Idem.*

Damnatorum dolor quod culpa sua sese infelices effecerint.

Qui culpa sua infelix est, ne conatur quidem factum suum excusare; immo illud sibi acerrimè exprobrat; in seipsum iratus magis sua imprudentia, quàm calamitate torquetur; & si calamitas reparari non possit, longè magis intolerabilis est, quia ipse illius auctor est. Damnatus omni malorum genere obrutus, circumseptus, penetratus, ardet inter flammas, quarum vix umbra dicendus est ignis naturalis, dæmonum socius, atque crudelitatis eorum præda, cœlestium deliciarum idea repletus summo cum mœrore parum illud cogitabit, quod ex eo petebat Deus, ut salvus fieret, & parum illud, quod eum æternæ damnationis periculo Deo negavit; malum incomprehensibile, quod evitare in ipsius positum fuerat potestate; bonum ineffabile, quod ipse justa, æqua, facilique actione poterat adipisci; hæc cogitatio illum crudeliter dilaniabit. *Idem.*

Damnati dolor, quod unicè culpa sua interierit, & exprobrationes atque infidelium, Sanctorum eumdem increpantium.
Isaia 14.

Conjicite quàm grave malum futura sit desperatio, in quam reprobum hæc injiciet cogitatio, se videlicet interiisse, licet tot sibi salutis suæ procurandæ subsidia suppeterent. Ista cogitatio miserum illum tanto dolore conficiet, quantum animo concipere nefas est; atque ea ratio, qua se gessit, illum gravissimis, acerrimisque probris objiciet. Quid? inquient idololatræ, & Barbari Christiano huic, qui tot licet salutis operandæ subsidiis efflueret, tamen damnatus est; Quid? *Et tu vulneratus es, sicut & nos?* Tua lumina, tuæ gratiæ, tua Sacramenta, Concionatores, ac Sacerdotes tui prohibere non potuerant, ne cum nobis in hanc ignis abyssum protueres? Proh scelus! nos cœlesti gloria perfrueremur, si æque actu cognovissemus hujus mundi nihilum, ea, quæ vitam erant consecutura, & judicis nostri severitatem; geme, insipiens, plora, detestare diem nativitatis tuæ; indignus es misericordia. Beati quoque illius insultabunt infelicitati: *Lætabitur justus cum viderit vindictam.* Psal. 57. Huccine ergo contendebas, o homo voluptatibus, omnibusque libidinum generibus addite! Hæ sunt illæ deliciæ, quas sceleribus tuis, impietatibus, sanctarumque rerum contemptu tibi præparasti: Profectò meliùs, quam nos, mundi vias intellexisti; pacato animo creditorum tuorum querelas audiebas, neque te movebat mortalium omnium de tuis iniquitatibus sermo. Flamma, quæ te vorat, felix est effectus minatum, quibus infirmum opprimebas, & innocentem persequebaris. Tu doctus eras, & sapiens; nos rudes, & insipientes nos, qui indesinenter in postremæ diei expectatione trepidabamus. Fruatur modo unusquisque fructu operum suorum, tu in inferno, nos autem in Cœlo. *Idem.*

Reprobus numquam obliviscitur scelerū, propter quæ damnatus fuit.

Miser, qui seipsum perdidit, non contentus est vaga, & confusa recordatione actionum, quæ ipsius pepererunt interitum. Eas in mentem revocat crudeli cura, easque ex omni parte inspicit, quæ earumdem horrorem valeat augere. Doloris vehementia illius lenire posset desperationem, si posset tormentorum suorum causas oblivisci; ipsa supplicii magnitudo stuporem quemdam induceret, dummodo non advertatur animus ad ea, quæ dolo.

dolorem ad desperationem impellunt: sed extrema semper pati mala, & ea semper animo reputare, propter quæ hæc mala patimur; hic quidem, mea sententia cumulus est infelicitatis. *Idem*.

Vermis conscientiæ damnatos in inferno discerpens.

Quemadmodum ignis, qui damnatos urit, eumdem semper ardorem habebit, ita furiæ, quæ illorum conscientiam laniant eosdem semper habebunt aculeos. Terribiles tortores! Si detegere nobis liceret horrorem animæ lethalis peccati sordibus inquinatæ, illius turpitudo tantum terrorem incuteret, ajebat magnus quidam elapsi retro sæculi vir, ut perterriti occumberemus. Aliquando nobis exhibetur damnatus, tamquam horribilibus monstris circumdatus; videre videmur angues viperasque circum illius corpus complicatas, ejusque sinum vulnerantes; eum nobis fingimus medium inter horrentia spectra, furori suo mancipatum. Objectum hoc utique nostram imaginationem percellit: sed quodnam spectaculum simile esse potest animæ sceleribus suis onustæ, involutæ, obrutæ, sceleribus, quæ acerrimos infigent morsus, conscientiæ stimulis, qui tot veluti crudeles viperæ, aut exacerbati vultures cor illius indesinenter depascent. Hæc peccata, Sanctus Bernardus ait, jugiter desperatæ huic animæ clamabunt: *Tu nos egisti, opera tua sumus, non te deseremus*. Sese complicantia, ut ita dicam, alia super aliis in infelicissima hac anima eam pungent, rodent, at omnia simul laniabunt clamantia: *Tu nos egisti, opera tua sumus. Idem*.

De pœna damni, & privatione Dei.

Nostis, quo majora sunt jura, quibus suffulti hæreditatis alicujus possessionem appetimus, quo æquiores sunt tituli, quibus postulationes nostræ innituntur, eò acerbius esse ab eadem deturbari. Jura, quæ fideles per Baptismum regenerati habent ad gloriam Paradisi & possessionem Dei ferè numero carent; rationes omnes, quas cum Deo habemus in ordine naturæ, & gratiæ, totidem sunt certissimi, ac insignes juris nostri tituli. Hoc in loco non enumerandas aggrediar rationes varias; propter quas Deo adhærere debemus: illæ enim tot sunt, quot vitæ nostræ momenta; sed quid de naturæ ordine verba faciamus, quot insigniores, arctioresque nobis nexus adsunt in ordine gratiæ? Gratiæ omnes, quas Deus in nobis per Sacramenta infundit, omnes infusæ virtutes fidei, spei, charitatis, quas nobis ille inserit, nonne totidem sunt fœdera, quæ cum ipso contrahimus, & propter quæ illi semper adhærere deberemus, ab eo numquam sejungendi? Cogitate igitur quam crudelis, & amara futura sit hæc separatio, cum funesta damnationis sententia abscidetur Deus nexus omnes, quos olim cum reprobis habuerit. Hoc sanè neque mente concipi, neque verbis potest significari. *La Font, Sermone pro prima post Epiphaniam Dominica*.

Oratio ad Deum, ne ab eo unquam separemur.

Satis, superque intelligimus, Domine; quàm grave malum sit a te separari, ita ut non omnes industriæ nervos intendere pro virili parte velimus ad illud evitandum, eosque superandos affectus, qui nos in tantum dejicere possent interitum. Hoc unum enixiùs te flagitamus, ut hos sensus, quos injecisti nobis, in nobis confirmes:

Psal. 50.

Ne projicias me a facie tua. In hac vita quibuscumque, tibi placuerit, malis, calamitatibus, ærumnis in nos animadverte; at ne finas, ubi per pœnitentiam tecum in gratiam redierimus, ab eadem unquam recedere: *Me nusquam a te separari permittas*, neque in hac, neque in altera vita. *Idem*.

In Canone Missæ.

Deus in igne inferni omnia congregat tormenta.

Deus, ut de inimicis suis pœnas sumat, dolores omnes, & omnia, quæ fingi possunt tormenta, congregat in inferno. Non secus ac in Cœlo efficit, ut Sancti omnia inveniant bona, delicias, & oblectationes, quæ votis suis concupiscere possunt; ita efficit, ut peccatores in igne mala, & cruciatus omnes, qui ferri possunt, experiantur: *In uno igne*, Sanctus Hieronymus inquit, *omnia tormenta sentiunt*. Deus per suæ potentiæ miraculum facit, ut ignis omnibus simul eos doloribus torqueat, ut ignis, quo uruntur, glacie illos constringat, ut ignis, qui illos cruciat, illos etiam dilaniet; ut ignis, qui eos circumundique adlambit, singulos artus generali afficiat supplicio, & acerrimas gignat convulsiones; ut ignis, qui illos urendo conservat, tormenta sua perennaturus, simul acutissimorum morborum, sævissimorumque cruciatuum dolores in illis cieat: *Congregabo super eos mala, & sagittas meas complebo in eis*. Colligam quorumcumque tormentorum dolores omnes, omniaque mala, quæ simul esse non posse videntur, congregabo simul, ut illa in ultionis meæ victimas contorqueam. *Idem*.

Deut. 32.

Quam utilis in hac vita damnati fuisset Inferni cogitatio.

O infelices victimæ divinæ ultionis! si vobis in hanc lucem reverti liceret, quam non ageretis pœnitentiam, hanc pœnarum omnium æternitatem evitaturi? O infelix æternitas, quàm utilis fuisset recordatio tui ad te vitandam! miseri illi nequaquam severitatem tuam experirentur! Et homines si nunc illum haberent, qui decet, metum, numquam in adeo funestam calamitatem post mortem deciderent: si in vita hoc sæpe sibi meditandum proponerent, satis esset vehementissimis etiam tentationibus hanc objicere cogitationem, ut inde præclaram victoriam reportarent. Cum animi alacritate omnia perferrent mala, quantumvis acerba, sibi divinitus immissa, eaque reciperent in satisfactionem pœnarum, quæ ipsis luendæ sunt Divinam Justitiam reparaturis. *Idem*.

Inferni pœnæ solatio carent.

Nulla sunt in hac vita mala, quæ plurimis non sint permixta bonis, solatium aliquod afferentibus. At non ita in inferno; quacumque se vertat damnatus, nihil nisi doloris causas nanciscitur: omni prorsus voluptate, omnique caret solatio. Nihil illius lenit mala, immo quidquid auget illa. Gravissimum malum est cujuscumque boni privatio animæ, quæ sola boni perfruitione, vel spe vivit, & confirmatur: neque satis unquam cogitatur doloris magnitudo, quæ necessariò oritur ex perspicua cognitione, qua infelices animæ certo scient, nullum sibi in omnem æternitatem sperandum esse bonum, ac se nihil unquam visuras, quod non summum sibi cruciatum infligat. Præterquamquod hominis in hac vita spiritus non vacat assiduè objectis illis, quibus afflictatur; sæpe ab illis deflecti animum; & licèt illis semper inhærere vellet, tamen vitæ necessitates, & corporis infirmitas eum prohiberent: Sed omnes damnatorum dolores, ita erunt assidui, ut eorum anima semper inhærere, & quodammodo agglutinata esse debeat suorum tormentorum objecto, quin ne uno quidem momento ab eodem possit averti. *Essais de Morale, Tomo 4. Tractatu de Inferno*.

De damnatorum desperatione.

In hac vita ipsa etiam desperatio, & rabies nescio quam habent voluptatem in confuso mentis conceptu hominum oculos fallendi, vel etiam ex ipsa vita migrandi; sed reprobi, quantumvis infelicissimi, hoc etiam solatio carebunt: videbunt, se omnino impares esse nocendo illis, quos oderunt: intelligent, se mereri omnia mala, quæ patiuntur, & quæ sibi ipsi conflarunt: neque minori odio persequentur justitiam, qua damnabuntur: non sperabunt futurum ut vivere, & esse cessent. Agnoscent Judicem quidem suum inexorabilem esse, cor verò suum inflexibile; ideoque agnoscent etiam malorum suorum immutabilitatem; quin ista cogitatio illos constantiores efficiat, nihil enim videbunt, in quo mens sua quiescere valeat. *Ibidem*.

Damnati in æternum odio persequentur Deum, quin ex illius

Quisnam intelligere potest quid sit inimicum infinito odisse odio, interitum ejus optare, ac nihilominus seipsum in manibus ejus, illius potestati subjectum, ad pedes ipsius in æternum

ulteriel ma-ou elabi valeant.

prostratum conspicere, quin ullo modo eidem resistere liceat? In hoc statu reprobi in æternum erunt ratione Dei. In æternum ejus potentiam, atque justitiam execrabuntur, optabunt illum non esse; at nihilominus se in æternum in manibus ejus intuebuntur, quin ullum avitare possint supplicium, quod justitia illius ipsis infliget. *Ibidem.*

Omnis damnatorum vota intereibunt.

Omnium insatiorum voluptatum, dolorumque omnium fons est in voluntate, prout illius vota adimpleantur, vel in irritum cedunt. Quis ergo intelligere valet infelicitatem status illius, ubi nullum animæ votum explebitur, sed omnia interibunt? Voluntas tunc maximè mobilis erit, at nullum habebit motum, quo non torqueatur; nihil eorum, quæ optabit, assequetur; ea omnia patietur, quæ perhorrescet. Hæc est Sancti Bernardi argumentatio ad infelicitatis hujus magnitudinem ostendendam; *Quid tam pœnale, quam semper velle, quod numquam erit? . . . . . In æternum non obtinebit quod vult, & quod non vult, in æternum nihilominus sustinebit. Ibidem.*

Lib. 5. de Consideral

Cognitio, quam damnati habebunt de Deo, eorum odium augebit.

Quo magis damnati cognoscent supremum illud Ens amore dignum; eò sentient odium suum magis inflammari. Et ratio constat; eadem enim lumina, quæ illis detegent infinitas perfectiones ipsius, efficient etiam, ut intelligant infinitam jacturam, quam illud amittentes subierunt. Dominus non poterit illis ostendere, quam amabilis sit in semetipsis, quin illis ostendat, quam severus sit illos tanta boni perfruitione privans. Ita Dei cognitio, quæ in cordibus eorum accendet desiderium illius possidendi, simul excitabit quoque odium hisce par desideriis; cum fieri minimè possit, ut aliquis adeo perfectam agnoscat pulchritudinem, adeo ardenter illam concupiscat, ut eum simul amet, a quo sibi ejus possessio negatur. O infortunium! O calamitas. O divina pulchritudo! Quinam ergo est status iste ita infelix, qui nos redigere potest ad necessitatem te abominandi? *P. Colombiere. Tomo 3. Sermone 55.*

Inferni cogitatio nequissimum quemlibet convertere debet.

Nisi inferni cogitatio nos convertit, nisi intuitus horum cruciatuum, hujus æternitatis, hujusque æternæ pœnitentiæ nos movet, atque a peccato, inanibusque vitæ hujus cupiditatibus avellit, insani sumus; ac de nobis jam actum est. Hæ veritates effecerunt Martyres, deserta eremitis repleverunt, & hodie quoque Cœnobia sanctis hominibus replent; attamen tu non ideo velles solatii sui, vel minimam temporis jacturam subiisse, neque æris alieni, vel unum argenteum persolvere; hiccine stupor esset, an mentis constantia? Mea quidem sententia hæc insania est; nisi dicendum sit fidem prorsus deesse. *Idem.*

De pœnarum inferni æternitate.

Inde verò in damnatis tanta fit doloris accessio, quanta exprimi nequaquam licet, quod singulis eorum malis æternitatis pondus accedit. Hanc cogitatione prævertunt, atque in præsenti tempore simul connectunt, quidquid passuri sunt in æterna horum cruciatuum duratione; quæ res quodammodo singula hæc mala efficit infinita. *Essais de Morale. Tomo 4. Tractatu de Inferno.*

Hujus vitæ cum æternitate comparatio.

Quisnam erit animæ damnatæ dolor, cum in hac æternitatis abysso, postquam centena sæculorum millia passa fuerit, oculos conjiciet in exiguum hoc temporis spatium, quod non ita facile deprehendet in infinito sæculorum numero, quæ jam ab ejus interitu fuerunt elapsa. Vita, quantumvis cominus consideretur, momentum esse videtur: nobis etiam adhuc illa fruentibus, quidquid præterit momentum videtur; cum verò in ipso mortis exitu adstamus, quantumvis diuturna illa fuerit, vix nobis persuadere possumus inter nativitatis nostræ diem ac tempus illud, ad quod pervenimus, ullum intercessisse spatium: quæ, tum vitam hanc, quæ tamquam somnium effluxit, & cujus vix quædam vestigia adhuc in memoria nostra supersunt. Quid autem erit, cum post obitum nostrum jam annorum myriades effluxerint? cum jam nostrum genus interierit, cum tempus solo æquaverit domos a nobis extructas, urbes everterit, ubi in lucis usuram editi fuimus, regna subverterit, ubi viximus; cum finis sæculorum totum terrarum orbem propriis cineribus obruerit; cum Cœlorum, inferorumque portæ jam clausæ erunt numquam deinceps aperiendæ; cumque post illud tempus elapsæ fuerint centies centenæ sæculorum myriades, quid futurum putatis? Quid vobis hæc vita videbitur? Censebitisne tunc, vitam hanc mereri, ut hac perfruituri, atque voluptatibus, honoribusque illam concomitantibus gavisuri æternitatis jacturam faciatis? *P. de la Colombiere in Christianis Considerationibus.*

O Deus! Omni æternitate damnatus inquiet, si fructum capere voluissem ex eo tempore, quod mihi concessum erat, si fecissem, quæ facere poteram, & quæ modò facere nequeo! Eo momento, quod unicum fuit, cujus penes me esset arbitrium, & quod non ultra reversurum est: Eo momento, quod in ludis, voluptatibus, somnoque traduxi; eo momento, quo sortes meæ in meis manibus versabantur, fui dominus, & arbiter felicitatis meæ; in potestate mea erant claves Regni Cœlorum; triginta, vel quadraginta annorum spatio mihi relicta fuit optio eligendi in beata æternitate ornatissimum, clarissimumque locum, & ad hoc ne mentis quidem obtutus convertere dignatus sum! O Deus, eramne Christianus, rationalis eram, homo eram? Quis mihi mentem averterat? quis me ita fascinaverat? Eheu momentum, pretiosissimum momentum, non ultra ergo redibis? Ergone in æternum abiisti? *Idem.*

Damnatorum dolor, eo quod non usus fuerit tempore ad æternitatem promerendam.

Inferni flammas, ignesque nobis obtrudunt; horribiles quidem sunt, terribilesque: at mea quidem sententia parum sunt, si cum pœnitentia, elapsi temporis consideratione, & pravo ejusdem usu comparentur. Mens nostra omnem æternitatem impendet ad vivum nobis objiciens vanitatem objectorum, quæ nos a Deo dimoverunt, & facilitatem, qua salutem nostram assequi poteramus.,, Cur mortis horam præstolabar, ut ad hæc adverteram animum? ubi erant ingenium meum, ubi ego eram, qui scitus, ac prudens habebar, & qui aliis optima noveram suppeditare consilia? Hoc adeo mihi videtur horribile, ut si cætera inferni supplicia ab hoc sejungi possent, mea quidem sententia, ne momento quidem ancipites hærerent damnati, quominus statim cæterorum malorum congeriem concupiscerent, ut hoc uno liberarentur; at numquam alterum ab altero divelletur; in æternum patiemini, in æternum conficiemini desiderio temporis, & facilitatis, quæ vobis fuere, & quæ contempsistis, ne salutem vestram operaremini. *Idem.*

Ejusdem argumenti continuatio.

Quoties dixistis, æternitatis cogitationem perturbare posse mentem illius, qui seriò, atque attentè illi vacare voluerit? Quid autem, si jugiter noctu, & interdiu hæc animis nostris cogitatio obversaretur, simulque comprehenderetur pars aliarum pœnarum, seu spiritualium, seu sensibilium? Damnati non comprehendunt solum; Verùm etiam patiuntur has pœnas, ac in æternum illas ad examen revocare, atque immensam, & incomprehensibilem Dei æternitatem metiri cogentur. Deus in eorum mente crudelem hanc figet cogitationem, ita ut nullo modo illinc divellere liceat: Numquam, numquam, numquam tormenta hæc finem sunt habitura. Post hæc mirumne est, si furore corripiantur; si vellent posse Deum ipsum destruere, vel illum secum damnare? Abstinere possunt, quominus ululent, dentibus infrendant, in horribiles blasphemias erumpant, ac mutuo sese lanient, atque discerpant? Video, quomodo filii furentes irruant in parentes suos, qui fuere suæ damnationis origo; & quomodo parentes vicissim irruant in filios. Video quomodo seipsos annihilare coparentur. *Idem.*

Semper ante damnatorum oculos suppliciorum suorum æternitas obversabitur.

Quo-

Sensus S. Theresiæ de infelici damnatorum statu. Medit. 11. de Communione.

Quòmodo, Sancta Theresia inquit, exprimere possem, quantus sit dolor meus, cum mihimet exhibeo animæ statum, quæ cum in terris semper in pretio, & honore habita fuerit, omniumque in se amorem, cultum, atque reverentiam converterit, momento, quo ad plures abitura est, in æternum interibit, & palam intelliget, nullum infelicitatis suæ finem futurum; neque profuturum sibi amplius a fidei veritatibus mentem avertere, quod in hac vita consueverat; videbit se a suis voluptatibus, atque solatiis sejunctam, & quodammodo avulsam, tunc cum sibi videbitur vix illa gustasse; Re enim verà quidquid cum vita pertransit, flatus est, ac vapor: videbit se undique circumseptam sodalibus turpissimis, sævissimisque, cum quibus est in æternum passura, videbit se in graveolentem lacum, serpentibusque repletum immersam, qui omnem rabiem suam exercebunt in illam; at denique se ipsam inveniet in horrenti caliginis abysso demersam, ubi cum non aliud lumen affulgeat præter tenebricosissimum ignem, non aliud videre poterit, nisi quod suos cruciatus, atque tormenta in æternum alere poterit .... O vita æternum infelix! O juge, ac sine ulla intermissione supplicium! fierine potest, ut te illi non metuant, qui ita minima corporis extimescunt incommoda, ut ne minimum quemlibet dolorem pati valeant! *Ex Operibus Sanctæ Theresiæ.*

Vis, & diuturnitas doloris simul in vita hac non inveniuntur.

Violentus dolor, qui brevi pertransit, ingens non est, & facile illum non iniquo animo patimur; cum e contra levissimus dolor, si jugis sit, vel nimis diuturnus, non ferendus videatur. Itaque mali diuturnitas illius naturam, & nomen immutat. Sed ubi duplex hæc qualitas simul in eodem supplicio inveniuntur; quod hinc quidem maxime vehemens est, & acerrimum, inde vero diuturnum, hic sanè est cruciatuum cumulus. Terribilis ista societas in mundi malis non invenitur, atque tyranni, qui ad innocuos torquendos maxima viguerunt industria, hæc simul consociare non potuerunt. Si tormenta diu sæviebant, erant levia; si violenta erant, non diu permanebant: destruebant corpus, eique mortem inferebant. In solis inferorum cruciatibus duplex hæc qualitas geminatur; atque summa vehementia cum æterna duratione consociatur. *Biroat, Sermone pro feria quinta post secundam Quadragesimæ Dominicam.*

Damnati in æternû optabunt videre Deum, & in æternum Dei adspectu carebunt.

Voluntas damnati, qui noscet, supremum bonum summo dignum amore, qui vehementibus studiis ad illius possessionem rapietur, illud execrabitur, odio persequetur, tamquam suppliciorum suorum auctorem cogitabit; & in miserrimo hoc statu sciens, Deum sibi infensissimum, ac magis terribilem esse inimicum, illum oderit, sed odio irreconciliabili, quod & ipsum in ejusdem supplicium convertetur. Nam quantumvis illum oderit, atque aversetur, invitus illum amare cogetur, in illum tota votorum suorum latitudine, totoque studiorum suorum pondere ferri; verùm ignes, infernæque flammæ illum statim ardentibus vinctum catenis detinebunt: Eheu! Si damnati unico tantùm momento frui possunt Deo, ejusque flectere justitiam valerent, ut per hanc sibi liceret, aliquando tandem ex illis carceribus egredi, aliquod sanè solatium haberent, sed heu! hunc semper quærunt, & cupiunt, at hic illos semper odit; illi jugiter in ipsum feruntur, at semper propulsantur. Tristis damnatorum necessitas, numquam posse cogitationem suam ab ea re avertere, quam numquam poterunt possidere. *Idem. Sermone pro feria sexta post alteram Quadragesimæ Dominicam.*

In inferno nulla erit amplius misericordia, neque conversio.

Tunc Deus, & anima agendi rationem immutabunt. Deus, donec peccator vivit, Deus est suavis, mitis, misericors; at post peccatoris mortem Deus est ultor, severus, inexorabilis, inflexibilis. Peccatoris anima, dum vivit adhuc, ad Deum se convertere potest, verumque scelerum suorum dolorem concipere; sed a peccatoris corpore avulsa, converti nequit, necessariò, & immutabiliter suis peccatis adhærens. O Deus, quam profundæ sunt cogitationes tuæ; tu verò quam *terribilis in consiliis tuis super filios hominum. Ex morali Dictionario. Sermone 2. de Inferno.*

Inferni descriptio.

Quid dico, cum infernum dico? Dico stagnum ignis, & sulphuris; dico terram maledictionis, ubi nonnisi clamores, & rugitus audiuntur; ubi nonnisi fœtor, atque graveolens putet odor; ubi nonnisi monstra, & suppliciorum congeries videntur; denique id dico, quod metuo; dico quod me terret, & turbat; dico, quod neque dicere, neque mente concipere valeo; & quod nihilominus paucissimi fideles recogitant. *Idem.*

Damnati suam agnoscent insaniam, quod salutem, quam facile operari poterant neglexerunt.

Tunc summo cum mœrore Christiani videbunt, quid tempus inter, & æternitatem discriminis intercedat, inter supremum bonum, & bona fallacia, caduca, & peritura: videbunt quomodo jure illis prædicabatur: *Momentaneum, quod delectat, æternum, quod cruciat.* Videbunt quomodo facile saluti suæ consulere poterant; videbunt Deum ex animo sincerum iniisse consilium regnum æternum ipsis tribuendi, se in eadem Ecclesia, in qua Sancti, vixisse; se eorumdem Sacramentorum fuisse participes, immo validiores etiam gratias, ac vehementiores recepisse motus, quam decies centena prædestinatorum millia; Deum sexcentis in occasionibus eorum salutem in manibus ipsorum constituisse, atque ipsis toto cœlo magis cordi fuisse voluptatem, quam æternam felicitatem ... Palam cognoscet per baptismi sui regenerationem se factum fuisse adoptivum Dei Filium, ideoque æquissima adeptum fuisse jura ad Cœli possessionem; inter densissimas tenebras, quibus circumundique involutus erit, videbit Crucem, & Hostias; vocem audiet clamantem: *Quoties volui, & noluisti?* Quoties vocavi te; tu verò gratias meas repulisti? *Pater Texier, Sermone ultimo de Adventu.*

Ratio evitandi infernum est illud sæpe recogitare. Psal. 54. 1

Tutior via, ne post mortem in infernum labamur, est sæpe illuc seriis cogitationibus secundum Davidis consilium, in hac vita descendere: *Descendant in infernum viventes.* Sed ut hæc infelicis æternitatis consideratio ad nostram conversionem efficax esset, opus esset, ut Deus nobis revelaret, quod Sanctis quibusdam concessit, horribiles damnatorum cruciatus, vel ut perfunctoria earum pœnarum experientia nobis illarum magnitudinem palam significaret ad hoc, ut caro nostra secundum Prophetæ verba judiciorum Dei timore configeretur: *Confige timore tuo carnes meas.* Etenim quæcumque, licet teterrimæ, descriptiones inferni a Concionatoribus concinnatæ nos leviter movent, nisi Dei Spiritus infirmis Christianæ eloquentiæ coloribus addat vividas, atque validas imagines dolorum, quibus reprobatorum animæ in inferno torquentur. Seipsos respiciunt tamquam a Deo separatos inter flammas; hæc eorum æterna est occupatio: Deus in æternum amissus; hæc pœna damni est; ignis devorans, qui illus comburit; hæc est pœna sensus. Unum ex his suppliciis terribile tormentum posset inferre; conjice quid erunt simul consociata. *Essais de Sermons pour la Dominicale. Tomo secundo, septima post Pentecosten Dominica.* *Psal. 118.*

Magnitudo pœnæ sensus, quam damnati in inferno patiuntur.

Quid dicam de pœna sensus? Vestramne excitabo mentem? Vobis exhibebo flammarum pelagus, in quod tot impii præcipites ruunt? obscurissimum carcerem, ubi divinæ justitiæ debitores detinebuntur, quin valeant unquam æs alienum dissolvere, ideoque quin inde unquam emergere valeant? Cloacam in terræ visceribus defossam ad totius orbis sordes eluviesque recipiendas, & in quam ex omnibus terrarum plagis scelerum omnium influent purgamenta?

menta? horribilem corporum ardentium, quorum alia aliis erunt agglomerata, congeriem, cum teterrima clamorum, blasphemiarum, maledictorum, rugituumque confusione? Creata omnia contra insipientes illos decertabunt, qui Deo creaturas prætulerunt, *Pugnabit pro eo universus orbis adversus insensatos*. Præsertim verò Deus ad illos torquendos elementorum omnium efficacissimo, ac vehementissimo utetur, divinæ iræ flatu succenso. *Halitus ejus prunas ardere facit*. Hic profectò materialis erit ignis, sed qui supernaturaliter aget in animas, & corpora, atque uret quin illuminet, purificet, absumat. *Ibidem*.

Jobi 41.

Desiderium videndi quid in inferno fiat, ut æquus timor concipiatur. Job. 38.

Libenter a Deo gratiam expeterem videndi aperta inferorum ostia, ac sciendi quid in tenebricosissimis illis carceribus fiat, quemadmodum loquebatur Dominus cum Job: *Numquid apertæ tibi sunt portæ mortis, & ostia tenebrosa vidisti?* Utinam terræ sinus nunc ob oculos nostros dehiscerent! Utinam per hæc sepulcra, quæ hic tot continent mortuos, detegere possemus victimas illas incensas, quorum miserrimis quidem, sed inanibus clamoribus, & ululatibus teterrimi carceres reboant; tunc non alio indigentes testimonio, quàm oculorum vestrorum cam intelligeretis veritatem, quæ nimis infirma vox mea satis vobis probare non potest; tunc solus ignis devorantis fumus majorem haberet ad persuadendum vim, quàm validissima quælibet eloquentia, & illi, qui verbis meis non moventur, certissimè hoc intuitu converterentur. *Ibidem. Tomo 4. pro tertia post Epiphaniam Dominica.*

Viventes infernum cogitent, ne post mortem in infernum descendant.

Nunc eadem pro nobis vota nuncupemus, quæ olim pro mortalibus omnibus David: *descendant in infernum viventes*. Utinam sæpe in infernum mente descenderemus; hæc enim ratio esset illuc reipsa minime descendendi. Si illuc post mortem descendimus, jam de nobis in nullam reditus spem actum est; sed si viventes adhuc descendimus, nihil utilius, nihil ad salutem nostram efficacius potest accidere. Descendamus ergo in infernum hodie; ne unquam illuc descendere cogamur; inspiciamus, quid ibi agatur, quin ea sentiamus supplicia, atque mœstissimæ ejus lucis favore, quæ ex tenebricosissimis flammis refulget, infelicissimam relinquamus viam, quæ illuc adducit. *Ibidem*.

Questus, & preces mali divitis in inferno.

Audite (Fideles) miserum hunc damnatum, qui cogat Abraham, ut Lazarum mittat in terras, qui fratres edoceat suos, ut convertantur, ne & ipsi in devorantes flammas labantur. Heus quæso, clamat ille, dic fratribus meis verissimum esse, quod est infernus: *Crucior in hac flamma*. Crucior, & in æternum cruciabor. Dic illis, mundum deceptorem esse, a quo proditus sum, opes meus mihi interitus mei causas fuisse; voluptates meas in hos æternos ignes me dedisse præcipitem. O divites voluptuosi damnatum hunc audite. *Ne veniant in hunc locum tormentorum*. Dic illis, ut quibuscumque laboribus, sumptibusque has flammas evitent. Vah! Si illud tempus haberem, quo illi abutuntur, quæ supplicia minime ferrem? quot laboribus exercerer? quam agerem pœnitentiam ut cœlum lucrarer?... Si crucifixum manu præferens ad inferni ostia clamatorus accederem: Sævissimi dæmones, miseri damnati; tandem aliquando vobis parcit Deus vester, si pœnitentiam egeritis, ejusque misericordiam petieritis. O Fideles! infernum in paradisum converterem; lætitiam in ea tristitiæ, horrorisque loca inferrem, & omnes illæ deplorabiles victimæ cum hilaritate suos ignes, flammasque offerrent Deo, illius justitiæ satisfacturæ. Heu! Damnatos converterem, Christianos verò minimè converto. Illis Dei nomine peccatorum veniam polliceor, illis recipio, me ipsos educturum ex inferno, in quem se præcipites dedere, & nemo unus ne commotum quidem se ostendit. *Ibidem*.

Christiani inferni pœnis non afficiuntur,

O ultrix Dei mei dextera, quam gravis es, & vulnera tua, quàm terribilia! Anima Christiana, quomodo veritates has credere potes, quin illas timeas? Anceps inter cœlum hæres, & inferos; ignes illi pro te succensi sunt, nisi te Paradiso dignum præbueris: ignis æterni carcer te expectat, si tua libertate abuti perrexeris. Hæ pœnæ, ut devorantis ignis cruciatus esse debent hæreditas tua, si illicitas voluptates adhuc fueris consectata.... fateor equidem mihi satis verborum non esse, quibus illum significem stuporem, quem mihi injicit fidelium insania, qui in mortalis peccati statu versantur, nec satis animum advertunt periculo suæ damnationis. Qui mari navigant, duobus digitis a morte distant; mortem inter & vitam, nonnisi tabulæ interest crassities. Peccatores isti sub pedibus habent mare ignis, & ab eo fragili tantum vita, ac sexcentis obnoxia periculis separatur. Ut in hanc flammarum voraginem cadant, tantum sequitur temporis, quantum mortis eisdem inferendæ satis est. Fierine potest, ut in hujus voraginis ora, ac duobus tantùm digitis ab æterna damnatione sejunctus pacatam, quietamque vitam traducat? *P. Texier Sermone pro feria sexta post secundam Quadragesimæ Dominic.*

In hac vita ignoramus quid sit æternâ carere Deo,

Impius est reprobus, ignorans Deum, at ad eum numquam advertens animum, in hac vita non assequitur, quid sibi velit ab eo in æternum abesse. Hunc in inferno cognoscet; ad hanc cogitationem convertet: in æternum a Deo separatus sum, Deus me in æternum odit, & dereliquit. Flammæ nequaquam inferunt tormentum par illi, quod crudelis hæc cogitatio parit in anima: A Deo separatus sum, & nihilominus pro Deo factus sum; ex eo animi studio, quo in ipsum feror, video, nullam me nisi in ipso lætitiam, nullamque requiem invenire posse: attamen ab eo separatus sum. Jam actum est; numquam videbo illum in terra viventium, ubi suorum felicitatem constituit: *Dixi, non videbo Dominum in terra viventium*. Saltem in hoc statu funesto eadem esset illi cura, & providentia pro me, quam in terris habet pro hominibus nequam, & quam pro ipso etiam Cain habuit? Sed ex quo palam edixit me non esse amplius populum suum, ipsumque nolle amplius esse Deum meum, me penitus dereliquit; & ego *oblivioni datus sum tamquam mortuus a corde. P. Aurelianensis, Sermone de alterius vitæ suppliciis.*

Isaiæ 38.

Psal. 30.

Ejusdem argumenti. Quem dolorem afferat pœna damni.

Hinc quidem damnati magno sese impetu rapi sentiunt, ut in Deum, tamquam supremum bonum ferantur; inde verò peccatis eorum invictum objicientibus vallum Deum inter, & ipsos, sese magna vi inde sentiunt repelli. Infinitis Dei perfectionibus illecti, conspiciunt supremum hoc omnium creaturarum bonum; sed ejecti a supremo hoc bono, quod numquam futurum est bonum ipsorum, in violenta hac suspensione patiuntur ultra quàm possit cogitari. Bonitas ejus illos offendit, quia malorum eorumdem non miseretur; ejus potentia illos perterret, eos enim sub ultionum suarum pondere opprimit; justitia, atque æternitas illius ipsos ad desperationem adducunt; etenim nisi ille Deus esse desierit, ipsi numquam miseri esse cessabunt: felicitas ejus efficit, ut perenni tabie æstuent; etenim hac quamplurimos efficiente beatos, ipsi se mortalium omnium infelicissimos esse cognoscunt. *Ex morali Dictionario*.

Descriptio Reprobi inter flammas inferni.

Fingite vobis, Auditores, horridum carcerem in terræ centro situm, quem sulphuris, ignisque stagnum Scriptura vocat; sed stagnum ignis, in cujus comparationem noster ignis, ut Patres docent, umbra tantùm, & nihilum est; ignis adeo subtilis, ac permeantis, ut sine materia, atque nutrimentis subsistat. Huc reprobi omnes conjicientur; in teterrimum hunc carcerem, Davidis consilium secuti, animo descendamus. Videtisne, quomodo infelices eæ victimæ, undequaque flammis sunt involutæ? Videtis, quomodo hic ignis ipsa usque viscera permeet, quomodo venas, arterias, nervos,

nervos, & medullas etiam pervadat? Videtis sanguinem in venas diffluere magis ferventem, quàm fusum plumbum, propius imitantem torrentes metalli candentis ex fornacibus effluentes, quam humorem, quo vasa illa repleri consueverunt? Verùm admiramini naturam ignis hujus urentis, atque corpora permeantis, quin illa consumat; admiramini vim, & subtilitatem hujus ignis, per se immediatè animas ipsas urentis, & excrucianis: sed præsertim admiramini sapientiam ignis hujus perquirentis, & distinguentis corporis membra, eaque variè torquentis prout magis, minusve nocentia fuere. Quàm charo pretio superbis, atque impudicis oculis stant obtutus illi contemptores, impuri, indignabundi! Quàm charo stant pretio effræni linguæ singula obtrectationis, irrisionis, impatientiæ, blasphemiæ verba! Quàm severè ultricibus punietur flammis omnis hæc corporis mollities, bibendi, & comedendi voluptas; hæc indumentorum vanitas; ille superbus, & mollis incessus! O Domine, quàm suavia sunt miracula tua, cum bonitas tua operatur illa: sed quam terribilia sunt, cum sese illis tua immiscet justitia! Quid bonitas tua possit, in Babylonica fornace palam innotuit; sed hic quinam justitiæ tuæ videntur effectus! Corpora, quæ semper uruntur, quin absumantur; animæ, quæ semper patiuntur, quin unquam doloribus assuescant; ignes semper torquendo, & miseri semper ferendo pares. Quæ prodigia! sed quæ justitæ, atque severitatis prodigia! *Sermo manuscriptus*.

De infelici æternitate.

Nescio equidem, Auditores, quæ sit vestra cogitatio; ego sanè fateor, me hac obrui æternitate: in æternum ultoria Dei flagellis torqueri: in æternum creatarum rerum omnium odia subire: in æternum sævi instar carnificis seipsum exquisitissimis cruciatibus laniare: hæc me de mentis usu dejiciunt. Carcer obscurus, horribilis fœtor, ignis, ardentesque camini, quamquam hæc aliquot tantum annos essent duratura, quam gravia nihilominus essent supplicia! Sed carcer æternus, nox æterna, sitis, & fames rabida, & æterna, lacrymæ, questus, suspiria, singultus, gemitus, fremitus dentium, æterni ignes, & fornaces æternæ, rabies, & desperatio æterna? Heu! magnitudo, gravitas, multitudo suppliciorum inferni mihi horrorem cient, ac terrorem incutiunt; sed eorum æternitas meas cogitationes confundit, sanguinem gelu adstringit, ipsamque vocem fere intercludit. *Idem*.

Quomodo sola cogitatio æternitatis damnatum excruciet.

Aliquid adhuc terribilius video quàm quidquid hactenus dictum est; videlicet videre, & cognoscere, quod in omnem æternitatem hi cruciatus sunt perferendi, & semper menti præsentes futuri sunt; ita enim reprobus infelix singulis momentis totam simul patitur æternitatem. Colligit, ut ita dicam, omnia æternitatis tormenta; illa considerat, illis suam adnectit cogitationem, quin inde illam ne momento quidem valeat avellere; ut totius æternitatis pondus illum singulis obruat momentis. Scit postquam centum annos pertulerit, iterum alios centum sibi perferendum esse, mox alios item centum; quid dico? & deinde alia decies centena annorum millia? Quid iterum dico? Videt postquam plurea annorum myriades abscessæ, quàm in cœlo sint sydera, in littore arenæ, atomi in aere, inferni ignem æquè ardentem futurum, iram, cujus habitu incenditur, æquè inexorabilem, corpus, & animam, quæ hoc igne torquentur æque dolori ferendo idonea futura, ac se adhuc integra. Damnatus hæc omnia videt, atque suppliciorum æternitate confunditur. Dubitatis adhuc, num post hæc furor illum agat; desperatio, affectusque omnes vehementius, quam omnes simul furiæ, illum exagitent? *Idem*.

Quomodo credi potest infernus, & committi lethale peccatum, quod nos illuc præcipites dare potest.

Quid! infernus est, & inveniuntur peccatores! Credunt Christiani infernum esse; & infernus hic repletus est Christianis. Unica lethalis noxa nos in infernum præcipites dare potest, atque medii in peccandi occasionibus versamur? Peccamus ridentes, atque lætantes; & peccatum nugas putamus. Fateor equidem hoc me intelligere nequaquam posse; quod simul credatur ob unum lethale scelus nos ruere posse in æternam infelicitatem, qualem vobis describere adnisus sum, & millies adhuc magis terribilem, atque nihilominus mortale crimen nullo in discrimine habeatur, atque facilè passim committatur. Quid? Creditis, obtrectationem, calumniam, obscœnum facinus, impudicum desiderium, ultionem, fœnus efficere posse, ut in æternum miserrimi sitis, & quotidie in occasione versamini in hæc peccata ruendi? Vos has nugas putatis, urbanitates, jocos. Vos temere, jocantes, & quin ne sentiatis quidem ista committitis? Qui hæc agunt, fierine potest, quominus vel infidelitatis nomine, vel insaniæ arguantur? Infidelitatis est hæc Religionis principia non credere, at stultitiæ agere perinde ac minimè crederentur. *Idem*.

Confusio, & dolor quod inferni pœnas aliquis ultro subierit.

Quis dolor potuisse adeo terribilem evitare calamitatem, & neque illam prævertere, neque evitare voluisse! Ultro infiniti boni jacturam fecisse, ut in miseriarum abyssum decideres! adeo terribile supplicium meritum fuisse, ut tuam cupiditatem expleres, ut honorem consectareris, nihil fumo ipso solidiorem; ut bonum acquireres, quod intra aliquot momenta evanesceret; pro fluxa fragilique re quapiam, pro nihilo! Ignarissimum quidem esse oportuit, ut te æternæ objiceres contumeliæ; imprudentissimum, ut te in ardentem conjiceres fornacem nequissimæ improborum catervæ paratam. Quàm turpe est animæ rationali, fideli, destinatæ ut regnet in cœlo, in terræ centrum cecidisse ibi in æternum sævissimis torquendam cruciatibus, quin aliquis illam consolari, illi solatium afferre, immo neque tantam ingemiscere calamitatem, neque ullum doloris sensum testari dignetur? *Liber, cui titulus: Remarques sur divers sujets de Religion, & de Morale*.

Damnatorum societas gravissimum illis erit tormentum.

Optandum esset, ut impii animo concipere possent tormentum illud, quod ex sibi similium societate patientur in horrenti eo loco, ubi aliquando omnes divina justitia congregabit; ibi horribile quidem fiet bellum. Homines fide, lege, honore, humanitate carentes, qui sese mutuis persequentur odiis, qui in id unum erunt attenti, ut alii alios torqueant, ut alii alios lanient, atque discerpant, oculis semper ira micantibus, manibus semper furoris sui instrumenta versantibus; vehementissimæ rabiei convulsionibus semper agitatis facie semper gerentes minacia, ac terribilia perditissimæ desperationis indicia. Innumerabilis hominum hujus farinæ acervus quomodonam efficiet, ut suis clamoribus, gemitibus, ululatibus abyssi omnes resultent? Eorum aliquis doleat vicem suam; jam omnia in illum convertuntur ora gravissimis illum probris onerantia: in doloris sensus erumpat, contumeliæ, ac injuriæ unicum illius erunt solatium: sociis eorum exprobret calamitatem, omnes undequaque in illum insilient. Proh Deus! quorum improbum illorum evadet ingenium, cupiditas, sævitia, cum alii aliorum carnifices fient. Miseri cum miseris, ultores cum ultoribus; urbanitas nulla, nulla ratio, nullus metus frænum injiciet mutuis odiis, quibus sese ultro citroque persequentur. *Idem*.

Deus damnatum in inferno derelinquit. *Osee* 2.

Quam gravis, fulmineusque ictus animæ reprobæ erunt funesta irati Dei verba illa: *Non populus meus, nec ego vester*. Quasi diceret Deus: Noluisti me cognoscere; oculos clausisti, cum me tibi objicerem, cum sibi ultro occurrerem; me non amplius videbis: noluisti vocem meam audire, cum te vocabam; nunc te opem meam implorantem non audiam: noluisti me quærere, & me numquam invenies; noluisti meus esse, & ego non ero tuus: *Non populus meus, nec ego vester*. Quam terribile est istud! non posse unquam cognoscere Deum, non posse in eo sperare, non posse illum

diligere

diligere, non posse illum Patrem, Regem, Salvatorem tuum appellare; exui jure omni, quod tibi adeptus fuerat JESUS CHRISTUS in ipsum Deum, tamquam in postremum finem, æternamque tuam felicitatem; videre Deum omnes abjicientem qualitates Patris, Amici, Salvatoris erga calamitosissimam animam. Deus non est ultra meus; ego non sum amplius Dei; Deus totius mundi meus ultra non est. Heu! quid ergo es Domine huic infelici? Hostis illius sum, & criminum ejus vindex. O terribilem mutationem! Nonne, Domine, satis grave supplicium est, si illam non diligas amplius? oportetne adhæc, ut eam persequaris? Nonne satis est, illam non invenire ultra suavissimas invitationes tuas, dulcissima verba? oportetne, ut etiam maledictionibus obruatur? nonne satis est, illam in manibus suis non reperire amplius favores, & gratias, quibus illam persequebaris; oportetne, ut pro illis tela, & fulmina nanciscatur? Nonne satis est, illam non videre amplius in corde tuo amorem illum, qui toto cœlo matrum dilectionem superabat; oportetne, ut præterea te odio succensum, itaque in se inflammatum conspiciat? *Sermo manuscriptus*.

Quam misere torquent reproborum studium illud quo fertur in Deum, & odium, quo illum persequitur.

Finge tibi si lubet, torrentem, qui magno impetu fertur, valla, aggeresque infringentem, & quidquid pernicissimis fluctibus suis adversatur, involventem, secumque trahentem; finge tibi furentem ventum, nemora convellentem, nubes prosternentem, & obvium quodlibet promiscuè rapientem, & conterentem: finge tibi conatus, quassationes, & subversiones, quas parit ignis cuniculis subtus terram inclusus, ut carcerem suum infringat, atque libertatem suam consequatur; nihil animo concipies, quod exæquet eam vastationem, quam in reprobi corde gignunt duo isti affectus studii, simul, & odii, amare, atque indesinenter odisse idem objectum; ardenter amare sine spe possidendi, quod amatur; ultra modum odisse sine spe evitandi conspectum illius, qui odii est objectum. Quodnam supplicium nihil eorum obtinere, quæ ardentissimè desiderantur, & semper ea pati quæcumque maximè perhorrescimus! *Idem*.

Dolor reproborum in Inferno ob cœlum amissum.

Suavissima Beatorum sedes! tu mea sedes esse poteras, & ego te amisi. Beata prædestinatorum sors! in me positum erat eadem frui, & illam perdidi. Inexhaustus omnis felicitatis fons, cumulus beatitudinis; Deus essentialiter bonus, & infinitè amabilis, te possidere potui: nihil a te reliquum factum fuit, quominus prohiberes interitum meum, o Deus! Quid intentatum a te relictum est, ut me salvares! Mihi non placuit servire tibi, teque diligere, dum vita fruerer; nunc verò in nullam tedius spem te in omnem æternitatem amisi. Omnia mea culpa interiere, nihilque mihi restat præter ploratus, pœnitentiam, desperationem. Dei duratio justa mensura est infelicissimi fati mei. Illi, quos reliqui, & qui adhuc in terra vivunt, possunt adhuc beatam sibi acquirere vitam; at de me jam actum est; incœpta jam est æternitas mea, & infelix ero in æternum. Valete consanguinei, amici, & omnes, quibus olim in delitiis eram, & qui me diligebant; nullum mihi superest subsidium, consolatio, spes, misericordia, tempus. Infernus æterna est habitatio mea: ignes, quos manus Omnipotentis accendit; sunt elementum meum; omnia simul tormenta hæreditas mea; Deus mihi irreconciliabilis est inimicus, & infelicissima æternitas sors mea. *Sermo manuscriptus*.

Quid fecerunt Sancti, & quid nobis faciendum ut evitemus infernum.

Quisnam mirabitur Sanctos tanta præstitisse infernum evitaturi? Nihil ad id nimis unquam fieri potest. Satis enim unquam fieri potest ad æternam calamitatem evitandam? Sancti multa quidem fecere, sed qui Christianus est, qui sapiens, efficere potest pauciora? Heu! Ad vitam servandam omnia projiciuntur in mare; cumque de æterna salute agatur, erit deliberandum? Æterna felicitas acquirenda est, atque suppliciorum, dolorumque æternitas evitanda, & morum reformatio; aliquot annorum mortificatum vivendi genus nimis magnum putabitur sacrificium? Quod Sancti fecerunt mirum non est, nisi modicæ fidei, nostræque infirmitati? Sancti id fecerunt, quod cordato viro faciendum est, ac nemo inter nos est, qui ad desperationem adductus non sit eo quod tantumdem nequaquam præstiterit. *Idem*.

Peccatores infernum non metuentes fidem amisisse dicendi sunt.

Flagitiosum, ac prorsus brutale vivendi genus, cui peccatorum plerique consueverunt, nonne satis ostendit, nullum ipsis superesse fidei, rationisque lumen, ac nullum Christiani hominis sensum? Quomodo enim fieri potest, ut tibi persuasum sit, adesse, ut Scriptura inquit, *ignem æternum* pro impiis, adesse *carceres ardentes*, *fornaces ignitas*, *inconsi sulphuris stagna*, *ferventis picis torrentes*, *flammarum abyssos*, *intolerabiles catenas*, *tenebras æternas*, *tormenta*, *cruciatus*, *atque supplicia a Deo irato præparata*, & post timore non concuti? Credine potest, hæc prodiisse ex ore illius, quem Propheta *Judicem justitia & fortitudine armatum*, *atque Deum ultionum* appellat, atque nos nequaquam expavescere? Denique concipi potest, nos hæc certò scire, & in peccatis persistere? A fide profectò abhorret, peccatores terribiles has credere veritates. Dæmon, ut Scriptura loquitur, *tenebras effundit super os*, *& superficiem abyssi*, ne calamitosi videant horribiles suppliciorum apparatus, quæ Divina justitia in pœnam scelerum ipsorum destinavit. *Liber*, *cui titulus*: *Colloquia Abbatis Joannis*, *& Eusebii Presbyteri*.

Utilissimè est cogitare de inferno.

Intermittamus aliquando commercium, quod cum Cœlorum habitatoribus fovere debemus, & viventes adhuc descendamus in infernum, ut ibi terterrimos, ac tenebricosissimos carceres consideremus, in quibus Divina justitia vinctos tenet improbissimum quemque; ut ibi videamus funesta illa theatra, ubi eos ignibus, omnique cruciatuum genere torquet. Horror ille, quem in tristi illa regione umbræ mortis intuiti fuerimus, numquam omnino ex memoria nostra deleatur; minæ Dei fortitudine, ac justitia armati efficiant, ut quolibet momento totis artubus contremiscamus. Mox verò cum Propheta dicamus: Audivi hæc murmurantia tonitrua, & præ timore conturbata sunt viscera mea: accidit auribus meis vox hæc minax, & præ terroris magnitudine, quo repletus sum, vox hæsit faucibus meis. *Idem*. *Habac* 3.

Memoria patratorū scelerum damnatos indesinenter cruciabit.

Cogitatio peccatorum, quæ indesinenter sese offerent auctori suo, crudelissimum erit supplicium; hæc illi ingratitudinem, perfidiam, insolentiam, insaniamque exprobrabunt: *Tu nos egisti*, *opera tua sumus*, ita illa loquentia Sanctus Bernardus inducit. Tu nos fecisti; at nos ulciscemur Deum, quem nos faciens læsisti: *Opera tua sumus*. Agnosce improbas obtrectationes, quas, nullo iracundiæ impetu, evomuisti; crudeles ultiones, quas tanta cum voluptate gustasti, infames injustitias, quas tanta circumspectione meditatus fuisti; fœdissimas impudicitias, quas tamquam morum festivitatem jactabas &c. *Idem*. *Bernard. l. de anima c.* 2.

Conscientia reproborum exprobrabit, eo quod sua culpa interierit.

Jugiter conscientia reprobum ita exprobrabit: in te situm erat, hæc, quæ pateris, mala evitare, namque pro voluptatis momento es in æternum infelix. Vero ob læsum Deum dolore, esse poteras ex numero prædestinatorum: ridicula vanitas te in calamitatum abyssum præcipitem dedit; atque ita vermis conscientiæ æternos efficiet morsus aculeatos, atque in æterna præteritorum scelerum recordatione æternum pabulum nanciscetur. Eheu me infelicem! indesinenter anima damnata clamabit; poteram, si voluissem, nunc Cœlesti beatitudine perfrui, atque ex torrente lætitiæ, qua Beati lætantur, inebriari: non deerant mihi gratiæ; creata eram, ut Deo ipso fruerer, & nolui; nunc verò cum Deum meum amiserim, illum in æternum amisi. Unicum illud objectum, quod beatitudinem meam poterat constituere, perdidi; id verò mihi longè maximum dolorem adfert,

quod

quod illum mea perdidi culpa: poteram Cœlum emere eorum bonorum parte, quæ ad id mihi largè, effusàque Deus ipse contulerat; redimere poteram peccata eleemosynis; talenta, quæ mihi benignus concesserat Deus, ad majorem illius gloriam, ac ad salutem meam operandam impendere poteram; quid immo facere non poteram, ut Cœlum mererer, & certam facerem cœlestis beatitudinis æternitatem? at hæc neque feci, neque facere volui. *Ex libro Anonymo.*

Damnati nullum habere solatium possunt.

Damnati, qui in æternis inferorum carceribus detinentur, nullum invenire possunt solatium; etenim si oculos in præteritum tempus conjiciunt, sævissimis urgentur stimulis eo quod illud in nullam reditus spem amiserunt: si præsentem suum statum considerant, nonnisi ignem, flammasque intuentur, quibus comburuntur; si futurum contemplentur, totius æternitatis prospectus illis terrorem, horroremque incutit, ita ut super noxium caput suum nihil videant præter inexorabilem Deum, qui irritatus eos punit, sub pedibus ardentes prunas, quibus cruciantur; in corde crudeles stimulos, quibus laniantur; circumundique horrentia spectra, quibus perterrentur, ac dæmones, a quibus torquentur. *Drexellius.*

Cogitatio infernorũ cruciatuum utilis, ut in virtute perseveretur.

Sermoni huic finis esset imponendus verbis cujusdam antiqui Patris, qui cum impensiùs, & enixiùs rogaretur a fratribus inter solitudines degentibus, ut aliquem apud ipsos habere vellet sermonem, quo illos ad virtutem, atque ad perseverantiam in eo austeritatis genere, quod fuerant amplexi, hortaretur; Magnus hic Sanctus disertissimam habuit orationem, lacrymis potius, quam verbis peroratam, lugubri, querulaque voce exclamans; ploremus, fratres, quæso ploremus, antequam ex hac in alteram vitam migremus, ubi lacrymæ ita ardentes sunt, ut oculos, ex quibus defluunt, adurant, & corpora, in quæ decidunt, inflamment. Hoc fuit exordium, hæc narratio, hic totius sermonis epilogus, qui tantam vim in audientium cordibus obtinuit, ut hi simul cum illo lacrymas commiscuerint &c. *Idem.*

Monita, quæ nobis damnati præberent, si illos audire possemus.

Si per aliquod spiraculum auribus nostris possemus excipere funestos gemitus, quos infortunatissimæ illæ ultionis divinæ victimæ emittunt, scio equidem, illas de imo horribilis carceris esse conclamaturas: *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte:* Discite nostris sumptibus, o peccatores. Nos quoque viximus, lusimus, nugati sumus, tempus, uti vos, lasciviis, jocisque traduximus; non luxui, non vanitati; non liberalibus mensis pepercimus: in mundo enituimus generis nobilitate, mentis acumine, industria; sed ecce quò tandem omnia redierint: in omnem æternitatem relegati sumus in horrentibus locis, projecti a facie Dei, sulphureis flammis undequaque pervii, & involuti; ineffabiles cruciatus patimur; & quidquid de hoc tormentorum loco vobis narratur, vix atque ne vix quidem umbra est malorum, quæ reipsa nos torquent. *Auctor Anonymus.*

Anima damnata a Deo repellitur, quò vis ad illum accedere nititur.

Infelix anima, quæ de hac vita in lethalis peccati statu migravit, cum vehementissimo impetu rapiatur in Deum, in medio conatu omnipotenti manu repellitur. Prohibet Deus, ne illa accedat, illam ejicit, atque propulsat, ac in æternum exulem, extorremque agit. O Deus, quæ vis, qui dolor, quam incomprehensibilis est hujus animæ afflictio? Vidistisne unquam sagittam valida contortam dextera, quæ cum in transitu obicem invenit, quo prohibetur ne in scopum tendat, statim magna vi resilit, atque confringitur? Hæc rudis est, infirmaque imago gravissimi doloris, quo conficitur anima, cum sese Deum versus tamquam scopum suum ingenti cum impetu attollens in via peccati alicujus obicem offendit, qui illam retinet, atque retorquet. Mirumne est, si ita rejecta sese dolore conficiat? *La Font, Entretiens Eccles. pro prima post Epiph. Domin.*

Ejusdem argumenti continuatio.

Dicam etiam, Deum ipsum terribili justitiæ suæ effectu magis adhuc excitare, & inflammare desideria, quibus damnati flagrant, ut absentia sua majorem illis dolorem incutiat. Ideo illos pulchritudinis suæ illecebris attrahit, ut deinde illos repellat; atque ut violentius illis arripiat, quod ardentius, ipso auctore, concupiverunt. Miseri illi numquam adeo palam intellexerunt beatitudinem suam unicè in Dei visione, & perfruitione consistere; numquam antea adeo vehementi propensione, atque studio illi adhærere optaverunt; Verùm nisi Deus tantum videretur amabilis, atque omnibus eorum desideriis abundè explendis idoneus, non esset adeo severus in eos. Quamobrem ideo suæ pulchritudinis cognitionem imprimit illis, ut melius sentiant absentiæ ejusdem supplicium; & eorum accendit possessionis suiipsius desideria, ut illos procul arcens a se dolorem hunc acerrimum, & acerbissimum sentiant. O Deus! Quæ terribilis motuum oppositorum, & contrariorum commixtio! Qua vi, quo dolore dilaniare debet infelicissimas animas, quæ simul se & illectas, & abjectas, attractas, atque rejectas ab eodem objecto intuentur; attractas quidem Dei adeo amabilis illecebra, & ejusdem severitate rejectas. Ad illum suis feruntur desideriis, at simul ab eodem recedunt, quia illas repellit, & rejicit; quinam ergo esse debet damnatæ animæ dolor? Hanc ipsi intelligere non possumus; namque de illo judicamus ex eo statu, in quo adhuc viventes existimus. *Idem.*

Argumenti ejusdem continuatio.

Ecce quid in inferno magis horribile, atque intolerabile est, Sanctus Chrysostomus inquit, æterna hæc, atque irreparabilis Dei jactura, hæc funesta separatio a supremo bono, quod adeo palam damnati cognoscent, in quod adeo validis studiis rapientur, & in quod tot jura obtinuerant, cum erant in statu gratiæ, & cum quo adeo arctis vinculis erant conjuncti.. Hi calamitosi sunt filii abdicati, & ex hæreditatis jure a patrum omnium suavissimo, qui illos bonis cumulaverat, in æternum ejecti; membra sunt violenter a divino Capite avulsa, a quo tot jucundissimos influxus acceperant, & quorum in æternum non erunt ultra participes, sunt sponsæ a sponso repudiatæ, quem non sunt amplius visuræ . . . Proh Deus! quam deplorabilis, & funesta sors! Deus numquam illorum desideriis movebitur, numquam eorum suspiriis flectetur; numquam illis in æternum suam faciem ostendet; illi nonnisi repulsas, odia, maledictiones, omnesque maximè terribiles inexorabilis ultionis effectus debent expectare. *Idem.*

Damnatorum pœnitentia, quod abusi fuerint adminiculis quibus salutem suã operari potuerant.

Quare putatis Deum jam in inferorum flammis sepulto Diviti nequam ostendere voluisse Abraham in gloriæ throno sedentem? Ut illum confunderet, Patres inquiunt, hominis adspectu, qui toto vitæ suæ tempore summa charitate egenos, ac viatores hospitio receperat. Exprobrare quippe eidem volebat, si Abraham locuples, ut ille fuerat, nequaquam, ut ipsum, opibus sui abusurum fuisse; illum bona sua non in luxum, liberales, opiparasque mensas, magnificam servorum catervam, aliaque vanitatis genera insumpsisse; verùm in charitatis usum impendisse, pauperibus occurrentem, ut illos suam domum duceret, cum Lazarum divino consilio ad ostium illius adductum immitissimus dives eum fame interire permiserit, eo quod offam eidem præbere detrectaverit. Efficere cupiebat, ut ille intelligeret in ipsius potestate fuisse positum ad eamdem felicitatem pervenire, si eodem pacto opes suas collocasset; ipsumque a cœlesti beatitudine in æternum fuisse prohibitum, propterea quod huic pauperi se illiberalem, atque sævum præbuerat. Tales erunt conscientiæ stimuli in reprobis, atque Dei jactura ideo illis majorem dolorem inferet, quia summam illam intelligent facilitatem, qua tantam evitare poterant infelicitatem; quia videbunt tot felicissimas occasiones, quas elabi passi sunt, & quibus sua expiare peccata

enta poterant dignis fructibus pœnitentiæ; quia recordabuntur tot motus sibi cœlitus immissos, tot inspirationes, tot exempla, quibus usus est Deus, ut illos ad vitæ genus immutandum impelleret. *Idem*.

Quinam debeant esse hominis Christiani sensus, qui sæpe meritus est infernum.

Infernum merui. O validam rationem, quæ in me grati animi sensus debet excitare! Ignis inferni, quis crederet? plurimum prodesse potest ad ignem divini amoris in cordibus nostris accendendum. Infernum merui toties, quoties lethale peccatum commisi; ac toties me liberavit Deus, quoties illum ego meritus sum, & ille me eidem non adjudicavit: quomodo non teneor amare Deum, qui e tanto me periculo liberavit! Si Deus nunc damnatum, qui inferni flammis comburitur, liberaret, quid illi deberet, quàm gratum animum illi testaretur? At numquid minus illi debeo, quia me ab interitu præservavit? numquid minores habendæ a me illi sunt gratiæ? Quot sunt in tanta miserorum turba, qui post mortale scelus semel patratum illuc præcipites dati sunt! ego verò postquam centies, fortasse, peccavi, non trot! Quæ misericordia! Severitas, quam in miseros exercuit Deus, maximè Dei clementiam in me commendat, meque inexcusabilem probat, si ingratus fuero. *Pat. Nepveu. Tomo secundo Considerationum.*

Eorumdem sensuum continuatio.
Job 17.

Infernum merui. O validam rationem, quæ me ad pœnitentiam debet impellere! dicere possum cum Job: *Infernus domus mea est*; hic locus est, ubi esse deberem, si me pro meritis Deus excepisset: utique, ignes illi, opprobria, cruciatus æterni pars essent mea, nisi Deus misericordiæ suæ magis, quàm justitiæ sensibus paruisset, atque si scelerum meorum vocem audivisset. Profectò iniquone ferre possum animo austeritates, quas mihi Confessarius indicit, vel cruces, quas divina immittit Providentia, ubi cogitem, has me pati pro æternis suppliciis, quæ toties meritus sum? Pœnitentis vitæ mortificationes acerbæne mihi videri debent, ubi reputem; has mihi infligi pro æternis opprobriis, quibus jampridem damnandus fuissem? Omnia videri debent blanda homini, qui infernum meritus est, eumque satis est meditatus; & nescio, utrum illum hactenus rite fuerim meditatus, & mediter. O magnam timoris causam! o magnam causam humiliationis! quid scio utrum destinatus sim, ut aliquando ultricium flammarum sim victima? Nihil me tutum facere potest. Ii etiam, qui sanctissimi habentur, tuti non sunt; quinam ergo esse debent sensus mei, cum adeo improbus, & nequam sim? Nonne hæc incertitudo terrorem mihi deberet incutere, itaut semper me pœniteret, & contremiscerem? *Idem*.

De æternitatis duratione.

Momento æternitatis nomen profertur; at eadem requiritur æternitas, ut illius diuturnitas intelligatur. *Ubi putas finem invenire, ibi incipit*, Sanctus Hilarius ait. Qualibet utere mensura, quascumque rationes supputa, cumque te finem nactum esse arbitraberis, semper initium reperies. *Ibi incipit*. Ad hæc tempus, quod numeras in ipsa æternitate contentum non invenitur; sexdecim sæcula, quibus Evangelicus Dives jam eas passus est flammas, non aliud sunt quàm termini temporis, at minimè pertinent ad terribilem hanc durationem, quæ concomitari debet supplicia. *Ibi incipit*. Jam te veluti adhuc integra incipit pati, & post decies centena annorum millia idem erit, ac si nuper teterrimas ingressus fuisset abyssos; atque eousque pati debebit, donec Deus erit Deus. Proh infelicissimam necessitatem! Proh funestissimam circumstantiam! Semper pati, quin unquam Divinæ justitiæ fieri possit satis. O æternitas! quàm intolerabiles erunt in seipsis cruciatus tui; sed quàm longè graviores erunt in sua duratione! *Biroat, Sermone pro feria 5. post secundam Quadragesima Dominicam.*

Damnati id optabunt, quod numquam invenient.

Infelicissimi reprobi ab ipsa morte suppetias deposcent, & illam indesinenter inquirent, quin unquam valeant invenire. *Quærent mortem, & non invenient*; In hoc mundo eam tamquam suarum voluptatum inimicam metuebant, nunc verò tamquam unicam malorum suorum medicinam implorant. Cum ipsi illam fugiebant, illa eos est persecuta, & apprehendit; nunc verò cum illam inquirant, & persequantur, numquam poterunt invenire. *Quærent mortem, & non invenient*. Sed heu! infernus non est gratiarum locus, neque JESUS CHRISTUS pro illis est ultra Deus misericordiæ. Vivent in omnem æternitatem singulis momentis morituri; semperque morientes æternum vivent. Mors ut crudeliùs eos puniat, ipsis erit immortalis; flammæque illos semper comburent, quin ipsos absumant. Spes eorum erit desperatio, ac unicum illorum solatium erit, sese in rabiem effundere. Quidquid illi passi fuerint, numquam cruciatibus, suppliciisque suis debitum persolvent: hoc semper integrum permanebit; Deus semper jure ulciscetur, ejusque ira inexorabilis erit. Miseris mortem efflagitantibus id reddet, quod olim imperator quidam nocenti, quem lenta morte, severoque supplicio enecabat: *Nondum tecum redii in gratiam*. Quid ergo, inquient illi, in omnem æternitatem crudelibus flammis nutrimentum ero, ac ultoris Dei justitiæ victima? &c. *Idem*. — Apoc. 9.

Inferni metus saluberrimus est omnesque illum debent metuere.

Dolor ob læsum Dei numen, quoniam bonus est, non semper primus est actus pœnitentiæ. Quemadmodum ultro dolorem fugimus, peccatum detestamur, quia malorum omnium maximum in caput nostrum detorquet. Hæc prima est dispositio ad perfectam heroicæ charitatis formam recipiendam; quamobrem David orabat Deum, ut intuitu judiciorum ejus, & suppliciorum, quæ subsequuntur illa, carnem ejus hoc timore configeret. *Confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui*. Timete, Fideles, timete pœnas æternas, quocumque in statu sitis; si enim Sancti timuerunt infernum in solitudinibus, atque desertis, ubi separati erant a mundo; quid vobis faciendum est, qui magnis mundi hujus negotiis estis impediti, qui semper in occasione, & periculo intereundi versamini? Si illi in pœnitentiæ, & austeritatis exercitatione timuerunt infernum, quid vobis in vitæ mollis deliciis, & voluptatibus faciendum est? Timete infernum; sed multò magis timete peccatum; si enim horribilis infernus est, nonnisi propter peccatum est, quod meretur infernum. *In Sermonibus editis sub nomine Pat. Bourdaloue. Pro feria quinta post alteram Quadragesima Dominicam.* — Psal. 118.

Infernus efficere debet, ut peccati gravitatem intelligamus.

Dicendum fanè est lethale peccatum admodum esse detestabile, quandoquidem pœna illius infernus est, infernum admodum terribilem esse decet, quandoquidem est pœna peccati. Oportet profectò Deum admodum lædi lethali noxa, quandoquidem ut illius ultionem deposcat, animam, quam dilexit, & summo amore prosecutus est, suppliciorum puniat æternitate. Non satis dici potest, quid sit infernus; neque satis explicari quousque peccati nequitia procedat. Nihil aliud potest affirmari, nisi peccatum mereri inferni supplicia, atque infernum cum tota suppliciorum acerbitate, & gravitate æquissimam esse pœnam peccati: hæc vicissim sibi sunt alterum alterius mensura. *P. a S. Martinu a Porta in Tractatu de effectibus peccati mortalis.*

De pœna damni, & privatione Dei.

Quid est pœna damni? Gravissimus dolor est, & amarissima pœnitentia, qua anima damnata conficitur eo quod Deum suum amisit, & quod in omnem æternitatem funesto hoc nomine debet nuncupari, quod non sit populus ejus: *Voca nomen ejus, non populus meus*. Dolor, & pœnitentia, qui intolerabiles sunt, & duplici ex loco illius infelicitati cumulum adjiciunt, ut S. Dionysius ait, videlicet ardenti, cæcaque cupiditate Deum possidendi: *Cupiditas amens*; & implacabili, inutilique furore, quo illa Deum annihilare, ac destruere vellet. Cum anima damnata in inferis etiam

cum

cum Deo insolubilia habebat vincula, atque illum agnoscat tamquam supremum hominum omnium bonum, illum possidere vellet; cumque necessariò ab eodem separata sit, eumque tamquam suum respiciat inimicum, & persecutorem, illum in nihilum redigi vellet. Itaque dolor ex hac privatione profectus, quem Theologi damni pœnam appellant, dolor est maximus, & incomprehensibilis ob immixtionem duplicis hujus motus desiderii, & odii, quæ simul esse non posse videntur. *Cupiditas amens, furor inutilis.* Ardenter optare, quod numquam possidebitur; necessariò odisse, quod semper optabitur; si mente assequi vales quò usque pertingant hi duo motus animæ damnatæ, jam quænam sit pœna damni, assecutus es. Nihil intolerabilius est, Sanctus Bernardus ait, nihilque magis acrem dolorem ciet, quàm indesinenter videre, quod numquam obtinendum est, ac perpetuò odisse, quod semper est perferendum. Damnatus in tristi hoc invenitur statu; quamobrem furoris ejus, sed inutilis furoris objectum Deus est; hunc possidere non potest, & vellet destruere; ille adhærere nequit, & illum ultra non esse cuperet: hic miser ita undique & votis, & odiis torquetur; motibus suis, quibus impellitur, & manu Dei, qua propulsatur. *Joly in Sermone quodam hujus argumenti.*

Argumenti ejusdem continuatio.

In natura, anima est imago Dei per essentiæ ipsius participationem; in gratia quoque ejusdem est imago per participationem sanctitatis; in gloria verò futura est etiam imago ipsius per felicitatis participationem; quæ cum ita sint, egregiè dixit S. Augustinus, quemadmodum Deus nonnisi per suiipsius possessionem contentus esse potest; animam, quæ est imago Dei, nonnisi Dei ipsius possessione esse posse contentam ..... Porrò si anima hæc propter Deum tantummodo facta est, si cum eodem infinitos nexus habet, ac relationes, si Deo unicè, immò toto Deo potest repleri, conjice quinam futurus sit ejus dolor, & desperatio, cum eodem vacua erit, ac sciet, se numquam eumdem esse possessurum. *Idem.*

Pœna damni quibusdam reprobis gravior est, quam cæteris.

Quamvis damnati omnes eamdem jacturam patiantur, quia eodem bono carent, videlicet æterna Dei possessione; nonnullis tamen hæc jactura acerbior est; vel quòd potiori jure infinitum hoc, quo carent, bonum sibi deberi putabant, vel quod majori ejusdem potiundi spe tenebantur, vel quod faciliùs illud assequi poterant, vel quod majori cum improbitate illud reliquerunt, vel quod Divina justitia majorem ejusdem illis tribuit cognitionem, & efficit, ut melius intelligant inæstimabilem felicitatem, quæ in æterna illius perfruitione sita est, utque magis doleant eo quod sua culpa tanto exciderint bono, & magis hac privationis pœna puniantur. Quis autem comprehendere potest animæ infelicis supplicium, quæ semper in Deum fertur, & semper a Deo repellitur; semper fertur in Deum, qui infinita ea potestate, qua ipsam ad se trahit, in anima hac motum imprimit fere infinitum, per quem ad illum infinita propemodum pernicitate rapitur; semper a Deo repellitur, qui cum æternis odiis reprobam animam persequatur, eam a se infinitis removet spatiis, ita ut numquam ad ipsum usque pertingere valeat. *Fromentieres, Sermone de pœnis inferni.*

Reprobi in Inferno infelicitas.

Tunc aperientur oculi tui, o peccator, atque tu ipse suæ vivendi rationis cæcitatem condemnabis. Tunc æternitas, cujus cogitationem hodie procul arces, te invito sese offeret animo iis omnibus circumsepta suppliciis, quæ maximè sunt horribilia. Tunc illa deteget tibi cruciatuum immensitatem, malorum abyssum, flammarum pelagus, in quo versaberis in nullam reditus spem. Tunc illa tibi exhibebit innumerabilem hanc annorum seriem, hanc infinitam sæculorum multitudinem, qua infernis ignibus dæmonum, quæ sævitia torquendus esis, quin unquam in prolixa hac annorum, & sæculorum serie, vel ullum finem, vel ullam tormentorum imminutionem invenias. *Idem.*

Reprobi æternitatis infelicissimam considerantis sensus.

Quovis momento me in calamitosissima hac æternitate considerem, reprobus dicere potest, me semper æquè calamitosum invenio; & quantumvis longè infinitam hanc durationem prospiciam, nihil mihi nisi principium occurrit: *Ubi putas finem invenire ibi incipit*, S. Hilarius ait, reprobum allocutus. Post centum annorum myriades nullum æternitati meæ finem inveniam? Hæc profectò duratio nimis esset diuturna iis malis, quæ patior; sed tunc te velut adhuc integra æternitas incipit: *ibi incipit*. Post centum sæculorum myriades, *ibi incipit*. Denique quacumque utar mensura, ut hanc scruter abyssum, nullum unquam finem invenio; vorago est, in qua confundor; pelagus est, in quo submergor: plures sunt annorum myriades, plures myriades sæculorum, quàm aquæ guttæ in tota oceani immensitate, quàm arenæ grana in tota terrarum extensione. *Ubi putas finem invenire, ibi incipit. Idem.*

Inutilis damnatorum pœnitentia.

Peccator, quænam erit tristitia tua, te videns ita derelictum a Misericordia Dei, a divino ejus conspectu proscriptum, severissimæ ejus justitiæ traditum, inexorabili ejusdem iracundiæ immolatum, infinita ejusdem potentia cruciatum, factumque, ut ita dicam, æternam ejusdem æternitatis victimam.... Heu! tunc dices, quonam abierunt ambitiosa consilia, amoris negotia, ultionis meditamenta, lenocinia, sodalitates, convivia, ludi, gaudia, deliciæ, honores, aliaque omnia, quorum amorem ipsi saluti meæ censui anteferendum? *Transierunt illa omnia sicut umbra*, nihilque mihi reliquerunt nisi infinitam pœnitentiam, atque æterna supplicia. Verùm quid? itane actio quæ momento peragitur, verbum, quod aura dispergit, oculorum conjectus fulmine ipso celerior, consensus, qui nostram ferme cognitionem fallit, adeo noxia tibi videantur, ut ea æternis digna suppliciis existimes! Vah! peccati improbitatem ignoras. *Idem.*

Sap. 5.

Damnatorum dolor, quod tempus, quo salutem suam operari debeat, in nugas impenderit.

Heu! reprobus inquiet, si eo momento bene uti voluissem, id si fecissem, quod facere poteram, & quod modo facere nequeo! Eo momento, quod unicum in mea fuit potestate, & quod nunquam redibit; eo momento, quod in ludis, nugis, ac ignavia traduxi; eo momento, quo in manibus meis fortuna mea versabatur, dominus eram, & arbiter felicitatis meæ. Triginta, vel quadraginta annis mihi integrum fuit in felicissima habitatione sedem locupletissimam, clarissimamque mihi comparare, & ne cogitare quidem dignatus sum! O momentum, pretiosum momentum, numquamne reverteris? numquid in æternum pro me abiit non rediturum? *P. de la Colombiere.*

Cur Deus Infernum creaverit.

Mirum sanè est quod Deus Infernum creare debuerit, ut postquam tot beneficiis homines cumulasset, prohiberet, ne ab ipsis offenderetur. Ille sane vel nimis infirmos censuit, vel nimis ingratos. Verum mirum quoque est, quod hoc ipsum a conatibus nostris illum minimè tueatur. Deus salutis nostræ zelo infernum fecit; sed quare o Deus, illius vel majorem nobis cognitionem tribuisti, vel majorem incussisti timorem? Cur adeo terribiles pœnas peccatori parasti, vel cur illas huic abscondisti? Ille sese omni scelerum genere proluisset, nisi hoc vallo ipsius licentiam cohibuisses; verum quidem est; sed minima etiam evitasset crimina, si ea spectasset tormenta, quibus ea punis. *Idem.*

Cogitatio æternitatis suppliciorum.

At enim desiperes, si æternitatem cogitares. Putas ergo nonnihil horribile; at quæso, te id non cogitante numquid ideo horribile non est, vel pro te futurum non est? Si sola cogitatio tantum horroris ciet, quid erit pati? At aliquid ita horrendum est, dicis, ut cogitare non possis; verùm non metuis futurum, ut iis pœnis affici possis? Hoc illud est quod non intelligo, & numquam intel-

intelligam. Horret animus, mortem cogitare, non miror; plurimi te fortiores sanctioresque sine metu, ac trepidatione eam recogitata non poterant. Pœnarum inferni æternitatem perhorrescis, ac in illas te præcipitem agis? *Idem*.

Infernus esset metuendus.

Si verum est, ibi reipsa ea omnia ferri mala, quæ metuuntur, quid de illis dicendum est, qui certò sciunt se in æternum ea esse laturos? Voluptates, inanes voluptates, quinam mihi affirmasset, cum adeo insectanter vos depetibam, atque tanto impetu in vos ferebar, memoriam vestri aliquando mihi adeo acerbam futuram? .... Quo evaserunt ea gloriæ phantasmata, existimationis, immortalitatis ideæ, quæ me olim tot curis conficiebant, quæ me detinebant, mihique æternitatis oblivionem injiciebant? Ubi sunt illæ, quas tantopere amabam, & illi quorum vana judicia, sermones, atque potentiam tantopere extimescebam? .... Proh Deus! Quam cæca dementia. *Idem*.

Christianus in inferno præ cæteris magis punietur.

Quemadmodum amor Dei erga Christianos maximus extitit, ita nullum servabit modum, cum pœnas scelerum, & injuriarum, quibus affectus fuit, ab illis reposcet. Tota sese ejus effundet ira, ac in eos exundabit. Quemadmodum Christianus in terris illi dilectus, & charissimus fuit, ita in inferno præcipuum erit odii ejusdem objectum: & sicuti nihil reliquum fecit, ut illum beatum efficeret Deus, ita nihil relinquet intentatum, ex quo suppliciis ejusdem accessionem fieri posse putabit. Justitia ejus in alios animadvertet; sed furor damnationis sententiam in reprobum fidelem exequetur: denique aliorum dolores erunt exquisitissimi, sed leves videbuntur, si conferantur cum illis, quibus Christianus torquebitur. *Idem*.

Inanes damnatorũ conatus, ut Dei punientis manibus eludatur.

Quid iniquis voluntatibus tam contrarium, & tam adversum, S. Bernardus ait, *quam conari semper impingere, semper, & frustra?* Nihil tristius, & luctuosius est, quam adniti semper suas catenas infringere, resistere, quin liceat vim propulsare, invisibilem manum percipere inevitabiles semper ictus inferentem, conari eum superare, qui nobis irrogat legem, ac semper ab eo superari? Quàm crudelis mœror misero, velle semper, quod numquam erit, & numquam velle, quod semper erit? *Quid tam pœnale: quàm semper velle, quod numquam erit?* Hinc sequitur desperatio, quæ nos mancipat æffreni dolori, hoc peccator conficitur, ac opem ex ipsa morte deposcit. *P. Cheminais*.

Sententia S. Chrysostomi de pœna damni.

Sanctus Chrysostomus supplicii hujus gravitatem his verbis exprimit: Si quis decem mille gehennas statuat; hoc tamen conferri non potest cum beatificæ visionis jactura, & dolore, quem afferent hæc verba JESU CHRISTI ore prolata: Nescio vos. Neque solum ex hujus Sancti Doctoris sententia privatio hæc extremum est malorum; verùm etiam addit hoc gravissimum esse, ac maxime intolerabile tormentorum, quibus damnati torquentur. Quid? miser inquit reprobus, infinitum acquirere poteram bonum, & pro nihilo hoc bonum amisi. Ecce me a Dei mei possessione probibitum, tamquam inimicum illius, & numquam ipsa in æternum ad misericordiam flectetur. Eheu? cur non etiam periit illius recordatio? Cur millies in nihilum redigi nequeo, ne illum cognoscam, quandoquidem ille me non diligit amplius, neque ipsum miseret mei; quandoquidem ille me non tuetur, nisi ut vivam in cruciatibus meis, & ille mihi absentia sua gravissimum adfert tormentum. Hic est infernus inferni mei, omnibus flammis, quibus uror, magis intolerabilis. Hæc est essentialis damnatorum pœna, quæ non solum malum est infinitum in se, verùm etiam tormentorum omnium atrocissimum, teterrimumque. *P. Guilleminet in Sapientia Christiana*.

Quam intolerabile sit malũ æternum.

Tertullianus ait non deesse mala, quæ omnem constantiam excedunt: *Malorum quorumdam intolerabilis magnitudo*. Hoc potissimum verum est in malis æternis, cum enim magnitudine fiant intolerabilia, æternitas, quæ eorum gravitati accedit, quamdam tribuis illis speciem infinitatis; & malum æternum quodammodo terribilius est eo, quod intentione quidem infinitum est, duratione verò finitum. Quod si in terris homines metuunt calamitates, ex quibus quomodo in hac vita emergere valeans, non vident, cum nonnisi mors eisdem finem allatura videatur; si perpetuus carcer in tenebris præcox mors est, ac viventis hominis sepultura, quid erit in flammatum abysso in omnem æternitatem cruciari, unde neque mors ipsa libertatem possit adferre? *Idem*.

De inferni pœnis generatim.

Scisne, quid sibi velit æternis ignibus damnari, in quibus levior pœna est pœna sensus, quæ nihilominus adeo terribilis est, ut nullum sit tormentorum, quo humani sensus affici possint, quod illis extremum dolorem non afferat, qui ne cogitari quidem animo potest sine solatio, sine intermissione, ac in omnem æternitatem, quæ nullum est finem habitura? Paulisper attentius considerandæ sunt hæ tres qualitates, quæ in terrenis doloribus non inveniuntur, & ab infernis separati non possunt. Pœna gravissima, pœna non intermissa, & pœna æterna. Si vitæ hujus mala violenta sunt, diuturna non sunt; neque diutius torquere possunt, quàm vita humana producitur, quæ si cum æterna comparetur, tamquam leve momentum habenda est. Præterquamquod nulla pœna est adeo vel diuturna, vel atrox, quæ nullam habeat requiem, vel solatium. Sed in illo tormentorum loco, licet varii sint pœnarum gradus pro noxarum, nocentumque qualitate, tamen nullus est reprobus, qui non torqueatur gravissimis cruciatibus sine immixtione cujuslibet boni, & qui illis non afficiendus sit in omnem æternitatem, quæ pœnæ adjicit non solum infinitam durationem; verùm etiam ineffabile nescio quod doloris additamentum. *Pat. Haineuve libro, cui titulus: Le grand Chemin qui perd le monde. Parte tertia*.

Jugis cogitatio miseræ æternitatis.

Cum anima jugiter in hujus æternitatis cogitatione persistit, atque aliquem illius finem inquirit, quin tamen inveniat, secum animo reputat annorum millia, quæ sibi repræsentat, atque post millia, ac decies centena sæculorum millia, quibuscumque rationibus multiplicata cum meminit ob unicum voluptatis momentum se in æternum esse torquendum, præteriti simul temporis, præsentis, futurique pœnis cruciatur. Præteriti quidem propter voluptatis illius pœnitentiam; præsentis verò propter inseparabilem nexum, quo suis adhæret cruciatibus, futuri denique propter hujus æternitatis cogitationem, quæ omnia colligit futura supplicia, eaque tamquam præsentia constituit propter metum eorum; quandoquidem communis est imaginationis effectus, quod mali futuri metus tantumdem, & fortasse magis etiam nos angat, quàm cum re ipsa malum perfertur. *Idem*.

Non desunt in inferno animæ, quæ patiuntur propter peccata, quæ committuntur in terris.

Non desunt in inferno animæ, quæ torquentur etiam propter ea scelera, quæ quotidie a consanguineis, amicis, sodalibusque suis committuntur in terra, & quæ, uti dives nequam indesinenter clamant, ut ad illos aliquis ex altera vita mittatur, qui illis, qui in pereundi versantur periculo, infelicissimum reproborum statum aperiant. Fortasse impius ille, qui vos docuit primus de patrum vestrorum Fide ambigere, sanctæque Religionis veritates in jocum traducere, a primo suæ damnationis initio incessanter clamat, atque præ furore, & rabie vociferatur, Deum rogaturus, ut ad vos aliquem mittat, qui vestros errores auferat, & vos in fide confirmet. Fortasse obscœnus ille scriptor, opera cujus quot lectores habent, tot impudicos efficiunt, ad cœlum usque clamores attollit, ut sibi liceat ad vos aliquem tormentorum suorum socium mittere, ut intelligatis quibus torqueatur suppliciis propter opera, quæ tot adolescentibus pessimum nequitiæ virus instillant,

atque,

atque, ut miserrimum ipsius statum agnoscatis. Fortasse prophanorum spectaculorum inventor, ubi affectuum vestrorum flamma succenditur, prout ipsius iniquitatis opera animis vestris perniciem afflant, de imo carceris sui clamores emittit, ut sibimet prodire liceat horrenti corpore in hæc impuritatis theatra, ac se ipsum ita affectum ostentare, ut spectatoribus terrorem incutiat terribili suorum suppliciorum imagine, quæ patitur ipse, & quæ illi quoque mox passuti sunt. *Sermo manuscriptus.*

De pœna sensus in inferno.

Licet liquidò non constaret in inferno ignem esse materialem, quo damnati torquentur, quod tamen certissimum est; saltem Biblia his utuntur nominibus ignis, sulphuris, ac bituminis, ut innuant nihil horribilius esse iis pœnis, quæ ibi perferuntur. Horribiles ibi sunt tenebræ, sulphur, & corpora, quæ comburuntur, non ferendum emittunt odorem; flammæ, quæ inde egrediuntur, ardentes sunt, & mens humana nihil sibi fingere potest ad dolorem ciendum aptius quàm ignis viventibus humani corporis artubus cohærens, & qui numquam extinguitur. Mors in inferno minimè occidit; flamma semper ruit, quin tenebras dissipet; dolor urget, quin minuatur; & corpus, atque anima ibi in æternum torquentur: quemadmodum enim simul peccarunt, æquum est ut simul pœnas peccato debitas luant. Iterum igitur conjungentur, ut in æternum torqueantur. Temporalis peccatorum mors ad infernum adducit, sed non est extremum supplicium; immo e contra initium tantummodo supplicii est. *Ex Anonymo Auctore.*

De conscientiæ tormento in inferno.

Conscientia præcipuum erit Divinæ ultionis instrumentum. Quisnam dolor erit, nos esse nobismetipsis tortores, atque carnifices, neque liberari unquam posse hac nostrummetipsorum parte, quæ nostrum constituit supplicium. In hac vita peccata celare, atque dissimulare possumus, vel saltem aliò convertere mentem, oculosque, & circa aliud objectum versari; quod respirandi tempus, & facultatem permittit. Sed tunc unicè inhærentes reprobi scelerum suorum considerationi, numquam inde oculos avertere poterunt, ne ullum sit momentum, quo minus miseri existant. Quæ pœnitentia tot subiisse curas, ut damnarentur! quis dolor se dæmonum mancipia, prædamque intueri, cum interim alii in cœlis triumphant? *Idem.*

Reproborũ æterna supplicia.

Illud verò funestissimum est, quod æterna sunt reproborum supplicia. Æterni Dei leges violarunt, in æternum puniendi sunt: quemadmodum ipsos nunquam criminum suorum pœnituit, ita neque Deum pœnitebit illos torquere intuentem: quemadmodum a peccatis non cessarunt, ita neque ille tormenta cessare jubebit; eorum anima, quæ immortalis est, peccavit, opus est naturæ illius parem quoque esse pœnam, & supplicium esse immortale. Reges terræ hoc pacto quodammodo contumelias sibi illatas puniunt; neque enim vitam reis, quibus illam ademerunt, restituunt; & Deus, cujus majestas longe magis est intemeranda, aliquot duntaxat momentis puniet? Hic doloris effectus est temporis labentis particulis inhærere; has singillatim numerat, & quæ brevissimæ sunt, nimis diuturnæ videntur, cum malum est grave. Reprobus ergo omnia æternitatis momenta numerabit, quin in eorum decursu vel minimum dolori solatium inveniat. Æternitas longa est; sed illius duratio videtur augeri cum malum violentum est, atque singula recensentur momenta, ut solatium aliquod inveniatur. *Idem.*

Comparatio status divitis nequam, & Lazari pauperis.

Considerate, quæso, hinc quidem divitem nequam, inde verò Lazarum pauperem: ubi sunt deliciæ, convivia, musica instrumenta, purpureæ vestes, pretiosa supellex, servorum caterva divitis illius sævi, & immitis; e contra ubi modò nuditas, paupertas, squalor, ulcera, fames Lazari rerum omnium egeni? Præteritum in præsens prorsus oppositum immutatum est; & præsens in immutabili æternitate, nullis inversionibus, casibusque obnoxia, consistit. Inhumanus ille dives de voluptatum suarum paradiso, qui brevi tantum momento permansit, in æternum migravit suppliciorum, dolorumque infernum; pauper ille e contra ex inferno suæ egestatis, laborisque, quem uno passus est momento, in perpetuum voluptatum omnium transiit paradisum. Utrumque considerantes, mirum sane est, nisi cum Sancto Joanne Chrysostomo in eam exclamationem erumpatis: *O infelix felicitas, quæ divitem ad æternam infelicitatem traxit! o felix infelicitas, quæ pauperem ad æternitatis felicitatem perduxit! Ex Patre Bartholi in libro cui titulus, l'Eternità Consigliera.*

Reprobis vel levissimum negatur solatium.

Sanctus Augustinus loquens de aquæ gutta, quæ diviti nequam negata fuit, hæc ait: *De frigida illa aqua, quædam flamma surrexit, quæ etiam frigida hominum pectora ad misericordiæ opera facienda spe cœlestis mercedis accenderet.* Quod si magnus hic Vir ex aquæ gutta ignis elicit flammam ad corda auditorum suorum inflammanda, ut spe remunerationis æternæ operibus misericordiæ cœlum sibi lucrarentur; in quonam cogitatio flammarum tantum ardorem, tantamque sitim gignentium non extinguit omnem sitim, atque ardorem, quo hujus vitæ voluptates inquirit, reputans in omnem æternitatem negatum iri aquæ guttam malo diviti de medio flammarum enixiùs flagitanti, atque obsecranti, sibi Lazarum mitti, qui extremum dumtaxat digiti verticem aquæ immittat, ut linguam ipsius non ferendis ardoribus æstuantem refrigeret; idque numquam in æternum impetraturo. *Idem.*

Præteritarum voluptatum memoria crudele damnatorum supplicium.

Totus simul infernus nihil tam luctuosum habet, quàm funestum illud *recordare*, quod Sanctus Patriarcha Abraham reprobo diviti respondit: *Recordare, fili, quia recepisti bona in vita tua. Recepisti*; hoc præteritum jugiter præsens est memoriæ damnati. *Recepisti bona in vita tua.* Vox hæc assiduè resonat auribus damnatorum, atque in omnium sæculorum extensione illos ad crudelem adiget desperationem futurum ut numquam inveniant non solum suis cruciatibus finem, verùm neque ullum solatium, ac refrigerium ardori, quo cruciabuntur. Æternum aquæ guttam rogabunt ad flammarum suarum ardorem leniendum; hoc est, in omnem æternitatem aliquod optabunt solatium iis cruciatibus, quibus indesinenter afficientur. Verùm quid illis gutta in tanto incendio prodesset? quandoquidem totus licet Oceanus illis ignibus infunderetur; nihil magis efficeret, quam aquæ gutta. Heu! hoc dicitur, ut illis spes omnis vel minimum solatium, vel minimam pœnarum imminutionem obtinendi adimatur. *Idem.*

Deus animæ tribuit amissi boni cognitionem, ut illius dolorem augeat.

Dei, omniumque Cœlestium gaudiorum privatio non esset pœna afflictiva, sed privativa tantùm, nisi jacturæ cognitio illam comitaretur. Ut igitur eam animæ sentiant, atque extremum dolorem percipiant, Deus illis perspicacissimam tribuet cognitionem magnitudinis boni illius, quod amiserunt; quæ quidem cognitio quantum doloris afferet, cum præsertim intellexero in mea potestate fuisse positum cœli possessionem acquirere; una tantum veræ contritionis lacrymula, sincerum immutandæ vitæ propositum, illud mihi reddere poterant jus, quod peccata mea mihi eripuerant, ad regnum æternum. Unica charitatis actio efficere poterat, ut illud mererer, & pro momenti unius voluptate illud in æternum amisi. Eheu! acer dolor, insolabilis mœror, ingens sine spe evadendi jactura; te numquam reparabo. *P. Antonius a S. Martino a Porta.*

Præteritorum malorum memoria damnatos æternum torquebit.

In impio Antiocho imaginem habemus tormenti illius, quo præteritorum peccatorum memoria reprobos torquet. Infelix ille Princeps quodammodo reproborum tormentum in hac pertulit vita: etenim vivens adhuc ardens veluti damnatus aliquis, atque intolerabilibus doloribus confectus, quibus totum illius corpus cruciabatur, cum undequaque vermibus veluti ebullientibus artus omnes

de-

depascerentur; nec non sexcentis horribilibus spectris, furiisque, nullam permittentibus requiem agitatus post tot annorum ebrietatem, atque soporem recordatus est impietatem suam fuisse tot malorum originem, *Reminiscor malorum, quae* 1. Machab. 6. *feci in Jerusalem; propterea invenerant me mala ista*. Eheu! recordor, infelix qui sum, adversatum me fuisse Deo, me Templum illius diripuisse, ac prophanasse, omnia religionis ipsius signa delere voluisse. Ita ingemiscet damnata anima, ubi suorum criminum recordabitur, eaque damnationis suæ causam esse cognoscet. *Idem*.

Anima in inferno & supremi boni jactura, & aliis suppliciis torquetur. Sicuti in cœlo est infinitorum bonorum congeries, quibus coronabit Deus electorum fidelitatem, ita & in inferno est suppliciorum, & cruciatuum incomprehensibilium acervus ad peccatorum expiationem. Non videbitur Deus, & hujus visionis jactura extremum patiet dolorem; nam, quemadmodum Sanctus Joannes Chrysostomus inquit, filius a patre regno destinatus, & mox detrusus in carcerem minus dolet ob carceris squalorem, quàm ob regni amissionem. Ita Sanctus hic Doctor censet, animam, quæ felix esse poterat, magis dolituram eo quod tanta exciderit felicitate, quàm propter cruciatus, quibus torquebitur. Sed mala positiva ut plurimum sentiuntur magis, quàm privativa. Tradentur reprobi dæmonibus, tamquam legitima eorum præda; eos quidem odio persequentur, attamen eorum subjecti erunt imperio; omnem eorum rabiem, atque sævitiam experientur; propriis conscientiæ stimulis urgebuntur, nullum umquam finem habituris. Denique tantam malorum congeriem subibunt, quanta ne animo quidem concipi potest. Infernum timeo, Sanctus Bernardus ajebat, iram Omnipotentis timeo; horribiles timeo carceres, vermem, qui rodet, ignem, qui incessanter uret, sulphur, flammarum turbines, densas, & quæ tangi poterunt, tenebras. Eheu! quis dabit fontem lacrymarum oculis meis, ut æternas præveniam lacrymas, dentium fremitus, intolerabila catenarum pondus, quæ simul vinciunt, & ardent. Hei mihi, si hisce malis &c. *Auctor Anonymus*.

Reproborũ in inferno, dolor, & desperatio. Anima in hoc statu, infortunatoque loco circumundique oculos vertit, & neminem invenit, qui sibi præbere possit auxilium; atque ita sine solatio, & sine spe conficitur. Ubi solatium aliquod speramus, non deficimus; sed ubi spes interiit, & anima agitata nullum subsidium nanciscitur, sese tradit desperationi: stare possumus; cum fortuna, quæ nos persequitur bonorum nostrorum partem aufert, sed permittit ut altera perfruamur. Solatium aliquod in paupertate, atque dolore nanciscimur, cum nobis reliqui sunt amici, cum aliqua datur intermissio, & aliquis inveniri locus potest, vel saltem aliqua positura, in qua requiem percipiamus: Sed Divina justitia animæ reprobæ nihil relinquit; contra seipsam divisa seipsam impugnat, & laniat; & pars una alteri exprobrat abusum ejusdem. Omnia huic animæ desunt; seipsam horret; secum ubique suum gerit carnificem; nullum habet locum, ubi quiescere valeat; bona, honores, voluptates, domus, filii, & quidquid in terris reliquit, nullam ipsi opem affert: quidquid in illa est, super illam, sub illa, vel circum illam, cœlum, terra, paradisus, infernus illi terrorem incutiunt, & nihil eam ope reficit. Ab omnibus derelicta, omni privata bono, malorum omnium pondere obruitur. *Idem*.

Quis intelligere poterit, quid sit misera æternitas ejusque æquum conceptum fovere? Omnes adhibe numeros, mensuras omnes, collige quæcumque spatia animo concipere potes; numera, si, arenam, quæ est in littore maris, omnes aquæ guttas, alias aliis adde, atque singulis interjice plurimorum sæculorum intervallum; omnes simul sermones, omnesque cogitationes adde, omnium creatarum mentium locutiones, ideasque exhauri, numquam æternitatis finem invenies. Cætera quælibet quantacumque illa sint, & quantumvis latissimè pateant, suis finibus continentur: æternitas una caret fine, limitibus, atque cancellis. Eheu! quis cogitare posset hanc pœnarum æternitatem sine solatio, sine successione, sine spe, sine misericordia, quin aliquid umquam prætereat, sed quæ semper integra, semperque eadem permaneat? Quod durationis portentum! quæ semper est, & quæ numquam est; vel quæ nihil habet præteriti, & quæ numquam desinit esse. Omnia illi præsentia sunt, omnia futura. Illa nullo tempore est, & omnia continet tempora, & quodcumque temporis spatium præcesserit, semper est integra. Effluent anni; sæcula labentur, at illam numquam explebunt; nam spectant quidem ad æternitatem; sed ne minimam quidem illius partem constituunt. Dicamus ergo de æternitate, quod S. Augustinus de gloria Beatorum: *Sentiri potest, æstimari non potest*. *Idem*. Malæ æternitatis idea.

I N G R A T I T U D O.

Memoria, & Oblivio beneficiorum, quibus, & a Deo, & ab hominibus aucti fuimus.

M O N I T U M.



Um indesinenter nos Deus suis cumulet beneficiis, nihil est, ut ita dicam, illi antiquius ea cura, qua illi gratias agere, & habere incessanter contendimus, eousque ut ex ipsius Spiritus Sancti oraculo liqueat nulla re magis, quam ingrati animi vitio beneficiorum ejus fontem exhauriri; & e contra nulla re nos posse facilius nova promereri beneficia, quam si prioribus acceptis nosmet gratos exhibeamus. Hinc facilè conjici potest quanta utilitatis sit hoc argumentum, quod melius adhuc innotescet ex iis, quæ infra in medium sunt afferenda.

Abs re non est hoc in loco monere: primùm non hic nobis esse consilium omnia Dei beneficia enumerandi sive generalia illa sint, sive particularia, sed excitandi fideles, ut crebrò illi gratias agant, & ostendendi, quam longè a nobis Deum arceat ingratitudo; Secundò hic agi tantum de beneficiis Dei, & grato animo ob eadem habendo, quin de eo loquamur grati animi sensu, quem benefactoribus nostris debemus, nisi ut inde regulas desumamus nostræ erga Deum gratitudinis. Tertiò si de ingrati animi vitio fusius sermonem instituerimus, quatenus gratitudini adversatur, nobis animum non esse de eo loqui, quod in quolibet peccati genere continetur, sed de illo, quod particulare peccatum est, & quod positum est in oblivione beneficiorum Dei, in eorum contemptu, ac usu pravo; Quartò nihil aptius esse ad amorem Dei excitandum, cui debemus quidquid sumus, & quidquid habemus,

bemus, quàm memoria beneficiorum, quæ ab eodem percepimus, & nihil tandem magis nos rubore suffundere, nostramque nobis ingratitudinem ob oculos exhibere posse, quàm incuria, quam in Dei cultu præferimus, cum hac maximè in re apud homines generosum animum ostentemus, atque nos pudeat si ab ullo beneficiis vincamur.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus Argumenti Systemata.

I. UT sermonem de ingratitudine habeamus, quæ vitium est adeo familiare, de quo tamen perrarò a Concionatoribus verba fiunt, pro argumento proponere possumus; nihil esse quod magis a nobis amoveat Deum, quàm ingrati animi vitium, idque triplici ex causa; quæ triplicem sermonis partem constituet.

1. Quia nihil magis ostendit contemptum Beneficiorum Dei, ideoque ipsius etiam Benefactoris, quàm illa negare, illorum oblivisci, & nullum ob illa grati animi sensum testari. Hoc facile probatur; quia in rebus cæteris non ita facile rerum earum obliviscimur, quas habemus in pretio, quas diligimus, quæ nobis sunt cordi. Non sine summa voluptate illas animo reputamus, sæpe earum memoriam revocamus, de illis sermonem habemus, eas commendamus, & quæcumque se nobis offerat occasio, quanti a nobis fiant, palam testamur. E contra verò non possumus ulla ratione majorem earum præ nobis ferre contemptum, quàm earum memoriam, & cogitationem dedignari, easque nullo in discrimine habere. Sed cum contemptus, quo aliquis excipitur, ut plurimum vicissim in eo, qui contemnitur, contemptum cieat; liquidò patet a Deo ingratum contemni; & hoc vitium, quod tantopere hominibus invisum est, multò magis esse in oculis Dei.

Ratio altera est, quia ingrati animi vitium frustratur Deum fructu, quem ex iis bonis, quibus mortales auxit, expectat. Nihil est hac veritate apertius; cum enim Deus nostris non egeat bonis, neque speret futurum, ut par pari rependamus, non alia eidem præbere possumus nostræ gratitudinis argumenta; quàm laudes, gratiarum actiones, amorem. In hoc sita est ipsius gloria, cujus zelotes est, & hoc unum ipse petit ex nobis; quo tamen per ingratitudinem illum fraudamus.

Tertia est, quia per ingrati animi vitium nosmet probamus ejus gratia, & beneficiis indignos. Quemadmodum hanc hominum in ingratos consuetudinem esse videmus, quod a beneficiis cessent, ubi eorum abusum intueantur; eosque ingratos appellent, & indignos de quibus aliquis bene mereatur; ita ingratitudo exhaurit fontem bonorum, quæ largè, effuseque Deus conferebat ita ut sin minus ea revocet, quæ jam contulit nobis, saltem nosipsi illa irrita efficiamus nullum ex illis fructum percipientes.

II. Natura, gratia, religio tria sunt, quæ ex nobis peculiarem, perennemque ob Dei beneficia grati animi sensum exposcunt, & quæ concionis partitionem possunt efficere.

1. Natura; Deus enim nobis contulit esse, & ex nihilo eduxit, in quo infinita reliquit, quæ, uti nos, creare potuisset, & quæ in æternum ex creaturarum possibilium numero erunt. Ille nos ad imaginem suam creavit iis naturæ muneribus præditos, per quæ ab aliis creaturis & fortasse etiam a pluribus aliis hominibus distinguimur. Denique reliqua omnia propter hominem creavit, quod beneficium! sed quæ gratitudo!

2. Gratia quæ nobis non erat debita, & quam mereri non potuimus, non minus nos cogit, immortales Deo gratias habere ob insignia beneficia, quæ plurima inde proficiscuntur, & quæ illius sunt veluti effectus. Deus enim per illam nos supernaturali fini destinavit, ut videlicet ipsum aliquando possideremus. Propterea ille nobis suppeditat adminicula, quorum ope finem hunc consequi valeamus; actuales gratias, Sacramenta, gratias exteriores, generales, & particulares, quæ ad illum obtinendum validissimum nobis præbent auxilium. Quantum igitur tot, tantisque pro muneribus illi debemus?

3. Religio ad quam nos evocavit, quæ nos erudit, nobisque æternas aperit veritates: sed quæ simul nos de nostris officiis edocet, inter quæ non postremum locum obtinet Deo gratias agere propter innumera hæc beneficia, atque gratum testari animum summa officii fide ei famulantes.

III. 1. Nullum magis inevitabile officium est, quàm animi grati sensus ob ea beneficia, quibus a Deo fuimus cumulati; quia hæc totidem jura sunt, quæ habet in nos, & quæ alienari minimè possunt, veluti Creatoris, Redemptoris, Glorificatoris, & Remuneratoris omnium operum nostrorum, qui totidem tituli sunt, propter quos illi addictissimi esse debemus, & propter quos æternam ex nobis gratiam reposcit. 2. Nullum officium est, quod hoc magis negligatur. Ecclesia quidem omnibus fere, quas nobis præscribit, precibus gratiarum actiones immiscet; sed quàm rari sunt in fidelium cordibus sensus hujusmodi; cum interim verba in labiis eorum sint frequentissima? Nosmet excutiamus hac in re, satis est, intueamur quæ fecimus, facimusque, & videbimus. 1. Nos fere numquam eorum reminisci bonorum, quæ divina largitate aucti fuimus. 2. nos rarò, & perfunctoriè ob illa Deo gratias agere, eique debitas laudes persolvere. 3. nos nihil fere eidem præstare; hoc est nullas habere, agere, vel referre eidem gratias, qui quidem sunt gratitudinis actus ad examen revocandi, ut ob tantum ingrati animi vitium pudore suffundamur.

IV. 1. Obligatio, qua grati esse debemus beneficiis Dei, quæ quidem supremæ illius magnitudini, infinitæque innititur munificentiæ. Magnitudinem hanc obedientia, cultu, ac servitute colimus; quod non præstare non possumus, ad id enim nos cogit justitia. Hanc verò munificentiam amore, gratisque cordis sensibus honoramus. 2. Qualitates, vel conditiones, quæ in hac gratitudine requiruntur. Singularis esse debet; hoc est Deo uni accepta referre debet hæc beneficia, a quo profecta sunt, non autem industriæ nostræ, vel existimationi, neque sorti, & fortunæ. Universalis debet esse, Deum tamquam omnium bonorum nostrorum auctorem agnoscens. Denique debet esse perennis, numquam oblivioni tradens, sed semper ob oculos præsentia Dei habens beneficia.

V. 1. Rationes quæ singularem ex nobis erga Deum exigunt gratitudinem: videlicet innumerabilis beneficiorum illius magnitudo, quæ ab ipsa æternitate duxerunt initium, & quæ singulis vitæ nostræ momentis perseverarunt. Magnitudo quorumdam beneficiorum, puta Redemptionis, Vocationis ad Christianam Religionem, æternæ felicitatis, cujus illi uni debitores erimus. Et circumstantiæ, quæ beneficium hoc comitantur; veluti quia nostrum curam gesserit, quasi soli essemus in mundo; & quia beneficia, quæ communia sunt, tantum pro nobis sunt, quantùm si soli iisdem perfrueremur &c. 2. Ratio, qua illi grati animi sensus testari debemus; 1. eidem corda nostra amo-

amoris, 2. manus bonorum operum; 3. linguas jugi laudum, actionumque gratiarum sacrificio devoventes.

VI. Primum; quod nobis Deus præstitit, gratum ex nobis requirit animum. Omnia fecit, omnia dedit, omnia pertulit, idque tum pro singulis, tum pro omnibus.

Secundò. Quid pro Deo nobis in grati animi signum facere debeamus: Omnia conari, nosmet omnibus submittere; illi offerre, & devovere quidquid habemus, & jam pertinet ad illum: Nullos labores, nullas pro eo pœnas respuere.

VII. Gratitudo erga Deum in hoc posita est, ut 1. illum respiciamus veluti bonorum omnium auctorem, & fateamur, nos eidem omnia debere. 2. ut gratias ipsius, atque spiritualia bona majori in pretio quàm omnes mundi divitias habeamus, 3. ut bona illius, quæcumque illa sint, in eum usum impendamus, quem divinus hic Benefactor requirit.

VIII. Primò. Debemus Deo gratitudinem nostram, quatenus bonorum omnium auctori; ideoque teterrimum est ingrati animi vitium, illi ab ea gratias non agere, immo neque habere, & numquam cogitare, quod illi omnia debemus. 2. Quatenus fini ad quem omnia referenda sunt, cum ille omnia ad majorem sui nominis gloriam perfecerit; unde sequitur donis, ac beneficiis ipsius nobis utendum non esse, nisi ut eidem inserviamus, quod præclarissimum est nostræ gratitudinis signum.

IX. De ingratitudine. Tria potissimum sunt ingratorum erga Deum genera.

Primæ sunt animæ, quas steriles voco, quæ quidem læto, alacrique animo Dei Beneficia, & gratias recipiunt, sed eas numquam Deo acceptas referunt.

Secundæ sunt animæ sine sensu, quæ hæc eadem beneficia percipiunt, quin tamen ullo afficiantur amoris, & grati animi sensu erga Benefactorem suum, & qui omnia bona meritis suis debete sibi persuadent.

Tertiæ sunt animæ pravæ, quæ Dei donis abutuntur, eaque in scelerum materiam convertunt.

X. 1. Quàm commune sit ingrati animi vitium, & qui eidem obnoxii sint, quin ne cogitent quidem. 2. Quàm grave, & contumeliosum Deo sit hoc peccatum. 3. Quàm districtis puniatur suppliciis, & quomodo illud Deus pati numquam potuerit.

XI. Punctum Primum. Plures ingrati sunt, quàm vulgò existimetur: tot enim sunt, quot mortales, qui Deo gratias non habent, qui oblivioni tradunt illius beneficia, vel qui eadem suæ vertunt indoctriæ; & demum qui abutuntur iisdem.

Punctum alterum. Plus improbitatis in ingrati animi vitio invenitur; quàm existimetur. Ibi enim non deest contemptus, injustitia, superbia &c. *Ex morali Dictionario.*

XII. 1. Ingratitudo & Deo, & hominibus invisa est, est tamen vulgatissima. 2. Peccatum est, quod fideles omnes detestari tenentur; quod tamen paucissimi evitant, & cui omnes fere obnoxii sunt.

XIII. 1. Deus omnem gloriam suam statuit nobis benefaciens. In natura, gratia, gloria æternum omnium horum bonorum illi erimus debitores. 2. Hominum plerique gloriam suam constituunt Deum lædentes, ac bono malum, teterrimo ingrati animi vitio, rependentes. *Essais de Sermons Tomo* 2.

XIV. Sanctus Bernardus tres ingratitudinis gradus animadvertit.

Primus in hoc positus est, ut acceptum non intelligatur beneficium.

Alter est, Benefactori debitas non agere gratias.

Tertius est, par pari non referre beneficio reciproco, cum hoc in nostra sit potestate, & nobis adsit occasio. Hoc autem in plerisque hominibus deprehenditur. 1. Cognoscere nolunt, quid debeant Deo. 2. illi ne gratias quidem agere volunt. 3. Nihil conantur, ut referant gratias, & suam illi testatam faciant animi gratitudinem.

Hoc ingratitudinis crimen meritò oderunt omnes, qui de eodem verba fieri vix audiunt, quin suam testentur indignationem. At si talis est erga homines ingratitudo, quid erga Deum erit? XV.

Primum, quia hoc pacto injustè detrectamus Benefactori nostro habere, & agere gratias, cui, quidquid nobis est, esse, vivere, &c. debemus.

Secundò, Beneficia in pravum usum convertimus contra benefactoris honorem, & voluntatem.

Tertiò, quia Deum lædentes illi malum pro bono reddimus; quia illum offendere non possumus quin ipso contra ipsum abutamur.

1. Hujus vitii indignitas, quod proficisci non potest nisi ex omnimoda corruptione. Omnium principiorum honoris, probitatis, & religionis. 2. Rationes illius evitandi, quæ sunt, sæpe Dei beneficia animo reputare, illi gratias agere, ac palam nos eidem omnia debere profiteri &c. XVI.

Sermo potest institui de beneficiis, quæ ultrocitroque sibi conferunt homines; ubi tria possunt considerari. XVII.

1. Quomodo collocandum sit beneficium; in hoc enim plurimum prudentiæ requiritur, quamvis Christiana charitas jubeat, de omnibus bene mereri. 2. Quomodo sit recipiendum; quod enim Ethicæ Philosophiæ articulum constituit, fieri potest Christianæ virtutis argumentum: *Qui gratè beneficium accepit, primam ejus pensionem solvit.* 3. Quomodo referendum sit; ubi latus aperitur campus disserendi de grati animi officio, ac de illius conditionibus.

De rationibus, & causis, propter quas ingrati animi vitium fugere debeamus. XVIII.

1. Quia nihil est, quod Deus tantum odetit, quantum hoc vitium, quod Sancto Bernardo teste gratiæ hostis est, atque saluti oppositum in illis præsertim, ex quibus insigniora beneficia arctiorem gratitudinem poscunt: *ingratitudo hostis est gratiæ, inimica salutis.* Quapropter Salvianus ait, nihil magis ad iracundiam excitare Deum, quam ingratitudinem, quæ origo est omnium vitæ calamitatum, benefactorum annihilatio, & meritorum omnium jactura. 2. quia ingratis Deus aufert gratias, & beneficia, quæ illis conferre consueverat. Nam, ut Sanctus Bernardus inquit, gratiarum fons exarescit, eaqua vasa, quibus recipiebatur, nihil ad illum perennandum contribuunt, *Gratiarum cessat decursus, cum recursus non fuerit.* Quamobrem Sanctus Augustinus ait, Deum ingrato non auferre solum, quod largè, effusèqua donaverat, sed si quid illi adhuc superest nonnisi ad ingrati interitum inservire; *Quod Deus dederat gratis, tulit ingratis: nemo enim donis Dei beatus, qui donanti extitit ingratus,* 3. Quia ingratitudo obicem ponit gratiis, quæ sunt necessariæ ad hominem in via salutis deducendum; etenim, ut Sanctus Gregorius inquit: *non est dignus datis, qui non agit gratias de datis*, Quapropter Sanctus Bernardus dicere consueverat, ingrati animi vitium esse ignem exsiccantem gratiarum fontem, esse vallum torrentibus divinæ misericordiæ oppositum, & secretum obicem, favoribus, quos ad salutem nostram procurandam Deus nobis concedit. *Liber, cui titulus, Concionator Evangelicus.*

In mundo tria video hominum genera triplici in statu. XIX.

1. Animas steriles, quæ Dei gratias, & beneficia non recognoscunt; ea quidem cum voluptate respiciunt, recipiuntque; at Deo illas acceptas non referunt. Hæ steriles sunt animæ. 2. Animas stupidas, quæ divinis cumulantur gratiis, quin ne sentiant quidem; & quemadmodum sibi persuadent omnia bona ex ipsarum virtute profecta esse, illis gaudent, quin eorum Deum esse auctorem animadvertant. 3. Denique pravæ sunt animæ, quæ Dei donis abutuntur, ut in peccatorum materiam convertant, & quas nocentes dicere possumus, quia bonus est Deus. Tria hæc mortalium genera

genera damnanda suscipio, sanctam gratitudinem commendaturus, atque ostensurus, quomodo sese gerere fideles debeant, cum divinis beneficiis cumulantur. *Ex manuscripto Sermone.*

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest ad hæc argumenta pertractanda.

Sancti Patres.

SAnctus Ambrosius *Serm.* 43. docet jugiter nobis gratias agendas esse Deo propter beneficiorum multitudinem.

Idem, *libro de Jacob, & vita beata*, plurima, eaque præstantissima habet de gratitudine.

Idem, de eadem re loquitur etiam libro primo Officiorum cap. 31.

Idem, lib. 6. Hexamer. cap. 4. fusiùs persequitur exemplum Tobiæ junioris, & beneficia, quæ ab Angelo Raphaele recepit.

Sanctus Hieronymus, *in Comment. in Epist. ad Ephes. cap.* 5. docet gratias agendas Deo cum in prosperis, tum in adversis.

Idem, lib. 3. in cap. 12. Prophetæ Osee hæc explicans verba: *Ego Dominus Deus tuus, eduxi te de terra Ægypti*, recenset beneficia, quibus Deus populum Israel affecerat.

Idem, in cap. 13. ejusdem Prophetæ in hæc verba: *Elevaverunt cor suum, & obliti sunt mei*, loquitur de ejusdem populi ingratitudine, deque suppliciis, quæ illam subsecuta sunt. Fusius etiam hac de re loquitur in caput primum Malachiæ Prophetæ.

Idem, in cap. 3. Prophetæ Sophoniæ latè disserit de pœnis, quas ab ingratis Deus expetit.

Sanctus Gregorius, *l.* 28. *Moral. cap.* 6. docet nostram erga Deum gratitudinem in hoc positam esse, ut beneficiorum ejus meminerimus, & quo in statu eramus, antequam illis augeremur.

Idem, lib. 2. in libros Regum prolixam habet recensionem beneficiorum, quibus a Deo cumulati fuimus, non sine animadversionibus in eadem beneficia.

Sanctus Augustinus, *lib. de spiritu, & Anima, Incerti Auctoris*, prolixè narrat ea, de quibus Deo gratias agere debeamus.

Idem, in Psal. 102. hæc explicans verba: *Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus*, excitat homines ad amorem Dei ex beneficiorum ejus consideratione.

Idem, in Psalmos 32. & 34. ostendit quam æquum sit Deo de beneficiis gratias agere.

Idem, *in libro de diligendo Deo*, prolixum habet ejusdem argumenti sermonem, ubi ostendit quàm indignum sit esse ingratum.

Idem, in Soliloquiis recenset beneficia, quibus ipse a Deo affectus est, eique humillimè gratias agit.

Cassianus, *Coll. 9. cap. 14. & 15.* loquitur de gratiarum actionibus, quæ Deo sunt reddendæ.

Sanctus Basilius, Homilia 5. de S. Julia Martyre loquitur de gratitudine, oppositoque vitio.

Idem, *in regulis fusius disputatis*, satis prolixè docet, quomodo cogitatio, & memoria beneficiorum Dei validum est subsidium ad nos ad Dei amorem excitandos.

Sanctus Chrysostomus in Homiliis 9. 13. 26. & 27. in Genesim, docet, quem Deo grati animi sensum debeamus, illius beneficia perpendit, & ad gratias habendas excitat.

Idem, *lib. 2. de Compunctione cordis c. 6.* ostendit verum fidelem respicere bona, quæ Deus omnibus confert, tamquam sibi uni collata.

Idem, in hæc Psalmistæ verba: *Confitebor tibi Domine in toto corde meo*, ostendit praxis hujus præstantiam, gratias videlicet ob accepta beneficia agendi Deo.

Idem, *Homil. 8. in Epist. ad Coloss. & Homil. 26. in S. Matth.* fusè loquitur de gratiarum actionibus, quas debemus Deo.

Idem, *Homil. 2. in Epist. ad Rom.* docet Deo gratias habendas ob ea, quæ vel bene, vel malè accidunt nobis.

Idem, *Homil.* 38. *in Acta Apostol.* populum hunc hortatur ad Dei beneficia memoria repetenda.

Sanctus Bernardus sermonem edidit, qui inscribitur: *Contra pessimum vitium ingratitudinis.*

Idem, Sermone 13. & 14. in Cantica ex intuitu, & memoria beneficiorum Dei seipsum ad illius amorem excitat.

Idem, *lib. de diligendo Deo*, ostendit Deum propter in nos collata beneficia a nobis esse diligendum.

Idem, *Serm. 2. de septem misericordiis*, prolixum habet sermonem, quo ostendit quam odiosa sit ingratitudo.

Idem, *Serm. 51. in Cantica*, docet, fontem beneficiorum Dei ingratitudine exsiccari.

Idem, *Serm. 11. in Psal. Qui habitat*, ostendit gratias agendas Deo pro collatis beneficiis.

Idem, *Serm. 27. de diversis*, docet ingratitudinem causam esse, propter quam Deus non est amplius in nos æque liberalis, ac in alios fuit.

Ascetici, aliique.

Liber de Imitatione JESU CHRISTI, lib. 2. cap. 10. & lib. 3. cap. 22.

Ludovicus Granatensis in Peccatorum Duce l. 1. cap. 2. & sequen. de gratitudine loquitur, & ingratitudine.

Jacobus Alvares, *de adept. virt. l. 3. p. 2. §. 7.*

Petrus Sanchez, *de Regno Dei p. 6. c. 5.*

Bernardinus Rossignolius, *lib. 4. cap. 25. de Disciplina Religiosa.*

P. Caussinus in Aula Sancta lib. 1.

P. Saint-Jure, in libro de cognitione, & amore Domini.

Charon in Sapientia, lib. 3. cap. 11.

P. Honoratus Nicquet, librum edidit, cui titulus: *Stimulus ingrati animi*; ubi collegit ea ferme omnia, quæ de hoc argumento dici possunt.

P. de la Colombiere, in Christianis Considerationibus, de ingrati animi vitio verba facit.

Lucas Pinelli, *l. 3. de Perfect. cap. 4.*

Auctor Tractatus de Oratione in septem libros divisi; lib. 3. c. 5. loquitur de actione gratiarum, & plures adfert animadversiones, quæ fieri possunt de beneficiis Dei.

Busæus in Enchiridio plures habet de divinis beneficiis meditationes.

Concionatores.

Mathias Faber, *Con. 2. in Dom. 13. post Pentec.*

P. Segneri, Concionator Italus sermonem edidit de ingratitudine, ubi ostendit, eos qui a Filio Dei majoribus cumulati fuerant beneficiis, eidem infensissimos extitisse. Sermo hic in illius extat Quadragesima.

P. Texier in Dominicali decimatertia post Pentecosten Dominica.

De la Font in Ecclesiasticis Sermonibus in eamdem Dominicam.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta sermonem habet hujus argumenti pro eadem decimatertia Dominica.

In Morali Dictionario Tomo 3. duos deinceps sermones de ingratitudine invenies.

Ejusdem quoque argumenti sermonem invenies inter eos, qui sub Pat. Bourdalove nomine circumferuntur.

Qui collectanea edidere.

Busæus, *in Panario*. Tit. *Ingratitudo.*

Idem, *in Viridario*. Tit. *Gratiarum actio.*

Stapletonus, in Promptuario Dominica decimatertia post Pentec. Text. 5. & in Dominic. Palm. Textu 5.

Berchorius.
Summa Prædicantium.
Labatha.
Lohner.
} Tit. *Ingratitudo*, & *Gratiarum actio.*

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Scripturarum Applicationes huic Argumento.

HÆccine reddis Domino popule stulte & insipiens? Numquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creavit te? Deut. 32.

Deum qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui. Ibidem.

Et nunc Israel, quid Dominus Deus petit à te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis ejus, & diligas eum, custodiasque mandata Domini, ut benè sit tibi? Deut. c. 10.

Manus nostra excelsa, & non Dominus, fecit hæc omnia (dicunt impii.) Ibid. c. 32.

Retribuebant mihi mala pro bonis. Psal. 34.

Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. Psal. 33.

Patres nostri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua: non fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ. Psal. 105.

Obliti sunt operum ejus. Ibidem.

Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Psal. 115.

Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique, tu vero homo unanimis, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos. Psal. 54.

Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo ejus. Prov. 17.

Ingrati spes tamquam hybernalis glacies tabescet, & disperiet tamquam aqua supervacua. Sapient. 16.

Filios enutrivi, & exaltavi: ipsi autem spreverunt me. Isaiæ 1.

Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui; Israel autem me non cognovit, & populus meus non intellexit. Ibidem.

Quid est quod debui ultrà facere vineæ meæ, & non feci? An quòd expectavi ut faceret uvas, & fecit labruscas? Idem, cap. 5.

Eris deserta, quia oblita es Dei Salvatoris tui, & fortis adjutoris tui non es recordata. Idem, cap. 17.

Nunquid redditur pro bono malum, quia foderunt foveam animæ meæ? Jerem. c. 18.

Major effecta est iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum, quæ subversa est in momento. Thren. 4.

Adimpleti sunt, & saturati sunt; & levaverunt cor suum, & obliti sunt mei. Oseæ, c. 13.

Glorificantes Dominum quantumcomque potueritis, supervalebit adhuc, & admirabilis magnificentia ejus. Eccli. 43.

Non est inventus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. Luc. 17.

Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Ad Rom. 1.

Grati estote; orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione. Ad Coloss. 3.

Gratias agite in omnibus; hæc est enim voluntas Dei in Christo Jesu in omnibus vobis. 1. Ad Thessal. c. 5.

Offeramus hostiam laudis semper Deo. Ad Hebr. cap. 13.

Veteris, novique Testamenti exempla.

De Patriarcha Joseph.

DUo nobis insignia suppetunt exempla, alterum quidem ingratitudinis, alterum verò gratitudinis erga Sanctum Patriarcham Joseph, ac tertium in ipso Joseph effectus illius, quem in bonæ indolis homine, & aliquod honestatis, & probitatis principium habente gratitudo parere debet. Primum est ingratitudo Pincernæ Pharaonis erga Joseph. Minister hic in carcerem conjectus cum pollicitus fuisset se remuneraturum officium illud, quod sibi præstiterat Joseph felicem exitum vaticinatus; hic Minister, inquam, dignitati suæ restituendus, quemadmodum concaptivus ille suus eventurum prædixerat *succedentibus prosperis*, ut ait Scriptura, oblitus est, quod promiserat, libertatem illius videlicet se totis viribus procuraturum. Aliter cum Josepho se gessit Pharao; satis enim constat quibus honoribus remuneratus fuerit operam sibi præstitam ab hoc Israelita, qui prudentia sua futuris egestatibus populi consuluerat, ne septem illis, quos portenderat, charitatis annis interiret. Sed ipse etiam Joseph præclarum esse potest gratitudinis exemplum, cum ab impudica domina ad adulterium sollicitatus, ab eodem longissimè abhorruit memoria repetens ea, quæ ab infidelis fœminæ viro domino suo acceperat beneficia. Quomodonam, inquit ille, post tot bona, quibus cumulatus sum, post tot amoris argumenta assentiar teterrimo sceleri, ac me turpissimæ ingratitudinis nota dedecorem? *Quomodo ergo possum hoc malum facere?* Genes. 39.

Gratitudo erga Danielem.

Gratitudo Nabuchodonosor, & Balthasar erga Danielem non minus insignis est; nullum enim honoris, aut dignitatis genus illi collatum non fuit in præmium eorum, quæ Propheta hic Regibus illis, Regnoque officia præstiterat.

Assueri erga Mardochæum gratitudo.

Sed Regis Assueri erga Mardochæum gratitudo, quæ in libro Esther narratur, satis cognita est, ut hic non sit immorandum: sufficit solum animadvertere modum, quo Princeps ille se gessit, de quo in delectis Auctorum locis sermo recurret.

Gratitudo, quā Deus semper expetiit a populo suo pro beneficiis, quæ eidem cōferebat.

Deus a populo suo aliqua semper expetiit grati animi indicia, pro beneficiis, quibus illum augebat; & sanè liquet, omnes solemnitates, cæremonias, sacrificia in populo instituta peculiare aliquod beneficium indigitasse, veluti Pascha, Tabernaculorum festivitatem &c. qua re ostendebat Deus se velle, ut beneficiorum sibi collatorum populus ille æternam servaret memoriam.

Gratitudo Josue.

Hoc intuitu in libro Josue scriptum est summum hunc Israelis Imperatorem, cum Jordanem traduxisset, præcepisse, ut duodecim lapides ex ejusdem fluminis alveo educti erigerentur in monumentum, futurum æternum gratitudinis suæ testimonium. Eademque de causa Patriarchæ veteres cum a Deo aliquam obtinuissent gratiam, statim erigebant altare, atque extollebant lapidem in grati animi titulum, ut æternum foret monumentum beneficii, quod a Domino acceperant. Infiniti esset operis istic omnia laudum Cantica, omnes gratiarum actiones, omnesque recensere occasiones, quibus veteris testamenti heroes gratitudinem suam testari fuere. Aliqua tantum afferam exempla hoc in argumento certè non omittenda.

Exemplum Tobiæ.

In Scripturis narratur Tobias; cum ad se filium evocasset, atque ea recensuisset beneficia, quæ ab ignoto viro acceperat, juniori Tobiæ dixisse: Heus, fili mi, quam parem referre poterimus fidelissimo huic duci tuo gratiam? Nosti, pater mi, reddidit filius, quantum illi debeamus; ex plurimis, gravissimisque periculis me eruit, in itinere tanta cura, & fide mei curam gessit, quæ explicari vix potest; mihi conjugem virtutibus ornatissimam consociavit; auri vim, cujus te jacturam fecisse putabas, exegit. Hæc illius sunt beneficia, quid pro illis rependemus? Duo hi sancti viri in remunerationis argumentum bonorum suorum partem offerunt illi, sed gratias egit Angelus, dixitque eis, scitote, non mihi, sed Deo, a quo in familiæ vestræ solatium missus sum, a vobis gratias esse referendas.

Judæ Machabæi gratitudo.

Judas Machabæus, ac omnis Judæorum populus liberati de plurimorum hostium terrore, a quibus incessanter affligebantur, Aristobulo scripserunt: Si pluribus præliis victores fuimus, si deleti sunt hostes nostri, hoc opus fuit Providentiæ

Dei,

Dei, qui nos de periculis eruit, nosque tutatus est, & cui magnificè gratias agimus. *De magnis periculis a Deo liberati magnificè gratias agimus ipsi.* (2. Machab. 1, 2.)

Exemplum ingratitudinis Salomonis.

Quin verba faciamus de Judaici populi ingratitudine; de qua toties in Scripturis conqueritur Deus, & cujus sexdenta afferri possent exempla; satis erit meminisse quorumdam virorum, à quibus Deus insignes pœnas poposcit. Si quis unquam Deo suo majorem testari debuit gratitudinem, hic sanè Salomon fuit, quem Deus tot beneficiis cumulavit. Liquet nihilominus quousque illius processerit ingrati animi vitium, quandoquidem pellicum suarum numinibus adolevit thura, Templaque ædificavit. Amatus a Domino, cumulatus gloria, eaque sapientia donatus, cui similem mortalium nemo unquam habuit, ita suiipsius oblitus est, ut vix fides adhiberi posset, nisi Scriptura in illius persona, & mirabilem magnitudinem, & monstrosam ostenderet ingratitudinem; hinc quidem eximiam sapientiam, inde verò incomprehensibilem mentis evagationem.

Ingratitudo Jeroboam.

Jeroboam filius servi Salomonis, & qui & genere, & animo procul a regno abhorrebat, longè fœdius ingratitudinis præbet exemplum. Didicerat ex Propheta, Dei voluntatem esse, quod ipse super decem Tribus regnaret; neque eum vates fefellit. Servus ad hunc honoris apicem evectus, singularem profectò ob insperatum beneficium domino gratiam debebat; sed statim ac vidit decem tribus suo subjectas imperio, hæc secum: Si patior, populum hunc Jerosolymam ad sacrificandum Domino pergere, quamprimum in partes Roboami, a quo secessit, concedet; operæ igitur pretium est aureos conflare vitulos, populoque omnem Jerosolymam versus iter interdicere, eique hæc numina proponere, quasi ope illorum ex Ægypti servitute fuisset eductus. Hoc ille consilium iniit, atque idola alterum quidem in Bethel, in Dan alterum ipse constituit.

Exemplum Amasiæ.

Amasias Rex Israel duplici insigni prælio, quo palam Dei præsidium fuerat expertus Idumæos, & filios Seir fuderat, atque fugaverat; & nihilominus tam citò gratiæ hujus oblitus est, ut ex quo victarum gentium Deos veluti in triumphum abduxit, ille primus iisdem cultum adhibuerit, eosque Jerosolymæ colendos proposuerit. Ingrate dixit illi Propheta missus a Deo, hæccine gratitudo est, qua illud præsidium, quo Deus adfuit tibi, rependis? Ideo decrevit Dominus tibi mortem inferre, neque in hostium suorum manibus tradere. *Scio quod cogitaverit Deus occidere te, quia fecisti hoc malum.* (2. Paral. 25.)

Parabola ficulneæ Evangelicæ.

In Evangelio quædam deprehendimus vestigia gravissimæ illius severitatis; quam exercet Deus erga eorum ingratitudinem, quos suis gratiis maximè cumulavit. Testis est Parabola ficulneæ igni addictæ, quia sterilis erat. Etenim quò majorem curam olitor (Sanctus Chrysostomus inquit) impendit arbori alicui excolendæ, eò magis in arborem hanc irritatur, fructum nullum ferentem. Quid dicam de servi pœna in exteriores tenebras projecti, quod ex credito sibi talento lucrum non comperat? Quid de minis, quas intentavit Deus urbibus Bethsaidæ, Corozain, atque Capharnao, ob earum ingratitudinem, & infidelitatem?

Judæorum in Salvatorem ingratitudo.

Nemo unus ignorare potest JESU CHRISTI erga Judæos beneficia, quos reliquis omnibus populis prætulerat. Inter illos nasci dignatus est, apud illos toto vitæ suæ tempore est commoratus; illos primis doctrinæ suæ luminibus illustravit; illos sermonibus, & exemplis erudiit, in eorum gratiam infinita miracula operatus est; nihilque prætermisit, ut eorum salutem procuraret, illos ad personæ, & mysteriorum suorum attrahens cognitionem. Sed satis est oculos fortuitò in Evangelium conjicere, ut perfidi hujus populi ingrati animi vitium innotescat. Hic illum ex oppidis ejiciunt, illic insidias struunt; modò illum lapidibus conantur obruere, modò præcipitem de montis cacumine deturbare; tandem verò illi vitam turpissimo & crudelissimo auferunt supplicio. Sed quas pœnas ingratus hic, perfidusque populus dederit, & quomodo gens olim adeo dilecta fuerit reprobata, satis innotescit.

Exemplum decem leprosorum, ex quibus unus tantum Filio Dei gratias egit.

Particulare suppetit nobis exemplum ingratitudinis in Evangelio de decem Leprosis; qui enixis precibus a Filio Dei salutem obtinuere. Diligentissimè quidem ea præstiterunt, quæ sibi a Domino fuerant imperata, ut mundarentur; sed in ipso itinere, & citiùs, quàm sperabant, mundatis, unus dumtaxat reversus est benefactori suo gratias acturus, quod occasionem præbuit, ut quasi conquerens JESUS interrogaret, nonne decem mundati sunt? Et novem ubi sunt? Nemo est, qui sit reversus ut daret gloriam Deo, nisi hic alienigena, & sanè Samaritanus erat.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic argumento.

Deus per Prophetam Judæis ingratitudinem exprobrat.

Filios enutrivi, & exaltavi; ipsi autem spreverunt me. Isaiæ 1. Deus ostensurus quantopere ingratitudinem horreat, voluit Isaiam Prophetam sermones suos incipere populo hæc exprobrantem. Poterat ille quidem de pluribus rebus conqueri propter infinita ab eodem patrata scelera; sed quin cæterorum meminerit, unicè illum ingratitudinis nomine redarguit, quippe quod hoc scelus est aliorum principium, ac reliqua continens. Itaque amarissimis conqueritur verbis, quæ satis illius exprimunt indignationem, Cœlum terramque testatus. *Audite cœli, & auribus percipe terra*, & populum arguit, quod ipsis etiam stupidissimis animantibus insipientior illum minime cognoverit: *Cognovit bos possessorem suum.*

Deus in Eucharistia hominibus reliquit modū illis gratias agendi ob accepta beneficia.

Accepit panem, & benedixit, ac fregit, &c. Matth. 26. Nemo unus ignorat, Eucharistiæ nomen significare gratiarum actionem. Sed Divus Chrysostomus, aliique Patres in hoc nomine, quod Filius Dei tribuit adorabili Corporis, & Sanguinis sui sacrificio id animadvertunt, quod hoc in argumento prætermittendum non est: Videlicet homines cum minimè pares sint referendis gratiis magnitudini, numeroque beneficiorum Dei; eo quod illos ingratos pati non poterat, illis hoc reliquisse sacrificium, ut quantum a Dei largitate obtinuissent, tantum eidem referre possent, offerentes Sacrificium, quod offerre potest Deo tantum gloriæ, quantum aliis quibuscumque beneficiis meretur.

Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Psalm. 115. Quærit Sanctus Augustinus, cur dicat Propheta; *pro omnibus, quæ retribuit mihi*; quasi Deus creaturæ bene faciens, aliquid illi, ad ipsam pertinens restitueret. Et Sanctus hic Doctor respondet, nos ex nobis nullum habere meritum, immo e contra multa, magnaque demerita: *Non merita, sed demerita, multa, & magna.* Attamen nos prævenit Deus gratiis suis; quod cogit, ut pro eodem grati animi sensus foveamus.

Ingratus privatur bonis, quæ a Deo recepit, ac se præbet indignum alia recipiendi.

Habenti dabitur; ab eo autem, qui non habet, & quod habet, auferetur ab eo. Luc. 19. Quomodo auferri potest non habenti id, quod non habet? In ingrato hæc verba adimplentur, ac simul utraque hæc inveniuntur habere, & non habere; ingratitudo enim primas aufert gratias, & secundas avertit. Meretur ingratus ejus boni, quod recepit, subire jacturam, illud verò, quod nondum recepit, non obtinere meretur.

Fecisti mala, & potuisti? Jerem. 3. Te Deus beneficiis cumulavit; tu autem quam illi gratiam rependisti? Vel potius, o Fidelis, quæ mala, omnibus optimi, ac liberalissimi hujus parentis largita-

tibus retribuisti : *Fecisti mala*. Si loqueris, ideo loqueris, ut illum lædas; si ad Templum ejus accedis, ideo accedis, ut irreverentiis tuis insultes, viden te sine ulla reverentia mandata illius contemnentem, infringentem leges, dogmata vitiantem, verba in jocum vertentem, *Fecisti mala, & potuisti*? Eheu! loquere igitur, propter quam ex hisce gratiis, ingrate, arma in Deum tuum distringis? Quare adeo parum te ipsius movent beneficia, & malum pro bono eidem retribuis?

Gratitudo erga Dei beneficia meretur recensia. *Cecidit in faciem ante pedes ejus, gratias agens*, *Luc.* 17. Hoc fecit unus ex decem leprosis, qui à mundi Salvatore mundati fuerunt, cum reliqui eodem beneficio affecti gratias agere neglexerunt, Illud verò notandum est, illum, qui commotus fuit miraculo, quod in se patratum fuerat a Salvatore, & qui clara voce sanctum nomen illius glorificavit, alienigenam fuisse, & Samaritanum. Homo hic in erroribus innutritus, ideoque etiam in rebellione, revertitur ad benefactorem suum, eumque professus unicum illius mutationis, quæ in se facta fuerat, auctorem, cordis sui gratissimos sensus conatur exprimere. Hæc gratitudo, quæ hodierna die inter homines adeo rara est, novas meretur benedictiones: Deus enim mnè dona sua conferre gestit, ubi sibi gratiam referri videt, neque fatigatur beneficia sua in animas effundere, quæ illius misericordias prædicare detrectant, Ita Salvator felicissimi hujus leprosi expectationem cumulavit, pluraque iis contulit; quæ desiderabat. Corporis enim tantummodo curationem postulabat, & animæ salutem recepit. Hæc

Luc. 17. fuit fidei illius remuneratio: *Surge, vade, quia fides tua te salvum fecit*.

Liberalitas omnibus placet nemo enim est, qui beneficia recipere nolit, gaudeat, *Pertransiit benefaciendo, & sanando omnes*: *Act.* 10. Quædam virtutes non omnibus arrident; justitia improbis non placet; neque modestia illis, qui fortitudinis caracterem in superbia constituunt, Sapientia apud illos suspicione non caret, qui in moderatione aliquam semper latere fraudem arbitrantur; at nemo non celebrat liberalitatem, ac animi studium, quo de cæteris mereri perquam bene contendimus, Quamobrem Sanctus Petrus, ut sublimem de mundi Salvatore conceptum adstrueret, postquam dixit illum supremum esse rerum omnium Dominum, credidit nihil majus, & magnificentius, simulque aptius ad persuadendum Thessalonicensibus illum Dei Filium esse, dici posse, quàm si ea celebraret beneficia, quæ ab ipso mortalibus omnibus conferebantur. *Pertransiit benefaciendo, & sanando omnes*, Et sane Principum virorum potentia, nequaquam sibi conciliat amorem infirmorum, qui magis metuunt, ne opprimantur, quam sperent se ope illorum adjutum iri; sed liberalitas, ac bene merendi studium semper cum dantibus, tum recipientibus accepta sunt;

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum, hujus Argumenti.

Ingratitudo est radix totius mali spiritualis, & ventus quidam desiccans & urens omne bonum, obstruens fontem misericordiæ super hominem. Aug. cap. 18. Soliloq.

Quanto magis homo fruebatur Deo, tantò majore impietate dereliquit Deum, & factus est malo dignus æterno, qui hoc in se peremit bonum, quod posset esse æternum. Idem, lib. 21. de Civit, cap. 17.

Gratias agere Deo possumus, referre non possumus. Idem, in Psal. 47.

Qui primi superbi, primi etiam fuerunt ingrati. Idem.

Volo te scire habere (aliqua bona) ne sis ingratus; sed volo te scire non habere ex te, ne sis superbus. Idem, in Psal.

Pietas seu Dei cultus in hoc maximè constituta est, ut anima ei non sit ingrata. Idem, lib. de spiritu & littera, c. 11.

Deus ingratos prorsus ignorat. Idem.

Deo gratias agere, & sentire omnia bona à Deo data esse, & pro ipsis ipsum laudare, in ipsum credere ore, & opere. Idem, super Epist. ad Roman.

Cum homines non ad suum referunt authorem dona Dei; hoc ipso malè iis utentes efficiuntur injusti. Idem, l. 4. contra Julian. c. 3.

Si accipientes divina munera, taciti & immemores fuerimus, tanquam ingrati & indigni eorum subministratione fraudabimur. Sanct. Ambrosius, Serm. 42.

Ingrati sunt qui Deum benefactorem non agnoscunt, & quasi servi Dominum non metuunt. Idem, Serm. 40.

Quis non erubescat gratiam benè de se merentibus non referre, cum videat etiam bestias refugere nomen ingrati? Illæ impertita alimonia servant memoriam, tu non servas salutis acceptæ? Lib. 6. Hexam.

In beneficio referendo plus animus quàm sensus operatur; gratia in eo ipso quod habetur, refertur. Idem, l. 1. Offic. c. 32.

Meliora meretur suscipere qui collata bona de corde non probatur amittere. Cassiod. in Psal.

Invitat ad magna, qui gratanter suscipit modica, & spem de futuris recipit, qui transacta beneficia recognoscit. Idem, in Epist.

Quid tam Regium quàm fecisse felicem, & eò usque præstare, quo se erectus stupeat attigisse? Idem, l. 5. Epist. 11.

Quantò majora beneficia sunt hominibus collata, tanto graviora peccantibus judicia sunt constituta. Chrysost. super Matth.

Optima beneficiorum custos est ipsa memoria beneficiorum, & perpetua confessio gratiarum. Idem, Homil. 25. sup. Matth.

Quomodo ei placere potest cujus munus displicet? Tertull. l. de Pœnit.

Homo vide quæ pro te patior, vide clavos quibus configor, vide pœnas quibus afficior; & cum sit tantus dolor exterior, interior tamen planctus est gravior, dum ingratum sic te experior. S. Bonav. Serm. 60. de Pass. Domini.

Accipe beneficium, redde obsequium, cave supplicium. Hugo à S. Vict.

Omnia quæ ad usum vitæ accepimus, ad usum vitæ convertimus. Bernard. l. de anima.

Peremptoria res est ingratitudo, hostis gratiæ, inimica salutis. Idem, in quodam Serm.

Nihil ita displicet Deo, præsertim in filiis gratiæ, quemadmodum ingratitudo; vias enim obstruit gratiæ. Idem, Serm. 7. de panibus.

In primo opere (id est in creatione) me mihi dedit, in secundo se, & ubi se dedit, me mihi reddidit; datus ergo, & redditus me pro me debeo, & bis debeo; quid Deo retribuam pro se? Nam si me millies rependere possim, quid sum ego ad Deum? Idem, l. de diligendo Deo.

Ingratitudo est inimica animæ, exinanitio meritorum, virtutum amissio, beneficiorum dispersio, ventus urens, siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ. Idem, Sermone 51. in Cantic.

Vide quanta largitus est, dupliciter gratis fecit, & sine merito tuo, & sine labore tuo. Idem, Serm. 14. in Psal. 90.

Accipere indignus est qui fuerit ingratus. Idem, de 7. misetie.

Tum maximè Deus ex memoria hominum elabitur, cum beneficiis ejus fruuntur. Lactant. l. 2. Institut. div. c. 1.

Judæos nihil magis perditioni dedit, quàm quod ingrati Deo esse voluerunt. Chrysost. Homil. 26. in Matth.

Esto gratus pro minimo, & eris dignus majora accipere.. Lib. de Imitat. Christ. l. 2. cap. 10.

Viscata & hamata beneficia. Seneca, lib. 3. de benef. cap. 6.

Ingratus est qui beneficium accepisse se negat quod accepit. Idem, ibid. c. 1.

Interdum beneficii solutio est ipsa confessio. Idem, Epist. 83.

Hoc inter duos beneficii lex est, alter statim oblivisci debet dati, alter accepti numquam. Idem, l. 2. de benef. c. 10.

Prima beneficii pensio est meminisse. Idem, ibid. cap. 22.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia penu ad hoc argumentum depromi queat.

Gratitudinis notio, & definitio.

GRatitudo, vel cecognitio generatim, virtus est qua recognoscimus, laudamus, & pro viribus rependere adnitimur beneficia, quæ ab aliquo accepimus. Hinc facile est ejus gratitudinis, quod Deo debemus pro beneficiis, quæ indesinenter ab ipso recipimus, ideam concipere; si dixerimus cum Sancto Anselmo, hanc esse; profiteri omnia bona, quibus fruimur, a Deo proficisci, illi benedicere, illique habere, agere, & referre, corde, voce, & opere gratias. Sanctus Thomas addit hanc specialem esse virtutem a reliquis omnibus distinctam, quia causa illius est diversa; quamquam plurimum habeat justitiæ, pietatis, & religionis, cum quibus vulgo confunditur.

2. 2. q. 106. art. 2.

Tenemur gratiam benefactoribus nostris rependere.

Idem Sanctus Thomas articulo tertio, probat nos pro viribus teneri benefactori nostro gratiam rependere, eique pro magnitudine beneficiorum, quæ nobis collata fuerunt, gratiarum actiones offerre, sive, inquit ille, quia rebus in omnibus gratos nos esse jubet Apostolus; seu quia omnia suapte natura versus causam suam referuntur, & quemadmodum qui aliquod recipit beneficium fit quodammodo sui benefactoris effectus, æquum est, ut gratitudinis affectu se ad illum, a quo gratiam recepit, convertat. Deo autem, quamvis creatura par pari nequeat rependere; nulla enim ratio est totum inter, & nihilum, attamen eidem gratiam relatura Dei ipsius bonis uti debet: quæ quidem inevitabilis est obligatio, quam persolvere ea ipsa quæ ratione destituta sunt, immo etiam anima carentia, nos docent, quemadmodum Sanctus Ambrosius disertissimè ostendit *lib. 1. de Officiis cap. 31. & in Hexamer. lib. 6. cap. 4.*

Homo gratus esse debet Deo pro omnibus creaturis.

Principium est cationis lumini innixum, & a pluribus Theologis explicitum, præsertim verò a Raymundo Sebond, ab homine gratias agendas esse Deo de iis omnibus, quæ in mundo sunt, seu quod ipse unus pluribus cumulatus fuit bonis, quàm aliæ omnes simul creaturæ; seu quod omnia bona, quæ possidentur ab aliis, nonnisi in hominis gratiam, & usum collata fuere. Et sanè quidquid in mundo est ad hæc tria refertur, ad Deum dantem, ad hominem recipientem, & ad datum ipsum, in quo cætera continentur. Quemadmodum igitur homo cuncta recipit, & pro eodem omnia creata sunt, ita ille de omnibus, immo & pro omnibus gratias referre tenetur; quia creata sensu, vel ratione carentia apta non sunt ad Deum laudandum, ejusque beneficia celebranda; homo igitur in eorum locum quodammodo subrogatur, ut hoc munere persungatur.

Actus gratitudinis.

Actus hujus virtutis sunt. 1. Meminisse accepti beneficii, & habere gratias. 2. laudare Benefactorem, atque ubi sese offert occasio illius beneficium, & liberalitatem prædicare. 3. Amare eos, qui nobis benefecerint. 4. Par pari, & beneficium beneficio rependere. 5. Beneficio bene uti hac mente, ut benefactori cedat honor.

Ingratitudinis notio, & definitio.

Quamquam de ingrati animi vitio judicium ferendum sit ex oppositione contrariæ virtutis, atque sufficiat prorsus oppositum argumentari, ut illius natura, & effectus intelligantur; hæc tamen ea sunt, quæ peculiariter nos docet Theologia ad hoc argumentum spectantia. Ingrati animi vitium generatim noxia est negligentia, qua justæ remunerationis officia illis præstare contemnimus, a quibus aliquod accepimus beneficium; vel defectus est, aut improba omissio gratiam referendi illis, qui de nobis optimè meriti sunt. Ingratitudo erga Deum vitium est, quod efficit, ne homines gratias habeant propter infinita beneficia, quibus a supremo Benefactore cumulati fuerunt. Natura verò hujus vitii est malum pro bono reddere, & efficere, ut Dei dona sæpe fiant peccati instrumenta.

Ingratitudinis gradus.

Quemadmodum gratitudo suos habet gradus, ita & ingratitudo suos. Meminisse acceptorum beneficiorum, hæc celebrare, & cum fert occasio, & ubi fieri possit, par pari rependere, hi sunt tres gratitudinis gradus. Sanctus Thomas tres similiter in ingratitudine gradus deprehendit. Primus est, non præstare ea, quæ præstari possunt, ut gratia gratiæ referatur; Alter est nullas agere gratias, ubi referendis minime sis; sed dissimulare beneficium, ac illud tradere oblivioni. Tertius est illud ex animo expungere, ac illius penitus oblivisci. Quibus addere possumus quartum, lædere scilicet, & contumelia afficere benefactorem. Illud etiam satis deplorari non potest, infinitum esse ingratorum numerum, numerum verò eorum, qui ingenui amici sunt, & grati, ad paucissimos fideles coarctari.

Cum Deo bifariam sumus ingrati.

Addit Angelicus nos in Deum bifariam ingratos esse, vel omissione, cum nullum illi præbemus nostræ gratitudinis argumentum; vel positivè, cum aliquem edimus actum gratitudini oppositum. Qui, exempli gratia, prava oblivione beneficii memoriam amittit, vel qui non elicit aliquem actum amoris Dei, cum ex manu illius aliquod recipit beneficium, in primum decidit ingratitudinis gradum. Qui verò non advertit animum beneficiis acceptis, qui illa non meditatur, qui non profitetur, qui gratiarum actionibus, & laudibus illa non celebrat; hic in alterum labitur . . . . Sed cum lædimus Deum benefactorem nostrum, eique pro bono reddimus malum, & injuriam pro beneficio rependimus, in extremam ingratitudinis abyssum ruimus. Hæc autem omnia intelligenda sunt non quidem de materiali ingratitudine, quæ a nullo peccatorum genere contra Deum potest separari; sed ab ea, quæ formalis dicenda est, & quæ speciale crimen est; in hoc posita, quod accepti beneficii nullam rationem habet, obliviscitur illius, illud negat, vel contra auctoris consilium in pravum usum convertit.

Grati animi sensus erga Deum habendi.

Facile est Christianis ostendere magnitudinem meritorum Dei erga ipsos, ut in illis aliquos grati animi sensus eiciamus. Satis ad id est illis ob oculos ponere gravissimam æternæ damnationis calamitatem, in quam peccatum illos agebat necessario, & ex altera parte felicitatem, quam illis procurat Deus illos ex inferni faucibus eruens. Sed ad examen revocata flagitiosi hominis indignitate, qui absquecoquod se humiliter misericordiam flagitaturus, impudentissimè illi obedientiam detrectat, ac rebelles animos gerit, ostendi etiam potest, qua institerit via Deus, ut a tanto malo peccatorem eriperet, atque ad tanti boni possessionem illum attolleret; & obiter attingi possunt omnia bonitatis argumenta, quæ in Salvatoris nativitate, vita, & morte elucescunt.

Deus ex mera bonitate sua nobis bona confert; eique gratias agere debemus præ cæteris quia illa confert.

Deus ideo nobis benefacit, quia ad id propria agitur bonitate, quæ ipsius natura est, ut loquitur Scriptura; cumque ille per se bonus sit, bonitati ipsius omnia debemus, quæ habemus, & quæ ab eodem expectare, & sperare debemus. Sanctorum preces nequaquam in illo cient hanc benefaciendi voluntatem; sed illi solum, & quodammodo, sunt causa, propter quam hæc benefaciendi voluntas expletur, vel potius sunt instru-

menta, quibus ad eamdem implendam utitur. Ipse illis orandi voluntatem immittit; non illi Deo benefaciendi voluntatem inspirant; hinc sequitur, quod illi primum gratias habere debemus, eique animum gratum qua verbis, qua operibus, ubi liceat restari.

Gratitudo, quam debemus Deo exigit, ut omnia illi Religionis præstemus officia.

Cum gratitudo sit veræ humilitatis effectus, in hoc positæ, quod palam nihil nobis esse nihilque nos ex nobis posse, fatemur, hoc, inquiunt spiritalis vitæ magistri, principium est illius cultus, quem sibi in spiritu, ac veritate præberi postulat Deus. Humilis beneficiorum ejus memoria exigit, ut illi preces fundamus, ut agamus gratias, ut ab illo rebus in omnibus pendeamus, ut in eo omnem confidentiam nostram collocemus, ut illum adoremus, diligamus, eique serviamus; verbo, ut omnia religionis officia præstemus, quæ debemus bonorum omnium auctori, a quo illa accepimus, & a cujus bonitate imposterum expectamus.

Sententiæ ad beneficia, & gratitudinem spectantes.

In beneficiis tria sunt, quæ ignorare minimè licet, Primum est beneficium facere, alterum recipere, tertium referre. Nemo unus est, qui hæc scire non jactitet; at pauci intelligunt illa, & pauciores adhuc exercent.... Beneficium confertur ab amico, cum amici tantùm spectatur utilitas, eodem spiritu, quo aliis res nostras curæ esse vellemus. Beneficium confertur a Christiano, cum propter Deum duntaxat confertur, hoc est cum de proximo benemeremur, propter amorem, quo diligimus Deum, qui in fratrum nostrorum persona consideratur, & de quo quodammodo bene meremur. Beneficium recipitur ab amico, cum celebratur, & laudibus palam extollitur; sed recipitur ab ingrato, cum dissimulatur, vel oblivioni traditur, vel cum malum pro bono redditur. Quoad tertium pertinet, videlicet acceptam gratiam referre; non semper in nostra potestate positum par pari referre illi, qui de nobis quàm optimè est meritus, vel beneficium beneficio rependere; Sed officio huic supplere possumus publicatione, vel saltem sincera accepti beneficii confessione; beneficium quippe conferentis silentium postulat, sed recipientis confessionem, ac laudem. Hæc laus, debitum est, quod Deo, conscientiæ, & amicitiæ debemus. Deo quidem, cui gratiarum actionibus gratiam referre debemus. Verum quidem est, neminem minus laudibus, & gratiarum actionibus nostris indigere, quàm Deum; attamen nemo est, qui hoc magis efflagitet, cum pro se, cum pro illis, qui bene de nobis merentur. Debemus conscientiæ, quæ pati non potest ingratam animam, neque spiritum, qui mavult ingratus videri, quàm debitor: neque accepti beneficii memoria potest extingui, quin simul ipsa conscientiæ vox suffocetur. Debemus tandem confessionem hanc amicitiæ; si enim hæc obstruit os beneficium conferenti, ut illud dissimulet, aperit simul os recipientis, ut ejusdem meritum prædicet. Igitur si pares externis grati animi argumentis referendæ gratiæ non sumus; semper tamen hoc nobis erit solatium gratiam rependendi per amicitiam, quæ maxima est omnium remunerationum, quandoquidem cor ipsum largitur, quod nonnisi per se, uti opus est, gratiam referre potest; & cui nonnisi cor alterum potest referre gratiam.

De liberalitate, qua aliis gratificamur.

Ut verè liberalis sis, ac de aliis bene merearis, tres requiruntur qualitates, videlicet facultas, ut possis; generositas, ut sine quæstu, aut spe referendæ gratiæ velis; prudentia, ut loco, tempore, ac modo gratificeris, Hinc dici consuevit, liberalitatem indigere fortuna, quæ gratificandi facultatem præbet, & occasionem; corde, quod de aliis benemerendi studium fovet; sapientia, quæ omnia metitur, ac ponderat, ut optatum finem consequatur.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, nuperisque Concionatoribus loci hujus Argumenti.

Debemus grati esse cum Deo, quandoquidem grati sumus cum hominibus.

Enormis esset ingratitudo, quotidie tot a Divina bonitate cumulari muneribus, nullumque eidem grati animi sensum restari, si minus factis, saltem verbis, & canticis. Præterquamquod si hoc animi grati officium illi debitum est, nobis quoque est utilissimum. Non indiget nobis Deus, at nos infinitè eodem egemus. Gratiarum actiones, quas illi offerimus, nihil addunt essentiæ illius, sed mirum in modum prodest, ut amor noster ferveat magis, & ut in illo majorem collocemus confidentiam. Si enim memoria beneficiorum, quibus ab hominibus aucti fuimus, nos ad eos impensiùs amandos impellit; extra omnem dubitationis aleam positum est, quod sæpe animo reputantes beneficia, quibus nos Deus cumulavit, vehementius ad illum amandum, eique obtemperandum rapiemur. *Ex S. Jo. Chrysostomo Exhortatione prima in caput 8. S. Matthæi.*

Grati animi sensus ob prædestinationis nostræ beneficium.

Antequam etiam in matris vestræ sino efformaremini, fuistis divini amoris objectum, quia vos ab æterno elegit, quamquam illius iram duntaxat meriti fuissetis, ac misericordia illius omnino fuissetis indigni. Quamvis etiam cognitionis suæ luce prævidisset vos sibi infideles futuros in vitæ vestræ decursu; vos tamen semper præ aliis distinxit, ac longè plurimos repulit, qui fortasse meliùs, quàm vos, eidem famulati fuissent. Ineffabili bonitate vos magis dilexit, quàm omnes eos, quos interire passus est, ut vos salvos faceret, e vobis tot misericordiæ vasa, ut Apostolus inquit, efficiens. Vos autem quomodo tot beneficiis gratiam rependistis? quænam fuit vestra gratitudo? Quemadmodum ex beneficiorum Dei magnitudine ingratitudinis nostræ magnitudo elucescit; ita doni præstantia nobis timorem, tremoremque debet incutere. Fortasse tutiores essemus, si minora deberemus Deo; sed bonorum, quæ illi debemus, pondus nobis tremorem, formidinemque debet injicere. *P. Rapin de primorum sæculorum fide.*

De ingratitudine generatim.

Ingratitudo peccatorum omnium nequissimum est, simul & familiarissimum; illius species solertissima cura dissimulatur, sed res ipsa in omnibus invenitur, Credimus turpissimam hanc infamiæ notam esse, quæ alicui possit inuri, cum tamquam ingratus traducitur. Et sanè cum Sancto Bernardo dicere possumus ingrati animi vitia naturæ leges, & societatis commercium infringere, atque ulterius progressum, Religionis cursum, ac successus perturbare, quæ quidem a Deo per gratiarum ipsius effusionem incipit, ac definit in creaturam, quæ æterno grati animi monumento beneficio vicem debet rependere. *P. Bourdalove, Sermone hujus argumenti.*

Deus a nobis gratum animum exigit.

Nemo nescit in beneficio duo esse consideranda cor, & manum: Beneficium in se consistit in liberalitate, & affectu, vel bonitate benefacientis. Cum Deus nobis suam elargitur gratiam, illius effecta intuemur, ac utilitatem percipimus, sed cordis affectum, unde hæc proficiscitur gratia, non videmus; at nonne æquum est, hominem qui recipit beneficium, duo & ipsum afferre 1. munus pro munere, 2. cor pro corde, & affectum pro affectu? Sed Deus in se dives, ac bonis omnibus affluens non indiget muneribus nostris: *Quoniam bonorum meorum non eges.* Nostis verò, quid agat? Mutat vicem muneris, in vicem cordis; vult amorem pro amore rependi, eosdemque pro ipso haberi sensus, quos habebat Propheta: *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus.* Tempus est, o anima mea, quo Dei benefactoris tui celebres beneficia; opus est, ut illi benedicas, ut illum æternis laudibus

Psal. 15.

Psal. 102.

dibus

dibus prosequaris, ut intra te nominis ejusdem magnitudinem prædices. *Idem.*

Deo facta est cordis nostri gratitudo.

Animo reputans Sanctus Bernardus, quid ipse deberet Deo propter gratiarum illius effusionem, & amoris plenitudinem, exclamat; Domine, nihil habeo quod tibi retribuam pro tot beneficiis, quæ in me tua largitas fudit; cum meam intueor egestatem, pudore suffundor; neque oculos attollere audeo; ubi verò cogito, te ditissimum esse, & bonis meis non indigere, atque magis cor meum, quam opes meas requirere, summa equidem lætitia perfundor. Cum video mulierculam Evangelicam duos tantum obolos in gazophylacium inferentem, at nihilominus plura a te referentem encomia, quàm locupletissimos Pharisæos ingentem auri, argentique vim offerentes; tunc mihi spes quædam suboritur. Duos tantum habeo denarios, cor videlicet, corpusque meum; alterius dominium jam penes te est, alterum quoque posside; illud tibi offero, illud ex justitia, amore, & gratitudine tibi debetur. *Idem.*

Quomodo meminisse debemus beneficiorum Dei.

Fidelis, atque verè grata anima Principis illius morem debet imitari, de quo sermo est in libro Esther; ubi sedulus fuisse dicitur, & diligens ad hoc, ut in regni sui Fastis describerentur servorum suorum egregia merita, ut sæpe illa pervolventi numquam ex animo exciderent. Hoc Dei servus utilissimè faceret, ut gratiarum, sibi a Deo toto vitæ suæ tempore collatarum reminisceretur. Cum diligentissimè descripserit tempus, ac circumstantias, quibus peculiari beneficio vel ad aras, vel ad civitatis magistratus evocatus fuit, attentè hos perleget commentarios, eosque singulis diebus evolvet. Ecce, inquiet ille, tot accepta beneficia, tot cœlitus immissæ inspirationes, tot bona opera, tot evitata pericula; verbo, tot beneficia; reminiscere eorum anima mea, nulla umquam te capiat oblivio, & dic cum Propheta: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.* Hæc mihi semper inhærebit cogitatio; sæculis omnibus Domino benedicam, & numquam a laudibus ejus recinendis absistam. Hoc novissimè cubitum profecturus reputabo; Deo gratias agam; hoc primum mane repetam cubitu assurgens Domino benedicam. *Idem.*

Psal. 33.

Quomodo beneficiis Dei homines abutantur.

Si propius plurimorum peccatorum vivendi rationem inspiceremus, facilè nobismetipsis persuaderemus, illos ex iisdem beneficiis, ac donis Dei scelerum suorum occasionem arripere. Si Deus aliquantulum formæ huic mulieri concessit, quanam in re hæc utitur, nisi ut corpus suum colat, atque in se purimorum oculos, affectusque convertat? . . . . Si Deus aliquantulum bonæ valetudinis concessit adolescenti, quanam in re utitur, nisi ut illud in omne libidinum genus effundat? Si quis mentem, scientiamque recepit, nonne eadem abutitur, ut impiis opinionibus orthodoxos Ecclesiæ sensus evertat? Si opibus auctus fuit; has in voluptates erogabit, his abutetur, ut suæ ambitioni velificetur, atque idem de cæteris muneribus, quibus divinitus fuit cumulatus, dicendum. *Idem.*

Gratitudo, quam ex nobis exigit Deus.

Cogitate Deum, qui æquè supremus est rerum omnium Dominus, aliquas tamen sibi magis peculiari ratione reservasse; quas non sine ingrati animi nota, & non magna eidem afferatur contumelia, illi non devovere non possumus. Quatenus Æternus, temporum omnium est Dominus; ea nobis reliquit, ut in communia impenderemus negotia, festosque sibi dumtaxat dies reservavit. Quatenus immensus, locorum omnium est Dominus; omnes nobis incolendos, atque ad libitum nobis replendos reliquit, ac Templa tantummodo sibi reservavit. Quatenus Creator, omnium nostrum est Dominus, non secus ac bonorum omnium, ac rerum, quas pro nobis creavit; sed ex numero nostrum eos præsertim sibi reservat, qui aris suis dicati sunt, atque ex bonis externis, ea præcipue, quæ sibi pietas fidelium dicavit. *P. Segneri, Auctor Italus, in libro qui inscribitur, Praxis Curatorum.*

Quomodo sit de proximis benemerendum.

Si gradus, ac locus, in quo estis, si favor, vel munera vestra facultatem conferunt vobis de amicis benemerendi; ne eam, quam postulant, illis opem negetis; sed alacri animo, lætoque id facite, quod pro illis facere optaris. Ne patiamini affectatis dilationibus eos tædio redimere beneficia, quibus illos afficere vultis. Si patientiam eorum affectata mora delassaveritis, minori grati animi sensu, quàm indignatione excipient ea, quæ illis conferetis, licet tandem votis eorum subscribatis... Omnes de ingrati animi vitio conqueruntur; at illi, quorum frequentior, & gravior auditur querela, numquid nihil habent, quod hac in re exprobrent sibi? Non desunt homines suapte natura ingrati, quos nullis delinire potes officiis; ingenium habent ferox, & superbum, quod neque ipsa demerentur beneficia; licet eos ames, & palpes; frigidi semper sunt, stupidique. *Ex Anonymo auctore.*

De Judæorum erga Deum ingratitudine.

Sanctus Bernardus ingrati animi vitium vocat animæ hostem, meritorum annihilationem, dissipationem virtutum, gratiarum jacturam, ventum urentem, quo pietatis fons, misericordiæ ros, & divinarum communicationum rivus exsiccatur. Ita ille mala omnia ingratitudini refert accepta. Sed licet Judæi longè plurimis diffluerent vitiis, quorum singula interitum illis afferre poterant, certum est tamen ingratitudinem nulli fuisse secundam; quoniam reliquis confirmabatur, & quibus ipsa majus conflabat odium, & quæ incurabilia efficiebat. At numquid minus ingrati sumus Judæis? Omnes Filii Dei gratias rejicimus, fallacem terrestrium voluptatum imaginem tanta voluptate consectamur, quanta si solidæ essent, atque æternæ; atque in omnimoda oblivione vivimus eorum quæ Deo debemus; audemus etiam hoc in statu coram divina ipsius majestate prodire, cum illo precibus agimus, & in æde illius tanta permanemus animi tranquillitate, quanta si eidem fideles essemus. *Liber, cui titulus: Les souffrences de Nostre Seigneur durant sa Passion.*

Solus Filii Dei amor humana ingratitudine victus non fuit.

Leges humanæ statuunt, ingratitudinem legitimam esse parentibus quidem causam exhæredandi filios, Dominis verò, negandi servis stipendium: Hæc veterem amicitiam ita evertit, ut qui mox redeunt in gratiam, non aliam rationem afferant, nisi quod virtutis est oblivisci injuriarum, & bona illis etiam conferre, qui videntur indigni. Nihil enim excusare ingratitudinem potest: quo magis illam excusare contendis, eò fit intollerabilior, & optima excusatio est, fateri nullam esse excusationem. Humanæ amicitiæ ab eadem fere semper infirmantur: solus divinus amor, quo repletus erat Salvator, per ingratitudinem crescere potuit; etenim tantum abfuit, quod per illam extingueretur, vel converteretur in odium, quod ut plurimum inter homines accidit, ut immo ardentior efficeretur. *Idem.*

Fratrum ingratitudo nos minime dimovere decet ne illis gratificemur.

Si animo reputaremus bona, quæ, licet nostra obsistat ingratitudo, a Divina bonitate percipimus, non aliis indigeremus rationibus proximo gratificaturi, quomodocumque ille gratum, ingratumve se præbeat. Præterquamquod, ut vivamus quomodo Christianos decet, hominibus debemus benefacere propter amorem Dei, quin ab illis vicem expectemus. Quemadmodum facile obliviscuntur eorum, quæ illis contulimus beneficia, actum agit, qui propter illos iisdem benefacit; quamobrem Sapiens ait, ingrati fidem similem esse hyemali glaciei, quæ liquescit, & tamquam inutilis aqua existimatur; etenim statim ac desiit necessitas, ingratus obliviscitur benefactoris sui, sibique accepta refert ea bona, quæ ab altero accepit. *Idem.*

Hominum ingratitudo erga Dei gratias & beneficia.

Gratiæ Dei sunt totidem beneficia, & sensibilia signa amoris infiniti, quo Deus nos prosequitur, & quæ majorem expetunt gratitudinem. At heu! numquid propter extremam improbitatem

nostram,

nostram, atque contemptum, quo illa quotidie excipimus, nobis erunt occasio, propter quam majus, & æquius divinæ indignationis pondus sobeamus? Numquid privilegium, quo gaudemus, inter JESU CHRISTI discipulos adnumerati, nos efficiet calamitosiores, postquam nocentiores effecerit? Numquid eo quod majoribus a te cumulati fuimus muneribus, nunc iisdem destituimur magis; & quod tibi perfectiores amici fuimus, per violatam amicitiam graviores erimus inimici? O nimis funesta munera! O gratia infelix! quæ nos perdit, cum illam amittimus! O bona infinitè perniciosa propter hunc contumeliosum contemptum, qui veneno inficit Dei beneficia, qui illa in materiam convertit, & scelerum nostrorum, ut illi crudeliorem afferamus contumeliam, & fulminum Dei, ut nos majori severitate percutiat! Nonne præstitisset derelinqui ut tot alios, qui Christianæ Religionis gratiam non receperunt, quam aliquando, multò magis quàm cæteros deseri, eo quod amorem, qui nobis fuerat impensus, flocci fecimus? *Maimbourg Sermone pro feria secunda post tertiam Quadragesima Dominic.*

Semper nobis occasio est metuendi, ne simus ingrati erga Deum.

Quamvis Dei bonitas in corde peccatoris annihilati sit consolationis, & confidentiæ causa, non cessat tamen illi causam esse timoris, assiduæque sollicitudinis, ut Sanctus docet Augustinus. Ille quidem non obruitur amplius præteritarum iniquitatum pondere; sed præsentibus obruitur beneficiis; peccata, quæ illi remissa fuere, illum non turbant; sed gratia, quam recepit, illum sollicitat; non est amplius rebellis, sed timet, ne sit ingratus; hic enim est divinæ ordo providentiæ, bonis, quæ contulit, aptare gratitudinem, quam præstolatur; & plura ab illis expetere, quibus plura donavit; tantò plus fidelitatis exposcere, quantò plus exercuit misericordiæ. *Flechier, Sermone de Conversione S. Pauli*,

Infinita Salvatoris mundi erga nos merita.

Licet, Salvator mi, unicum dumtaxat suspirium emisisses; unicam effudisses lacrymam, unicumque cordis tui motum edidisses pro nobis; quemadmodum nihil horum infinito caruisset merito, ab infinita persona progrediens, infinitè de nobis meritus fuisses. Quid dicendum est, quid cogitandum, cum ne unicum quidem nonnisi pro nobis motum edideris? nisi infinita tua erga nos esse merita, ideoque infinitas nobis esse rationes, te, si fieri posset, infinita charitate diligendi. *P. Nepveu, libr ..s Amore Domini nostri.*

Perennis Dei, & JESU CHRISTI erga nos beneficia jugem ex nobis grati animi censum exquirunt. Joan. 15.

Si[illegible]..nis, ut ita dicam, bonorum, gratiarumque fluxus a capite defluit in membra, nonne æquum, ut perennis amoris, & gratitudinis fluxus a membris refluat ad caput, a quo tantum boni percipiunt, & sine cujus ope nihil boni facere possunt? Propterea Dei Filius dicebat, nos sine eo nihil facere posse: *Sine me nihil potestis facere* . . . Adde his nullum esse beneficium Dei, quod singulare non sit, quantumvis commune videatur. Naturaliter inter cæteros enitescere cupimus quodam proprii amoris effectu, & secreta quadam superbia, qua aliis præferri gaudemus; ita ut honor, qui nobis adhibetur, cum beneficia conferuntur nobis, sæpe nos magis moveat, quam ipsa beneficia, quæ licet ingentia sint, meriti sui partem videntur amittere, statim ac pluribus fiunt communia. At non ita sentiendum est de beneficiis Dei, quæ pluribus licet communia, habenda sunt tanquam nostrum singulis particularia. Ita JESU CHRISTI erga nos beneficia infinita sunt, æterna, singularia, neque illius bonitas fatigatur unquam nobis benefaciens, & largè, effusèque suas nobis gratias impertiens! itaut vitæ nostræ momenta ea illius beneficiis, & fortasse etiam ex ingratitudinibus nostris numerare possimus. *Idem*.

Ergo unum Deum simus ingrati.

Nos generosos amicos esse gloriamur, faciles iis diligendis, qui nobis amorem suum profitentur, gratos beneficiis, quæ nobis conferuntur, quæ semper exigua sunt, & sæpe etiam funesta; neque afficiemur tot amoris Dei erga nos argumentis; nullumque grati animi sensum propter essentialia, & infinita ipsius erga nos beneficia testabimur? *Idem*.

Salvator unica sanguinis gutta, unica oculorum lacrymula, unicoque cordis sui motu nos redimere poterat; nulla enim hujus Hominis Dei erat actio, quæ meriti non esset infiniti, ab eo enim proficiscebatur, cujus dignitas erat infinita. Voluisti tamen (adorabilis JESU) ut nos redimeres, sævissimas ferre persecutiones, teterrimas pati calumnias, gravissima opprobria, & contumelias subire, exquisitissimis torqueri suppliciis, ac tandem in cruce summo cum dolore, & ignominia animam efflare, postquam omnem sanguinem effudisses, ut amoris tui magnitudinem passionum magnitudine testatam relinqueres. *Idem*.

ne beneficio Redemptionis nostræ.

Ingratitudo nostra probat severitatem divinæ justitiæ adversus peccatores.

Bona equidem fide confiteor, ea in difficultate, qua naturaliter omnes intellectus nostros fidei submittimus, æternitatem pœnarum inferni docenti, nulla re magis juvari ad hanc concipiendam ea ratione, qua fidelium plerique vivunt, ea incuria, vel potius ingratitudine, & facilitate, qua indesinenter contumeliis afficiunt Deum Salvatorem, qui eo usque illos dilexit, ut pro ipsis mortem in cruce subierit: tandem enim infernus, vel sexcenti inferni dignè possent expiare terribilem stupiditatem, ac jugem hominum ingratitudinem? *Idem*.

Dei Filius tantum nobis præstitit; nos verò ingrati adeo parum pro ipso conamur.

Dei Filius propter amorem nostri, videlicet, ut ostenderet infinitam amoris, quo nos complectitur magnitudinem, atque ut ea hominum cordibus reciprocum extorqueret amorem, tantum præstitit, ut illi amorem nostrum negare minime possimus, licet omnium ingratissimi simus. Et sane efficere, quod pro nobis fecit nonne idem est, ac si palam diceret nobis: intuere, mortalis, utrum æquo animo, ac voluntate amoris, & bonitatis refertissima me ipsum pro tua salute devoverim. Ego decies millies plus præstiti, quàm pro tua salute requirebatur, ut intelligeres amorem, quo te complexus sum, infinitè ipsam cogitandi vim excedere; tu verò ingrate, ubi aliquid pro me faciendum est, adeo parcus, atque avarus es! Tantum abest quod multum præter id quod opus est, facere velis; ut ne pedem quidem ultra quàm teneris, audeas proferre. In singula momenta quæris; num ad id teneor? Nonne satis est, si hoc, vel illud efficiam? neque enim aliquid præterea facere jubeor. Et si vel minimum quid facis præter id quod tibi necessario faciendum esse arbitraris, putas me tibi plurimum debere! Ubi ratio tua est? ubi cor tuum? ubi gratitudo tua? *P. Ludovicus Franciscus de Argentano in Collationibus Spiritualibus de Magnalibus JESU CHRISTI. Collatione* 22. *art.* 1.

Nos pudere debet nostræ in Deum ingratitudinis.

Ubinam est cordatus vir, qui attentè beneficiorum Dei multitudinem, magnitudinemque considerans rubore non suffundatur, ac se ipsum non exprobret videns suum ingrati animi vitium adversus illum, a quo tot beneficiis fuit cumulatus? Quisnam non erubesceret præ pudore videns se nihil nisi ægre, atque oscitanter fecisse, quasi metueret, ne quid nimis efficeret? O Deus! Itane consuevimus? Nonne æquissimo grati animi sensu acti omnia vitæ nostræ momenta devovere deberemus Deo, qui omnia vitæ suæ momenta saluti nostræ devovit? Prætereo minimum vitæ ipsius momentum pretiosius esse tota omnium simul hominum vita, sed licet etiam ex æquo momenta momentis essent comparanda; ubinam sunt horæ vitæ nostræ, quas pro totis vitæ ejusdem diebus unicè Salvatori nostro rependimus? O turpissimam hominum ingratitudinem! *Idem*.

Summa hominum ingratitudo conquerentium de ea severitate, qua cum ipsis agit Deus.

Crederesne post omnes divinæ bonitatis excessus, homines, quasi parum esset nullam habere gratiam, audere etiam de Deo conqueri ac dicere illum nimia uti severitate, cum exigit, ut hac amabili utantur gratia, quam ipsis concedit, agendi pœnitentiam; licet hic maximus sit divinæ

effe-

effectus misericordiæ? Crederésne non defuisse, quos minimè puderet asserere, Deo quidem facile esse pœnitentiam imperare; hoc enim solo eidem stat imperio: sibi verò difficillimum, acerbissimumque esse cogi ad sinceram peccatorum suorum pœnitentiam agendam, ad seipsos humiliandos, corpusque suum afflictandum; quin cogitent pro una, quam ab oculis ipsorum exigit, lacryma illum pro iisdem totum corporis sui sanguinem effudisse? Crederesne, postquam ille nobis saluberrimum pretiosi sanguinis sui ad peccata detergenda lavacrum præparaverit, hoc a peccatoribus ita flocci pendi, ut eodem uti contemnant? Crederesne, ipso nobis semper thesauros suos in Ecclesiæ Sacramentis offerente, cum omnes homines catervatim ad pedes illius deberent confluere gratiam impetraturi iisdem fruendi, eos e contra tantas opes tamquam onerosas sarcinas horrere? Orandi sunt, urgendi sunt, ut ad illa accedere teneantur. *Idem, Collatione 3. art. 2.*

Bona, quæ ex nostra gratitudine nobis cedunt.

S. Augustinus pietatem omnem in gratitudine statuit. Totus Dei cultus, inquit ille, in hoc positus est, ne anima se Deo præbeat ingratam. Hæc Dei cor mulcet, & ab ejus largitate plurima obtinet beneficia. Hæc facit, ut Deus se liberalem præbeat erga eos, a quibus amatur, & qui sunt eidem fideles; Hæc pariter efficit, ut illi indesinenter elementissimo Deo gratiarum actiones effundant. Hæc inter Deum, ac homines juge paris certamen, quo ille quidem gratias, hi verò gratiarum actionibus certatim contendant. E contra verò fons gratiæ, & misericordiæ, quodammodo exarescere videtur illis, qui Dei beneficia obliviscuntur, & qui ingrati animi vitium illi rependunt. *Auctor Homil. Moral. Homil. in 14. Dominicam post Pentecosten.*

Christiani plus debét Deo, quam cæteri, & eidem gratiores esse debent.

Quis dubio locus, ex omnibus hominibus Christianos plura debere Deo, & hanc ob causam jugiter in corde ipsorum fovendum esse grati animi sensum ob tot beneficia, præsertim verò ob hanc inæstimabilem gratiam, quod ipsos dono fidei, & JESU CHRISTI cognitione ad se vocaverit; quam gratiam tot negavit infidelibus, quos in ignorantiæ tenebris, & vivere & mori passus est? Nonne quotidie meminisse deberemus, cum Salvator pro nobis vitam, sanguinemque suum effuderit, nos ex inferno erepturus; ut infinitæ hujus misericordiæ dignas habemus gratias nihil minus a nobis præstari posse, quàm hoc reliquum vitæ nostræ spatium illi devovere; eique saltem ferventiùs, impensiusque quàm hactenus inservire. *Idem.*

Quomodo gratiæ sint Dei beneficiis agendæ.

Sanctus Augustinus ait, posse quidem nos Deo ob accepta beneficia gratias agere, referre non posse; quia nihil ex nobis habemus, & a Dei liberalitate accepimus, quidquid sumus, & quidquid habemus. Itaque ut hoc gratitudinis munere dignè persungamur, Deo propria ipsius dona debemus offerre. Nihil illi esse potest acceptius, quam quod ab ipso obtinemus; si enim illi offerenda essent, quæ nostra sunt; quid quæso nostrum est, præter culpam? Absit nos esse ex ingratorum, superborumque spirituum numero, qui donorum Dei sibi vindicant gloriam. Vitium hoc est detestabile, quia simul & superbiæ cumulus est, & ingratitudinis. *Idem, in Morali in Pater Tractatu Proœmiali, artic. 8.*

Præcipua Dei beneficia, quæ gratum ex nobis deposcunt animum.

Ratio dignè hoc munere perfungendi est coram Deo memoria repetere cum nostræ ad Christianam fidem vocationis gratiam, tum alias, quas contulit nobis, ex quo nosmet ipsos cognoscimus; sensus amoris, pietatisque motus, quibus cor nostrum tetigit; spiritualia pericula, vel corporalia, è quibus vel eripuit, vel præservavit; spiritum contritionis, & pœnitentiæ, quem nobis inspiravit, ut ob scelera, vitæque nostræ flagitia sincero dolore afficeremur; bonum ingenium, studiumque nobis ab eodem concessum, vocationem ad servitutem ipsius lenibus gratiæ illecebris; denique verò eam rationem, qua egit nobiscum benignissima providentia sua ab ipso nostræ nativitatis exordio. Et profectò si uti par est omnes has, ac tot alias, quæ latent, reputaremus gratias, ad meditationem tantæ bonitatis, diuturnæque patientiæ, qua nostra pertulit scelera, atque ingratitudinem, nosmet effunderemus in lacrymas; atque plorantes, ut olim Augustinus, maximum testaremur dolorem, eo quod tam serò incœperimus amare, ac servire Deo adeo misericordi, & amabili, qui nos tantopere dilexit, & qui ab æterno in nos suas cogitationes convertit... O bonitas infinita! diceremus, adeo antiqua, adeo nova! cur, heu! cur adeo serò te diligere cœpi? *Serò te amavi pulchritudo tam antiqua, & tam nova, serò te amavi. Idem.* L. 10. Conf. cap. 28.

Gradus ingratitudinis, per quos peccator descendit.

Ingratitudo vitium est in hoc positum, ut vel negligamus, vel taceamus, vel obliviscamur, vel contumeliis rependamus beneficia, quæ a divina bonitate recepimus. Negligere beneficium Dei, defectus est; tacere, crimen; oblivisci, scelus; pro donis Deo injuriam persolvere, gravissima est abominatio. Hæc tamen ea sunt, in quibus omnes fere peccamus; hoc Deus exprobrat populo suo in scripturis. Cum videt nos beneficiis suis minimè tangi, neque cor a nobis aperiri; ut illum amemus, neque os, ut benefactori nostro gratias agamus, tunc per Moysem ait: *Haccine reddis Domino popule stulte, & insipiens?* Deut. 32. Cum videt nos non solum sine ulla gratiarum actione, verùm etiam sine ulla consideratione vivere innumerabilium largitatis suæ beneficiorum; tunc de oblivione nostra conqueritur: *Obliti sunt benefactorum ejus, & mirabilium ejus, quæ ostendit eis.* Psal. 77. Cum verò considerat ingrati animi vitium eo usque procedere, ut Benefactori nostro injuriam afferamus, & contumeliam, ita per Prophetam dolet: *Qui retribuunt mala pro bonis.* Psal. 37. *Pat. Texier pro 13. Dominic. post Pentecost.*

Malum, quod parit ingratitudo.

Ingratitudo, Sanctus Bernardus ait, densa est nubes solem inter, & terram, vallum fontem inter & rivum; validusque obex Creatorem inter, & creaturam, unde fit, ut non solum terra obscuretur, fons exarescat, egeat creatura; verùm etiam ne sol lucem emittat, fons aquas effundat, & Deus suas misericordias impertiat. *Ingratitudo siccat fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ.* S. Bernar. Serm. 51. in Cant. Hinc conjice quantum displiceat Deo peccatum hoc; quoniam resistit, & adversatur iis, quæ Deo magis propria, & naturalia sunt, videlicet bonitatis suæ communicationi. *Idem.*

Non patitur Deus dona, & gratias suas inutiles esse, ac sine fructu.

Dici potest, & verum est neminem promptiorem Deo esse hominibus gratificando, at addendum est etiam, neminem diligentiorem, & ut S. Bernardi vocabulo utar, magis importunum esse in munerum suorum remuneratione exigenda. Verbum hoc mihi numquam excidisset, nisi in Epistola quadam Sanctus hic eodem usus esset: *Donorum promptus author, sed importunus exactor.* Deus facile quidem suas largitates effundit, at munerum suorum fœnus reposcit; ac ille ipse in Isaia suas gratias, favoresque pluviæ comparat de cœlo decidenti, quæ quin illuc sine fructu, effectuque revertatur, in terris remanet illis ubertatem traditura. Hoc ipsum benedictionibus meis accidet, inquit Deus, ad me sine fructu non revertentur, hac in re eorum perstringens ingratitudinem, qui iisdem uti noluerint. Ita Deus paratus est benefaciendo hominibus; sed ab hominibus negligi æquo animo ferre non potest; & licet bonitas ejus non minima afficiatur voluptate ex bono, quod confert, illud conferens: justitia ejus altera ex parte tempus suum captare novit, ut nos eodem privet, si ingrati fuerimus. *P. Grizel, Sermone 8. Adventus.*

De gratitudine generatim.

Unde imitanda nobis est in hoc quoque natura terrarum, quæ susceptum semen multiplicatiori solet numero reddere, quam accepecit. Ideo sibi scriptum est: *Sicut agricultura est homo insipiens, & tamquam vinea homo egens sensu. Si*

reli-

reliqueris eum desolabitur. Sicut agricultura ergo etiam sapiens, ut tamquam fœnerata sibi majore mensura semina suscepta restituat. Terra ergo aut spontaneos fructus germinat, aut creditos uberiore cumulo refundit, ac reddit; Utrumque debes quodam hæreditario usu parentis, ne relinquaris sicut infœcundus ager. Esto tamen ut aliquis excusare possit quod non dederit, quomodo excusare poterit, quod non reddiderit? Non dare cuiquam vix licet, non reddere verò non licet. *S. Ambrosius l. 1. de Officiis c. 31.*

De hominum ingratitudine in Deum, cui creata omnia pro modulo suo benedicunt.

O nos ingratos! Aves Deum laudant oculosque in cœlum attollunt, ut de bonis illius gratias agant; terra solaribus calefacta radiis sinum suum aperit, ac flores germinat in gratitudinis signum; & homo divina creatus manu, divino sanctificatus spiritu, sanguine JESU CHRISTI redemptus, atque ejusdem Corpore nutritus, neque cor aperit, neque os, ut eidem gratias agat? At quid cor, & os dico? Opus esset, ut omnia, quæ in nobis sunt, Deo gratias agerent secundum Regii Prophetæ verba: *Omnia, quæ intra me sunt*. Hæc dicebat David præ gaudio; eo verò gaudio, quod Deum unum spectabat, & quod ad humilem tendebat gratiarum actionem ob insignia beneficia, quibus fuerat cumulatus. Et quoniam intelligebat, linguam suam, ossa quoque, totumque corpus non sufficere, ut satis dignè grati animi sensus testaretur, suam alloquitur animam, eamque excitat ad benedicendum Domino, & hanc illi retributionem offerendam: *Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus*. Utque illam vehementiùs excitet; Vide, addit ille, quid tibi, quid mihi ille præstiterit. Ille omnes remittit iniquitates tuas, ipse omnes curat tuas infirmitates: ille redimit ab interitu vitam tuam, & sua misericordia, atque gratiis coronat: ille replet vota tua, te cumulans bonis, & sicut aquilæ, sic tuam juventutem instaurat. Hæc beneficia nonne satis magna sunt, ut propter ea illi benedicere debeas? *Auctor Sermonum Christianorum; Sermone 8. de Sanctissimo Sacramento.*

Psal. 102.

Ibidem.

Quo majora Deus nobis bona confert eo nosmet illi gratiores præstare debemus.

Gênes. 28.

Certum est, quo plura de manu Dei recipiuntur bona, eò majorem ex nobis gratitudinem requiri. Hoc nos docet Sanctus Patriarcha Jacob, qui solemni voto spopondit se palam animum gratum testaturum, dicens: *Si fuerit Deus mecum, & custodierit me in via, per quam ambulo &c. Erit mihi Dominus in Deum*. Numquid, hoc in loco Sanctus Chrysostomus interrogat; numquid Deus nequaquam fuisset Deus Jacob, etiam si illum in itinere deseruisset, atque ille nuditatis, ac famis incommodo laborasset? Semper, citra dubitationem, fuisset, & Jacob semper eadem alacritate, & obedientia paruisset. Quare igitur ait, illum habitum a se iri in Deum, si panem, ac indumenta sibi tradiderit, atque explicitum hac de re nuncupat votum? Quia Sanctus Chrysostomus inquit, hæc beneficia, novæ ipsi erunt causæ, quibus actus illi habere gratias, eique servire teneatur; & quò pluribus afficietur beneficiis, eò plures illi causas fore Deum colendi, ac diligendi: Quia præter generalem obligationem, qua illi inservire, eique honorem deferre tenetur; recens obligationis incrementum in recentibus beneficiis inveniet. Propter auxilium, quo illum in hoc itinere juvabit Deus, ille Deu magis, quàm antea, impensiusque colere, & novo affectu ac reduplicato zelo gloriam illius quærere debebit. *Joly, Propositione pro quarta Quadragesima Dominica.*

Dei bonis ad eumdem lædendum abutimur.

Fatendum est infinita in nos a Deo, quem colimus, collata fuisse beneficia; attamen teterrimo ingrati animi vitio levem cupiditatem, ac vilem creaturam illi antefetimus. In hac autem re illud portenti loco est, quod ad Deum lædendum ipsis abutimur beneficiis, quæ ab eodem nobis collata fuere. Si interiora bona intueor, video ex his arma conflari, quibus divino bonorum datori bellum inferamus; ratione utimur, ut contra Dei legem rebellemus, atque ut modum inveniamus eum impune lædendi; libertate utimur, quod principium est bonorum omnium, ut Creatori creaturam præferamus; corde utimur, ut quodlibet aliud amemus præter illum, qui unus amandus est: memoria denique utimur, ut illam quolibet objectorum genere impleamus, uno tantum excepto, cui unicè vacare deberet. Si exteriora bona considero, hæc tot video causas esse peccati hominibus, qui de illo ultionem reposcere velle videntur, a quo bonis omnibus fuit cumulatus. Ita, o mundana mulier, tua uteris forma, quæ Dei donum est, ut illum noxiis amoribus lædas. Ita, o mundi hujus divites, utimini pecunia, quam vobis Deus affluenter elargitus est, ut saginemini in otio, mollitie, & crapula, atque in vestras voluptates impenditis, quod iden vobis contulit Deus, ut fratribus vestris opem feratis. Ita Deum contra Deum ipsum componitis, ejusdem misericordia, & bonitate abutentes, ut ipsius iram, atque justitiam irritetis. *Essais de Sermons, Abbatis de Breteville Tomo 2. pro feria 6. post quartam Quadragesima Dominicam.*

Nostra in Deum ingratitudo efficit ut pauciora ab eodem recipiamus beneficia.

Sanctus Bernardus hæc olim monachis suis præbebat monita, caverent scilicet, ne ipsorum negligentia, tepor, & relaxatio ex modica oriretur gratitudine, quam testabantur gratiis, quibus divinitus fuerant affecti. Undenam, ajebat illis, factum est, quod divina bonitas hodie in vos minus liberalis esse videtur? Quid hoc rei est, quod Deus, qui olim tot vobis conferebat gratias eousque ut preces ipsas, & vota prævertetet, pauciores hodierna conferat dies, licet illum impensiùs oremus, eumque frequentioribus votis fatigemus? Numquid abbreviata est manus Domini, ejusque thesauri exhausti sunt? Ejusne clementia immutata est, vel imminuta potentia? Nullatenus; & neutrum de hac immutabili, atque omnipotenti Majestate credendum est. Undenam ergo nos, quos singulariter respexit Deus tamquam sui amoris objecta, & opera misericordiæ suæ, cum ad serviendum sibi evocavit; nos, inquam, indesinenter ineffabilibus illum gemitibus, atque lacrymis, ardentibusque precibus orantes voti nequaquam damnamus? Heu! inde est, quia nullus nobis inest grati animi sensus ob ea beneficia, quibus ab eo cumulamur; & ingratitudo nostra meretur, ut imposterum omnia nobis detrectet: & fortasse hic divinæ effectus est misericordiæ ingratis ea quæ postulant, non concedere, ne post tot multiplicata beneficia ob grati animi defectum magis severum mereamur judicium. Ita hac in re misericordiæ effectus est, nullam facere misericordiam: *Ergo misericordia res est subtrahere misericordiam. Idem.*

Grati animi defectus scelerum causa.

Cum Deus essentialiter sit amor, cordis ingratitudo infinitè criminosa est in oculis ejus: & hæc ingratitudo in quadam consistit frigiditate, ac stupiditate, quæ efficit, ut beneficiorum Domini obliviscamur, eique gratias agere negligamus. Talis erat Hebræorum stupiditas, de qua Regius loquitur Propheta, cum ait; *Patres nostri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua; non fuerunt memores multitudinis misericodiæ tuæ*. Hinc illa extitit flagitiorum colluvies, cui sese immerserunt, & quam nemo unus ignorat. At cur ingrati illius populi hoc in loco memoriam repetimus? Satis est oculos in fidelium plerosque conjiciamus, ac ingratitudinem horum longè nequiorem esse liquebit. Beneficia, quæ Dominus Israelitis conferebat, nihil erant, si cum iis comparentur, quibus nos Deus cumulavit. Dei Filius nondum pro illis humanam carnem induerat, nondum illis æternam meritus fuerat beatitudinem; temporales tantum aliquot gratias illis concesserat. Tenemur ergo multò magis juges illi gratias agere; at quis nostrum, adeo justo, ac necessario munere satis pro dignitate defungi contendit?... Nullus dubito quominus hæc funesta sit tot malorum in Christianis causa; Cum nullæ Deo habeantur, & agantur

gratiæ;

gratiæ; ipse gratias subtrahit, atque nosmet nobis, & infelicissimis studiis nostris derelinquit, quibus in peccatorum, scelerumque abyssum pertrahimur. *Idem, Tomo 4. Sermone pro 13. Domin. post Pentec.*

Plerique Judeorum obliviscuntur Dei, ut olim Israelitæ insigni ingrati animi vitio. *Exod. 32.*

Ne imitemur ingratum populum, qui videns Moysem nimis diu in monte cum Deo commorari, Aaroni dixit: *Fac nobis Deos, qui nos præcedant.* Ingrata, & perfida natio igitur oblita es eorum, quæ tibi Patrum tuorum Deus operatus est? Non reminisceris ergo amplius Ægyptiæ captivitatis, unde te eduxit; persecutionis Pharaonis, ex qua te liberavit; libertatis, quam rubrum aperiens mare tibi contulit, mannæ, qua in deserto te pavit? Postula Deos, qui te præcedant, & quibus adoleas thura; ubi ergo est Deus Israel, cujus tot, tantaque in te merita extiterunt? Hoc de divitum plerisque dici potest; veri Dei obliviscuntur, ac ubique fallacia sibi numina conflant. Existimatio, fortuna, opes, hi eorum sunt Dii, qui illos præcedunt, hæc sunt idola gentium, quibus adolent thura: tui autem, Domine, obliviscuntur teque contemnunt. *Joly, Propositione pro quarta Quadragesima Dominica.*

Nequitia ingratitudinis.

Hujus vitii nequitia efficit, ut homines non solum malum reddant pro malo, quod sibi fieri arbitrantur, quæ propriè ingratitudo non est, sed damnabilis ultio, aliquam tamen justitiæ speciem præseferens; sed iis malum inferant, a quibus nihil mali acceperunt. Immo aliquid pejus efficit ingratitudo, quippe malum reddit, a quo bona tantum recepit; atque ut improbitati cumulus accedat, pro virili conatur contumeliis sine fine illum afficere, a quo indesinenter bonis omnibus cumulatus. Talis fuit Judæorum in Filium Dei ingratitudo: ubi tres hi nequitiæ gradus palam innotescunt. Nullum illis malum fecerat; illis immo sæpe plura bona contulerat; longè plurima atque majora collaturus erat; ipsi verò e contra nihil pejus illi rependere poterant. Audite illorum verba, atque calumnias: perpendite prava eorum consilia, quæ quotidie contra illum machinabantur; eorum denique facta considerare: quibus illum non affecere tormentis? &c. *Ex libro, cui titulus: Guerre aux vices.*

Sæpe hominibus quidem grati sumus, ingrati Deo.

Si generosa, & nobilia corda gratitudinem jactant, eamque magis amplificant, quo minores sunt illi a quibus insigne aliquod beneficium receperunt; prorsus aliud cum Deo facere consueverunt; Nihil est, quod plerique minus cogitent, citius obliviscantur, & quo minus afficiantur, quàm jugis illæ gratiæ, quibus cumulantur ab eo, quamvis hæ longissimè superent omnia bona, quæ ab hominibus accepimus, sive illa æstimentur ex eorumdem præstantia, vel ex infinito discrimine quod inter supremam Dei magnitudinem, nostramque infirmitatem invenitur. *De la Font, Propositione pro decima tertia post Pentecosten Dominica.*

Grati animi sensus propter dignitatem ad quam nos extulit Deus quatenus Christianos.

Sumus Filii Dei, fratres, & cohæredes Salvatoris mundi; sumus etiam templa Dei viventis; corpora nostra sunt sanctuarium Spiritus Sancti, ajebat Sanctus Paulus primis fidelibus. Numquid hæc non sunt magna, & insignia beneficia, propter quæ infinitas Deo gratias habere tenemur? Agnosce, o Christiane, dicebat Sanctus Leo, quid ex te postulent tot, tantaque bona tibi collata: satisne considerasti divinæ regenerationis tuæ dignitatem, inæstimabilem honorem ad quem te attollunt, gloriosæ qualitates filii adoptivi Patris æterni, membri viventis Filii ejusdem, ac templi Spiritus Sancti? Proh Deus! quem gloriæ, privilegiorum, bonorumque fontem? Si tu hæc paulisper attenderes, nonne inferre deberes, tibi diligentissimè cavendum esse, ne adeo illustris generis dignitatem turpi aliqua actione corrumperes, & adnitendum, ut illius illustre decus sanctitate, atque vitæ integritate tuereris? *Agnosce, o Christiane, dignitatem tuam, & divinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire. Idem.*

Gratitudo erga Salvatorem mundi.

In mundo quilibet gloriatur, se minima quælibet beneficia rependere; & bruta ipsa, quæ magis efferata sunt, hanc gratitudinis legem exercent; numquid unum hominum cor tot divini amoris illecebris non afficiatur, atque beneficiis illius ingratum se præbeat? In Judicum libro legimus, Israelitas de crudeli Madianitarum servitute Gedeonis virtute liberatos, hunc uno ore sibi in Principem elegisse, ac legatos ad illum misisse, qui hoc illi nunciarent; *Dominare nostri tu, & filius tuus, quia liberasti nos de manu Madian.* Ex die hac non alium Principem habere volumus quàm eum, qui adeo gloriosè nos eruit de hostium nostrorum captivitate: tu nos tibi, filiisque tuis adeptus es; facti sumus servi, subditique tui, ex quo Madianitarum jugum excussimus. Hi sunt sensus gratitudinis, quos redemptionis beneficium in nobis excitare deberet. *Qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est.* O Divine Salvator, non alium, quàm te Dominum agnoscere volumus; tu in æternum tuo nos imperio acquisivisti, neque res ulla poterit imposterum nos a tua servitute divellere: *Dominare nostri tu, quia liberasti nos de manu dæmonis. Idem.* Judic. 8. 2. ad Cor. 5.

Dei beneficia nobis doloris causa esse debent, quod læsimus illum.

Si per incuriam eum læsisses, qui de te quam optimè esset meritus, & qui auctoritate sua vitam tibi servasset, vel qui non mediocrem tibi fortunam procurasset, nonne se vehementissimè pœniteret? Validæne requirerentur exhortationes, ut in te hæc excitaretur pœnitentia, licet præter cogitationem illum injuria affecisses? Te ipsum ferre non posses, si quid inausum reliquisses, ut sincerum facti dolorem testateris. Heu! Nosti quidem te plura Deo, quàm cuilibet amico debere; attamen quoties per summam indignitatem illum læsisti, consultò, sciens, ac volens, & ea cognoscens, quæ eidem debebas? Aliane requiritur causa, ut cor tuum dolore, ac pœnitentia contabescat, quam adeo enormis ingratitudinis sensus? *Idem.*

Ejusdem argumenti.

Nonne ita exprobrare nos potest Dei Filius? Quid præter ea, quæ feci, facere poteram, ut te meæ adjicerem servituti? Te in filium adoptavi, te corporis mei membrum constitui, te spiritu meo animavi; ac tot ingratus beneficiis meas leges contempsisti, Sanguinem meum conculcasti. Hæc nonne satis valida causa est, propter quam nostra horreamus flagitia, quæ tantam complectuntur ingratitudinem? Aliæne addendæ sunt causæ, ut in nobis excitetur dolor, quo confici æquum est? Ut rubore suffundamur nonne satis est, nos nequaquam iis commotos fuisse gratiis, quibus tanta nos prævenit Majestas? Numquid afferri posset aliquid vehementius ad cor minimè barbarum, quàm quod adeo justæ gratitudinis officia neglexerit? *Idem.*

Gratitudo erga Dei beneficia nos ejusdem servituti debet addicere.

Non satis est, quod gratiarum, & beneficiorum, quibus a Deo fuimus affecti, sensus nos a peccato deterreat, opus est, ut nos ad ea omnia præstanda impellat, quæ nostram illi probare valeant gratitudinem. Nihil enim melius a Deo recentes gratias consequi potest, quàm superiorum cognitio; quemadmodum e contra nihil magis gratiarum Dei cursum avertit, nihil magis Divinæ Misericordiæ fontem exsiccat, quàm abusus, vel modicus usus gratiarum, quibus fuimus cumulati. Hoc efficit, ut Deus liberalem manum suam coarctet, ac aliis eas impertiat gratias, quas illis destinaverat, a quibus flocci penduntur. *Idem.*

Deus ab æterno de nobis cogitavit, & cogitat jugiter, ea, quæ nobis contulit bona, conferendi.

Illi omnes, qui nos præ cæteris in mundo diligunt, quibusdam dumtaxat momentis de nobis cogitant, neque indesinenter nobis sua impendunt consilia. Alia objecta, quæ in eorum mente locum obtinent, nostri memoriam expellunt; eosque cogunt, ut meliore temporis parte obliviscantur nostri. Si quid de nobis benemerentur, voluntatem habent benemerendi eo tantum tempore,

quo

quo actu operam impendunt ſuam, vel fortaſſe paulò ante; at non ſemper huic vacant rei, neque cor eorum actu ſemper hac repletum eſt voluntate. Non ita ſentiendum eſt de Deo; quidquid in eo eſt, æternum eſt, & immutabile. Ita qui aliqua temporis parte ſunt applicationis ejus objectum, hoc ſemper fuere, ſemperque in omnem erunt æternitatem. Certum eſt igitur Deum ab æterno pro nobis bonam habuiſſe voluntatem, nos ab æterno objectum fuiſſe cognitionis ipſius, ipſumque ne uno quidem ceſſaſſe momento, quin de nobis cogitaret, & quin gratiam hanc facere vellet. *Auctor Tractatus Orationis diviſi in libros ſeptem l. 3. cap. 5.*

Quod Deus omnibus generatim, hoc ſingulis particulariter elargitur.

Deus nihil generatim ſolum largitur; ſed ejus voluntas ad ſingulos extenditur; itaut ex quo bonorum illius participes ſumus, hoc argumento eſt, quod nos ſingillatim participes voluerit efficere. Ita unuſquiſque verè dicere poteſt, pro ſe a Deo ſolem factum, & ſydera, pro ſe facta ea, quæ humanis neceſſitatibus opitulantur; quia in omnibus hiſce magnis operibus explicita, & particularis Dei mens fuit illa efficiendi in uſum illorum, qui iiſdem erant perfruituri. *Idem.*

Quidquid Dei Filius præſtitit nobis ſingillatim præſtitit.

Qui, uti opus eſt, cogitat ſibi Deum dediſſe Unigenitum ſuum; omnia myſteria, ſtatus omnes, omnes actiones vitæ illius viatricis, & glorioſæ, ut ſterneret viam, qua ipſe ejus particeps fieri poſſet; hic cum Sancto Paulo dicere poteſt, JESUM CHRISTUM pro ipſo ſe tradidiſſe: *Tradidit ſemetipſum pro me*; & non mortuum tantùm fuiſſe propter ipſum, ſed etiam vixiſſe, & reſurrexiſſe, neque id generali conſilio, & conſuſa voluntate; ſed peculiari, diſtinctaque applicatione, qua omnibus in ſtatibus ſe eidem applicuit. Re enim vera hæc omnia cum JESU CHRISTO nobis donata fuere, atque noſtrum ſingulis ab æterno deſtinata. *Idem.*

Ad Gal. 2.

Omnia, quibus nos affligimur mala totidem ſunt Dei beneficia.

Hæc nobis ſemper eſſe deberet cogitatio, eas intuentibus calamitates, quibus homines affligantur; ſermonem audientibus de illa vaſtitate, quam bella gignunt; introeuntibus xenodochia, ac miſerorum receſſus, ubi Deus palam ſuam exercet juſtitiam in alios, aliis verò campum aperit exercendæ charitatis in fratres ſuos; hæc inquam nobis ſemper eſſe deberet cogitatio, nihil videlicet a nobis videri, quo noſtri erga Deum non admoneamur officii, & omnes has ærumnas totidem nobis oſtendere obligationes erga eumdem; ſi enim his malis immunes ſumus, hic eſt divinæ erga nos bonitatis effectus, cui idcirco debitores exiſtimus. *Idem.*

Modicum illud gratitudinis quod teſtamur Deo.

Quid nobis efficiendum non eſſet, ut tot Dei erga nos beneficiis gratiam rependeremus, at quid facimus, ut eamdem rependamus? Quomodo fieri poteſt, cum Deus tantopere ſollicitus ſit, ut de nobis benemereatur, adeo parum ſollicitos eſſe, ut illi grati animi ſenſum teſtemur? Quænam paritas eſt inter ea, quæ Deo referimus, & quæ ab eodem recipimus, inter munerum ejus præſtantiam, & operum noſtrorum imbecillitatem? Quomodo fieri poteſt, ut in alios fines, quàm ad ejus gloriam impendamus hunc ſpiritum, cor hoc tempus, bona, quæ ab eodem accepimus? *Idem.*

Qua in re hæc gratitudo conſiſtat.

Hæc grati animi teſtimonia nequaquam in verbis, ſterilibuſque cogitationibus ſita ſunt; ſed in ſenſu cordis, quod gratiam norit, & habeat, atque id factis teſtatum facere adnitatur. In hoc ſita ſunt, ut interiori ſenſu acti omnia propter illum, cui omnia debentur, efficiamus; ut illi devoveamus, quidquid ab eodem accepimus, ut hoc nonniſi ad gloriam ejuſdem velimus, ut eam, quæ ipſum decet, gloriam numquam nobis vindicemus, ut ſincera humilitate eas omnes fateamur gratias, quæ nequaquam nobis debebantur, ut ſæpe in corde noſtro dicamus propter omnia Dei beneficia, quod olim Sancta Eliſabeth dixit Beatiſſimæ Virgini ob redditam ſibi viſitationem: *Unde hoc mihi*? Quid Deo præſtiti, ut hanc gratiam

Luc. 1.

mererer; ac denique ut intelligamus, atque intrinſecus perſuaſum nobis ſit, quoſcumque grati animi ſenſus pro eodem habere poſſumus, nihilum eſſe, ſi cum beneficiis illius comparentur. *Idem.*

Ingratitudo vitium eſt turpe.

Si ingrati animi vitium ad Moralis diſciplinæ trutinam examinare velimus, illud profectò nobis turpe videbitur, & nonniſi improbi hominis proprium: vitium, quod horret quicumque, dummodo rationis expers non ſit, & magis etiam communia urbanæ vitæ officia penitus non ignoret. Semet ita in pretio habere, ut minimè accepta referatur benefactori gratia, quæ efficit, ut & noſtram infirmitatem, & debitum noſtrum intelligamus; ita indignum, abjectumque eſt, ut qui id fecerit infra bruta quoque animantia ſit exiſtimandus. At ſi ingratitudinem intueamur ſecundum Religionis principia, ibi detegemus ſummam oblivionem earum veritatum, quæ in fide noſtra maximè fulgent; vel fatuam omnino ſuperbiam. Ingrati erga Deum ſumus, cum ille in nos tantam gratiarum copiam effuderit; Cognoſcimuſne illius magnitudinem, auctoritatem, poteſtatem? Poteſtne ille aliquid nobis debere? Numquid intereſt ſua, nobis bona conferre? Ullumne jus nobis eſt ad ejus beneficia? At ad ea bona, quæ largè, effoſèque nobis tribuit ne animum quidem advertimus, & fortaſſe contra ejuſdem gloriam abutimur. *Liber cui titulus, Animadverſiones in varia Religionis, Ethicaque argumenta. Tomo 2.*

Quam indigna ſit hominum in Deum ingratitudo.

Quò ille, qui nos ſuis cumulat beneficiis, nobis eſt major, eò vividior, & obſequentior eſſe debet in nobis ob tantam largitatem grati animi ſenſus. Deus eſt, qui nos divites facit; nos verò beneficiorum ejus, immo ipſius etiam meminiſſe dedignamur. Fierine poteſt, ut quidquid in ſancta Religione noſtra magis liquidò patet, ſi ita loqui fas eſt, ita in animo noſtro deleatur? Si ut ingrati ſimus apud Deum, oblivisci quodammodo oportet, quid ſit Deus; profectò horribilis eſt ingratitudo noſtra..... Quodcumque bonum nobis conferat Deus, hoc, ſine ulla veritatis labe, dicere poſſumus, maximum eſſe ſi cum auctor illius, tum ille, a quo accipitur, conſideretur. Infinita nobis Deus bona elargitur, quæ reipſa maxima ſunt, ac pretii infiniti, quippe a JESU CHRISTI meritis, tamquam fonte ſuo defluentia: attamen ea, quam illi debemus, gratia, nobis oneroſa eſt, idque proculdubio quia non ſinit, ut noſtram infirmitatem, nihilumque noſtrum palpemus. Superbia noſtra eouſque evadit inſaniæ, ut per ingratitudinem hæc vellet & ex noſtris, & ex Dei ipſius oculis auferre beneficia. *Idem.*

Ingratitudo noſtra efficit, ut nos Deus derelinquat.

Nihil eſt Deo magis contumelioſum, quam pravus gratiarum ejus uſus; & proculdubio ſeverè ulciſcetur hunc contemptum, hoc ingrati animi vitium, hanc plerorumque Chriſtianorum ſtupiditatem, qui non majorem de Deo ſenſum habent, quàm nequiſſimus quiſque ex grege Infidelium. Pro certo jam habemus, Sanctus Bernardus ait, cauſam relaxationis, teporis, languoris, modicique profectus eo in vitæ ſtatu, quem ſumus amplexi eſſe ingratitudinem noſtram, quæ efficit, ut nos deſerat Deus. Etenim cum putet ſe jacturam facere boni illius, quod confert ingratis; ſatis exiſtimat, ſi ſemel amiſerit quidquid illis contulerit, neque vult amplius ſubire jacturam earum rerum, quas iis poſſet tribuere, qui nullam ſunt gratiam habituri. *Bartholomeus de Caranza in Tractatu de Oratione.*

Quam parum grati ſimus beneficiis Dei.

Sanctus Auguſtinus gratitudinem omnem in pietate conſtituit. Totus, ait ille, Dei cultus in hoc poſitus eſt, quod anima beneficiis, & gratiis ejus ſe non præbeat ingratam. Attamen nihil eſt, quod in mundo minus attendatur. Opus eſt, hac in re errorem noſtrum fateri, atque palam nos Deo ingratos eſſe teſtari. Plurimi ſæpe audent importunè ea, quæ ſibi deeſſe ſciunt, flagitare, ſed pauci ſunt, qui dignè acceptis beneficiis referant gratiam. Vivimus tamquam in jugi oblivione gra-

siarum, donorumque ejus, eique ingratitudinem rependimus. Quin majora sunt ea quæ accepimus, & accipimus, eò in gratiis referendis sumus negligentiores. Hodierna die hæc veluti lex aliqua lata videtur, prosperitatem videlicet oblivionis esse parentem. Si nobis e seotentia fluunt negotia, laboresque nostri; minus Deo bonorum auctori gratiás agendas esse cogitamus. Qoot cubitum eunt dormituri, vel mensæ accumbunt, manducaturi, quin, non secus ac bruta animantia, cogitent, Deum ipsis tribuere escam, & requiem, qua quotidie fruuntur? . . . Quam maximè igitur interest animo jugem beneficiorum Dei sensum fovere; ita eoim testamur nos verè illum diligere; gratitudo enim amoris effectus est, & quidquid a nobis postulat Deus pro bonitatis suæ donis, ac beneficiis non aliud, nisi amor est; ita ut gratitudo, & amor semper inter se vinculo quodam hæreant conjuncta. *Idem.*

Incessanter Deo agendæ essent gratiæ pro jugibus ejusdem beneficiis.

Et sane cogitantibus quanta sedulitate, ac diligentia Reges terræ velint servitutem sibi ab illis impendi, quibus aliquam gratiam largiti sunt, mirum esse debet, Deo ita male famulari eos, qui adeo insignibus aucti fuere beneficiis; atque nos ita stupidos esse, ut cum semper ob oculos Dei versamur, qui nos videt, considerat, atque locis in omoibus concomitatur, integros elabi patiamur dies, quin ad eum meotem attollamus, quin illi gratias agamus, & quin ne testemur quidem nos aliquid eidem debere. Attamen persuasum nobis esse debet, quod ad hoc ut adeo amabili benefactoei eum honorem easque gratiarum actiones, quæ illi debentur, impenderemus, jugiter coram illo nosmet prosternere deberemus, illos imitati senes, qui Dei solium circumstant, laudes illius celebraturi, eique grati animi nostri sensus testaturi. *Liber, qui inscribitur: Vera Orationis idea.*

Omnes vitæ nostræ actiones cum gratiarum actionibus conjunctas esse debere satis probat ea præveniens, atque amoris refertissima ratio, qua Deus nos suis muneribus gaudet cumulare. Exterioca bona, quæ ab aliquo accipimus, quantumvis ille nobilis, & locuples sit, non est minima pars beneficii; sed potior pars est amor, & animus benefactoris, semper illud præcedens donum, quod ab eodem accipimus; & hoc illud est, quod nulla retributione potest rependi. Amor solus amorem persolvere potest, omnia exteriora bona nequeunt debitum hoc dissolvere, & quod mirum est, idem amor illius, qui ex grati animi sensu diligit, numquam æquare potest amorem illius, qui prior amat; amor enim gratitudinis ex vi justitiæ debetur, cum amor ille, qui nos prævenit, habendus sit tamquam omnino gratuitus. Itaque non infinitas tantum Deo gratias debemus agere propter innumera beneficia, quæ ab eodem accepimus, sed etiam propter eam rationem qua ille nos iisdem jugiter cumulat. *Idem.*

Gratiæ agendæ sunt Deo quod nos ex æterna damnatione eripuit, & cæteris quibuscumque malis liberavit.

Si fateris, te aliquando peccasse, sola gratia qua te ad hanc usque diem expectavit, ut te pœniteret, atque nondum tibi pœnam inflixit peccatis tuis debitam, tanti pretii est, ut mereatur, nullam præterire diem, qua Deo gratias non agas. Hoc etiam sufficere deberet, ut in æternum illi gratias haberes; nisi enim ingratus es, sæpe reputabis, te æterna promeritum sopplicia, præsentes quoque meritum fuisse calamitates. Intra te tacitus sæpius in die dices tibi; nulli sunt dolores, morbi, cruciatus, quibus jure me afficere nequeat Deus. Post hæc nimis felix essem, si alterius vitæ periculis me liberare dignaretur. Ærumnæ omnes, quibus fratres meos affectos video, vulnera omnia, quæ illis accidunt, omoes bonorum jacturæ, contumeliæ omnes totidem causæ sunt, propter quas mihi agendæ sunt Divinæ largitati gratiæ, quæ ex his malis omnibus me liberavit. *Idem.*

Actus gratitudinis erga JESUM

O Deus! JESU CHRISTE Fili viventis Dei, infinite gratiarum, & misericordiarum fons, quisnam seriò perpendere, ac sæpius meditatione secum reputare posset quidquid fecisti, ut nos salvos faceres, quin grati animi sensu afficeretur, ac simul sese in gratiarum actiones effunderet? Tu nos prævenisti cum adhuc tui eramus inimici, tu nos quæsivisti, cum fugiebamus a te; tu nos amasti, cum te nullo in discrimine habebamus; atque tunc cum apertum tibi bellum inferebamus, adlaborasti, ut nos Patri tuo reconciliares. De cœlo hoc consilio descendisti, & pro gloria, qua inter Angelos fruebaris, nostras subiisti calamitates, atque miserias. Quamvis per te omnibus affluas divitiis, voluisti tamen tamquam mortalium pauperimus nasci; in mortalis hujus vitæ cursu sexcentas persecutiones ferre, & tamquam homo nequam in cruce mori. Proh! si in grati animi argumentum nihil pro te pati possum; saltem quoad vivam semper immortales tibi habebo, agamque gratias propter ea, quæ pro me pati dignatus es. *Idem.*

CHRISTUM propter ea, quæ ab ipso accepimus beneficia.

Pro Deo numquam ea facere possumus, quæ ipse pro nobis fecit, neque propter ea satis dignas gratias referre.

Impensiùs optarem, o Redemptor amabilis, posse me saltem propter amorem tui aliquam ex iis subire pœnis, quas propter amorem mei passus es; & quibus me infinita tua misericordia prævenit. Si terrenis me abdico bonis, ut te sequar, te rerum omnium egenum intueor, atque gravissima paupertate laborantem: Si corpus meum pœnitentiæ rigoribus excrucio, tuum vulneribus undequaque discerptum adoro; si mihi vitæ hujus commoda, & voluptates interdico, tu, ubi caput reclinea non invenis, si terræ hujus honores contemno, tu haberi voluisti tamquam mortalium omnium novissimus; si injurias, & contumelias dimitto, tu habitus fuisti veluti blasphemus, latro, furcifer: maximum honorem me consecuturum putarem, si propter gloriam tuam sanguinem possem effundere: at eheu! quænam supplicii species tibi pro salute mea vitam abstulit? Cur æternum te unum cogitare nequeo! at oblitusne fuisti mei vel uno momento? Me pudet vota mea enumerare, inutilia quippe sunt, si quod tibi amoris argumentum præbere conor, quot tu ipse mihi non præstitisti? *Liber, qui inscribitur: Animadversiones in varia Religionis, Ethicaque Argumenta.*

Amor gratitudinis, quem debemus Deo.

Infinitorum bonorum, quorum divinæ largitati nos debitores esse intelligimus, grati animi sensus in nobis erga Deum parere debet: vel, ut dicam melius, gratitudo nostra, si vera est, non aliud est, quàm mutuus amor, quo respondemus amori, quo Deus nos liberaliter prævenit; etenim quemadmodum nos propriè eo tantùm obligati censemus amore, quem aliquis nobis benefaciens testatur, ita nullam propriè habemus gratitudinem, nisi quatenus Benefactorem nostrum diligimus. Quæcumque nobis procurasset aliquis bona, gratias illi habendas nequaquam existimaremus, nisi apertè pateret, illum amore ductum nostræ studuisse utilitati. Hæc potius debiti quædam species esset ære dissolvendi, quàm beneficium, pro quo gratiæ essent referendæ; ideoque quidquid conareris par pari benefactori tuo relaturus, quin illi amorem impenderes, nequaquam te justa ingratitudinis nota liberarent. *Ex Anonymo Auctore.*

Nihil intolerabilius ingrati animi vitio.

Nonne verum est, nulla re vos magis ad iracundiam, & indignatiooem excitari, quam ingrati animi vitio illius, quem dilexistis, & de quo meriti estis perquam bene? Hæc quotidie auditur querela: si alius quispiam hæc mecum egisset, facilè ferrem: sed mihi contumelias inferri ab eo, qui quidquid est, mihi debet, & quem tamquam ex me genitum semper amavi; quomodo patior? Hominum omnium patientissimus, Salvator adorabilis, qui numquam os aperuit suum, ut vel de judicum injustitia, vel de Sacerdotum legis iniquitate, vel de carnificum sævitia conquereretur, visus est sine querela ferre non posse discipuli proditionem: *Juda osculo filium hominis tradis?* Et Propheta illum ita loquentem inducit: *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique;* Luc. 22. Psal. 54.

tu verò

ta verò homo unànimis; &c. P. Texier in Dominicali Dominica 3. post Epiphaniam.

Consideratio beneficiorum Dei nos ad illius amorem debet impellere.

Quemadmodum nihil deterius est ingratitudine, ita hæc species est injustitiæ, eadem injustitia turpior, atque indignior excusatione; & quemadmodum nemo ita improbus est, ut omnem grati animi sensum prorsus abjecerit, ita nulla aptior, & efficacior ratio est homines divino amore inflammandi, quàm consideratio beneficiorum omnium, & quæ receperunt, & quæ quotidie recipiunt, & quæ impostetum ab illius misericordia sperant se recepturos. Maxima profectò stupiditas nostra dicenda est, si non movemur ea charitate, qua Deus ita mundum prosecutus est, ut pro eodem morti Unigenitum suum traderet; neque concipi fere potest, quod Christianus cum Sancto Paulo dicere valeat: Dei Filius *dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*, quin gratitudinis amore exardescat..... Itaque si olim eum amare pigebat, nunc saltem illum redamare, mutuumque amori amorem rependere pigeat non debet: nullæ enim ad amorem conciliandum sunt potentiores illecebræ, quàm amicitiæ testimoniis alterum prævertere; & nimis durus est animus, qui cum dilectionem impendere detrectaret, eam rependere nolit. *Auctor Anonymus.*

Semper nobis suppetunt causæ, propter quas nosmet veluti Deus ingratos considerare possimus.

Cum omnia Divinæ erga nos largitatis argumenta explorabimus, in nobis nihil nisi erubescendi, atque nosmet humiliandi causas inveniemus. Gratiarum Dei pondus non satis agnoscitur, & dici non potest, quot ob illud damnabuntur, quod esse debebat causa sanctificationis eorum. Peccatum, quod præ cæteris minus veniam mereatur, & nihilominus est omnium familiarissimum, est ingratitudo; si enim rite judicare velimus, nullum est in vita nostra momentum, quo Deus in nos misericordiæ suæ manus minimè aperiat; & nullum fere, quo eidem animi nostri duritiem non testemur. Verbo; Mundus regnum est ingratorum, & Deus, ut ita dicam, ibi semper gratiæ suæ torrem in spinas, ac tribulos depluit. *Abbas Trappensis Tomo primo, Documentorum Christianorum.*

Quam odiosa ingratitudo sit, & cur.

Ingratitudo peccatorum omnium odiosissimum est, & communissimum; omnes illius nomen horrent, sed omnes fere eamdem exercent. Existimatur non alia nequior infamiæ nota offundi posse alicui, quam si ingratus vocetur. Et sanè cum Sancto Bernardo dicere possumus, ingratitudinem eam esse, quæ naturæ vincula infringit, quæ civilis societatis commercium solvit, & quæ ulterius progressa Religionis cursum, atque successum interrumpit, qui quidem a Deo per gratiarum effusionem incipit, ac desinit in creatura, quæ beneficio vicem rependere debet æterno gratitudinis suæ monumento. Cæterum si secundum Ethicorum axioma quilibet peccator ignarus potest nuncupari, nos cum Sancto Augustino quemlibet peccantem ingratum dicere possumus: *Omnis peccans est ingratus*; quia infelix hic in teterrimam ingratitudinem omnium proruit. *Sermo Manuscriptus.*

Multitudo beneficiorum, quæ debemus Deo grati animi sensum ex nobis reposcit.

Nonne verum est, Fideles, vos debere Deo essentiam, quam per creationem recepistis, gratias, quæ in Baptismo vobis collatæ fuerunt; justificationem, quam per Pœnitentiæ Sacramentum assecuti estis, ac denique Dei participationem, quam per Eucharistiam obtinuistis? Ad hæc nonne verum est, illum, post primum a vobis patratum scelus, potuisse jure vos in interitum dare? Heu! quot post primum crimen lapsi sunt in infernum; & nihilominus tantam vobis Deus contulit gratiam, ut ad pœnitentiam pertraheret? At nondum satis: nonne verum est vos ab ipso infinita liberalitate in Sanctissimorum Mysteriorum partem evocatos fuisse, atque propria ejusdem carne fuisse innutritos, illo sese vobis in escam, potumque præbente? Ullane huic par bonitas inveniri potest? ullane huic gratiæ par potest excogitari? Adde his numerum actualium gratiarum, inspirationum, motuum, documentorum, exemplorum. Quod si ab interioribus ad exteriores gratias progredior, quot ille vobis contulit bona? quot reditus, cum interim plurimi fame, sitique laborent, & alii in sudore vultus sui victum sibi comparare cogantur? Attamen quænam est gratitudo vestra? Heu! nihil nisi ingratitudinis vitium videtur, & ubique terribilis gratiarum, ac beneficiorum Dei spectatur abusus. Heu! numquid quia bonus est Deus, Sanctus Augustinus ait, nos improbi sumus, & quin gratias illi ob tot benefacta habeamus, his tamquam armis ad eum lædendum utemur? *Idem.*

Gratitudo ob vetera beneficia recentium confidentiam immittit.

Magna est gratitudo erga infinitam Dei misericordiam propter tot bona, quibus nos cumulavit, & quibus nosmet indignissimos præbueramus, profundo humilitatis sensu sperare, ipsum in nobis opus suum absoluturum, primis secundos additurum favoribus, atque perfectarum hanc gratiarum sibi mutuò connexarum catenam, ut pluribus prosequatur beneficiis eos, qui supplicia tantummodo merebantur, si justitia tantummodo consuleretur. Si enim reminiscimur, verumque grati animi sensum concipimus ob ea, quæ nobis præstitit, beneficia, quomodonam minimè consideremus nos ab eo semper accepturos ea, quorum egemus? Sin autem te tot beneficiis indignum esse credis; numquid iis dignus eras, quæ recepisti? *Liber cui titulus, Christiana Documenta. Documento pro Dominica 18. post Pentecosten.*

Hominum præsertim verò nobilium, divitumque ingratitudo.

Dei unius est de hominibus in singula momenta benemereri, ac numquam beneficiis conferendis fatigari: itaque nemo est, qui tot ingratos efficiat: ille unus negligitur, contemnitur, læditurque iis etiam in occasionibus, ubi hominum generositatem, & gratitudinem magis excitare contendit. In ea luce, in qua illos constituit, in divitiarum, opumque bonis, quibus eos cumulat, in auctoritate, quam illis committit, totiùs ejusdem obliviscuntur, eique bellum audent indicere? Qua ille indignatione exardescere debet? Nonne tunc, quod apud homines magnum est, abominatio est in oculis Dei? Nonne in his circumstantiis; dignitatis bona fiunt ejus reprobationis primitiæ, cujus fatalis caracter plerisque mundi hujus divitibus inhærere videtur? *Auctor Recens.*

Deus nobis est diligendus ob ea beneficia, quibus indefinenter nos cumulat.

Animus advertendus esset ad eas cognoscendas gratias, quas nobis contulit Deus; id si, uti par est, a nobis fieret, tantum charitatis inveniremus in ea ratione, qua nobiscum operatus est, ut illum non amare non possemus. Dei beneficia elargientis intentió est, nos cogendi ut grati animi sensu diligamus eum, qui bonum est bonorum omnium maximum. Gratitudo erga eos, qui de nobis meriti sont perquam bene, æque naturalis est motus ac ultio in eos a quibus affecti sumus contumelia. Heu! nolumus Deo tamquam auctori accepta referre ea quæ nobis vel benè accidunt, vel malè; hoc si faceremus, Deum quidem unum diligeremus, homines verò nequaquam odio persequeremur. *Pat. de la Colombiere in Christianis Considerationibus.*

Quam justa sit gratitudo erga Deum propter ipsius beneficia.

Nihil æquè justum est, ac gratitudo nostra in Deum, quia plurima nobis contulit beneficia. Ille prior de nobis optimè meritus est, cum adhuc illius essemus inimici. Quidquid boni nobis conferant homines, huic uni gratias habere debemus; hic enim illis facultatem, imperium, ac voluptatem dedit; sed ingrati sumus, bonorum ejus obliviscimur, iisque ad eum lædendum abutimur. Cum nobis aliquis gratificatus est, primum statim verbis benevolentiæ cumulatissimis ei gratias agimus; deinde omnes inquirimus, & exploramus occasiones vicem referendi, & inquieti sumus, donec eo perfungamur officio, quod beneficii accepti postulat gratitudo. Hac in re deesse idem est, ac melius constitutas leges non honestatis solum, & urbanitatis, verùm etiam justitiæ naturalis infringere. Quod autem nobis cum hominibus necessariò exercendum censemus, nonne potiori jure cum

Deo

Deo extercendum arbitrabimur, qui in singula momenta de nobis benemereri non cessat? Indesinenter gratiæ essent a nobis agendæ, quia indesinenter ille nobis gratificatur; nobisque diligentissimè inquirenda esset occasio ad majorem ejusdem nominis gloriam laborandi; quia hoc unicè bonum illi procurare in hoc mundo possumus, in quo ad id unum positi sumus. *Idem ex parte*.

Innumerabilia, quæ a Deo accipimus beneficia æternam ex nobis expetunt gratitudinem.

Perpendite, quæso, infinitam beneficiorum Dei erga homines multitudinem. Supposita essentia, quam liberè ipse nobis donavit, semper in nos misericordiæ suæ effectus effundere perseveravit, nos tutandi curam assumens. Nos, ut ita dicam, in immensitate sua inhabitare facit, atque in sua æternitate vigere. Nos protegit, nos tuetur, numquam, in nihilum, ex quo nos eduxit, iterum reverti sinet. Ipse novit egestatem nostram, eique consulit, ac opem, & solatium adfert: nostris autem præbet gemitibus, nostras preces audit, exauditque. Cum nobis rebus in omnibus cooperatur, & motuum nostrorum minimus est bonitatis ejusdem effectus. Ita illum nobis adnectunt ipsius immensitas, æternitas, potentia, providentia: sanctitas verò, fidelitas, liberalitas eumdem nobis recentibus vinculis adstringunt. Nos ad se trahit, opemque fert, ut eamus ad ipsum: bonis operibus nostris infiniti pretii mercedem spopondit; & si illam meremur, hanc sibi legem indicit, ut illam negare nobis minime possit. Ipse noster Creator est, Redemptor noster, Protector, atque Remunerator. Tot beneficia nonne grati animi sensum exposcunt, infinitaque obsequia, si iisdem pares essemus? *P. la Pesse, Tomo 5. de amore Dei erga homines*.

Homines alius gratias a se habendas esse putant potius quam Deo ob accepta beneficia.

Hominum plerique non solum non deferunt gloriam, & gratiarum actiones, quas debent; sed per excessum ingratitudinis, qui concipi nequit, hanc gloriam immutant, aliisque has gratiarum actiones tribuunt. A Deo recipiunt ea bona, quibus cumulantur, & hominibus gratias agunt; ea, quæ ineunt, consilia e voto cedunt, prosperumque illorum exitum suæ acceptum referunt industriæ; ad sublimes honorum gradus evehuntur, ac illos amicorum suorum favori deberi putant; familia divitiis affluit, atque se earum auctores existimant, vel si earum gloriam Deo vertunt; illum merita sua fuisse remuneratum arbitrantur. Quid hoc est? Sanctum Paulum interrogate, respondebit ille, hoc esse veritatem in mendacium convertere; hoc esse falsò creaturæ acceptum referre, quod Creatoris opus est; hoc esse idolo dicere: tu me fecisti, quod sum. *Ex Morali Dictionario, Sermone 1. de ingratitudine*.

Sæpe a Deo beneficiis cumulati eidem gratias agere negligimus.

Sæpe in Deum alia ratione sumus ingrati: illi preces effundimus, ut gratiam aliquam obtineamus, eamque enixius flagitamus. Filius ægrotat? Mater gemebunda ad vota confugit, Dominique Ministros obtestatur, ut filii morbum deprecentur. Lis gravis instat, cujus jactura metuitur, quæ totius familiæ secum interitum trahat? Supplicationes fiunt, precesque funduntur, ut omnia cedant e sententia. At filius ille convalescit? lis hæc nobis adjudicatur? De Deo non cogitatur amplius; neque ullæ eidem aguntur, habenturque gratiæ: satis est votorum summam obtinuisse; nullæ redduntur vices, nulla actio gratiarum habetur: *Non est inventus, qui rediret, & daret gloriam Deo*; quemadmodum ipse dicebat Salvator loquens de decem leprosis, ex quibus unus dumtaxat reversus est, ut ageret illi gratias, quod a lepra fuerat mundatus. O quantus est numerus ingratorum! *Idem*. Luc. 17.

Deo gratiæ agendæ sunt ob vocationis ad Christianam Religionem beneficium.

Nequaquam pro nihilo habendum est donum fidei, & ad Christianam Religionem vocatio. Mea Christiani dignitas, nonne singularem a me postulat gratitudinem? Electio, qua me Deus præ tot mortalibus elegit in Ecclesiæ suæ sinu enutriens, non permittens, ut ex hæreticis, vel idololatris ortum ducerem, me in bona deducens via; & a teneris usque unguiculis erudiens, electio fuit merè gratuita, cui nihil ego potui conferre. Dum nationes integræ sine Deo vivunt, sine Religione, sine Lege; dum plurimæ infideles regiones squallent in umbra mortis, dum Provinciæ innumeræ verum Deum non colunt, vel in spiritu, & veritate illum minime colunt, quid ego præstiti, ut eam consequerer gratiam, quam ille mihi largitus est? Quid feci, ut me aquis Baptismaris regeneraret, ut mihi Regni sui mysteria detegeret? Quot simul in una collectæ gratiæ! quot iterata beneficia! quot æquissimæ gratitudinis argumenta! *Idem in Considerationibus*.

Omnia, quæ homines nobis conferunt bona, sunt Dei beneficia.

Hoc Christianæ Religionis principium, quo docemur, neminem nobis aliquid boni efficere posse, nisi Deus velit, hoc ab aliquo nobis procurari; ideoque ipse per alium hoc nobis conferat, locum aperit detegendi infinita Dei de nobis consilia. Hinc enim patet, ubi in egestatibus nostris aliquam ab hominibus opem, solatium, subsidiumque percipimus; Deum per illum nobis opem, solatium, & subsidium afferre; hunc efficere, ut nobis servi famulentur, ut nos Principes protegant, ut nos Ecclesiæ Ministri moneant, atque erudiant. Quam uber est fons Dei erga nos meritorum! *Auctor Tractatus de Oratione in septem libros divisi*.

Consideratio beneficiorum Dei potens est illum amandi & confidendi in ipso argumentum.

Adspectus, & meditatio beneficiorum Dei ex præcipuis, atque validissimis rationibus est, quæ nos ad Dei amorem debent impellere, ac nos salubri confusione suffundere, quod fuimus, hodieque sumus erga Deum adeo clementem infideles. Consideratio hæc in altera vita Beatis quidem gaudium, reprobis verò terribile erit supplicium. At si in hac Pœnitentibus contritionis sensum immittit, eosque prosternit, illos simul recreare debet spe divinæ Misericordiæ; Etenim si tantam erga ingratos, & infideles largitatem exercuit; fidei consonum minimè videtur, velle eumdem nobis auferre, cum fideliores esse incipimus, & ingratitudinem nostram damnamus. *Idem*.



INTEMPERANTIA.

Cibi, & potus. Gula, Ebrietas.

MONITUM.



Ens mihi fuerat hoc de cibi, potusque intemperantia argumentum cum abstinentia, jejunioque uno eodemque titulo complecti; ut ex horum contrariorum oppositione alterius quidem pulchritudo, alterius verò turpitudo magis elucescerent; sed intellexi tandem utrumque satis uberem rerum copiam suppeditare posse, ut duplicem ego quidem titulum institaerem, alii verò plurimas conciones adornarent; quamvis difficile sit ita utrumque sejungere, ut ex altero nihil afferatur in alterum.

Attamen ut titali, minus quàm fieri potest, augeantur, in præsenti hoc de intemperantia collegi quidquid potus, & cibi respicit excessum, quorum alter gula, ebrietas alter nuncupatur; quemadmodum sobrietas, atque temperantia in voluptate gustae circa hec duo eadem versantur, quæ utramque illius, ut ita dicam, paginam absolvunt.

Cæterum quamvis hoc argumentum perrarò de suggesta pertractari consueverit, attamen si hujusce temporis mores, atque consuetudo spectentur, dici potest nulli esse necessitate secundum; quoniam opponitur luxui, prodigalitati, conviviorum sumptui, mollitiei, & voluptati nobilium, divitumque, nec non effusa plurimorum in omni intemperantia libidini; neque satis unquam invehi possunt Oratores sacri in hoc vitium, cujus effectus turpissimi simul sunt, atque perniciosissimi. Cavendum tantummodo est perdiligenter, ne vitii hujus adeo aperta fiat hipotyposis, ut nimis ganeam, nidoremque taberna redoleat; & ne nimium abjectis vocabulis quis utatur; licet illis Sancti Patres usi fuerint; hac enim in re latii lingua minus, quàm vernacula, id genus nomina perhorrescit.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus Argumenti Systemata.

I. 

Itæ necessitas, atque voluptas duo illa sunt, quæ temperantiam generatim sumptam moderantur; & quemadmodum intemperantia in utriusque excessu consistit, in duplici Concionis parte ostendi possunt mala, quæ potus, cibique gignit intemperantia. 1. Excessu epularum, & vini; 2. & voluptate, quæ in epularum deliciis, & varietate percipitur.

Pars prior. Omitto mala, quæ vini, & carnium excessus gignere consuevit illis, qui abdomini inserviunt: omitto valetudinis detrimentum, morbos gravissimos, ac doloribus refertissimos, quos parit; omitto mortem ipsam, quam sæpe prævertit; neque immoror eam considerans perniciem, quam spiritus humani qualitatibus adfert, quem quidem vitiat, atque corrumpit, ineptumque nobilioribus, utilioribusque cognitionibus assequendis facit. Inter ea mala, quorum intemperantia causa est, ea tantum adnumero scelera, in quæ ex se, suoque ingenio illos impellit, in quibus dominatur, & quæ in Scripturis referuntur. Primum est oblivio Dei, omniumque Religionis officiorum, quin loquamur de perjuriis, blasphemiis, sanctarum rerum irrisionibus, aliisque id genus impietatibus, quarum fœcunda est mater ebrietas. Satis est dicere hos homines suo natos abdomini ventrem sibi Deum constituere, ut inde inferamus non alium ab ipsis cognosci Deum, illi omnes cogitationes, curasque suas impendere, & in eo finem suum collocare. Alterum est impudicitiæ vitium, quod ab intemperantia numquam separari potest; ubi Tertulliani, Sanctique Hieronymi sententiæ possunt afferri. Tertium est durities, & injustitia horum mortalium erga filios, familiamque suam, quam evertunt, ac sæpe ad extremam usque mendicitatem redigunt.

Pars altera spectat ad alterum temperantiæ officium, quod est vitæ voluptatibus moderari. Altera, quæ in esu, & potu committitur, intemperantia in qualitate, ac deliciis epularum consistit, quibus potius ad sensuum oblectationem, & voluptatem utimur, quæ nos in alia adducit flagitia, quæ licet coram hominibus non adeo turpia videantur, non sunt tamen coram Deo minus magna. Sunt autem 1. luxus, & sumptus in ferculorum multitudine, & pretio, qui manifestus est bonorum abusus, quæ in usus alios nobis tradidit Deus. 2. Sensuum oblectatio, quæ christianam mortificationem oppugnat, & evertit. 2. Duritia in pauperes, quibus debetur id, quod in noxiam superfluitatem impenditur.

1. Nihil est, quod hominem magis vecordem, stupidumque reddat, quàm potus, cibique intemperantia. Illum efficit sui corporis, & voluptatis mancipium; illum carnalem, ineptumque omnibus spiritus obeundis officiis facit, negotiis agendis, & transigendis imparem, & ut verbo me expediam, ad brutorum conditionem demittit, quorum studia sectatur; quamobrem vitium hoc est turpe, & qui sese eodem coinquinaverit ab iis omnibus, qui cordati & honesti sunt, negligitur, atque contemnitur. 2. Nullum vitium est, cujus habitus magis ad impietatem, oblivionem Dei, contemptum eorum omnium, quæ ad religionem pertinent, inducat, quàm immodicus vini usus, qui ad perjuria, & blasphemias inducit. II.

Homo in triplici statu considerari potest, in naturali tamquam rationis compos, in civili, tamquam reipublicæ pars propter honorem, aut munus aliquod, quod in eadem exercet; ac tandem in statu Christiano. Ostendendum igitur est quomodo per intemperantiam III.

1. Infringantur naturæ leges, quibus satis est id, quod ad victum, ac valetudinem est necessarium; ad hoc enim dumtaxat instituit Deus cibum, ac potum tamquam remedia. Quod igitur ultra necessarium est, naturæ contrarium est, valetudinem infirmat, ac vitam imminuit; Ad hæc hujusmodi excessus lumini rationis opponitur docentis ex eo, quod medium est, finem fieri nefas esse; ita enim rerum pervertitur ordo. 2. Intemperantia hominem inutilem, immo & perniciosum civili efficit societati. Cui muneri obeundo par est ganeo, familiæ, domique suæ negligens curam, omnia deserens, suoque tantum ventri indulgere contendens? Nonne publicam æque ac privatam negliget rem? Quodnam tempus Reipublicæ bono

potest

potest impendere, qui semper assidet mensæ, vel inter compotatores, commessatoresque versatur? Nonne exemplum illius ut familiæ suæ interitum parit, ita civitati universæ exemplum præbet perniciosissimum? 3. Sin autem hominem hunc tamquam Christianum inspiciamus, præterquamquod fundamentales ejusdem leges infringit, nempe mortificationem, & fugam earum voluptatum omnium, quæ nos in scelus possunt impellere; quo pacto ille sua obit munera, ille, qui frequentius in cauponis versatur, quàm Templis? Num exercet ille bona opera, num ad Sacramenta frequens accedit, num erga pauperes charitatem præsefert? &c.

IV. 1. Injuria, quæ fit Deo per intemperantiam, per quam ex ventre fit Deus, Deoque præfertur res adeo humilis, & abjecta, qualis est inordinato facere satis appetitui; per quam ut olim Esau pro lentium catillo Cœli hæreditatem, ac primogeniti jura vendimus; ut Israelitæ Ægypti allia, cepasque mannæ cœlesti anteferimus, videlicet bibendi, edendique voluptatem spiritualibus deliciis, quæ in Dei servitute gustantur. Ita Deus hoc vitio tantam sibi inferri putat contumeliam, ut per Prophetas suos in homines hujusmodi maledicta ejaculetur, atque insignia illis proponat supplicia, in hac alteraque vita in illos exercenda. 2. Injuria, & damnum, quod homo per intemperantiam affert proximo suo. Egenos quidem privat ope, quam illis debet, quia illis erogare tenetur ea, quæ mensæ superfunt; sed belluo mavult potius pauperes interire fame, ut olim epulo Evangelicus, quàm vel minimum illis afferre solatium: immo neque suorum miseretur filiorum, quibus sæpe ea negat, quæ necessaria sunt, ut habeat, quæ in ganeis, & compotationibus suis misere impendat. Creditores quoque frustratur in convivia, opiparasque mensas pecuniam dissolvens illis jure debitam; Servos etiam debim fraudat stipendio præter scandalum, quod illis, & sæpe etiam civitati tribuit universæ &c. 3. Præsertim verò latè disserendum est de injuria, qua se ipsum afficit, suæ officiens valetudini, gravissimos sibi conflans morbos, & sæpe etiam præcocem mortem accelerans. Omnia bona sua obligurit, rem familiarem disperdit, ac sæpe se ipsum ad turpissimam redigit egestatem, in qua deseritur a ganearum suarum sodalibus, cum quibus sua dissipavit patrimonia. Gravissima tamen, quam sibimet infert, injuria hæc est, quod conscientiam suam sexcentis criminibus polluit, quæ ab intemperantia separari non possunt, & quæ deinceps recensebuntur.

V. 1. Intemperantia communissimum, atque familiarissimum est in omni statu, & conditione vitium; quamobrem nullum est, cujus habitus faciliùs contrahatur, & qui difficiliùs, ac fere numquam abjiciatur. 2. nullum est, cujus habitus & sibi, & aliis sit perniciosior, ideoque vel coram Deo nocentior, vel coram cordatis, sapientibusque viris turpior.

VI. Pro concionis argumento assumi potest hæc Tertulliani sententia; videlicet intemperantiam, quippe quæ causa extitit originalis peccati omnibus hominibus, illud quodammodo iterum excitare, & tamquam actuale scelus efficere in iis, qui huic obnoxii sunt crimini, qualis erat populus Israel, de quo Auctor hic ait: *Primus populus primi hominis resculpserat crimen*. Idque ob triplicem effectum, qui gulam consequitur.

1. Intemperantia hominem de nobilitatis suæ gradu deturbat, atque ad brutorum dejicit conditionem, quæ hac in re hominibus ipsis minus

Psal. 48. sunt ventri indulgentia: *Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus*. 2. Illum omnibus fere subjicit creaturis, quibus antea dominabatur. Pendet enim a plerisque animantibus, quæ illi præbeant obsonia; plurimorum opera indiget, quorum alii sibi comparent escas, & exoticis regionibus afferant; alii

opportunis jusculis, ac salsamentis communiores epulas condiant: ac ipse tandem sui corporis est, suæque voluptatis mancipium. 3. Hæc illi sæpe mortem infert, vel saltem vitæ cursum breviorem facit, sexcentasque parit molestissimas ægritudines, quas profectò sunt peccati originalis effectus; sed quas intemperantiæ peccatum efficit frequentiores. Illud verò magis dolendum est, licet cæteris mortalibus peccatis commune, quod animæ mortem parit pluribus, quam alia peccata, in quæ hoc ipsum nos trahit, & quorum est causa &c.

Cum gula abstinentiæ, & jejunio sit opposita, ostendere possumus, hanc oppositos gignere effectus iis, quos Ecclesia tribuit jejunio, qui sunt, 1. vitiis, quibus obnoxii sumus, frænum injicere: *Qui corporali jejunio vitia comprimis*: Intemperantia e contra nos in omnia impellit vitia, quemadmodum sæpe dicemus. 2. mentem elevare, & ad alterius vitæ bona attollere: *mentem elevas*: intemperantia e contra demeotes facit, ac divinis rebus meditandis minimè pares. 3. mercedem, ac præmia in Cœlo mereri: *Virtutem largiris, & præmia*; intemperantia e contra nobis hujus, alteriusque vitæ conflat supplicia. VII.

1. Cibi, potusque intemperantia vitium est, a quo difficiliùs nobis cavere possumus, & contra quod maxima opus est attentione. Nos in illud nostra in corporis oblectamenta proclivitas urget, & extrinsecus epularum deliciæ, atque sodalitates &c. inducunt. 2. Hoc vitium minus, quàm cæteri excusatione dignum est, licet hoc maximè speciosis sese prætextibus ornet, necessitatis, qua nobiles viri sibi jus esse comminiscuntur lautiùs, quam vulgò mortales, vescendi, & societatis eorum, cum quibus vivendum est &c. VIII.

1. Qui opiparis dapibus oblectatur, ac intemperantiæ obnoxius est, hic vitam ducit turpem, infamem, & honesto, Christianoque homine indignam. 2. Vitam ducit criminosam, quia mollis est, sensibus indulgens, ac infinitis referta criminibus, quæ per intemperantiam patrantur. IX.

1. Intemperantia nos omnibus vitæ hujus bonis privat: Corporis quidem, videlicet valetudine bona, vita, atque honestis voluptatibus, ut eas consectemur, quæ turpes sunt: Animæ verò, quia opposita est omnibus virtutibus, omnibus pietatis exercitiis, omnibus bonis operibus, honestati, & existimationi, quæ inter naturalia bona, pretiosissima sunt. 2. Nos in omnia fert mala, quorum hæc prima extitit causa, in omnia vitia, injustitias, flagitia. X.

1. Intemperantia hominis, qui huic obnoxius est vitio, & qui vino præsertim indulget, huic conflat infamiam, bonorumque virorum contemptum. 2. Gravissimam committit injustitiam contra familiam, filiosque suos, quos ad mendicitatem redigit, ut suæ gulæ obsequantur. 3. Publicum denique parit scandalum, ganeis, & compotationibus suis, quæ fallere nequeunt, & quæ sine pluribus imitatoribus, sodalibusque esse non possunt. XI.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest ad proposita Concionum argumenta exornanda.

Sanctus Augustinus, *l. 10. Confess. c. 31.* ostendit gulam, atque intemperantiam non in epulis, sed in appetitu, inordinatoque iisdem saturandi desiderio consistere. *Sancti Patres.*

Idem, *l. Quæst. ex utroque Testam.* ostendit, quam injuriam animæ afferat gula; & quæ cura in ea reprimenda adhibenda sit.

Idem, vel Auctor *de conflictu vitiorum, & virtutum*, docet alimentis æque, ac remediis utendum esse, & intemperantiam Christianæ Religionis spiritui esse contrariam.

 Idem,

Idem, ibidem acerrimè invehitur contra immoderatum vini usum, & docet, in quæ flagitia ebrietas rapere consueverit.

Idem, *Serm.* 231. *de Tempore*, docet, quomodo corrigenda sit cibi, potusque intemperantia, & quomodo virium hoc possit superari.

Idem, *l.* 4. *contra Julianum c.* 14. distinguit gustum, qui in dapibus invenitur ab intemperantia, quæ efficit, ut sine modo iisdem utamur.

Idem, vel Auctor *l. de Salut. documentis c.* 37. *& in Epistola ad Sacr. Virgines, & in lib. de sobriet. & virginit.* ebrietatis mala recenset, cujus perniciosos effectus depromptis ex Scriptura exemplis ostendit.

Idem, *l.* 2. *contra Jovinianum*, prolixo sermone exponit mala, quæ corporibus ipsis parit intemperantia, & bona, quæ adsert abstinentia, cujus rei plura memorat exempla. Et io cap. 5. Epistolæ ad Galatas describit ebrium hominem, & contra ebrietatem declamat.

Sanctus Gregorius, *lib.* 1. *Moral. c.* 5. ostendit mala, quæ ex crapula & conviviis proficiscuntur.

Idem, *l.* 30. *Moral. cap.* 13. explicans hæc verba Job; *Clamorem exactoris non audit*, ostendit gulam esse insatiabilem, & illi fieri satis non posse; Et capite 27. ejusdem libri, ostendit quinque variis modis circa hoc peccatum reatari. Job. 39.

Sanctus Ambrosius, *lib. de Abraham Patriarcha cap.* 6. ostendit mala intemperantiæ, & ebrietatis. De his loquitur etiam in libro de *Elia, & Jejunio cap.* 9. 14. 16, 17.

Sanctus Chrysostomus, *Homil.* 10. *in Genesim*, describit mala, quæ ex crapula, & ebrietate procedunt.

Idem, *Conc.* 1. *de Lazaro*, ostendit cibi, potusque intemperantiam in idololatriam, & impietatem impellere.

Idem, *Homil.* 37. *in Acta Apostol.* describit injuriam, quam sibi infert homo per intemperantiam, & morbos, quos in se detrahit &c.

Idem, *Sermone contra luxum, & crapulam*, docet hominem intemperantem, ac immodicè sese dapibus ingurgitantem similem esse navi nimium onustæ, quæ semper in percundi discrimine versatur.

Idem, *Homil.* 5. *ad Popul. Antioch.* ostendit ebrietatem turpe esse vitium, & gula hominem fieri Deo, & mortalibus odiosum. Et homilia 71. hanc vitiorum omnium originem esse docet.

Sanctus Basilius, *Homil.* 4. *in ebrietatem*, refert mala, & scelera, quæ illi committunt, qui huic sceleri sunt obnoxii. Hoc ipsum pertractat argumentum, *Orat.* 16. *in Homil.* 14. *& tractatu de vera virginitate.*

Idem Sermone, quo ad Monasticam vitam amplectendam hortatur, diligentissimè cavendum sit, ne quis intemperantia se vinci sinat, qua tentatione primi Patres victi fuere.

Salvianus pluribus in locis contra gulam, & ebrietatem invectus est; quæ vitia ævo ipsius erant communia, quemadmodum & nostro hoc sunt.

Cassianus, *lib.* 5. *de instituti renunciat.* de hac re fusius verba facit, & in libro de *Gastrimargia.*

Sanctus Bernardus, *Serm.* 2. *de Verbis Apostoli ad Roman. Regnum Dei non est esca, & potus*, acerrimè declamat contra helluones, eisque repetit maledictiones, quas Deus per Prophetas suos illis intentat. Ad Rom. 14.

Sancti Patres qui de jejunio, & abstinentia locuti sunt, in sermonibus suis plurimos inserere locos contra cibi, potusque intemperantiam.

Alcetici, aliique · Hugo de S. Victore, *in Claustro*, pulcherrimam habet descriptionem ferculorum, dapum, jusculorum, salsamentorumque, quorum usus erat in conviviis ævo suo.

Qui de hac intemperantia verba fecerunt, sermo sunt.

· Canisius, *Tomo* 4. *de vitiis.*

· Jacobus Alvares, *Tomo* 2. *lib.* 1. *part.* 3. *&* 4.

Granatensis in Peccatorum Duce, *l.* 2. *cap.* 8.

Dexelius *in Niceta*, *l.* 1. *cap.* 4.

Nicolaus Lancicius, *Opusc.* 2. *cap.* 2.

Marchantius, *in Tuba Sacerdotali tract.* 5.

Bernardinus Rossignolius, *lib.* 3. *de Discipl. Religiosa cap.* 10. & 11.

P. Suffren, Tomo 1. Anni Christiani *c.* 8. §. 3.

Sancta Familia P. Cordier, Tomo 2. c. 7. ubi de vita frugi, deque excessibus, qui in vita committuntur, verba facit.

P. Haineuve, Tertia parte de Ordine Serm. 26. Pean, libro de Spiritu Christianismi Tractatu, vel Sermone 6.

P. Heliodorus Capuccinus Sermone tertio de voluptatibus gustus.

Stephanus Niger de nimia obsoniorum appetentia.

Jodocus Coccius in Thesauro Cathol. *Tom.* 3. *lib.* 2. *cap.* 3.

Raynerius de Pisis in Pantheologia.

Liber cui titulus; Bellum vitiis, Conflictu 10.

Pædagogus Christianus, Part. 1. cap. 7. §. 6.

P. Nepveu in Christianis Considerationibus Tomo secundo.

Gobinet in Institutione Juventutis, prima parte, cap. 13.

Dandinus, Ethica Sacra, libr. 8. de Gulæ Intemperantia.

Javellus, 3. parte Philosophiæ Christianæ.

Philo Judæus tractatum edidit de ebrietate.

Petrarcha quoque Colloquium habet de crapula.

Seneca Epistola 84. plura habet ad hoc argumentum spectantia.

Marbias Faber, *Conc.* 1. *&* 2. *in Dom.* 6. *post Pentec.* Concionatores.

P. Grisel in Adventu, cui titulus *Balthasar*, Sermone 3.

In Dictionario Morali Tomo 5. sermonem, & plures Considerationes invenies de ebrietate.

In Sermonibus Moralibus sermo est de intemperantia.

Auctor sermonum Christianorum sermonem habet de solutionibus Bacchanalium conviviis pro Quadragesimæ Dominica.

P. de la Colombiere, Tomo quinto Sermonum plures habet Considerationes de intemperantia.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta unum habet de intemperantia sermonem tomo 2. argumentorum particularium.

Granatensis in locis Communibus, Qui collectanea ediderunt.

Paraldus Tomo 2.

Busæus in Panario Titulo *Gula.* Item *Ebrietas.*

Lohner, }
Summa Prædicantium, } Tit. *Gula.*
Labatha, }

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Scripturarum Applicationes huic Argumento.

Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat hujuscemodi cibus, & ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis. Numer. 11.

Filius vester, si comessationibus vacat, & luxuria atque conviviis; lapidibus eum obruet populus, & morietur. Deut. 21.

Justi epulentur, & exultent in conspectu Dei, & delectentur in lætitia. Psal. 67.

Luxuriosa res, vinum, & tumultuosa ebrietas. Proverb. 20.

Nullum secretum est ubi regnat ebrietas. Proverb. 31.

Vacantes potibus, & dantes symbola consumentur. Prov. 23.

Qui diligit epulas, in egestate erit, qui amat vinum, & pinguia, non ditabitur. Prov. 21.

Cui væ, cui rixa, &c. Nonne his qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis? Proverb. 23.

Noli

Noli esse in conviviis potatorum, nec in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt. Ibidem.

Justus comedit, & replet animam suam; venter autem impiorum insaturabilis. Prov. 13.

Necatores sine misericordia filiorum suorum, & comestores viscerum hominum, & devoratores sanguinis. Sap. 12.

In multis escis erit infirmitas. Eccli. 37.

Utere quasi homo frugi his, quæ tibi apponuntur; ne, cum manducas multum, odio habearis. Eccli. 31.

Noli avidus esse in omni epulatione, & non te effundas super omnem escam. Eccli. 37.

Propter crapulam multi obierunt; qui autem abstinens est, adjiciet vitam. Ibid.

Operarius ebriosus non locupletabitur. Eccli. 19.

Vinum multum potatum irritationem, & iram, & ruinas multas facit. Eccli. 31.

Cogitavi in corde meo abstrahere a vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad sapientiam, devitaremque stultitiam. Eccl. 2.

Vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes. Eccli. 19.

Sanitas est animæ & corpori sobrius potus. Eccli. 31.

Amaritudo animæ vinum multum potatum. Ibid.

Sapientia non invenitur in terra suaviter viventium. Jobi 28.

Væ, qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam, & potandum usque ad vesperam. Isaiæ 5.

Comedamus & bibamus, (ajunt gulosi) *cras enim moriemur*. Isaiæ 22.

Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem. Isaiæ 5.

Præ vino nescierunt, & præ ebrietate erraverunt. Isaiæ 28.

Hæc fuit iniquitas Sodomæ, saturitas panis & abundantia. Ezech. 16.

Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor. Oseæ 4.

Saturati sunt, & levaverunt cor suum, & obliti sunt mei. Oseæ 13.

Ululate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine, quoniam periit ab ore vestro. Joel. 1.

Væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis. Luc. 6.

Attendite vobis, ne fortè graventur corda vestra in crapula, & ebrietate. Luc. 21.

In diebus Noe edebant, & bibebant, usque in diem, qua intravit in arcam: & venit diluvium, & perdidit omnes. Luc. 17.

Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam Joannis 6.

Sicut in die honestè ambulemus: non in comessationibus & ebrietatibus. Ad Rom. 13.

Esca ventri, & venter escis: Deus autem & hunc, & has destruet. 1. ad Cor. 6.

Hujuscemodi Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri. Ad Rom. 16.

Ebrietates, comessationes, & his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Ad Galat. 5.

Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. Ad Ephes. 5.

Multi ambulant, quos sæpè dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Christi: quorum finis interitus: quorum Deus venter est: & gloria in confusione ipsorum. Ad Philip. 3.

Hi sunt in epulis suis maculæ, convivantes sine timore, semetipsos pascentes. In Epist. Judæ.

Exempla veteris, novique Testamenti.

Primorum parentum intemperantia malorum omnium causa.

INtemperantia primum fuit hominis peccatum, omniumque malorum nostrorum causa. Fatale pomum, quod comedit Adam contra Dei vetitum, virus suum in omnem ejusdem progeniem effudit. Satis patet quanam in occasione pecca-

tum illud fuerit patratum, & quo pacto ille sollicitatus fuerit, ut explicitum Creatoris præceptum infringeret. Eva nacta est fructum visu pulchrum, & promissio futurum ut Deo similis fieret amorem proprium ejusdem palpavit. Hac in cæcitate manum extendit ad pomum, quod illi fuerat interdictum, atque ex eo comedit, ut suum appetitum expleret. At hoc satis non fuit calamitosissimæ fœminæ; illud viro quoque suo manducandum præbuit, qui vel ne illi displiceret, vel ut pomi gustum perciperet, ex eo manducavit. Sed quamcumque ob causam comederit, hoc fuit intemperantiæ peccatum, quod in posteris eam peperit cupiditatis perturbationem, quam ipsi experimur, erga ea, quæ sensus nostros, gustum verò præsertim illiciunt, qui ideo datus est nobis, ne tædio afficeremur cibis, quæ ad vitam alendam sunt necessarii.

Intemperantia ex his fuit sceleribus propter quæ Deus diluvium immisit. Matth. 24.

Notatu dignissimum profectò est non satis liquere utrum, antediluviani homines, qui adeo corrupti, voluptatibus abditi, atque in omne impudicitiæ genus solutissimi erant, mensas animantium carnibus instruerent, & vino uterentur, quod aliquantò post inventum scimus. Evangelium nihilominus asserit, illos eodem tempore, quo Deus universali cataclismo eluere voluit peccata, quæ ab illis patrabantur, bibisse, & manducasse, nuptias, & convivia fecisse, quin Noeticæ minæ ipsis negotium facesserent; quæ res quosdam Sanctos Patres in eam impulit sententiam, ut affirmarent, si cibi, potusque intemperantia fuit, qua de re ambigere nefas est, causa obscœnarum libidinum, quæ Deum ad iracundiam provocarunt; hac in re ipso etiam communium epularum usu, cui minimè interdictum est, posse peccari? Quibus addi potest, eorum intemperantiam longe aliam futuram fuisse, si opiparas habuissent dapes tanta arte, ac studio conditas, delicatissima vina, aliasque nostrorum temporum cupedias, quæ sunt voluptatis incitamenta, & quæ concupiscentiam inflammant.

Intemperantia Esau, qui pro lentium edulio primogenita vendidit. Genes. 25.

Nihil hoc in argumento magis apertum, explicitumque ex sacris suppetit Bibliis, quàm intemperantia Esau. Cum venatu fatigatus esuriret, domumque reversus nactus esset fratrem Jacob, jamjam cœnaturum lentium edulio, statim cibi hujus cupiditate flagravit: *Da mihi de coctione hac*. Pete, quodcumque vis, dixit illi fratri suo, sed mihi da paratum hunc cibum; qua re præclaram sibi offerri occasionem ratus Jacob, primogeniti jura poposcit. Non hæsit diu Esau, respondetque sibi jamjam fame interituro nihil profutura primogenita sua. Itaque sua excæcatus concupiscentia solemni sacramento primogenita cessit citra molestiam, dummodo suæ satisfaceret edacitati: *Abiit, parvipendens, quod primogenita vendidisset*. Ita Esau, quem jure optimo Sanctus Paulus profanum vocat, abjectissimam escam illi prætulit rei, qua nihil ipsi esse debebat antiquius. Levem voluptatem prætulit omnibus benedictionibus, quibus aliquando a Parente optimo erat cumulandus, & pro nihilo vendidit, quod vitæ ipsius impendio servandum erat. Ibidem. Ad Hebr. 12.

Idololatria Judæorum effectus intemperantiæ.

Loqui de intemperantiæ vitio, deque sceleribus in quæ eadem impellit, minimè possum, quin Israelitici populi recordatio menti meæ subeat; qui, uti narratur in Exodo, cum esset in deserto, die quadam postquam immodicè epulis, vinoque sese ingurgitassent, surrexerunt, ut aureo vitulo sacra facerent: *Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere*. Et quod magis adhuc mirum est, quasi tanta hæc impietas eorum sententia lusus videretur, se nugari, non autem adeo horrendum facinus committere arbitrabantur. *Et surrexerunt ludere*. Heu! qui lusus! & quam supremæ Dei Majestati acerbus; qui statim in arena consilium init infidelis hujus populi delendi, eumque delesset, nisi mansuetudine sua Moyses tantam cladem fuisset deprecatus. Hoc tamen ipsum populo funestum fuit, etenim ad Cœli iram sedandam, Exod. 32.

quondam, litandum eidem fuit trium, ac viginti millium cæde, postquam illis propinasset sceleris eorumdem objectum a Moyse confractum, & aquæ immixtum. Hæc ea scelera sunt, in quæ tandem labuntur intemperantes, quorum, ut Apostolus inquit, Deus venter est.

Eorumdem Israelita rum pœna, quod carnes mannæ prætule rint.

Idem populus sæpe per intemperantiam suam in se Dei iram convertit; cujus rei infiniti operis esset omnia Scripturarum exempla proferre; at quod allaturi sumus, prætermitti nullo modo potest quin præclarissimum hujus argumenti ornamentum omittatur. Hoc autem accidit, cum populus mannæ pertæsus, quæ epulatum omnium gustum complectebatur, murmurare occæpit, atque immodica actus intemperantia petiit animantium carnes, quibus vesceretur. Inordinatæ illorum cupiditati indulsit Deus, sed hoc in eorum cessit interitum. Totis castris tantus coturnicum decidit imber, ut solum tegeretur; & avidus populus die una, simul ac nocte avibus colligendis intentus fuit, quas exsiccavit, atque in mensis integri, & ultra, annonam condidit. Verum Deus cum novitate prodigii suam probasset potentiam, justitiam quoque suam insigni supplicio probavit. Etenim, ut Scriptura inquit, adhuc esca in ore erat ipsorum, cum ira Domini contra cupidissimos murmuratores detonuit. Repente terribilis in castris mediis exatiit ignis, magnamque illorum partem absumpsit, ut inordinatæ concupiscentiæ ignem puniret; & locus ubi tot calamitosi contumulati fuere, concupiscentiæ sepulcretum appellatum fuit, ut æternum esset posteris monumentum suppliciorum, quibus Deus intemperantes punire consuevit.

Congeries exemplorũ de pœnis intemperantiæ & malis ejusdem.

Primi Parentes nocentes facti sunt per intemperantiam. Noe per incuriam inebriatus est, statimque crapulam edormiens visus est nudato inguine, ab uno filiorum suorum irrisionibus expositus. Loth ab ipsis, quas genuerat, filiis inebriari passus, nesciens quid faceret in teterrimum incestum lapsus est. Sodoma ad iniquitatum suarum cumulum non evasit, nisi per affluentiam earum rerum, quæ ad victum sunt necessaria, perque immodicum usum earum. Holophernes mero madidus a muliere cæsus fuit, quæ illius caput abscidit eodem gladio, quem ille populo Dei minitabatur. Balthasar Rex Babylonis in magnifica mensa, cui omnes uxores, pellicesque ipsius aderant, omnesque aulæ Satrapæ aureis bibens scyphis, quos Nabuchodonosor ex Jerosolymitano avexerat templo, vidit manum mysticis caracteribus scribentem suæ mortis sententiam, quæ post paucas horas fuit adimpleta. In convivio jussit Herodes sibi in disco Magni Joannis Baptistæ caput afferri.

Temperantiæ exemplum, quod præbuit JESUS CHRISTUS.

Mundi Salvator donec in terris versatus est, non secus ac alii manducavit, & bibit; interesse quoque voluit nuptiis, atque conviviis, ut nos suo doceret exemplo. Sanctus Augustinus ait, hac in re excessum tantummodo, nimiamque edacitatem improbari, atque sobrietatem tam in conviviis, quam in abstinentiis esse servandam. Docuit etiam, ea, quæ apponerentur, accipienda esse, & manducanda; ut intelligeremus ex Providentiæ ipsius ordine obsonia sumenda esse, non autem gustu, atque appetitu nostro eligenda. In desertum adductus a Spiritu Sancto, ut a diabolo tentaretur, permisit, primo hostis impetu temperantiam ipsam probari, ut hinc cognosceremus primum, quod in Dei servitio sustinendum est prælium, primumque a nobis superandum vitium, gulam esse, atque intemperantiam.

Epulonis exemplum ob intemperantiã deterrere deberet. *Luc. 16.*

Quis non metuat funestissimam infelicis Epulonis sortem, de qua sermo est in Evangelio? *Homo quidam erat dives, & epulabatur quotidie splendide.* Equidem scio non ob crapulam solum ab Evangelio divitem istum damnari, sed in sceleris partem accessisse duritiem, qua Lazaro mensæ analecta negabat, hanc immo præcipuam damnationis ejusdem causam fuisse. Verùm ignorari non potest, intemperantiam, quæ homines in noxias hujusmodi profusiones impellit, ut plurimum causam esse hujus avaritiæ crudelis, propter quam cor, oculique pauperum egestatibus obstruuntur; & hanc cibi, potusque intemperantiam, hanc exquisitarum epularum, ac delicatissimorum vinorum perquisitionem altera in vita peculiari supplicio puniri, quemadmodum in hoc malo divite intuemur, qui duobus annorum millibus aquæ guttam petit, quin illam adhuc obtinere potuerit. Peccavit ille sese dapibus, meroque ingurgitans, & hanc ob causam ardenti siti torquetur, & quantum deliciarum gustavit, tantum suppliciorum patitur. *Quantum in deliciis fuit, tantum date illi tormentum.* *Apoc. 18.*

Usus conviviorum in primæva Ecclesia. *1. ad Cor. 5. 11.*

Quantumlibet severa sit lex Christianismi, & licet acerrimum ipsa bellum indicat intemperantiæ, numquam tamen Christianis conviviorum usum, & commessationum prohibuit. Immo adeo parum inimica est hujusmodi oblectationum, ut primis Ecclesiæ sæculis in sanctissimis etiam locis, & coram aris earum usum permitteret. Postquam Corporis, Sanguinisque Dominici Mysteriis seipsos refecerant, tunc Deus se eorum Patrem profitebatur omnes suæ mensæ admittens; tunc illi Filios Dei esse ostendebant coram quo simul tamquam fratres cœnæ accumbebant. Quæ consuetudo si deinceps obsolevit, hoc satis ostendit, labente tempore aliquod obrepsisse incommodum; at desuetudo nequaquam interdicit, quominus interdum animi ergo fideles simul conviventur. Verùm ut liqueat quantopere primis fidelibus cordi esset conviviorum suorum, quæ agapes dicebantur, videlicet dilectionis, & charitatis convivia, ecce quid de illis dicat Minutius Felix ex primis Christianis auctoribus unus: *Convivia non tantum pudica colimus, sed etiam sobria; nec enim indulgemus epulis, aut convivium mero ducimus, sed gravitate hilaritatem temperans casto sermone, corpore castiore.* Quibus gemina sunt, quæ Tertullianus inquit in Apologetico.

Minutius Felix in Octavio.

Tertull. in Apolog. c. 39.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic argumento.

Intemperantia hominem in oblivionem, ac rebellionem adducit.

INcrassatus est dilectus, & recalcitravit. Deuteronom. 32. Quemadmodum nulla re magis, quàm temperantia homines divinis rebus aptiores fiunt, atque alacriores ad ea obeunda, quæ ad Domini cultum pertinent, ut inquit Scriptura; ita nulla re anima ab omnibus Religionis officiis magis arcetur, quàm opposito vitio, quo homo carnalis prorsus efficitur. *Incrassatus est dilectus, & recalcitravit.* Israel affluentia, opiparisque dapibus saginatus est, cumque in rerum egestate ad me confugeret, ac tamquam Deum suum adoraret: copia, & epularum abundantia illum impulit, ut contra jussa mea rebellaret, atque instar equini pulli in eum, a quo altus est, recalcitraret: *Incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, & recessit a Deo salutari suo.* Sese cibi potusque intemperantiæ mancipans, atque bonorum affluentia perfruens dereliquit cultum Dei sui, a quo fuerat creatus, atque illius detrectavit imperium, qui tot mirabilia patraverat, ut illum de Ægyptia captivitate liberaret.

Quomodo hi, quorum ex ventre numen efficiunt. *Ad Rom. 16.*

Quorum Deus venter est, Ad Philip. 3. Hoc S. Pauli verbum terribile est illis, qui abdomini indulgent, & de quibus alibi idem Apostolus inquit: *Hujuscemodi Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri.* Adorant ventrem suum veluti numen, cum pro eo id faciunt, quod Sancti pro Deo; cum eidem inserviunt; cum illi satisfacere contendunt, cum illum unum diligunt, eumque rebus omnibus præferunt, juxta illud Sancti Augustini: Quod diligitur, adoratur. Quidquid amamus fit tamquam Deus noster, ac in *Aug. in Psal. 77.*

eo

eo requiem omnem statuimus. Avari pecuniam, ambitiosi honorem Deum colunt. Prædominans in unoquoque affectus, Deus est singulorum, cui serviunt, omnia illi desideria, curas, atque existimationem impendentes. Hac de causa igitur venter idolum eorum est, qui crapulæ voluptatibus sese ingurgitant, & quin abstinentia, & mortificatione corpus suum efficiant spirituale, e contra animam suam prorsus carnalem efficiunt.

Non desunt, qui in eo gloriam suam cõstituant, quod abundantius epulentur, & vinum potent.

Et gloria in confusione ipsorum. Ibid. ad Phil. 3. Hæc Apostoli verba intelligenda sunt de helluonibus, atque compotatoribus, qui in eo suam gloriam constituunt, quod illos deberet pudore suffundere. De eo gloriantur, cujus eos pudere deberet, si quis religionis sensus superesset ipsis, & cujus certe illos pudebit, vel hac in vita, si egerint pœnitentiam, vel in altera, si in impœnitentia decesserint. Gravissimum malum est hujusmodi turpia facta committere; sed aliqua subest pœnitentiæ spes, cum pudet. At id sibi gloriæ vertere, hoc ostentare, hic profectò infamiæ cumulus est æque ac dementiæ. Cupiebat D. Chrysostomus, paucos ævo suo inventos esse, quibus hæc Pauli verba objici possent. Sed nobis sanè cum Apostolo suppetit occasio querendi de sæculi hujus dedecore, & infamia, ubi tot intuemur, qui ob suam intemperantiam gloriantur, & in turpi bibendi certamine bibacissimam palmam, se præripere jactitant, cujus quidem pretium est maledictio, quam in illos jaculatur Spiritus Sanctus, & imprecatio, quam per os Sapientis immittit. *Cui væ? Nonne his, qui student calicibus epotandis? Væ, qui potentes estis ad bibendum.* Væ vobis, qui tunc strenui dumtaxat estis, cum capacioribus scyphis bibendum est. Heu! Auditores; dicendum non sine sæculi hujus dedecore est, non deesse hodierna quoque die hujusmodi jactantiam, & vos quoque nostis hujusmodi præliorum exitus, quibus abstineo, ne loci sanctitatem videar contaminare. Hoc dico solum, si qui hujusmodi artem profitentur, nunc illam sibi gloriæ vertunt, hanc fore aliquando confusionis ipsorum causam, ipsosque in caput suum teterrima Dei maledicta detracturos. *Et gloria in confusione ipsorum.*

Prov. 23. Isaiæ 5.

In vita sobrietate conversionis initio ducendum est.

Sicut in die honestè ambulemus, non in comessationibus, & ebrietatibus &c. Ad Roman. 13. Infidelitatis tenebræ evanuerunt, Fidelibus dicit Apostolus; relinquenda modo sunt opera tenebrarum. At si quæsieris ex eo quænam hæc sint tenebrarum opera, illa his verbis indigitat: *Non in comessationibus, & ebrietatibus:* hoc est, interesse nequaquam debetis cœtibus ganeorum, & compotantium, sed conformem instituto vestro vitam traducere. Quod ipsum ait Sanctus Petrus illis, qui recens Ethnica superstitione rejecta Fidem fuerant amplexi: *Sufficit præteritum tempus ad voluntatem gentium consummandam his, qui ambulaverunt in luxuriis, vinolentiis, comessationibus, potationibus.* Non est amplius tempus vivendi Ethnicorum more, neque in ea vitæ ratione perseverandi, cui assueti eratis, cum inter illos viveretis; sed modo sobria, & Christiano viro digna ducenda vita est; ac inde incipiendum, ut fiat vera conversio.

1. Petr. 4.

Sub necessitatis prætextu sæpe cupiditati indulgetur.

Bern. l. de Conscient.

De necessitatibus meis erue me. Psalm. 24. Regius Propheta orabat Deum, ut ab eo liberaretur jugo, quo vitæ hujus necessitates, bibendi videlicet, vescendique &c. illum premebant. Hunc sensum allatis verbis S. Bernardus appingit: Deus meus libera me de hoc jugo, & servitute, qua necessitatibus meis cogor subvenire. Etenim, idem qui hoc ipsum a Deo petiit ait; Experior sæpe, quod naturæ necessitatibus satisfacere volens, meo appetitui indulgeo; & sub necessitatis prætextu, decido in laqueum voluptatis.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum in hoc Argumento.

Fieri potest ut sapiens pretiosissimo utatur cibo, sine vitio cupiditatis; insipiens autem, fœdissimæ gulæ flamma in vilissimum exardescat. August, lib. 3. de Doctr. Christiana.

Quod saluti satis est, delectationi parum est. Idem, l. 10. Confess. c. 32.

Si & te, & alium inebriaveris, habebis hominem amicum, habebis Deum inimicum. Idem, Serm. 230, de Tempore.

Ebriosus confundit naturam, amittit gratiam, perdit gloriam, invenit damnationem æternam. Idem, ad sacras Virgines.

Fugiamus ebrietatem, ne in crimen luxuriæ incurramus. Idem, vel alius Author, l. de salutar. docum. c. 37.

Quis est qui non rapiatur aliquantulùm extra metas necessitatis? Certè ego non sum, quia homo peccator sum. Idem, l. 10. Confess. c. 32.

Malè domina servitur gula, quæ semper expetit, numquam expletur. Ambrosius, in Serm. de Jejunio.

Quid miserabilius ventre? hodie suscipit, cras exigit; cùm impletus fuerit, disputatur de continentia; cùm digesserit, vale virtutibus dicitur. Idem.

Plurimos gula sua occidit, nullum frugalitas; innumeris vina nocuerunt, nulli parcimonia; plerique inter epulas fudere animas, & mensas proprio repleverunt sanguine. Idem, lib. de Cain & Abel.

Non coquinam, sed carnificinam putes; prælium geri, non prandium; adeo omnia sanguine natant. (*Loquitur de apparatu conviviorum.*) Idem, ibid. c. 8. de Elia & Jejun.

Procedente potu longiùs, contentiones diversæ, & magna certamina quis bibendo præcellat. Idem, ibidem.

Agonothetes, illic furor est, stipendium debilitas, victoria præmium culpæ. Idem, ibid.

Rogas (amicos) ad jucunditatem, cogis ad mortem; invitas ad prandium, efferre vis ad sepulchrum; cibos promittis, tormenta irrogas; vina prætendis, venena suffundis. Idem, ibidem.

Semper saturitati juncta est lascivia. Hieron. in Sermonib.

Esus carnium & potus vini, ventrisque saturitas seminarium libidinis est. Idem, lib. 2. in Jovinianum.

Et ex vilissimis vitanda est satietas; nihil enim ita obruit animum, ut plenus venter. Idem, ibid.

Vinum & adolescentia duplex est incendium voluptatis; quid oleum flammæ adjicimus? Idem, ad Eustoch. de virginit.

Hæc adversus adolescentiam prima dæmonum arma sunt, (nempe vinum & gula.) Idem, ibid.

In vino luxuria est; ubicumque saturitas, & ebrietas, ibi libido dominatur. Idem, Epistola ad Oceanum.

Cor habet in ventre gulosus. Idem, in Matth.

Si quis existimat & abundantia ciborum potionumque se perfrui, & vacare posse sapientiæ, hoc est versari in deliciis, & deliciarum vitiis non teneri, seipsum decipit. Idem, lib. 2. in Jovinian.

Animus mero æstuans, citò despumat in libidinem. Idem, Epist. 83.

Semper epulas comitatur voluptas; nam dum corpus in refectionis delectatione resolvitur, cor ad inane gaudium relaxatur. Greg. l. 2. Moral.

De ventris ingluvie inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo sensus circa intelligentiam propagatur. Idem, l. 3. Moral.

Voluptas sub necessitate se palliat, ut vix eam perfectus quisque discernat. Idem, in Moral.

Non cibus, sed appetitus in vitio est; unde &

lautiores cibos plerumque sine culpa sumimus, & abjectiores non sine reatu conscientiæ degustamus. Idem, l. 30. Moral. c. 17.

Dominante gula vitio, omne quod homines fortiter gerant, perdunt. Idem, ibid.

Gula vitio rescisso, multa simul vitia resecantur. Idem, in Reg.

Gula innumera vitiorum agmina ad animæ conflictum perducit. Idem, ibid.

Quod necessitatem in edendo excedit, id non alimentum, sed pestis est: satietas malorum omnium origo. Chrysost. Homil. 21. in Matth.

Nihil est gula perniciosius, nihil ignominiosius est; hæc obtusum & crassum ingenium, hæc carnalem animum reddit, hæc cæcat intellectum, nec sinit ut quicquam perspiciat. Idem, Homilia 44. in Joannem.

Ubi regnat ebrietas, ratio exulat, intellectus obtunditur, consilia deviant, judicia subvertuntur. Chrysol. in quodam Sermone.

Omnibus in locis cibus qui sit ad victum necessarius solerti ratione inquirendus, condimentorumque elaborata blanditia, & voluptatis illecebræ repudiandæ. Basil. de vers virgin.

Gula vitium non in escarum copia natura sua vim exercere novit, sed in voluptate atque gustatu. Idem, Serm. de Abdicat.

Non sola crapula vini mentem inebriare consuevit, verùm etiam cunctarum escarum varietas. Cassianus in Instiiut. Monast.

Primùm nobis calcanda est gula concupiscentia. Idem, ibid. l. 5. c. 14.

Sicut omnes carnales cupiditates per abstinentiam resecantur, ita omnes animæ virtutes edacitatis vitio destruantur. Isidorus de summo bono.

Nemo potest virtutum perfectionem attingere, nisi prius ventris edomuerit ingluviem. Idem, libr. 1. cap. 42.

Plerisque laus est multum bibere, & non inebriari; audiant ii adversum se dicentem Prophetam: væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem. Idem, lib. 2. cap. 43.

Quid infelicius ebrietatis dominatu? ventri ultra capacitatem infundere, sensui rationem adimere, non loqui, non meminisse, non stare, & mortem quamdam natura incolumi imperare? Hilarius in Psalm. 125.

Monstrum haberetur libido sine gula. Tertull.

Divitiæ edacitatis abnormitati deserviunt. Idem.

Appendices gulæ lascivia atque luxuria, Idem, c. ult. de Jejuniis adv. Psichic.

Fiunt abundantia ciborum fomenta vitiorum. Isidorus.

Non sufficit gulæ, quod sufficit naturæ. S. Leo, Serm. 12. Quadrag.

Ebrietas est blandus dæmon, dulce venenum, quam qui habet, seipsum non habet; quam qui facit, peccatum non facit, sed ipse totus est peccatum. August. in quodam Serm.

Plures occidit gula quàm gladius.

Quorum mens cum carne impinguata est, Cassianus de spiritu Gastrimarg.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia penu ad hoc argumentum depromi possit.

Intemperantiæ, vel gulæ definitio. S. Tho. 2. 2. q. 148. ar. 1.

INtemperantia, vel gula inordinata est edendi, bibendive cupiditas. Contra temperantiam peccat, qui vel vetitis vescitur dapibus, vel immodicè licitis etiam se ingurgitat, vel in illis nimium deliciarum inquirens voluptati nimis indulget. Et ratio est, quia voluptas, quæ ex esu, & potu percipitur, medium est, & ex eo fit finis; remedium est nostræ imbecillitatis, & ex eo vel peccati illecebram, vel concupiscentiæ escam efficimus. Necessitas, & ratio esse debent edendi, bibendique regula, sed a necessitate ad voluptatem, & a voluptate ad excessum progredimur. Rationis prætergredimur fines; & cibo, potuque ad illam vel infirmandum, vel perdendam abutimur; & per ea ipsa, quæ ad corporis vitam, ac valetudinem tuendam instituta sunt, illius sæpe, animæ verò sæpius mors procuratur.

Gula, ebrietas sunt duæ species intemperantiæ.

Quemadmodum sobrietas in cibi, ac potus moderatione consistens, duobus vitiis adversatur gulæ, & ebrietati; sic intemperantia, quæ illi opposita est, duas habet species, quæ sunt materia ejus mali, quod in hoc vitio invenitur, ideoque duo sunt diversa peccata contra sobrietatem; videlicet gula, quæ peculiariter cibum respicit, & ebrietas, quæ propriè in excessu consistit vini alteriusque liquoris, qui ebrietatem possit afferre. Itaque intemperantia nomen est utrique commune; & promiscuè ad utrumque significandum potest usurpari.

Quando cibi, potusque intemperantia mortale peccatum est, vel tantum veniale.

Intemperantia nonnumquam peccatum mortale est, cum accidit, ut voluptas, quæ ex cibo potuque percipitur, ad contemptum divinarum legum nos trahat; vel cum efficit ut in notabili materiæ quantitate Ecclesiæ præceptum infringamus, vel ut propter hanc voluptatem ita affecti simus, & præsto simus Divinis legibus in re gravi infringendis, quibus prohibemur ne satis faciamus huic voluptati, & inordinato escæ, potusque appetitui indulgeamus. Intemperantia hæc nonnumquam venialis tantùm est noxa, videlicet cum efficit, ut iis in rebus deficiamus, quæ ad nostrum finem ordinatæ sunt, Deum nempe, quin tamen, ut huic satis faciamus cupiditati, quidquam in Dei, Legumque ejus contemptum aggredi velimus. Hoc docet Sanctus Thomas, vitium istud considerans in habitu, vel dispositione illius, qui eidem obnoxius est. (S. Thom. ibid. art. 2.) Quod pertinet ad actus temperantiæ contrarios, insigniores, melioris que notæ Doctores, atque Casuistæ in gravium, mortaliumque peccatorum numerum ista constituunt. 1. Quamquam convivia, & comessationes inter amicos, & consanguineos, quibusdam in occasionibus liceant; mortaliter tamen peccatur, si quis se mero, dapibusque ita ingurgitat, ut non modicum suæ officiat valetudini. 2. Cum hoc pacto quis imparem se præstat muneris sui officiis obeundis, quæ necessariò adimplere tenetur. 3. Si hæ compotationes, comessationesque ita frequentes sunt, ut ex ventre Deus fiat, ut inquit Apostolus; ut nil cogitetur aliud, non alia cura, finisque habeatur. 4. Cum, ut inordinato fiat satis appetitui, Ecclesiæ jejunia violantur. 5. Cum quis se mero proluit usque ad ebrietatem, atque rationis jacturam, vel cum, ut suæ indulgeat voluptati, seipsum in discrimen adducit de sana mentis usu dejiciendi: 6. Cum ad aliorum ebrietatem aliquid conferimus, illos ad perpotandum suadentes, & impellentes; quod satis crebrò contingit. 7. Si prævidemus futurum ut largiùs epulis, vinoque nosmet ingurgitantes in aliquod impudicitiæ peccatum, qui effectus est intemperantiæ, decidamus.

Paulò nimis manducare, & justam necessariâ cibi mensuram excedere non semper est contra temperantiam.

Quemadmodum gulæ, atque intemperantiæ proprium est, cum facti cognitione, atque inordinato appetitu regulam, justamque cibi, potusque mensuram prætergredi; qui ultra quam opus, & fas est manducat, aut bibit non propter inordinatum hunc appetitum, sed quod credit, & sibi persuadet ciborum copiam, qua utitur, necessariam esse valetudini suæ, vel viribus reficiendis, quæ, ut munere suo perfungatur, sunt necessariæ; potest quidem falli; vel per ignorantiam, non autem per intemperantiam, peccare. Similiter neque cupediarum deliciæ, sed cupiditas inordinata, qua appetuntur, peccatum constituunt.

Præcipui actus intemperantiæ.

Cum pluribus modis contra temperantiam peccari possit, hi sunt præcipuè evitandi, ut, quemadmodum Christi fidelem decet, nosmet geramus in actione, quæ per se adeo abjecta est, sed quæ omnino est necessaria. 1. Bibere, vel manducare ultra quam opus est, vel necessitas patitur, &

ultra

ultra eam quantitatem, quæ sufficit victui ordinario; quod peccatum Ezechiel Propheta Sodomorum incolis tribuit: *Hæc fuit iniquitas Sodomæ, saturitas panis, & abundantia*. 2. Nimis avidè, & præcipitanter comedere, licet communes tantum dapes comedantur; ubi cum Sancto Augustino advertendum est, nullas adeo delicatas esse cupedias, quibus sobriè uti nequeamus, cum iisdem pro status nostri, aliarumque circumstantiarum ordine, atque decoro utimur; sed e contra nullas esse adeo e trivio desumptas, adeoque malè conditas, quæ cum intemperantia nequeant manducari, uti Esau, qui ut lentibus vesceretur, primogenita vendidit. 3. Extra tempus cœnæ, vel prandii sine causa, & sine necessitate comedere. 4. Conquirere vina nimis exquisita, ac nimis delicata obsonia, uti populus Israel mannæ in deserto pertæsus. 5. Escis, poculisque nimium curæ, & cogitationis impendere, sæpe de iis loqui, opipara se usus mensa jactare, dolere, & conqueri, ubi fercula non egregiè condita sunt, tamquam ventri inserviretur, vel in esca, & potu quædam beatitudinis pars constitueretur.

Ezech. 16.

L. 10. Conf. c. 31.

Injuria, quam nobismet inferimus per intemperantiam.

Effectus, quos parit intemperantia, & mala, quæ vulgò vitium hoc consequuntur, non minus suadent, ut vitium hoc cane pejus, & angue vitemus. Hæc autem mala, & effectus, quos experientia passim ostendit, in hoc posita sunt, quod 1. intemperantia bonæ officit valetudini, plurimorumque morborum est causa: quapropter Ecclesiasticus inquit: *in multis escis erit infirmitas*, Hæc medicorum etiam sententia est, plerosque morbos ex nimio epularum excessu proficisci. Itaque mirum esse non debet, quod tot mortales suis doleant infirmitatibus, ubi suo concedunt appetitui, quidquid cupit, atque stomachum suum replent obsoniis, quorum copia cupiditatis, hæc verò morborum est causa. Meritò igitur omnes fatentur, mortem ipsam intemperantia præverti, ac dici solet quod, *plures occidit gula, quàm gladius*. 2. Alter vitii hujus effectus est, familias evertere; etenim ut lautior semper mensa paretur, & quotidie opiparis dapibus, cupediisque instruatur, ut plurimum sumptibus patrimonia, redditusque superantur; ita ut substantia sensim attrita, & exhausta in turpem lapsus fiat mendicitatem. Quapropter Sapiens ait: *Qui diligit epulas, in egestate erit. Qui amat vinum, & pinguia, non ditabitur*. 3. Tertius, qui nimis experientia comprobatur, effectus est, quod intemperantia vecordem efficit spiritum, honestioribus occupationibus imparem, minusque idoneum omnibus vitæ civilis officiis; nam propria quoque negotia contemnit, quæ familiæ nullam ipso gerente curam, omnia susque deque miscentur. Hinc ut plurimum hujus farinæ homines, nullam habent existimationem, & tamquam rebus omnibus inepti vulgò contemnuntur.

Eccli. 37.

Prov. 21.

Vitia, quæ ex intemperantia oriuntur, & peccata, quorum illa causa est.

Fatentur Sancti Patres intemperantiam non solum magnum esse vitium, sed longè plurimorum originem, seu quod suapte natura in hæc illa nos impellat, seu hæc ab illa proficiscantur, seu ad illam fovendam hæc maximè prosint. Itaque recensentur inter capitalia vitia, cujus amplissimis species, quæ a Sancto Thoma post Divum Gregorium filii intemperantiæ vocantur; sed præterea hæc ea sunt vitia, quæ illam subsequuntur, & quorum ipsa est causa. 1. Vana hilaritas, quæ in ludrica, immodestosque corporis gestus, in solutiores cachinnos, libera, indecoraque verba solet erumpere. 2. Contra proximum joci mordaces, dicteria, obtrectationes, injuriæ, contentiones, quæ nonnumquam ad cædes etiam procedunt, ubi meri calor accesserit. 3. Contra Deum juramenta, blasphemiæ, ac deinde integra oblivio Dei, de quo hic ipse per Oseam Prophetam conqueritur, *Adimpleti sunt, & saturati sunt, & levaverunt cor suum, & obliti sunt mei*. Ad impietatem ipsam proceditur, sanctissima quæque in jocum, ludibriumque vertendo; violantur jejunia, & Ecclesiæ statuta per contemptum, a quo scandalum non abhorret, ac denique venter ipse pro Deo habetur, ut loquitur Sanctus Paulus, vitaque Ethnicorum more traducitur. 4. Contra seipsum. Ex intemperantia oritur luxuria, & impudicitia, quæ arctum adeo cum eadem nexum habent, ut Tertulliano luxuria sine intemperantia monstri genus videatur. Ex his omnibus Sanctus Thomas infert, licet intemperantia per se non sit scelerum omnium gravissimum; attamen propter mala, quorum vulgò parens est, inter gravissima esse recensendum.

Osee 13.

Nihil hac in re magis apertum, explicitiusque potest afferri, quàm quod Viennense Concilium capite decimotertio decrevit. Ebrii quidem neque corporum, neque mentium suarum sunt compotes; at nonnumquam licet scelera ignorent, eorumdem rei sunt, neque hæc ignorantia illos impune abire patitur, quia in causa sua est voluntaria: Vox illa *nonnumquam* nequaquam significat ipsos non reos esse nisi criminum aliquorum, quæ ab ipsis patrantur: ignorantia non minus pro uno, quam pro altero vitio voluntaria est; at significat solum eos, qui mero madent, non semper sese aliis abdere criminibus, quantumvis rationem reddituri sint, atque supplicio afficiendi propter omnia scelera, quibus hoc in statu se mancipant, tunc saltem cùm imbecillitatem suam experti sunt. Sanctus Thomas de illis fert majori cum severitate judicium; credit enim ebrietatem efficere nocentiorem eum, qui hoc in statu aliquid peccat; videlicet, ne ab illius sententia discedam, eum qui ebrietatem prætexeret veluti excusationem scelerum, quæ in eo statu commisit, seipsum longè nocentiorem declaraturum esse, quia se alterius etiam sceleris reum fateretur. Et ratio communis est, quia ignorantia, & negligentia voluntariæ non sunt excusabiles.

Ebrius reus est peccatorū, quæ in ebrietate committit, cum illa prævidit, aut prævidere debuit.

2. 2. q. 150. art. 4.

Fatendum quidem est hominem non esse adeo nocentem cum primum de sanæ mentis usu dejicitur nimio vini haustu, quia nondum vel meri vim, vel capitis sui imbecillitatem cognovit. Hac de causa Sanctus Augustinus excusat Loth ab incestu, quem patravit; sed cum per experientiam non licet amplius homini de alterutro ambigere, nullus dubito quominus illi vitio vertat Deus ebrietatem, & quidquid per ebrietatem peccat, quæ plurimorum est Doctorum sententia. Verum est, ajunt, hominem sui minimè compotem, & cui nullum insania rationi intervallum relinquit, nequaquam noxium fore, si in vetitum rueret, quia mala prævidere non potuit, neque in ipsius potestate fuit, sanæ mentis usum tueri: Sed ganeo cum debuerit, & potuerit rationis suæ jacturam non facere, illi vitio vertitur furor, blasphemiæ, & quidquid impuritatis eo in statu committit.

Quid sentiendum de eo, qui primùm inebriatur, nondum vim meri expertus.

Nullum turpius vitium est, & plus dedecoris affert homini, quam intemperantia, quandoquidem hæc illam non solum usque ad brutorum conditionem dejicit, verum etiam quodammodo infra eadem demittit; Etenim jugi experientia didicimus ex omnibus animantibus unum hominem huic mancipatum vitio abuti bonis, quæ sibi in corporis alimentum a Deo fuerant concessa. Videmus bruta, quæ magis stupida sunt, hac in re plus moderationis, quàm eumdem habere, neque ullam esse creaturam hujus noxæ ream, præter hominem intemperantem, quemadmodum loquitur Sanctus Augustinus: *Nulla creatura est culpabilis, sed sola hominis inordinata voracitas*. Ipsa etiam docet natura, nos nequaquam vivere; ut edamus, sed edere, ut vivamus; & finem, ac præcipuum vitæ suæ negotium in hac victus comparandi cura collocare est ordinem a Deo institutum prævertere, ac se indignum vita præbere.

Intemperantia dedecus affert homini, eumque a brutorū conditione subjigit.

Aug. in Joan. 37.

Quemadmodum nulla virtus est, quæ ad vitium aliquod evertendum constituta non sit, ex temperantiæ essentia, & officiis videtur, hujus præ-

Intemperantiam contraria virtus coercere debet.

præsertim esse in nobis gulæ excessum reprimere; & quemadmodum primus vitii hujus excessus est pluribus se ingurgitare cibis quàm necessitas postulat, ita ad brutale hoc vitium reprimendum ratio potissima, quam nobis suggerat temperantia, sobrietas est, quæ naturæ indigenti id tribuere novit, quod ad vitam, & corporis valetudinem est necessarium, atque edacitati negare ea, quæ voluptati tantummodo indulgent. Alterum temperantiæ munus est sensuum appetitui superfluas negare delicias, quas semper ad voluptatem, non ad necessitatem gula requirit. Itaque virtus hæc escam, cibumque nostrum regere debet juxta Sapientis consilium dicentis, *Utere quasi homo frugi his, quæ tibi apponuntur.*

Eccli. 7.

Intemperantia seducit.

Nihil versutius nos seducere potest quàm intemperantia, & ex omnibus tentationibus hæc illa est, qua facilius superamur. Deum quidem lædere nollemus, sed fines illi, quibus naturæ necessitates a voluptatum illecebris sejunguntur, adeo breves sunt, ut plurimi viri boni nonnumquam se vitii hujus laqueis irretitos intelligant, quin illos præviderint, quemadmodum S. Augustinus testatur de iis loquens, quæ sibi contigerant.

L. 10. Conf. c. 14.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, ac recentioribus Concionatoribus loci hujus Argumenti.

Oppositio intemperantiæ cum sobrietate, & abstinentia.

FAcilè patet intemperantiæ plures effectus esse sobrietati, & abstinentiæ contrarios, si altera dæmonem ejicit, ut Scriptura testatur, altera illi apertum aditum pandit; si altera animam expiat, & illustrat, altera illam indurat, & excæcat: si altera nos Salvatori sanctissimisque cum veteris, tum novi testamenti viris similes facit, altera nos brutis, ac dæmonibus æquat. Denique sicuti sobrietas, & abstinentia christianas virtutes multiplicant, easque in anima servant; gula, atque intemperantia ibi gignunt vitia, eisque funestam tribuunt perennitatem. Inde jurgia, contentiones, injuriæ, imprecationes, furores, blasphemiæ; inde sacrilegia, sanctissimarum rerum prophanationes, nequissima verba, singularia certamina, & cædes, furta, & injustitiæ. Si familias arctissimo conjunctas vinculo dissidia dissociant; Si Christiana Religio irrisionibus impetitur, si Dei nomen blasphemiis proscinditur, si omnia humanitatis, & amicitiæ jura violantur, inter malorum omnium potissimas causas ebrietas est, quæ homines huic vitio deditos in illa compellit. *Ex Specimine sermonum pro Dominica sexta post Pentecosten.*

Intemperantia hominem facit brutis simillimũ.

Vulgò intemperans brutis simile dicitur, & hæc una cogitatio nos continere deberet intra eam moderationem, quam ratio suadet; sed (quæ hodie vulgatissima est vivendi consuetudo) optandum esset, ut homines brutorum more viverent: bruta enim naturalem quemdam modum servant, qui efficit, ut eorum, quæ necessaria sibi sunt, contenta minimè decidant in ea flagitia, quibus se mancipant homines, qui cum rationis compotes sint, omni prorsus modo carent, atque iis sunt criminibus obnoxii, quibus bruta ipsa paria minimè sunt. *Idem.*

Quid de alimentorum usu natura nos doceat.

Profectò si rationi autem præbere velimus, tot lumina, quæ sequamur, suppeditabit nobis, ut nolentes numquam errare possimus. Hæc nos docebit non ideo vivendum, ut manducemus, sed manducandum, ut vivamus: hoc est cibum nobis a Deo fuisse concessum, ut vitam servaremus, & a nobis hac mente, & hoc fine esse adhibendum. Dicet, quamquam vitæ, & valetudinis cura sit nobis diligenter habenda, dapibus tamen, quarum ope illa servatur, parcè, & ea mensura utendum esse, ut si vitæ, & valetudini nostræ modico cibo consulere possemus, excessus existimandus sit, largius illis indulgere. Asserit Sanctus Augustinus se a Deo hoc didicisse præceptum cibis eodem pacto, atque pharmacis utendum esse, quippe instituti sunt ad repellendam famem, quæ vetus est morbus, qui mortem nobis potest inferre. *Auctor Anonymus.*

In mensa præsertim hominis ingenium, & virtus dignoscitur

Nulla est occasio, nullusque locus, ubi homo se meliùs prodat, quàm in mensa; ideoque nullus, ubi de eodem tutius, veriusque feratur judicium. Quantum ibi urbanitas habetur in pretio, tantum ibi rusticitas deprehenditur, atque contemnitur. Actio hæc, ut ita dicam, cujuslibet existimationi officit; nam minus dissimulatè agitur, ac omnia nos sollicitant, ut nosmet tales, quales sumus ostendamus. Hilaritas, quæ ut plurimum comes est opiparæ mensæ, efficit, ut liberè agamus; cor, quod sese explicat, extrinsecus omnes cogitationes nostras expandit; ingenium nostrum sine ulla dissimulatione ibi se profert; sensus, & affectiones, quas prudentia in animi nostri recessu abdiderat, nobis nonnumquam adeo parum verecundè, ac tanta cum libertate elabuntur, ut quot verba proferimus, tot nobis inimicitias conflemus. Illic æquus, aut lævus hominis conceptus imbuitur; illic de illius urbanitate, aut rusticitate judicium fertur; atque de illius ingenio, & captu in scientiis, atque negotiis, prout sermones instituti fuerint, judicetur; & ut verbo me expediam, ibi de bonis, pravisque ejusdem qualitatibus conceptus adstruitur. *Ex tomo 2. Familiæ Sanctæ P. Corderii cap. 3. §. 3.*

Abusus, & profusio, quæ in conviviis invaluit.

Injuria damnaret aliquis usum conviviorum, quæ in Scripturis probantur, quæ a charitate præcipiuntur, & quæ temporum, populorumque omnium consuetudine invaluerunt ad familiarum, aliarumque societatum concordiam fovendam. Sed prætetquamquod usus hic, ut licitus, & commendabilis sit, non omnium debet esse dierum, sed quarumdam tantummodo occasionum, quas urbanitas, & consuetudo præscribit; adhæc necessarium est in illis æquum servari modum, ita ut si illic effulgeat liberalitas, intemperantiæ tamen omnino sit interdictum: Hodierna tamen die eò usque ventum est, ut cum mensa ad amicos convivio excipiendos paratur, tot undequaque dapes, & obsonia comparentur, quasi non semel tantum convivium instruendum esset, & conviviis necessitas injiceretur ultra modum, & fas sese epulis ingurgitandi, omnesque sobrietatis leges infringendi. Ad gustum alliciendum sexcenti adhibentur mortales, qui maria, & nemora depopulentur. Ipsa etiam anni tempora prævertuntur, ac subvertuntur, ut tellus præcoces ferat fructus, & legumina, quæ ideo sapida sunt, quia charissimo veneunt pretio, & quæ nauseam cient, cum larga eorum est copia, ac omnes iisdem vescuntur. Gulæ, & appetitus irritandi ars instituta est, & nunc plures pro gula excogitatæ sunt adinventiones, quàm pro reliquis rebus, quæ sunt ad victum necessariæ. Quid autem, quæso, de hujusmodi excessu sentiendum est, nisi intemperantiam præ vitiis omnibus unam latè hodierna die in mundo grassari? Quo nomine appellem has mensas adeo opiparè instructas, has dapes, hæc media conviviorum fercula, hæc varia condimenta, has cupedias, has multiplices, ac tanta arte, methodoque conditas, instructasque lances? Hi sane tot sunt laquei positi temperantiæ, tot ad illam fallendam insidiæ, tot ad cupiditatem irritandam illecebræ. Hi sumptus, hæ deliciæ, hæc profusio, hic excessus, probari ne possunt ea in Religione, quæ Ethnicorum mensas evertit, quæ mortificationem præcipit, quæ etiam, atque etiam commendat abstinentiam, sobrietatem, & contemptum earum rerum omnium, quæ luxum sapiunt, immodicosque sumptus requirunt? Profectò si compararetur hodie, quid inter Fideles nunc temporis fieri solet, quis credat hujus temporis mensas ab effusissimis Ethnicorum conviviis abhorrere? Illorum hac in re effusa libido nonne eò nocentior, atque solutior

lutior

lutior est, quo magis in epularum condimentis cupediarumque inventionibus laboratum est, atque ab extremis terrarum oris accersitæ deliciæ, quæ olim æquè ignotæ erant, ac regiones, ex quibus advehuntur, & quò magis ars, quæ res omnes perficit, numquam majorem navavit operam, ut gulæ, atque edacitati blandiretur? *Ex variis Auctoribus collectam.*

In ipsis etiam conviviis servanda est temperantia.

Quid autem! dicet aliquis, numquid proscribendus est conviviorum usus adeo sapienter institutus, hac de causa, quia plures illis abutuntur, ac in illis eos committunt excessus, qui damnantur ab omnibus? Haud ita, Fideles; convivia non damno, nimis frequentem usum illorum non probo, & eam redarguo intemperantiam, in quam sub honestæ, licitæque hilaritatis prætextu sese mortales effundunt. Quid si status vester, ac dignitas non sinunt, ut aliquando ab illis vosmet dispensetis, servate in illis ordinem, modum, honestatem, ac temperantiam, quam ibi servandam veteres ipsi præscribunt. Mementote vos homines esse, & Christianos; quatenus hominibus natura vobis sobrietatem commendat, quatenus Christianis hoc vobis præcipit gratia. Præsertim verò ne in illud vitium incidatis, quod aliquot ab hinc annis nationi nostræ infamiæ notam inussit, & quod ex alienigenarum commercio contraximus; hoc in turpi bibendi certamine consistit, in quo palmam referre potest vel abjectissimus quilibet ex ganeis, atque popinis, & spectatissimum, honestissimumque e civitate virum superare. Consuetudinis hujus origo innocens fortasse fuit eo tempore, quo innocentia, & virtus celebrabantur, & S. Basilius testis est tunc temporis constitutos fuisse conviviorum judices, atque Arbitros, quorum erat præscribere quousque procedendum esset, ut pretium alicui adjudicaretur. Hodie verò non alii huic certamini judices præsunt, præter ipsam intemperantiam, quapropter ea accidunt mala, quæ rubore suffundere deberent eos, quibus vel tantillum religionis, & probitatis est, & quæ ego quoque referens perhorrescerem. *P. Grizel in Adventu, Sermone de intemperantia.*

Difficile servatur temperantia cum opiparæ accumbimus mensæ.

Cum mensa onusta gemit exquisitissimis dapibus, exoticisque liquoribus referta, ibi concupiscentia inflammatur, extinguitur ratio, & homo rationis compos ad brutorum naturam redigitur. Hoc nihilominus honestum dicitur convivium, ac bene instructa mensa vocatur. Illic excæcamur, ne officia nostra internoscamus; & videmus temperantiam, quam tantopere commendat Evangelium, & diebus quibusdam præcipit Ecclesia, parem non esse gulæ frænandæ, & ingentem ferculorum, atque liquorum copiam vim concupiscentiæ nostræ satisfacere posse. *Sermo Manuscriptus.*

Intemperantia dæmonem contra nos roborat.

Domesticum habemus inimicum, nostrum videlicet corpus, quod naturalibus studiis, & affectionibus, quibus in malum impellimur, stipatum est. Dæmon nos carnifecus lacessit omnibus usus artibus, quæ vel desiderio, vel metu nos in errorem possunt inducere. At tantum abest a nobis infirmari corpus, a quo huic salutis nostræ inimico arma suppeditantur, quod illud e contra roboramus contra nosmet nostra intemperantia, nos illi arma suggerimus, delicatas videlicet dapes, quibus nutrimur: *Tu das stimulos carni tuæ*, Sanctus Cyrillus Alexandrinus ait, *tu eam adversus spiritum tuum armas, & potentem facis, cum eam carnibus satias, & ad omnes illecebras nutris.* Ergo certissimè superabimur cedentes conatibus inimici, quem ipsi roboramus iis epulis, quas corpori nostro largius tribuimus. *Maimbourg. Sermone pro prima Dominica Quadragesima.*

Cyrill. l. 9. in Lev.

Intemperantia dediti vel alteram non credunt vitam, vel ad eam animum non advertunt.

Qui fidei lumine illustratus alteram vitam, atque animæ immortalitatem credit, ob necessitatem, non ob voluptatem vescitur; & bellua, quæ spe caret, & quæ corpoream tantummodo vitam habet, e contra ex mera vescitur voluptate: ita ut intemperantia sit belluarum propria, quia sunt moriturae; hominis verò propria sobrietas sit, quia mori non debet, nisi ut deinde vivat in æternum. Quamobrem Sanctus Augustinus animadvertit impios illos, qui in libro Sapientiæ dicunt, bibamus, & manducemus, coronemus nos rosis antequam marcescant, ubique intemperantiæ nostræ vestigia relinquamus, illos inquam impios; ideo turpibus, ac belluinis hujusmodi sensibus repletos fuisse, quia sententiam de animæ immortalitate, ac alterius vitæ memoriam in seipsis extinxerant. *Auctor Sermonum Christianorum Tomo 1. Sermone de Bacchanalium crapulis.*

Intemperantia omnium malorum causa, sententia S. Basilii hac in re.

Intemperantia radix est malorum omnium; exquisitæ dapes, quibus vosmet ingurgitatis, iterant catenas vestras, carcerem vestrum reparant, ac hostibus vestris vires adjiciunt. Non potestis bibere, aut comedere, quin roboretis infidelem servum, qui suæ concupiscentiæ flammam nutrit eodem alimento, quod illi suppeditatis, & cui idem vinum, quo sitis extinguitur, sæpe materia est incendii, quod vix potest extingui. Hinc Sanctus Basilius crapulam vocat concupiscentiam fontem, & ait illis, qui virtutes, & præcipuè puritatem servare volunt, ante omnia reprimendam esse oris incontinentiam, ex qua, tamquam venenato fonte, omnia vitia dimanant. *Idem Tomo 2. Sermonum pro prima Quadragesima Dominica.*

S. Basil. lib. de Virgin.

Quam turpe & homine indignum vitium sit intemperantia.

Intemperantia, de qua verba facimus, inordinatus est, & immodicus usus alimentorum, quæ Deus nobis in corporum nostrorum nutrimentum, vitæque nostræ conservationem tradidit. Hinc fit, quod illis, qui huic indulgent vitio, non sufficiunt ea, quæ ad eos alendos, saturandamque eorum famem sufficiunt; sed cibo, potuque contra explicitum JESU CHRISTI monitum se replent, dicentis: *Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra, in crapula, & ebrietate.* Quod ostendit nullum turpius esse vitium illo, quod homines non solum ad brutorum conditionem redigit, sed etiam infra eamdem quadam ratione demittit, quod intemperantia præstat in illis, qui sese eidem mancipaverunt. Vitii hujus brutalitas nequit turpior esse, cum efficiat, ut homines qui virtute præditi esse deberent, ac ratione sua uti, minus modum servent, quàm domestica ipsorum animantia. Illos enim ita vecordes reddit, ut longè majorem corporis sui, quàm animæ rationem habeant, atque moribus ostendant suis, se via credere, quod sibi anima insit. Hæc efficit, ut obliviscantur Dei, atque in eo cogitationes omnes impendant, ut abdomini serviant; efficit, ut honestos homines, tamquam incommodos sibi fugiant ganearum suarum socios quæsituri, efficit, ut si quid bonæ existimationis apud aliquot cordatos viros habebant, illius jacturam faciant, eosque ita miseros constituit, ut nonnisi tamquam homines in belluas immutati considerentur. Per hanc illi omnia bona sua in opiparis conviviis obliguriunt, atque ut plurimum in adeo turpem egestatem rediguntur, ut nemo eorum misereatur. Denique hæc intemperantia ita illos vecordes reddit, ut nequaquam intelligant animæ, & salutis, bonorum, valetudinis spiritus, & existimationis detrimenta. *Liber, cui titulus: Bellum vitiis, prælio 10.*

Luc. 21.

Intemperantia est contra rationem.

Necessitas, & ratio norma esse debent potus, & cibi, sed a necessario gradus fit ad superfluum, & a superfluo ad excessum. Rationis limites prætergrediuntur; ac sæpe cibo, potuque utuntur homines ad rationem ipsam vel infirmandam, vel amittendam; & per ea quæ ad corporum vitam alendam facta sunt, animæ procurant excidium. Quæ perturbatio! Ratio hominem cohibere deberet; attamen unus homo, qui possidet illam, eam aspernatur: brutum verò, quod ratione destitutum est, necessitatis fines non transilit. *Pat. Nepveu. Tomo 2. Moralium Considerationum.*

Quanta indignitas est intemperantiæ indulgere.

Intemperantiæ indulgere, ex Apostoli sententia, idem est ac ex ventre Deum sibi efficere. Quod nomen! attamen homines non rationis tantùm perdi-

participes, sed Christiani illi quotidie non bona solum, & valetudinem, verum etiam rationem, conscientiam, & salutem sacrificant. Infelices imitatores intemperantiæ Esau, qui pro modico lentium edulio sua primogenita vendidit! Post hæc, quis dubitare potest, utrum Christianus, quem vitæ ratio cogit, ut vivat non solum quatenus homo, videlicet secundum rationis regulas; verùm etiam quatenus JESU CHRISTI Discipulus, non teneatur hoc horrere vitium, ac totis viribus eidem resistere, quandoquidem hoc in ipsum tot mala detorquet, ac adfert illi non corporis tantum, verùm animæ etiam interitum, quam subdit sævissimorum inimicorum ejus imperio? *Idem ex parte.*

Finis, quem intemperantes homines sibi proponunt.

Rationis compotes homines comedunt, ut suum reficiant, & roborent corpus, ne illius infirmitas sese spiritui quoque communicet; sed qui se mancipant intemperantiæ, eousque se dapibus ingurgitant, donec spiritum obruant, & corpus evertant. Comedunt, ut comedant; homines sunt quorum corpora spiritui non parent; cumque Sancti viri conquerantur, quod corpus spiritui nimis grave, molestumque sit, isti hac spirituali anima destituti esse vellent, luminibus suis belluinas perturbantes voluptates, quæ ab illis quæruntur. Non comedunt ut vivant, nihil enim valetudini magis contrarium est, quàm hæc juscula, salsamenta, cupediæ, dapum varietas; nihilque vitæ producendæ, neque ab omnibus præservandæ morbis aptius est, quàm mensa frugi, & parciùs instructa. Numquid corporum nostrorum sumus mancipia; & inexplebili huic animali omnia sacrificanda sunt? Alimentis eodem pacto, quo pharmacis utendum est; necessitas regere debet studium illud, quo famis incommodo nosmet liberare contendimus, non autem concupiscentia, quæ insidias nobis struit in voluptate, quæ tamquam famulus herum suum, sequitur oblectamentum illud, quod in esculentis, & poculentis inquirimus. Itaque pro una hac voluptate id facimus, quod pro necessitate faciendum esset. Hinc fit, ut nosmet ipsos fallere quæramus, nobis persuadentes id valetudini deberi quod impendimus voluptati. *P. de la Colombiere in Christianis Considerationibus.*

Pauci non capiuntur voluptate, quæ in epulis percipitur.

Fatendum est gulam adeo generale peccatum esse, ut pauci sint ex iis etiam, qui frugi vivunt, & sanctiores habentur, qui non aliquando laqueis ejusdem capiantur, Adeo facile est ab eo quod necessarium, ad id, quod superfluum est, gradum facere, & ex mera voluptate id efficere, quod propter vitæ necessitatem efficiendum est, ut qui majori austeritatis laude excelluerunt, Sancti metuerint, ne hac in re seipsos deciperent. Hoc in confessionibus suis Sanctus Augustinus deplorat: Quotidie, ait, mihi præliandum est cum hujusmodi tentationibus; scio alimenta veluti pharmaca a me esse accipienda; at ubi naturæ illud, quo indiget tribuo, tunc mihi laqueos tendit cupiditas. Ita qui neque manducare, neque bibere deberem nisi valetudinis ergo, voluptas, quam hac in re invenio, mihi adversatur, & per voluptatem id facio, quod ad virium reparationem dumtaxat efficere puto. *De la Font in Continuatione Ecclesiasticorum Sermonum pro prima Quadragesima Dominica.*

Mala, quibus obnoxius est homo ebriosus.

Si homines adhuc rationem sequerentur ducem, satis esset illis ob oculos ponere intemperantiæ mala, ut tantum hoc vitium perhorrescerent. Quid enim mali efficere nequit qui incaluit mero? quem omnium in se contemptum ciet? quam sibi vult demandari provinciam? Sed quæ scelera non committit? Homo ebrietati deditus, Sanctus Basilius ait, mendax est, blasphemus, crudelis, inconstans, pertinax, audax, incertus consilii, præceps, obscœnus, furens, ac tetertimis quibuslibet flagitiis par. Amicorum secreta in apricum proferet, dejerabit &c. *Auctor Anonymus.*

De conviviorum delitiis, & luxu.

Quin loquamur de impudicitia, cujus causa est intemperantia, ajo, ipsas conviviorum delicias, ac sumptus fere numquam culpa vacare. Cur hoc? quia natura parvo contenta, sæpe dapum copia prægravatur; quia valetudini officiunt jusculorum condimenta, ad famem excitandam, ac fovendam intemperantiam inventa; quia convivium, quo aliquis excipitur, sæpe scandalum est convivæ, obligatio vicem referendi, & fraternæ sobrietatis tentatio. Tunc æmulatione certatur, ac sæpe ex vanitate potiùs, quàm animi grati sensu ea fiunt, quæ vires nostras excedunt: quia denique difficilibus saltem temporibus deliciæ exulare debent, & quia charitati surripitur, quidquid impenditur voluptati. *Sermo Manuscriptus Pat. Francisci Catrou.*

Intemperantia in omnia vitiorum genera impellit.

Intemperantia heu! adeo communis apud mortales; brutale, & inexplebile hoc numen, quod hominem stupidum, ac dementem facit, quod pro libidine anni tempore invertit, atque ipsa quoque elementa sibi efficit vectigalia. Et sanè quid est intemperantia? Cupiditas est, quæ hominem in omne flagitiorum genus proturbare potest, efficiens, ut sua ignoret, & contemnat officia. Hæc viam aperit furto, injustitiæ, impudicitiæ. Ibi læditur charitas, spes oblivioni datur, ac fides tuta non est: etenim nonne inter scyphos, & pocula Israelitæ Vitulum aureum conflarunt? Nonne infame hoc vitium causa fuit, propter quam Victores victi prælio fuere, ac innumerabiles copiæ somno, vinoque sepultæ occidione fuerunt deletæ? Respicite carnivorum corvum, qui, quin, ut columba, revertatur in arcam, tabescentibus inhæret corporibus; hæc præclara imago est hominis, quem gula in terræ hujus epulis detinet, prohibentibus, ne corde, & cogitatione se ad cœlum attollat. *Auctor Anonymus.*

Mala, quæ intemperantia parit in homine. *Eccli. 37.*

Intemperantia mortem nostram accelerat, quemadmodum his verbis Sacer Textus affirmat: *Propter crapulam multi obierunt: qui autem abstinens est adjiciet vitam.* Efficit homines duros erga proximorum ærumnas; quod Amos Propheta testatur: *Bibentes vinum in phialis, & optimo unguento delibuti, & nihil patiebantur super contritione Joseph.* Hujus rei nobis suppetit exemplum in malo divite, de quo in Evangelio sermo est, qui quotidie opipara utens mensa, ac præ foribus videns Lazarum fame intereuntem, ipsa quoque mensæ analecta eidem negabat. Denique si D. Chrysostomo credimus, nihil turpius est intemperantia; hæc vim mentis extinguit, animam prorsus carnalem efficit, hominem ita excæcat, ut nullum habeat ultra lumen, atque consilium. Adhæc nonne litium, & blasphemiarum est causa? Verbo, quemadmodum omnis concupiscentia, S. Isidorus ait, per abstinentiam infirmatur; virtutes omnes e contra per intemperantiam delentur. *Pean in spiritu Christianismi Sermone 6.*

Amos 6.

Intemperantiam devotionis defectus, & impietas, ut plurimum, concomitantur.

Vitium, quod fere semper intemperantiam subsequitur, est irreligio, & earum rerum, quæ ad Deum, & salutem pertinent, negligentia. Et sanè quem pietatis, & religionis sensum concipere potest, qui suo tantum indulget abdomini, atque inordinatæ cupiditati suæ satisfacere quærit? Si ullum peccatum secum gerit reprobationis caracterem, hoc intemperantiam esse, dicere possumus, quæ sensim in Atheismum inducit. Blasphemiæ, & impietates, quæ in ganeonibus vulgarissimæ sunt, specimina tantùm, atque vestigia prima sunt, quæ ad extremum hoc scelus inducunt, in quod illi tandem labuntur. Omnino amittenda est Dei fides, ut Deum nobis ex ventre efficiamus, uti Apostolus loquitur, & hæc duo simul esse non possunt, fidem habere, & suum corpus palpare. Ita fieri ut plurimum consuevit, quod in caracteris hujus hominibus semper aliquod verbum audiatur, quo sanctissima Ecclesiæ instituta, & sæpe etiam augustissima Religionis Mysteria in jocum, ac ludibrium vertunt, atque ita vitam in duplici licentia fidei, morumque traducunt, Verùm

rum esto, si tempus, annorumque lapsus aliquod remedium, vel moderationem afferret;' si postquam malè vixerunt, bene mori possent; Sed hujus farinæ mortales plerumque in reprobum decidunt sensum, atque flagitiosissima vita finali impœnitentia obsignarut. Nam præterquamquod habitus iste eum jam in naturam migraverit, nonnisi cum vita relinquitur; videmus illos vel eo in statu esse, qui omnem illis arripit cognitionem, & metum eorum, quæ mortem sunt consecutura, vel in stupiditate, quam ipsorum parit intemperantia, quæ non patitur illos de salute sua cogitare. *Auctor Anonymus.*

Per intemperantiam res familiaris dissipatur.

Ad Rom. 13.

Christianus tenetur bona sua in sumptus insanos nequaquam prodigere; sed illis parcius uti pro familiæ victu; & ambigi nefas est, quominus crimen sit in ganeis, & comessationibus, de quibus loquitur Sanctus Paulus, illa dissipare: *Non in comessationibus, & ebrietatibus.* At immodicus vini usus præter intemperantiæ scelus, quod turpissimus, & nequissimus illius actus est, dissipat fortunæ bona, quæ prudenti œconomia servari Dominus jubet. Hoc nos docet Spiritus Sanctus per os Sapientis: *Qui diligit epulas, in egestate erit; qui amat vinum, & pinguia non ditabitur.* At veritatis hujus nonne apertissimum nobis suppetit argumentum in filio prodigo, de quo in Evangelio sermo est? Petit ille, atque importunitate sua obtinet partem, quam in paternorum bonorum divisione sperare poterat. *Da mihi portionem substantiæ quæ me contingit.* Hanc illi pater concessit; at brevi in lustris, & ganeis dissipata fuit, ita ut quo egestatis redactus fuerit, neminem fallat. Quot adolescentulos quotidie videmus, quibus parentes ingentia reliquerunt bona, sese effusiori tradere intemperantiæ,' ac tandem ad tristissimam redigi mendicitatem? Sed hæc mala minus adhuc ferenda sunt in illis, qui magnam ducunt familiam, & quibus non alia supperunt bona præter ea, quæ labore manuum suarum sibi possunt comparare. Occurrent vobis artifices, aliique id genus homines, uno die festo quidquid per hebdomadam lucrati fuerint, dissipantes. Hoc S. Ambrosius inquit: *Una die bibunt multorum dierum labores. Auctor Anonymus.*

Prov. 21.

Luc. 15.

Ebrietas, & vini excessus valetudini officiunt.

Ebrietas corporis valetudinem evertit: *Noxia res est, saluti corporis ebrietas:* S. Ambrosius inquit. Fons est dolorum, incommodorum, morborumque gravissimorum. *Quomodo enim,* Sanctus Basilius ait, *corpus multa plenum potatione, sanum poterit existere?* Hoc profectò fieri non potest. Detur mihi, idem subdit, robustissimus homo, cujus validissimum sit temperamentum; si se vino, & ebrietati mancipaverit, brevi fiet plurimorum præda morborum: *Brevi tempore multorum evadet præda malorum.* Adde tandem ebrietatem imminuere vitæ dies, & efficere, ut illi, qui robustissimi sunt, ac bene valentes, vites amittant. Hac de causa a Tertulliano vocatur: *Senectus immatura, mors momentanea,* quam, qui vino indulgent, ultrò sibimet inferunt. Sed multò ante Spiritus Sanctus jam dixerat: *Propter crapulam multi obierunt, Idem.*

Eccli. 37.

Ebrietas magnum est peccatum.

Ebrietas natura sua, Doctores ajunt, mortale peccatum est, quod simul gratiæ ac rationis adfert jacturam; ideoque a Sancto Augustino vocatur: *Grande peccatum criminis portentum;* etenim insignis stupiditas est, ac brutalis cæcitas vendere, ut olim Esau, primogenita, Cœlestem hæreditatem, spem æternæ felicitatis pro aliquot meri calicibus, quemadmodum insanus ille adolescens vendidit jura sua, quæ ad paterna habebat bona, pro lentium edulio, ut inordinato satisfaceret appetitui: Sed Sanctus Paulus hoc palam declarat, ac ebrietatis vitium inter ea numerat, quæ ad cœlestem beatitudinem aditum obstruunt. *Nolite errare,* inquit, neque vobismet blandimini, quasi hæc levis esset culpa: *Ebriosi regnum Dei non possidebunt.* Dixerat ille alia in occasione, Regnum hoc, & felicitatem nobis ibi paratam nequaquam in esculentis, & poculentis consistere: *Regnum Dei non est esca, & potus:* Et ganeonibus abdomini suo natis, intemperantiæ mancipiis nullam hoc in regno partem esse sperandam.

1. ad Cor. 6.

Ad Rom. 14.

Ebrietas ad impuritatem, & luxuriam via est.

Ad Eph. 5.

Ebrietas fons est plurimorum criminum, inter quæ magis commune, & vulgatum est impudicitia: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Cavete, Apostolus inquit, ne intemperantius vosmet proluatis mero, hoc enim certissimè infame impuritatis vitium accendit. Quapropter S. Hieronymus ait, eum, qui semper mero madet, in turpissima quæque pronum esse flagiria: *Venter mero æstuans, despumat in libidinem;* & veritatem hanc Lothi exemplo confirmat: *Quem Sodoma non vicit, vina vicerunt.* Quid magis mirum, quam videre virum, qui in medio Sodomorum suam servaverat integritatem, ubi semel paulò nimium vini haurit, statim horribilem incestum committere? *Idem.*

S. Chrysostomi judicium de helluonibus, & ebriosis.

Homo vino deditus, Sanctus Chrysostomus ait, nulli est utilis rei. Cui enim utilis esse potest citra periculum omnia corrumpendi? Illene poterit secretum servare? Heu! duo, vel tres vini calices, ut quidam vetus ait, quidquid in corde ejus latet, proferent in apricum. Quomodo illi momenti alicujus negotium committi poterit? Nequaquam; Sanctus hic Doctor ait, homo iste rebus omnibus est inutilis, miser est, negligendus, & qui ne meretur quidem, ut de eo aliquis cogitet: *Ebriosus ad omnia negotia ineptus ...* Hic idem Pater apertissimis verbis, atque horrorem cientibus vitii hujus turpitudinem, infamiamque describit: *Quid ebrio turpius* exclamat? Fingine potest aliquid fœdius homine actu ebrio? *Ridiculus est famulis, ridiculus hostibus, miserabilis apud amicos, omnium detestatione dignus. Idem.*

Justæ causæ propter quas homines hujusmodi metuere debent de justitia Dei.

Infelices, si qui hic adestis, huic dediti vitio: audite ea, quæ Dei jussu vobis dicit Propheta Joel: *Expergiscimini ebrii, & flete, & ululate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine.* Consurgite, oculos cæcitati vestræ aperite, expergiscimini de somno ad terribiles Dei minas; effundite lacrymas, suspiria emittite, ut divinam flectatis justitiam, quæ jamjam liberatura est terrarum orbem pondere non inutili solum, sed mortalibus omnibus molesto. Quin rationem mero submergatis, illam curis magis seriis adjicite, ut evitetis malum capiti vestro imminens, ut vitam homine, & Christiano magis dignam ducatis: abjicite habitum, qui vos indignos efficit, qui in hac mundi luce versemini. Detestamini hoc vitium, quod in vos omnium odia, & contemptum convertit; fugite socios; qui in hujusmodi indignissimas crapulas detrahunt, propter quas simul honoris, valetudinis, vitæque animæ, & corporis jacturam facitis, mox æternam damnationem subituri. *Idem.*

Maledictiones, quas Scriptura in id genus mortales ejaculatur.

Isaiæ 5.

Væ, qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & potandum usque ad vesperam, Isaias inquit. Homines hujusmodi non alium habere Deum, nisi ventrem S. Paulus affirmat, quod idem est ac si diceret, illos non solum idololatras esse, verùm etiam seipsos tamquam Deos colere, neque alium habere finem, quàm corpus suum palpandi, ac illud idolum suum efficiendi. Id verò genus hominum infelicitas talis est, ut Apostolus collacrymetur cæcitatem eorum, & eam, in qua versantur, calamitatem, veluti divinæ ultionis victimæ: *Nunc autem, & flens dico, inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, & gloria in confusione ipsorum. Idem.*

Ad Phil. 3.

Quem sibi finem proposuerit Deus suppeditans hominibus varia alimenta.

Divina bonitas nimis late effusa est, quam ut illi sufficiat nostras prævertere incomprehensibili hac ciborum copia necessitates; cibos quidem nostræ infirmitati, nostrisque necessitatibus potius quam voluptati præparat, quandoquidem ad vitam alendam adeo parum requiritur; verùm in cibis iisdem quotidianas virtutum exercendarum occasiones suppeditat, cum quibus iisdem secundum

illius

illius imperia uti debemus. Vult illa, ut pro se potiùs, quàm pro nobis vivamus; ut vita gratiæ naturalis vitæ conservatione nutriatur, & perficiatur; atque nos utramque naturæ, & gratiæ vitam servantes nosmet beata vita dignos reddamus. Hujus bonitatis tantummodo erat tantam pro nobis gerere curam, hoc numero, & mirabili hac epularum copia, vitam servare, valetudinem confirmare, ac efficere, ut æternam mereamur felicitatem usu, vel aliqua earum abstinentia. At nonne æque ingrati, & infelices essemus, nisi ea uteremur submissione, quam cupit, atque moderatione, quam nobis præscribit? *P. Heliodorus Parisiensis Capuccinus, Sermone tertio de voluptatibus gustus.*

Quomodo hac in re bellua homini, & vicissim belluæ homo præstet.

. Alimentorum necessitas ad vitam tuendam ad modicum redigitur; natura sibi satisfacit, & subsistit sumptibus exiguis. Belluæ hac in re præstant, quod nequaquam sunt obnoxiæ tentationibus concupiscentiæ, atque intemperantiæ; sed nos illi præstamus, quia tentationes has vincere possumus, & gratiæ subsidio, jugibusque victoriis æternos mereri triumphos. Inter concupiscentiam, & gulam, vel intemperantiam hoc discriminis est, quod concupiscentia immoderata est bibendi, & manducandi cupiditas, sed fortasse sine voluntatis consensu, ideoque sine peccato; & cupiditatem hanc auxilio gratiæ infringere possumus, & superare; at gula desiderium est voluntarium, & immoderatum bibendi, & manducandi, quod plurimos capit mortales ad immoderatè bibendum, & manducandum, quod belluæ non faciunt. *Idem.*

Excessus cibi, ac vini morbos parit, & denique mortem.

Morborum omnium maximus est cibi, potusque immoderatus abusus: gladii, tela, venena pauciores occidunt quam dapes, & merum; & amici plures enecant comessationibus, & ganeis, quibus opiparè amicos suos conantur excipere; quàm infensissimi inimici iis artibus, quas odium, & ultio suggerere consueverunt. Hanc ipsam rationem Ecclesiasticus adfert, ut ab immodico epularum usu deterreat. Ne abdomini vestro inserviatis, ait ille; ne dapibus omnibus vosmet ingurgitetis; nimia enim earum copia morbos gignere potest, qui certissimam vobis afferrent mortem. Quamobrem Sanctus Ambrosius eos corripit, qui sollicitant amicos, ut sese dapibus onerent, & mero proluant. Invitatis, ait, hominem, ut reficiatur; & illum sibimet mortem inferre jubetis; illum mensæ accumbere vultis, atque ut ad tumulum efferatur, præcipitis; optimum illi prandium pollicemini, & illum torquetis; exquisitissimum illi merum promittitis, & venenum ei propinatis illum tamquam amicum domi vestræ excepistis; & domo vestra mortem sinu gerens egreditur.... At quid aliis opus est argumentis, ut ea probetur veritas, Medicorum omnium suffragio confirmata; quandoquidem docent, inflammationes, chiragras, colica, calculos, paralysim, apoplesiam, hydropisim, omnesque fere febres intemperantiæ esse effectus: & generale effatum est omnium sæculorum experientia probatum, cibi, potosque intemperantiam potiori mortalium parti mortem infligere. *Idem.*

Homo intemperantiæ deditus mortis suæ reus est.

Qui huic deditus est effusæ in omnem intemperantiam libidini, ne putet, se culpa vacare ob eam mortem, quam crapula sibi prævertit. Profectò pugionem pectori suo capulo tenus nequaquam infixit, sed ictus scyphorum non minus lethales sunt, quam pugionum. Quamquam infelix iste oblectetur, rideat, & sibimet vulnera infligens canat; venena, quæ efficiunt, ut homines morientes in cachinos solvantur, nequaquam minus funesta sunt illis, quæ ex ægris lacrymas eliciunt; & quocumque instrumento tibi mortem conciscas, numquam tibi parcit Deus, non secus ac homines illis non parcunt, qui sibi necem intulere eo modo, quo legibus interdictum est... Si immodicis jejuniis, atque imprudenti austeritate mortem tibi pepereris, vitio tibi vertetur mors tua, neque excusaret pœnitentia hunc charitatis defectum. Quid porrò mereri arbitraris his crapulis repetitis, & cædibus, quas ganeis, atque criminosa intemperantia tibimet infers? *Idem.*

Hominis dignitatem abdicat, qui per immodicum vini usum rationem amittit.

Homo non est amplius homo, ubi sese vino proluens rationem amisit, etenim id abjecit, quo a brutis distinguebatur, & quemadmodum cadaver, non aliud est, quam hominis imago. Ratio nos supra cætera evehit animantia; ipsa est vivens divinitatis imago, & Deus illam supra eamdem studet attollere, eidem gratiæ, & gloriæ imprimens lineamenta: tu verò illam voluptatum tuarum victimam facis; Deus nimis dolet imaginem suam ita fœdari. Nequaquam dubitas, quominus severas ex te pœnas postulaturus sit, si cuipiam idolo aliquod vivens mactaveris; & non vides, te corpus, animam, rationemque tuam voluptatibus sacrificare. Rationem exuisti, in brutorum ordinem te redegisti; in infamia peribis; eamque referes mercedem, quæ tuæ iniquitati debetur. Hæc ipsissima sunt S. Petri verba: *Velut irrationabilia pecora in corruptione sua peribunt, percipientes mercedem justitiæ. Idem.* 2. Pet. c. 2.

Mala, quæ in hujusmodi intemperantia, sunt.

Operosum est ab insania vindicare hæc omnia jusscula, quæ adinventa fuere ad excitandam famem, & quæ tandem stomachus ipse fastidit; hunc morem tot calicibus propinandi; has cantiones, & colloquia, vel impia, vel obscœna, quæ pudor pati non potest. Hi corporis gestus, & clamores, quos Ethnici quoque damnarunt, & omnes inurbanitates, quæ ruborem illis etiam suffundunt, qui easdem committunt, ubi resipuerint; & quæ nonnisi cum contemptu in aliis spectantur; nonne palam ostendunt rationem eorum meri fumo suffocatum fuisse? *Idem.*

Nullum est vitium, quod mero non excitetur, & alatur. Conc. Agat. c. 41.

Concilium quoddam damnat nimium vini abusum, tamquam vitiorum omnium nutrimentum: *Omnium vitiorum nutrix, & fomes ebrietas.* Neque hæc hyperbole est; quia ubi rationis jactura facta est, non solum sine ulla verecundia debacchantur affectus: sed ubi mero incaluerint, in omne nefas erumpunt, & verè dici potest, nullum scelus esse, quod per ebrietatem non admittatur, non excitetur, non alatur. Et sanè aliquis suopte ingenio in obtrectationem pronus est? ubi mero maduerit, ipsam etiam innocentiam probris proscindet; turbata ratio non sinet, amicum ab inimico dignosci, neutri parcet. Iracundiæ obnoxius est? ubi vino se proluit, percutit, minitatur, ferit, jurat. In impudicitiam proclivis? ignis hic devorans, quemadmodum in Scripturis vocatur, ex oculis ejus erumpit, in obscœna exhalat verba, & cupiditas sæpe a vi non abstinet; tantum furoris addit ebrietas. Temeritas, odium, blasphemia, cætetaque crimina magis intolerabilia fiunt, cum vino animantur; quemadmodum sterquilinii fœtor magis se prodit, ubi illud incaluit. *Idem.*

Homo, qui inebriari consuevit, reus est scelerum, quæ in hoc statu committit: & quare.

Cum aliquis vino deditus est, & experientia nullum dubitandi locum facit de malis, quæ in ebrietate committere consuevit; dubitandum non est, quominus vitio illi vertat Deus ipsam ebrietatem, & quidquid per ebrietatem peccat. Equidem scio hominem, qui seipsum ad eam redegit necessitatem, per quam opera bona operari non potest, reum non esse, ubi omittit illa, licet bene operandi impotentia effectus sit peccatorum illius: quia non prævidit mala, quæ inde erant consecutura, & vix credibile est, hæc mentem illius subiisse. Non tenemur quolibet tempore bona opera facere; & nulla ratione meliùs ab illis dispensari possumus, quàm eorumdem efficiendorum impotentia. At non idem sentiendum est de blasphemiis, obtrectationibus, impudicitiis; neque enim fas est illas committere, cum iisdem licet abstinere. Verum est hominem de sana mente dejectum, nullumque rationis intervallum habentem, reum non futurum, si furore subito raptus aliquid contra divina, humanaque jura conaretur; quia illud non prævidit, & quia cum non esset

sui

sui compos, eidem integrum minimè fuit suam rationem servare. Sed ebrietati deditus prævidit, & prævidere debuit, mala, quæ patrat, ubi vino incalescit, uti supponitur; & ad hæc rationem suam servare debuit, uti lex divina præscribit. Reus est igitur blasphemiarum, malorumque omnium, quæ in eo statu, in quo ultro seipsum constituit, operatur. Ubi ebrius aliquem occiderit humana justitia ebrietatis rationem minimè admittit; at neque divina justitia illam admittit; quippe homo ille mentis suæ libertatem servare debebat. *Idem*.

Quid summis, & imis hac in re temperantia præscribat.

Homines in vita seipsos secundum conditionem, ac bona sua gerere debent, quod hac in re extraordinarium vocatur, nemini prohibetur, ubi sit extraordinarium, hoc est rarum, singularibus occasionibus reservatum, & una die non absumat, quod esset diebus pluribus necessarium. Nobilium, divitumque virorum communis mensa luxus esset illis, qui neque eorum bona habent, neque dignitatem. Verum si Deus sinit, hos delicatioribus epulis uti, his eò magis sibi cavendum est, quo pluribus modis, majorique vi deliciæ, varietas, condimenta, & copia dapum temperantiæ adversantur. *Idem*.

Helluones devorant familiæ suæ substantiam, & sunt filiorum suorum interfectores.

Quamvis crapula non officiat valetudini, satis est per illam patrisfamilias fortunas everti, ut moderatè cibis uti cogantur; eorum enim immoderatus abusus non solum est abutentis opprobrium, verum etiam filiorum parit calamitatem. Ethnici olim primos fideles accusabant, quod in cœtibus suis filios jugularent, ac innocentium victimarum sanguinem epotarent. Primæ Ecclesiæ patres teterrimas hasce calumnias solo naturæ horrore confutarunt. Sed parentes ganeis suis abditi, & inservientes abdomini, viam invenerunt comedendi substantiam, & bibendi quodammodo sanguinem filiorum suorum, non sine horrore solùm, verùm etiam cum gaudio in effusissimam in omni intemperantiæ genera libidinem impendentes bona, quibus pro eorum substantia parcere tenebantur. At ne credatis me nimium tragicis uti verbis; Spiritus Sanctus iisdem utitur crudelissimos hujusmodi parentes filiorum suorum interfectores appellans.

Sap. 12.

Necatores sine misericordia filiorum suorum, & comestores viscerum hominum, & devoratores sanguinis. Si hæc bona, quæ familiæ, filiorumque vestrorum victui sunt necessaria, in pauperum sinum effunderetis; vos profectò contra charitatis præceptum peccaretis; hæc enim præcipit ut eorum egestatibus consulatis, qui vos propius attingunt, antequam eleemosynam erogetis; ut verò nequissimæ voluptati indulgeatis, in comessationibus, & ganeis ea dissipabitis, quæ filiorum vestrorum victui, & educationi deberis? *Idem*.

Parentes sæpe crapula sua sunt causa æternæ infelicitatis eorum, qui ab illis geniti sunt.

Paupertas, aliaque mala, quæ patrum intemperantia filiis adfert, tanta non sunt, si conferantur cum jactura æternæ salutis, atque damnationis eorumdem, quæ quidem satis communis, nimiumque deplorabilis est harum ganearum effectus. Non loquor hoc in loco de scandalo, quod illis præbetur; non de criminibus, quibus educationis defectus, vel exigua parentum in illos auctoritas, vel ipsa paupertas illos objiciunt, vel fortasse adigunt; loquor solum, inhumani parentes, de contemptu, quem de vobis concipiunt; de odio, quod in vos fovent; de maledictionibus, quibus vos persequuntur; de modica cura, quam gerent vestri, ubi labore, & industria ex illis emerserint malis, in quæ illos præcipites dederatis, atque restituerint eversam a vobis fortunam. Quomodo enim in pretio habeant parentem, qui nullam honoris, aut dignitatis eorum curam gessit? Quomodo illum diligant, qui patriam exuit charitatem; reminiscantur, quid filii debeant illi, qui paterni amoris oblitus est; se putent vitam illi debere, qui intemperantia sua eam miserrimam fecit; atque grati animi sensus foveant erga eum, quem pœnitere videtur, quod illos genuerit? *Idem*.

Gulosorum excessus sæpe publica peccata sunt.

Mirum esse non debet, nisi homines suo abdomini nati pauperum misereantur, quandoquidem parum adeo filiorum suorum miserentur. Quomodo enim pauperum, divitumque substantiam non devorent, si possint, quandoquidem ita crudeles sunt, ut consanguineorum bona obliguriant, quibus sua reservare deberent? Ita mala intemperantiæ, quæ personalia tantummodo essent peccata, si nocentium valetudini, innocentiæ, saluti officerent, fiunt peccata publica, cum usque ad filiorum perniciem, & populorum oppressionem se extendunt. Hoc pacto infelix hæc intemperantia illam primi parentis nostri imitatur; & quemadmodum originale illud crimen fuit generale hominum excidium; intemperantiæ mala tanta nonnumquam sunt, ut cum subsistere nequeant in eorum persona, qui illa committunt, fiunt mala domestica, & publica, & eo nequiora sunt, quò perniciem inferunt graviorem. *Idem*.

Intemperantia urbanitati contraria.

Tunc homo apud cæteros mortales bene audit, atque habetur in pretio, cum in moribus illius deprehenditur vividum ingenium, suavitas, humanitas, atque festivitas; morales virtutes, quæ uti Ethnici quoque sentiebant, suavissima sunt urbanæ societatis vincula; at illæne reperiuntur in homine, quem intemperantia, ut plurimum impudentem efficit, vecordem, rusticum, & ad quemcumque lædendum, & quodcumque amicitiæ vinculum infringendum, dispositum? E contra quidquid odium homini conflare potest, plurimum confert, ut ganeo dedecore afficiatur. Invidia, quam sibi creat, scandalum, quod aliis affert, vitæ, quam ducit, infamia, turpis, quam sibi procurat, paupertas, inepta ad quodcumque munus obeundum facultas, hæc omnia illum in omnium contemptum, & odium adducunt: nam licet corruptus, & nequam sit mundus, homines tamen hujus farinæ contemnit, & horret. Licet ganearum suarum sodales illos concelebrent, & parasiti, qui ex eorum profusa largitate vivunt, eos diligant, atque perquirant; boni tamen illos contemnunt, & tamquam publicam pestem execrantur. Et sanè videmusne unquam homini qui sese dapibus, meroque ingurgitat, ullum committi negotium, ullam demandari provinciam? Ullumne ei creditur secretum, vel ulla res momenti alicujus? An e contra illius vitatur societas? & cum aliquod præbemus consilium iis, in quos auctoritatem obtinemus, nonne etiam atque etiam commendamus, ne ullam cum illis ineant societatem? *Ex Morali Dictionario, Sermone 1. de ebrietate.*

Quam communis in mundo sit ebrietas.

S. August. Ser. 231. de Temp.

Quamquam intemperantia, ebrietas verò præsertim a Sapientibus omnibus, atque divina lege damnetur, scitè Sanctus Augustinus animadvertit, numerum eorum, qui eidem deditii sunt, tantum esse, & fatalem conscientiarum eorumdem tranquillitatem, tantam habere vim in animos eorum, qui injustè Christianæ disciplinæ severitatem oderunt, ut qui naturaliter voluptatem amant, illic nullam esse culpam arbitrentur. Undenam proficiscet posset adeo crassus error, quem tot Ethnici solo naturæ lumine ducti refutarunt; nisi quod peccatum hoc illos adeo vecordes effecit, & intemperantiæ socii tanto furore eos illoc capiunt, ut credant, se impune labi posse in tantum facinus, cum sodalitates, vel alia quævis occasio illos impellunt. *Idem*.

Licet convivia amicos excipere, dummodo non migret in consuetudinem.

Amico cœnam instruere urbanitatis, & sæpe etiam societatis honestæ necessitas est; sed quotidianum hujus rei habitum efficere, atque corpori suo blandiri iis rebus omnibus, quæ temperantiæ oppositæ sunt; in crapulis eos dies traducere, qui Divino cultui dicati sunt, nullum transigere negotium, nullum inire pactum sine ebrietatis, & comessationis auxilio, hæccine est necessitas, quam ratio probare possit? *Sermo manuscriptus*.

Luc. 21.

Auribus, animoque excipiendum est, S. Leo inquit, quod in Evangelio ait JESUS CHRISTUS: *Attendite vobis, ne fortè graventur corda vestra*

in

in crapula, & ebrietate. Metuamus ne adveniens in adeo brutali voluptate nos demersos inveniat. Satis superque videmus quotidie quam hujusmodi intemperantia, & mentem aggravet, & corpus; quam contraria sit & alterius acumini, & valetudini alterius; nisi temperantia infelicibus advertetur illecebris gulæ, & neget voluptati quod nonnisi oneri futurum est. Deneget ergo semper anima sancta aliquid corpori suo, huic frænum injiciat, neque illi permittat, quod eidem obfuturum est; ut carnis pondere exonerata liberiùs, atque pacatiùs vacare possit meditationi sapientiæ, atque in profundo silentio æternas gustare delicias, quibus ab ea cumulatur. Ex Patris hujus sententia liquet, putandum non esse soporem hunc, de quo Dei Filius verba facit, eos tantum respicere excessus, qui horrorem cient, cum aliquis in vino mentem amittit. *S. Leo, Sermone 8. de Jejunio.*

Intemperantia secundum Scripturas est vitiorum omnium origo. Sacræ Litteræ eos redarguentes, qui Noeticis temporibus divinam coegere justitiam, ut universum terrarum orbem diluvio obrueret; & alios qui de cœlo ignem in Sodomam, & Gomorrham temporibus Loth pertraxerunt; & novi testamenti malum divitem, illos dumtaxat insimulant, quod immodicè quotidie sese dapibus, vinoque ingurgitarent.
Luc. 17. Ibidem 16 *In diebus Noe edebant, & bibebant: in diebus Loth edebant, & bibebant*, & ubi de malo divite sermo est: *epulabatur quotidie splendidè*. Scriptura non ait homines illos adulteros fuisse, fures, & homicidas; dicit solum illos quotidie opiparè epulatos fuisse. At hoccine tantum scelus est, Sanctus Gregorius inquit? Ita sanè est; sed ut intelligatur, non est his vocibus inhærendum. Considerandum est teterrima quæque vitia proficisci ex ea cura, qua corpus blandè nutritur, tamquam effectus ex causa; atque ita Scripturam affirmantem, has omnes divinæ justitiæ victimas in hoc unum fuisse intentas, quomodo abdomini suo inservirent; paucis accusare illos de vitiis omnibus, atque flagitiis. *In his enim attende quasi in origine omnia genera virtutum. P. Gegeu libro, cui titulus: Usus Sacramenti Pœnitentiæ.*

Intemperantiam vulgò alia gravia scelera subsequuntur. Nihil adeo mirum est, quam effusa in omni intemperantia libido: Requies post prælium quæritur in iis voluptatibus, quæ magis laboriosæ sunt, magisque oppositæ valetudini, quàm omnes exantlati labores. Non mious pudet nescire vinum ferre, quàm hostium acies propulsare. In convivio ridiculam, ineptamque personam gerit, qui jurare nescit, qui cum aliis obscœna verba non profert, qui in partem detrectat accedere impietatis, obscœnarumque voluptatum, quas vulgò immodicus vini haustus inspirat. Hæc autem vitia eo nequiora sunt, quod dici non possunt ullam per se voluptatem afferre, nisi per ideam, quæ concipitur, quod qui hæc fecerit peccat, & per speciem, nomenque bibacissimi helluonis, quod ille præseferre cum jactantia videtur. Quid enim magis grave est, quàm ultra vires bibere, & epulari? Quod bibitur, & comeditur ultra necessitatem, veram voluptatem adferre non potest. Attamen hac in re eo usque proceditur, ut turpis gloria existimetur, alios bibendo superare, neque cuiquam cedere, nisi postquam in capacioribus scyphis rationis jactura facta est. *Liber, cui titulus: De Puerorum educatione, J. Pici.*

INTENTIO.

Puritas Intentionis; Recta intentio omnibus in operibus habenda.

MONITUM.



I intentio anima est, ac forma humanarum actionum, quæ illas efficit bonas, vel malas, probro, vel laude dignas; hinc sequitur illam esse totius disciplinæ Christianæ principium, quandoquidem omnium actionum nostrarum coram Deo pretium, meritumque constituit. Idcirco interest Evangelici quidem Oratoris de hac ex suggestu verba facere, nostra verò argumentum hoc adeo necessarium nequaquam omittere.

Sed operæ pretium est admonere, nos hoc in loco de recta tantùm intentione verba facturos; hoc est de rationibus, quæ omnia opera nostra bona comitari debent, quin pravis immoremur consiliis, quæ optimas quaslibet actiones corrumpunt, & facta, quæ in hominum oculis sanctissima habentur, qualia sunt desiderium gloriam aucupandi, lucri spes, humanus respectus, & alia, quæ nobilissimas virtutes in vitia, & scelera vertunt; quamquam abstinere non possimus quominus obiter, ac generatim tantummodo hæc attingamus, cum de illis singillatim in titulis suis verba fecerimus.

Ad hæc animadvertendum est hujus argumenti sermonem esse debere didascalicum, ut quidquid ex Theologico penu depromptum de bonorum operum meritis, & bonis finibus, qui in eisdem exercendis haberi possunt, in medium adfertur, facile intelligi, atque in praxim redigi valeat; virtualem ab actuali attentione esse distinguendam; docendum quonam tempore dirigenda sit intentio, quave in occasione instauranda; tradendam rationem, qua minimæ etiam actiones ob egregias causas, quæ easdem coram Deo maximè commendent, possint attolli; præsertim verò ostendendum, quomodo possimus, & quanti referat nullius operis jacturam facere, sed omnia, & singula in quæstu ponere. Hæc omnia, quæ ad fideles erudiendos accommodatissima sunt, hoc in argumento sunt maximè necessaria.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ Concionum hujus Argumenti Systemata.

1. 

E bonis, quæ ex recta omnibus in operibus intentione percipimus. Hæc autem ad tria potissimum redigo.

Primum est, quod pura, atque recta intentione placemus Deo, nosmet eidem acceptos reddimus, quemadmodum ipse testatur loquens de Job, David, aliisque sanctis viris, qui coram illo in cordis simplicitate ambulaverunt. Et ratio constat: cum enim per rectam intentionem omnia faciamus, ut illi placeamus, eaque faciamus, quæ illi placent, fieri non potest quin illius benevolentiam, & amorem nobismet conciliemus. Adhæc, ratione ista primum illud, ac magnum præceptum amandi Deum ex toto corde, ex tota anima, omnibus viribus observatur. Heu! Quis ego sum, ut

nt adimplere valeam quod expetit Deus ex corde adeo imbecilli quale meum est, adeo in malum prono, & adeo pravis studiis addicto? Hoc utique adimplere non possum nisi desiderio, atque intentione adimplendi. Illum amare volo; illum amo; intentionem habeo illius glorificandi; illum glorifico; Deus enim cordis tanmmmodo respicit intentionem:

1 Reg. 16. *Dominus autem intuetur cor*. Hoc autem bonum nonne per se satis esse debet, ut sanctissimam, purissimamque habeamus intentionem; quandoquidem illam ipse intuetur, illam cognoscit, & corda renesque scrutatur? Videt ille cordis nostri situm, & quomodo animus affectus sit; & quonam pacto illi amorem nostrum melius testari, ac illius erga nos demereri possumus, quàm si omnia a nobis fiant, ut illi placeamus?

Bonum alterum. Maxima consolatio, quæ hac in vita percipi queat, est intentionem suam probare posse, quidquid contigerit: itaut quicumque sit negotiorum nostrorum eventus, cum nulla in re nos conscientia nostra redarguit, sed e contra fidele nobis perhibet testimonium, quod recta fuerit, licet exprobremur, licet dicterus proscindamur, licet vituperemur, conscientiæ nostræ judi-

Eccl. 9. cio, ac testimonio lætemur. *Quia Deo placent opera tua*. Effutiant, judicentque mortales quodcumque ipsis placuerit, me mea coram Deo probat intentio; & hoc satis est.

Tertium. Hæc ratio est infinitos meritorum thesauros congerendi; per hanc enim omnia in quæstu ponuntur, & minimæ actiones, & illæ etiam, quæ neutræ sunt, & merè ex natura ipsa profectæ, pretiosæ fiunt, & gloriæ æternitate dignissimæ. Duo sunt meritorum principia: alterum habituale, actuale alterum. Habituale principium est gratia, actuale bona intentio: hæc ea sunt quæ actionem aliquam bonam, atque rectam efficiunt: itaut ubi utrumque hoc principium simul concurrat, nihil in vita merito careat. Merita nostra singulis augere momentis possumus, ac brevi summam sanctitatis gloriam adipisci.

Sap. 4. *Consummatus in brevi explevit tempora multa*.

II. Cum intentio sit actionum nostratum anima; & hac ablata neque ut hominem, neque ut Christianum decet, agamus; pro Concionis argumento, ac partitione tria hæc possunt assumi, quæ id omne continent, quod in Morali Christiana docemur.

1. Quid sit bona intentio in actionibus habenda, ut agamus, quemadmodum homines, & Christianos agere decet: in quo illa consistat, scilicet ut agamus propter Deum, ut illi placeamus, & propter gloriam ipsius &c. 2. Ejus necessitas, ut actiones nostræ meritoriæ fiant, ac dignæ æterna remuneratione; etenim, illa si desit, nullius coram Deo sunt pretii, nullius virtutis: ubi latus aperitur campus ostendendi quid inter actionem virtutis merè moralis, & illam, quæ virtutis est christianæ, & supernaturalis, discrimen intersit. 3. Praxis rectæ, puræque intentionis; & signa, ex quibus cognosci potest, utrum propter Deum, vel humanam, & naturalem aliquam rationem agatur.

III. Tria possunt ostendi, quæ quamdam gradationis speciem constituent, & egregiam concionem efficient. 1. Sanctitatem, & perfectionem Christiani consistere in perfectione actionum, quæ ad illius spectant officia, & quæ Deus ab illo expetit eo in statu, in quo ipsum Providentia constituit. 2. Actiones nostras eò perfectiores esse, ac tantò plus meritorum coram Domino habere, quo magis puris, rectisque intentionibus fiunt, quod facile ostendi potest invictis Moralibus, Theologicisque argumentis. 3. Minimas quoque actiones, & quæ per se neque bonæ sunt, neque malæ, per bonam intentionem ad eminentem perfectionis gradum attolli posse.

IV. 1. Necessitas agendi pura, rectaque intentione, quæ nobis quatenus hominibus, & quatenus Christianis adest. A Deo habemus essentiam, vitam, & quidquid habemus; igitur propter illum dumtaxat agere debemus, omnes actiones nostras ad gloriam ejus referre; alii verò tituli, quibus ad Deum pertinemus, nequaquam minus arctam necessitatem nobis induunt. 2. Modi puræ hujus intentionis acquirendæ, videlicet amorem proprium exuere, qui omnia ad seipsum refert; sese a terrenis omnibus divellere; ardentem habere charitatem, quæ efficiat, ut Deum rebus omnibus anteferamus &c. 3. Exercitium puræ hujus intentionis, in ipso statim diei primordio omnes actiones suas offerre; subinde eamdem intentionem iterare, præsertim verò in præcipuis actionibus; eamdem multiplicare, quia una, eademque actio plures admittere potest intentiones, quæ tantum abest, quod aliæ alias evertant, ut immo sese mutuò perficiant, & efficiant, ut plures virtutes in una exerceantur.

1. Intentio actionibus, quas facimus, pretium tribuit; hæc illas vel magnas reddit, vel exiguas, prout illas sublimiori, puriori, rectiorique intentione facimus. 2. Eò majus erit meritum, & deinde præmium actionum nostrarum, quo minus ad utilitatem nostram referentur, & quò puriùs, & unicè propter Dei gloriam fient. 3. Bona in omnibus actionibus intentio gignere debet nostrum in hac vita solatium, nostræque conscientiæ tranquillitatem; eademque nostrum gaudium, nostræque post mortem spei esse debet argumentum. V.

In recta, puraque intentione tria possunt considerari. VI.

1. Principium, ex quo emanat, quod esse debet charitas: qui Deum amat, nihil intentatum prætermittit, ut illi placeat; quærit, scrutatur, quid illi acceptius futurum est; agit, operatur unicè propter illum. 2. Objectum, scopus, & finis, quem sibi intentio recta proponit, videlicet major Dei gloria; quod quidem sublimissimum, & præstantissimum objectum est &c. 3. Bonæ intentionis effectus, quia videlicet nos sanctos efficit, perfectosque, atque præstat, ut quodcumque facimus, plurimum conferat, ut perfectiores Deoque gratiores evadamus.

Pro argumento desumi possunt bonæ, & pravæ qualitates, quas intentio actionibus nostris appingit; videlicet quid boni bona, 2. quid verò mali mala efficit intentio. VII.

1. Intentio bona bonas, sanctasque efficit actiones nostras, quæ per se nullo in discrimine habentur; itaut quod nihil omnino ad æternitatem profuturum esset, dignum fiat æterna mercede. Deinde coram Deo malas excusat actiones, quæ per invincibilem fiunt ignorantiam, & minime culpabilem, quamvis illas probare non valeat, quæ per se malæ sunt, & quæ pro malis sunt a nobis habendæ. Denique illas, quæ per se bonæ sunt, toto cœlo meliores, & perfectiores efficit, cum nobilissimis, atque integerrimis rationibus attolluntur.

2. Nobis persuasum esse debet pravam intentionem, 1. pravas efficere actiones, quæ neutræ sunt, & eas, quæ maximè sunt innocuæ, corrumpere. 2. graviora, & nequiora efficere peccata, quibus animi æstus, & fragilitas nostra aliquam afferre possent excusationem. 3. præclarissimas virtutes in teterrima vitia convertere.

Qualitates, vel conditiones, quas habere debet consilium, atque desiderium majorem Deo gloriam afferendi, quæ quidem præstantissima est, & intentionum omnium perfectissima. VIII.

1. Hæc intentio, quam Christianus quilibet in actionibus suis habere deberet, esse debet universalis; ita ut se extendat non solum ad omnem vitæ nostræ rationem generatim; verum etiam ad quamlibet singillatim; ita ut ex omnibus actionibus nostris ne una quidem sit, licet abjectissima, & maximè indifferens, quæ ex Apostoli consilio, mediatè, vel immediatè non referatur ad Deum. 2. Intentio hæc adeo nobilis, & sublimis suprema

esse debet, itaut a nobis pluris fiat quodcumque minimum, quod tamen ad gloriam Dei aliquid conferat, quàm quidquid in terris maximum est; cum enim Dei gloria sit bonum Dei; bonum creaturæ, quæcumque illa sit, numquam cum illo comparandum est, 3. Intentio, quam in actionibus nostris nobismet proponimus, pura esse debet, hoc est in iis, quæ fiunt non utilitas, non voluptas, non gloria nostra inquirenda est. *Ex P, Nepveu in Spiritu Christianismi.*

IX. 1. Omnia, quæ in nos Deus habet, jura, & propter quæ ad illum spectamus exigunt, ut propter illum operemur. Non minus ultimus est finis noster, quàm primum principium; atque ita cum nihil in nobis sit, quod a Deo non dimanet, qui dignatur nobis suum offerre concursum, ut in quavis actione nobiscum operetur; nonne æquum est, ut propter illum agamus &c. 2. Licet ex justitia non teneremur omnes actiones nostras ad illum referre, nos ad id utilitas nostra deberet impellere; hoc enim pacto infinitos meritorum thesauros acquirimus, omnia, minimas etiam actiones, & quæ magis indifferentes sunt, in quæstu ponentes; & efficientes, ut quidquid facimus, nobis ad æternitatem comparandam proficiat &c. *Ex eodem Tomo 2. Considerationum.*

X. 1, Omnibus in operibus rectam, puramque habere intentionem, nostræ conscientiæ pacem, & tranquillitatem constituit, quæ nihil nobis potest exprobrare. 2. Hoc efficit, ut solidissimas virtutes exerceamus; nulla enim esse potest, nisi recta agamus intentione. 3. Hoc præstat, ut animo alacri magna quælibet aggrediamur, minora verò, & objectiora magna cum humilitate, & fervore obeamus.

XI. 1. Vult Deus cum puritate cordis inquiri, hoc est cum recta intentione: Hoc Spiritus Sanctus In tot Scripturæ locis præscribit; alioquin illum numquam inveniemus. Verùm quid est illum in puritate cordis, rectaque intentione quærere? Sanctus Bernardus hoc paucis complectitur verbis, quæ explicanda sunt latius, & enucleanda: *Non aliud cum ipso, non aliud tamquam ipsum, non aliud præter ipsum.* 2. Nihil nos magis removet a Deo, quam cor duplex, ac prava in operibus nostris intentio; quod præstat hypocrisis, & vanitas &c.

XII. Tria sunt personarum genera, quæ quod bonum est varias ob causas inter se perfectione diversas operantur; vel si mavis, bona intentio tres habet gradus, unde quid boni percipiamus ostendere possumus.

1. Alii Deo serviunt, ac bonum operantur propter justitiæ ejusdem timorem. Si timor hic filialis est, non servilis, bonus est, ejusque utilitates in medium possunt afferri. 2. Alii propter spem mercedis, quæ licet aliquantulum sit mercenaria, attamen est ad nos excitandos accommodata. 3. Propter amorem; quæ sanè operandi ratio est longè perfectissima.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest, ad proposita Concionum systemata exornanda.

Sancti Patres. SAnctus Augustinus, *lib. contra mendacium c.7.* ostendit id, quod per se peccatum est, bona intentione excusari non posse.

Idem, *de Serm. Dom. in monte*, hæc explicans S. Matthæi verba cap. 6. *Si oculus tuus fuerit simplex &c.* illa intelligit de intentione, quæ cum recta est, bonas, cum verò prava, malas efficit actiones nostras.

Idem, *Epist.* 120. *ad Hon. cap.* 18. docet Religionem sine Dei cultu, Deique cultum sine puritate intentionis non posse subsistere.

Idem, *in Psalm.* 118. docet, nobismet non satis diligenter cavere posse, quo fine, & quo acti spiritu aliquid operemur.

Idem, *Tract. in Epist. Joan.* Exemplo mortis JESU CHRISTI ostendit, unam, eamdemque actionem esse posse virtutis actum in aliis, in aliis verò crimen; quæ enim in Judæis fuit Deicidium, in Æterno Patre summæ charitatis actus.

Sanctus Gregorius, *Hom.* 22. *in Ezech.* docet quanam intentione Deo serviendum sit.

Idem, *lib. 9. Moral.* ostendit, hominum judicia timenda non esse Deum nostræ intentionis testem habentibus.

Idem, *Homil.* 4. *in Ezech.* de bona, pravaque intentione verba facit.

Idem, *l.* 28. *Moral.* fusiùs hæc explicat verba: *Lucerna corporis tui est oculus tuus &c.* & docet quomodo quilibet seipsum excutere debet, quanam intentione operetur.

Idem, *lib.* 35. *Moral.* docet, pravam intentionem sæpe in actionis decursu obrepere, quæ optimam ob causam fuit inchoata.

Idem, *Homil.* 13. *in Evangel.* inquit, nullam esse virtutem sine bona intentione, ac bona opera nostra ita coram hominibus esse efficienda, ut intentio nostra Deo uni cognita sit.

Sanctus Chrysostomus, *Homil. 9. in Matthei*, ostendit plures actiones, quæ bonæ sunt, vel neutræ, malas fieri, cum mala intentione peraguntur.

Idem, *Serm.* 27. *in Matth*, postquam oculo intentionem comparavit, ostendit eadem oculum corpori, ac intentionem animæ officia præstare.

Idem, *Homil.* 2. *ad Popul. Antioch.* docet in quo intentio pura consistat.

Sanctus Basilius, *in regul. brev. regul.* 196. docet quomodo abjectissima quæque ad majorem Dei gloriam fieri possint.

Idem, *Orat. de Ingluvie, & Ebrietate*, ait, Dei magnitudinem mereri, ut omnia opera nostra ad ipsius gloriam referamus.

Sanctus Bernardus, *Serm.* 40. *in Cant*, ostendit omnem actionum nostrarum bonitatem in recta intentione consistere.

Qui hujus argumenti libellos, vel tractatus ediderc, hi ferme sunt. Ascetici, aliique.

Jacobus Alvares de Paz, *Tomo* 3. *lib.* 3. *p.* 1. *c.* 8,

P. Suffren, Tomo 1. Anni Christiani cap. 2. ubi agit de altera bene actiones suas dirigendi ratione.

Drexelius prolixum edidit tractatum duobus libris comprehensum. Hic titulus est: *Amussis, sive recta intentio omnium humanarum actionum.*

P. Saint-Jure, lib. 3. de cognitione, & amore Domini nostri cap. 4. quidquid ad hoc pertinet argumentum pluribus sectionibus persequitur.

Idem in libro, qui inscribitur: *Homo Asceticus*, cap. 5. parte 2. fusius de puritate intentionis verba facit.

. P. Chahn libro de scientia salutis, de perquirendo bono cap. 4. art. 2.

P. Haineuve, Tomo tertio de Ordine Serm. 16. de recta intentione.

Dandinus, *in Ethicis sacris libr.* 24. quinque habet hujus argumenti capita.

P. Gaudier, *lib. de perfectionis natura, & causis*, pluribus in locis verba facit de puritate intentionis in singulis actionibus habenda.

Laurentius le Brun in libro, qui inscribitur: *Juventus sancta*, parte 6. cap. 2. sect. 1. satis prolixum habet de puritate intentionis tractatum.

Liber, cui titulus; Sermo de puritate intentionis, sine Auctoris nomine, sed egregiè scriptus, collegit quidquid ab aliis scriptum fuit.

Nierembergius, *Vita Divina, cap.* 21.

Idem, *lib.* 4. *Doctr. Ascet. cap.* 3.

Idem, *De Adorat. cap.* 21.

Theophilus Bernardinus, *de Perseverantia præsidiis*.

Raynerius de Pisis in Pantheologia.

Hortus Pastorum, *in Virga Aaronis lect.* 5.

Qui

Qui sequuntur licet argumentum hoc brevius pertractarint, plurima tamen dicunt.

Granatensis in Duce Peccatorum, cap. 17. §. 4. in Memoriali cap. 4. & lib. 7. §. 2. & tractatu 2. de Amore Dei cap. 12.

Alphonsus Rodriguez 3. parte loquitur de rectitudine, & puritate intentionis, ubi præsertim de inani loquitur gloria, quæ optimam quamlibet intentionem corrumpit.

P. Dozenne in Morali JESU CHRISTI satis prolixum habet hujus argumenti caput.

Moralis Christiana in *Pater*, libro 3. sect. 1. artic. 7. ubi agit de modo sanctificandi nominis Dei omnes ad illius gloriam actiones referendo.

P. Croiset Tomo 1. Consideratt. Christian. loquitur de incuria, qua Deo placere negligimus.

Pean in Spiritualibus Alloquiis Tomo 1. Alloquio 12.

P. Nepveu libro, cui titulus: Spiritus Christianismi, lib. 3. cap. 1. satis ample agit de iis, quæ ad intentionis pertinent puritatem.

Idem in Christianis Considerationibus Tomo 2. & 3. de hoc strictim agit.

Nicolè in tractatu de Oratione cap. 5.

P. D'Argentan Capuccinus, libro de Magnalibus JESU CHRISTI, collatione 23.

P. Novet parte 5. Meditationum.

Concionatores nuperi. P. Delingendes in Quadragesima Serm. 1. pro feria 4. Cinerum.

P. Mathias Faber, in Sermone de S. Martino, de hac una ferme re verba facit.

P. Duneau Sermone pro feria 4. post quartam Adventus Dominicam.

In collectione Orationum Gallicæ Accademiæ oblatarum anno 1697. duo sunt, vel tres hujus argumenti sermones.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta sermonem pro feria 4. post tertiam Quadragesimæ Dominicam integrum habet hujus argumenti sermonem.

Lambert Tomo 7. Homiliarum Evangelicarum in puncto altero loquitur de recta intentione.

In Christianis sermonibus in Evangelia, Tomo 1. Sermone de Conditionibus, puncto extremo nonnihil adest de puritate intentionis.

Qui collectanea ediderunt. Granatensis in locis Communibus.

Busæus, *in Viridario*.
Lohner, *in Bibliotheca manuali*. } Tit. *Intentio.*
Labatha.
Summa Prædicantium.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Scripturarum Applicationes huis Argumento.

Non bonam rem facit, stulto labore consumeris. Exod. 18.

Omnis æstimatio siclo sanctuarii ponderabitur. Levit. 27.

Quod placitum est coram te, feci. 4. Regum cap. 20.

Oculi mei semper ad Dominum. Psal. 24.

Quærite Deum, & vivet anima vestra. Ps. 68.

Quid mihi est in Cælo? & à te quid volui super terram? Psal. 72.

Universa propter semetipsum operatus est Dominus. Proverb. 16.

Væ duplici corde, & labiis scelestis. Eccli. 2.

Non nobis Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam. Psal. 113.

Quare jejunavimus, & non aspexisti? .... Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra. Isaiæ 58.

Pravum est cor omnium & inscrutabile; quis cognoscet illud? Jerem. 17.

Ventum seminabunt, & turbinem metent. Osee 8.

Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis; alioquin mercedem

non habebitis apud Patrem vestrum, qui in Cælis est. Matth. 6.

Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Idem, ibid.

Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. Idem, ibid.

Lucerna corporis tui est oculus tuus. Idem, ibid.

Te faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua; ut sit eleemosyna tua in abscondito. Idem, ibid.

Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet. Matth. 10.

Ego autem non quæro gloriam meam. Joan. 8.

Amen dico vobis, quæritis me non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis. Joan. 6.

Quæ placita sunt ei, facio semper. Joan. 8.

Si radix sancta, & rami. Ad Rom. 11.

Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. 1. ad Corinth. 10.

Si voluntas prompta est, secundùm id quod habet, accepta est, non secundum id quod non habet. 2. ad Corinth. 8.

An quæro hominibus placere? si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. Ad Galat. 1.

Non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes; sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo. Ad Ephes. 6.

Omne quodcumque facitis, in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi. Ad Coloss. 3.

Quidam propter invidiam, & contentionem; quidam autem propter bonam voluntatem Christum prædicant. Ad Philip. 1.

Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ sunt Jesu Christi. Ad Philip. 2.

Gloriam meam alteri non dabo. Isaiæ 42.

Propter te mortificamur tota die. Psal. 43.

Sapientia justum deduxit per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Sap. 10.

Veteris, novique Testamenti Exempla.

Sacrificia Abel, & Caina Deo propter solam intentionem variè accepta. *Genes.* 4. Sacrificium, quod primus est, atque præstantissimus Religionis actus, Deo acceptum non est nisi pura fuerit offerentis intentio, & nisi hic supremo illo cultu, quem adhibet, Domino honorem deferre contendat. Caio primogenitus mortalium in ipsis mundi primordiis ostendit sanctissima quæque qualia sunt sacrificia, non sanctè peragi posse, & quin Deum leniant, ac ipsius flectant misericordiam, offerentium noxam graviorem efficere, atque Deum ad iracundiam provocare. Offerebat ille sacrificia Deo, uti, & frater suos; sed non eadem intentione, non eodem pietatis sensu, neque eodem charitatis ardore, quo frater, qui summa alacritate in holocaustum Deo mactabat quidquid in gregibus optimum esse videbat; cum interim satis putaret Cain abjectissimos terræ fructus offerre, idque non ex cupiditate colendi Deum, sed ex servili timore, quo divinæ justitiæ effectus se subitorum verebatur. Deus autem jam ex eo tempore ostendit, se animorum recessus scrutari, sibi secretissimas etiam intentiones exploratas esse, atque compertas, ac se temporum, sæculorumque decursu ipsas etiam pietatis actiones non eodem in discrimine habiturum. Quemadmodum enim in duorum fratrum intentionibus tantam inspexit inæqualitatem, ita se omnino aliter sacrificia illorum accipere testatus est. Respexit ille quidem, Scriptura loquit, ab Abel, & munera, quæ ab ipso offerebantur; ad Cain *Genes.* 4. verò, ejusque sacrificia non respexit.

Exemplum Job. Sanctus vir Job nobis in Scripturis proponitur tamquam verum recti cordis exemplar, cujus intentiones omnes erant puræ, & sinceræ, atque ad bonum tendentes, atque ad id, quod ille æquissimum, Deoque maximè placiturum, puta-

Job 1.

bat: *Vir simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens a malo, & adhuc retinens innocentiam.* Hæc viri hujus a sacro Textu nobis præbetur imago; & jure affirmare possumus, hoc illius sanctitatem aperuisse, eumque in omnibus vitæ suæ statibus Deo acceptissimum effecisse. In summa rerum affluentia, in gravissima inopia, in tranquillo vitæ cursu, & in acerbissimis doloribus; in solio, & majori adhuc cum gloria in sterquilinio visus est sanctus hic vir omnia a Dei manu recipere, huic omni in statu benedicere; ob mala æque ac bona Deo gratias agere, omnia recta cum intentione perficere, quin umquam a justitiæ semita ne latum quidem, ut ajunt, unguem deflecteret. Itaque ex ipsa loquendi ratione qua utitur Deus, videtur hic sibi honori vertisse, quod talem haberet famulum, eousque ut illum coram Dæmone laudibus celebraret, & hunc provocaret, ut quovis conatu cordis illius rectitudinem, atque sententiarum sinceritatem experiretur.

Simplicitas cordis in pœnitentia David, in Saul verò duplicitas.

Si ulla umquam est actio, ubi scrutetur Deus cor, unde emanat, atque intentionis puritatem respiciat, sanè est pœnitentia, & læsi numinis dolor. Hæc magni fuit causa discriminis, quod inter Saulis, & Davidis pœnitentiam constituit Deus. Uterque peccaverat; alter quidem Dei mandatis parere palam detrectaverat, alter verò adulterium commiserat, & cædem illius, cujus uxorem abstulerat. Utrumque facti pœnituit, atque in doloris sui testimonium, uterque verbum idem pronunciavit. Eventus attamen docuit, dolorem illorum longè fuisse diversum, neque ea eodem principio profectum. David enim, licet peccatum ejus longè gravius extitisset, via ex cordis sinceritate dixit, *peccavi*, cum Propheta Dei verbis illi sceleris veniam concessam fuisse professus

2 Reg. 2.12.

est: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* Saul verò licet eumdem sceleris dolorem testaretur, iisdemque verbis uteretur, a Deo projectus fuit, & Samuel pro eodem laborans oleum perdidit, operamque:

2. Reg. 3.16.

Usquequo luges Saul, cum ego abjecerim eum? Cur autem ita se facilem præbuit alteri Deus, alteri verò ita inexorabilem? Nisi quod David sincerè agebat cum Deo, veramque sceleris sui dolorem præseferebat; e contra verò Saul ideo mœrebat, quia verebatur, ne in criminis pœnam Deus ipsum de gradu, ad quem eumdem evexerat, deturbaret. Hinc ille dicebat Samueli,

1. Reg. 1.15.

sibi supplicium minitanti; *Saltem honora me coram senioribus.* Quamobrem Pater quidam ait, utriusque peccatoris vocem fuisse simillimam, cor autem longe dissimillimum: *Similis vox, sed dissimile cor.*

Plures in Scripturis peccatorũ dolorem variis ob causas testati sunt, sed vario eventu.

In Scripturis quatuor inveniuntur viri, qui celebre hoc verbum protulerunt: *peccavi*, in quo tot peccatores hodie confidunt; quorum discrimen ex variis cordis eorum sensibus, & ex variis doloris eorumdem causis desumitur. Pharao *Exod.* 9. Saul 1. *Reg.* c. 26. David 2. *Reg.* c. 12. Manasses 2. *Paral.* c. 33. & denique Judas, *Matth.* 27.

Salvatoris exemplum ostendit, quam in actionibus omnibus intentionem habere debeamus.

Salvator Mundi, qui nihil impensius, quàm rectam omnibus in operibus intentionem commendavit, & qui nihil frequentiùs damnavit, atque prohibuit, quàm pravam, nobis exemplar esse voluit præstantissimi finis, quem in omnibus operibus nobismet proponere debemus, placendi videlicet Deo in actionibus singulis, vel singula efficiendi, quia placent Deo. Hoc ille his verbis apertè testatus est: *Quæ placita sunt ei facio semper;*

Joan. 8.

& alibi professus est, in iis, quæ pro hominum conversione, & salute operabatur, nequaquam vel gloriam, vel utilitatem suam quæsivisse: *Ego non*

Ibidem.

quæro gloriam meam: est qui quærat, & judicet. Unde, mea quidem sententia, inferri potest, velle Dei Filium eadem via quæri, qua ipse nos quæsivit. Intentio, qua ille nos quæsivit, pura fuit, neque enim aliud nisi salutem nostram, & Patris sui gloriam respexit: Nostra igitur intentio in omnibus actionibus esse debet salus nostra, & gloria Dei. Quidquid dixit, fecit, pertulit, ad hunc finem redegit; sua nequaquam commoda, at bona cogitavit, sed omnia ad Patris sui gloriam, salutemque nostram direxit. *Etenim Christus non placuit sibi*, Apostolus inquit. Hoc illud exemplar est, quod ob oculos habere debemus.

Ad Roman.

Prava Pharisæorum intentio.

Dei Filius numquam impensiùs Pharisæorum vivendi rationem exprobravit, quam propter pravam eorum intentionem; quæ omnium actionum in ipsis primum erat principium. Ostendit autem illos inexcusabiles esse, quod eum non agnoscerent, postquam adeo insignia illis præbuerat suæ divinitatis argumenta. Invidia, qua in illum flagrabant, eos impellebat, ut illius interitum quacumque ratione procurarent. Pharisæi invidiæ dæmone obsessi omnes actiones ejus hoc veneno inficiebant. Omnes eorum intentiones eò ferebantur, ut illius officerent existimationi, in pravum sensum sanctissimas illius actiones detorquentes, calumnias illi ingerentes, atque populum contra eumdem excitare conantes. Deinde verò quid non ausi sunt, ut illi vitam auferrent? Omnes intentiones illorum pravæ erant, quia invidiæ oculus, quo illum respiciebant, atque omnes illius actiones intuebantur, tenebricosum omne corpus eorum efficiebat.

Duo denarii, quos vidua in gazophylacium immisit, ostendunt, intentionem solam a Deo spectari.

Memoria id teneramus, quod Salvator Discipulis suis dixit loquens de Vidua, quæ exiguam in templi gazophylacium injecit eleemosynam, si cum aliorum largitatibus conferatur, hoc ostendit illum præcipuè in muneribus cor ipsum respicere, & qui minus dat, posse magis placere. Hominibus, quod dono datur, amissum est, nisi habeatur gratia, quæ ut plurimùm nulla exiguis habetur munusculis: sed Deus semper ea benignè excipit, quæ puro corde sibi offeruntur: in hoc Dei elucet magnitudo, qui opellam nostram ex cordis magnitudine metitur, quia bonis nostris non indiget.

Eadem oratio in Rege Ezechia exaudiente, in superbo Pharisæo rejicitur.

Eadem oratio, iisdemque ferme terminis concepta Deo funditur, & abs Rege Ezechia, & a superbo Evangelii Pharisæo: uterque coram Deo bona opera sua exposuerunt. Sed quam diversa erat intentio! Ita etiam variè accepta fuit: oratio quidem Pharisæi ab Incarnato verbo rejicitur, ea verò Ezechiæ ita Deo placuit, ut vitæ illius spatio quindecim annos addiderit.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic argumento.

Intentio operum nostrorum merita constituit.

Lucerna corporis tui est oculus tuus. Matth. 6. Quod corpori oculus, id singulis operibus suis est intentio. Si oculus bonus fuerit, corpus bene regit, & male, si malus. Hoc ipsum de intentione dicendum est, quæ est veluti actionum nostrarum lucerna; si vis actionem aliquam præclaram esse opus est, ut intentio, qua illustratur, respiciat Deum: si enim creaturam spectaverit, actio, quæ ab eadem dirigitur, suam bonitatem amittit; Intentio recta est oculus animæ sanctæ, propter quem dicit Deus: Vulnerasti cor meum; est purus, & simplex oculus columbæ, de quo in Canticis sermo est; oculus est, qui in nos Dei oculos convertit, cum nobis satis est ab illo videri, & unum illum spectamus.

Regii Prophetæ sententia de puritate intentionis.

Quid mihi est in Cælo, & a te quid volui super terram? Psal. 72. Pura sane, & sublimis erat Regii Prophetæ intentio, cum dicebat Deo: Quid cupiam, o Domine, in cœlo, ac in terra præter te? quasi diceret: nollem vivere super terram, nisi te amarem; neque adspirarem in Cœlum, si delicias a te sejunctas ibi nanciscerer. Hæc est sententia, quam pro viribus fovere debemus, quin consideremus utrum ea, quæ facimus magna sint, an exigua; utrum publica, an secreta, utrum mortalium existimationem, an contemptum sibi concilient; dummodo Dei gloriam procurent, amoremque ejus in nobis accendant.

Si

Cœlum acquirere possumus omnibus vitæ nostræ actionibus.

Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Matth. 6. Videlicet si recta fuerit intentio tua, omnia opera tua erunt opera lucis, & gloria cœlesti donanda. Rectè ponderentur hæc Salvatoris verba docentis, dummodo in gratiæ statu simus, posse nos omnibus operibus nostris Cœli gloriam lucrari, seu laboremus, seu vendamus, seu emamus, seu aliud quidpiam faciamus. Proh si artifices omnes, si mercatores veritatem hanc nossent, eamque exercere didicissent? *Quærite*, Salvator ait, *primum Regnum Dei*: hoc est prima intentio vestra sit Deo placendi, & reliqua, bona videlicet temporalia *adjicientur vobis*. Væ Christiano pro terræ hujus bonis, quæ fluxa, fragiliaque sunt, laboranti, quin Cœli bona æternum duratura quærat.

Matth. 6.

Quomodo Deus sit in cordis simplicitate quærendus.

In simplicitate cordis quærite illum (Deum) Sap. 1. Cum Scriptura loquitur de cordis simplicitate, cordis intentionem intelligit, quæ unicè, & simpliciter ferri debet in Deum, qui ens est purissimum, & simplicissimum. Igitur quærere Deum in cordis simplicitate, est unum illum intueri, quidquid fit, quidquid optatur, quidquid dicitur, quidquid cogitatur ad unum illum referre: si enim partem Creatori, partem retuleris creaturæ, cor tuum non est amplius simplex, quia divisa est intentio tua.

Vigilantia adhibenda ad pravam intentionem avertendam.

Omni custodia serva cor tuum. Prov. 4. Pro corde intentionem, qua operamur, intellige; etenim quemadmodum nobis plurimum inest amoris proprii, nisi summa cura nobismet, motibusque nostris invigilaverimus, fieri non potest, ut sexcentæ nobis non occurrant rationes, sexcenti vanitatis motus, desideria hominibus placendi, ac nobismetipsis satisfaciendi, sexcenti humani respectus, qui totidem sunt retractationes bonæ intentionis, qua actionem aliquam re adhuc integra suscepimus. Jugiter ergo nobismetipsis invigilandum est, omnibusque cordis motibus, ut plurima intercidamus humana consilia, quæ indesinenter mentem subeunt; ut coerceamus tot amoris proprii motus, qui ferme juges sunt, sed fere imperceptibiles; secretas perquisitiones commodorum nostrorum, voluptatum, honoris, sexcentosque alios hujus generis motus, quibus animæ vulgi ne attendunt quidem, qui animabus etiam, quæ præ cæteris virtute sunt præditæ, elabuntur, & qui sese sanctissimis etiam actionibus immiscentes omnia earum merita evertunt, vel saltem omnem earum perfectionem imminuunt.

Intentione sola ut plurimum Sanctorum labores a vulgi laboribus differunt.

Discerne causam meam de gente non sancta. Psalm. 42. Regius Propheta Deum rogat, ut sibi æquus esse velit Judex, ut suos labores a reliquorum laboribus distinguat, ac meritis ipsius debitam mercedem rependat. Quorsum autem, amabo vos, hæc oratio? Quia, Sanctus Augustinus respondet, viri boni pro Deo nihil faciunt, quod alii pro mundo non faciant. Jejunamus, abstinentiam exercemus; at alii nonne idem præstant sæpe rerum maximè necessariarum usum avaritiæ spiritu sibi interdicentes? Vigilamus, noctesque in oratione traducimus; milites, artifices, mercatores nonne sæpius adhuc vigilant? Nosmet humiliamus, ac sub totius mundi pedibus abjicimus: heu! quot ignavi adulatores tantumdem præstant, ut deinceps attollantur, & propositum sibi finem assequantur? O bone Deus, Pater hic ait; cum labores nostros, & vigilias numerabis, eas diligentissima discretione distingues; nam quamvis mundi sectatores eadem efficiant, immo sæpe etiam multò majora, hoc tamen discriminis interest quod nos pro te, atque ut tibi placeamus, ea facimus, quæ alii, ut suæ consulant utilitati, operantur: itaque *discerne causam meam de gente non sancta*. Si actiones eædem sunt, intentiones, quæ earum pretium, meritumque constituunt, sunt longè diversæ. *Ex Auctore Sermonum in omnia Ethica Christiana argumenta.*

Intentio anima est,

Dominus autem intuetur cor. 1. Regum cap. 16.

& cor actionum omnium.

Sacer textus intentionem nomine cordis appellat, non solum quod ex corde proficiscitur; uti dici consuevit, non tantum spectari id, quod fit, vel quod datur, quam cor, scilicet intentionem, & affectum, quo datur, & fit: verum etiam quia quemadmodum cor est prima pars, quam in corpore natura facit, primum vivens, & vitæ principium, unde sese in omnia membra communicat; ita intentione nihil nobilius est in actione, & illa huic, ut ita dicam, vitam impertit: sicuti cum læsum est cor, actum jam est, & mors nullo pacto potest evitari; ita si deficiat intentio, hoc est, si pravo aliquo fine corrumpatur, actio mortua est, nullius pretii, & valoris.

Intentio, Richardus de Sancto Victore ait, cor est, & anima actionis. Cor est principium vitæ, & quale cor est, talis est vita. Nabuchodonosor hominis vitam in bruti vitam immutans, amisit cor hominis; & a vita bruti ad hominis vitam reverso, redditum fuit cor hominis, uti loquitur Scriptura. Ita bona, vel prava in actionibus vestris intentio ostendet utrum vivatis tamquam bruta, an tamquam homines; tamquam reprobi, an tamquam prædestinati, & utrum verè vivatis, an anima vestra sit tamquam corpus, quod anima caret, & corde.

Prava intentio numquam efficere potest actionem bonam.

Non potest arbor mala bonos fructus facere. Matth. 7. Prava intentio ita actiones omnes corrumpit, ut ne una quidem bona fieri queat, si sit intentio prava. Et quod Sanctus Paulus Apostolus inquit, hominem, qui omnia bona sua pauperibus erogaret, & qui vivens adhuc flammis uri mallet, quam fidem abdicare, nihil lucraturum, nisi charitatem haberet; nos dicere possumus de recta intentione, quæ si cui deesset, quidquid boni operaretur, nihil illi prodesset, vel potiùs nihil ille boni perageret: *Non potest arbor mala bonos fructus facere*. Eleemosynam erogare, jejunare, orare, bona sunt opera; si ob pravum finem hæc facis, jam nihilum prosunt.

Quo in sensu intelligendum sit, quod S. Paulus ait, JESUM CHRISTUM sibi non placuisse.

Christus non sibi placuit. Ad Roman. 15. Magnum est asserere Christum sibi non placuisse. Quomodo fieri posset, ut hic homo Deus, in quo omnes aderant perfectiones, & qui omnes sapientiæ, ac scientiæ Dei thesauris possidebat, sibi non placeret, quandoquidem sciebat Cœlestem Patrem in ipso, tamquam dilecto Filio sibi complacere? Attamen, *Christus non sibi placuit*, hoc est operari volens hominum salutem, qui finis erat, propter quem venerat in mundum, sibi debitos neglexit honores, pauperem, incommodamque vitam traduxit; etenim ad finem, quem sibi proposuerat, censuit illam esse utiliorem, quin naturalium studiorum rationem haberet, & quin aliam haberet intentionem, quam placendi Patri suo: *Christus non sibi placuit*.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententia Sanctorum Patrum hujus Argumenti.

NOli ad premium diligere Deum, ipse sit premium tuum. August. in Joan.

Non valde attendas quid homo faciat, sed quid, cùm facit, aspiciat. Idem, in Psal. 13.

Gratuitum sit, & quod amatur, & quod laudatur; quid est gratuitum? ipse (Deus) propter se, & non propter aliud. Idem, in Psal. 53.

Quod premium à Deo accepturus es ò avare? Non tibi terram, sed seipsum servat, qui fecit cœlum, & terram. Idem, ibid.

Quod bona intentione non facis, non tibi proderit, quia quomodo feceris, non quomodo evenerit, tibi imputabitur. August. super Matth. 6.

Magni interest cùm aliquid boni facimus, cujus rei contemplatione facimus; officium quippe nostrum, non initio, sed fine pensandum est; ut sci-

litet non tantum si bonum est, propter quod facimus, cogitemus. Idem, Conc. in Psal. 118.

Amemus, gratis amemus: Dominum enim amamus, quo nihil melius invenimus, ipsum amemus propter ipsum. August. Serm. 250. de Temp.

In omnibus quæ agimus, finem intentionis magis quàm actum operationis Deus attendit. Idem, vel alius Author, in Soliloq. c. 14.

Martyrem Christi non discernit pœna, sed causa. Idem, de Civit.

Deus cor & non substantiam pensat, non cogitat quantum, sed ex quanto quis operatur. Greg. l. 28. Moral. c. 6.

Sic sit opus in publico, quatenus intentio maneat in occulto; ut & de bono opere proximis præbeamus exemplum, ut tamen per intentionem, qua soli Deo placere possumus, semper optemus secretum. Idem, Homil. in Evang.

Summa cura vigilandum est, ne vel operibus bonis serviens, mens reproba intentione polluatur. Idem, in Moral.

Cùm perversa intentione vel rectum quid agitur, etsi splendere coram hominibus cernitur, apud examen tamen interni judicis obscuratur. Idem, l. 28. Moral. c. 6.

Sicut fabrica columnis, columna autem basi nituntur, ita vita nostra in virtutibus, virtutes autem in intentione intima subsistunt. Idem.

Nulla est lux operis, quam non præcedit rectitudo intentionis. Greg. l. 4. in Reg.

Multa videntur bona, quæ non sunt, quia bono animo non fiunt. Idem, l. 1. Dial. c. 10.

Aliquando hostis noster in bono opere intentionem polluit, ut omne quod in actione sequitur, eò purum non exeat, quò ab origine illud perturbat. Idem, l. 1. Moral. c. 38.

Qui pro virtute quam agit humanos favores desiderat, rem magni meriti pro vili pretio venalem portat. Idem, l. 8. Moral. c. 25.

Affectus divitem collationem aut pauperem facit, & pretium rebus imponit. Ambr. l. 1. Offic. c. 130.

Oblata Deo, non pretio, sed affectu pensantur. Salvian. ad Eccles. Cathol.

Non statim qui jejunat, Deo jejunat, aut extendens pauperi manum Deo fœneratur; vicina sunt vitia virtutibus; difficile est Deo judice esse contentum. Hieron. Epist. ad Lucis.

Sanctum non est quod agitur sanctum, nisi sanctè quod sanctum est peragatur. Origenes de singul. Cleric.

Ne putemus nos præmio carituros, si pro præmio non laboremus; imo ob hoc ipsum præmium erit majus. Chrysost. Homil. 5. in Epist. ad Roman.

Opera probant homines quæ cernunt, sed unde prodeant non discernunt. Bernardinus, de grad. Humil. 5.

Quomodo Deus omnia esse voluit propter semetipsum; sic nos quoque nec nos ipsos, nec aliud quid fecisse vel esse velimus, nisi æquè propter ipsum. Idem, Tract. de dilig. Deo Coll. 10. & 11.

Sicut decor corporis in facie, ita decor totius operationis animæ, consistit in intentione. Idem, in sententiis.

O pura & defæcata intentio voluntatis! eò certè defæcatior, quò in ea de proprio nihil admixtum; sic affici deificari est. Idem.

Quando quis operatur, non ut Deo placeat, sed quia placet ei Deus, vel quia placet Deo quod operatur. Idem, in Cant.

Quod est corpus sine vita, hoc est opus sine intentione bona. Richard. a S. Victore de statu inter. homin. c. 17.

In cunctis operibus quicumque salutem exoptat, ad illum, quem divina lex mandat, dirigat finem, ut non casso labore desudet. Laurent. Justin. de Regim. Prælat.

Omnia vilia, cum charitate facta, fiunt aurea atque divina. Anselmus, in cap. 13. Epist. 1. ad Corinth.

Tota ratio vivendi hominis Christiani unum scopum habet, nempe gloriam Dei. Basil. de ingl. & ebriet. Or. 16.

Si nihil aliud quàm Dei beneplacitum, & proximi utilitatem intendis, & quæris, perfecta libertate perfrueris. Lib. 20. de Imitat. Christi, c. 4.

Excellentissimum donorum omnium intentio bona. Bernard. in Cantic.

Minus te Domine amat, qui tecum aliquid amat quod propter te non amat. Aug. l. 10. Conf.

Deus coronat bonam voluntatem, quando non invenit facultatem. Idem, in Psal. 105.

Non in facto laus est, sed in eo quemadmodum fiat. Senec. Epist. 95.

Ad finem summi boni omne factum dictumque nostrum respiciat. Idem.

Honestum est, quod detracta omni utilitate sine ullis præmiis fructibus per seipsum jure potest laudari. Cicer. l. 2. de Finibus.

Nulla potest esse virtus nisi gratuita. Idem, 5. Tuscul.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia penu ad hoc argumentum depromi queat.

INtentio generatim sumpta non est aliud, quàm actus voluntatis; quo ad aliquem finem tendimus. Hæc definitio traditur a Divo Thoma, qui profert Sanctum Augustinum. Idem intentionis nomen definitionis hujus æquitatem significare videtur; non enim significat aliud quam attentum finis intuitum, pro quo aliqua actio suscipitur. Verùm cum agatur hoc in loco de supernaturalibus intentionibus, quæ efficiunt ut propter Deum agamus; ut actiones nostræ bonæ sint, atque meritoriæ, addimus, bonam intentionem non in sola cogitatione, neque in sola mentis ratiocinatione consistere. Verum est quod ut verè habeatur intentio propter Deum operandi, actu ad Deum cogitationem esse referendam; sed voluntatis unius interest præcipere, sese ferre, atque in id tendere, quod eidem ratio proponit; ideoque intentio significat, & designat actum voluntatis, quæ rationis operationem, & intellectus actum præsupponit. *Definitio generatim intentionis, & peculiariter bonæ intentionis. 1. 2. q. 12.*

Quemadmodum puritas intentionis vulgò ab intentione generatim bona distinguitur, asserere possumus hanc puritatis intentionem esse actum charitatis, per quem quidquid facimus ad Deum, tamquam ad postremum finem nostrum referimus; charitas enim non solum consistit in pia inclinatione, qua Deo adhærere contendimus; verùm etiam in generoso affectu, quo voluntas fertur ad agendum propter illum, & ad operandum pro illius gloria, quidquid faciendum aggreditur. Cumque admodum facile, vulgatumque sit inter sanctissimas rationes, optimasque causas alias quasdam obrepere, quæ puritatem priorum corrumpunt immixtione illius, quod vel impurum est, vel minus purum; si persona pro objecto, & in eo, quod operatur, habet solum bonum finem, rectamque intentionem, dici quoque potest puram esse illius intentionem, quia omni caret pravæ intentionis immixtione. *Quid sit puritas intentionis.*

Animadvertendum est, tamquam fundamentale hoc in argumento, principium; cum hominis conditio toto cœlo nobilior sit cæterarum creaturarum anima carentium conditione: ita etiam illius agendi rationem toto cœlo præstantiorem esse debere, & perfectiorem. Aliæ creaturæ corporeæ sine electione, & judicio operantur, ac solo naturæ instinctu ad finem suum feruntur, velut animalia, id quærentia, quod sibi utile est, & naturaliter fugientia, quod sibi nocere potest: ista cognitio mutum est naturæ monitum, non autem libera electio, vel ratiocinatio. Homo autem, qui rationis est compos, rationem sequi oportet, hoc est consultò, atque prudenter operari debet; ideoque *Homo aliter debet se gerere, ac bruta ratione carentia.*

que nihil efficere, quod ad proprium finem minimè tendat; alioquin degenerat, atque de conditionis, & dignitatis suæ decidit gradu. At ignorare non possumus finem hominis, si tamquam rationis particeps consideretur, & multò magis si velut Christianus, non alium esse quàm Deum, ideoque actiones hominis, ut rationabiles sint, & Christianæ ad Deum debere referri.

Intentio est primus actus, qui ad propositum finem tendit.

Finis in rebus omnibus moralibus est principium, & prima causa, reliquis motum tribuens. At primus actus, qui ad hunc finem tendit tamquam primum instrumentum, quo omnes facultates nostræ moventur in consiliorum executione, intentio est, quæ non aliud est, quàm desiderium, & voluntas finis ejusdem; itaut si finis, quem cupimus, justus est; si honestus, atque ad sanctitatem tendens, intentio, quæ desiderii nota est, necessaria illatione, justa sit, sancta, atque honesta, suamque bonitatem effundat in actionem, quæ non aliam habere potest præter eam, quam a fine suo mutuatur. Hinc sequitur, quod intentio actionum qualitatem constituit, videlicet illas bonas efficit, vel malas, vel neutras secundum rationem, propter quam fit; etenim cum de morali sermo est, sine hoc nulla virtus vel est, vel esse potest. Quamobrem S. Ambrosius ait, nos eatenus bonum operari, quatenus ejus operandi intentionem habemus.

Bonæ intentionis necessitas in Christianis actionibus.

Intentio, qua omnia operamur, tantæ est necessitatis, ut quod arbori radix, anima corpori, forma composito, hoc sit actioni intentio; ita ut actio nostra nobilis sit, vel abjecta, laude digna, vel probro, pro intentionis natura, & qualitate, quæ cum sit bona, eam bonam facit, & si optima est, perfectam illi confert bonitatem: *Si radix sancta, & rami*, S. Paulus ait. E contra si vitiosa, illi suum vitium communicat, eamque prorsus corrumpit, quamquam extrinsecus fulgeat, & optima videatur.

Ad Rom. 11.

In humana vita tria sunt actionum genera secundù triplicem intentionem.

Supponendum est, vitam nostram ex triplici actionum genere constare. Aliæ suapte natura bonæ sunt, ut oratio, eleemosyna, aliaque id genus, quas vulgò virtutis actiones vocamus. Aliæ sunt per se malæ, ut mentiri, obtrectare, blasphemias evomere, & similes, quas vulgò peccata nuncupamus. Tertiæ demum sunt neutræ, hoc est, neque rationi conformes, quia ut plurimum nobis sunt cum brutis animantibus communes, neque difformes, quia vel imperatæ sunt, vel permissæ; veluti manducare, bibere, dormire &c. Ita tria quoque intentionum genera distinguuntur, aliæ enim sunt bonæ, aliæ malæ, aliæ indifferentes. Hinc verò Theologi omnes concludunt, 1. Malam intentionem corrumpere, pravamque efficere posse actionem, quæ bona est. Exempli gratia, qui eleemosynam erogat, ut ad propositum sibi finem faciliùs perveniat, qui est, populo fucum facere, & charitatis famam aucupari, scelus committit coram Deo, qui vult omnia ad majorem sui nominis gloriam fieri. 2. Bonam intentionem efficere posse, ut quod neutrum est, bonum fiat: exempli gratia, scientiarum studium coram Deo, neque bonum est, neque malum; verùm cum eodem utimur ad tuendam Religionem, & Providentiæ, vel gratiæ Dei mysteria detegenda, id quod per se nullo in discrimine habetur, sanctum fit, atque laudabile. 3. Quoad actiones, quæ suapte natura malæ sunt, hæ cum recta intentione nullo pacto simul esse possunt; quæ potest quidem illarum imminuere nequitiam, at illas Deo probare non potest.

Tres varii intentionis gradus.

Cum Theologi de intentione loquuntur, tres illi gradus tribuunt; primus est, intentio habitualis, alter virtualis, tertius actualis. Habitualis quidem in actionibus supernaturalibus, & meritoriis tunc est intentio, cum opus bonum fit in statu gratiæ, hoc est in habitu charitatis. Etenim licet bonum aliquod opus facientes non habeamus explicitam attentionem, atque intentionem illud propter Deum efficiendi; nihilominus, quia sumus in statu gratiæ, actio hæc ad Deum pertinere videtur. Verum est, sententiam hanc non omnibus vulgò probari Doctoribus, pluresque esse, qui tenent ad hoc ut opus fiat acceptum Deo, requiri ut cum actuali, vel saltem virtuali fiat intentione. Nolo hanc dirimere difficultatem, unicuique integrum relinquens abundare in sensu suo, atque suadens, ut omnes tutiorem partem sequantur. Alter gradus est virtualis intentio, quæ est cum, exempli gratia, vi generalis oblationis, qua Deo omnes actiones nostras cum bonas, tum neutras, atque naturales dicavimus, operamur quin hanc revocemus intentionem, vel quin illam aliquo peccato interrumpamus; sed sine ullo attento, & actuali intuitu in singulis actionibus, quæ Deo acceptæ sunt solum gratia præcedentis oblationis, quæ suum in quamlibet influxum effundens, illas ad Dei gloriam applicat. Gradus tertius est actualis intentio, quæ est, cum in statu gratiæ existentes, actu bonis operis intentionem ad Dei gloriam dirigimus. Sed quia intentio hæc jugiter actualis non fit nisi in cœlo, & hac in vita illam habere non possumus, debemus saltem in ipso diei exordio omnes actiones nostras non generatim solum, verum etiam singillatim ad majorem Dei gloriam referre.

Intentio non semper est ultimi finis. 1. 2. q. 12. ar. 2.

Docet D. Thomas, licet intentio semper feratur in finem, quemadmodum jam dictum est, non esse tamen necessarium, ut in ultimum finem feratur; tum quod variæ sunt hominum intentiones, licet unicus sit, & ultimus finis, videlicet beatitudo; tum quod intentio est actus, qui respicit finem, quemadmodum terminum motus voluntatis, qui terminus duplicis est generis, alter quidem simpliciter ultimus, alter verò quodammodo ultimus; unde fit, quod intentio in alterutrum horum terminorum ferri potest; quæ ut plurimum causa est omnium illusionum nostrarum nos in mediis detinens, ex quibus finem nostrum constituimus.

Variæ intentiones, quæ in una, eademque actione possunt haberi.

Mystici Theologi docent plures intentiones, atque rationes in una, eademque actione posse concurrere. 1. Ratio virtutis propriæ, ad quam hæc actio refertur, veluti eleemosyna ad charitatem, erga proximum; jejunium ad temperantiam, oratio ad Religionis virtutem, afflictionum tolerantia ad patientiam. 2. Eadem actio fieri potest ob causas sublimiores, quæ illam ultra objecti sui cancellos transferunt, exempli gratia; eleemosynam erogare, non solum ut cum proximo charitas exerceatur, sed præterea, ut Deo placeas, atque propter ejusdem amorem; ut obedias illi hoc præcipienti, ut pauperis salutem procures, ut in persona pauperis JESU CHRISTO subvenias &c. Hæ generales intentiones nequaquam evertunt illam, quæ est eleemosynæ propria, sed eam ad sublimiorem finem attollunt, eamque magis perfectam, & meritoriam efficiunt. 3. Ita rationes, atque intentiones multiplicans in una tantum virtute reliquæ fere omnes possunt exerceri, earumque meritum, ac mercedem acquiri.

De intentione virtuali.

Ut recta intentione opereris necesse non est semper actu de Deo cogitare; quemadmodum opus non est, hominem, qui iter aggreditur, actu semper itineris terminum animo reputare; sed necesse est, desiderium obtemperandi, vel placendi Deo effectivum esse actionum tuarum principium; eodem pacto, quo gressus omnes, quos in itinere profert viator, principium hoc habent, videlicet desiderium eò perveniendi; licet sæpe ad id ne animum quidem advertat. Verum igitur est, satis esse actiones nostras ad Deum referri ea intentione, quæ dicitur virtualis, & actualem non semper esse necessariam; sed opus est, intentionem hanc reipsa illius esse principium, itaut videat Deus, veram causam, propter quam actionem hanc facimus potius quam illam, desiderium esse eidem placendi.

Conditiones puræ intentionis.

Puritas intentionis etiam, atque etiam a spiritualis Vitæ Magistris commendata tres essentiales conditiones complectitur. 1. Intentio, ut hanc habeat puritatem complecti debet actum amoris, &

motum cordis; non enim sufficit in mente sua concipere cogitationem efficiendi hujusmodi actionem ad majorem Dei gloriam, neque labiis primoribus pronuntiare verba; sed quæritur, ut cor de Dei gloria sollicitum, quæ in aliqua actione invenitur, ad hanc peragendam impellatur. Conditio altera est, quod hæc gloria sit ille finis, quo pervenire contendis. Tertia denique in hoc posita est, quod hæc gloria sit non solum finis, propter quem moveris, sed unicus finis, quem spectas.

De excessu evitando, & metuendo in intentionis directione.

Spiritualis vitæ Magistri docent, quemadmodum rebus in omnibus respiciendus est Deus non ut nosmet excæcare debeamus, vel ut actionem nostram prohibeamus, sed ut hanc melius perficiamus, eique eam tribuamus perfectionem, quæ necessaria est, rectam intentionem habendam esse; similiter docent, rebus in omnibus nimis anxios esse, ac jugiter nobismet crucem figere, ut Deo placeamus; hoc nequaquam actionem nostram semper efficere perfectiorem. Sufficit Deo, nos puram hanc, rectamque intentionem in corde habere, ut nulla ibi detur alia, qua corrumpatur, atque vitietur. Profectò melius, & perfectius est, ubi fieri possit, actualem hanc habere intentionem; sed ita tamen, ut hæc attentio non ita mentem occupet, ut eam prohibeat, quam eidem actioni debemus; & ne nimis bene operari studentes in iis deficiamus, quæ sunt a nobis præstanda. Ita donec non percipimus prava quapiam intentione illam oppugnari, quam re adhuc integra concepimus, hoc satis est, ut actiones nostræ coram Deo meritoriæ habeantur.

Quid sit pura intentio, & in quo consistat.

Cum in hac dispositione versamur, ut Dei lex sit in medio cordis nostri, ut loquitur Propheta; cum omnia vota nostra rediguntur, & congregantur in amore legis, qui centrum quoddam veluti centrum est; & neque vel suppliciorum metus, vel spes præmiorum ullam obtinent partem in nostra fidelitate tamquam solæ rationes ejus diligentiæ, qua legem observamus: tunc puram nobis inesse intentionem possumus arbitrari. Ideo Sanctus Bernardus ait, tres esse laudandi Deum rationes; primam servi, alteram mercenarii, tertiam filii. Servus Dei potentiam metuit, eique laudum offerens sacrificia ea tantum fulmina respicit, quæ in caput suum ab eodem possunt contorqueri. Mercenarius suam quærit mercedem, & Deum non amat, nisi quod hic præmia eidem pollicetur. Sed Filius Deum suum colere satagit, quia Deus per se meretur cultum, qui sibi adhibetur. In duobus statibus superioribus, nosmet dumtaxat respicimus, in postremo Deum unum spectamus. Servum metus tantùm coercet: mercenarius cupiditate sola animatur; purus amor solus voluntarium Deo offert sacrificium. Hæc est puritas intentionis.

Lib. de dilig. Deo c. 12.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, nuperisque Concionatoribus loci hujus Argumenti.

Intentio est velut anima, & forma actionum nostrarum.

INtentio in operibus id est, quod in arboribus radix: *Si radix sancta, & rami*, vel, ut melius dicam, id est, quod anima in corpore. Argilla, ex qua corpus Adam efformatum fuit, non aliud ad summum erat, quam hominis imago sine motu, & sine vita, nisi illam Deus anima rationali animasset. Idem quoque dicendum de externa virtutis specie, quæ inanem habet imaginem, & figuram, nisi pars adsit interior. Interior igitur pars actiones vel nobiles facit, vel abjectas. Hæc præstantissimam quamlibet deprimit; hæc abjectissimam quamlibet attollit; hæc est tamquam cor bestiæ, quod datum fuit Nabuchodonosor in pœnam superbiæ, & cor hominis, quod post humiliationem ipsius eidem redditum fuit. Verum quidem est, potestatem nostram maximè in effectibus suis esse coarctatam; sed voluntatem habemus, nullum in desideriis suis terminum habentem. Quænam igitur Dei bonitas fuit præcipientis, ut perfectio nostra a voluntate potiùs, quam potestate penderet, atque cum de meritis agitur, tantum facere possemus, quantum vellemus? *Pat. Dozenne in Morali JESU CHRISTI de puritate intentionis.*

Bona intentio minimis etiam actionibus inæstimabile pretium addit.

Minimæ res maximam nonnumquam habent virtutem; exemplo sint oculus, & cor hominis: ut in spirituali vita oculus, & cor animæ justæ sunt intentiones. Quænam felicitas est humillimis etiam rebus infinitum pretium tradere posse; minima actionum nostrarum immensam mereri beatitudinem, & efficere, ut singula vitæ nostræ momenta valeant æternitatem? Hoc pacto paucissimorum annorum intervallo diuturnam complecti possumus vitam, & de aliquibus sanctis dici potest: *Consummatus in brevi explevit tempora multa.* Ita in Dei servitio parvo labore plurimum lucrari possumus; e contra verò in mundi servitio plurimum laboratur, & levissimus quæstus percipitur. *Idem.*

Sap. 4.

Quam prosit actiones suas propter Deum facere.

Optimum est bene operari propter mercedem, quam opera bona merentur; etenim Deus ipse illam nobis proponit, ut ad sibi serviendum alliciat; attamen multò melius est ea facere ut merè Deo placeamus, quam ut spei summam consequamur. Verum ullane merces est, cum felicitate eidem placendi conferenda? Et purus amor nonne eo majora invenit bona, quo minus illa aucupatur? Cogitate, S. Bonaventura inquit, quomodo vos amet Deus, vobisque conferat bona: ita vos illum amare, eique servire deberetis. Nequaquam propter Paradisi spem servio Deo meo, alius respondit dæmoni sanctus suadenti, eum non esse ex numero prædestinatorum; sed unicè propter ipsum illi servio. Magnam semper sibimetipsi injuriam, atque jacturam adfert, qui suam tantum persequitur utilitatem. *Idem.*

In quo vera consistat puritas intentionis.

Anima, cujus intentio pura est, Deo tantùm placere quærit, quin de eo sollicita sit, quod sibi satisfacere potest: Curam habet dumtaxat gloriæ Domini sui, quin propriam quærat; ac de re nulla, nisi de domini sui gloria laborat .... Huic animæ satis est placere Deo, quin illi solatio sit, scire, se eidem placere; atque ita sese in sancta continet humilitate, quæ multò magis ipsius purificat intentionem. Sufficit illi, divinis mandatis parere, quibus nescire jubemur, utrum quæ facimus bona sint, quamvis non alia nisi benefaciendi cupiditate flagremus... Aliquid facere, ut Deo placeamus, non tantum est, Sanctus Bernardus ait, velle nosmet Deo acceptos efficere, quam id facere, quod illi acceptum sit. Priori in sensu non deest utilitatis nostræ aliqua ratio; in altero verò sola Dei voluntas exquiritur. Intentio hæc adeo pura est, ut nihil humani respiciat, & homo, qui illam fovet, nihil non divinum spectat. Hæc erat Sancti Pauli sententia, cum dicebat. *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. Idem P. Dozenne.*

S. Bern. de dilig. Deo.

Ad Gal. 1.

Meretur Deus, ut unicè pro ipsius gloria agatur.

Ens æque magnum, ac Deus, nonne meretur, ut alia quælibet entia ipsius gloriæ serviant? & sicuti rerum omnium principium est, nonne & finis earum esse debet? Permittit ille quidem, ut ex operibus nostris lucrum percipiamus, quia & nos ipsi aliquid iisdem conferimus: sed cum ille nobis & esse concesserit, & agendi facultatem, cumque sine illius concursu potestas hæc inutilis maneat; nonne æquum est, ipsum meliorem partem obtinere? Nobis ergo sufficiat utilitas, honorem verò illi reservemus. *In gloriam meam*, ait ille de nostrum singulis per Isaiam, *creavi eum, formavi eum, & feci eum. Idem.*

Quam æquum sit, omnes actiones ad Deum referre.

Quandoquidem omnino ad Deum pertinemus, idque tot de causis, videlicet propter creationem, redemptionem, spiritualem regenerationem, quam in Baptismo recipimus; Si quidquid in fundo crescit ad fundi dominum spectat; quidquid a nobis proficiscitur, nonne ad Deum pertinet, & nonne

ad

ad Deum referendum est? Cæterum Deus non minus est ultimus finis noster, quàm sit primum principium nostrum; cumque nullus esse possit motus, qui ab eo non proficiscatur, atque pendeat, ita nullus esse debet, qui non referatur ad illum. Quemadmodum ne minimam quidem cogitationem, aut desiderium efformare possumus sine concursu Dei, quo ille nobis sese jungere dignatur, ut agat nobiscum; nonne æquum est, ut nos eidem jungamur, ut mentem illius assequamur, ejusque intentionem sectemur? *P. Nepveu in libro, cui titulus: L'Esprit du Christianisme, lib. 3. cap. 1.*

Interest nostra omnes actiones ad Deum referre.

Ex iis rationibus, quibus omnes actiones nostras ad Deum referre tenemur, non extrema hæc est, quod videlicet in hoc nostram invenimus utilitatem, qua majorem nullam optari licet; etenim ne una quidem est actio nostra ex iis, quæ magis naturales sunt, ac magis indifferentes, quæ cum fiat propter Deum, atque ad illius gloriam referatur, non fiat supernaturalis; cumque illa in gratia facta sit, per illam Dei possessionem, æternæque gloriæ gradum meremur. Hinc conjiciendum est, quem meritorum thesaurum congerat ille, qui summa cura omnes actiones suas, illas etiam, quæ nullo in discrimine habentur, ad Dei gloriam refert, uno die, mense, anno, tota denique vita; e contra quam jacturam ille patiatur, qui hanc negligat praxim, quæ inter maxima spiritualis vitæ documenta potest adnumerari, vocarique ars admirabilis, qua parum laborantes plurimum efficiamus, & immensos meritorum thesauros comparemus? *Idem, cap. 4.*

Ratio acquirendi, & exercendi hanc intentionis puritatem.

Ad hanc intentionis puritatem acquirendam, omnia videlicet ad Dei gloriam referendi: jugiter debemus adniti, ut amorem proprium, hoc est, inordinatum avertamus amorem, quo nosmet ipsos prosequimur, & affectionem, qua terræ hujus bona, voluptates, & gloriam complectimur, quæ efficit ut nosmet rebus in omnibus inquiramus, & prohibet ne unicè Deum, & gloriam ejus quæramus. Adeo enim pura divinæ gloriæ intentio purum supponit amorem; & via unica, qua ad purum hunc amorem pervenire valeamus, est sensuum, affectuumque nostrorum, atque naturalium studiorum mortificatio, & jugis mors non solum terrenis omnibus, verum etiam nobismetipsis. *Idem.*

Nihil nos Deo magis similes efficit, quam pro illius gloria operari.

Alia ratio, quæ nos debet impellere ad omnes actiones nostras ad Dei gloriam referendas, est, quod nihil nos efficere potest Deo magis similes, ideoque sanctiores, beatioresque. Cum enim Deus sit omnis sanctitatis, omnisque beatitudinis principium, quo majorem cum illo habemus similitudinem, eo sanctiores sumus, & beatiores. Sed cum Deus non alium habeat extrinsecus in omnibus operibus suis finem, quàm gloriam suam, nihil nos eidem magis similes efficere potest, quàm semper ob eumdem finem operari. Ideò dicit Scriptura, quidquid a Deo creatum fuit, propter ipsum, ipsiusque gloriam, cujus adeo zelotes est, ut cum nemine illam partiri velit, fuisse creatum. Ideo vult, homines prorsus oblitos gloriæ suæ, atque cæterarum quarumcumque rerum, Creatoris sui gloriam dumtaxat procurare, eamque omnium actionum suarum sibi finem constituere, sibique persuadere, quominus gloriam, resque suas perquisiverint, eo uberiùs illas inventuros esse; neque futuros umquam ita gloriosos, atque felices, quàm cum suam felicitatem & gloriam gloriæ Dei posthabuerint. *Idem P. Nepveu.*

Exhortatio ad laborandum propter Dei gloriam propriæ etiam utilitatis intuitu.

Licet nulla justitia coacti omnes actiones nostras ad Deum referre teneremur, nostra nos ad id impellere deberet utilitas, quandoquidem nulla actio, vel abjectissima, hac intentione attolli non potest; & ne una quidem est, quæ pro mercede ipsius Dei possessionem non mereatur. Quænam admirabilis ars brevi, ac facile locupletandi! Et sanè paupertatem nostram meremur, si cum adeo modicis sumptibus tantoque fructu inde valeamus emergere, rationem hanc negligimus. Intentionis puritas in spirituali vita quædam est chymiæ species, quæ artem invenit omnia in aurum convertendi, ac pretium iis rebus, quæ eodem maximè carent, tribuendi. Hæc brevis est, facilisque via, qua intra brevissimum tempus ad eminentem sanctitatem potest perveniri. Quod igitur nobis in hac vita solatium est ad sublimem pertingere posse sanctitatem, quin nihil magnum efficiamus, hac sola cura omnes actiones nostras ad Deum referendi? Quod nobis solatium in ipso mortis articulo plurimum congessisse sancta hac exercitatione, quin multum adlaboraverimus; magna adeptos fuisse merita, quin magna fuerimus operati; videre Deum merito nobis adscribere abjectissimum quodlibet opus, & magis indifferens, cui non satis dignam mercedem se rependere cogitabit, gloriæ conferens æternitatem? Nonne hæc admirabilis ars est omnia in lucro ponere, & ex nihilo plurimum fructum referre? At quænam erit desperatio morientibus, si id neglexerimus, cum videbimus ob puræ intentionis defectum nos plurimum adlaborasse, & nihil collegisse, cumque nihil a nobis satum fuerit, nisi ventus, per eam vanitatem, quæ fuit ratio actionum nostrarum, nihil nos messuros esse, quam ventum, cum videbimus, nos ut ita dicam tot gloriæ æternitates amisisse, quot actiones ad Deum referre neglex imus? *Idem, Tomo secundo Christianarum Considerationum.*

Naturalis obligatio, qua omnes actiones ad Deum referre tenemur.

Repetamus generale principium, quod omnia ad Dei gloriam refert, tamquam ad scopum universalem, in quem tendere debent. Hæc est Creatoris intentio; quidquid ab illo factum est ad majorem sui nominis gloriam, factum est. Cœli, & firmamentum ideo lucent, ut magnitudinem ejus annuntient; Sol oritur, ut mirabilia opera ejus ostendat; creata etiam sensu carentia fideliter hunc ordinem servant, quem illis æterna Sapientia præscripsit. Homo unus, quia plus habet libertatis, & rationum, ut fidelis sit hoc facere detrectet? & quia cognoscit omnia a Deo proficisci, ad illum omnem referre gloriam neget? *Ex Collectione Orationum Gallica Accademia oblatarum anno 1695. Sermone 4.*

Sine charitate, bonaque intentione omnia opera nostra sunt ad cœlestem gloriam acquirendam inutilia.

Si charitate deficimus omnia ad Deum referente, facti sumus *velut æs sonans*, ut inquit Apostolus, *& cymbalum tinniens*. Similes viatoribus, qui a recta via aberraverunt, inutiliter currimus, & postquam cucurrerimus, nos viribus exinanitos, & a vero termino remotissimos inveniemus. Ita misericordiæ opera æterni esse possunt thesauri, sed sæpe sub inani specie non aliud sunt, quam limus, ac fimum. Quænam igitur habenda est attentio, ne spiritus nequitiæ nobis eripiat has inæstimabiles operum viventium divitias, & ne mortua, & pretii nullius opera subroget? Ne fallamur; facillimum est dæmoni optimas actiones nostras prævertere, efficienti ut potius inanem hominum approbationem, quam Dei gloriam quæramus. Adnitamur periculosos hos laqueos effugere; in id vacemus quomodo intentiones nostras in charitatis operibus rectificare possimus; non enim satis est hominibus benefacere, sed hoc sanctè faciendum est, videlicet solo Dei intuitu. *Idem.*

Nos quatenus homines, & Christiani omnes actiones nostras ad Deum referre tenemur.

Quocumque modo, & quocumque in statu nosmet considerare velimus, vel tamquam creaturas rationis participes, vel tamquam Christianos, omnia, quæcumque facimus bona ad Deum referre tenemur. Natura impellit tamquam ratione præditos, ut propter finem agamus; nec verò finis esse debet ipse Deus, qui omnia propter sui nominis gloriam creavit. Christianæ Religionis lex vult nos quatenus Christianos Supremi Legislatoris parere imperiis non solum quoad substantiam, verùm etiam quoad spiritum: & hæc spiritualis obedientia in pura, simplicique intentione consistit, quæ recta tendit in Deum, sine qua nullum

ad

ad Cœlorum Regnum jus potest haberi. Qui verò propter minus egregium, sublimemque finem operatur, hic turpiter seipsum de gradu deturbat. Dei amor esse debet omnium particularium amorum nostrum centrum; omnia nos adigunt, ut adeo sanctam affectionem induamus; Supremum, quod in nos Deus habet imperium, naturæ ejus præstantia, magnitudo beneficiorum, quæ in nos infinita ejusdem largitas contulit, satis validæ, vehementesque rationes sunt, ut ad hoc nos impellant. *Idem.*

Ejusdem Argumenti continuatio.

Hic ratio perfectè cum fide concordat; æquum est, ut certatim illius gloriam quæramus, per quem sumus; & quamvis hoc in Scripturis non præciperetur, non ideo minus illud agere teneremur. Hæc lex est in cordibus nostris scripta, & donec Deus erit principium nostrum, & finis, primum rationalis creaturæ officium erit, ad eum omnes actiones referre, & non nisi, ut eidem placeat, operari. *Idem.*

Salvator purissimæ intentionis exemplum in omnibus suis actionibus præbuit.

Quidnam in omnibus operibus, & passionibus suis sibi proposuit Salvator? Hoc ipse nobis declarat. Gloriam meam minime quæro, ait ille, sed gloriam ejus, qui misit me; illius tantùm nomen, atque magnalia annuntiare contendo; illius tantum consilia, opusque meum adimplere studeo; denique mortem subeo, ut omnes intelligant a me Patrem meum amari, eaque fieri, quæ mihi ille præcepit. Hæc sunt Salvatoris consilia, hi sensus. Glorificare vult Patrem suum sese illius voluntati submittens; eam fideliter exequitur animo faciendi, quæ eidem scit magis esse placitura.

Joan. 8.

Quæ placita sunt ei, facio semper. Idem Sermone quarto.

Bona intentio, quam omnibus in actionibus habere debemus, nobis superbiam inspirare non debet.

Deus minus exteriorem actionum nostrarum corticem spectat, quàm fontem, unde proficiscuntur; & tantum abest, hoc nobis subinferre posse superbiam, quod immo per hoc, ut Sanctus Augustinus inquit, deprimere debemus in oculis nostris, quidquid in actionibus nostris maximè nitet, & eminet. Quia cum actionum nostrarum intentio Deo uni perspecta sit, nobisque ignorantibus utrum sint illæ in suo fonte, hoc est in intentione illas producente, corruptæ, reipsa latet, utrum bonæ, an malæ sint . . . . Illusio, quæ hac in re potest inveniri, ea est, quod pro vera intentione, quæ verum est actionum nostrarum principium, sumitur idea, quæ habetur de fine, ad quem essent referendæ, licet extremum sit inter utrumque discrimen. Vera enim intentio non est cogitatio, sed motus cordis quod finem versus fertur; & cum hæc intentio recta est, non aliud est, quam charitas, quæ tendit in Deum, atque nos impellit ad quædam media adhibenda, ut illi placeamus. *Nicole in Tractatu de Oratione cap. 5.*

Solatium, quo afficitur, qui pura intentione operatur.

Quodnam solatium est sibimet dicere posse, nihil amitto, omnia in quæstu pono ad æternitatem comparandam; minimæ etiam actiones meæ fiunt coram Deo pretiosæ: omnia magna sunt, ea etiam, quæ minima; aquæ scyphus pro me pauperi oblatus, *non perdet mercedem suam*. Sexcentæ exiguæ vitæ actiones extolluntur per charitatem, quæ illas animat, & evehit: hoc modicum semen est, sed germen æternitatis. Avari hujus sæculi nihil negligitis; omnia, minima etiam, in quæstu ponitis; ambitiosi omnia metuitis, quæ vobis officere possent. *Ex manuscripto sermone P. Francisci Catrou.*

Plurimæ actiones fiunt sine intentione, quæ ideo pereunt.

Qui nullam habent intentionem illi sunt, qui per impetum, passionem, consuetudinem, furorem, incuriam operantur, non advertentes animum suæ vivendi rationi, neque ullum sibi finem proponentes, fortuito operantes, & efficientes quidquid occurrit cogitationi. Hæc autem omnia merito carent, atque ad Cœlestis patriæ acquisitionem minimè inserviunt. Cæterum quot hodie ab hominibus probantur, quæ aliquando reprobabuntur a Deo unicè ob intentionis bonæ defectum, cujus judicium, & cognitio ad Deum tantummodo spectat? *Auctor Anonymus.*

Rarò invenitur, qui cum puritate intentionis operetur.

Nihil in mundo æque rarum est ac homo non aliud quærens, quàm Deum. Plerique etiam eorum, qui pietatem profitentur, Deum quærentes, seipsos inquirunt. Inquirunt seipsos in sanctissimis etiam muneribus, ubi Domini gloria non est unum illud, quod quæritur, nisi fortasse, quatenus ad gloriam nostram refertur. Inquirunt seipsos in personis, de illis bene merentur, illas extollunt, eas amant, quia ipsis vel utiles sunt, vel acceptæ. Inquirunt denique seipsos etiam in devotione, atque in bonorum operum exercitatione. In ipsa etiam mortificatione seipsos inquirunt. Amor proprius, qui charitatis igne absumi videtur, ex cineribus suis quodammodo redivivus existit. *P. de la Colombiere Tomo 2. sermonum.*

Ejusdem argumenti.

Da mihi homines similes Josue; cujus manus sint adeo bonis operibus intentæ, & manus adeo rectè in cœlum sublatæ, ut numquam decidant in terram. Da mihi homines in Dei servitio adeo suorum commodorum usores, & gloriæ Dei amantes, ut nihil vel minimum unquam faciant, quod illi non consecrent actuali desiderio unice eidem placendi, quin se ipsos, vel ea quæ ad ipsos pertinent, respiciant. O quàm rarum hoc est, & quam longè ab hac perfectione distamus. Homo qui habet cor suum perfectè in Deum recta intentione conversum, nihil per libidinem, furorem, impetumque conatur. Celeriter eò fertur, quò evocatur, contra propria studia; cum peracta est actio, de hominum judiciis non laborat, ac satis præclarè sibi accidisse putat, si Deo satisfecerit. Quemadmodum inani gloria non intumescit, cum illi res fluunt e sententia; quidquid oppositum accidit, ei molestiam non adfert; non invidet illis, qui prosperos habent exitus; & actiones, quæ minimè nitent, eadem solertia operatur, qua amplissimam quamlibet, & maximè exiles æque ac maximas. Hinc ille semper sibi constat; namque omnia nullo sunt illi discrimine præterquamquod placere Deo, eique gloriam conferre. Verum est in tanta rerum varietate, in hoc æstu negotiorum, quo vita nostra agitatur, necessum esse, ut cor illius aliter afficiatur pro variis lætitiæ, & mœroris, spei, & metus, horroris, & oblectationis impressionibus; sed quemcumque oris habitum induat, numquam animum mutat, intentio ejus, obtutus inhæret Deo, ac semper intrinsecus in hoc situ versatur, itaut si in singula momenta ex eo quæreres, quid ille quærat, dicere verè posset, se hoc unum quærere, ut placeat Deo. *P. Novet Tomo 5. Meditationum.*

Cura, qua intentio nostra dirigenda est.

Non alius nobis esse debet in actionibus nostris finis quàm placere Deo, & ipsum unum quærere: at nisi jugiter nobis, omnibusque motibus nostris invigilaverimus; nisi semper nobismet ab ipso corde nostro diligentissimè caverimus, ita prope nosmetipsos sumus, ut nosmet negligere nullo pacto valeamus. Proprius amor noster adeo industrius est in nobis illudendis, nos verò illusioni illius adeo faciles sumus, ut cum extra se egredi videtur, tunc clanculum veluti per cuniculos illuc ingrediatur, & numquam propior sit, quàm cum remotior videtur. Ut defectum hunc evitemus, sæpe nosmet excutiamus, sed bona fide, cum operamur; numquid in opere hoc, in hoc consilio Deum unicè quæro? *P. Nepveu 3. Tomo Christianarum Considerationum.*

Quid sit puram intentionem habere.

Quid est puram habere intentionem? Est sinceram habere voluntatem placendi Deo, ideoque puram habere intentionem in laboribus, negotiis, atque sui status officiis obeundis, est hæc obire, ut Deo placeamus. Verum quid? num nefas est laborare, vel negotia transigere, ut temporalis hic quæstus recipiatur? Fas proculdubio est hac tamen conditione, ut temporalis hic quæstus spectetur, tamquam medium aliquod placendi Deo, cujus voluntas est, ut victum lucreris, commo-

dius

dius eidem famulaturus. Laborabis ergo potissimum ut illi placeas, & voluntatem ejus perficias; manducabis, non propter voluptatem, qua ex dapibus optimè conditis perfunderis, sed ne communi satisfacias necessitati, quæ jubet te hoc pacto tuæ vitæ consulere, & quia hoc Deus vult. Eleemosynam erogabis, orabis, divinis officiis intereris, non ut pii, devotique hominis famam aucuperis, sed ut opera facias, quæ Deo sunt accepta. *Ex Pedagogo Christiano in argumento.*

Quatenus homines, & quatenus Christiani omnes actiones nostras ad Deum referre debemus.

Quemadmodum hominis conditio longe præstantissima est, quam cæterarum quarumcumque creaturarum, ita agendi ratio debet esse perfectissima. Aliæ creaturæ sine electione operantur, & solo naturæ instinctu ad fines suos feruntur; sed homo, qui rationalem habet animam, homo, quem Deus rectum creavit, consulto & ex ratione, atque judicio debet operari. Nullam efficere debet actionem, quæ ad finem, sibi convenientem non tendat, alioqin peccat; quia a conditione sua degenerat atque recedit. Ita finis hominis, quatenus rationalis, & moltò magis quatenus Christiani non alius est, quàm Deus. Igitur rationaliter, & Christianè vivere, est vivere secundum Deum, eaque facere, quæ lege sua præcipit Deus; atque actiones hominis, ut rationabiles sint, atque æternam vitam mereri possint, necessariò ad Deum, tamqusm finem suum sunt referendæ. *Auctor Sermonum Christianorum; sermone de conditionibus ad bona efficienda opera necessariis.*

Illusio eorum qui bonas actiones efficiunt, quin illas referant ad Deum.

Væ vobis (Christiani) qui plurima per se bona efficientes opera, ea non facitis hoc animo, ut placeatis Deo, sed in illis vosmetipsos, & commoda vestra requiritis: nihil pro Cœlesti gloria feritis, omnia dissipatis. Frustra jejunatis, nisi faciem vestram ablueritis, quemadmodum Dei Filius jubet; hoc est nisi intentionem vestram purificaveritis inutile est jejunium vestrum. Frustra erogatis eleemosynam, si quin illam palam elargiamini, ut hominum plausus, atque existimationem inveniatis, ita latebras non quæsiveritis, ut sinistra manus vestra nesciat, quid dextera contulerit, vanitas vestra vobis erit merces... Tandem aliquando errorem vestrum intelligite, omnes actiones vestræ ob pravas causas factæ nequaquam satæ sunt ad æternitatem; non colligitis, sed dissipatis .... Dicamne cum Sancto Hieronymo hoc ipsum dicere metuente? Martyres Domini sexcentas, si fieri potest, vitas inter sævissima tormenta effundite; Si hoc egeritis hac tantum mente, ut futuris sæculis in admiratione sitis, vel ut fidelium, qui testes fuerint, laudes promereamini, nequaquam effunditis sangoinem vestrum pro Deo, sed illum perditis. Hoc dicens contremisco, at non ego, sed Apostolus ipse hoc inquit. Si corpus meum ignibus tradidero, ita ut inde gloriam aucuper, nihil facio; hoc vitium potius, quàm virtus est; adest quidem pœna, sed causa, quæ martyrium facit, animam videlicet suam perdere propter Dei gloriam, & amorem, non adest. Martyr sum dæmonis, & vanitatis, non JESU CHRISTI. *Idem.*

Quomodo omnes actiones nostræ licet indifferentes meritoriæ sunt, cum ob rectam rationem fiunt.

Soppositis necessariis conditionibus, ut bona fiat actio, ut saltem videlicet in se bona sit, vel indifferens, ut fiat in statu gratiæ, & ob finem bonum videlicet placendi Deo, eique gloriam deferendi; perpendite nunc, & videbitis ne unam quidem in tota hominis Christiani vita actionem esse, præter peccatum, quæ his carere possit conditionibus, & ideo, quæ habere nequeat virtutem, ac meritum, quo æterna mercede fiat digna. Quid igitur, inquies, artifex eo quod scamnum, vel aliud aliquod opus elaboraverit, servus, quia hero suo operam præstiterit, agricola, quia vineam occhaverit, mulier quia exigua quædam domi suæ procuraverit, cœlum obtinebunt in præmium quod bona intentione iis perfuncti fuerunt officiis, quæ ad illos maximè pertinent? Heu! Quæ dignitas, quod pretium deprehendi potest in hujusmodi actionibus, quæ exiles sunt, & nullo ab hominibus habentur in pretio, ut nobismet illas æterni boni possessione dignas esse persuadeamus? Undenam tantum illis meritum, tantumque pondus accedat? Hoc nonne cuilibet cordato viro grave meritò videatur? Verum est, si secundum humanæ sapientiæ regulas feratur judicium hoc parum verisimile, vel etiam ridiculum visum iri; actionem videlicet, cui ne animum quidem advertere dignetur aliquis, & quæ ab hominibus nullo in pretio solet haberi, mereri posse Regnum æternum. Ac nonne ostendimus nullam habendam esse rationem magnitudinis, vel parvitatis actionum in se ipsis consideratarum; neque utilitatis eventus, quia omnia æqualia sunt in oculis Dei, & bona intentio sola actionibus pretium tribuit, earumque meritum constituit? Igitur necesse non est Christianum hominem, ut bona efficiat opera, & cœlum mereatur, magnis actionibus insudare, quæ directè respiciant pietatem, quales sunt oratio, eleemosyna, jejunium, aliæque id genus; quandoquidem ex omnibus, abjectissimis quoque vitæ nostræ actionibus fieri possunt opera bona, & meritoria. *P. D'Argentan Capuccinus libro de Magnalibus JESU CHRISTI. Collatione* 23.

Actiones omnes nullo nobis esse debent in discrimine, quia intentio earum meritum, pretiumque constituit.

Hac de causa nonne quilibet dicere deberet in seipso, contentus sum ea conditione in qua me Deus constituit, & munere, quod mihi credidit Providentia, quia hæc saluti meæ æquè utilia sunt ac reliqua omnia vitæ hujus munera, & quia ex omnibus actionibus meis efficere possum totidem opera bona, quæ mihi æternitatem gloriæ promereantur. Contentus sum, licet magnis ornatus nequsquam sim talentis, neque mihi facultas adsit insignes, fulgidasque actiones operandi, quandoquidem ista Deus non considerat; cumque actionis meritum metiri oporteat ex gratia, quæ possidetur, & ex intentionis sanctitate, possum utriusque tantumdem, immo etiam plus habere minimum aliquid agens, ac si maxima quælibet, & spectatissima operater. Nullo igitur mihi esse debet in discrimine quod ago, dummodo hoc recta peragam intentione. *Idem.*

Ex bona, vel prava intentione judicium fertur de pulchritudine, vel deformitate animæ. *Bern. Serm. 40. in Cant.*

Sancti Bernardi sententia est, intentionem esse veluti vultum animæ, & in hac intentione duo esse, objectum videlicet, & causam; quæ absolutè sunt necessaria, ut de illius pulchritudine, vel deformitate feratur judicium. Ita cum anima nostra aliis impellatur rationibus ad munera sua obeunda, cumque in legis observatione, non sine mira perturbatione Deo contumeliosa quærat aut gloriam, quæ ad ipsam non pertinet, aut humanam voluptatem, vel pietatis operibus utatur, ut temporalibus suis negotiis consulat, inanem hominum existimationem sibi concilians; delet hujus pulchritudinis signa, omnem illius nitorem corrumpit importunis nebulis, quas suæ offundit faciei, contrariom sibi proponens finem sanctitati, quam ex Christiano exigit Deus, & honori, quem Deo adhibere debet Christianus. *Ex libro, cui titulus: Sermo de puritate intentionis, deque rationibus ad eam perveniendi.*

Dei magnitudo postulat, ut pro ejusdem gloria operemur.

Dei postulat magnitudo, ut ille ipse fiat objectum, principium, & finis omnium actionum nostrarum; & homo propter imbecillitatem suam omnia ad Deum referre tenetur, ut meritum habeat, & gloriam consequatur. Non alia nobis superest via ad Patris hujus cœlestis perfectionem imitandam, nisi quod Deus nobis id omne fit, quod Deus sibimetipsi est. Per divinæ adoptionis caracterem facti sumus homines divini; ideoque eam vitam vivere debemus, quæ ab Divina hac essentia, quam recepimus, non abhorreat. Creaturæ igitur nequeunt ullam amplius habera partem in iis, quæ facimus, & Deus unus esse debet objectum, principium, & finis earum rerum omnium, quæ aggredi possumus; ac seipsum dedecorát, qui ob minus nobilem, sublimemque finem operatur. *Idem.*

Vestra

Inutiles actionum earum, qui illas non referunt Deo.

Vestra quidem sententia, quid aliud faciunt illi, qui omnes actiones suas non referunt ad Deum, quemadmodum ad fidelium salutem Evangelii prædicationem referebat Apostolus; quid aliud inquam faciunt, nisi quod aerem feriunt; quandoquidem ebaritate, quæ omnia refert ad Deum, destitutæ fiunt veluti *æs sonans, & cymbalum tinniens*. Quid, iterum dicam, quid aliud faciunt qui ob humanas, terreasque causas agunt, nisi quod in irritum currunt? quandoquidem apud Deum reliqua omnia non aliud sunt, quàm vanitas; nihilque solidum est, præter ejusdem amorem. Igitur nequaquam agendum est propter creaturas, ne evellant nobis pretiosum diadema, quod est pretium nostræ fidelitatis, & merces puræ intentionis, rebus in omnibus habendæ, quæ quidem est legis plenitudo, quia perfectus est amor. Etenim si corona hæc est *corona justitiæ*, quænam justitia esset, si Deus, qui est corona Sanctorum, esset Remunerator eorum, qui ad majorem nominis sui gloriam minimè adlaboraverint? *Idem Sermone de puritate intentionis.*

Quo in sensu intentio sit velut oculus animæ. *Serm. 21. in Matth.*

Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit; si autem oculus tuus fuerit nequam: totum corpus tuum tenebricosum erit. Nihil in hæc verba magis appositum legi potest, quàm quod legimus in Commentariis, quos D. Chrysostomus in Sancti Matthæi Evangelium est elucubratus. Spiritus, Sanctus hic Doctor ait, animæ id est, quod oculus corpori. Sed quemadmodum in corpore, cum lumen oculorum extinctum est, necesse est, ut alia membra ab actione cessent; ita cum animæ lumen obscuratum est, statim infinitis illa malis obruitur. Ita quandoquidem potissima in iis, quæ ad corpus attinent, cura est oculos tueri, potissima quoque pro anima sollicitudo sit, servare rationem docentem, cum a Deo habeamus quidquid sumus, huic uni referendum esse, quidquid operamur. Quod si semel tenebras offuderimus illi, quod lumen in cætera debet effundere, quid quæso nobis reliquum erit nisi profunda cæcitas? Quemadmodum qui fluminis fontem claudit, statim totum alveum exsiccat, ita qui obscurat animam omnium actionum nostrarum, videlicet intentionem, eodem tempore in omnem vitæ rationem tenebras jacit. *Idem.*

Deo serviendum est, non propter præmium. *Bern. Serm. 4. de divers.*

Quamvis utile sit peccatoribus animo in infernum usque descendere, atque oculos in cœlum attollere, ut sese ad virtutum exercitationem excitent; certum est, Patrem misericordiarum, qui scit nostram infirmitatem non semper electos in hoc statu relinquere, qui servitutis, & cupiditatis potest appellari, sed uti eodem tamquam via, qua illos ad charitatem, integerrimumque amorem adducat. Non ideo putandum est, Deum sine præmio esse diligendum, sed toto cœlo perfectius est ea in opera, quam illi præstamus, nullam haberi præmiorum rationem: *Non sine præmio diligitur Deus, etsi absque præmii intuitu diligendus sit*; alioquin mercenarius est amor. Vult Deus simplici corde quæri, hoc est, nihil vult æque ac se, nihil extra se, nihil post se quæri: *Non aliud tamquam illum, non aliud præter illum, non aliud post illum. Idem.*

Idem tract. de dilig. Deo.

Qua in re secundum D. Thomã puritatis intentio consistat. *S. Thom. opusc. 18. c. 5. 1. Cor. cap. ult.*

Amare Deum ex toto corde, quemadmodum Div. Thomas explicat, quid aliud est, quam ad illum omnes actiones nostras referre? Quid illum ex tota anima diligere, quàm omnem amorem ad Dei amorem referre? Quid illum ex tota mente amare, quàm mentem sub illius obedientia in servitutem redigere? Quid tandem omnibus amare viribus? quàm, ut inquit Apostolus, cum amore facere, quidquid facimus? Itaque juxta ideam hanc puritas intentionis in hoc posita esset, quod Deum ex toto corde, tota anima, tota mente viribusque omnibus diligeremus. Hæc proculdubio fuit S. Augustini sententia, affirmantis virtutem non aliud esse nisi summum Dei amorem. *Virtutem nihil omnino esse affirmaverim, nisi summum amorem Dei. Idem.*

De moribus Eccl. c. 15.

Bona, quæ præcipiuntur ex ratione agendi propter metum Dei. *S. Basil. in regul. fus. disput.*

Quicumque, Sanctus Basilius inquit, Dei præcepta propter metum servaverit, atque jugiter trepidabit, ne sibi negligentiæ suæ pœnæ luendæ sint; næ ille quidem diligentissimè cavebit, ne eorum, quæ præcepta sunt, partem adimpleat, reliquam verò partem negligat; e contra in singula momenta metuet, ne subeunda sibi sit pœna debita cuilibet actioni, inobedientiæ, & contemptus legis. Hac de causa Sapiens ait, *Beatus homo, qui semper est pavidus*. Hæc animæ suæ dispositio illum in veritate constituit, atque in hoc statu ponit, ut cum Propheta dicere possit. *Providebam Dominum in conspectu meo semper: quoniam a dextris est mihi, ne commovear.* Et sapiens hæc circumspectio causa est, ut nihil prætermittat eorum, quæ sibi facienda sunt; ideoque alibi David ait; *Beatus vir, qui timet Dominum*, quare? quia *in mandatis ejus volet nimis.* Unde certissimè infertur, neminem eorum, qui timent Dominum, ullum ex præceptis ejus omittere, vel oscitanter explere. *Idem.*

Prov. 28.

Nobis cogitanda ratio est, propter quam Deo famulamur, & omnes actiones nostras perficimus.

Positis tribus diversis rationibus, quæ christianos omnes, ut ita dicam, partiuntur, eosque ad Deo inserviendum impellunt, alios quidem propter suppliciorum metum, alios propter spem præmii, alios denique propter amorem, & charitatem, triplex quodammodo fidelium status existit. Nostrum autem interest, nosmet diligenter excutere, ut liqueat ad quænam ex tribus hisce statibus pertineamus. Fortasse inveniemus etiam nobis neque satis timoris Dei, neque satis cupiditatis futurorum bonorum, & minus adhuc charitatis inesse; etenim sexcenta sunt, in quibus quotidie elucescit modicum fidei, quod in officiorum nostrorum, divinorumque mandatorum observatione præstecimus. Ita videbimus nondum nos fortasse incœpisse primum proferre pedem, ut tendamus ad Deum, & acquiramus puritatem intentionis, quæ nihilominus tantæ necessitatis est ad perfectionem acquirendam. *Idem.*

Mysticorum quorumdam sententia de majori puritate intentionis.

Mystici quidam supremum puritatis intentionis gradum in eo statu constituunt, quem *summa indifferentia* nuncupant; & volunt etiam hanc ipsam affectionem in spiritualibus bonis servari: ita ut anima, cui in actionibus omnibus objectum Deus est, nullo habeat in discrimine, utrum Deus illa per ariditates, an unctiones; per tædia, an consolationes, per tenebras, an per lucem, per gaudium, an per tristitiam; per amaritudines, an per suavitates adducat: verbo utrum Deus cor ejus coarctet, an effundat; dummodo fiat voluntas illius, & quidquid vel facit, vel patitur, Deo acceptum sit, se nimis beatam putat, quia de Deo non ex carnis gustu, sed ex cordis sensu judicat. Hoc unum illi solatii loco est, scire Deum esse Deum suum, atque hoc ipsum in æternum sibi futurum, ac se numquam nonnisi propter illum operaturam. *Idem.*

Sententia Pici Mirandulani.

Deus, inquit celeberrimus Picus Mirandulanus, hominem post cætera creavit, ut videns inferiora qualibet animantibus ratione carentibus distributa, intelligeret Deum unum suam partem esse debere; ideoque non aliud quæreret præter Deum, confitens, quantum anima præstat corpori, & homo brutis, tantùm finem, quem omnibus in actionibus suis sibi proponere debet, & intentionem, quam debet habere, præstare cæteris creaturis, atque hoc intuitu a terrenis rebus, quibus circumdatus est, seipsum avelleret, ut Deum unum in corde suo imperium exercere relinqueret. Oportet ergo, in illo miram fieri perturbationem, cum aliud quærit, quàm Deum, vel cum agit propter alium quemlibet finem, quam ut placeat Deo. *Idem.*

Quomodo puritas intentionis possit acquiri.

Quemadmodum hanc intentionis puritatem acquirere non possumus, nisi prout amor terrenarum rerum, atque nostrummetipsorum imminuitur;

tar; nibil enim magis oppositum inveniri potest, quàm Deus, & mundus, amor proprius, & amor divinus, eo quod, ut Sanctus Augustinus ait, alter quidem nos impellit, ut omnia Deo præferamus, alter verò, ut rebus omnibus, & nobis quoque metipsis præferamus Deum: ita, ut nos ad hanc puritatem Sanctus Joannes Apostolus sevocet, etiam, atque etiam hortatur, ne mundum diligamus. Immo longiùs adhuc procedit, ac prohibet ne quid eorum diligamus, quæ mundum componunt. *Nolite diligere mundum*; Apostolus inquit, *neque ea quæ in mundo sunt . . . . Quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*. Si cupitis ergo intentionis puritatem acquirere, abdicandus est hic amor mundi, nulla bona illius peroptanda sunt; unde sequetur, nobis non aliam futuram intentionem nisi placendi Deo, & pro gloria illius laborandi. *Idem ex parte*.

1. Joan. 2.

Ibidem.

Christianus nil cupere, cogitare, spectare debet, quam Deum.

Non solum operam dare tenemur, ut cor nostrum, nostramque intentionem ab illa immixtione emundemus, quam creaturarum amor ibi posest efficere; insuper hoc ita efficiendum est, ut, per fidem nostram fiamus bonus odor JESU CHRISTI, uti Sanctus Paulus ait, ut illum ad nos trahamus, eique placeamus. Ex quo ille cor nostrum ingreditur, nos illius templa sumus, & sanctuaria; ideoque omnia illi sacra esse debent. Quemadmodum in Templa, & Sanctuaria nefas est prophani quidquam inseri, ita non aliud nobis esse debet desiderium, quam placendi, non alia intentio, & mens, quàm efficiendi voluntatem ejus, atque gloriæ ipsius omnes cogitationes, verba, actionesque nostras devovendi. Quàm essemus injusti, si in alios usus converteremus, quod illi sacrum est! Hæc sanè esset *abominatio desolationis* in Dei viventis sanctuario iniquitatis vestigia servare, vel ibi ipsam statuere iniquitatem prava aliqua intentione. *Idem ex parte*.

Recta intentio ratio est, qua præceptum de diligendo Deo servare facilè possumus.

Quandoquidem tenemur diligere Deum tamquam summum bonum nostrum, satin, qua facile, ac rite hoc adeo justo munere persungamur, Sanctus Thomas ait, est ad illum omnes actiones nostras referre per intentionis rectitudinem, quæ illum tamquam postremum finem, & scopum suum intueatur. Nulla rectior est intentio, quàm quæ recta semper tendit ad Creatorem, quin umquam creaturas versus inclinet; quæ unicè quærit quomodo placeat Deo, quin vel sibi, vel aliis satisfacere laboret; quæ Dei unius gloriam consectatur, quin illud curet, utrum inde sibi existimationem, an contemptum sit conciliatura; quæ reliqua omnia præter Domini sui gloriam nullo habet in discrimine; quæ denique non aliud, nisi Dei sui consilia adimplere conatur. *P. Hainsuve parte 3. de Ordine Sermone 16.*

Bona intentio efficit, ut animam sanctam habeat indifferentiam.

Omnia nullo in discrimine fiunt animæ rebus in omnibus puram intentionem habenti; æque parata est ad nihil, & ad multum faciendum; parata ad calamitates æque ac gratias, contemptum, paupertatem, molestias, æque ac honorem, opes, solatia recipienda, etenim quodcumque illi divina dignetur immittere Providentia, ibi semper rem suam, voluptatem, & requiem inveniet, dummodo in tanta hac rerum varietate habeat intentionem placendi Deo, voluntatem ejus implendi, ac sese mandatis illius conformandi. Deo uni satisfacere quærit, neque interest sua, quo pacto eidem satisfaciat. Id habet, quod cupit, statim ac habet intentionem efficiendi ea omnia, quæ illi placitura cognoscit. *Idem*.

Præstantissima ratio omnes actiones suas propter Deum efficiendi.

Facere nequeo quo minus istic in animarum sanctarum, quæ ad perfectionis apicem contendunt, gratiam, præstantissimum in medium afferam modum intentionem dirigendi; qui quidem est omnibus in actionibus intentiones nostras cum Dei intentionibus consociandi, ita ut actiones ita efficiamus perinde ac unus ille pro nobis faceret, vel illas ipsi cum eodem faceremus: eadem prætor propter ratione, qua Sacerdos Domini Minister Divinum celebrans Mysterium idem offert sacrificium, quod JESUS CHRISTUS obtulit in Cruce, atque sacra verba pronuntians nequaquam in propria loquitur persona, sed in persona summi illius Sacerdotis, quem exhibet in actione hac adeo augusta, ubi Salvator ipse æque Sacerdos est, atque Hostia: Qui hoc pacto vivit, non aliud præstat, si dicere fas est, nisi quod Domini sui actionem sequitur, quia nonnisi eadem intentione operatur. Hoc in sensu fortasse dicebat Apostolus se non vivere, at in se vivere JESUM CHRISTUM; quia non solum propter illum duntaxat operabatur, sed cum illo, iisdem rationibus, iisdemque intentionibus, ac ille. Profectò si sancta est consuetudo actiones, & passiones nostras Salvatoris actionibus, & passionibus consociare, quod efficis, ut Deo sint magis acceptæ; non video, cur agere non possimus iisdem intentionibus, quibus ille operabatur. Si nostras cum illius intentionibus conjunxerimus, quas sanctissimas, & perfectissimas esse non ignoramus, nonne actionibus, æque ac intentionibus nostris meritorum fiet ingens accessio? *Idem*.

Quanta utilitatis sit Deo bona intentione placere.

Ut nosmet exciremus ad habendam omnibus in actionibus nostris intentionem placendi Deo, & efficiendi, quidquid illi acceptius futurum est, meditari sufficit, ac justam concipere ideam felicitatis eorum, qui Divinæ huic placent Majestati, cui quidem felicitati nulla par potest excogitari. Sanctus Chrysostomus insanum putat eum, qui non contentus placere Deo, quærit, vel cupit ampliorem actionum, & laborum suorum mercedem. Pater magnificum Filii sui exornare cupiens elogium in ejusdem Baptismate, atque transfiguratione, omnia his verbis complexus: Filius meus dilectus in quo mihi complacui; & sane nihil sublimius dici poterat. Ecclesiasticus texere volens encomium Henoc, omnia verbo unico protulit dicens: *Henoc placuit Deo*; cumque Deus ipse Davidem celebrare voluit, quid aliud dixit nisi quod illum juxta cor suum sibi invenerat? *Inveni David virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas*. Eheu! ponderate, uti opus est, quid sibi velit placere Deo, quod idem est, ac dicere, esse secundum cor Dei, talem esse, quales nos esse desiderat Deus: eodem fere pacto quo opes avaro placent, voluptates impudico, & honores illi, qui gloriæ cupiditate intumescit. Creditis ne, si Dei ope hoc intellexeritis, ullam rem, licet molestissimam a vobis æquo, libentique animo suscipiendam non esse, ut illi placeatis, vel posse vos vobismet præstantius consilium proponere, vel rectiorem, æquioremque intentionem habere? *P. Suffren in tractatu de pura intentione*.

Eccli. 44.

Act. 13.

Bona intentio bonas efficit omnes actiones nostras, iis exceptis, quæ ex se pravæ sunt.

Intentio bonam efficit actionem, quæ per se est indifferens, illam attollens, eique suam perfectionem, & bonitatem communicans. Solatia enim, negotia, visitationes, urbanitatis officia, amicitiæ, rei domesticæ cura, bonorum suorum conservatio; actiones omnes, quæ ad hoc pertinent tempus, per bonam intentionem ad supernaturalem evebuntur ordinem, & ad æternitatis acquisitionem conducunt. Illæ verò, quæ suapte natura pravæ sunt, omnino cum intentione bona consociari non possunt. Quid enim pro bona intentione intelligitis, nisi voluntatem placendi Deo, dum illum lacessitis, eidem inserviendi, dum illius mandata perstringitis? Nemo unus negat, actionem solam nequaquam sufficere, ut placeamus Deo, & voluntatem ejus faciamus, quia ille cor nostrum postulat; sed eamdem ob causam neque sola sufficit intentio: præcipit enim Deus ut a malo, & ab omni specie mali abstineamus; quod sanè inutile, & prorsus supervacaneum esset præceptum, si ut nostris persungeremur officiis, intentio tantùm bona sufficeret. *Auctor Anonymus*.

De bona, pravaque intentione generatim.

Certum est generatim nihil in actionibus nostris magis spectandum esse, quàm bonam, pravamque inten-

intentionem, & hanc, juxta Patrum doctrinam, illum esse oculum, de quo loquitur Evangelium, qui efficit omnes actiones nostras lucentes, atque tenebricosas, prout ille perspicax fuerit, vel caligaverit. Jure dicuntur minimæ etiam actiones purissimis peractæ intentionibus magni esse meriti coram Deo, ac toto cœlo superare posse actiones maximas, quæ minus pura intentione peraguntur. *Auctor Anonymus.*

Prava intentio efficit, ut bonarum actionum fructum amittamus.

Sanctus Gregorius hunc Jobi locum explicans: *Spes hypocritæ peribit*, ait hypocritam ea efficientem, quæ in speciem bona videntur, non quærere quomodo placeat Deo voluntatem illius adimplendo; sed quomodo plausus, atque existimationem hominum aucupetur: hæc illius intentio est, hoc unicè curat; hæc pariter tota merces est, quam debet præstolari. Credere enim Deo acceptum fore, quod propter illum non facit, inanis prætensio est, neque ullo pacto hoc illi spetandum est.... Deinde sanctus hic Doctor addit, eum, qui quin Deo placere contendat bonis operibus, hominibus tantùm placere studet, ac non alium habet finem nisi hominum plausus, pro vili desérit pretio, quod magni constat, quia hoc sibi comparare valens regnum Cœlorum, inde non aliud nisi perfunctoriæ existimationis fluxum, ac fragile bonum requirit. Quisnam major abusus, quæ gravior dementia fingi potest, quam plurimum adlaborasse, & plurimas præclaras actiones gessisse, ut tandem vacuis manibus nullus fructus perciperetur? *Ex Tractatu P. Rodriguez, de puritate intentionis.*

Duæ qualitates, quæ requiruntur ad hoc, ut actio sit bona.

Ut actio rationabilis fiat, duæ requiruntur qualitates; altera quidem, ut in se bona sit ac divinæ legi nequaquam contraria; altera ut per intentionem ad Deum, tamquam ad finem suum referatur. Actionis bonitas in se corpus actionis vocatur, & relatio ejusdem ad Deum quatenus ad finem, actionis anima dicitur. Ita quæcumque actio in se bona est, sed ad proprium finem nequaquam refertur, corpus sine anima vocatur; ita ut secundum hanc doctrinam, frustra bonæ actiones fiant, nisi eas faciens sibi Deum pro fine constituat: si propter alium quempiam finem illas operetur, quantumvis bonus hic videatur, ibique immoretur, quin progrediatur ulterius, hæc profecto opera sunt materialiter bona, sed minimè sunt veræ virtutea, quæ gloriam, æternumque præmium mereantur, quia veræ virtutis anima, relatio videlicet ad finem suum, ibi desideratur. *Ex Christianis sermonibus, sermone de conditionibus ad bona opera efficienda necessariis.*

Deus præsertim secundum intentiones nostras nos judicabit.

Sacer textus admonet, Deum, ubi tempus acceperit, *justitias* quoque esse judicaturum. Judicabit ille quidem non corpus, sed animam actionum nostrarum. Non ponderabit jejunia, eleemosynas, austeritates in seipsis, sed scrutabitur altitudinem abyssi cordis nostri, unde prava consilia, pravæque prodeunt actiones: ad examen revocabit quidquid sanctius, vel minus imperfectum in oculis hominum fecerimus, sedula cura perquirens finem, causamque virtutum, quas ipsi exercuerimus. Inspiciet, utrum hominum plausus, & mundi existimatio primæ fuerint bonorum consiliorum a nobis initorum causæ, & si in nobis aliquem ex his defectibus invenerit, nequaquam fiemus Regni Cœlestis participes; quia nonnisi mendaces virtutes inveniet, cum verum virtutis meritum a bona intentione dependeat. *Auctor Sermonis de puritate intentionis, cujus superius meminimus.*

Puritas intentionis via est quamprimum ad sublimiorem perfectionis gradum perveniendi.

Si omnes actiones nostras ad majorem Dei gloriam efficeremus, quamprimum illum perfectionis gradum assequeremur, quem omnes Asceticæ vitæ Magistri etiam, atque etiam commendant, omnia videlicet ad unitatem redigendi. Etenim rebus in omnibus non alium spectantes, quam Deum, & in actionibus omnibus propter Deum tantummodo agentes, hæc rationum, & intentionum multitudo, quæ ut plurimum cor, & mentem partitur, in hoc unico Dei intuitu subsistet, in unica hac amoris Dei ratione; nullumque aliud animæ objectum supererit, quàm solus Deus. Ita ille, qui semota qualibet consideratione rationum earum, quæ ex creaturis desumuntur, Deo tantum vacat, ac solo Dei sui flagrat amore, hic jam assecutus est sublimem hunc perfectionis gradum, omnia videlicet redigendi ad unitatem. Quod si huic objecto aliud quodpiam consociat, quod ille respiciat, quin illud referat ad Deum, unitate excedit; contumeliam infert huic magnitudini, coram qua omnia fiunt adeo minuta, ut penitus evanescant. At quamnam percipimus utilitatem Deo hac ratione inservientes? Satis animo assequi nequaquam licet, quàm longè hæ rationes puri amoris Dei, & gloriæ ejusdem excedant alias quaslibet rationes, non moralium tantummodo virtutum, verùm etiam supernaturalium; quàm differat exempli gratia aliquid efficere ut Deo placeas, sanctamque illius voluntatem adimpleas, ac idem operari, ut æternam mercedem assequaris; cum utriusque hujus intentionis mensura desumatur ab eo discrimine, quod inter Dei, & creaturæ gloriam interest, inter quæ nulla sanè proportio invenitur. *Ex Tomo 1. Spiritualium Epistolarum P. Surin.*

Quænam merita acquirat, qui semper pura intentione operatur.

Quàm præstat nobis ob sublimes hujusmodi rationes operari, quàm propter alias quaslibet, quarum utilitas propria primum est principium, & causa? Quis non videt animam, quæ in hac puri amoris integritate solidata est, & quæ ex hoc tantum principio operatur in minima, facillimaque actionum omnium plus mereri, quam alia, quæ ex alio operata principio maxima, ac difficillima quæque agens non meretur, quia actionis materia parum consideratur, ubi comparetur cum intentione, quæ est tamquam anima actionis, huic vitam, & virtutem impertiens? Quàm facile possumus locupletari, nisi animus desit nosmet ad sublimem hanc agendi rationem evehendi! Quàm spiritualium bonorum copiam, quos gratiæ, & gloriæ thesauros congregare possumus, si velimus? Denique quidnam sublimius est quàm non aliam nisi divinæ gloriæ curam gerere, non aliam intentionem, neque voluntatem, nisi illam, quam Deus habet, habere? Fingine potest ulla hac major spiritus magnitudo? *Idem.*

Conditio ad bonam intentionem necessaria.

Isthic detegendus est abusus, in quem plurimi viri boni, sed nondum satis perfecti, ac spiritales labuntur; videlicet quod plures in se bonas actiones aliasque indifferentes operati credunt se illas cum recta intentione peragere hoc prætextu, quod illas offerunt Deo spiritus elevatione, quin negotium illis facessant dispositiones aliæ, quas puritaa intentionis requirit. Homines hujusmodi, quàm longè falluntur! Recta, quæ ad sanctitatem ducit, intentio, in corde præter hanc mentis elevationem ad Deum, construere debet puritatis principium, quo actiones nostræ perfectæ efficiantur; videlicet, opus est, ut actiones nostræ fluant ex corde perfectè adeo in Deum converso, ut omne vitiosum, ac humile principium excludat, & nullam patiatur immixtionem propriæ voluptatis, vel humani respectus, vel aliam quamlibet causam, quæ efficiat, ut malum in eam, quæ fit, actionem obrepat. *Idem.*

Quomodo pura intentio sit adhibenda.

Nullum in corde affectum admitte, nisi qui Dei honorem, & gloriam respiciat. At in hoc ipso Deum unicè specta, puraque intentione mentem tuam jugiter in Deum converte, quin illam patiaris sese ad terrenas considerationes, ad desideria hominibus placendi, ad timores eisdem displicendi, ac non satisfaciendi, submittere. Quicumque enim fidelem hanc fovet mentem placendi Deo, eumque in omnibus spectat, hic sanè Divino Spiritu regitur, & animatur. Hac ratione fruitur libertate filiorum Dei, non aliud quærens quàm Deum, non aliud considerans, ac timens quam Deum. Denique hoc pacto verus

amor

amor, purus Dei amor in corde efformatur. *Idem.*

Omnes rationes, quas in actionibus nostris habemus huic referendæ sunt, videlicet efficiendi voluntatem Dei.

Ratio vera agendi cum Deo hæc est, quod omnes animæ nostræ facultates divinæ voluntati efficiendæ, ejusque gloriæ augendæ penitus vacent. Ita ut quæcumque creatis rebus applicatio impendatur, creaturæ rationem minime habeamus, nisi quatenus ad Dei gloriam refertur. Ita quod pro creatura facimus, omnem a Deo originem, atque virtutem percipere debet; & affectus, quo creaturam prosequimur, differre non debet ab amore, quo prosequimur Deum; sed ille hujus quædam veluti extensio esse debet, divina ratione sibimet dominanti potestate subjiciente; videlicet, ut agamus ea puritate intentionis, qua debemus, in actionibus nostris non alia admittenda est intentio, quàm placendi Deo, ejusque gloriæ inserviendi. *Idem.*

Homo eumdem habere potest finem quem Deus in actionibus suis, per intentionem.

Mira hominis elatio non alium suæ essentiæ, suarumque actionum habere finem ab eo, quem Deus habet in suis, qui illum agere facit ob easdem causas, qui facit, ut ipsi tantùm placere, ipsum laudare, & celebrare contendat; qui facit tandem, ut credat, quemadmodum Deus omnia propter illum creavit, ita nihil esse, quod homo non propter Deum facere debeat: *In gloriam meam creavi illum.* Verùm animadverte, ut hanc sequatis impressionem, quæ hominem ad suum finem adducit, opus esse quodam machinamento, primoque principio, quod illum ad eumdem trahat. Hoc autem quod est? Intentio, de qua loquor, quæ talis est, ut sexcentis in occasionibus ipse una constituat essentiale discrimen, quod inter actiones nostras invenitur, quas singillatim in sua specie constituit, ut loquitur Sanctus Thomas; & prout bona, vel mala est, actionem bonam efficit, vel malam. *Sermo Manuscriptus.*

Intentio bona actiones nostras attollit, & per hanc de illis judicat Deus.

Ex intentione actiones nostræ bonitatem recipiunt, quam ex se ipsis non habent, hæc illas attollit, perficit, sanctificat, hæc illis decorem impertit, & Dei oculis reddit acceptas. Hæc ratio est, propter quam intentio a Sanctis Doctoribus vocatur anima actiones animans nostras, & forma illas vivificans, illis sanctitatis caracterem imurens, easque in Dei jura, ac dominium traducens. Insignem habeo (Fratres) Sanctus Augustinus hoc in argumento ait, quam vobis aperiam, veritatem, & quam vos callere maximè decet. Deus, quem essentiæ suæ dignitas toto cœlo super homines evehit, non uti homines, de rebus judicat; Illi enim extrema, mendacique specie contenti, quam actiones nostræ præseferre possunt, non aliud requirunt ultra, ut æquam sententiam ferant, atque ut illas bonas existiment, quia in ipsorum oculis fulgent. Deus verò, qui renes scrutatur, & corda, non hæret in cortice; intima quæque intuetur, & ad examen revocat finem, proper quem operamur .... Non igitur ex iis, quæ facimus, Sanctus hic ait, earum meritum existimandum est; sed ex fine, quem illas facientes nobismetipsis proponimus. *Officium nostrum, non officio, sed fine pensandum est.* Cum tutò judicium ferre cupimus, minus cogitandum est utrum quod facimus bonum sit, quam utrum ratio propter quam illud facimus sit laude digna. *Idem.*

Per intentionem minima quæque magna fiunt.

Inter quos cancellos eæ continentur actiones, quæ vitam nostram componunt? Scimus illas in iis rebus consistere, quas propter earum parvitatem offerre Deo nos puderet, nisi nobis esset persuasum, Deum ex nobis hunc honorem perquirere; somno membra recreare, cibo se reficere; negotiis vacare, officiis, quæ singulorum statuum propria sunt, persungi, nonne ea sunt propter quæ operamur? Quid infirmius, quid levius? sed si affecti voluptate placendi Deo ista propter ipsum facimus, nonne magna, & pretiosa fiunt in oculis ejus, & nonne illa meritò nobis adscribit, ita ut nihil ultra expectare valeamus? *Idem.*

Sine recta intentione maximæ quævis actiones coram Deo nihil sunt.

Omnia opera nostra bona non sunt, nisi cum christianam induerint intentionem. Facite quodcumque libet heroicum, & magnum; hortamini, orate, ædificate, prædicate, jejunate, mundum universum convertite, martyrium ipsum subite; at hæc omnia, nisi recta adsit intentio, nihilum putate. Cur istud, quæritis? quia sine illa omnes actiones, quæ adeo nitent, steriles sunt, atque nullius pretii. Quod fit, bonum quidem est, at non fit, uti opus est. Quid unquam deest? Intentio, quæ est veluti forma actionem determinans; hoc opus misericordiæ, exempli gratia, bonum est; sed quia voluntas illud efficiens recta non est; nullius erit meriti. Quid porro illam rectam facit? Pietas, charitas, intentio agendi propter Deum, eumque glorificandi. *Idem.*

Purissima intentio est rebus in omnibus Dei gloriam inquirere.

Sæpe nosmetipsos colligamus, & cogitemus nos creatos non fuisse, & hoc in mundo non esse, nisi ut serviamus Deo, & gloriam illius procuremus. Illi igitur serviendum est, atque gloria ejus quærenda in iis omnibus, quæ faciemus, loquemur, patiemur; omnia ad hunc finem referenda sunt, quemadmodum propter hunc finem creati fuimus: & egregiè facit, qui quotidie mane Deo omnes offerre consuevit dici illius actiones hac intentione: sed plurimi hoc faciunt, quin eam cogitent obligationem, quæ in hac oblatione comprehenditur. Ita se ipsos in plerisque actionibus sui requirunt, & quodlibet aliud spectant, quàm gloriam illius, qui unicè amandus est, & cui uni serviendum. Eheu! cogitemus nobis hac animi affectione vivendum esse, atque moriendum, quia propter hoc tantummodo sumus, neque aliam umquam intentionem habere debemus. *Auctor Anonymus.*

Pauci in actionibus suis rectam habent intentionem.

Pauci sunt, qui sublimibus hisce divinisque moveantur rationibus voluntatis Dei, gloriæ Dei, consilimrum Dei adimplendorum. Plerique, de iis etiam loquar, qui Deo servire profitentur, hac re adeo parum affecti sunt, ut nonnisi aliqua emolumenti, honorisque sui ratione moveantur, ut in aliquo obeundo negotio extremum capiant consilium. Solæ humanæ rationes in eorum deliberationibus prævalent; voluntas eorum semper in hanc partem inclinat; si opus aliquod sibi inutile futurum putant, illud apertè subire detrectant; quidquid faciunt, ad eorum utilitatem refertur; vel saltem non agunt unicè, ut Dei voluntatem efficiant, ut Deo placeant, ut Dei gloriam procurent; sed aliquam semper utilitatis suæ rationem admiscent. Hæc profectò insignis infelicitas est, ut ad Dei voluntatem explendam excitemur, in creatis rebus quærendum esse, quod nostræ solatium adferat infirmitati, quasi ad id non satis validas rationes gratia suppeditaret. Ecce nihilominus quò, ut plurimum, redacti sumus. Hæc est querela Auctoris libelli de JESU CHRISTI imitatione cum ait: Ullusne invenietur, qui velit Deo sine præmio inservire? *P. Surin in Dialogis Spiritualibus Tomo* 2.

Intentionis defectus plerasque virtutes nostras irritas facit.

Ratio vera, propter quam Ethnicorum, Hæreticorum, immo etiam Sapientum sæculi virtutes mendaces sunt, hæc est, quod in iis quæ faciunt, non Deum, sed voluptatem suamque utilitatem respiciunt. Hoc ipsum dici potest de omnibus imperfectis Christianis, qui non agunt propter Deum, neque ex fidei principiis, sed ex merè naturalibus causis. Itaque si ullas efficiunt pietatis, vel charitatis actiones, hæ ita sunt humanis immixtæ rationibus, ut ibi vix, & ne vix quidem aliquis supernaturalis bonitatis gradus inveniatur. Quot mulieres, quarum vita non est ad scandalum usque flagitiosa, nonnumquam divinis intersunt officiis, ut videant, & videantur? Quot homines aliis gratificantur, ut honesti, & officiosi existimentur? Quot sese demittunt, ac ex mera urbanitate præ se mansuetudinem ferunt? Nonne officiis certant, suumque profitentur amorem illis, quos intus in corde contemnunt? Hoc nonne ostendit virtutes has esse mendaces? Vera virtus haberi

non

non potest; nisi illam exercere studeas propter Deum; & nisi per ea traducta fuerit pericula, quæ illam confirmarint, solidarintque. *Idem.*

Agere, ut Christianũ decet, est agere, ut placeas Deo.

Agere, ut Christianum decet, est omnia operari hac mente placendi Deo, longe semotis omnibus humilibus, & naturalibus rationibus, quæ ut plurimum homines movent, & ad illas impellunt actiones, quæ æquissimæ, optimæque videntur. Ita Christianus interior, vel qui talis fieri vult, non aliud spectare debet, nisi ut in iis omnibus, quæ facienda suscipit, placeat Deo. Deus hoc vult; Deus hoc petit, hoc Deo acceptum est: hic illius finis est, hic scopus, hoc omnium perquisitionum ejus objectum, & unicum quietis ejusdem centrum. Hæc dispositio vocari potest vitæ spiritualis fundamentum. *Idem Tomo tertio.*

Deus, qui perspicax est, atque omnes cordis nostri sinus, latebrasque scrutatur, ut plurimum, intentionum nostrarum bonitatem remuneratur; quia judicat secundum secretas dispositiones, sine quibus opera, & actiones nostræ quantumvis bonæ videantur, oculis ejus acceptæ non sunt, neque ullum meritum habent.

I N V I D I A.

Dolor ob aliena bona. Zelotypia.

M O N I T U M.



Uamquam invidia sit superbia filia, & mox pariat odium, iram, ultionem, aliaque peccata, qua illius sunt effecta: attamen cum ipsa per se sit peccatum, potest etiam ex se satis copia suppeditare morali, utilissimaque concioni; satis enim constat vitium hoc ex eorum esse numero, qua hodierna die latè dominantur in terris, & quibus ii etiam qui virtutem sequuntur, minimè carent.

Argumentum hoc pertractandi tria potissimum sunt animadvertenda. Primum si velit vitium hoc ex ipsius origine ostendere; videlicet superbia, hoc fiat parcius, & jejunius; neque imitetur Oratores quosdam, qui sermonis argumentum immutare videntur, atque non unam, sed duas habere conciones. Sed satis erit docere paucis ex venenato fonte nihil nisi perniciosissimum prodire posse. Alterum est, ne invidia, qua magnum crimen est, confundatur cum amulatione, & zelo, qua cum noxio hoc affectu aliquam habere videntur similitudinem, sed qua reipse quam longissimè abhorrent, quandoquidem nostros excitant animos, & ad bonum, quod in aliis videmus, imitandum inflammant. Tertium denique est in caracteribus, atque descriptionibus vitii hujus, qua afferentur, evitandas esse Poeticas imagines, quas Prophani quidam Auctores, immo etiam aliqui Sancti Patres concinnarunt, qui hac in re saculi sui ingenium secuti sunt, quod profectò ab hodierno plurimum distat.

Addendum autem puto, quemadmodum non desunt nonnulli, quorum virtus, merita, gratia, naturaque bona ipsis conflant invidiam eorum, qui rebus hujusmodi carent, si hoc attingatur eos, quibus vident alii, excitandos esse, ut censuram quamvis effugiant, neque hanc citant invidiam vel inani ostentatione, vel aliorum contemptu, vel superbia, qua res majorem illis contemptum, quam invidiam gignunt.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus Argumenti Structura.

I. 

Ullum peccatum est, in quo iniquiores judices simus, quàm invidia. Nemo sibimet fateri vult, se invidum esse; nihilo minus nulla hac vulgatior est nota: hoc est primæ partis argumentum. 2. Nemo religioni sibi vertit invidiam suam; nihilominus crimen est gravissimum, hoc argumentum est partis alterius. Duplici verbo: invidia peccatum est gravissimum, & perniciosissimum, cujus funestissimi sunt effectus. Hæc tota est concionis partitio.

Pro parte priori: Duplicem habemus regulam; ex qua judicare possumus utrum peccatum sit commune, necne. Prima est considerare materiam hujus peccati: altera est considerare numerum eorum, qui huic patrando sunt magis obnoxii; quod tamen fieri nequaquam consuevit, ubi agitur de invidia. 1. Illam oculis nostris abscondimus; certum est enim, amorem proprium, qui, generatim loquendo, omnibus vitiis nostris personam inducit, peculiari solertia hoc dissimulare. Nemo unus sibimet confiteri vult se zelotypum, vel invidum esse, hæc enim simul est, & verecundiæ, & infirmitatis confessio. Et sanè alieno tantum merito invidemus, cui clanculum, & in corde æquiores judices nosmet præbemus. Illius, qui invidiæ nostræ objectum est, cognoscimus merita, sed quemadmodum refugimus nosmet illi inferiores fateri, ita nos quoque illi invidos esse fateri nolumus. Hinc fit, ut quærantur, ac inveniantur tandem rationes, ut eum oderimus, quem licet inviti, plurimi facimus; in ejus persona plures deprehendimus defectus alienis latentes oculis; infirmiorem illius partem scrutamur &c. idque ut secreta consolatione nobismetipsis verba dare valeamus, dicentes, nos illius potius odisse vitia, quàm ejusdem meritis invideamus. 2. Si tanta cura nobismetipsis invidiam nostram dissimulare contendimus, multò magis eam alios celare conamur; liquidò enim cognoscimus, ubi illa prodeat, jam infirmitatem nostram ab omnibus agnosci, & quamdam veluti a nobis fieri confessionem, quod illi inferiores sumus, cui invidemus &c. Hoc posito dico 1. nullum esse peccatum hoc vulgatius, si spectetur invidiæ materia, quæ latissimè patet; etenim quidquid vel re ipsa, vel in specie bonum est invidentis oculos afficit; meritum, virtus, gloria, existimatio, divitiæ &c. quæ sigillatim sunt recensenda. 2. dico secundò, homines cujuscumque caracteris, & conditionis in statu suo occasiones invidiæ nancisci, ideoque nullum esse vitium hoc magis universale. Hoc aliis peccatis

non

non accidit; ætas, temperamentum, diversæ occasiones, conditiones variæ, temporis beneficio, liberant saltem a quibusdam pravis animi studiis; sed invidia virus est generale omnium hominum, omnium ætatum, omnium conditionum; utque hæc veritas majorem in lucem proferatur, satis est hæc Sancti Augustini sententia, si ritè explicetur: *Homo vel paribus invidet, quod ei coæquantur, vel inferioribus, ne ei coæquentur; vel superioribus, quod eis non coæquetur*. Verùm etsi ex hisce rationibus, atque inductionibus facilè conjici possit, quàm latè pateat hoc scelus; nullum tamen vitium est, in quo iniquius judicium de nobismetipsis feramus: Fateri non possumus hanc noxam; immo nullum crimen est, quod faciliùs propriæ cognitioni subtrahamus, nullum quod diligentiùs aliorum oculis conemur abscondere &c.

Pro parte altera: nescio quo errore decepti homines invidiæ peccatum sibi religioni minimè vertere consueverint; & quanam occasione illius verecundiam in cordibus suis imminuerint. Numquid, Sanctus Thomas ait, quia cum hæc nota nullam extrinsecus mali speciem præseferre videatur, minus afficit sensus, quandoquidem tota in imis cordis latebris conficitur? Quomodocumque se habeat res, hoc vitium æquè, & imaginatio, & ratio abhorrent, ideoque duabus immoror considerationibus; quarum altera est, invidiam, si in seipsa spectetur, gravissimum esse crimen; altera verò, si illius inspiciantur effecta, vitium esse saluti perniciosissimum. 1. Gravissimum crimen est; ita enim peccatur contra charitatem, quæ fratri debetur; & quemadmodum charitas est virtutum omnium præstantissima, oppositum eidem vitium nonnisi gravissimum esse potest. 2. Invidus contra justitiam peccat, virtutem hanc in latiori sensu sumendo; invidus enim fere semper contra jus, & fas temere in fratrem suum irritatur. Ad hæc nihil perniciosius in effectibus, cum enim inter capitalia recenseatur crimina, fons est aliorum plurimorum, præsertim verò discordiæ, atque dissidii: principium est sexcentarum animi perturbationum, quarum aliæ aliis succedunt, lætitiæ, mœroris, odii &c. Denique efficit, ut passim exerceatur injustitia, & crudelitas, quemadmodum videmus in Saule, qui Davidis gloriæ invidebat, quod factum latiùs amplificari potest, ac tandem inferre, cum hoc vitium gravissimum sit, atque perniciosissimum, ideo summa cura esse evitandum &c.

II. Pro argumento, atque divisione concionis de invidia desumi possunt hæ duæ veritates, quæ continent quidquid hac in re majoris momenti posset afferri.

Prima, invidiam magnum corruptionis principium in corde significare, improbam indolem, superbam, amoris proprii plenam nullumque charitatis, æqaitatis naturalis, neque Christianismi, & Religionis specimen præseferre.

Altera est, peccatum hujusmodi in hac etiam vita præcoci inferno puniri propter cruces, atque tormenta, quæ hoc vitium adfert iis, qui ab eo possidentur.

III. 1. Invidus erga Deum ingratus est; quoniam non contentus iis bonis, quæ divina bonitas largè, effusèque illi donavit, dolore conficitur propter ea, quæ ab eadem aliis tribuuntur; hoc pacto illius Providentiam insimulans, bonorum distributionem vituperans, & quodammodo illi adversatus.

2. Injustus est, & contumeliosus in proximum; illi obtrectans, illum sine causa persequens, & quin ullam succensendi rationem habuerit; atque tandem nihil intermittens, quominus omnem eidem abroget in populo fidem, atque existimationem.

3. Crudelis est in seipsum propter intolerabiles cruces, quas illi hæc figit animi perturbatio; quomodo videre est ex infelici vita, quam & Cain, & Saul in terris vixerunt hac ægritudine agitati.

IV. 1. Invidia quibuslibet virtutibus adversatur, quod vitii hujus proprium est; cum cætera peccata singulis tantummodo vitiis adversentur.

2. Fœdus init cum vitiis omnibus, quorum alia sunt causa, alia effectus, alia tandem adminicula ad eum deprimendum, eique abrogandam fidem, cui invidetur.

3. Causa est plerorumque malorum, quæ in mundo contingunt.

Cum invidia ex diametro charitati sit opposita, illam huic contrariam esse ostendere potes. V.

1. Charitati erga proximum, dolens ob illius bona, & gaudens ob ea mala, quæ in ipso sunt, vel quæ eidem accidunt.

2. Charitati erga Deum; Deo enim succenset, qui dolet ob ea bona, quæ ille distribuit; quamobrem hoc est peccatum contra Spiritum Sanctum, cujus bonitas vel vituperatur, vel accusatur.

3. Obicem deinde statuit effectibus divinæ erga nos charitatis, cujus fontem exhaurit.

Quidquid ad hoc pertinet argumentum potest etiam duobus hisce magis simplicibus propositionibus comprehendi. VI.

Propositio Prima: Malum, quod invidia gignit in mundo, in imperiis, in familiis, omnibusque societatibus.

Propositio Altera: Malum, quod adfert illi, qui eam concepit, tumultum, quem ciet in invidentis animo, dolorem, quem parit, mœstitiam, & desperationem, quæ ultro eam consequuntur; quibus addi possunt mala, quæ in omnem pariet æternitatem, sævum mœrorem quo conficietur videns fortasse æterna beatitudine perfruentem illum, cui invidebat.

1. Quàm perniciosum sit hoc vitium propter malum, quod & proximo infert, & nobis: Quod invidiæ comprehendit effectus, qui hanc animi ægritudinem maximè perniciosam efficiunt. VII.

2. Quàm difficilis sit medicina; omnes enim humanæ considerationes sunt infirma remedia; eæ verò quæ ex Deo, & Religione afferuntur, vi hujus affectus, qui corde potitus est, infirmantur.

1. Hoc peccatum est maximè contrarium Religioni, & naturali æquitati; rationes patent; hoc enim efficit, ut peccatum adeo sit invisum, & turpe, ut nemo illud audeat confiteri. VIII.

2. Maximè contrarium est legi Dei, præcipienti, ut proximum æque ac nosmet diligamus.

3. Maximè contrarium civili societati, ubique enim discordias serit; & causa est omnium dissidiorum, & contentionum.

1. Invidus sibimet nocet, propter dolorem, quo conficitur ob ea bona, quæ videt in proximo, cujus existimationem in populo conatur atterere. IX.

2. Inimico suo malum inferre conatus, bonum procurat, & facit.

1. Invidus injustus est invidens proximo propter naturalia bona, & prærogativas. X.

2. Impius est invidens illi supernaturalia, puta gratias, atque virtutes.

1. Invidus se ipsum infelicem facit propter curas, quibus se ipsum torquet. XI.

2. Detegit maximam imbecillitatem in verbis suis, & colloquiis, quæ ingerit de illius existimatione, cui studet officere.

3. Denique odium sibi conflat actionibus suis propter improbitatem, quam in factis omnibus exercet. *Ex Manuscripto Sermone, qui P. Massillon tribuitur*.

1. Invidia affectuum omnium est ignavissima. XII.

2. Hæc præ cæteris majorem nobis dolorem adfert.

3. Hæc nos ad majora scelera adducit. *Ex Abbate de Monmorel Sermone in 16. post Pentecost. Dominicam*.

1. Invidus sine honore vivit, quia hoc turpe vitium est, quod nemo audet confiteri. XIII.

2. Vivit sine requie, jugiter crudeli agitatus invidia, qua disrumpitur.

3. Sine spe convalescendi, atque veram pœnitentiam agendi. *Ex moralibus Sermonibus*.

XIV. 1. Nihil iniquius invidia; cujus rei jam allata fuerunt argumenta.

2. Attamen quodam in sensu nihil æquius invidia, propter crucem, quam invidentibus figit. *Hæc divisio desumpta est ex quodam S. Gregorii Nazianzeni loco, qui adhiberi potest pro hujus sermonis argumento.*

XV. 1. Invidia peccatum est quod omnes horrent, & oderunt, sed a quo vix sibi aliquis cavet.

2. Diabolicum est peccatum, sed quod sæpe in iis invenitur, qui pietatem profitentur. *Ex Dictionario morali.*

PARAGRAPHUS II.

Fontes, unde hauriri copia potest ad propositas Concionum structuras exornandas.

Sancti Patres. SAnctus Cyprianus egregium edidit hac de re tractatum; cui titulus *de zelo, & livore.*

Sanctus Zeno Veronensis alium de hoc argumento tractatum conscripsit, ubi in id incubuisse videtur, ne quid reliquum faceret, quod desideraretur.

Sanctus Prosper, *libr. 3. de Vita Contemplativa c. 9.* fusiùs hac de re verba facit, invidorumque ingenium, atque improbitatem describit.

Sanctus Basilius eximium habet de invidia sermonem; de qua loquitur etiam *in Hom. 3. in aliquot Scripturæ Sacræ loca*, ubi ostendit, hoc diabolicum esse vitium, neque rationem prætermittit.

Sanctus Hieronymus, *Epist. 27. ad Eustochium*, ubi adferens S. Paulæ Romanæ Epitaphium, scita præbet consilia iis, quibus invidetur.

Sanctus Augustinus, *in Psalm. 139.* docet quænam sit invidiæ causa, & quibus potissimum invideatur.

Idem, *Serm. 38. de Temp.* loquitur de malis, quæ hoc vitium affert, & iis, qui eidem sunt obnoxii, & iis, qui eodem impetuntur.

Idem, in Expositione Epistolæ ad Galatas, docet quid æmulatio, & invidia differant.

Idem, *Serm. 53. De Verbis Domini*, ostendit invidiam ex superbia proficisci; quod ipsum præstat etiam, *lib. 11. de Genesi ad Litteram.*

Idem, *lib. 50. Homiliarum Homilia 15.* docet charitatem unicum esse contra invidiam amuletum, & invidentem membrum esse ab Ecclesiæ corpore avolsum.

Idem, *Serm. 83. de Temp.* ostendit, quàm infelix, & miser in hac etiam vita sit invidus.

Idem, *lib. de Discipl. Christ.* docet hoc propriè dæmonis esse vitium, & crimen.

Sanctus Gregorius, *lib. 5. Moral. cap. 30. & 31.* hæc Jobi explicans verba; *Parvulum occidit invidia*, docet eum, qui alteri invidet, secretò se illi inferiorem fateri.

Idem, *lib. 6. Moral.* ostendit mentis cæcitatem, quam gignit invidia.

Idem, in Pastorali docet invidum ex aliena felicitate esse infelicem.

Sanctus Chrysostomus, *Homil. 41. in S. Matth.* integrum habet de vitii hujus indignitate sermonem.

Idem, *Homil. 52. in Genes.* ostendit invidentis injustitiam, qui mala precatur illis, a quibus nihil mali accepit.

Idem, *Homil. 61. in Genes.* ostendit invidiam nocere invidenti, atque prodesse celebritati illius, cui invidetur.

Idem, *Homil. 36. in S. Joan.* affectus hujus sævitiam ostendit.

Idem, *Homil. 54. in S. Joan.* probat invidiam furorem esse, namque invidens nihili ducit interitum suum, dummodo illum, cui invidet, perdat.

Idem, *Homil. 7. in Epist. ad Rom.* affectionis hujus insanos ostendit effectus.

Idem, *Homil. 30. in primam ad Corinth.* prolixum habet hujus argumenti sermonem.

Idem, *Homil. 3. in primam ad Timoth. Epist.* ostendit iis potissimum invideri, qui virtute sunt præditi.

Idem, *Homil. 44. ad Popul. Antioch.* invidos furentibus comparat, & *Homil. 53.* ostendit vitium hoc bonis operibus immisceri, & nonnumquam in piis etiam hominibus grassari.

Idem, de hoc etiam argumento loquitur, *Homilia 57. in S. Joannem lib. 1. de compunctione cordis, in Homil. 29. in primam ad Corinth. & Homilia 3. in primam ad Timoth.*

Sanctus Chrysologus, *Serm. 172.* describit malum quod invidenti adfert invidia.

Auctor Sermonum *ad Fratres in Eremo*, qui inter D. Augustini opera circumferuntur, Serm. 18. recenset mala, quæ invidia parere consuevit.

Sanctus Gregorius Nyssenus libro de Beatitudinibus egregiam habet invidentium hypothiposim.

Sanctus Barnardus, *lib. de interiori domo c. 61.* docet invidiam sæpe violentiam suam, sub sanctitatis, zelique colore exercere.

Gerson, *part. 4. Domin. Quadrag.* loquitur de hoc vitio.

Ludovicus Granatensis in Peccatorum Duce *c. 7.* Ascetici, aliique.

Petrus Canisius, *De Justitia Christi*, §. 6.

Jacobus Alvarez, *Tomo 2. l. 1. p. 1. c. 1. & seqq.*

Cardinalis Bona; *lib. de Manuduct. ad Cælum*, veros adfert characteres invidiæ.

P. Caussinus in Aula Sancta tractatu 3. passione 13. septem sectionibus pertractat quidquid ad hoc pertinet argumentum.

Coeffetau in libro de Affectibus.

P. Senault in Usu Affectuum, de malo invidiæ, ac doloris usu.

P. Saint-Jurè, lib. de Cognitione, & Amore Domini sect. 6.

Bernardinus Rossignolus, *lib. 2. de Disciplina Christi.*

P. Nepveu Tomo primo Considerationum Christianarum.

P. Croiset Tomo 2. Considerationum.

Velasquez, *in cap. 1. Epistolæ ad Philippenses.*

Auctor Moralis Christianæ, *lib. 2. sect. 1. art. 4.*

Palafox in Homiliis Theologicis, & moralibus de Passione Homil. 1.

Liber cui titulus: *La Guerre aux vices*, prælio uno contra invidiam.

Plurimi Theologi, & Casuistæ argumentum hoc pertractarunt.

Mathias Faber, *Conc. 6. & 9. in Dominic. Septuages.* Concionatores recentiores.

P. Texier sermone pro feria secunda Hebdomadæ tertiæ in Quadragesima loquitur de vitii hujus causis, effectibus, & remediis.

In libro cui titulus: *Essais de Sermons sur la Dominicale*, Sermone pro sexta post Pentecosten Dominica.

P. Duneau Sermone pro feria tertia post primam Quadragesimæ Dominicam.

P. Bourdalove in sermonibus sub ejus nomine editis, in prima parte Concionis de Passione loquitur de Scribarum, & Pharisæorum contra Dei Filium invidia.

In sermonibus Moralibus, in Dominicali, Dominica 3. Quadrag. sermo de invidia est.

Joly in sermonibus de invidia loquitur.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta Serm. pro feria tertia hebdomadæ primæ in Quadragesima.

P. le Jeune Tomo 8. Sermone 52. hoc argumentum pertractat.

Abbas de Monmorel in Homiliis in Evangelia omnium anni Dominicarum sermonem habet hujus argumenti pro 16. post Pentec. Domin.

Busæus in Panario,
Granatensis in locis communi.
Peraldus Tomo II.
Summa Prædicantium.
Bercorius.
Labatha in Thesauro.
} Verbo *Invidia.* Qui collectanea ediderunt.

Mar-

Marchantius; *Tractatu 4. Tubn Sacerdotalis, lect.* 1.
Raynerius de Pisis in Pantheol.
Drexellius in Joseph.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & Applicationes Scripturarum huic argumento.

HÆc causa somniorum atque sermonum, invidia & odii fomitem ministravit. Genes. 37.

Inviderunt illi habentes jacula. (Loquitur de fratribus Joseph.) Genes. 49.

Parvulum occidit invidia. Job. 5.

Peccator videbit, & irascetur; dentibus suis fremet, & tabescet; desiderium peccatorum peribit. Psalm. 111.

Qui ruina lætatur alterius, non erit impunitus. Prov. 17.

Cùm ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas & in ruina ejus non exultet cor tuum, ne fortè videat Dominus, & auferat ab eo iram suam. Prov. 24.

Putredo ossium, invidia. Prov. 14.

Ne comedas cum homine invido. Prov. 23.

Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum; imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius. Sap. 2.

Neque cum invidia tabescente iter habebo: quoniam talis homo non erit particeps sapientiæ. Sap. 6.

Nequam est oculus lividi, & avertens faciem suam, & despiciens animam suam. Eccli. 14.

Qui sibi invidet, nihil est illo nequius, & hæc redditio est malitiæ illius. Ibid.

An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Matth. 20.

Gaudium meum impletum est; illum oportet crescere, me autem minui. Joan. 3.

Charitas non æmulatur. 1. ad Cor. c. 13.

Si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra. 1. ad Cor. c. 12.

Quiddam propter invidiam & contentionem Christum prædicant. Ad Philip. 1.

Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem invidentes. Ad Galat. 5.

Propter quid Cain occidit Abel? Quoniam opera ejus maligna erant; fratris autem ejus, justa. 1. Joan. c. 3.

Quid facimus; quia hic homo multa signa facit? Joan. 11.

Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem. Psal. 36.

Exempla ex veteri, novoque Testamento deprompta.

Dæmonis invidia.

INvidia, quemadmodum Sanctus Basilius, aliique nonnulli Patres affirmant, proprium est dæmonis vitium, qui in cœlo quidem invidit gloriam hypostaticæ unionis cum humana natura, in terris verò protoparenti nostro, omnique illius posteritati æternam felicitatem de qua infelix ille spiritus exciderat. Peccatum hoc Angelorum principem in miserrimum dæmonum omnium convertit, eumque de summa Cœlorum sede in imum abyssi præcipitem dedit. Hinc S. Joannes Chrysostomus non dubitavit asserere, peccatum hoc cæterorum antiquissimum esse, primamque labem, qua Angeli, hominesque fuerint coinquinati: *Invidia malum vetustum, & prima labes.* Dæmonis denique invidia hominum parenti funestissimas tetendit insidias; invidus enim ille spiritus æquo animo ferre non valens, hominem, cujus natura suæ longè erat inferior, creatum esse in statu adeo felici, nec non beatæ destinatum gloriæ, cum interim ipse æternis torquendus esset suppliciis, nihil inausum reliquit, ut illum suæ calamitatis consortem efficeret, criminis sui faciendo participem; atque hoc pacto, ut Scriptura inquit, aditum aperuit morti, omnibusque malis; quibus homines patent.

Invidia Cain.

Vix Adam, & Eva exilii sui locum fuerant ingressi, cum Cain factus est primus dæmonis discipulus, qui illi zelotypiæ sensus infudit contra fratrem, eumque parricidium committere docuit. Sensit ille præ suis ea, quæ Abel offerebat, sacrificia, Deo esse gratiora; qui ne oculos quidem in Caini victimas convertere dignabatur, ea offerentis, quæ pessima erant in grege. Hinc ille maxima fuit correptus invidia, quæ causa fuit, ut consilium iniret illum interficiendi, qui Deo erat acceptus, ut quodammodo sibi a Deo illatam ulcisceretur injuriam propter gratiam, qua hic Abelem cumulaverat; cumque Deum ipsum in persona lacessere minimè posset, in fratrem irrupit. Simulavit ille quidem se cum hoc animi gratia velle deambulare; cumque Abel procul abesset, ut aliquam conciperet suspicionem consilii nequissimi, quod Cain fovebat, fratrem subsecutus est usque in eum locum, ubi facto nullius adesse poterat testis. Tunc repente irruens in eum miserè perdidit. Ita mortuus est Justorum omnium antesignanus, qui morte sua factus est figura JESU CHRISTI Judæorum invidia, qui secundum carnem illius fratres erant, occisi: & hoc in sensu Salvator, Agnus innocens ab initio mundi fuit jugulatus.

Invidia filiorum Jacob contra Joseph fratrem suum.

Quantum invidia in humanis cordibus valeat, non alio melius ostendi potest exemplo, quam filiorum Jacob adversus fratrem suum. Caini in Abelem, vel Esau in Jacobum invidia nihil habet, propter quod præ illa magis effulgeat. Oderant illi hunc puerum, quippe qui virtute præditus erat, qua ipsi penitus erant destituti. Ei noxæ verterunt singularem, quo a patre diligebatur, amorem, & quem illi virtus sua conciliaverat. Illum nocentem efficere voluerunt; quia Deus ipse mysticis ostendebat somniis consilium suum, quo illum ad honores evehere decreverat. Nemo unus ignorat enorme scelus quod contra ipsum cogitaverant, & quod proculdubio explevissent, nisi quædam pietatis reliquiæ in eorum nonnullis aliorum evertissent consilium, quo puerum crudeli invidiæ suæ mactare meditabantur. Nostis qua arte usi fuerint, & quid deinde contigerit; illud verò hinc nobis discendum est, quod videlicet Providentia oblectari videtur eos ad felicitatem attollens, quos invidi perdere student; quandoquidem videmus Deum invidia usum fuisse fraterna, ut Josephum ad sublimiora perduceret. Illos patris offenderat amor, quo hunc cæteris antefetre videbatur; hic verò potentissimi Regis factus est amicus, & ab eodem honoribus cumulatus. Illos offenderat somnium, quod ab innocente pueto sibi fuerat narratum; cumque hunc per invidiam externis venum dedissent populis, aliquanto post coram eodem sese prosternere debuerunt, eumque Salvatorem, Patronum, & absolutum fortunæ suæ Dominum confiteri.

Invidia Esau in Jacob fratrem suum.

Infelix Esau videns a patre suo Isaac fratrem Jacob benedictione auctum fuisse, & ab eodem huic de cœlo optatam fuisse uberrimam quorumcumque bonorum affluentiam, tanto in fratrem furore exarsit propter livorem, quo eidem invidebat, ut, hoc in dies increbescente propter injuriam, qua se affectum arbitrabatur, consilium inierit post parentis obitum sævissimam de fratre ultionem reposcendi. Nec effectu caruissent minæ, nisi eorum mater Rebecca sollicitè ea prævertere studens mala, quæ prævidebat futurum, ut ex hac orirentur invidia, opportunum, speciosumque prætextum nacta fuisset, quo Jacobum peregrè mitteret, eumque procul a fraternis oculis in tuto statueret.

Invidia Saulis in Davidem.

David, ubi exercitum Saulis servasset, atque illius honori, nominique egregiè consuluisset, prope fuit, ut de viventium numero exturbaretur propter improbitatem illius, pro quo vitam in aper-

apertum discrimen adduxerat, & qui illum ultra pari non poterat; eo quod virgines majoribus laudibus Davidis, quam Saulis gloriam celebrabant, dicentes, *Percussit Saul mille, & David decem millia*, Verba hæc, atque testimonium, quod perhibebatur virtuti David, Saulem ad illius interitum excitarunt, ut ipsum suæ mactaret invidiæ, Postquam frustra nihil inausum, intentatumque reliquit, ut huic vitam eriperet, eaulem procul ejecit. Verùm non ideo ejus odium deferbuit; tria militum collegit millia, cum quibus ipse Davidem in desertis delitescentem est persecutus. Si rem propiùs inspicere velimus, eamque ad examen revocare, quænam odii, invidiæque in Saule extiterit causa, non aliam profectò inveniemus quàm prosperitatem, virtutemque David, qui alioquin adeo mitis, & humanus erat, ut cum in loco sibi æquissimo Saulem nactus esset, eumque tutò, & facilè posset confodere, nihil eidem officere ausus est, Præclarum hoc facinus, & insigne beneficium Saulis cor non mutarunt, sed ejus perfidia eò evasit, ut impensius benefactorem suum perdere quæreret; quæ tamen non aliud assecuta est, nisi quod insignes Davidis virtutes magis enituerunt, ac ipse mortalium omnium in se odia convertit,

Invidia Joab contra Amasam,

Nullum scelus est, nulla sævitia, quam non audeat homo, ut de medio tollat competitorem suum, in quem secreta furit invidia. Hoc palam innotescit in persona Joab, qui proditoriè Amasam interfecit illum deosculatus; cum enim altera manu mentum illius fuisset amplexus, ut oscula figeret, manu altera pugionem capulo tenus in ejus abdidit sinum. Quod si scire cupis quid rei esset Joabo cum Amasa; qui Amasam exanimem humi stratum viderunt, statim nequissimæ hujus proditionis causam aperuerunt. *Ecce*, dixerunt, *qui esse voluit pro Joab comes David*. Invidia Joab pati non poterat Regii amoris, Regioque in exercitu summæ auctoritatis socium; ideoque simulac ipsi se obtulit occasio de medio illum tollendi, sibi non defuit; quodque iniquius, fœdiusque fuit, illi salutem dicens, & oscula eidem figere simulans eum interfecit,

Invidia Satrapum Darii in Danielem.

Invidia non solum crudelis est, sed versuta, & callida, ut eos perdat, qui sunt ejusdem objectum. Testes sint Darii Satrapæ, qui apud Regem perduellionis nomine Danielem insimularunt. Quidquid improbitatis, injustitiæ, crudelitatis, & impietatis in invidia reperiri potest, in hac visum est occasione. Indignati, quod advenæ totius imperii cura fuisset commissa, omnes scrutati sunt vias, quibus illum ab aula amovere possent, ac perdere. Quid faciemus, illi secum, nullius criminis Danielem accusare possumus, nisi fortasse quod mordicus Dei sui legibus adhæret. Persuadeamus Regi, operæ pretium esse, legem ferre, qua interdicatur, ne quis alicui vota sua nuncupet, precesque effundat, nisi Regi, alioquin in leonum lacum conjiciendus. Neminem fallit quorsum evaserit hæc contra Danielem inita conjuratio; quem Deus morte liberavit, à qua Regia auctoritate liberari non potuerat. Leones Danieli quidem pepercerunt, cui inimici nimiæ illius invidentes auctoritati numquam pepercissent. Hæc est S. Chrysostomi in hanc historiam animadversio, inde inferentis, invidiam præ ferocissimis quibuslibet belluis esse metuendam.

Invidia Amani in Mardochæum.

Sæpe permittit Deus, ut calamitates, & infortunia, quæ invidi cupiunt, in eorum caput relabantur. Hoc profectò factum fuit Amani præpotentis quidem, sed infelicis. Assuetus Rex illum supra omnes imperii sui Principes evexerat; omnes coram illo in genua procumbebant, omnesque Regis subditi Amanum veluti Dominum venerabantur, Solus aderat Mardochæus, qui non ex vanitatis, sed religionis causa, renuebat, cum cæteris prætereunti assurgere, atque sese inclinare; quæ res adeo superbum hunc Principem irritavit, ut videns Mardochæum, qui quotidie præ Regiis foribus aderat, quò ipse magna stipante principum totius imperii caterva se conferebat, videns, inquam, Mardochæum sibi salutem dicere indignantem, tanto fuerit dolore confectus, ut ex beatissimo, ac felicissimo omnium mortalium factus fuerit infelicissimus. Nec satis; cum enim nequiret ultra ferre hominis adspectum, quem alioquin contemptibilem esse arbitrabatur, tanta exarsit ira, ut illius cum tota gente perdendi consilium inierit. Verùm non cogitabat miser, quidquid ad hominem perdendum meditabatur, & ad commentitium contemptum ulciscendum, in caput suum esse relapsurum. Optabat Judæum hunc coram ipso humiliari, sed coactus fuit habenas moderari equi illius, cui insederat Mardochæus. Ad hæc crucem paraverat quinquaginta cubitis altam, cui hominem abjectissimum suspendere moliebatur; verum ipse inde pependit justo Dei judicio, quod in invidentium probrum, & interitum vertit, quod illi in alios machinabantur.

Invidia Doctorum Legis in Filium Dei.

Invidia, qua Pharisæi, atque legis Doctores Dei Filium persequebantur ita manifesta est, & palam adeo in omnibus Evangelii partibus expressa, ut hoc unum sufficiat exemplum, unde intelligere valeamus quænam mala in mundo parere possit. Doctores isti prava, ac furenti hac animi ægritudine incensi omnem Salvatoris vitam, atque Doctrinam improperabant, improbè omnes illius actiones explorabant, verbaque omnia arguebant eò usque, ut insignia quælibet miracula diabolico accepta referrent commercio. Quidquid ab illo proficiscebatur, ipsis gravissimum erat, & non ferendum; quippe eam evertebat existimationem, & gloriam, quam adepti erant in populo. Hæc tandem invidia ad extremum usque debacchata est, neque potuit extingui ultimo supplicio, & crucis morte, qua illum affecerunt; quoniam eodem livore, eademque cruddelitate ejusdem Discipulos, postmodum sunt persecuti.

Apostoli, & Discipuli Domini, dum Salvator viveret, hac labe non caruerunt.

Invidia ita homini natura insita est, ut sit ex iis vitiis, quæ postremò tandem gratia delera consueverit; & liquet Salvatoris discipulos hoc defectu non fuisse vacuos; veluti cum ex illis duo primos in Regno ipsius accubitus deposcere non erubuerunt, alii indignationem dissimulare non valuerunt, invidentes honori, quem duo illi sibi comparare nitebantur. Hoc eodem spiritu ducti quadam die in quæstionem vocarunt, quis eorum videretur major, qua in disputatione totis viribus disceptatum est; & alia vice prohibere voluerunt, ne quis præter se in Dei nomine ejiceret dæmonia. Verùm tandem Spiritus Sancti charitas in cordibus eorum effusa omnino hanc invidiam abstulit, & extinxit; quæ nonnumquam inter pios homines etiam, & sæpe pro sanctissimis actionibus suboritur, & excitatur,

S. Joannis Baptistæ exemplum docet, quomodo hæc animi ægritudo cohibenda sit,

Ut autem hæc in ipsis incunabulis suffocetur invidia, non solum mœrere non debemus ob ea bona, quæ proximo accidunt, verùm etiam illi optare, ac precari plura, & majora debemus, atque ob alienam felicitatem æque ac nostram lætari. Hæc erat magni S. Joannis Baptistæ sententia, qui in hoc etiam se dignum Filii Dei Præcursorem probavit, cum enim magni hujus viri discipuli eidem in invidiam accersere conarentur orientem Salvatoris magnitudinem, qui jam tamquam insignis Propheta habebatur, cumque ægrè, gravatèque ferrent, quod omnes a Magistro suo dilapsi JESUM CHRISTUM sequerentur, Sanctus Joannes exclamavit hac in re; *Gaudium meum impletum est: illum oportet crescere, me autem minui*. (Joan. 3.) Superabundo gaudio, ac voti damnatus sum: tantum abest, quod Domino meo hanc gloriam invideam, qui in mundum venit, ut illum redimeret; ego illam meæ sumptibus vellem augere; hæc enim voluntas Dei est; ut illius augeatur auctoritas, mea verò imminuatur; attollatur ille, ego verò dejiciar. Hic esse debet Sanctorum sensus, ubi aliorum merita, gloriam, prærogati-

vas

vas intuentur, quin ideò invideant, quod homines iofirmi, cupidique faciunt, qui hoc pacto ostendunt, quo spiritu ipsi agantur, ubi zelum pro Dei gloria præseferunt: metuendum quippe est ne accidat hodie, quod olim ævo Sancti Pauli, videlicet ne plurimi prædicent JESUM CHRISTUM spiritu contentionis, fictique zeli, invidentes gloriæ, quam alii in sancto hoc ministerio acquirunt, quemadmodum Apostolus idem conqueritur.

Quorumdam locorum Applicationes.

Invidiæ causa, & remedium.

CUm sit inter vos zelus, & contentio, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis? 1. ad Cor. cap. 3. Hæc est, uti S. Thomæ videtur, Apostoli argumentatio, & horum verborum sensus. Nisi vos teneret inordinatum bonorum terræ, honoris mundi, voluptatum, ac divitiarum desiderium; si spiritualia tantummodo cuperetis bona, profectò non essetis invidi. Et ratio constat; cum enim hujus mundi bona exiguis saoè finibus contineantur, pluribusque simul satis esse non possint, habentibus illa invidetur; bona verò spiritualia, quæ nullis cancellis, aut limitibus coarctantur, sese sine imminutione communicant, & possunt sine invidia possideri. Quamobrem Sanctus Paulus, ut huic mederetur invidiæ dicebat. *Æmulamini charismata meliora:* Spiritualia tantum bona amate, & concupiscite; hæc ratio est nemini invidendi.

1. ad Cor. 12.

Per invidiam alienorum criminum participes sumus.

Ab alienis parce servo tuo. Psalm. 18. Sacrificium, quod præ cæteris Deo jucundissimum accidat, Sanctus Augustinus ait, est conari, ne aliena peccata videantur, eorum scandalum prohibere; & si corrigi nequeant, saltem mœrere, aliorumque vicem dolere: sed invidia e contra omnia in virus convertit, atque ab alienis peccatis orditur, quasi propria non sufficerent. Et sanè inter eas rationes, quibus in peccatorum alienorum partem accedimus, est voluptas, & gaudium quò afficimur videntes illos in ea ruere scelera, quæ omnem ipsis abrogant fidem; hoc enim præstat, qui proximi sui gloriæ & nomini invidet; & qui conficitur tristitia, & mœrore, quem in nobis ciet aliena felicitas, & bonum, quod accidit illis, ubi prohiberi non possit; cum enim dolemus videntes illos virtutibus ornatos, & rectefactis intentos; tunc alienam virtutem in criminum nostrorum materiam convertimus.

Invidus non curat possidere bonum, dummodo alter eodem careat.

Nec mihi, nec tibi, sed dividatur. 3. *Regum cap.* 3. Hæc verba ad invidentes possunt transferri; invidia enim est tristitia, & dolor ex felicitate, gratiis, virtutibus, quibus Deus alios cumulare dignatur. Illis æquo carebit animo invidus, at illa ab illis possideri, iniquo feret: qua in re similis est fictæ matri, quæ coram Salomone de filio, qui reliquus erat, disceptabat; ajebat enim *nec mihi, nec tibi, sed dividatur:* quod bellè exprimit invidentis ingenium, qui non tantum ob sibi oblatum bonum lætatur, quàm gaudeat, cum eodem alium carere intuetur; vel qui facile ob ea, quæ sibi ingruerunt mala, dolorem lenit, cum videt competitorem suum nihilo esse beatiorem.

Tormentũ, quod parit invidia.

Conversus sum in ærumna mea dum configitur spina. Psalm. 31. Crudelis hæc animi perturbatio spina est ipsam etiam animæ substantiam permeans: in invidente nihil nisi mœror, tristitia, & dolor videtur; omnia illi incommoda sunt, vel suspicione non carent. Cum autem hinc quidem malum suum aperire non audeat, inde verò votorum suorum summam non assequatur; lenta conficitur tabe, vitamque trahit miseram, atque languentem. *Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.*

Invidi supplicium est imago inferni.

Dura sicut infernus æmulatio. Cant. 8. Justitia divina in hac etiam vita de invidis pœnas reposcit, efficitque ut prægustent, ut ita dicam, infernum, ubi damnati duabus gravissimis pœnis

torquentur; videlicet ignis, & vermis conscientiæ. Quidquid invidi faciant, teterrimos hosce experiuntur effectus. Ignis perennis eos urit, perennes stimuli eos lancinant. Ignis æmulator hinc illos absumit, docet enim Sanctus Paulus in hoc elemento non deesse mysticam quamdam æmulationis speciem, quæ violentias efficit in damnatis impressiones: *Ignis æmulatio:* inde verò intrinsecus sentiunt cordis amaritudinem, quæ tamquam vermis depascens jugiter eorum viscera discerpit. Ad Heb. 10.

Invidia peccatum dæmonis.

Inimicus homo hoc fecit. Matth: 13. Hæc sunt JESU CHRISTI verba in parabola de zizaniis; ubi Sanctus Chrysologus quærit: *Ad quid hoc fecit?* Cur inimicus hic homo tantum attulit patrifamilias detrimentum? Quodnam bonum, quam utilitatem inde percipere valuit? Si hoc factum est, ut messem impediret, eamque zizaniis suffocaret, inimicus ille quodnam referre poterat lucrum? Nullum profectò: Patet igitur Dei Filium ea parabola exhibere nobis voluisse invidiam, cui non alius finis est, neque scopus, quàm aliis nocendi, quin ulla ipsi utilitas cedat. Peccatum, quod nonnisi diabolo convenire potest, velle, & facere malum, quia malum est, sine ullo aut vero, aut commentitio alicujus boni prætextu.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus Argumenti.

NIhil magis Christiano cavendum, nihil cautiùs providendum, quàm ne quis invidia aut livore capiatur; ne quis, dum zelo in fratris odia convertitur, gladio suo nescius ipse perimatur. Cypr. de zelo & livore.

Invidia radix est malorum omnium, fons cladium, seminarium delictorum. Idem, ibid.

Facilior cura est ubi plaga perspicua; zeli vulnera abstrusa sunt & occulta, nec remedium ex cura medentis admittunt, qui se intra conscientiæ latebras cæco dolore clauserant. Idem, ibid.

Hinc diabolus inter initia statim mundi, & periit primus & perdidit. Idem, ibid.

Quid invidiæ cæcitate, omne pacis & charitatis lumen extinguis? Idem, ibid.

Superbia comes est invidentia; nam fieri non potest, ut superbus non invideat. Aug. Psal. 58.

Invidentia bono cruciatur alieno, & aliorum malo delectatur. Idem, Homil. 20. ex 50.

Illos miseros in secreto conscientiæ quibusdam ungulis livor ipse discerpit. Idem. Sermone 83. de Tempore.

Invidia interimit animam in qua est, & consumit. Idem, ibid.

Tolle invidiam, & tuum est quod habeo; tollam invidiam, & meum est quod habes. Idem, in Joannem.

Magnus est vir qui invidiam humilitate superat. Idem.

Non potest invidus non esse superbus, invidia enim filia est superbiæ. Idem, Serm. 53. de Verb. Domini.

De bonorum malis gaudent (invidi,) de profectibus lugent, & inimicitiis gratuitis ardent. S. Prosper, l. 3. de Vita contempl. c. 9.

Tantos invidus habet justa pœna tortores, quantos invidiosus habet laudatores. Idem, ibid.

Invidiosum facit excellentia meriti; invidum pœna peccati; nec ei ab homine potest remedium afferri; cujus est vulnus occultum. Idem, c. 5.

Diabolus, qui per superbiam periit, hominem primum statim succensus invidia felle perdidit. Idem, c. 9.

Amici diaboli, inimici etiam sui, & omnibus odiosi. (Invidi.) Idem.

Quomodò poterunt fieri boni, qui sunt in bono mali? Idem, ibid.

Invidia justius nihil est, quæ protinus ipsum authorem perimit, excruciatque suum. Idem, l. 3. de virtut. & vit.

Parvulus est qui invidia occiditur, quia nisi ipse inferior existeret, de bono alterius non doleret. Gregor. l. 5. Moral.

Invidus alienum bonum, suum facit invidendo supplicium. S. Prosper, lib. 3. de Vita contemplativa, cap. 5.

O invidia! quæ semper sibi inimica est: nam qui invidet, sibi quidem ignominiam facit; illi autem, cui invidet, gloriam parit. Chrys. sup. Matt.

Invidia omnibus malis major. Chrysol. Serm. 48.

Virum fortem excitat ad virtutis exercitium alieni livoris aculeus. Idem.

Quis ibi malorum finis, ubi alterius bonum pœna est, ubi cruciatus est aliena felicitas? quot sunt prosperitates hominum, tot tormenta sunt invidorum. Idem, Serm. 172.

Plus torquetur cœlo quàm inferno, (*Loquitur de damnato.*) Idem.

Invidia spiritus, hominum damna suum computat lucrum, & quod perierit hominibus, hoc se æstimat acquisivisse. Idem.

Invidia non solùm multos, sed & optimos tangit. Gregor. Nazianz.

Invidia aliena felicitate torquetur. Hieronymus in Epist. ad Galatas.

Oro te, quid, invide, delectationis præstat invidia? quem secretis quibusdam ungulis livor ipse discerpit, & alienam felicitatem tormentum facit. Hieron. Epist. ad Demetriadem.

Invidus rogatus ut morbum suum manifestet, se accusare omninò veretur, morbum in imo corporis recessu rodentem atque absumentem retinens. Basil. Homil. 11.

Invide quid suspiras? propriumne malum an alienum bonum? Idem, Serm. de Invidia.

Felicitatem cito sequitur invidia. Ambr. lib. 1. de Abraham, c. 7.

Improbus suo delectatur bono, invidus torquetur alieno; ille diligit mala, hic bona odit; ut propè tolerabilior sit, qui sibi vult bene, quam qui malè omnibus. Idem, l. 2. Offic. c. 30.

Semper virtutem sequitur invidia, nam nemo invidet misero. Hieronymus.

Prosperitas aliena illi supplicium est, & parum est si ipse sit felix, nisi alter fuerit infelix. Salvianus, l. 5. de Provid.

Bonum alterius (invidus) malum suum credit & facit. Salvianus, ibidem.

Invidia sibi primùm nocet, primùm authorem suum mordet: menti officit, cor quasi pestis depascit, animum urit. Isidorus Solil. 2.

Eum, quem semel invidia veneni sui peste corruperit, penè dixerim carere remedio. Cassianus, coll. 18. cap. 17.

Invidus blanditiis exasperatur, inflatur obsequiis, muneribus irritatur; quia non nisi ruinam aut mortem ejus, cui invidet, concupiscit. Idem, ibidem.

Basiliscus, ut ajunt, venenum in oculo gerit, pessimum animal, & præ omnibus execrabile; vis nosse oculum venenatum, oculum nequam, oculum fascinantem? invidiam cogitato. Bern. Ser. 14. in Psal.

Horribile est odium invidiæ, quia omnia motiva amoris præcipua, vertit in oppositum. S. Thomas in Genes. c. 37.

Invidus de aliorum profectu deficit, de pinguedine marcescit, de sanitate infirmatur, de vita moritur. S. Bonaventura, Diætal. c. 4.

Quemadmodum iter facientes per solem necessario comitatur umbra, sic quoque incedentibus per gloriam comes est invidia. S. Maximus.

Imminutio livoris est affectus exurgens internæ dulcedinis Charitatis. Gregorius.

Primum diaboli inventum. Chysost. Homil. 48. in Genes.

Ipsis remediis, quibus alia vitia extinguuntur, invidia accenditur. Cassianus.

Immane vitium mira dæmonis similitudine. August.

Homo vel paribus invidet, quòd ei coæquantur; vel inferioribus, ne ei coæquentur; vel superioribus, quòd eis non coæquetur. Idem.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia peni ad hoc argumentum depromi queat.

INvidia est injusta tristitia ex felicitate, quæ proximo nostro accidit, profecta, ubi alterius bonum tamquam nostri imminutionem consideramus, & inordinata lætitia ob malum vel spirituale, vel temporale, perinde ac inde aliquam perciperemus utilitatem. Duplici verbo: est alienis quidem malis gaudere, bonis verò mœrere. In hisce duobus actibus invidia consistit, qui naturam illius satis aperiunt. Itaque fratrem suorum felicitate tristari, eorum lætari calamitatibus, confici tristitia ob ea, quæ illis accidunt bona, & malis, quibus illi obruuntur, gaudere, ob ea quæ malè cedunt proximis, secreta exultare lætitia, ob ea, quæ prosperè, & ex voto eidem eveniunt, curis angi, dolere ob nominis existimationem, quam sibi compararunt, vel ob divitias, quas congesserunt; gaudere ob infortunia, & paupertatem, quibus illi premuntur; hoc Theologi invidiam appellant, atque inter capitalia peccata recensent, quippe plurimorum vitiorum fons est, & origo. *Invidiæ definitio.*

Sanctus Thomas 2. 2. q. 36. art. 1. de hoc peccato loquitur solum velut de tristitia ex aliena felicitate concepta, quin meminerit gaudii, quod ex alienis malis concipitur. Verùm cum liquidò constet alterum ex altero necessariò consequi, hi actus duo ex Patrum, atque Theologorum sententia ad invidiam pertinent, & æquè charitati adversantur, quæ ut Sanctus Paulus docet in eo posita est, ut ex proximi tui bonis quidem lætitia, ex malis verò mœrore afficiaris. Ita Sanctus Thomas priori adhæsit speciei, tamquam magis communi, & cognitæ, & in qua plura occurrunt explicanda. Etenim animadvertendum est, 1. Bonum ubi consideretur simpliciter tamquam bonum, esse non posse mœroris objectum, sed tunc solùm cum spectatur, tamquam malum erga nos, quatenus aliquid gloriæ nostræ potest auferre, ac minorem virtutis nostræ ideam aliis tribuere: vel cum dolemus bonum hoc penes alios esse, & non in nobis; quoniam illius soli possessores esse cuperemus, quin aliquis illud nobis in dubium vocare posset, vel nobiscum in illius partem accedere. *Definitionis hujus explicatio, & quid sciendum, ut perfecta illius notio habeatur.*

2. Animadvertendum est, sæpe accidere, ut inoffensa charitate lætari possis ob inimici tui interitum; & citra invidiam ob ejus gloriam tristari; cum rationabili conjectura arbitraris per ejus excidium alios ex injusta oppressione evasuros, vel futurum ut, si ille felix extiterit, injustè opprimantur. Hoc pacto commendabili cum tristitia audimus ea, quæ Religionis hostibus prosperè eveniunt, & e contra ex eorum clade, & opprobrio sancta lætitia exultamus. *Non omnis lætitia ob aliena bona invidia est.*

3. Dolere, vel potius mœrere possumus ob aliena bona eo quod illa nobis non adsunt, eaque & ipsi possidere cuperemus, ita tamen ut minimè optemus ideo alium iisdem privari; hæc vulgò, proprièque dicitur æmulatio, quæ laude digna est, cum ad virtutem, ac spiritualia bona refertur: *Æmulamini Charismata meliora,* ut loquitur Apostolus. Cum æmulatio temporalia respicit bona, dignitates, honores, vitiosa est, si ex ambitione, aut invidia proficiscatur; laudabilis verò, si publicum spectet bonum, vel etiam privatum, dummodo honestum sit, veluti scientia, fortitudo, prudentia, unde fit, ut in adolescentibus literarum studiis operam dantibus æmulatio excitetur. *Quid invidia, zelus, & æmulatio differant.* *1. ad Cor. 12.*

4. Si tristamur ob alicujus bona, quia illis indignus est, veluti cum indignamur intuentes homines meritis prorsus vacuos ad honores, & dignitates attolli, vel publicam consequi approbationem, & in pretio haberi, licet eorum minimè lateat indignitas, vel denique cum impiorum felicitatem *Dolor ob improborũ felicitatem, vel honorem eorum, qui non merentur.*

tatem videmus; Philosophus dolorem hunc honestum esse censet, atque inter virtutes adnumerat; sed Theologi cum S. Thoma vitium esse affirmant, quia bona temporalia, quæ ab illis possideri nos piget, illis a divina Providentia, cujus nutus, ac ordo citra scelus improbari non possunt, fuere concessa; quod verò ad spiritualia pertinet, neminem eisdem censere debemus indignum, ipsa enim constituunt merita eorum, a quibus possidentur. Hinc arguere licet; ut invidiæ peccatum committamus, opus esse ut ob proximi nostri bona doleamus, quia metuimus, vel nobismet persuademus hanc esse boni nostri imminutionem.

Unde pro ficiscatur invidia.

Liquet invidiam ex superbia oriri; etenim dolor est, ac tristitia ob ea, quæ proximo bona contigerunt. Cum autem duplex sit superbiæ species, altera quidem mundana, altera spiritualis, duplex est etiam species invidiæ; altera, quæ oritur ex proximi prosperitate, atque in temporalibus bonis progressu, qualia sunt opes, honores, dignitates, cæteraque fortunæ bona, quibus addi possunt naturales prærogativæ, ingenium, scientia, prudentia, pulchritudo &c. altera verò, quæ respicit virtutem, altiorem sanctitatis existimationem, uberiorem donorum Dei copiam; quæ posterior invidiæ species proculdubio, & sine ulla comparatione est nocentior.

Gravitas peccati invidiæ.

Invidia cum semper charitati adversetur, semper est peccatum, sed magis, minusve grave pro magnitudine ejus boni, quod a proximo possideri intuentes dolemus; vel pro magnitudine mali, quo illum urgeri gaudemus: hæc enim norma esse debet; non secus ac magnitudo tristitiæ, quam ex felicitate, & gaudii, quo ex calamitate, atque infortunio afficimur. Animadvertendum tamen est, si hoc gaudium, atque tristitia in sensitivo tantum appetitu subsistant motusque sint involuntarii, quos cohibemus, non nisi leve peccatum esse posse pro magnitudine negligentiæ, qua illos prævertimus, vel illis resistimus: Et hæc invidia tunc passio est, cui pueri ipsi sunt obnoxii, antequam rationis usum assequantur. At si hæc invidia fuerit in voluntate, ex natura sua est mortale peccatum, misericordiæ, & charitati oppositum; qui enim misericors est, dolet vicem proximi sui; invidus verò ex illius prosperitate dolore conficitur. Attamen in peccato hoc non deest plus, & minus, non secus ac in reliquis, quemadmodum animadvertimus.

Quid præstet in peccati hujus gravitatem constituat.

Per invidiam illa naturæ infringitur lex, qua jubemur aliis ea pro viribus efficere, quæ nobis fieri cuperemus. Volumus alios nostrorum misereri malorum, atque lætari ob ea, quæ possidemus, bona; attamen per invidiam alienis gaudemus adversitatibus, prosperitate verò mœremur. Immo per invidiam suffocamus etiam naturalem instinctum, quem immisit Deus ipsis etiam creaturis, quæ sensu carere videntur, quo actæ simul conveniunt, ut ad commune bonum concurrant, atque totius utilitatem eadem ratione qua partis cujuscumque respiciant. Invidus enim seipsum tantummodo amore prosequitur, ac pro se vivit. Violat hanc gratiæ legem, quæ jubet, nosmet ultro citroque tamquam fratres haberi in eadem familia viventes, sub ejusdem patris regimine, & sinu matris ejusdem. Suffocat hunc orientis Christianismi spiritus, qui vult eamdem in nobis vicissim sympathiam adesse, quæ in ejusdem corporis membris invenitur.

Quonam in sensu invidia vocari possit peccatorũ maximum.

Quærunt Theologi quidam, utrum invidia sit omnium peccatorum nequissimum. Qui hoc affirmare auderet, næ ille quidem assereret rem nullis argumentis probandam, pressiùs loquendo; formale enim Dei odium, blasphemia, aliaque multa proculdubio graviora sunt, nosque coram Deo nocentiores efficiunt; quod minimè prohibet, quo minus quædam adsit invidia, quæ inter gravissima scelera jure est recensenda. Hujusmodi illa est, quæ contra proximum concipitur, eo quod peculiaribus gratiis, & beneficiis fuerit a Deo cumulatus, vel ad sublimem sanctitatis gradum evectus; hæc enim invidia peccatum est contra Spiritum Sanctum, quod Theologorum nemo diffitetur. Hinc juxta S. Chrysostomi sententiam, qui videtur asserere cætera quæcumque peccata ab hac nequitia superari, jure inferri potest istud quodammodo esse gravissimum omnium: peccati enim improbitas eò major est, quo minor adest illius patrandi causa; & causa illa, quæ nos ad peccandum impellit, minori pollet illecebra. In peccatis reliquis, quemadmodum infra dicemus, aliqua utilitatis, honoris, aut voluptatis species percipi videtur; sed hoc meræ nequitiæ peccatum est, sine quæstu, sine ullo fructu, qui invidentibus cedat.

Quomodo invidia proprium sit dæmonis peccatum.

Inquiunt Theologi invidiam propriè non esse hujus mundi peccatum, licèt nullum hoc sit in mundo vulgarius. Ratio verò, quam adferunt, hæc est, quod omnia mundi peccata ex tribus oriuntur concupiscentiis illa componentibus, quæ a S. Joanne afferuntur. Sed in objecto invidiæ nullum est bonum vel honestum, vel utile, vel delectabile; hoc igitur peccatum est diaboli, ab hoc tenebrarum spiritu inventum, ut S. Chrysostomus ait. Quamobrem, ut S. Cyprianus animadvertit, invidia in scripturis particulari modo peccatum dæmonis dicitur; *Invidia Diaboli*; eodem pacto quo misericordia cum sit perfectio maximè essentialis Deo *Misericordia Dei* dicitur. Hæc ratio est, qua dæmon agit omnia corrumpere, perdere omnia, quin ulla ipsi utilitas cedat, sed e contra maxima illi fiat suppliciorum accessio. Vult malum ex mera inclinatione malum operandi; quapropter S. Augustinus ait, dæmonis naturam ex duobus potissimum vitiis coalescere, superbia, & invidia. *Superbia, & invidia diabolus est diabolus.* *Sap. c. 2.*

Quid doceant Theologi de principis Angelorum peccato.

Invidia tantum malum est, ut causa extiterit interitus rebellium Angelorum juxta nonnullorum sententiam, & hominum, juxta Sacra Biblia, nec non nequissimum scelerum omnium, hoc est Deicidium pepererit. Quidam enim sapientes Doctores tenent Angelorum principem, & qui partes ejus secuti sunt per invidiam peccasse, cum enim revelasset illis Deus velle se humanam induere naturam, pati non potuerunt, ut Deus tantum homini conferret honorem, quo se digniores arbitrabantur; itaut ægrè, & iniquo ferentes animo, quod illi posthaberentur creaturæ, quam sibi multò inferiorem putabant, a Creatoris sui imperio defecerint.

Quomodo postmodũ invidia malorum omnium extiterit causa.

Si invidia fuit causa peccati principis Angelorum, fuit etiam causa peccatorum omnium, atque malorum, quæ per ipsam evenerunt. Nisi enim dæmon invidisset homini gloriosam creationis ejusdam prærogativam, hunc nequaquam tentasset, & Adam minimè tentatus innocentiæ suæ detrimentum passus non fuisset; & nisi hoc passus fuisset detrimentum, primus ille parens naturæ suæ tantum malum minimè communicasset. Igitur infelicissimi hujus spiritus invidia causa est nostræ calamitatis; & quamquam nullum peccatum sit, cujus virus antiquus hic serpens non infundat cordibus nostris, S. Gregorius ait, ipsum per invidiam omnem suam exhalare nequitiam, atque pestem suam in omnem terræ faciem effundere.

Malum, quo invidus dolet, in illius tantum est mente.

Si invidia tristitia est, oportet necessariò talem esse ob aliquod malum: sed malum quo invidus mœret in ipsius tantùm est mente. Putat proximi sui bonum sibi malum esse, quod minimè est: Quod enim alter illo sit locupletior, doctior, virtutibus ornatior, hoc illum non efficit magis vel pauperem, vel imperitum, vel vitiosum. Aliena bona illi minimè nocent, dolet tamen perindeac hoc proprium esset malum. Hac in re ab aliis vitiis differt invidia, quæ ex causa merè imaginaria nequaquam proficiscuntur.

Invidia peccatum est contra justitiam.

Si invidia peccatum est contra charitatem, nihilominus peccat etiam contra justitiam, etenim contra omne jus, & fas dolet ob proximi sui mala, & ob illius infortunium lætatur: præterquamquod violat jura amicitiæ, consanguinitatis, & sæpe etiam naturæ.

Sed in ea injustitia, quam cum proximo exercet, quamdam servare videtur justitiæ speciem propter crucem, quam invidentibuss figit. Hac de causa cum Sancto Gregorio Nazianzeno dicere possumus, illam altero quidem in sensu justam esse, in altero verò injustam; justam quatenus torquet subjectum, in quo est, animam videlicet invidentem, quam lancinat; injustam quatenus ad objectum refertur, qui proximus est, cujus felicitatem ferre non potest.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, & recentioribus Concionatoribus loci hujus Argumenti.

Invidiæ indoles, & caracter.

INvidia, Sanctus Chrysostomus inquit, monstrum est hominum concordiam, & societatem prorsus evertens: lethalis est morbus; vitium est quodammodo ipsa perniciosius avaritia, quam nihilominus malorum omnium radicem vocat Apostolus. Avarus enim lætatur, cum aliquod recipit bonum; sed invidus gaudet non cum bonum accipit, sed cum videt nullum ab altero recipi, vel alterum eo quod habet privari. Suam considerat utilitatem alterius jacturam. Hic est communis humani generis inimicus; dæmones invidi sunt, sed hominibus invident, vos autem cum homines sitis ipsorum hominum hostes estis. Tenebricosa hæc animi perturbatio, Sanctus Augustinus ait, primas naturæ leges impugnat, & Christianæ religionis spiritum suffocat. Natura nobis cor tribuit tenerum, ac molle, ut eorum misereamur malorum; quibus alios affici videmus, & ut gaudeamus illis, quæ iisdem prospera eveniunt, quoniam nostri sunt fratres. Christiana autem Religio, quæ in nobis arctiorem conjungit societatem, quoniam ex omnibus nobis unum tantummodo corpus efficit, cujus caput est JESUS CHRISTUS, cor nobis tribuit, quod Spiritus Sanctus informat, ut proximum diligamus, quemadmodum nosmetipsos diligimus; ut quæ ejusdem sunt, tamquam propria intueamur; ut huic ea optemus bona, quæ nobis cupimus; utque tandem prosperæ, vel adversæ fortunæ ejusdem participes simus, atque consortes. Quid porrò invidus? naturales sensus evertit; omnia Christianæ Religionis dogmata delet, cumque nec hominem, neque Christianum se ostendat, seipsum & in natura, & in Religione efficit monstrum. *Ex tractatu de affectibus Breteville in Eloquentia Ecclesiastica.*

Malum, quod sibimet invidus infert.

Quicumque es qui invideas, S. Cyprianus exclamat, quæris quomodo officias illi quem odisti: verumtamen nullius magis, quam tuæ saluti officere poteris. Quisquis ille est, quem zelo persequeris, subterfugere, & vitare te poterit. Tu te non potes fugere. Ubicumque fueris adversarius tuus tecum est; hostis semper in pectore tuo est, pernicies intus inclusa est, ineluctabili catenarum nexu ligatus, & vinctus es, zelo dominante captivus es, nec solatia tibi ulla subveniunt. Perseverans malum est hominem persequi ad Dei gratiam pertinentem. Calamitas sine remedio est odisse felicem. *Verba sunt S. Cypriani de zelo, & livore.*

Invidia plurimorũ malorum fons est.

Latè patet zeli multiplex, & fœcunda pernicies. Radix est malorum omnium, fons cladium, seminarium delictorum, materia culparum. Inde odium surgit, animositas inde procedit. Avaritiam zelus inflammat, dum quis suo non potest esse contentus videns alterum ditiorem. Ambitionem zelus excitat, dum cernit quis alium in honoribus altiorem. Zelo excæcante sensus nostros, atque in ditionem suam mentis arcana redigente, Dei timor spernitur, Magisterium Christi negligitur, judicii dies non providetur. Inflammat ira, exacerbat sævitia, perfidia prævaricatur, impatientia concutit, furit discordia, ira fervescit, nec se jam potest cohibere, vel regere, qui factus est potestatis alienæ. Hinc Dominicæ pacis vinculum rumpitur, hinc charitas fraterna violatur, hinc adulteratur veritas, unitas scinditur, &c. *Ejusdem.*

Mœrorem, ac tristitiam parit invidia.

Qualis verò est animæ tinea, quæ cogitationum tabes, pectoris quanta rubigo zelare in altero vel virtutem ejus, vel felicitatem, id est odisse in eo vel merita propria vel beneficia divina, in malum proprium bona aliena convertere, illustrium prosperitate torqueri, aliorum gloriam facere suam pœnam, & velut quosdam pectori suo admovere carnifices, cogitationibus, & sensibus suis adhibere tortores, qui se intestinis cruciatibus lacerent, qui cordis secreta malivolentiæ ungulis pulsent. *Ejusdem.*

Ejusdē argumen

Invidi sanctè viventium merita, sua faciunt invidendo peccata, & in eis bonum corrumpunt invidi, qui quidquid boni fieri, vel dici a Sanctis audierint, aut omnino non credunt, aut res bene gestas in malum male interpretando convertunt. Omne malum, quod de illis mendax fama jactaverit, statim tamquam si ipsi viderint, credunt. Feraliter eis, qui illud verum non esse probare voluerint, contradicunt. Omnia suis æmulis fingunt, eorum profectu deficiunt, odia inter se abscondunt, & in suos cruciatus enutriunt, proficientibus invident, peccantibus favent. De bonorum malis gaudent, de profectibus lugent, de inimicitiis gratuitis ardent, deprehendi pectoris sui malitiam timent, semper amari, numquam certi, amici diaboli, inimici etiam sui, omnibus odiosi, Ad gaudenda anxii, ac plangenda læti, utrobique dispersa. Inter amicos discordias seminant, discordantes ad tempus, si possunt, in dissensione confirmant &c. *Verba sunt S. Prosperi de vita Contemplativa cap. 9.*

Invidi bonum mutant in malum.

Invidi malè bonis uti non desinunt. Bene malis usi sunt martyres Sancti, in testimonio Salvatoris nostri veraces, & in castris spiritualibus strenui bellatores; qui tribulationibus & damnis, ac variis cruciatibus affecti pariter, & probati terrenis cœlestia mutaverunt, & de bono usu malorum profecti ad gaudia bonorum perennium pervenerunt. Item bonis utitur invidus malè, quia omnibus bonis, quæ miser execratur abjunctus, animi sui supplicio relinquetur affligendus. Et quis ei poterit subvenire, qui se sibi exhibet invidendo carnificem? At unde sibi parabit salutem, qui de salutis materia (bonis malè utendo) facit perniciem? *Verba sunt ejusdem S. Prosperi.*

Quidquid boni invidus in aliis videt, illi dolorem adfert.

Invidia dolor est, quo ex aliorum afficimur prosperitate; ideo invidentes numquam tristitia, & mœrore sunt vacui. Si messis in accolæ arvis luxuriat, si bona affluunt domi illius, si omnia illi cedunt è voto, si commodam, suavemque vitam ducit; hæc omnia invidentem mœrore conficiunt, atque adigunt ad desperationem. Si quia fortis est, si compositus ejusdem corporis habitus, eloquentia, & prudentia celebratur; Si alius plurimos congestos habet auri, argentique thesauros, eosque largè effuseque pauperibus erogat; si alius bonis operibus sibi mortalium omnium existimationem conciliat, hæc omnia invidi mentem affligunt. Attamen hiscere ne audet quidem, immo gaudium testari debet: quamvis cor illius mœrore torqueatur, lætitiam simulat, donec animum ejus livor excruciat. Si ab eo quæris, quid illi displiceat, ægritudinis suæ causam proferre non audet. Neque potes fratris felicitatem illi afferre tristitiam, vel ob ea, quæ aliis accidunt bona, dolere; sed ita sibimet persuadet ex aliorum prosperitate suum perdere infortunium. Hoc ille fateri teneretur, si sincerè loqui vellet; sed quoniam pudet adeo turpe vulnus detegere, intra se continet malum, quo illius viscera laniantur, ac discerpuntur. *Ex Sermone quodam S. Basilii hujus argumenti.*

Quomodo invidentes agant.

Nihil solatium afferre potest invidenti, nisi ille, quem ferre non potest, in gravissimum decidat infortunium; cessat odisse hominem felicem, cum

fit

sit infelix: se illi profitetur amicum, eumque opera sua juvare pollicetur, ubi illum in fletus erumpere, suumque deplorare videt infortunium. Mavult misereri plorantis, quàm plaudere prosperis rebus perfruenti, & in partem felicitatis ejusdem accedere. Fortunæ ipsius eversionem prosequitur lacrymis non ex humanitatis, aut charitatis sensu; cum illo sermonem habet de præterita felicitate, ut illius dolorem exacerbet, illi in memoriam revocans ea; quæ amisit, eorumque desiderium inflammans. Alienas admiratur opes, postquam adversa fortuna ereptæ fuerunt; aliorum formam, vim, valetudinem laudat, cum morbi vi jam perierunt: celebrat hominis mortui merita, cujus, si viveret, laudes pati non posset. Denique omnes odit, donec prospera illis arridet fortuna; cum verò adversa jactantur, tunc se illos amare, eorumque casibus tangi profitetur. *Idem.*

Quinam illi sint quibus invidetur.

Satis docet experientia, quinam illi sint, quibus invidetur. Scytha, Sanctus Basilius ait, Ægyptio non invidet, sed alicui ex eadem natione; in natione eadem illi, quos ignoramus, invidiam ciere non possunt: accolæ, amici, fratres, qui eadem studia, artesque profitentur, illi sunt, qui sese invicem ferre non possunt. Quemadmodum rubigo segetes, ita invidia amicitiam corrumpit. Sed invidi pœnas luunt; etenim majus sibimet damnum inferunt, quàm proximo studeant inferre. Si jacula multo impetu contorta in durum incidant corpus, in ejaculantem resiliunt: ita invidia invidenti tantummodo dolorem adfert, proximo autem non obest; etenim licet gravissimus sit mœror tuus, quem mœrorem aliis potest adferre? Te ipsum torques; te tua rumpit invidia. *Idem.*

Invidus sibi magis obest, quam illi, cui invidet.

Cogita te tibi multò magis nocere, quàm illi, cui invides, & gladium, quo alium transfodere conaris, tibimet vulnus inferre. Quid enim mali Cainus Abeli fecit? immo præter mentem maximum illi attulit bonum, ex infelicissima ad beatissimam vitam migrare faciens; se autem infinitis malis involvit. Quid Esau obfuit Jacobo? Ejus invidia numquid prohibuit, ne locuples fieret; cum interim ipse invidus amissa patris sui hæreditate, ac benedictione infeliciter vixit, & infelicissimè obiit? Quid nocuit Josepho fratrum invidia, quæ illos eousque impulit, ut sanguinem ejus jamjam essent effusuri? Nonne tandem se ad inertas redactos viderunt, ac jamjam prope, ut fame interirent, cum interim frater suus toti dominaretur Ægypto? Ita quò majori in fratrem invidia flagras, eo majora illi bona procuras. Deus, qui videt omnia, innocenti patrocinatur, atque ita succensus propter injustitiam tuam, qua illum lacessis; eidem opem ferre oblectatur, cum illum conaris opprimere; immo in te etiam pro sceleris magnitudine animadvertit. Si consuevit Deus eos persequi, qui inimicorum suorum malis lætantur, quantò magis eos puniet, qui invidia acti eos oderunt, a quibus lacessiti non sunt? *Ex Sermone 40. S. Chrysostomi in S. Matthæum.*

Mala, quæ invidia peperit in mundo.

Crudelis hæc animi ægritudo efficit, ut invidus ex homine dæmon fiat: invidia primum in terris peperit homicidium. Hæc fratrem in fratrem acuit, omnesque naturæ sensus avertit. Hæc innocentis Abel sanguine tellurem fœdavit, & postmodum efficit, ut hæc ipsa tellus dehisceret Core, Datan, Abiron, & eos omnes, qui illis adhæserant contra Moysem, devoratura. Verbo, sufficit mente repetere primi hominis lapsum, quem dæmonis invidia produxit, ut hinc possit inferri, funestam hanc passionem omnium mundi malorum originem extitisse. *Idem.*

Invidus non audet alicui aperire tristitiam, qua torquetur.

Si infelix, qui crudeli hac animi perturbatione torquetur, aliquod extrinsecus invenire posset solatium, vel adspectu alicujus abjecti, quod illi gaudium afferret, vel sui cordis effusione in amici sinum; quamvis infelix esset coram Deo, quales sunt peccatores omnes, non talis videretur tamen coram mortalibus; quamvis non possideret verum Christiani hominis bonum, frueretur tamen hominis naturalis requie, vel consolatione, & gauderet fallaci ea tranquillitate, propter quam tot improbi in ipsis sceleribus suis voluptate quadam perfunduntur. Ex omnibus consolationibus, quas secundum mundum sperare possumus, nulla suavior est, quàm habere in cujus sinum tutò omnia animæ nostræ secreta effundere liceat; ut sincera affectione nobis, & in adversis æque, ac in prosperis assideat; ut & nostrarum misertus calamitatum, ac nostris congaudens felicitatibus consoletur. At hoc bonum, hæc suavitas, hæc requies pro invidentibus nequaquam sunt; nullum ferme habent amicum, vel si quem habent, sese illi aperire & cor suum detegere non audent, & pudor, qui illos deterret, ne mali sui causam prodant, efficit, ut nullum reperire possint solamen, vel medicinam. *Ex tractatu de affectibus, Abbatis de Breteville in Ecclesiastica Eloquentia.*

Hujus affectus cæcitas.

Nihil magis cæcum est, quàm hæc animi ægritudo, quippe omnia fallacia bona pro veris desumit; etenim, ut plurimum, non christianæ virtutes, neque spiritus, animæque divitiæ, invidiam cient, sed fortunæ bona, quæ profectò mala potiùs, quàm bona sunt. Sit quispiam sanctus, jugibus cum Deo fruatur colloquiis in contemplationibus maximè sublimibus; nemo fortasse huic invidebit. Sed si aliquam apud Principem obtineat gratiam, si ad recentem dignitatem evehatur, tunc invidiæ jacula undequaque irruent in illum. Monstrosa ignorantia! mirabilis insania! invidere propter fluxa, fragiliaque bona, quæ sæpe vera sunt mala. *Idem.*

De illis, quibus invidetur.

Non erit operosum consolari eos, quibus invidetur, satis enim constat quod meritum dumtaxat parit invidiam; & meritum ipsum, quod illi ortum, mortem etiam infert, constituens hominem extra telorum illius jactum, atque virtutis ac veritatis vi invidos cogens, ut meritum, nisi amare velint, saltem in pretio habeant, atque admirentur. *Idem.*

Invidia ignavus est, & injustus affectus.

Dolores omnes malum habent pro objecto; & si in excessu eorum non deest injustitia, in causa excusatio non deest. Sed invidia est æquè ignava, ac injusta; & quacumque ex parte inspiciatur, nullum habere potest prætextum, atque colorem. Virtutes omnes lædit, & nequitia numquam satis improbanda bellum indicit omnibus hisce præclaris habitibus, qui maximè putam animæ nostræ gloriam constituunt. Cæterorum vitiorum odium certis limitibus continetur; eam tantummodo virtutem persequitur, quæ singulis adversatur. Avaritia liberalitatem tantummodo insectatur, ambitio modestiam, & mendacium licet impudentissimum sit solam veritatem impugnat. Sed invidia omnium horum monstrorum crudelissimum, virtutibus omnibus infert bellum, & quasi virus esset ex reliquis omnibus compositum, eodem tempore charitatem, justitiam, misericordiam, & humilitatem lacessit. Si enim charitas efficit, ut omnia sint communia; hæc ea sibi propria vindicat, & non ea possidere tantùm, quantum proximo eripere gaudet; si justitia unicuique reddit, quod suum est; hæc omnia pro se retinet, ac non aliud præter suum cognoscere cupiens meritum, putat omnia sibi præmia deberi; Si misericordia alienis condolet malis: hæc illis gaudet, atque per summam nequitiam exultat; si humilitas nihil contemnit; hæc omnia vituperat: adeo universale malum est, & hæc turpis tristitia simul ex avaritia, superbia, & crudelitate conflata est. Sed licet contra virtutes omnes succensa sit, majores tamen conatus suos in eas depromit, quæ sunt nobilissimæ, atque majori impetu in eas fertur, quæ magis effulgent. *P. Senault, Tractatu de Affectibus.*

Scelera, quorum causa invidia fuit.

Nullum patratum fuit parricidium, quod illa non suaserit, & ex tot sceleribus, quæ odio, vel iræ accepta referuntur, quæ magis insignia fuerunt, invidiæ opera sunt. Hæc in ipsa etiam

mundi

mundi primordiis Caini dexteram armavit in fratrem, eique ministravit arma, antequam ex terræ visceribus ferrum effodisset. Eo sæculo, quod innocentiæ succedebat, primum docuit parricidium; & mors, quæ tantùm erat pœna peccati, ejus consilio, facta peccatum est. Hæc filios Jacob in fratrem Joseph suscitavit; futura hujus magnitudo in illis invidiam excivit, atque ut Cœli consiliis adversarentur, servituti manciparunt, quem Deus Regem cupiebat efficere. Hæc Saulem excitavit in David, cæcoque furore illi persuasit, nihil regibus esse tam perniciosum, quàm subditorum magnitudinem; & extranei potentiam non esse æquè metuendam, ac famuli alicujus virtutem. Sed ut rem altiùs, ab ipsa usque malorum nostrorum origine repetamus, hæc dæmonem in homines accendit, eumque viam docuit, qua illos perdere posset antequam nascerentur, eisque mortem inferret, antequam in hanc lucem proditent. *Idem*.

Mala, quæ invidus sibimet infert.

Si tot mala inimicis suis adfert invidia, non pauciora sibi quoque conflat: hæc sibi æquè, ac virtuti supplicium est: nullam enim intuetur felicitatem, quæ eidem non afferat dolorem; proximi sui prosperitas illius causa est infelicitatis: si quid e voto cedit finitimis suis, dolet; & unius hominis prospera fortuna satis esse potest, ut invidum in æternum infelicem efficiat. Hæc boni, malique naturam confundit, ut sua augeat gaudia, atque ea improbitate, quæ ideo justa est, quia eidem est perniciosa, lætatur ob malum, & tristatur ob bonum, atque in publica calamitate invenit suæ lætitiæ, suique triumphi argumenta. Sua sibi pernicies arridet, dummodo secum trahat inimici ruinam, eique adeo naturale est injustitias committere, ut fruatur voluptate sese ulciscendi sumptibus etiam vitæ suæ. Contra fortunam irascitur; de suo conqueritur sæculo; cum inimicorum suorum lætas res prohibere non potest, desperatione acta solitudinem quærit, ubi sua meditans infortunia, luit pœnas omnium scelerum, quæ patravit, utque suam consoletur infelicitatem, mortalibus omnibus persuadere conatur, quod aliorum virtutes improbat eo solum, quod in illis deprehendit defectus, quos probare non potest. *Idem*.

Invidus ostendit se iis cedere, quibus invidet.

Certissimum est axioma, ea omnia, quæ in nobis invidiam cient, supra nos esse; nostro quoque judicio æqualibus nostris concedimus, cum eorum merita nobis invidiam creant. Princeps fit subditorum suorum mancipium, cum horum felicitas illi parit suspicionem; atque secum arbitratur, eorum fortunam sua esse elatiorem, ubi invidet illi. Hac de causa Sanctus ille vir Job, cui mala sua tantam nominis celebritatem pepererunt, & cujus innocentia tot fuit exercita calamitatibus, animadvertit invidiam ignavarum animarum affectum esse; si enim quid nobilitatis haberent in corde, ea minimè vota nuncuparent, quæ suam detegerent infirmitatem; si in æqualibus egregiam aliquam perfectionem deprehenderent, hanc meritis laudibus prosequerentur, vel nobili æmulatione inflammati eamdem niterentur acquirere: sed cum illis vitium tamquam tyrannus imperitet, ignava dumtaxat vota concipiunt. *Idem*.

Invidia quàm commune sit vitium.

Nihil in terris vulgarius invidia. Si cœlum benedictionem in aliquam familiam effudit, si labor, & innocens industria opibus cumulavit domum viri alicujus virtutibus præditi: si hominis pii augentur bona, quæ fortasse vanitatis sunt diminutio, vel fructus modestiæ: si proximus ager finitimo tribuit uberrimum curarum, culturæque præmium, quonam oculo invidus, improbusque exiles hasce respicit prosperitates? Dolet, murmurat, & parum abest, quominus cœlum injustitiæ redarguat, alienamque felicitatem sibi in admirationem æquè, ac supplicium convertit. *Flechier sermon second pour l' ouverture des Etats de Languedoc*.

Quam ignavum sit hoc vitium.

Nihilne hoc vitio ignavius, & abjectius fingi potest? Hinc videmus, licet plurima fateri non erubescant se vel ambitiosos esse, vel iracundos, ad amorem, vel odium pronos, vel etiam se impuro affectu torqueri; qui se invidum esse fateatur, erit nemo. Hic omnia extrinsecus gerit invidiæ signa in tristi, torvoque obtutu, rugosa fronte, plumbeo vultus colore, corpore arescente, qui tamen, ubi aderit occasio, risum simulabit, ut eam, qua torquetur, tristitiam dissimulet. Animæ magnitudo in hoc posita est, ut cupiat omnes efficere posse beatos; invidia verò, quæ ex mentis imbecillitate, & cordis angustia procedit, aliorum felicitatem in suam convertit calamitatem. Invidus, Sanctus Chrysostomus inquit, in fratris afflictione suas delicias nanciscitur, si quid illi mali accidere videt, tunc respirat, suamque animi tranquillitatem acquirit. Iis lætatur, quæ aliis dolorem afferunt; illorum excidium suæ accenset felicitati; illorum bona suum putat infortunium; verbo, non tantùm suam cogitat fortunam, quam alienam infelicitatem, neque magis umquam propria calamitate, quàm aliena felicitate torquetur. *Abbas de Monmorel sermone in 16. Dominicam post Pentecosten*.

Invidi mæror omni caret solatio.

Invidus seipsum indesinenter punit, & torquet, quin aliquid umquam veræ voluptatis percipiat. Ægritudine sua ita possidetur, ut non pacem, non inducias inveniat, ejusque scelus semper committitur, & perseverat. Ea in tristitia, quæ ex bonorum jactura proficiscitur, aliquod invenitur solatium, seu quod consolamur videntes amicos in malorum nostrorum partem accedere, seu quod cum illis colloqui possumus, lacrymasque miscere; sed tristitia, quam parit invidia, numquam lenitur, ac semper æque nos torquet. Qui eadem afficitur, non audet conqueri, immo ne hiscere quidem; sed intus celat, nihilque magis veretur, quam ne sese extrinsecus promat. *Idem*.

Oratio ad Deum contra hoc vitium.

Domine, possumus quidem ratione, & multò magis propria docti experientia cognoscere, invidiam animi ægritudinem esse, quæ nos maximè torquet, & in maxima scelera adducit, sed tuæ tantum interest gratiæ nos vel ab ea tueri, vel eam nobis auferre: hanc quæso nobis largire effundens in cordibus nostris charitatem tuam, quæ præsentissimum est invidiæ remedium. Tunc quin alienis gaudeamus malis, bonis verò doleamus proximi nostri, felicitas nostrum gaudium, ejusque adversa fortuna nostrum erit infortunium: tunc interiori turbæ, qua laniamur, pax tranquilla succedet &c. *Idem*.

Mala, quæ parit invidia.

Sancti valida applicare consueverunt remedia huic morbo; at non postremum est scire hunc esse plurimorum scelerum fontem, & primum fuisse creaturarum in Cœlo, ac in terra peccatum. Invidia enim Luciferum perdidit, qui prævidens, vel audiens futurum Incarnationis Mysterium, futuramque hominis felicitatem, Salvatoris humanitatem adorare detrectavit. Invidia apostatam Angelum hunc impulit, ut protoparentem nostrum persequeretur: invidia justi, ac innocentis Abel cruore Caini manu terram irrigavit: invidia effecit, ut castus Joseph a fratribus venderetur; Invidia causa fuit propter quam Saul quidem Davidi, Esau verò fratri Jacob mortem inferre conarentur. *Auctor Anonymus*.

Invidia vitiorum omnium primum, & vetustissimum.

Sanctus Gregorius Nyssenus in vita Moysis, quam scripsit, ait invidiam primum esse peccatorum omnium, quæ umquam patrata fuerunt. Ideoque illam appellat vitiorum omnium radicem, malorum initium, ac mortis januam. Quamvis hoc vitium abjectissimum sit, atque turpissimum, fatendum est tamen, de Cœlo originem duxisse, quandoquidem efformatum fuit in corde nobilissimi spiritus, qui Lucifer est; qui ex plurimorum Theologorum sententia tunc temerarium hoc iniit consilium contra Deum rebellandi, cum livido, invidoque oculo prospexit sublimia, & adorabilia JESU CHRISTI fata, ferre non valens, quod homo sibi præferretur. *Pat. Texier, Sermone*

pro

pro feria secunda Hebdomada tertia in Quadragesima.

Invidia charitati contraria.

Invidus eam gratiæ legem infringit, quâ jubemur nosmet considerare tamquam fratres in eadem familia degentes sub ejusdem patris imperio, & in sinu matris ejusdem. Suffocat hunc spiritum unitatis, quo Christiana Religio animatur, & quo jubemur invicem nosmet mutuo amore complecti tamquam ejusdem corporis membra, ut Sanctus Paulus inquit: *Si quid patitur unum membrum, cætera compatiuntur membra.* (1. ad Cor. 12.) Nullum est, vel sanguinis, vel amicitiæ, vel beneficiorum vinculum quod non frangat invidia. Mens tetris obscurata invidiæ tenebris nullam habet rationem, non dico solum amicitiæ, & beneficiorum receptorum; verùm neque boni, & utilitatis, quam sperare potest ex illius, cui invidet, prosperitate. *Idem.*

Invidus odit temere proximum suum, & quin ulla sibi præbeatur occasio.

Inde verò hujus peccati improbitas patet, quod teterrima fovet odia, improbasque aversiones temere, & sine causa: quod egregiè S. Gregorius Nyssenus explicat, cum invidum interpellat, atque ex eo quærit: Heus tu, numquid frater tuus te lacessivit, & occasionem præbuit, ut de ipso quereris? Nihil omnino, invidus reddet, si sincere fuerit locutus: affinis meus est, consanguineus, amicus, de me quàm optime meritus. Quare igitur nullam prætermittis occasionem malè de eodem merendi, omnia verba illius censoria nota castigandi, omniaque præclara ejusdem facta improbandi, & laudes, quibus ab omnibus excipitur, deterendi? Quare non ita pridem illius perhorrescis societatem, atque ubi occurrit, turbaris, atque vultus colorem immutas? Dic quæso hujus simultatis causas? Quanam injuria tuam sibi conflavit inimicitiam? *Quid passus es infelix? quid de eo conquereris?* Si homo hic sine simulatione responderit, dicet fortunium hunc ingenti auctum fuisse felicitate, dignitatem aliquam, nominisque celebritatem consecutum fuisse, atque prosperis rebus lætari &c. *Idem.*

Quomodo Invidia Spiritui Sancto opponatur.

Quemadmodum peccatum hoc peculiarem habet cum diabolo rationem, ita etiam omnino Spiritui Sancto adversatur, quia illius bonitatem, & amorem offendit. In infinita hac Dei bonitate duo consideranda sunt, studium videlicet sese extrinsecus communicandi, & ubique sua bona effundendi, nec non suavissimam in suis communicationibus oblectationem. Invidus autem utrique huic divinæ bonitatis effectui adversatur; vellet, si liceret, divinæ bonitati fœcunditatem eripere; vellet saltem beneficam hanc fœcunditatem in sola familia sua coarctare, atque donorum Dei immensitatem in se solo comprehendere. Tantum abest, quod ob ea, quæ aliis impertit bona Deus, gaudeat, ut immo inde mœrore conficiatur: *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* (Matth. 20.) Cainum interroga, undenam proficiscatur tristis ille corporis habitus, facies mœsta, terræ cogitationes & furoris consilia in fratrem suum. Inde hæc professa Scriptura inquit, quia Deus propitio respexit oculo Abel, ejusque sacrificia; *Respexit ad Abel, & ad munera ejus, & iratus est Cain vehementer.* (Genes. 4.) Quid! numquid nocens est Abel, quia ipsius sacrificia Deo placuerunt? Numquid dominus est oculorum Dei, ut prohibeat, ne quod vult respicere possit? Cain propriè non Abeli irascitur, sed Deo. Ejus invidia lædit præsertim infinitam hanc bonitatem cui jucundus accidit frater ipsius; sed cum Deo succensere minimè possit, Abeli succenset. Deus quoque malum, quod quis proximo suo studet inferre, tamquam sibi illatum putat; atque inde init consilium augendi invidorum mala, pluribus, majoribusque bonis eos cumulans, qui sunt invidiæ ejusdem objecta. *Idem.*

Invidus dolorem suum solatur obtrectatione.

Invidus non aliud malo suo solatium nanciscitur præter obtrectationem, quæ ejusdem effectus est. Hinc secreta vota contra proximi bonum; hinc timor, ne progrediatur; hinc doli, qui exercentur, ut illi laborum fructus eripiatur; hinc ambages, quæ adhibentur, ut actionibus ejus inspergatur virus, & improbæ illæ explicationes, quæ sermones ejus in pravum sensum detorquent; hinc frigidum illud silentium, quo laudes ab aliis collatæ recipiuntur; hinc censoriæ notæ, quæ levi quadam extrinseca existimationis nota commendantur; hinc denique bellum apertum, quod illis infertur, qui clam everti non possunt. *Ex libro cui titulus: Essais de Sermons pro tertia post Pentecostem Dominica.*

Invidia causa fuit mortis Filii Dei.

Per dæmonis invidiam mors in mundum ingressa est; & per invidiam Judæorum initum fuit consilium horribile, & execrandum mortis Filii Dei: hæc illum cruci affixit, & hodie quoque in plurimorum fidelium cordibus occidit. In ipsis mundi primordiis JESUM CHRISTUM in figura Abel, qui primus justorum fuit, interfecit, sed hodie eumdem in propria mactat persona. O nequissimam animi ægritudinem, quæ adeo violenter innocentes persequitur! Hæc non solum causa est mortis Filii Dei, sed laniat etiam mysticum ejusdem corpus, videlicet Ecclesiam. Est etiam causa dissensionum omnium in hominibus, omniumque dissidiorum, quæ in urbibus, & familiis eveniunt; quod Filio Dei intolerabilius est, quàm si hæc sibi mala fierent. Postbæc, si Christiani sumus, cur passionem hanc non perhorrescimus? Omnes industriæ nervi contendendi sunt, ne illius dolis capiamur, omniaque adhibenda lumina, quæ fides impertit, ut secretos illius motus investigemus, quoniam affectuum omnium hic callidissimus est. Impuritatis affectus sese palàm ostentat; sed invidia clam irrepit in animos, quin intelligatur, atque miraculo opus est, ut inde evellatur. *Ex Sermonibus sub Patris Bourdalove nomine editis, Sermone pro feria 6. majoris hebdomada.*

Quàm noxius, & detestabilis sit invidia.

Invidiam Sanctus Augustinus definit dolorem ex alterius felicitate. Hic detestabilis est affectus hominem dæmoni similem efficiens; invidus enim, ut ille in infernum suum Beatorum paradisum convertit. Hic affectuum omnium est injustissimus; quippe hominem odit, quia bonus est, eique imprecatur mala, quia felix; & quod magis mirum est, eum damnat, quia integer est, scelerisque purus. Hic iracundus affectus est Deo simul, hominibusque succensens, qui auferre vellet Cœli, terræque commercium, qui nihil boni operatur, neque alios operari permittit, qui virtutibus omnibus bellum indicit; qui impugnat Spiritum Dei, qui spiritus est veritatis, & amoris; qui bonitatis ejus effusionibus adversatur, & qui gratiarum ipsum fontem exhaurire contendit. *P. Crasset, libro de Fide Villvici. Tomo 1.*

Invidia est character ficti zeli, & falsæ pietatis.

Vis characterem eorum qui falsò devoti sunt, & se zelo accensos simulant? Secreta flagrant invidia in eos, qui veram excolunt devotionem. Ea improbitate, quæ nonnisi a dæmone proficisci potest, metuunt, ne illis faveat Deus. Vellent, si possent, divinum illis avellere auxilium. Extinguerent, si possent, ignem, quem ille in eorum effundit corda; quia inanibus conatibus suis illum in se detrahere non valuerunt; fictaque imitatione zeli Sancti Pauli vellent ipsi ferme infelices esse non propter fratrum salutem, sed propter eorumdem interitum. *Ex Vita Prophetarum, vita Prophetæ Eliæ.*

Quinam sunt funesti effectus invidiæ.

Hæc, ut Scriptura testatur, causa fuit iræ Cain in fratrem suum. Dæmon qui per invidiam corruperat patrem, hujus ipsius invidiæ detestabile virus in cor filii effudit; fecit ut insurgeret in fratrem, vel potius Deum, quem in persona Abel offendit: etenim quò apertiùs intellexit Deo justum illum jucundum esse, eo magis in hunc ira ejus exarsit. Ostendit ille quò usque progredi poterant infelices interioris hujus pestis effectus, ubi semel animum alicujus pervaserit, & videtur, quemadmodum hominum primus expositus fuit toti mundo

do

do tamquam terribile exemplum, ut doceremur quodnam sit crimen hujus vitii, & quomodo illi resistat Deus; ita hunc primogenitum inter filios hominum ab initio similiter fuisse propositum tamquam exemplum, in quo terribiles invidiæ cerneremus effectus. *Ex Moralibus Sermonibus, Sermone hujus argumenti.*

Invidiæ nequitia.

Cætera vitia illam tantum virtutem impugnant, cui sunt opposita; sed invidia virtutes omnes aggreditur. Voluptas, quæ in aliis peccatis percipitur, aliquam videtur afferre excusationem, ut eorum gravitas imminuatur; sed invidis nulla voluptas est, utilitas nulla: artem inveniunt spinas tantum metendi, ubi alii flores tantum demetunt. Fructus omnis, quem ex invidia percipiunt, est amaritudo, & dolor, digni profectò hac arbore fructus. Omnia in virus convertunt, & nonnisi felle, ut ita dicam, nutriuntur. Aliorum quidem bona illos infelices efficiunt propter dolorem, quem inde concipiunt; mala verò nocentes reddunt propter improbam lætitiam, quam inde percipiunt. Invidus sibimet carnifex est; peccatum ejus ipsius est pœna; impunis abire non potest; licèt illi Deus parceret, ipse se satis punit. *P. Nepveu in Christianis Considerationibus Tomo 1.*

Invidia ex virtutibus vitia facit.

Sanctus Basilius animadvertit vitiis, virtutibusque adeo similes colores inesse, ut non ita facilè valeant dignosci. Prodigalitas, exempli gratia, quamdam præfert speciem magnificentiæ; temeritas impetu suo imitatur generosos motus, & nisus fortitudinis; atque hypocrisis extrinsecus os, habitumque pietatis gerit: quod duplici hominum generi locum tribuit hac similitudine abutendi, invidis scilicet, atque adulatoribus. Adulator vitia pro virtutibus desumit, lividus e contra virtutes pro vitiis. Adulator ut principum vitiorum tegat vitia, hæc virtutis allinit fuco; & invidus, ut virtutum fulgori labem offundat, has vitiorum colore corrumpit. Si prodigus es, te magnificum dicet adulator; si liberalis, prodigum invidus appellabit. Si temerarius es, te strenuum, ac generosum adulator prædicabit; si fortis, invidus temeritatis te nomine arguet. Quid sibi vult adulator fictis laudibus? Crescere, ac sibi quæstum comparare. Quid invidus? alienas opes minuere, ac si potest, evertere. *P. Noves. Tomo 5. Meditationum.*

Indigna invidi consilia.

Invidiam Sanctus Augustinus *Diabolicum vitium* appellat; dæmonis affectum, spiritum, & caracterem, solum peccatum, cujus ille reus est, eritque in æternum: *Quo sola reus, & inexpiabiliter reus*, idem ait, invidiam nempe, quæ cum ex se satis roboris, meritique non habeat, ut seipsum tueatur, nihil inausum relinquit, ut in excidio eorum, qui nomini suo officere, sibique resistere possunt, suam dignitatem constituat. Si in mundo habentur in pretio, claraque nominis celebritate commendantur, hic semper est effectus injustitiæ mortalium, præoccupationis populorum, atque modicæ eorum cognitionis. Si ad aliquem magistratum, dignitatem, beneficium evehi conantur, aliquid semper vel in eorum familia, vel persona deprehenditur, propter quod indigni existimantur; si eò tandem perveniunt, non meritis suis, sed amicorum suffragiis, & principum virorum gratia voti reos factos invidus arbitratur. *Idem.*

Invidia charitati opposita. 1. ad Cor. 13.

Invidia omnino charitati opposita est, in omnibus effectibus, quos Sanctus Paulus huic virtutum Reginæ tribuit: *Omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* Charitas credit ea, quæ de aliquo bona dicuntur; invidia autem a contra nihil credit; & mala tantummodo credit; noctua est, quæ virtutis fulgorem ferre non potest; imitatur insecta, quæ vulneribus, & sordibus adhærescunt, ea verò, quæ sunt sana, relinquunt. Frustra aliquem laudibus extollere niteris, nihil horum verum esse invidus existimabit. *Charitas omnia sperat*, sed invidia e contra, sperat felicis hominis prosperitatem non diu permansuram; si enim prosperis rebus perfruitur, sperat inopinato quodam eventu de gradu sui deturbatum; si aliqua corporis, animique præstat prærogativa, vel si in honore habetur, invidia sperat futurum ut hæc brevi atterantur, vel fastidium creent. Denique charitas *omnia sustinet*: at invidia nihil ferre potest, nemini parcit, levissimos etiam defectus enormia scelera putat, & si charitas tegit multitudinem peccatorum, illa in apricum profert invidia. *Ex Anonymo.*

Seipsum excutere opus est, utrum invidiæ crimine sit reus.

Rite cor tuum scrutare, numquid aliqua ibi lateat amaritudo in eos, quorum merita tuis offundunt caliginem? Nonne illos objicis tamquam scopum omnibus irrisionibus, atque obtrectationibus tuis? Si hujus vita non adeo reprehensibilis est, nonne omnes inquiris occasiones in suspicionem vocandi mores ejus, ut crudelem hanc referas consolationem qua dicere valeas, numquid facit, quod docet? Numquid iis abstinet vitiis, quæ in aliis reprehendit? At si vita ejus irreprehensibilis est, quoties illum hypocritam vocas? quot falsis judiciis ejus intentiones, & verba in nefarium sensum traducis? *De la Volpilliere, Sermone de S. Joanne Baptista.*

Confusio, & malum, quod gignit invidia.

Ubicumque invenitur invidia, nihil est nisi tumultus, discordia, confusio. Pestis est eos omnes occidens, quibus adhærescit, eos anxietate, atque tristitia replet, eosque omni privat tranquillitate. Causa, quæ illam parit, bonum est, quod vel reipsa est, vel esse putatur in fratre. Illius virtuti, atque pietati succenset invidus; illi auferre conatur, quidquid censet eidem nominis celebritatem conferre; ejus existimationem aggreditur, eidem nebulam conatur offundere; non desunt calumniæ, & commenta; nihil intentatum relinquitur; & cum eidem auferri nequeant virtutes, quas habet, eidem vitia allinuntur, quæ minimè habet. Numquam bonum aliquod operari videtur, quin aliquod malum fiat, propter dolorem, quo invidus afficitur; & tela omnia, quæ in illum contorquere conatur, omnia in ipsum relabuntur. Cum vident invidi, alios sibi laudem mereri, ita dolent, ut in se ipsos suam rabiem convertant. *Abbas Trappensis, in explicatione Regulæ Sancti Benedicti. Tomo 1.*

Invidia infelicem facit invidentem.

Numquid opus est, hoc verme devorante nos in terris torqueri, quemadmodum si jam essemus in inferno? At enim non oculos, non cor habemus, nisi ut cum molestia, ac dolore aliena bona intueamur; & hæc improba animi ægritudo ita nos urget, ut finitimorum affluentia nobis paupertatem inferre, nobisque bona, quin ne ea quidem tangat, eripere videatur. Quod alii ditescunt, nihil nobis possidere videmur, vel saltem luculentissima, & uberrima prædia, quibus fruimur, nos ultra non movent. Invidia hæc mentem nostram lacessit eousque, ut illi persuadere velit, etiamsi nulla fiat iis, quæ possidemus, bonorum accessio, nos tamen repente opulentissimos fore, si illi omnes, qui nostræ sunt conditionis, nobis essent pauperiores, vel inopinatus casus aliquis eos calamitosiores efficeret... Cur autem cum amabili oblectatione tamquam propria mihi efficere valeam, quæ ab alio possidentur, cumque mihi liceat ex alienis bonis, & perfectionibus ditescere, sine consilio eum, a quo possidentur, bonis ejiciendi, malim per invidiam pauperem esse, quàm divitem per amorem? *Ex Anonymo Auctore.*

Invidus vult esse solus.

Verus invidentis caracter, Sanctus Bernardus ait, est velle singularem esse, ac inter alios enitescere. Eruditus est? nullum patitur parem. In mundi negotiis transigendis peritus? cuperet neminem eadem arte pollere. Fortis est, vel decorus forma? si alium iisdem prærogativis ornatum illi objicis, invidia rumpitur; vult esse solus.... Non carnis, sanguinisque vincula, non mutuæ necessitudinis officia, non ob accepta beneficia gratus animi sensus efficere possunt, ut invidus resi-

piscat;

piscat; accolæ, amici, consanguinei, quos videt, quos novit, qui eamdem vivendi rationem profitentur, cum quibus versatur, quibus adhæret, hi præcipua sunt, vel dicam melius, sola invidiæ ejusdem objecta. *Ex moralibus Sermonibus.*

Invidia implacabilis sit.

Nequieqnam David omnes industriæ nervos intendit, ut Sauli redeat in gratiam, eique fidem suam probet: nequicquam fidium sono improbum, quo torquetur ille, spiritum mulcet. Saul licèt convaluerit, illum adhuc impensiùs persequitur: atque invidia semper acuitur id consilii initura, quod ad hominem perdendum sit accommodatius. Inde simulatæ reconciliationes cum illis, qui timentur, inimicis, ut negotiorum eorumdem secretum esplorari queat, ac tutò illos perdere liceat: hinc malignæ interpretationes verborum, quibus virus adspergitur; hinc excitatæ lites, & conceptus nequam, qui apud principes viros serantur contra eos, qui licèt præclaris dotibus fulgeant, tamen non ita felices sunt, ut placere valeant. Hinc consilia interrupta, atque de integro suscepta; hinc secreti doli; quæsitæ occasiones, & facinus in opportunius tempus dilatum &c. *Ibid.*

Pœna, qua Deus invidentes persequitur.

Jussit Deus, Cain invidentium patrem erronem, vagumque ambulare, secum supplicium infernumque suum gerentem, eumque mortalium oculis objecit tamquam animatam suæ justitiæ columnam, ac terribile suarum ultionum exemplum, quemadmodum loquitur Sanctus Gregorius Nazianzenus: *Tamquam justitiæ divinæ animatam columnam.* Idcircò voluit hunc diutius vivere, atque plurimas lustrare terras, ut quicumque eidem occurreret, eum videns ita inquietum, anxium, torbatum, errabundum, adeo gravium pœnarum adspectu ab iisdem sceleribus deterreretur. Deus in hac vita nullum gravius invenit supplicium, quo invidentem puniat, quàm illum crudeli huic animi ipsius ægritudini tradere. Permittit exempli gratia, ut aulicus in aula permaneat, audiat encomia, & munera quæ illis conferuntur, quorum dignitatem ferre non potest, ut suis oculis, auribusque torqueatur. Permittit, ut mercator inter alios complures collocatus sit, ut quotquot viderit in aliorum officinas ingredientes, & egredientes tot curis angatur; & sensus sui ejusdem carnifices fiant, atque jugiter se sua lancinari sentiat invidia. *Idem.*

Ejusdem argumenti continuatio.

Talis est invidentium spiritus; in ipsa sua pernicie obstinari, ipsi sui sunt carnifices, atque tyranni, fronte sua, ut olim Cain, quasdam visibiles maledictionis notas circumferentes; vel gerentes in anima invisibiles reprobationis caracteres in hoc mundo peccati sui pœnas luunt. In mundo vitam ducentes ibi jugiter tristitiæ, ac desperationis occasiones inveniunt. Hujus superbia illis est non ferenda: illius verba ipsum fatigant; ea etiam urbanitatis officia, quæ sibi adhibentur, eidem onerosa sunt, & molesta. Mirum! Solitudo, quæ plurimis liberat curis eos, qui in mundi luce versantur, nullam tamen invidis requiem adfert, nullum solatium: Verum est, objecta, quæ illius excitabant invidiam, semota esse; sed crudelis hic affectus, ea iterum admovet. Mulier hæc non videt amplius eam, cujus species suæ officiebat pulchritudini: Vir hic non audit amplius ejus laudes, cujus honorem ferre non potest; sed cum malum intrinsecus lateat, quocumque abeat, secum suam defert pœnam, atque supplicium. Sexcentæ importunæ considerationes requiem, quam nansci studet, perturbant; mens iis semper opplera, quæ suis oculis, auribusque acciderunt, illum inter ipsas delicias excruciat. Suis traditus suspicionibus, & anxietatibus, amarissima recordatione ea repetens, quæ jam præterierunt, metu, & sollicitudine futura prævertens, rebus omnibus torquetur, ac nullum solatium nanciscitur. *Ex Dictionario Morali, Sermone 1. hujus argumenti.*

Hujus Argumenti continuatio.

Esto etiam, si benignus vota illius exaudires Deus, eique voluptatem permitteret ut adversa jactatum fortuna, profligatumque videret illum, cujus felicitatem, & dignitatem æquo ferre non potest animo; sed manifestum est oraculum: *Desiderium peccatorum peribit.* Martyr sine fructu, infelix sine solatio duram æquè, ac sterilem agit pœnitentiam: Duram quidem propter curas, quibus uritur, sterilem verò propter modicum fructum, quem sua illi adfert tristitia; duram propter crudelem pœnam, qua intrinsecus torquetur, & propter dolores, quos cuipiam communicare non audet; sterilem propter molestiam, qua afficitur videns eos prosperis rebus lætari, quorum felicitatem pati non potest. *Idem.* Psal. 111.

Invidus se invidiâ pœna cruciat.

Finitimi fortuna tibi accidit permolesta; at numquid ideo minus felix erit? Necessitudines illius, quas tibi conciliare cuperes, auscultabuntne pravam cordis tui dispositionem? Nominis celebritas, quam egregiæ hominis hujus virtutes promeruere, te affligit; at numquid ideo illius existimatio interibit, atque obtrectationes tuæ nonne te magis contemptibilem exhibebunt? Quæ dementia igitur, quæ cæcitas, qui furor se adeo crudeliter, atque inutiliter torquere? quæ barbara voluptas est sibi id auferre, quo nihil in vita suavius, & jucundius esse potest; & neque aliis utilem esse, nec sibi? Quonam horribili fascino deceptus simul noxas, pœnasque augere vis, frequentia peccata, quæ committuntur, & ultiones, quas Deus requirit? *Idem.*

In inferno damnati Sanctorum felicitate torquentur.

. Cœlestis Beatorum gloria reproborum in inferno tormentum constituit. Dives nequam magis ferre videtur ex intuitu Lazari in sinu Abrahæ, quam ex vi flammarum, quibus torquetur, Sanctus Chrysologus inquit: *Plus torquetur Cœlo, quàm inferno;* & dicere possumus, invidentem fratrum suorum felicitatem sibi in pœnam convertere; ex eorum secunda, prosperaque fortuna illius mœrorem atque tristitiam oriri; ac futurum ut suæ infelicitatis non admodum tædeat, si hoc illi crudele esse posset solatium videndi alios quoque infelices. *Idem in Considerationibus.*

Invidentis tormentum juge.

Ambitio, avaritia, impudicitia non semper eos torquant, quibus dominantur; illis immo per intervalla quamdam consolationis speciem tribuunt, quæ licet fallax, & fatalis non sinit vera illorum mala delinire; sed invidia his videtur intervallis carere; actio illius jugis est, & sexcentis rebus excitatur. Modò inimici prosperitas, modò alicujus boni possessio, modò aliqua donatio, vel hæreditas; modò voluptatis alicujus fruitio, modò laus, vel præmium illam cient. Omnia illam irritant; & licet invidenti omnia e sententia contingerent, non ideò tamen voti sui compos esset. *Idem.*

Quam vulgatum sit hoc vitium.

Illi ipsi, qui hoc vitio maximè torquentur; se huic obnoxios esse nequaquam fatentur. Attamen adeo universale est, multiplex, & fœcundum, ut e S. Cypriani sententia totum terrarum orbem late sua labe inficiat: *Late patet, & multiplex, & fœcunda pernicies est.* Hæc animi ægritudo cæteris quibuscumque singillarim sese commiscet, contra cujuslibet generis objecta ruit, omnibus bonorum generibus, æquè adhærescit, sive corporis sint, sive animæ, sive gratiæ, sive fortunæ. Hæc in quolibet statu grassatur, in qualibet professione alitur, in omnes conditiones obrepit, in omnem sexum se insinuat, & in qualibet ætate deprehenditur. Quodnam igitur utilius hodierna die eligere possum argumentum, quàm si toto nisu ad vitium hoc adeo universale, ac monstrosum evellendum incumbam? *Ex Manuscripto hujus Argumenti sermone, qui Patri Massillon attribuitur.*

Invidiæ radix superbia.

Origo invidiæ superbia est: *Radix invidendi superbia.* Prælationis, honorum, & dignitatum amor invidiam ciet; hic efficit, ut inter eos, qui idem vitæ genus, eamdemque artem profitentur, & qui in eodem statu, atque fortuna sunt, ferri non possit æqualitas, ut nequeunt tolerari eorum auctoritas, qui nobis dominantur, neque per-

permitti, ut existimatio, qua soli frui cuperemus cum aliis dividatur; qui ut plurimum æquiori jure illam merentur: ita ut omnes aliorum progressus, prærogativæ omnes, prælationes, quibus alii anteferuntur, invidiam cieant, atque instar venenatorum jaculorum invidentium corda transadigant qui semper inquieti, tristesque sunt, eo quod numquam accedere possunt ad eam dignitatem, qua alios coruscare intuentur. Ita loquitur Sanctus Augustinus. Hæc funesta corruptio est quæ omne spirituum genus depravat, velle semper ita comparari, qui supra nos sunt, minima pati, ut paribus exæquemur; metuere quamlibet comparationem, quæ de nobis fieri potest, atque ita mœrore confici, cum aliquis nobis præfertur, quem infra nos esse arbitramur. *Idem.*

Videtur oblectari Deus illos attollens quibus in videtur.

Videtur invidia felicitatem illis afferre, quorum dignitati, & fortunæ invidetur; bona eorum in dies magis videntur augeri, atque divina Providentia oblectari eos bonis cumulans, quibus invidi incessanter perniciem moliuntur. Ita in Scriptura videmus Deum ad Josephi dignitatem usum fuisse fratrum invidia. Læsos se putabant ea prædilectione, qua Jacob pater illum prosequebatur; at Deus voluit hunc in omnibus rebus prosperis Israel regnare, quemadmodum alia in occasione dixit: *Videbis æmulum tuum in Templo, in universis prosperis Israel.* Illos irritavit somnium a Joseph narratum; eumque per invidiam hunc venum dedissent alienigenis populis aliquantò post coram eodem sese prosternere, eumque tamquam salvatorem patronum, absolutumque fortunæ suæ arbitrum fateri debuerunt. *Idem.*

1. Reg. 2. 3.

Fallacia bona invidiæ objectum.

Invidetis, quid autem? hujus mundi bona, sæculi honores, ideoque tamquam inimicos vestros respicitis eos, quibus hæc Deus affluentius tradidit, quàm vobis. Verùm ut in vobis injustum hunc deleatis affectum, cogitate solum, quænam inde utilitas, quod bonum percipiatur. Quonam hæc tendunt? eò, ut illos, qui in hac vita beati sunt, in æternum infelices efficiant. Hoc autem crebrò contingit. Quid magnum illum in mundo virum damnavit? honores, plausus, quos tantopere in hac vita illi invidistis; potestas illa, ac dignitas, propter quam parum abfuit, quominus numinis instar coleretur in populo, oblivionem immisit, quod ipse a Deo magnus esset effectus, & quod hæc omnia illi referenda erant accepta. Quid divitem illum damnavit? bona, thesauri, ex quibus sibi idolum effecerat; quibus omnes suas cogitationes impendens, omnem æternæ beatitudinis, cui destinatus erat, sensum, & amorem abjecit. Quid hominem illum honoribus, atque dignitatibus ornatum damnavit? auctoritas, qua abusus est, ut opprimeret pauperem, diviti opitularetur, & quam in injustitiis exercuit, & suæ ambitioni submisit. Quid illum mercatorem in eo damnavit commercio, quod aliis mercatoribus ciebat invidiam? summa illa calliditas, quæ illi occasionem præbuit nectendi dolos, ingentia exercendi fœnora, ac iniquitatis thesauros congerendi. Quid mulierem illam, hunc Ecclesiasticum &c. Nonne vos invidetis hanc potentiam, hos honores, has opes, hanc auctoritatem, hunc prosperum fortunæ cursum? &c. *Idem P. Massillon.*

Invidia nos dejicit eodem momento, quo superbia nos attollit.

Invidia non aliud est, quam sensus, & effectus superbiæ, quæ supra cæteros nos attollere admittitur, & humiliationis principium, quod infra illos nos deprimit, Sanctus Gregorius inquit: Etenim ex quo alteri cuipiam exæquari contendis, liquet, te jam fateri, huic imparem esse: *tibi testimonium præbes, quod ipso minor es.* At hæc humiliatio tua non semper ita latet in mente, ut sese voce non prodat. Hinc fit, ut postquam invidia mœrorem peperit in invidentis sensibus, atque cogitationibus, fiat etiam ejusdem tormentum in sermonibus, qui non aliud sunt, quàm obtrectationis jacula eorum existimationem vulnerantia, quorum fors invidetur. Scio obtrectationis linguam adeo latè patere, ut omnes sese ibi affectus immisceant; verùm etiam scio, invidiam hoc infirmitatis charactere distingui; non enim his sermonibus utitur, nisi ut se alienis attollat sumptibus, atque illis abroget fidem, quibus æquari non potest. *Idem.*

Invidus sibi magis, quàm cæteris officit.

Divinæ Providentiæ immortales gratiæ habeantur; invidus non tam aliis obest, quàm sibi: etenim ex quo de aliis obloquitur, in se eam confusionem, probrumque detrahit, quo humiliatur. Frustra profitetur se per invidiam non loqui, sed ratione, atque justitia ea probari, quæ dicit; ita enim crudelem animi sui perturbationem dissimulare conatur. Sed mundi spiritus quantumvis corruptus, satis est perspicax, ut invidentis artem agnoscat; & facile deprehendit intentionem, quæ illum ita loquentem inducit. Sermones illius audiuntur, & fortasse re adhuc integra totum illorum vitus non omnino cognoscitur; sed diu latere non potest, neque prohibere, quominus seipsum evertat apud eos, coram quibus alios perdere conatus fuerat, atque hoc pacto invidia sibi officit, dum aliis studet obesse. *Idem.*

Invidia universo mundo communis.

Detestabilis hujus criminis horror non imminuit ingentem eorum numerum, qui sunt eidem obnoxii; quia in omnium mortalium conditionibus effusum est a Regibus ipsis ad abjectissima usque mancipia. Hoc solum intercedit discrimen, quod in Principibus viris, Aulicisque invidia est dissimulatior, & magis occulta, in populo verò, & in hominibus, vulgò non minus improbitatis habet, sed minus dissimulata est, & magis patet. Agnovi, Sapiens ait, nullibi proximi invidiam deesse: *Industrias animadverti patere invidiæ proximi. Ex Anonymo Auctore.*

Eccl. 4.

Ex quibus indiciis invidi cognosci valeant.

Dispositiones, quibus ad vitium hoc adeo execrabile ferimur, & cui se obnoxium nemo fateri audet, in illis apparent, qui vellent honorem omnem, quæstum, fortunamque sibi deferri cum eorum detrimento, qui rebus hujusmodi gaudent: qui abrogant fidem aliis ejusdem ordinis, ac professionis hac mente, ut eorum profectum prohibeant; qui mœrore conficiuntur ob ea, quæ prospere eveniunt, similibus sibi, quasi obicees essent suis consiliis, suæque felicitati, qui lætantur eorum interitu, qui injustis conatibus suis resistere poterant; & generatim illi omnes, qui dolent ob proximi sui felicitatem, nec non ob illius calamitatem, excidiumque lætantur. *Idem.*

Invidia plurimorum fons peccatorum.

Sanctus Jacobus Apostolus paucis omnes invidiæ effectus comprehendit verbis, quibus usus est ut execrabilis hujus vitii characterem exhiberet: *Ubi zelus, & contentio, ibi inconstantia, & omne opus pravum.* Mala, quæ illinc oriuntur, Sanctus Gregorius enumerat, eaque infelices crudelis matris filios appellat. Sed melius adhuc nobis in Bibliis exhibentur eorum exempla, qui Moysi inviderunt. Core, Dathan, & Abiron Moysis, & Aaronis dominationem pati non potuerunt; tanta in illos invidia flagraverant. *Cur elevamini supra populum Domini?* De invidia ad inobedientiam gradum faciunt, de inobedientia ad murmur, de murmuratione ad apertam seditionem. Sed insignem de illis ultionem poposcit Deus; terra enim sub pedibus eorum dehiscere visa est, atque sua aperire viscera, ut viventes adhuc deglutiret. *Desumptum partim ex Joli sermone hujus argumenti.*

Jacob. 3.

Num. 16.

Dei unius est suam zelare gloriam.

O gloriæ Deus! tuum tantummodo est citra scelus gloriam tuam zelare. *Dominus zelotes*; tu enim unus illam sine divisione mereris; neque ullum habere potes competitorem, nullum enim habere potes æqualem. At nobis, Domine, longè aliter accidit. Gloria publicum bonum est iis dividendum, qui eam merentur; & injustus est, qui alteri eam invidet partem, quæ eidem contingit. *Sermo manuscriptus.*

Invidemus aliquando iis etiam qui sunt inferiores.

Invidia nonnumquam a superiore ad inferiorem descendit; ecce autem qua ratione id fiat. Inveniuntur nonnumquam imbecillia ingenia, quæ fors,

vel

vel falsa præjudicia supra aliorum caput attollunt sine merito, sine experientia, sine doctrina; & sæpe in subditorum numero vident homines recto, solidoque spiritu præditos, & quorum merita neminem fallunt. Tunc invidia succedente necessariæ existimationi, quam meriti præstantia illis aufert in eorum gratiam, quibus non alia re, quam sua dignitate antecellunt, quid tunc evenit? id, quod Sanctus Augustinus inquit: *Inferioribus invident, ne sibi coæquentur*. Metuentes, ne sibi officiat eorum existimatio, quos sibi subjectos intuentur, nihil intentatum relinquunt, nulli rei parcunt, non vexationibus, non tyrannidi, non furori, non calumniæ, ut illos evertant. Conantur quidem invidiæ suæ zeli colorem prætexere, ac privatis odiis nomen virtutis appingere pro legum observantia: sed facile hypocrita cor eorum detegitur, & seriùs ocyùs ad eum rediguntur statum, quem ipsi aliis intolerabilem effecerunt. *Idem*.

Superioribus invidemus.

Invidia aliquando, & sæpius etiam ab inferiore ad superiorem ascendit: *Superioribus invident, quod eis non coæquentur*. En autem cur naturaliter aliena elevatio invidiæ causa est: magna dignitas magnum est lumen infirmos perstringens oculos; quisque seipsum consulit, & sciscitatur, cur eos non occupet gradus insignes, quos se mereri arbitratur; defectus, qui in eis deprehenduntur, qui ad gubernaculum sedent, efficiunt, ut justitiæ nomine redarguatur fortuna, & eorum, qui dignitatibus fulgent, indignitas exprobretur. Hinc obmurmurationes, & questus in eos, qui in dignitate sunt constituti. *Superioribus invident, quod eis non coæquentur. Idem*.

Æqualibus invidetur.

Cum duo ejusdem præterpropter ordinis, ejusdemque ætatis sibi æmulantur, tunc hæc animi ægritudo magno cum impetu erumpit. Metuunt, ne superentur; minimum prælationis indicium utrumque prosternit, & quidquid alteri suffragatur, alteri lethale vulnus infligit.... Invidia hæc oculos habet inquietos, & improbos; cum alter alterius bona respiciat dumtaxat, ut doleat, infortunium, ut gaudeat, facta, moresque, ut censoria nota corripiat, prosperitatem, ut obmurmuret, & conquetatur. *Idem*.

Invidia inter doctos, & amicos.

Cum scientia inflet, & bonum sit homini proprium magis quàm quidquid extrinsecus possidet, nemo nisi ægrè, & gravatè ingenii, vel eruditionis laudem alteri cedit. Hinc tot contentiones, quæ charitatem perturbant; hinc tot inanes disputationes, quæ sæpe Ecclesiæ unitatem scindunt, magis florentia corpora sejungentes..... Amici quoque huic obnoxii sunt malo; quemadmodum nulla est amicitia, quæ ubi ingens patiatur detrimentum, perseveret; ita nulla est quæ magnæ non cedat invidiæ. Utique, dicere audeo, invidiam semper eam esse, quæ arctissima necessitudinis vincula scindit. *Idem*.

Invidia charitati contraria.

Peccas contra charitatem, quam fratri tuo debes, ejus prosperis rebus dolens. Re enim vera ubinam tunc ille amor est, quem illi debes? Bonum illius factum est malum tuum, & amas illum. Charitatis est proximorum calamitatibus condolere, flere cum flentibus, & cum iis, qui lætantur, lætari. O infelix, ordinem a charitate institutum invertis; ploras enim cum gaudentibus, & cum plorantibus gaudes. Liceat mihi, ea tibi verba dicere, quæ olim Deus ipse invidorum omnium sævissimo, & antesignano: *Quare concidit facies tua?* Unde hic oris habitus tristis, & pallidus? Quare solitudinem quæris, & in recessu tuum foves mœrorem? Charitas in corde tuo revivíscat; & hilaritas in oculis tuis enitescet. *Idem*. *Genes. 4.*

Invidia peccatum est, quod se sibi abscondit.

Certum est, amorem proprium, qui, generatim loquendo, omnia vitia nostra nobis dissimulat, maxima uti versutia, ut hoc præsertim abscondat. Nemo sibimetipsi fateri vult se invidum esse, & ista confessio simul, & verecundiæ est, & imbecillitatis. Et sane nonnisi alienis meritis invidemus, quibus tamen intus, & in corde æquiores nosmet judices præbemus. Cognoscimus illius præstantiam, qui invidiæ nobis objectum est; sed quomodo nobismet dicere detrectamus, nos illi inferiores esse, ita etiam refugimus fateri, nos invidiam fovere. Hinc fit, ut quæramus, ac tandem inveniamus rationes odio persequendi illum, quem licèt inviti habemus in pretio; in illius persona centum deprehendimus defectus aliorum oculis latentes; illius imbecillitatem scrutamur; libenter adhibemus aures iis, qui nostro obtrectant competitori; idque, ut secreta fruamur voluptate nobismet persuadendi, quod illum potius propter defectus oderimus, quàm propter merita eidem invideamus. *Sermo manuscriptus*.

Multo magis admittimur, ne invidia nostra vulgò deprehendatur.

Si tanta cura nobismet invidiam nostram abscondimus, multò majori illam vulgò ne pateat, dissimulare conamur; satis enim intelligimus, si hæc prodeat, imbecillitatem nostram omnibus exploratam futuram, & idem fore, ac si palam nos inferiores esse fateremur illis, quibus invidemus. Nihil igitur intentatum relinquimus, ut illam celemus. Studemus zeli, vel indignationis nomina prætexere contra illos, qui sunt invidiæ nostræ objecta. Mene invidum, dicimus; undenam, cur? Quid in homine hujus generis invideam? Attamen hi affectati contemptus non aliud sunt, quam dissimulatio furoris, quem in nobis invidia ciet. *Ad odium referunt, quod invidia esse, sibimet conscii sunt. Idem*.

Invidus in mœrore suo nullum invenire potest solatium.

Invidus, qui suum malum abscondit, neque audet, ulli tristitiæ suæ causam communicare, illam solus deglutire debet: non habet illud solatium adeo naturale reliquis omnibus sollicitudinibus. Dolor noster leniri videtur, ubi cum amico illum communicamus; at ullumne uspiam vidisti, qui bona fide se invidum esse confiteretur? Videtur præ mœrore contabescere, quem alicui aperire erubescit. Hinc cordis angustiæ numquam malum suum detegentis. Illius dissimulatio ipsi est venenatus fons æternæ sollicitudinis: minus esset infelix, si posset esse sincerus. Nonne ideo videtur colore plumbeo, lividoque, pallida facie, oculis introrsum recedentibus, tristi obtutu in hac etiam vita peccati sui secum ferre supplicium? *Idem*.

Invidia peccatum, cui mederi difficillimum est.

Hæc dissimulatio, quæ invidentem miserrimum facit, illum etiam incorrigibilem præstat. Sanctus Cyprianus hanc suggerit mihi sententiam: *Zeli vulnera*, ait ille, *abstrusa sunt, nec remedium ex cura medentis admittunt*. Sanè morbus, qui in conscientiæ suæ latebris delitescit, prudentissimorum etiam Directorum cura sanari non potest. Et profectò ullumne audimus in sacris pœnitentiæ tribunalibus se invidiæ crimine accusantem? Cætera quæcumque vitia in hominum cordibus impressionem efficiunt; iracundia, calumnia, iis etiam, qui minus religiosi sunt, scrupulum injiciunt, eique remedium in Sacramentorum usu perquirunt. Invidia capitale peccatum est, uti cætera; sed quotusquisque illi advertit animum. Heu! quomodo execrari possumus id quod diligentissimum quoque fallit examen? *Calamitas sine remedio, odisse felicem*, idem S. Cyprianus ait. Invidia malum est immedicabile, quia ignoratur. *Idem*.

Ob bona præsertim fortunæ invidemus.

In corrupto hoc orbe non aliud ferme bonorum genus, quam fortunæ cognoscitur; illis potissimum inhærere consuevit invidia. Itaque in iis omnibus professionibus, quæ ob quæstum exercentur, invidia est veluti peccatum dominans. Negotiosus homo ægre fert collegæ sui progressum, quem industria ditiorem facit; verùm cum in id genus negotii non modica spectetur utilitas; ita in illis magis pertinax invidia deprehenditur. Quid intentatum, inausumque prætermittitur, ut vicissim alter alterum fallat, & perdat? Quot fictæ narrationes, quot injustæ versutiæ, quot scelera eorum, qui sunt in dignitate constituti, cum ut alteri, cujus invident honori, noceant, tum ut

fortu-

fortunam suam propriam stabilemque faciant! In commercio ad quæ mala non trahit illos invidia, qui propter lucri aviditatem in eodem studio versantur? Quo stratagemate non utuntur, ut competitori detrahant fidem? Mutua Mercatorum invidia, qui sunt ultro citroque in mutuum interitum succensi, fere semper utrique est perniciosa. Hinc quænam in bonorum auctione licitatio? Quodnam insanum facinus ut competitoris lucrum prohibeatur? Ob mercenarii quæstus cupiditatem figulus, ut ajunt, figulum odit? Intra ejusdem urbis septa fere numquam pacem inter se illi fovere videntur, qui artes easdem profitentur. Recentia hujus commercia, sunt alterius jactura, & detrimentum. Hinc quænam discordiis iis in corporibus, quæ si consensus adesset, starent, atque florerent! Eousque, Salvianus ait, ut Deus, qui humanis affectibus utitur, ut rectum in universo terrarum orbe ordinem tueatur, ideo mutuam id genus permisisse videatur invidiam, ut homines utilius eorum opera uterentur, & illorum labor minori pretio conduceretur; *Invidia mercenariorum; diminutio mercedis est. Idem.*

Invidiæ Invidique caracter.

Cor, quod invidia rodit, ita palam eas intelligit caussas, quæ illum pudore suffundere deberent, ut vulnus suum aperire non audeat; se ipsum verò curare non potest, eo quod suis remediis virus inspergit. Existimatio, qua proximum suum in pretio habere debet, est vulneratiæ curationis apparatus; neque ulceribus depascitur, nisi quod illum plurimi facere teneretur; ac minori dolore conficeretur, si minora proximo merita inessent. Si ab eo quæsieris, in quo ejus ægritudo consistat, hanc aperire non audet. Æger, qui curari vult, non metuit confiteri medico, utrum ex capite, an ex pectore laboret? Interroga invidum, quam gravi dolore torqueatur; quid ille reddet? Se miserum non esse, nisi propter alicujus egregias animi dotes, prosperamque fortunam. Hæc profectò origo est illius veneni, quo contabescit. Sed ille qui adeo ignavus est, ut alienis bonis tristetur; adeone humilis erit, ut se inde tristitia confici fateatur? Malum, quo urgetur, adeo turpe est, ut illud dissimulare teneatur; ipse verò sibi in illo indulget, illud amat, & palpat. Improbam sane animam habeat, necesse est, qui sententiam aliquam & damnet simul, & foveat. *Liber, cui titulus: Remarques sur divers sujets de Religion, & de morale.*

Invidus solus est auctor tormenti sui.

Nihil fortasse adeo palam invidiæ improbitatem ostendit, quàm cruciatus sui inutilitas. Ignavus homo, atque superbus assuescere nequit felicitati illius qui virtute, ac dexteritate præditus est: iniquitas hæc gravissima est, cupere, ut virtus, & dexteritas sint infelices. Itaque motus hic rationem ita prævertit, ut cor illud, quod fovetur, ab eodem disrumpatur, atque lanietur. Quis verbo assequi potest confusionem, mœrorem, tormentum, quo premitur? Invidus tantò magis est miser, quod ipse solus est auctor supplicii sui. Non offenditur, nulla afficitur contumelia, de illo ne cogitatur quidem; at hoc ipsum illic tormenti loco est: inania sibi fingit phantasmata, suas animadversiones adauget, vigilantiam suam excitat, suasque veneno inficit argumentationes, ut malum suum semper magis intolerabile efficiat. Licèt severissimam in se ipsum exerceat justitiam, consilium capere nequit ad cicatricem vocandi vulnus illud, quo devoratur. Qua in re iniquior, & audeo dicere, æquior est etiam. Licet tanto illi ster pretio alere invidiam suam, eam minimè castigat; & quò magis eam palpat, eò magis ipse torquetur.

Effectus invidiæ.

Invidia improbum vitium est, ac perniciosum. Homines docuit contra Deum rebellare, & fratres suos odisse. Hæc discordiam in societatem invexit; hæc prima omnia amicitiæ, & consanguinitatis vincula perfregit: hæc in terras dissimulationem, dolum, perfidiam invexit: hæc fatalis est plerorumque scelerum, quæ totum terrarum orbem inundarunt, origo. Attamen non semper in adeo terribiles effectus palam erumpit. Sæpe similis videtur lento veneno, quod sensim rodit, & eum, qui invidet, & eum, cui invidetur. Verùm si suam celare potest improbitatem, abscondere suam nequit infirmitatem. Invidus mœrore contabescit; atque crudelibus angoribus uritur. Quanam affectus fuit contumelia? qua lacessitus injuria, ut in adeo miserum statum decideret? animo sibi fingit sexcenta phantasmata, quæ ipsi dolorem afferunt: objecta imminuit, & auget ut seipsum magis excruciet: quærit, quomodo exasperare possit vulnus, quo dolet; quænam igitur est occasio, propter quam anima ipsius tanta tristitia laborat? Incurabilis infirmitas? Gravis sine ulla spe evadendi calamitas? Indelebilis ignominia? Tandem enim leve, vulgatumque malum illum in adeo tetram tristitiam, & quamdam desperationis speciem nequit conjicere. Nullum est malum, de quo conqueri possit; immo nullus est inimicus, qui eidem nocere contendat. Sed finitimus, æmulus, ignotus, fortasse aliquis etiam ex consanguineorum numero id assecutus est, quod ille cupiebat: hoc illud est, quod invidum ad desperationem adducit. *Idem.*

Ut ab hac interiori invidiæ peste liberaremur satis esset jugiter ea recogitare, quæ Sapiens ait: *Putredo ossium invidia.* Ossa juxta Sanctorum Patrum explicationem fortes indigitant; etenim quemadmodum in corpore ossa carnem sustinent; ita in Ecclesia fortes regunt infirmos. Animæ igitur quantumvis se fortes esse putent, nonne contremiscere debent, ubi cogitent, invidiam efficacissimum virus esse, quod sensim in cor potest obrepere, ibique quidquid in virtute eorum magis solidum, firmumque est, depravare? Etenim ut ante jam dictum est, tantum invidiæ habemus, quantum superbiæ: superbia efficit ut proprium diligamus honorem; invidia, ut alienum metuamus. Hæ igitur animæ scientia præstantes, atque qualibet alia ex causa spectabiles, sciant, se interire posse, cum interim alii, qui imbecilli, simplicesque videntur, suæ consulunt saluti; quia tantum abest, quod doctis, scitisque hominibus invideant, ut immo luminibus eorum propriæ suppleri posse ignorantiæ arbitrentur: *Liber cui titulus: Instructions Chretiennes.* *Prov. 14.*

Invidia sæpe efficit, ut aliorum sententiis adversemur.

Secreta hæc invidia efficit, ut sæpe aliis adversemur, atque aliorum sententiæ prorsus oppositam ineamus. Vix, ac ne vix quidem prohibere nos possumus, ne vel palam, vel clam illa impugnemus, quæ vel dicunt, vel faciunt. Rationem pro nobis stare arbitramur; aliisque cautiùs, atque modestiùs esse loquendum censeamus. At plerumque secreta, qua in eos flagramus invidia, mentem nostram perturbat, efficitque ut eorum, quæ ab ipsis fiunt, nihil probandum videatur. Hæccine ea est cordis dispositio, qua anima Christiana fratrem suum debet amplecti? *Liber, qui inscribitur: Instructions Chretiennes; pro prima Adventus Dominica.*

Zelotypia fratrum Joseph.

Profectò zelotypiæ effectus, non semper æquè funesti sunt, ac invidiæ; at non ideo sunt minus amari. Quot illa innocentes oppressit, & quot hodierna quoque die secretas victimas mactat? Hæc Josepho libertatem eripuit, & parum abfuit, quominus Davidi vitam auferret, at quænam eorum noxa erat? Ille quidem sapiens, & bene moratus paulò magis præ fratribus suis ab optimo parente diligebatur: hic verò strenuus, & generosus de Philisthæis victoriam retulerat, atque ab omnibus celebrabatur. Utrique sua erant merita; uterque erat in pretio, hoc utrinsque fuit crimen. Verum quousque non pergit zelotypia, si eidem animus admoveatur? *Hac causa invidiæ, & odii fomitem ministravit.* Joseph plus, quam fratres, amabatur. Nihil ulterius requirebatur, ut crudelis in eum accenderetur zelotypia. Hæc animi

ægri-

ægritudo sanguinis vocem non audit magis, quàm conscientiæ. Amicitia, ratio, religio, omnia huic tyranno litantur. Videte quænam fuerit Josephi fortuna, & quænam fratrum ejus sævitia. Inflexibiles adolescentuli innocui precibus; lacrymis inexorabiles; inhumani fratres fratrem alienigenis vendunt: & parum abfuit, quominus manus suas ejusdem sanguine imbuerent; hi sunt invidiæ fructus, hi zelotypiæ. Aliquam in moribus, in Imperiis, in familiis etiam perturbationem invenite, quæ non sit hujus passionis effectus. *Pat. Croiset Tomo 2. Considerationum Spiritualium.*

Zelotypia & invidia Saul in David.

Quis furor, vel dicam melius, quæ insania, Saulem corripuit, eumque adegit, ut illi mortem intentaret, qui præ cæteris unus erat hac luce dignissimus! Improba illum vorat invidia, & ad extrema quælibet urget. Populi liberator, quem invidus Rex insectatur, nullibi nisi in saltibus, nemoribusque perfugium nanciscitur. Profectò Deus illius persecutionem in gloriam convertit. David de exilio transfertur ad solium, & inter Messiæ atavos numeratur. Ita Divina Providentia ipsis etiam humiliationibus utitur ad electorum suorum utilitatem, & gloriam. *Idem.*

Invidiæ natura, & quomodo auctor ejus fuit diabolus.

Invidia iis alitur, confirmatur, & crescit, quæ illam deberent evertere. Impudici libido deferveſcit; iracundi hominis furor lenitur; amor voluptatis, quæcumque illa sit, præterit, & sæpe, qui eam maxime deperierunt, fatigantur, vel tædio afficiuntur. At longè aliud accidit invidiæ; singulis momentis renascitur; & invidus pedem non profert, quin ad singula objecta sibi occurrentia irritetur. Seipsum torquet; nullam sibi requiem permittit, & quidquid bonorum, meritorum, existimationis, honorisque in aliis intuetur, illud sibi ereptum considerat. Hæc passio adeo funestos, adeoque latè patentes effectus habet, ut nihil prætermittendum sit ad eam propulsandam, vel extinguendam. Hæc mortem invexit in mundum: etenim dæmon in infelicitate sua ferre non valens, ut homo in terris viveret, omnibus cumulatus gratiis, & benedictionibus, quibus Deus illum fuerat prosecutus, adeo crudelem in eumdem concepit invidiam, ut decreverit adniti, ut illa exueret felicitate, qua illum perfruentem æquo animo pati non poterat. Artem nactus est illum decipiendi, ut eam, quam Creatori suo debebat, obedientiam detrectans exueretur innocentiæ, atque justitiæ stola, qua fuerat amictus. Lapsus hominis ita præceps fuit, ut verbis satis explicari non possit; & mors fuit criminis ejusdem pœna, quæ ab illius persona in omnem usque illius posteritatem traducta est: *Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum.* *Abb. Trappensis in moralibus Considerationibus in Evangelium S. Matthæi.*

Sap. c. 2.

Invidus in hac vita punitur eo dolore, quem illi parit invidia.

Invidi sua habent tempora; Patitur Deus illos exercere affectus suos, licet injusti sint, atque eos omnes petant, qui præclaras habent prærogativas, & qualitates, quæ illis displicent, & quibus eos vellent exuere. Permittit ad hoc, illos omnibus uti artibus, quasi non haberet oculos vel ea scelera, quæ miseri illi committunt, eidem explorata, & comperta non essent. Verùm cum nullus affectus sit hoc sævior, dici quoque potest Dei manus super eos aggravari, qui eodem se rapi sinunt; & hoc scelus numquam carere suppliciis, quæ suæ improbitati sint paria. Invidus enim pacem hoc in mundo non habet, vota ipsius ita violenter dominantur illi, ut comparari possit homini assiduæ febris ardoribus æstuanti. Hoc in statu invidus adhuc vivens versatur, desideria illius, sunt veluti vindices eorum, quos persequitur, & immoderatus ardor quo absumitur, ne momentum quidem temporis noctu, vel interdiu illum quiescere patitur. *Idem.*

Vitium flagitiosis hominibus invidiæ causam præbet. Psal. 36.

O Deus quàm monstrosæ æmulationes inter impudicos! quàm funestas omnibus sæculis tragedias excitarunt! Jure profectò exclamabat Propheta: *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem.* Ne sinas, Domine, in adeo latè patenti materia, quam invidia complectitur, & in qua exercetur; ne sinas, inquam; me illam persequi, quæ maximè perniciosa videtur. Haud ita; improborum scelera non æmulabor; neque cum illis in voluptatibus, atque impudicitiis certare contendam. *Ex manuscripto Sermone.*

Invidia Saulis in David.

David Saulis, totiusque exercitus precibus actus occidit gigantem, qui universo populo Israel insultabat, & strenuissimum quemlibet in singulare certamen provocabat. Pastoris adolescentuli virtus filiarum Sion plausus sibi conciliavit; ejusque encomia cum Saulis laudibus miscuerunt, dum uterque devictis hostibus reverterentur. Saul, ajebant illæ, percussit mille Philistæm; David autem decem millia. Quibus vocibus ad vivum usque irritatus est Saul. Quid illi deest, exclamat ille, nisi regium diadema? & ex quo furibundam hanc in Davidem concepit invidiam, hunc ad mortem usque persequitur, ac ultra ferre non potest. Sed quorsum istud, o magne Rex? Numquid pastor hæc cecinit verba? Num tibi injuriam voluit inferre? Nonne vitam suam in discrimen adduxit, ac gigantem prostravit? Tueri populum numquid idem est, ac illud ad defectionem impellere; adeo insigni victoria nutantem regni coronam statuere numquid idem est ac eam usurpare? Quid tibi metuendum est cum sis Princeps, absolutusque Dominus in regno tuo? Sed cum tanta flagret invidia Saul, nihili ducit eam gloriam, quæ gratuitò quasi propter mille hostium profligatorum cædem sibi tribuitur, cum interim propter decem millia meritò David celebretur: quod tribuitur ipsi, jucundum non est, eo quod aliquid amplius alteri defertur. *Ex Auctore Anonymo.*

Idem exemplum alter sumptum.

Nonne dicendus est Saul mortalium omnium æque justissimus, & insipientissimus extitisse, eo quod crudeliter persequebatur David ducem copiarum suarum, qui quotidie recentes de hostibus referebat triumphos, qui postquam in fugam egisset, & victor ex prælio reversus esset, universum victoriæ decus Regi referebat, sibi pericula tantum, ac servitutis gloriam reservans? Verùm hic propriè invidiæ spiritus est; quo qui obsidetur, fit suiipsius inimicus, de seipso ultionem expetit, sua rodit exta, atque in caput suum infinitam malorum detrahit iliadem. *Ex alio Auctore Anonymo.*

Turbæ, ac sollicitudines invidentis.

Ubi zelus, ibi inconstantia. Invidus numquam sibi constat: sexcenti affectus sibimet vicissim succedentes cor ejus susque deque perturbant. Adversarii sui gloria illum perstringit; divitiæ torquent, voluptates excruciant, & videtur Deus, ut invidentis indignationem augeat, competitoris ejusdem prosperitatem augere. Saltem invidus sibimet æmuli sui amplificat bona; hujus ager est semper uberior; messis illius semper copiosior, gloria fulgidior: quæ rabies, qui furor! Ita præcepisti, o Domine, ut qualiber ægritudine agitatus animus sibi semper & tortor esset, & tormentum. *Sermo manuscriptus.*

Scelera, quæ per invidiam patravit Saul.

Saulem in vitæ hujus, æternæque perniciem impulit invidia, cui numquam modum studuit immittere. Ecce quinam illius iteré progressus. Audiens laudes, quas Filiæ Sion deferebant adolescentulo pastori, qui de Goliath victoriam reportaverat, subita flagravit invidia. Quid inde? 1. Aruit præ dolore cor Regis. Quid illis faciendum superest, nisi ut mea me exuant purpura, qua novum hoc ornent idolum: *Quid ei superest, nisi solum regnum?* 2. Frustra conatur David citharæ sonitu placare dæmonem, quo calamitosus ille Princeps agitur, suavique fidium concentu lenire atrum mœrorem, quo ille conficitur; in corde invidentis omnia convertuntur in virus; obliviscitur beneficiorum, dexteritatis, ac felicis ingenii hujus pastoris. Jaculum contorquet ut liberatorem, & gloriæ suæ vindicem confodiat; invidia illum efficit homicidam. 3. Hæc passio longius adhuc illum impellit;

1. Reg. 18.

efficit enim patricidam; coactus filiam suam in uxorem tradere David, rabiem suam in illam etiam extendit, cui vitam dederat; subdolus factus, in speciem tantùm redit in gratiam cum æmulo suo, sperans se uno ictu utrumque conjugem transfossurum. 4. Invidia illum ad sacrilegium etiam patraodum, & ad desperationem adducit. Dæmonem consulit: Pythonis excipit sortes circa ea, quæ sibi eventura sunt; invidia efficit, ut obliviscatur arcæ Testamenti, & oraculorum Dei patrum suorum. Denique ut infelicitati accederet cumulus, causa est, ut tamquam desperatus moriatur, a quodam famulo suo mortem petens, atque recipiens; quasi illi turpe fuisset, competitoris sui triumpho superstitem esse. Hic fuit tragediæ finis, quam sola invidia excitaverat, & quæ docet quorum scelerum causa esse consueverit teter hic, & funestus affectus. *Idem*.

Invidiæ character.

Invidia infimarum animatum, pravorumque cordium affectus est; talem quippe esse decet, qui ex aliena prosperitate dolore contabescit. Invidum lædit, qui prospero rerum cursu lætatur. Ullusne umquam iniquior affectus extitit? Egregiæ aliorum dotes illum irritant; ejus improbitas, vulgò, virtutem dumtaxat persequitur: *Nihil sustinet zelus*, Sapiens ait. Odium est, ac dolor alienæ virtutis, & meritorum. Nulla esset invidia, si invidus neminem inveniret, cui potiora quàm sibi merita, & nobilior virtus inesset. Quinam affectus hoc magis odiosus? Fallitur, qui bonis operibus illum extinguere, vel sedare putat: nihil immo illum magis exasperat. Ipsa etiam in rerum prosperitate modestia, illum acerbiorem facit. Quidquid populorum amorem conciliat, illum irritat; felicitas illi displicet, modestia quoque illum lacessit; aliena existimatio ipsius supplicium est; satis est non esse infelicem, ut ad illius tribunal nocens habearis. Suspiciones contumeliosæ, improbæ interpretationes, aculeatæ irrisiones, tetræ obtrectationes, calumniæ, injuriæ, quidquid nocere possunt, illi præsto sunt. Invidia eadem cum mundo jactat incunabula; Abel prima illius extitit victima. Quidquid adnitaris, numquam cum bonis redibit in gratiam; at boni vereri ne debent affectum hunc adeo contemptibilem, præsertim, postquam neque ipsi humani generis Salvatori pepercit. Virtus est illius irreconciliabilis hostis, semperque scopulus est, in quem allidirur. *P. Croiset. Tomo 2. Spiritualium Considerationum*.

Prov. 6.

Invidiæ nequitia ad aliorum merita deprimenda.

Aliquem coram invido celebrare idem est, ac oleum camino addere. Quot improbæ quæruntur ambages, ut aliorum virtutibus labes aliqua offundatur! Quot artes, ut eorum merita deprimantur! Ejus indignatio, & contemptus in eos usque fertur, qui æquiores sa judices præbent. Numquam æquo intuetur animo quidquid nitet. Nimius fulgor ægros offendit oculos. Neque satis est æquissimis finibus ad agendum impelli. Invidus cor ipsum scrutatur, ibique prava consilia deprehendere adnititur; neque enim sibi persuadere vult, aliquem se meliorem esse. Hæc omnia censuræ improbitati obnoxia sunt; illius objectum fit quicumque virtutem habet, quam alii laudibus celebrant; atque ejus subit invidiam qui cum laude, prosperoque eventu suis persungitur officiis. *Idem*.

Zelotypia prope ad invidiam accedit.

Zelotypia lenis est invidia; non omnem hujus amaritudinem, sed omnem ferme habet improbitatem. Virus est, sed tanta paratum arte, ut neque cum etiam operatur, possit deprehendi. Non sunt odia internecina, obtrectationes nequam, vehementes invectivæ, neque mœrores adeo tristes, ut nequeant dissimulari; sed mutuum frigus, improba irrisio, secretus contemptus, maligna interpretatio, quæ satis ostendunt, quantum aliena merita displiceant. Illi, qui simul & in communi vivunt, sæpe zelotypia laborant, ubi virtute sunt destituti. Felices aliorum progressus nimis prodit inertiam aliorum, qui minus feliciter in eodem stadio versantur. Distinctiones semper dolorem cient in illis, qui se pares putant. Non placet tanta nominis celebritas in illis, quibuscum vivimus, & quorum merita displicent: nimius rumor semper molestiam adfert quiescentibus. Veritas hæc tamen est, quod metuunt, ne velut umbra ad aliorum fulgorem magis commendandum adhibeantur; & hæc causa est propter quam tot homines aliorum nomini student officere. In recta mente, & corde christiano parum hoc superbiæ est veluti virtutis aculeus, & gignit æmulationem; at in anima abjecta in invidiam degenerat. *Idem*.

Zelotypia sæpe in iis deprehenditur, qui pietatem profitentur.

Cum eadem præstare tenemur ac illi, qui religiosius vivunt, in horum sanctitate deprehendimus molestam doctrinam, qua præter vota ipsa erudimur. Ibi secretam invenimus exprobrationem, qua humiliamur, & hoc mœrore afficit imperfectissimum quemque. Hac de causa non omnes, qui pietatem profitentur, semper sunt ab hoc crimine immunes. Parum solida pietas magnos alit defectus. Ex quo in corde non regnat humilitas, ibi semper locum nanciscitur zelotypia. Profectò sub hoc nomine ibi non apparet, alioquin non ita facile admitteretur; Amor proprius, cum quo consentit, abunde illi suppeditat, unde aliam induere valeat personam. Secretò rapimur odio contra eos, quos vera pietas, ultra quam cuperemus, distinguit. Eorum virtus æstimari non potest; prorsus mediocre meritum in illis deprehenditur. Quo plausu excipiuntur illi, qui sensus fovent eosdem! Gaudemus, cum eorum pietatem non ab omnibus probari intelligimus. *Idem*.

Invidus nihil intentum relinquit, ut eos, quibus invidet perdat, vel in suspicionem adducat.

Invidus plerumque, cum animi ipsius ægritudo evasit ad cumulum, irritatur, atque inflammatur, quò magis percrebrescere intelligit illius existimationem, qui ejusdem objectum est; nihil est, quod non conetur, ut illius nomini officiat, atque eos prohibeat plausus, qui eidem ab hominibus deferuntur. Cum vis e voto non cedit, ars adhibetur; & nulla fraus, versutia nulla intentata relinquitur, ut ille deprimatur, qui vi aperta everti non potest. Hoc Pharisæi cum Salvatore fecerunt. Eos crebrò adeo & miraculorum cum magnitudine tum numero, & doctrinæ suæ cum sanctitate, tum sublimitate confuderat, ut non ausi ultra eum palam aggredi, sæpe adnisi sint venenatis verbis illum decipere, habentes aspidis virus in labiis, ut illum in laqueos impellerent, a quibus sperabant futurum ut sibi minime caveret. *Sermo manuscriptus*.



IRA.

IRA, FUROR,

Lenitas, Mansuetudo, &c.

MONITUM.



Non magis Artis Medica objectum sunt morbi, & pharmaca, quam Concionatoris Ira vitium exprobrantis, ejusdemque horrorem cientis officium sit verba simul facere de mansuetudine, & lenitate, qua iram coercet, & moderatur. Itaque hac simul connectemus, inutile quippe foret vitii hujus mala ob oculos objicere, nisi apta iisdem ostenderemus remedia; eodem ferme pacto, quo parum prodesset nauta cognoscere causas, qua procellas cient, & prasagia, qua easdem portendunt, & periculum, in quod illa navim adducunt, nisi naufragii, quod illa minitantur, evitandi artem callerent.

Neque dixerim ideo peculiarem de Christiana lenitate sermonem haberi non posse; sed tunc de ira tamquam illius opposito sermo accidet, at horrida vitii hujus descriptio magis illam virtutum omnium suavissimam commendet. Itaque quacumque ex parte argumentum hoc accipiatur, recte pertractari non potest, quin hac dua opposita, vicissim sibi facem praferentia comprehendantur. Reor tamen, si oratio magna in populi concione fuerit habenda, cum vulgatius sit invehi in scelera, quam ad perfectiores virtutes hortari, utilius fore magis in vitii exprobratione insistere, & de lenitate atque mansuetudine verba non facere, nisi tamquam de medicina, quadam, qua exhibetur ad astuosi hujus affectus impetum cohibendum, atque moderandum. Sed quodcumque argumentum eligatur, istic utrumque simul miscebimus, & afferemus quidquid hac in re collectum est, qua pracipuum fuit Ethnica morum Philosophia argumentum, & qua majoris adhuc esse potest in Christiana morum Disciplina, atque in Concionatorum suggestibus utilitatis.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ Concionum hujus Argumenti Structuræ.

I. 

Etiamsi Ira quatenus animi nostri affectus neque inter vitia adnumeranda sit, neque inter virtutes recensenda, immo ab ipso naturæ Auctore pectoribus nostris insita fuerit, ut nos ad præclara, & eximia facinora excitaret, fatendum est tamen post naturæ nostræ corruptionem nequaquam nullo in discrimine bonum, & malum habere, sed in malum potius, quam in bonum pronam esse, atque in perturbatione sua gravissimorum malorum, scelerumque esse originem. De hac idem dicendum est, ac de concupiscentia, quæ sæpe in sequiorem partem accipitur, & quam Apostolus quoque peccatum appellat; non quod re ipsa peccatum sit, sed quod ad peccatum impellit, omniumque peccatorum causa est, & principium;. & Deus reliquit illam in homine etiam post peccatum originale delectum, ut ille exerceatur eidem resistens, illud infirmans, & quantum in ipso est, totis viribus evertens. Idem, inquam, de ira dicendum est, quæ præcipua est irascibilis appetitus affectio, de nomine illius nuncupata. Si hæc permansisset in ordine, ac statu, in quo Deus primò illam constituit, rationi, Divinæque legi subjecta, profectò non esset, cur ad illam coercendam, inhibendamque vos hodierna luce adhortarer; sed in ea perturbatione, in qua est, & in quam nos rapit, mihi meos subiit, vobis ob oculos objiciendi ea mala, quæ affert 1. illi qui hujus affectionis impetu se trahi sinit; 2. illi, qui eamdem excivit, ejusque objectum est, 3. tandem funestos effectus, quos parit ubique; quæ cum luce clariora vobis ostendero, argumentabor plurimum laborandum esse, ut illi frænum injiciatur; & si omnino deleri non potest, saltem eamdem in illos usus adhibendam, propter quos nobis tradita fuit, justum, sanctumque objectum illi præbendo..

Punctum primum. Mala, quæ affert illi, qui violenti, furentisque hujus affectus impetu se trahi sinit, est 1. illi rationem auferre primum, mox verò similitudinem, quam habet cum Deo, quatenus homine. Neminem fugit quousque insaniæ efferatur homo ita furens; dicitur jam sui compos non esse, recto sensu carere, rationis usum amisisse; Illum suimetipsius pudet, ubi sese collegit, & si prudens fuerit, sese apud illos excusat, a quibus eo in statu fuit visus. Sed donec ira intumescit, jam nulla monita, correptiones nullæ ipsum cohibent; neque amicos novit, neque consanguineos; & ut verbo me expediam, ex omnium sapientum virorum sententia ira furor brevis est, ad tempus rationis usu hominem privans. 2. Illi pacem aufert, in omnes animæ facultates perturbationem immittens, quæ in omnibus inordinatis corporis motibus sese prodit. Hic locum habet hypothiposis hominis iracundi, cujus cor commotum est, mens agitata, confusæ cogitationes cædem, flammamque meditantes, & id unum quærentes, quomodo acceptam ulciscatur injuriam, quæ plerumque inanis, ac nulla est &c. 3. Efficit, ut gratiæ jacturam faciat; ira enim, quæ non coercetur, grave peccatum, atque ex numero capitalium est: qui licet effectus iræ communis sit cum reliquis lethalibus noxis, hoc tamen iræ proprium est, quod infinitorum scelerum est causa, quæ hominem nocentiorem efficiunt, atque ab amicitia Dei remotiorem.

Punctum alterum. Pro malis, quæ proximo parit, eique infert qui ejusdem iræ objectum est, satis est scire secundum ideam, atque notionem, quæ de ira tribuitur, hanc esse cupiditatem injuriæ ulciscendæ, ideoque penitus oppositam esse charitati; etenim tantum abest, ut proximo ea, quæcumque possunt, bona fiant, quod immo eidem malum omne fit, & desideratur, quod furor suadet; calumniæ, obtrectationes, contumeliæ, incommoda, detrimenta, & sæpe etiam mors ipsa.

Punctum tertium. Mala, quæ iram sequuntur, & sunt hujus affectionis effectus, perniciosissima malorum omnium sunt, dissidia, jurgia, bella, simultates, irreconciliabiles inimicitiæ. Quantum sanguinis hæc ira effudit? Quot civitates solo æquavit? Quam vastitatem Provinciis, Regnisque integris attulit? &c.

Conclusio. Hæc omnia mala furentis hujus affectus horrorem nobis debent injicere: verum si illum stirpitus eradicare non possumus, conemur saltem, ubi nobis invitis assurrexerit, illum compescere atque, christiana lenitate, animique moderatione subigere; immo etiam in optimum usum convertere injustitias, abusus, scelera, quæ ob oculos nostros patrantur reprimentes; sed præsertim eodem contra nosmetipsos utentes, ubi criminum pœnitentiam egerimus.

II. Nihil Dei iracundiam magis excitat, quam hominum iracundia; hoc verò tribus ex causis, quæ concionis partitionem efficere possunt.

Ratio prima. Quia nullum peccatum est Deo magis oppositum, natura cujus, ut Scriptura testatur, est bonitas ipsa, lenitas, & misericordia. In hoc nos sibi similes esse jubet; hæc illa virtus est, quam, ut ab ipso disceremus, JESUS CHRISTUS imperavit: *Discite a me, quia mitis sum. Apparuit humanitas Salvatoris nostri.* (Matth. 11. Ad Tim. 3.) Hæc etiam hominis esse natura videtur, ac ille a cæteris animantibus humanitate, ac mansuetudine distingui. Itaque ira vitium est præ cæteris Deo, ipsique homini magis oppositum, magisque lædens utrumque.

Ratio altera, & altera pars. Quia nullum vitium est, quod plura, majoraque brevi temporis spatio peccata producat; ideoque quod magis supremam lædat Majestatem, ac citiùs eam provocet ad iracundiam, ut in homines sæviat.

Ratio tertia. Quia nullum scelus est magis oppositum charitati erga proximum, quæ quidem Filio Dei tantopere cordi est; Et sanè ubi aliquis in alterum iratus est, nullum malum est dedecus, damnum, contumelia, quod illi non optet, atque pro viribus non efficiat.

III. 1. Hoc peccatum est homine indignissimum, quia illum de gradu deturbat, atque in brutorum ordinem cogit, illi rationis usum, prudentiamque auferens, & impotem efficiens consilii.

2. Deo maximè contumeliosum, contra quem iratus insurgit juramentis, blasphemiis, imprecationibus, quæ sæpè insigni ultione persecutus est Deus.

3. Hominibus maximè intolerabile, quippe omnem erga illos aufert charitatem, & reverentiam.

IV. S. Gregorius quinto Moralium libro dicit, hominem per iram tria amittere, quæ tria concionis efficient puncta.

1. Rationem, & mox discretionem, qua re hominis magis proprium nihil est.

Jacob. 1. 2. Justitiam: *ira viri, justitiam Dei non operatur.* Ostendi potest quam injusta sit in principio agendi, ratione, & effectibus.

3. Pacem, & civilis societatis jucunditatem.

V. 1. Lenitas, & christiana mansuetudo ratio est coercendæ iræ nostræ, quoniam illa ex affectuum nostrorum mortificatione oritur.

Prov. 15. 2. Ratio est sedandæ iræ alienæ: *Responsio mollis frangit iram*; inquit Scriptura.

3. Ratio denique est flectendæ iræ Dei, qui ita nobiscum aget, quomodo nosmet cum aliis gesserimus.

VI. 1. Quamquam hæc affectio homini insita fuerit ad injustitiam infringendam, tamen ut plurimum nihil hac magis injustum est, sive illius principium, sive agendi rationem spectes; etenim levissimas ob causas succenditur.

2. Quamquam nos ad heroicas virtutes debeat excitare, gravissimis tamen, turpissimisque criminibus obnoxia est, nisi regatur, atque re eadem corripi sinas.

3. Quamquam ad maximas, sanctissimasque actiones necessaria sit; tamen optimas quasque corrumpit, earumque effectum prohibet, nisi illam regas, & moderetis.

VII. Lenitas, & mansuetudo christiana tria nobis incomparabilia bona procurat.

1. Efficit ut dominemur cordi nostro, affectibus, omnibusque animæ nostræ motibus: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. In patientia vestra possidebitis animas vestras.* (Matth. 5. Luc. 21.)

2. Efficit, ut omnium hominum cordibus dominemur; cum nulla re magis mortalium amorem conciliare valeamus, quàm lenitate, quæ reipsa nos amabiles efficit.

3. Efficit, ut dominemur cordi ipsius Dei beatos appellantis eos, qui hanc virtutem possident. Et sane non alia re Moyses, & David Dei cor sibi devinxerunt.

VIII. Hugo a Sancto Victore dixit, superbiam nos auferre Deo, invidiam proximo, iram nobismetipsis; verum mihi jure dicendum videtur, hæc omnia unam iram efficere.

1. Efficit ut amittamus Deum, peculiari modo illum lædentes.

2. Efficit, ut amittamus amicitiam, & benevolentiam proximi, quorum odia in nos convertit.

3. Efficit, ut quodammodo nosmetipsos amittamus, rationis lumen auferendo.

IX. Ira præcipuis Christianæ Religionis virtutibus adversatur:

1. Justitiæ: *Ira viri, justitiam Dei non operatur.* Facile est ostendere in quo, & quomodo. (Jacobi 1.)

2. Charitati, contumeliis, & injuriis, quæ proximo inferuntur.

3. Lenitati, & humilitati, quas virtutes Dei Filius imperavit, ut ab ipso disceremus.

X. Hujus vitii deformitas in hoc sita est, quod

1. Nobis aufert similitudinem, quam in natura, & gratia habemus cum Deo;

2. Similitudinem cum JESU CHRISTO, qui Fidelium omnium esse debet exemplar;

3. Nosque nobis dissimiles facit, ut brutis, & dæmonibus ipsis similes faciat.

XI. 1. Ira destruit hominem rationabilem.

2. Destruit hominem Christianum. *Essais de Sermon Tomo 2. Quadragesima.*

XII. 1. Ira propria cohibenda est; 2. alienæ cedendum. *Ex Dictionario morali, Sermone hujus argumenti.*

XIII. 1. Explicare possumus quomodo, & quibus in occasionibus per iracundiam peccemus.

2. Remedia huic peccato afferenda. *Ex P. Texier Sermone pro Dom. 5. post Pent.*

XIV. Ut iræ eradicandæ utiliter operam demus, illa triplici in tempore consideranda est.

1. Antequam excitetur, ut prævertatur.

2. Eo tempore, quo permanet, ut quamprimum sedetur, ne suam impotentiam exerceat.

3. Cum deferbuit, ut allatum malum reparetur. *Ex reformatis sermonibus P. le Jeune.*

XV. 1. Ira, qua nos rapi sinimus, quàm noxia sit, & quam displiceat Deo.

2. Hominibus gravis est, & vitæ civilis inimica.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest, ad propositas Concionum structuras exornandas.

Sancti Patres. SAnctus Augustinus *in Epistola 115. ad Nebridium*, affectus hujus naturam explicat, & quomodo in res ipsas sensu carentes irascamur.

Idem, *in Psal. 4.* hæc Prophetæ explicans verba, *irascimini & nolite peccare*, ostendit iram quamdam, justam, sanctamque esse veluti cum in Pœnitentia contra ipsa peccata nostra irascimur.

Idem, *Serm. 16. de Verbis Domini, & Hom. 40. ex 50.* docet quid differant ira, & odium, & *lib. 1. de Serm. Dom. in monte*, ostendit alteram in alterum facile immutari.

Idem, *Epist. 149. ad Profuturum*, probat, melius esse, omnino non irasci, quam meritò irasci.

Idem, *in Psal. 25.* docet iram in crastinum usque diem non esse servandam, & egregiam affert expli-

Ad Ephes. 4. explicationem horum Apostoli verborum: *Sol non occidat super iracundiam vestram.*

Idem, *libr.* 1. *cap.* 19. *Serm. Dom. in monte*, ostendit quibusnam gradibus ira crescat, & peccatum fiat.

Idem, *in Psal.* 30. *Serm.* 2. *Exposit.* 2. docet, statim iræ esse resistendum, neque permittendum, ut consenescat.

Idem, *l.* 4. *cap.* 16. *de Civit. Dei*, iterum explicat hujus affectionis naturam.

Idem, vel potius auctor Libri de *Conflict. vitior. & virt.* docet quomodo iræ sit resistendum.

Idem alibi passim de ira loquitur, sed obiter, & strictim.

Sanctus Gregorius, *lib.* 5. *Moral. in c.* 30. *Job*, prolixum habet sermonem de ira, ubi amplam habet irati hominis hypothiposim; & mox affectus hujus explicat symptomata, gradus, discrimina, effectus, &c.

Idem, *lib.* 31. *Moral. in* 4. *cap. Job*, hæc JESU CHRISTI explicat verba: *Qui irascitur fratri suo*, &c.

Idem, lib. 5. ibid. fusiùs explicat mala, quæ affert ira iracundo; ac multa suppeditat consilia, docens, quomodo sit coercenda.

Idem, *in Pastorali* 3. *part. ad* 17. egregia dicit de hoc argumento.

Idem, *l.* 8. *Epist.* 51. *Leontio Exconsuli*, viro huic præcepta tradit ad iram infringendam, atque quibus de causis, & quibus in occasionibus irascendum sit docet.

Sanctus Ambrosius, *lib.* 1. *cap.* 21. *de Officiis*, docet quomodo sibi cavere oporteat ab iræ motibus, quomodo sedandi sint, & a contumeliosis verbis abstinendum.

Idem, *in Psalm.* 36. describit vim, quam irati exercent, ut ulciscantur.

Idem, *in Precat. ad Miss.* ejusdem affectionis effectus in corpus eorum, qui eidem sunt obnoxii, describit.

Sanctus Hieronymus, *l.* 2. *Comment. in Epist. ad Ephes.* hæc S. Pauli verba interpretatur: *Nolite locum dare diabolo.*

Idem, *l.* 11. *in cap.* 36. *Isaia*, abstinendum ait, ne oleum camino addatur, & magis irritentur irati.

Idem, *lib.* 2. *in cap.* 12. *Prov.* hæc explicans verba, *Fatuus indicat statim iram suam*, plura hujus argumenti monita tradit.

Idem in hæc verba, *cap.* 29. *Prov. Totum spiritum suum profert stultus*, ostendit varietatem, qua sapiens, & fatuus utuntur ira.

Idem in Apologia contra Rufinum, & in *l.* 2. *in cap.* 12. 18. *&* 19. *Proverbiorum*, & *lib.* 1. *in cap.* 4. Micheæ Prophetæ de hoc loquitur argumento.

Sanctus Chrysostomus, *Homil.* 58. *in Genes.* ostendit quænam sit iræ violentia, & quomodo in aliis sedanda.

Idem, *Homil.* 3. *in c.* 1. *Epist. Joan.* docet, ubi primum effervet ira, statim extinguendam esse, non fovendam.

Idem, *Homil.* 47. *in Joan.* sapientia tradit consilia de eo, quod faciendum, cum irascendi sese offert occasio.

Idem, *Homil.* 17. *in Act. Apost.* prolixum habet sermonem de Ira, ubi eloquenter attingit; quidquid ad hoc pertinet argumentum; de quo iterum agit, *Homil.* 39. *&* 41. in eadem Acta.

Idem, *lib. de Compunctione cordis*, hoc vitium vituperat, ac homine indignum probat.

Idem, *Homil.* 29. *ad Popul. Antioch.* ait potius cum brutis, quàm cum iracundo homine vivendum.

Sanctus Basilius, *Homil.* 10. *ex variis*, funditus hoc argumentum pertractat.

Cassianus, *lib.* 2. *Instit.* de hoc vitio loquitur.

Ascetici. Ludovicus Granatensis in Peccatorum Duce *l.* 2.

Ludovicus a Ponte in Duce Spirituali.

Jacobus Alvares, *Tom.* 2. *de Perfect. l.* 1. *p.* 2. *cap.* 9. *&* 10.

Sanctus Franciscus Salesius, Introductione ad vitam devotam 3. parte c. 8.

Cardinalis Bona in libro de viis, quæ ducunt ad cœlum, solidè tractat hoc argumentum.

Bernardus Rossignolius l. 2. de Discipl. Christi.

P. Gaudier.

P. Nepveu, libro cui titulus, *l'Esprit du Christianisme*, tract. 5. loquitur de ira, & lenitate, uti quoque in Christianis Considerationibus Tomo 1. 2. 3.

Pat. Croiset Tomo 2. Spiritualium Considerationum.

Lobetius tractatum edidit de ira, ubi illius naturam, & effectus explicat. Auctores alii, qui de ira scripsere.

Canisius Tomo 3. de Justitia Christi §. 8.

A. Vega de Virtutibus, & vitiis cap. 5.

P. Theophilus Renault.

Coefeteau in Tabula humanorum affectuum.

De la Cambre Medicus more suo egregiè hoc argumentum pertractat.

P. Sennault, libro de Usu Affectuum.

P. Caussinus in Aula Sancta. Tractatu de Affectibus.

Velasquez in Epistolam S. Pauli ad Philippenses.

De hac re egerunt etiam Seneca, Plutarchus, & Petrarcha.

Matthias Faber, *Conc.* 5. 6. *&* 7. *in Dom.* 5. *post Pentecost.* Concionatores recentiores.

Marchantius, *in Horto Past. & in Tuba Sacerdot. tract.* 6.

Dictionarium Morale duos habet hujus argumenti sermones cum pluribus animadversionibus.

P. le Jeune Oratorii Presbyter nuper in meliorem Gallicam linguam redactus.

Essais de Sermons pro feria secunda post tertiam Quadragesimæ Dominicam.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta de ira loquitur in Quadragesima prima die.

P. Texier sermone pro quinta post Pentecosten Dominica.

Chenart Tomo 2. Sermonum.

Patres Segneri, & Albrizi Concinnatores Itali.

Busæus in Panario. Verbo *Ira*. Qui collectanea ediderunt.

Idem in Viridario. Verbo *Mansuetudo*.

Stapleton, *in Dom.* 5. *post Pentec.*

Idem, *in Domin. Passionis.*

Labatha.)
Mansi.) Verbo *Ira*.
Bercorius.)
Summa Prædicantium.)

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Scripturarum Applicationes huic Argumento.

DEsine ab ira, & derelinque furorem. Psal. 36.

Irascimini, & nolite peccare. Psalm. 4.

Non te superet ira. Job. 36.

Virum stultum interficit iracundia. Idem, 5.

Mansueti hereditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis. Psal. 36.

Spiritum ad irascendum facilem quis poterit sustinere? Prov. 18.

Impetum concitati ferre quis poterit? Prov. 27.

Vir iracundus suscitat rixas, qui patiens est mitigat suscitatas. Prov. 15.

Qui ad indignandum facilis est, erit ad peccandum proclivior. Prov. 29.

Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso. Prov. 22.

Responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorem. Prov. 15.

Qui provocat iras, producit discordias. Proverb. 30.

Ira, & furor, utraque execrabilia sunt. Eccli. 27.

Noli esse sicut leo in domo tua. Eccli. 4.

Ne sis velox ad irascendum. Eccl. 7.

Aufer iram à corde tuo. Eccl. 11.

Fili in mansuetudine serva animam tuam. Eccli. 10.

Homo homini reservat iram, & à Deo querit medelam. Eccli. 28.

Homo iracundus intendit litem. Ibid.

Memorare timoris Domini, & non irascaris proximo. Ibid.

Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Matth. 5.

Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Idem, ibid.

Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Matth. 11.

In patientia vestra possidebitis animas vestras. Luc. 21.

Date locum iræ. Ad Rom. 12.

Sol non occidat super iracundiam vestram, nolite locum dare diabolo. Ad Ephes. 4.

Omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines. Ad Titum 3.

Sit homo tardus ad iram. Jacobi 1.

Ira viri, justitiam Dei non operatur. Idem, ibidem.

Obsecro vos per mansuetudinem Christi. 2. Ad Corinth. 10.

Si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis. Ad Galat. 6.

Exempla ex veteri Testamento desumpta.

Exemplum Jacob cedentis iræ fratris sui Esau.

SCriptum est: *Date locum iræ*. Jacob fratri indignanti pie cessit, & Rebeccæ, idest patientiæ instructus consilio, abesse maluit, & peregrinari, quam excitare fratris indignationem; & tunc rediit, cum fratrem mitigatum putaret: Et ideo tantam apud Deum invenit gratiam. Quibus deinde obsequiis, quantis muneribus fratrem ipsum reconciliavit sibi, ne præreptæ quidem benedictionis meminisset, meminisset verò delatæ satisfactionis? Hoc a nobis imitandum est, ut eorum sedemus iram, qui contra nos succensuere. Nisi ratione eam lenire possimus, ad artem confugiendum est; patientia maximum præbet auxilium, & violentissimum quemlibet affectum mora sedat. *Hæc desumpta sunt ex lib. 1. de Officiis S. Ambrosii cap. 21.*

Quomodo se gesserit David contra Semei conviciantem.

Quanam suavitate David passus est Semei impotentiam, & improbitatem! Injustè probris, & contumeliis lacessitus se minime reputat tamquam Regem, qui sine ullo metu de medio tollere potest, quicumque illum contemnere ausus fuerit, cum satis esset, ut eos agere sineret, qui justo animati zelo operam suam pollicebantur eam perscrutari contumeliam, quæ Uncto Domini inferebatur: sed veluti surdus, qui non audit convicia, quibus impetitur, vel potius tamquam pœnitens, qui a Deo hoc sibi profectum putat, ait, *Dominus in mandatis dedit Semei, ut execraretur Davidem*. Ideo cum se appellari audiret virum sanguinum, & virum iniquum, non succensebat illi, sed animo abjecto, & demisso fuit, quasi meritò contumeliis oneraretur. Itaque cum vobis conviciatur aliquis, illum audire dissimuletis; verba enim convicianiis optima erit lectio, unde patientiam discatis. Si iis non movemini contumeliis, quæ in vos ingeruntur, hoc indicio est, vos vobismetipsis dominari; sin autem vos torquent convicia, saltem in vobis dolorem vestrum continete, ac prohibete, ne cordis vestri tumultus sese extrinsecus prodat. *Desumptum ex sermone S. Basilii de Ira.*

Exempla irarum sanctarum, justarum, & rationabilium.

Satis est sacra aperire Biblia, ut intelligatur non deesse iras justas, rationabiles, & sanctas, quas Deus ipse excitavit, approbavit, immo & imperavit. Moyses mortalium omnium mitissimus Levitas excitavit ad cædem fratrum suorum in pœnam idololatriæ: *Ponat*, ait, *vir gladium super femur suum; ite, & redite de porta usque ad portam per medium castrorum: & occidat unusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum.* Quod ubi fecissent, *consecrastis*, inquit, *manus vestras hodie Domino unusquisque in filio, & in fratre suo, ut detur vobis benedictio*. Quanam re a Deo magnifica meritus est Phinees elogia, nisi indignatione, qua succensus est contra impudicum, mulieremque, quos manu propria in ipso stupro deprehensos confodit? Phinees suopte ingenio humanissimus erat; sed hanc impudentiam pati non potuit, atque justis iræ motibus se rapi passus est libidinosum per pugione transverberans. Samuel justa succensus ira toto inspectante populo irruit in Agag Regem Amalec, cui Saul contra Dei imperium pepercerat. Elias capite mulctari voluit quadringentos, & quinquaginta Sacerdotes, qui ministerio suo abutebantur, & quadringentos homines, qui sacrificiis inserviebant, atque ex mensa Jezabel alebantur. Hinc patet, iram nonnumquam prodesse ad actiones legitimas efficiendas; verum cum hæc Divino jussu, aut afflatu contigerint, minimè inde exemplum percipere possunt Principes puniendi, aut injurias sibi illatas per semetipsos ulciscendi.

Exempla furoris, quem Ira excitat.

Furoris autem, in quem inciderunt, qui injusta iracundia se capi passi sunt sæpe etiam levissimis ob causas, tot in scripturis nobis suppetunt exempla, ut vix numeranda videantur; eorum tamen præcipua quædam delibabimus 1. Ira, qua Saul correptus fuit, cum audiit triumphalia cantica, quibus Davidem virtute, ac merito sibi anteferri existimavit: *Saul percussit mille, & David decem millia*. 1. Reg. 18. Etenim quonam evasit hæc Saulis ira contra David, quem æquo animo intueri numquam potuit, & quem persequi numquam destitit.

Ira, qua Nabuchodonosor exarsit in tres pueros, qui simulacro illius genua flectere detrectarunt, omnes prætergressa fines est; etenim confestque excanduit, ut illos statim in ardentem conjici jusserit fornacem, cujus flammæ ultra quadraginta novem cubitos attollebantur; quod satis ostendit furoris excessum, quo ipse erat succensus.

Ira superbi Aman, de quo in libro Esther verba fiunt, minus violenta non fuit, immo etiam pro causa leviore; etenim ob ulciscendam assertam injuriam, qua se a Mardochæo contemni arbitrabatur, qui prætereunti non assurgebat, barbarum iniit consilium trucidandi Judæos omnes, qui in Assueri imperio degebant; Mardochæo autem crucem paravit quinquaginta cubitis altam, ex qua justissima Dei animadversione ipse Aman pependit.

Impii Antiochi ira in eos, qui veri Dei legem abdicare, Idolisque thus adolere noluerunt, peculiariter in Bibliis notata est; & constat, quas ille inauditas crudelitates exercuerit in Machabæos, qui impiis, & sacrilegis ejusdem edictis parere detrectarunt.

Prudentia Abigailis docemur, quomodo sedandi sunt, qui in nos irati sunt.

In scripturis celebratur Abigailis prudentia, eo quod sedaverit animum David maximopere exacerbatum, atque irritatum adversus Nabal virum suum. David ob nescio quam repulsam omnia de domo Nabal igni, ferroque vastaturus accesserat, sed cum mulier hæc prudens obviam occurisset irato, ita illum sedare, atque animum ejus, qua blandis verbis, qua humili doloris attestatione, qua oblatis muneribus, flectere adnixa est, ita ut David in se reversus, omni contra Nabal iracundia deposita mulieris prudentiam, sapientiamque laudaverit, quæ adeo callidè noverat animum ejusdem viro suo conciliare, atque prohibuerat, ne ipse ea uteretur vi, a qua ira, qua æstuabat, percitus minimè abstinuisset. Benedictus sit Deus Israel, exclamavit ille, qui mihi obviam dedit hanc mulierem, inhibiturus dexteram, quæ jamjam sanguinem erat effusura, atque crudelem ultionem

sum-

sumptura de accepta contumelia, quam dissimulata præstabat: tibi verò, o prudentissima mulier, votis omnibus cœlestes opto benedictiones, quia vetuisti, ne scelus admitterem, cujus futurum erat, ut me pœniteret. Revertere in pace in domum tuam:. David hac vice oblitus est mansuetudinis suæ; eam verò sibi probabit impostetum, acceptam injuriam æterna delens oblivione.

Exempla ex novo Testamento desumpta.

Dei Filius contra Templi profanatores iram præsetulit.

CUm scribimus, vel declamamus contra iram, de illa tantum loquendi animus est, quæ est injusta, & nimis violenta; non enim peccat contra lenitatem, & mansuetudinem, qui contra scelera, & flagitia irascitur, contra illa præsertim, quæ corrigere, & punire tenetur; verum opus est, ne hæc ira in furorem migret. Ita in Scripturis videmus non Moysem tantùm, & David, quorum mansuetudo commendatur, non semel iratos fuisse, verum etiam Salvatorem ipsum, qui perfectissimum fuit hujus virtutis exemplar, & qui præcepit, ut hanc ab ipso perciperemus, hoc usum affectu (quin tamen ullam ipsius emotionem, ac turbam experiretur) ulturum injurias Patris sui, adorabili dextera flagella funesque distringentem, ac toto oris habitu justum ob hanc injuriam iræ sensum præseferentem: sed pro hac una vice, qua se præbuit iratum, quot ille mansuetudinis, invictæque patientiæ nobis exempla reliquit?

Dei Filius fuit lenitatis exemplum.

Licet Dei Filius præclara nobis tradiderit virtutum omnium exempla, nullius tamen plura, atque insigniora reliquit, quam mansuetudinis, ut ostenderet, illius praxim sibi maximè cordi esse, ac in ea præsertim spiritum suum contineri. Ita Isaias Messiæ characterem exhibere cupiens, quin de illius doctrina, miraculis, aliisque virtutibus verbum faciat, solum lenitatis ejus describit illecebras. *Non clamabit.... neque audietur vox ejus foris, calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet..... non erit tristis, neque turbulentus.* Quamvis illi vivendum fuit cum hominibus rudibus, quales sui erant discipuli, umquamne ejus erga illos lenitas defuit? Quanam indulgentia sese eorum infirmitatibus accommodavit? Qua bonitate eorum inscitiam erudiit? Qua patientia eorum defectus passus est? Si quando illos corripere debuit, nonne hoc summa charitate, ac mansuetudine præstitit? Quid pati non debuit vel ab indiscreto eorum zelo, veluti cum de Cœlo ignem descendere cupiebant in urbem, ut ultionem sumerent de civium inurbanitate, qui illos admittere detrectaverant, vel a populi importunitate ipsum intempestivis interrogationibus, quæstionibusque inanibus delassantis? Verum Pharisæi ejusdem patientiam, & lenitatem in gravius discrimen adduxere, cum captiosis quæstionibus illi insidias tendere conati sunt, cum injuriis illum affecerunt, atque horribiles calumnias in eum excitarunt. Quamquam peccatum horreret, tamen non minori charitate, ac mansuetudine peccatores excepit. Numquid vel unum abjecit unquam? Immo nonne illos festinanter conquæsivit? Nonne mirabili lenitate illos excepit? Quò magis miseri erant, eò illi jucundiores esse videbantur, & malorum magnitudo non avèrtebat animum illius, sed miserationem augebat. Theatrum verò, ubi præsertim illius patientia, & mansuetudo enituerunt, fuit passionis ipsius tempus, cujus circumstantias adferre nimis longum esset, atque nimis longè orationem diduceret. *Hæc omnia desumpta sunt ex P. Nepveu in libro, qui inscribitur; l'Esprit du Christianisme.*

Ira Herodis qui innocentes trucidari jussit.

Habemus in Evangelio exemplum insanissimæ iracundiæ in Herode, qui irritatus rumore, qui de Messia nato percrebuerat, quem sibi regnum adempturum esse putabat, necnon deceptus a Magis, qui Stella duce ab Oriente venerant novum Regem adoraturi, tanta exarsit ira, ut jusserit trucidari pueros omnes, qui in Bethleem reperirentur, ut in tanta puerorum cæde Messias recens natus involveretur, ea crudelitate, quæ omni caret exemplo; quod satis docet, nullum esse crimen, quod ambitiosus animus, ubi irritatus est, nequeat committere.

Ira, & odium, quo Pharisæi in Dei Filium exarserunt.

Quandoquidem ira ab odio non differt, nisi diuturnitate, quis vidit unquam odium magis furibundum, & iram magis pertinacem ea, quam Pharisæi conceperunt in JESUM CHRISTUM, quem ad mortem usque persecuti sunt, quam tandem inaudita crudelitate eidem intulerunt? Sæpe in illum irati sunt: *Hæc audientes Pharisæi indignati sunt*, dicit Evangelium; *repleti sunt ira hæc audientes*; & ira hæc in furorem transiit; illum enim non semel quæsiverunt, ut occiderent; populum excitarunt in ipsum ita ut in eum lapides mitterent, atque vi facta super montis verticem traherent inde illum in præceps dejecturi. Hoc sæpe coegit Dei Filium, ut sese reciperet, aliquando ut delitesceret, & palam non prodiret; & nonnumquam etiam se illis invisibilem præberet ex eorum iniquissimis manibus elapsurus. Sed cum advenit tempus constitutum a Patre, atque aditus omnino patuit odio, & furori inimicorum ejus; tunc conjurarunt, ut illum e viventium numero eriperent, qui quidem effectus fuit iræ, & odii plusquam vatiniani.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic argumento.

Comparatio irati hominis cum mare agitato.

IMpii quasi mare fervens. *Isaia 57.* Hominem ira correptum Isaias comparat mari ventis atque tempestatibus agitato. Quæ similitudo magnum complectitur documentum. Nullane cœlum melius exhibetur, quam maris? Ubi tranquillum est ingentis instar speculi omnes cœlorum motus repræsentat, & in eo sydera, ac stellæ se iterum reproducere videntur; sed statim ac procella aquarum malaciam perturbavit, hæ omnes cœlestes imagines evanescunt. Talis est homo rationalis; donec ejus cor pacatum est, Divinitas in anima illius repræsentari videtur; sed simulac procella hanc susque deque vertit tranquillitatem, imago divina evanescit, & homo hic non est amplius nisi dæmonis imago, ejus blasphemias, furoremque referens. *Essais de sermons, pro feria secunda Hebdomade tertia in Quadragesima.*

Ratio sedandi iram.

Nonne ardorem refrigerabit ros? Eccli. c. 18. Iræ idem accidit, quod lebeti aliquo humore repleto, qui prope ignem ebullit, sed si parum frigidæ injicias, statim defervet, neque alous effervescit. Ita quantumlibet ira correptus aliquis furat, ubi illi mansuetè respondens, sese remittere cogitur, & perniciosi hujus affectus impetum sedare. Neque dixeris, S. Chrysostomus inquit, ea, quæ iracundo respondebis, iram illius lenitura; quippe admoneo iram incendiis esse simillimam; quibus quidquid superinjicitur majoris inflammationis fit alimentum: ita quidquid furenti dixeris, illius furorem magis, magisque excitabit. *Idem pro quinta post Pentecostem Dominica.*

Dei Filius fuit lenitatis exemplum.

Discite a me, quia mitis sum. Matth. 11. Egregia hæc virtus omni in luce sua enituit in Salvatore; non audita fuit vox ejus in foro, Propheta ait; nequissimos peccatores suavissimis, pacatisque verbis solabatur; se ad mortem duci passus est tamquam innocens agnus, qui coram tondente obmutescit; Discipulis de Cœlo ignem elicere cupientibus ad ingratum populum, urbemque inflammandam respondit, ipsos nescire quonam spiritu agerentur, indigitans spiritum eorum esse debere spiritum mansuetudinis, qualis erat ipsius; pro carnificibus suis oravit, eorumque scelus excusare adnisus est; & si dum in terris versaretur duriusculè, & severè Scribas, & Pharisæos corripuit, hoc accidit, quia videbat cor eorum invi-

dia, felle, & amaritudine tumidum, aliisque affectibus oppositis divinæ huic virtuti mansuetudinis, sine qua omnes externæ legis observantiæ ad nihilum proderant, nisi ad superbiam eorum fovendam. *Idem.*

S. Paulus dicere videtur Jesum Christum ipsum fuisse lenitatem.

Benignitas, & humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei. Ad Titum 3. S. Paulus dicturus Verbum carnem factum, ait, Humanitatem, videlicet mansuetudinem, & benignitatem Dei mortalium oculis apparuisse; quasi totus JESUS CHRISTUS non aliud esset, quam humanitas, atque non alia de causa homo factus fuisset, nisi ut nobis Dei benignitatem ostenderet; denique veluti si tota Incarnationis œconomia non aliud esset, quam manifesta demonstratio ineffabilis Dei bonitatis. Infinita illius potentia, sapientia, terribilisque justitia satis erant hominibus exploratæ, & cognitæ; sed clementiæ ejusdem magnitudo nondum patebat: *Dicite filiæ Sion, ecce Rex tuus venit tibi mansuetus*, quasi homines ab incarnato Deo nisi clementiam, & lenitatem expectarent.

Quot scelerum reus est homo iratus.

Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Matthæi 5. Quidquid irati faciunt in hoc voluntarii furoris statu, quidquid dicunt, & cogitant in id unum tendit, ut suo violento satisfaciant ingenio; & quia hoc reprimere, atque subigere deberent, non autem illi obtemperare, quidquid conantur, ut illud foveant, cum debeant extinguere, totidem fiunt accusationis capita in illos coram supremo Judice. Sed antequam ad terribile illud judicium prodeant tot peccatores impatientes, qui nihil molesti ferre volunt, rei sunt eorum omnium quæ meditantur, ut suum expleant affectum, & quæ facere contra proximum decreverunt, contumeliarum omnium, obtrectationum, calumniarum, quas faciunt, litium quas suscitant, odiorum, inimicitiarum, quas serunt, & suis cordibus alunt. Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio.

Quid faciendum cum ira in corde nostro non ante prævisa inflammatur.

Usque huc venies, & hic confringes tumentes fluctus tuos. Job 38. Cum nobis invitis aliquis in cordibus nostris iræ motus effervet, quin illum prævidere potuerimus, statim ac illum deprehendimus, opus est, ut voluntas æstuoso huic affectui idem imperet, quod olim mari Deus: *Huc usque venies, & hic confringes tumentes fluctus tuos*; & arena facta est tamquam vallum a Deo fluctibus maris oppositum, ultra quod prætergredi vetuit. Ira prohibere aliquando non vales, ne ira exardescat, neque prænoscere potes tempestatem hanc quæ in anima tua excitatur; verum simul ac ad rationem pervenit, quæ lex illa naturalis est, quam digito suo scripsit Deus: *Huc usque venies*; opus est, ut subsidat, ut voluntas sua illi annuntiet præcepta, atque utens auctoritate, quam accepit a Deo, sedet eos motus, qui illam agitarunt. *Ex Auctore sermonum in omnia Ethica Christiana argumenta. Sermone pro Feria secunda post tertiam Quadragesimæ Dominicam.*

Dei est nobis jus dicere, neque opus est, ut illum ira nostra præveniat.

Date locum iræ. Ad Roman. 12. S. Paulus Apostolus Dei nomine hæc verba profert, quibus hic sensus potest appingi. Te cohibe, ira humana, & iræ Dei locum relinque, qui tibi æquus vult esse judex, & illatam sibi injuriam ulcisci. Tuum non est ultionem reposcere; sed ultionis gloria Deo uni debetur: *Scriptum est enim*, Apostolus addit, *mihi vindicta, & ego retribuam, dicit Dominus.* Deus sibi reservatum voluit honorem nos ulciscendi, illum persequens, a quo lædimur, & nous ipse litem dirimens, quæ alioquin mala gravissima esset paritura. Ne vindicate vobis jura illius, quorum zelotes est, neque illi præripite honorem vos tuendi, quem sibi deposcit. *Quem enim honorem litabimus Deo, si nobis arbitrium defensionis arrogaverimus?* inquit Tertullianus. *Ex Sermone Maimbourg pro feria tertia hebdomada quinta in Quadragesima.*

L. de Patientia.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententia Sanctorum Patrum hujus Argumenti.

Ira hominis est perturbatio animi concitati. Aug. Serm. 124. in Joan.

Nulli irascenti ira sua videtur injusta, Idem, l. de vera innoc. c. 319.

Nondum odimus eos quibus irascimur; sed ista ira si manserit, & non citò evulsa fuerit; crescit, & fit odium. Idem, in Psalm. 30. Serm. 2. expositione. 2.

Ira hominis turbida est, & non sine cruciatu animi, L. 2. quæst. ad Simpl. quæst. 2.

Ira est libido vindictæ, quæ inveterata fit odium. Idem, lib. 50. Homil. Homil. 42.

Non fratri irascitur, qui peccato fratris irascitur. Qui ergo fratri, non peccato irascitur, sine causa irascitur. Idem, l. 1. Retract. c. 19.

A verbis durioribus parcite, quæ si emissa fuerint ex ore vestro, non pigeat ex ipso ore proferre medicamenta, ex quo facta sunt vulnera. Idem, Epist. 109. ad Monachas.

Salubrius est etiam ira justè pulsanti non aperire penetralia cordis, quam admittere non facilè recessuram, Idem.

Quæ iracundia sanari potest, si patientia Filii Dei non sanetur? Idem, de agone Christ. c. 11.

In disciplina Christiana non tam quæritur utrum pius animus irascatur, sed quare? De Civit. Dei, lib. 9. cap. 5.

Quidquid ulcerato animo dixeris, punientis est impetus, non charitas corrigentis. August. in c. 6. Epist. ad Galat.

Non mediocre est mitigare iracundiam, non inferius quàm omnino non commoveri: hoc nostrum est; natura illud. Ambr. de Offic. lib. 1.

Qui cito irascitur, quia citò motus est, desinit irasci alteri; qui autem iram suam vult probare justam, plus inflammatur. Idem, ibid.

Iram, quam homo prævenire non potest, mitigare potest. Idem ad Vercell. Episc.

Contra iracundiæ malum, opponimus suavissimum patientiæ bonum. Idem.

Ira, si ultra modum efferbuerit, atrociter mentem exulcerat, sensum hebetat, linguam immutat, oculos obumbrat, totumque corpus perturbat. Idem in Prec. ad Miss.

Resiste iræ si potes, cede si non potes. Lib. 1. de Offic. c. 21.

Per iram sapientia perditur, ut quid quove ordine agendum sit nesciatur. Greg. l. 5. Moral.

Plerumque per silentium clausa ira intra mentem vehementius æstuat, & clamosas tacita voces format. Idem, ibid.

Janua vitiorum omnium iracundia est, qua clausa virtutibus intrinsecus dabitur quies; aperta vero, ad omne facinus armabitur animus. Hieron. in Prov. l. 3. c. 29.

Mansuetudo imaginem Dei in nobis servat, sed ira dissipat. August.

Ira si vehementiùs inflammetur, hominem de mentis statu dejicit. Greg. Nazianz. in deplorat. calam. animæ suæ.

Irasci hominis est iram non perficere Christiani. Salvianus Epist. 9.

Una ira omnibus armata est criminibus. S. Paulinus Epist. 2.

Vehemens ira brevi momento res nefandas molitur. Chrysost. Homil. 3. in Joan.

Fera potiùs quam iracundo homini cohabitandum est. Idem, Homil. 29. ad popul. Antioch.

Priorem semetipsum punit & castigat intra semetipsum tumens, adversus se pugnans & exardescens. Idem, ibid.

Ira hominem in ferarum rabiem perducit, & dracone sæviorem efficit. Idem, Homilia 4. in Matth.

Ira, volantarias dæmon, insania spontanea. Homil. 46. de diversis.

Nescio quis possit regnum Dei possidere, cum is, qui irascitur, à regno separetur. Hieron. in cap. 5. Epist. ad Galat.

Quid refert inter provocantem & provocatum, nisi quòd ille prior in maleficio deprehenditur, iste posterior. Tertull. l. de patient. c. 10.

Ira vincitur lenitate, mansuetudine furor extinguitur. Chrysost. Serm. 58.

Hac est natara ira, ut dilata languescat, & pereat, prolata verò magis ac magis conflagret. Beda sup. Parad. l. 2.

Non irasci, ubi irascendum est, peccatum est; plus verò irasci quam irascendam est, peccatum peccato addere est. Bernardus in Epist.

Superbia mihi aufert Deum, invidia proximum, ira meipsum. Hugo à S. Victore.

Utendam est ira ut milite, non ut duce. Senec. l. 4. de ira c. 4.

Iracundiam qui vincit, hostem superat maximum. Idem.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia fontibus hauriri potest ad hoc pertinens argumentum.

Distinguenda ira animi affectus ab ira vitio.

PRimo statim in limine notandum est hic non agi de ira, quatenus est naturalis effectus, quæ non crimine tantum vacat, cum rationem sequitur ducem, sed quæ necessaria etiam est ad magnas, heroicasque actiones aggrediendas, atque non modicæ utilitatis ad virtutes omnes assequendas, ubi aliqua occurrat non levis difficultas superanda; sed agitur de iræ vitio, quæ animam rapit ad vim inferendam, & sæpe etiam ad extrema audenda, cum in adimplendis consiliis suis, adversus eos, quos aggreditur, modum non servat. Tunc enim non est amplius humanus affectus producens in nobis motum celerrimum, quo perturbamur, & cujus primi motus venia sunt digni; sed furor est homines ad gravissima facinora, horrendaque scelera impellens.

Iræ generatim sumptæ definitio.

Sanctus Thomas 2. 2. *quæst.* 48. *artic.* 1. ait, iram aliud non esse quam appetitum, atque desiderium ultionis, quæ aliqua in occasione jure quæri potest; quamvis hoc fieri possit per excessum, atque defectum, hoc est cum irascimur ultra id, quod ratio patitur, vel cum non irritamur, ubi opus est, videlicet cum agitur de Deo, vel de justitia. Sanctus Augustinus paulò diversam nobis adstruit ideam, & putat hunc vehementem, turbidumque motum esse appetitum ad auferendos obices, qui prohibent, ne ea, qua cupetemus, facilitare operemur. Hæc profectò magis generalis est definitio, atque extenditur etiam ad ea quæ ratione, immo & sensu carent, contra quæ sæpe succensemus. Sed ut æquam, integramque iræ tribuamus ideam, quæ illius naturam explicet, atque affectus, dicere oportet, hanc ardentem esse animi nostri ægritudinem, quæ sub ultionis specie nos animat, ut persequamur contemptum, vel injuriam, quam vel nobis illatam existimamus, vel iis, quos diligimus, & quæ nos impellit ad eos, qui consiliis nostris adversantur, obices infringendos.

Definitio lenitatis, & mansuetudinis.

Lenitas, & mansuetudo, quæ iræ opponitur, non est affectus, sed virtus, quæ iram coercet, vel moderatur, cum effervescit in illos, a quibus injuria, vel contumelia fuimus affecti. Differt a clementia, quemadmodum S. Ambrosius, & post illum S. Thomas animadvertunt, eo, quod clementia propriè consistit in moderanda exteriori pœna, vel supplicio, quod reus, vel ille meretur a quo injustè læsi sumus: sed mansuetudo, & lenitas sedat, lenit, moderatur, vel coercet omninò iræ furorem; quapropter duplex hæc virtus differt objecto, atque affectu, licet satis frequenter confundantur.

Quomodo indignatio differat ab ira.

Ira, & indignatio, quæ duo sunt vocabula, quibus hoc in argumento utimur, & quæ passim promiscuè usurpantur, & nomine differunt, & effectu: Indignatio enim motus est, ac quidam veluti aculeus subitus, & acer, rationem antevertens, & in facultate nostra nequaquam positus; quapropter hic propriè primus est iræ motus, qui excitatur ad intuitum, vel ad narrationem alicujus rei, quæ vel rationem, vel studium nostrum offendit. Ira verò propriè tristitia est magis voluntaria, magisque constans, quæ fovetur, & quæ alit desiderium data occasione ulciscendi. Duplici autem modo peccatur, primò cum subitus hic motus non inhibetur postquam ratio satis attendit ad iræ nostræ injustitiam, vel ad furorem, quò nos rapit; secundò, cum fovemus desiderium ultionis, quod nobis inspirat præstolantes tempus illius perficiendæ, vel artem excogitantes illius exequendæ.

Quandonam ira peccatum est, quando non item.

Ira, Sanctus Thomas inquit, aliquando peccatum est, aliquando non est. Si enim rationis terminos prætergreditur, vel contra rationis jussa operatur, jam ab Apostolo damnata est, atque peccatis adnumerata: nullum enim peccatum est, quod non sit rationi contrarium. Ut autem sciamus, quodnam peccatum sit, idem Doctor addit, primùm, inordinatum iræ motum, quatenus ad objectum suum refertur, consideratum, suapte natura lethale peccatum esse; tunc enim injustam requirit ultionem, ac simul contra justitiam, & charitatem operatur: Secundò, accidere posse, inordinatum hujus iræ motum ex objecti sui parte, quod quidem non aliud est, quam vindicta, leve dumtaxat, ac veniale peccatum esse, hoc supposito, quod actus sit imperfectus; quod usuvenit, cum motus iste rationem antevertit, vel cum levis, & parvi momenti ultio requiritur.

Diversæ iræ species.

Hujus affectus perturbatio, ex ejusdem Angelici Doctoris sententia ex triplici capite potest desumi; vel ex dispositione ingenii fervidi, & biliosi, propter quod facile irritantur, vel ex iræ diuturnitate, cum accepta injuria altius animo nostro inhærens adfert tristitiam, quæ nosmetipsos nobis graves, & non ferendos efficit, vel ex ultione cum pertinaci desiderio perquisita. Hinc orta illa divisio est, quæ iram in tres species distinguit; scilicet iram acutam, vel celerem, amaram, & difficilem. In prima classe illi sunt, qui levissimas ob causas, & omnibus fere momentis irritantur; ob minima quæque, voculam, gestum, frigidam salutationem, levem aliquem casum effervescunt. In classe altera eadem est amaritudo, quam Sanctus Paulus ex cordibus nostris jubet exterminari: *omnis amaritudo, & ira tollatur a vobis.* Hæc eorum est ira, qui se ipsos rodunt, eumque ulciscendo pares non sint, semper furentem illius desiderium fovent, quod sub faciei pallore, & macie tegunt. Denique tertia in classe censentur furentes, quorum os tumet, quorum vultus ferox est, qui veris similes videntur energumenis, ac furenti affectus hujus impetu se rapi permittunt.

Ephes. 4.

Quando, & quot modis ira extrinsecus criminosa est.

Ira nostra nocens est extrinsecus, primò cum in acres, amaras, aculeatas, contumeliosas, juramentis, imprecationibus blasphemiisque permixtas voces erumpit: secundò non solum cum cor inflammavit, virusque suum in os effundit; verum etiam cum sese prodit in actionibus nostris, damnum inferendo proximis nostris in bonis, honore, aut vita, ut nostræ satisfiat ulciscendi cupiditati. Passio hæc alia quoque ratione potest considerari, non tam veluti inordinatum ultionis desiderium, quàm tamquam nimia sensibilitas, atque extrema animi mollities, quæ efficit, ut in iis, quæ nobis accidunt malis, nosmet inordinato tradamus mœrori. Hanc dicimus impatientiam, propter quam in quæstus, & murmura sæpe etiam in Deum ipsum erumpimus.

Cur percepserit Deus,

In hoc mandato palam elucet discrimen, quod Le-

ne irascamur.

Legem inter, & Evangelium intercedit. Lex solam vetabat hominis cædem; sed Evangelium ipsam etiam iram prohibet, quæ ad homicidium impellit. Itaque Dei Filius Mosaicæ legi hanc addit perfectionem ea lege, quam rogavit; etenim cum secundum Legis Doctorum, Pharisæorumque explicationem exterior tantùm cædis, & homicidii actus olim prohiberetur; lege ab ipso lata principium, causam, & ut ita dicam, radicem ipsam convellere voluit.

Aliud est in fratrem, & in fratris vitium irasci.

Theologi tamen illa ponderantes verba, quibus latum est præceptum non irascendi; *Omnis, qui irascitur fratri suo*, animadvertunt aliud esse in fratrem irasci, & aliud in vitia fratris irasci. Laude dignum est irasci contra fratris vitia, secus autem contra ipsum fratrem. Fratris persona, quia Dei creatura est uti nos, amanda est, peccatum verò odisse debemus, quia opus est dæmonis. Quia verò periculum est, ne peccantem oderis, peccatum tantummodo odisse ratus, satius est ob proximi lapsum dolere, quàm vel irasci, vel indignari.

Remedium contra iram.

Quemadmodum morbo mederi non possumus, nisi illius causam agnoverimus; ita diligenter investigandum est, quænam sint iræ principia, ut opposita illis remedia applicemus, si enim ira effectus est fervidi ingenii, tunc vera medicina est seriò animadvertere temperamento huic superando, affectibus mortificandis, ac sibimet irrogandæ legi, ne quid agas, ne quid loquaris, cum in te iræ emotionem cognoscis, licet æquissima videatur.

Sin autem ira hæc ex superbia proficiscatur, propter quam omnia nobis deberi credimus, & non satis in pretio haberi, vel etiam despici, & contemni putamus, hæc tunc erit medicina, toto nisu ad humilitatis acquisitionem contendere: etenim ob id proculdubio Dei Filius imperat, ut ab ipso discamus humilitatem, atque mansuetudinem; etenim homo humilis semper lenis est, & moderatus. Sin autem denique oritur ira ex amore, quo bona quædam diligimus, quibus nos fraudari nonnisi ægrè, & gravatè ferre possumus; medicina tunc erit nostris moderari cupiditatibus, & hos omnes inordinatos amores deserere.

De lenitate, quænam ejus causa, quinam effectus.

Lenitas virtus est, quam non mala, non contumeliæ, non quilibet hujus vitæ casus valent concutere; itaut qui illam obtinet, nulla re possit unquam ad iracundiam concitari, nulla irritari, nulla turbari. Illa invictæ patientiæ est effectus, profundæ humilitatis, jugis affectuum nostrorum mortificationis, quos subjectos rationi tenet, & quibus ne minimum quemlibet inordinatum motum permittit. Virtus est, quæ omnes fere virtutes reliquas vel complectitur, vel supponit. Igitur nequaquam putandum est, effectum esse spiritus lenti, felicis ingenii, bonæ institutionis, vel honestatis ingenitæ, quamvis hæc omnia non parum ad eam acquirendam conducant. Effusio est Spiritus Sancti in animam. Nemo nisi Christianus, & perfectus Christianus virtutem hanc potest habere, & perfectus Christianus est nemo, nisi illam obtineat.

Quomodo lenitas hæc iram moderetur.

Lenitas non omnino quidem iram evertit; quandoquidem hæc justa esse potest, & sæpe zeli effectus est, atque remedium iis defectibus, quos corrigere satagit; sed lenitas iram moderatur, & regit: efficitque ne sæpe, ne facile, ne temere, & nonnisi ob graves causas irascamur. Permittis illa quidem, ut ira nonnunquam rationem meatur, non autem illam prævertat, ac turbet; omnem furorem, jurgia, & contumelias prohibet; probra, aculeatasque voces proscribit; si quasdam sibi increpationes permittit, cavet tamen ne quia illis se læsum putet; easque esse vult charitatis, & zeli, non autem passionis effectus.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, & Concionatoribus loci hujus argumenti.

Justa, & rationabilis ira magno est ad virtutem subsidio.

CUm tanta vi contra iram invehimur, semper de illa, quæ injusta, & violenta est, verba facimus; quæ postquam rationem subvertit, ad ea facienda, dicendaque nos impellit, quorum nos pudet, postquam nosmet ipsos collegimus; etenim inficias ire non possumus affectum hunc ad insigniores actiones esse necessarium. Hæc languentes virtutes excitat, hæc prælantibus animos addit, atque illos hoc inflammat igne, quo succensos esse opus est. Sine effectus hujus auxilio præstantissimæ virtutes in singula momenta languescerent: justitia non persequeretur ultionem scelerum eo zelo, quo fas est; fortitudo non produceret magna illa, heroicaque facta, quibus sibi admirationem, ac timorem conciliat, nisi justa ira sollicitaretur. Hæc si deesset, deesset quoque nobilis illa indignatio, qua injuste facta animus aversatur; & pius ille dolor, sanctaque impatientia, qua ad vitiorum, scelerumque adspectum corripimur, & quam Sanctus Rex David experiebatur, non illa a nobis elicerет verba: *Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua*, cum videlicet hanc ferme generalem intuitus sum oblivionem, qua obrupta erat sancta Lex tua, o Domine! Hæc igitur justa ira, ducem sequens rationem, quæ stimulus est virtutum omnium, ut in salutis via progrediamur; hæc inquam ira justam parit indignationem, qua agitatur anima ubi obices invenit prohibentes, ne Dei voluntatem adimpleat; atque ad eos superandos vires necessarias suppeditat. Hæc, ut verbo me expediam, justa, & rationabilis ira sanctos effecit Phinees, Elias, Josias, Joannes Baptistas, Ambrosios, Chrysostomos, omnesque egregios viros, qui pro Dei gloria tuenda, cujus zelo succensi erant, vitam suam objecerunt, atque ad vitium confundendum, evertendumque ignita verba adhibuerunt. Hic igitur affectus, ubi ratio illum regat, & moderetur, bonus est; cumque sequitur motus Spiritus Sancti, bonos judices, zelantes Concionatores, sanctosque efficit Pœnitentes *P. Texier in Dominic. Sermone pro 5. post Pentec. Dominica.* Psal. 118.

De lenitate, quæ iram coercere, vel moderari debet.

Lenitas, quæ iram vel coercere, vel moderari debet, virtus est, quæ efficit ut suavibus, amicisque verbis eos compellamus, qui nos aggrediuntur, qui adversantur, qui dictis, vel factis nos lædunt. Hæc efficit, ut secundum Evangelii præcepta pro malo bonum reddamus, pro illis oremus, qui nos persequuntur, & quantum in nobis est, omnem acceptæ injuriæ memoriam obliteremus. Hæc divina est emanatio suavitatis spiritus Dei, de quo in sapientia sermo est, *Spiritus suavis, benefaciens, benignus, stabilis*, qui eam nobis animi moderationem impertit, quam externa amaritudo non exacerbat, tranquillitatem mentis, quæ turbari non potest. Mansuetudo hæc est veluti fulgor divinæ charitatis, quæ facilem, jucundamque cum omnibus nobis tribuit consuetudinem, efficitque ut proximorum defectus patiamur, sine acerbitate, sine horrore, & cum miseratione. *Idem.* Sap. 7.

Nullum vitium magis commune, quam ira.

Quamvis ira sit perniciosa, nullus tamen hoc vulgatius vitium est; ac in scelerum nostrorum pœnam videtur voluisse natura, ut illa ultricis instar furiæ omnes homines persequeretur. Nulla natio est, quæ illius furorem non sentiat, & ex tot populis, qui moribus, sermonibus, ac vestium varietate differunt, ne unus quidem inventus est, qui ab hac crudeli animi ægritudine sit immunis. Integros vidimus populos, qui a se luxum prohibuerunt, paupertatis subsidio, & qui morum integritatem servarunt, quia divitias malorum irritamenta nescierunt. Scimus, quosdam quod nulla

certa

certa ſedes ipſi eſt, in perpetuo motu verſari, ſolumque vertere, cum, ubi vivunt, unde vivant, deficit. Alios novimus omnia in communi poſſidentes, apud quos nulla agitur lis, nulloque invenitur injuſtitia, ex illis, quas inter nos peperit avaritia. At nullus adhuc ira vacuus repertus eſt; hæc inter cultiores populos æque ac inter barbaros latè regnat; & in omnibus terræ locis æque dominatur. *P. Sennault de Uſu Paſſionum: de paſſione iræ.*

Effectus, quos ira ſemper in mundo peperit.

Jam verò ſi effectus ejus, damnaque intueri velis, nulla peſtis humano generi plurimi ſtetit. Videbis cædes, ac venena, & reorum mutuas ſordes, & urbium clades, & totarum exitia gentium, & principum ſub civili haſta capita venalia, & ſubjectas tectis faces, nec intra mœnia coercitos ignes, ſed ingentia ſpatia regionum hoſtili flamma relucentia. Aſpice nobiliſſimarum civitatum fundamenta vix notabilia, has ira dejecit; aſpice ſolitudines per multa millia ſine habitatione deſertas, has ira exhauſit; Aſpice tot memoriæ proditos duces, mali exempla fati. Alium ira in cubili ſuo confodit; alium inter ſacra menſæ ira percuſſit; alium inter leges, celebriſque ſpectaculum fori lancinavit: alium filii parricidio dare ſanguinem juſſit: aliud ſervili manu regalem aperire jugulum: alium in cruces membra diffindere. *Idem qui hæc excripſit ex Seneca lib. 1. cap. 2. de Ira.*

Ira brevi plurima gignit mala.

Actum de nobis eſſet, ſi ira uti ad excitandum perniciſſima eſt, ita eſſet pertinaciſſima. Terra fieret ſolitudo mera, ſi quantum effectus hic ſervoris habet, tantum diuturnitatis haberet. Natura non poterat melius eam oſtendere curam, quam de noſtra gerit incolumitate, quam anguſtos affectionum omnium ferociſſimæ terminos circumſcribens. Verum licet intra modicum temporis ſpatium coercita, plurima parit mala; etenim præterquam quod hominis mentem perturbat, colorem ejus immutat, in oculis flammas accendit, & os minis replet, manibus etiam miniſtrat arma, & quidquid obvium eſt iidem in arma convertit, ac teterrimos gignit effectus, quos ſuperius paulo memoravimus. *Idem*.

Ira in maximis etiam furoribus æqua, & rationabilis vult haberi.

Hic affectus ſemper in maximis etiam furoribus videri vult rationabilis; ſemper enim ſceleribus ſuis excuſationes inquirit. Quamquam humanum effundat ſanguinem, innocentes victimas mactet, integras urbes ſolo exæquet, ac ſub eorum ruderibus cives tumulet, ſemper æquus haberi vult. Ipſe etiam non rarò furoris ſui injuſtitiam intelligit, attamen ſine ratione perſeverat, ne ſine cauſa incœpiſſe videatur. Iniquitas ſua illam efficit pertinacem; vult ſcelus ſuum juſtitiæ ſuæ eſſe argumentum, atque ab omnibus credi cupit, inimicos juſto mulctatos fuiſſe ſupplicio, quia illos ſeveriſſimis pœnis perſecutus eſt. Hoc in ira magis inſolens eſt, quam in affectibus reliquis, qui in flagitiis ſuis cæci ſunt. Illa imprudenter ratione utitur; eamque adhibet, ut ſua ſcelera excuſet poſtquam illam adhibuit, ut eadem committeret. *Idem*.

Iram ſcelerum omnium cauſa.

Hæc malorum omnium eſt cauſa, nullaque committuntur ſcelera, quorum illa particeps non ſit. Nihil acerbius eſt inimicitiis; nonne ira foventur? Nihil crudelius cæde; nonne ira ſuadetur? Quid bello funeſtius? at ira inflammari, quis ignorat? Cæteros etiam affectus extinguit, cum fervet in pectore; tamque imperioſa eſt ejus tyrannis, ut amorem in odium, & miſericordiam in furorem convertat. Non defuerunt avari, qui ipſam habendi cupiditatem prodiderunt, ut ſatisfacerent iræ; non ambitioſi, qui oblatos poſthabuerunt honores, ac pedibus diademata conculcarunt, quia ira, qua tota ipſorum occupata erat anima, gloriæ quoque deſiderium extinxerat. *Idem*.

Quidquid iram excitare poteſt.

Illud verò in ardenti hoc animi ægritudine perniciosiſſimum eſt, quod ex re qualibet ducit exordium; nam licet ſe ſe incendii inſtar effundat, unica tantum ſufficit ſcintilla, ut ignescat; atque adeo facilis eſt igni corripiendo, ut ſæpe quod eam ſedare debet, illam irritet, atque id eam laceſſat, quod ipſi ſatisfacere poſſet. Famuli negligentia herum inflammat; amici licentia amicum ad deſperationem adigit, & inimici irriſio ſtatim excitat ad certamen. Tamen cum his omnibus malis tolerabilis adhuc eſſet ira, ſi compos eſſet conſilii; verum in ipſo ortu adeo violenta eſt, ut monita, quæ ſibi præbentur, nequeat admittere; non enim ut affectus alii gradatim creſcit; neque menſibus opus eſt, ut in cor noſtrum radices jaciat; unicum ſatis eſſe poteſt momentum, ut efformetur, & vix nata omnes jam vires obtinuit. *Idem*.

Difficile eſt ira bene uti.

Nihil difficilius eſt, quàm ira bene uti: adeo enim ferox eſt, ut facilius extingui poſſit, quàm regi, ac omnino ex anima expelli, quàm modum eidem injicere: adeo enim violenta eſt, ut reprimi nequeat, adeo ſubita, ut nequeat prævertti. Primi ejuſdem motus in poteſtate noſtra non ſunt, & ſimulac intumuerunt, jam maximam intulit vaſtitatem. Affectus cæteri in progreſſibus ſuis metuendi ſunt, ſcorpionum inſtar venenum in cauda deferentium: odium naſcens curari poteſt, ſed ubi adolevit, omnem ſuperat medicinam: invidia, quæ nondum conſtituta eſt, poteſt expelli; ſed ubi vires omnes nacta eſt, cœleſtibus opus eſt miraculis, ut extinguatur: amor, qui ab oculis nondum ad cor tranſiit, ſtatim extinguitur, ubi exarſit, ſed cum medullitus animo adhæſit, atque eodem voluntas conflagravit, longo opus eſt tempora, ut extinguatur; & niſi odium, indignatio, zelotypia rationi ferant opem, hæc difficile de hoſte adeo valido triumphum reportabit. Sed ira in ipſis incunabulis vires omnes acquirit; ubi concepta fuit, ſtatim adolevit; & quaſi naturam ſpirituum obtineret, nullo eget tempore, ut creſcat; itaut ſimulac præliari incipit, arduum ſit de eadem referra victoriam, & contra reliquorum affectuum naturam in ortu ipſo magis, quàm in progreſſu eſt metuenda. *Idem*.

Contra noſmet ira noſtra bene uti licet.

Quin morbo adeo periculoſo tot inquiramus remedia, tutò ira noſtra contra noſmetipſos uti poſſumus, atque huic affectui permittere animadverſionem in ſcelera, quorum culpa tota noſtra eſt. Amor proprius tunc illius prohibebit exceſſum, & quin tot magiſtros conſulamus, ſalutis noſtræ cura nos ab affectus hujus exceſſu tuebitur. In nos illum exercere æquum eſt, tot enim ob cauſas id decet. Eam in pœnitentia legitimè uſurpare poſſumus, quin metuamus, ne ob ejus exceſſum lenitatis, vel ob vim charitatis jacturam faciamus. Virtus enim, quæ in nobis delicta punit, non aliud eſſe videtur niſi ira caſtigatine, & pœnitens ſibimet bellum indicens nihil aliud, quam homo ſibi iratus, ut S. Auguſtinus ait: *Quid eſt homo pœnitens niſi ſibi iratus homo?* Hic poteſt ſuus eſſe judex, auctor, ac teſtis, & quin juſtitiam lædat exequi eas poteſt ſententias, quas in ſe ipſum tulit. Felix ira, quæ hominem tantum lædit ut leniat Deum; ac levibus pœnis ſe ab æternis ſuppliciis liberat, ſibique præparat Angelorum felicitatem. *Idem*.

Hom. 4. ex 50.

Ira in ipſo initio extinguenda.

Præcipua iræ ſubigendæ ratio eſt ipſam in ipſis ſuffocare incunabulis, quemadmodum monet Apoſtolus: *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram*; videlicet ne permittatis, rationem quæ ſol eſt animæ veſtræ ob furorem veſtrum, & iracundiam eclypſim pati; neque ira præcipiti dæmoni tempus præbeatis animæ veſtræ poſſeſſionem uſurpandi: *Nolite locum dare Diabolo*. Ira, S. Chryſoſtomus ait, ferox eſt bellua; hanc domare non licet niſi prius cicur fiat, & ejuſdem imperium acquiras ſtatim ac oritur. In primo Regum libro dicitur David urſos, ac leones per caput cepiſſe, eoſque ſuffocaſſe, quæ figura nos docet furentem hunc iræ leonem, ita enim in ſcripturis vocatur, a nobis ſubigi nequaquam poſſe; niſi ſtatim illum aggrediamur, atque ubi primum moveri incipit eum ſuperemus. *Eſſais de Sermons pro Dominicis*.

Ad Epheſ. 4.

Ibidem.

Ser-

Sermone pro quinta post Pentecostem Dominica.

Ira tranquillitatem aufert.

Primus iræ effectus est auferre tranquillitatem illi, propter quem oritur. Crudele monstrum est, quod incipit ex proprii parentis cæde, & cordis ejusdem laniena. De interiori irati hominis parte judicium ferri potest ex parte illius exteriori; quid in anima ejusdem contingat conjici potest ex iis, quæ in ejusdem accidunt facie. Cor illius non minus turbatum est, quàm oculi, & lingua, & quicumque sit ejus furor, majorem profectò eidem infert calamitatem, quàm illis, quibus minitatur, & in quos furit. Hac proculdubio de causa prohibuit Deus, ne Cain cæderetur; voluit enim, iram, quæ ipsum proprii fratris fecerat homicidam, ipsius quoque carnificem esse, & crudeles pœnas, quæ affectum hunc comitantur, funesta esse eorum suppliciorum principia, quæ illum in inferno manebant. *Ibidem Sermone pro feria secunda Hebdomadæ tertiæ in Quadragesima.*

Ira insaniæ species est.

Quænam animi ægritudo magis invisa est, quàm ira, quænam honesto viro, & homine Christiano magis indigna! Populi paulò cultiores licet Ethnici illam perhorruere, & barbari quoque, statim ac fidem amplexi sunt, eam reprobarunt. Ira insania est, brevis quidem, sed tamen insania, eamque semper furor, & quædam amentiæ species concomitatur. Quid enim significant subitæ illæ animi emotiones, quæ consiliis tempus non relinquunt? quid impetus illi febris accessibus, atque reduplicationibus simillimi? Quid commota facies, furentes oculorum conjectus, contumeliosa verba, violenti impetus jamjam in sævissimas procellas erupturi? Hæc sane sunt Sapientis indicia? Nemo negat, ab irato rationem expetendam non esse: spiritus animales in illo non sunt ordinati; sanguinis agitatio non solus est ejus indignationis effectus; nullus affectus majorem ostendit, vel probat spiritus imbecillitatem: *Ira in sinu stulti requiescit.* Si belluarum brutalitas efficit, ut illæ iræ suæ motus sequantur, quid quæso efficit, homines parum adeo rationis compotes sint? Institutio, egregia indoles, urbanitas, officiosi mores, omnia evanescunt, omnia obscurantur, ubi hujusmodi redeunt convulsiones, diceres hunc non amplius eumdem hominem esse. Propria obliviscitur negotia, se ipsum obliviscitur; sed quæ turbæ! quæ vastitas! Quinam funesti hujus furoris effectus! *P. Croiset Tomo 2. Considerationum spiritualium.*

Eccl. 7.

Indignum est ob nugas irasci.

Accidunt nonnumquam facta ab omni æquitate ita abhorrentia, ut licet compos tui sis, vix iram tuam compescere valeas: sed ob leves causas irasci maximæ est infirmitatis, atque indignissimum. Etenim quænam ut plurimum iræ causa est? duriusculum responsum, verbum temere prolatum; fatua servi improbitate carentis simplicitas; & ut verbo me expediam, nihilum tantum tumorem cient. Minuta sæpe scintilla tantum parit incendium; idque inter viros alioquin honestos, non rudes, immo & officiosos, cum ira sunt vacui: sed quantumvis eximiis quibuscumque virtutibus præditus sis, earum merita in affectus adeo brutalis mancipio obscurantur. Hæc rationis absentia animam longè contemptibilem facit. Quænam subsistere potest existimatio, cum illam palam adeo mentiris? Quænam virtus crescere potest eo in fundo, qui tot patet tempestatibus? Existimatio umquamne hæc furoris intervalla concomitatur? Indignatio, vel ad summum miseratio unica gratia est, quæ hujusmodi ægritudinibus possit concedi. *Idem.*

Qui sæpe irascitur omnem amittit auctoritatem, & se contemptibilem præbet.

Quam in familia, domique suæ auctoritatem ille tueri potest, qui pravo temperamento suo dominari, primosque motus suos cohibere nescit? Hic oris habitus semper austerus, hic vocis tonus semper minax, hi torrentes contumeliarum possuntne sibi hominum animos conciliare? Numquid sibi reverentiam comparat, qui semper se iratum ostendit, ac ad minimam quamlibet scintillam ignescit? Numquid hic magis amatur? Ut felices simus, adnitendum est, ut illi, quibuscum vivimus, nobiscum felices sint. *Idem.*

Tristes iræ effectus.

Mirum est, quod tristes effrœnis hujus passionis effectus, illi existimationem detrahant, quin ejus vires imminuant. Atroces injuriæ, lites importunè intentatæ, immortales inimicitiæ, bonorum jacturæ, tristes eventus, mala nonnisi cum ipsa vita desitura, amari sunt fructus iracundiæ. Gemis, pœnitentia duceris, quereris; sed quid prodest retinere manum, cum jacta est alea? Extinctus ignis nihil nisi cineres relinquit. Fateris te iracundum esse, ac furorem tuum execraris; sed quid prodest ista confessio? Malacia diu non perseverat; humorum intemperies quamprimum novos furores excitat, & nubes novas pariunt tempestates. *Idem.*

Undenam ira procedat, & quænam sit vulgatior illius causa.

Inde procedit ira, quod ubi aliquid nos lædat, illicò mirum in modum afficimur. Superbia illam excitat, atque incendit. Frustra ingenium, bilis, temperamentum insimulatur; humilis numquam fuit iracundus; procellæ numquam nisi vehementibus ventis agitantur; lenitas, quæ iræ opponitur, a christiana humilitate separari non potest. Ira numquam marte suo, ac sola operari debet; ut prosit, virtutem, ac rationem sequatur, oportet: quidquid ira ex se sola facit, pravum est. Numquid peccandum est, ut alterum peccatum castigetur? Filius, famulusque sui obliviscuntur officii; numquid igitur citra furorem admoneri non possunt? Malum temperamentum displicet, ac irritat: ira terret, ac stuporem ciet, non corrigit. Numquid sola animi perturbatio vitium corripere potest? Cur defectus non sunt leniter castigandi? *Idem.*

Ira hominem facit brutis ferocissimis deteriorem.

Sanctus Chrysostomus ad eos verba faciens, qui ad iracundiam proni sunt, hæc, præter propter, dicit illis, homilia in Sanctum Matthæum quarta. Bruta licet natura sua effera sint, hominum arte cicurantur; sed vos, qui illa mansueta efficitis, cum antea essent indomita, quomodo vosmetipsos excusare potestis, quandoquidem mansuetudinem vobis ingenitam exuitis, ut belluarum feritatem induatis, postquam feras ipsas coegistis, ut naturali crudelitate deposita hominum lenitatem imitarentur? Leonem cicurem, docilemque efficitis, vos autem leonibus ipsis sæviores, atque immitiores ostenditis! Quænam igitur vobis reliqua erit excusatio, cogentibus quodammodo, ut Leo fiat homo, cum interim minimè vos pudeat, quod cum homines sitis, leonum ritu operemini? Alteri quidem id, quod ipsi natura negat, tribuitis; & quod alteri benigna concesserat natura, aufertis. Feroces belluas ad hominis dignitatem attollitis, ac vosmet de gradu dejicitis, ut infra belluarum statum vosmet demittatis. Mirum proculdubio esset, atque prodigii loco ab omnibus existimandum, si videretur bellua hominem vinctum tenens, eum, quocumque voluerit, trahens, atque illi imperitans, cui obedire tenetur. Mundus hujusmodi hominibus repletus est, quibus ira dominatur, quæ tamquam fera illos post se trahit, & nemo tamen miratur, nemo sibi cavet; quodque maximè deplorandum est, hoc spectaculum est adeo commune, ut ne animus quidem illi advertatur. *Ex castigatis sermonibus P. le Jeune Tomo 5.*

Irati descriptio.

Animæ perturbatio in corpus usque migrat; cum enim aliquis iracundiæ flamma correptus est, videmus illum contremiscere; os spumare; faciem ignescere; oculos micare, & alium prorsus oris habitum præseferre, ita ut ab iis, quibus notissimus est, vix agnoscatur, & ab energumeno parum distet. Ut hujus vitii horror injiceretur, id faciendum esset, quod apud antiquos nescio quos populos in more positum erat; qui ut in filiis suis ebrietatis horrorem excitarent, eisdem spectandum proponebant servum de industria inebriatum, in quo illos omnes indecoros corporis gestus, actio-

actiones irridendas, inhonesta verba, omnemque ejus turpitudinem jubebant animadvertere. Et profectò hoc satis erat, ut pueri brutalis hujus vitii, ac libero homine indignissimi horrorem conciperent. Ut ab ira abhorreamus, satis est aliquem diligentiùs intueri, qui sit hoc animi affectu correptus; illius actiones, motus, verba, os, oculosque, vultum denique totum adspicere, ut animæ ipsius ægritudo appareat; ac illo perfundamur horrore, quem hoc vitium meretur. *Idem*.

Ubi deferbuit ira, prodest se se colligere, & iræ causas cognoscere.

Postquam vehementes iræ motus subsederunt, operæ pretium est, sese colligere, atque hæc secum: Heus tu! ira te corripi passus es, atque in furore suo plurimum rumorem edidisti; plurima dixisti, atque fecisti, quæ neque dixisse, neque fecisse velles. Quænam te impulit causa, ut ita oblivisceretis tui? Quæ occasio, ut adeo fureres? Tunc sanè videbis ut plurimum ob levem aliquam causam te excanduisse, cujus cum iracundiæ nubes evanuerit, atque mentis serenitas redierit, te maxime pudebit. Crede mihi, Ethnicus ille sapiens ajebat, plerumque ea, propter quæ tantopere exardescimus, levia sunt, atque futilia. Hoc unum quæro, cur nunc iræ tuæ causam animo reputans, non ut antea succenses? Tunc te furor agitabat, factumque re ipsa majus ostendebat; nunc verò cum sedata sit ira, ac ignis deferbuerit, vides, factum illud non tanti fuisse, ut eousque tibi esset irascendum. *Idem*.

Sæpe animo inanes iræ causas concipimus.

Neque illud prætereundum est, præter alios defectus, qui ægritudinis hujus sunt proprii, hunc quoque inveniri; maxima videlicet ingenii vi pollere in excogitandis causis, vel occasionibus irascendi, vel potius illis sibi mente fingendis. Creditenim ille credidit hoc, vel illum verbum temere prolatum, & quin illud proferens ne cogitaret quidem de ipso, de industria ad ipsum lacessendum dictum fuisse; ideoque exardescit; vel tunc iram dissimulat, ubi tulerit occasio, illatam, ut putat, sibi contumeliam ulturus. Hic sæpe se contemni putat; neque se eo in pretio haberi arbitratur, quod sit suis meritis par; ideoque furit. Alius reverentiam sibi debitam minimè adhiberi censet; alius rebus in omnibus se in fabulam verti metuit &c. *Ex Anonymo Auctore*.

Quid faciendum, cum injustè lacessimur.

Homo nequam te injustè aggreditur: Deus qui protector est innocentiæ tuas partes amplectitur, ac pro te stare profitetur; verùm si in hominem illum succenses, jam non mereris amplius, ut causam tuam Deus tueatur. At duplicem hic iram esse considera; tuam, quæ agitatur, & cujus primi motus liberi non sunt; & iram Dei in eum, qui te affecit contumelia. Tua, quæ hac in occasione ægre se continet, inflammatur, velletque vim vi propulsare. Expecta, Ecce Deus, qui armatus justitia sua, ut pro te pugnet, elata voce clamat: *Date locum iræ*: Expecta, ira humana, iræque meæ da locum, ut ego litem hanc dirimam. Deus sibi hunc deposcit honorem ulciscendi tui; ne audeas illius jura, quorum maximopere zelotes est, tibi vendicare, neque illi hunc auferas honorem, ut se sine alterius ope ulciscatur. *Date locum* iræ divinæ, quæ causæ tuæ patrocinari studet; atque huic contentioni finem imponere. *Maimbourg, Sermone pro feria tertia post quartam Quadragesimæ Dominicam*.

Iræ comparatio cum torrente.

Cum gravis aliqua tempestas sævit, repente fluere videtur torrens, qui magno impetu fluctus rivulis, præruptisque imbribus tumidos volvit. Si illum coercere aggrediaris, aliquem illius furori obicem statuens, terribilem edit strepitum, spumat, intumescit, attollit undas, quarum aliæ alias impellentes in finitimos agros, ubi miserrimam gignunt vastitatem, latè se effundunt. Prosterne aggeres, vallum convelle, illum præterfluere sine; postquam procella desævierit, ipse etiam sine ullius detrimento aquas, furoremque suum in mari exonerabit. Irascitur aliquis, atque hoc sæviente affectu, qui horribilem ciet in ejus anima tempestatem, omnemque ipsius rationem perturbat, probra, & contumelias evomit. Tu illi resistis fortiter; illius vi tuam objicis; illi vocis sono magis adhuc imperioso, furentiqua respondes; quid inde? magis ille furit, extra se rapitur, sui minimè compos, quod dicit, quodque facit, ignorat. Tace, recede, paulisper illi cede; da locum torrenti: quamprimum, enim ira detonuerit, atque desævierit procella, ipsum suæ pudebit infirmitatis; neque aliud illi reliquum erit, nisi pœnitentia facti, & voluntas tibi satisfaciendi. *Idem*.

Nostra utilitas nos cogit, ut alienæ iræ cedamus.

Privata etiam nostra nos cogit utilitas, ut alterius vi cedamus, ubi irascitur; si enim iisdem armis nosmet tueri voluerimus, amittimus pacem, & æque nocentes evadimus, ac ille, de quo conquerimur. In hoc etiam Deo magis displicemus, quod ex uno duo mala facimus, & quod priori addimus, non est minus eodem. Hæc est Tertulliani sententia: *Hoc quidem loco malitia displicet Deo, quod malum duplicat*. Etenim sequitur ille, *quid refert inter provocantem, & provocatum, nisi quod ille prior in maleficio deprehenditur, iste posterior*. In iis, quæ præter ordinem fiunt, nulla ordinis habetur ratio, & illi, quos morum similitudo eodem in gradu constituit, non distinguuntur discrimine loci, quam servant scelus patrantes. *Idem*.

Furentis hujus passionis effectus.

Qui furenti hac animi perturbatione agitantur, in Scriptura, brutis similes esse dicuntur; eorum enim nequitiam imitantur, & qui parati sunt ad quævis malorum genera patranda jure in belluarum ferocium, ac venenatarum, quibus ingenitum in homines odium inest, numero possunt recenseri. Linguæ levitas, verba temerè prolata, calumniæ, probra, injuriæ, verbera cæteraque mala, quæ omnia dicendo complecti, arduum est, omnia sunt effectus, fructusque iracundiæ. Hic affectus gladios acuit, hic efficit, ut homines sese mutua cæde confodiant, ut se non amplius fratres internoscant, ut parentes, filiique ipsos naturæ sensus contemnant. Irritatus homo se ipsum ignorat; non senectutem, non virtutem, non generis nobilitatem reveretur; obliviscitur beneficiorum; & iis rebus, quæ sanctissimæ habentur, & nuncupantur, ne afficitur quidem.

Ira momenti unius insania est; qui eadem corripiuntur, se ipsos negligunt, ut ultionem reposcant, ac dummodo suo indulgeant dolori, omnibus sese objiciunt periculis. Injuriarum sibi illatarum memoria, est aculeus, quo irritantur; mens agitata nullam habet requiem, nisi prius eos, a quibus læsi fuere, gravi damno affecerint, aut contumelia; licet, ut passim evenit, nonnisi gravissimo cum detrimento suo aliis valeant incommodare. *Ex quodam S. Basilii sermone*.

Ejusdem argumenti.

Ira omninò animorum nostrorum dominium arripit, non secus ac flamma, arida nutrimenta invadit, & momento comburit. Ea insaniæ indicia, quæ homo in hoc statu positus, edit, enumerari vix possunt; sine consilio furit; obvium quemlibet aggreditur; pedes, manus, omnesque corporis ejusdem partes fiunt sui furoris instrumenta. Si duo homines ira correpti sibi occurrunt; omnia sibi ultro citroque inferunt damna, quæ mortales dæmone acti possunt inferre; seipsos discerpunt, vulnerant, occidunt; alter prælium incipit; alter ulcisci vult, ille urget, hic resistit, graves infligunt ictus; furor, quo aguntur, vetat, ne dolorem ex acceptis vulneribus sentiant, & ardor, quo ultionem sumere student, non patitur illos vulneribus suis mentem advertere. Fideles, ne malo mederi velitis deteriore malo; ne simul certetis, uter majores alteri ferat injurias. In certaminibus, qui triumphum se referre putat, succumbit, pluribusque peccatis se ipsum confodit. *Idem*.

Ira opposita est rationi.

Nullum rationi vitium magis oppositum est, quam ira; jam desinit rationis compos esse, qui furit, & nonne est hominem non esse, ubi rationis

tionis compos non es? Affectus reliqui rationem perturbant, hic illam extinguit. Ita ira hominem in belluarum statum redigit, immo, & ferocissimarum; ideoque Spiritus Sanctus iratum hominem leoni comparat, cujus vis nonnisi ex damno alteri illato intelligitur. Cum ratio illud frænum sit, quod nostræ hujus ægritudinis impetum cohibet; ex quo frænum illud abjectum est, in omne scelus ruitur. Iratus homo similis est navi navarcho, & gubernaculo carenti, quæ ludibrium est ventorum, atque tempestatis, a quibus circumagitur, donec scopulo illita quassetur. *P. Nepveu libro de Spiritu Christianismi tract. 5. cap. 4.*

Iratus homo sæpe furit.

Iratus homo domi suæ feram magis, quam hominem imitatur; leo est, Sapiens inquit, qui perfractis catenis quocumque terrorem, & periculum adfert: omnes eum metuunt, & fugiunt. Æstuosum est pelagus; nullum vallum est, quo coerceri possit; non alios limites habet, nisi potestatis suæ, suique doloris; quot motus, verba, facta, tot scelera sunt. *Idem in Considerationibus suis, Tomo 1.*

Lenitas efficit, ut nostrummetipsorū domini simus, cum e contra Ira nosmet faciat impotes nostri.

Quemadmodum nulla res magis commendat pulchritudinem, utilitatem, ac necessitatem luminis, quàm horror tenebrarum; ita nihil melius ostendit decorem, bona, necessitatem lenitatis, quam oppositi vitii turpitudo, & mala, in quæ hominem impellit. Lenitas efficit, ut homo sit compos sui, atque cordi suo dominetur. Cum non ita, neque vehemens alius quispiam affectus illum possideat; dominus est omnium motuum suorum; numquam inordinate eorum assurgit aliquis; omnia illi parent, quia ille semper rationi paret, & ratio perfectissimè paret Deo. E contra iratus homo sui impos dicitur; quomodo videre potest, quid in seipso agatur, suosque motus regere? affectuum suorum, iræ verò præsertim vile mancipium, quomodo illis dominari, eosque poterit coercere? At lenis homo semper sui compos est, ex se numquam egreditur; semper sibi invigilans videt, quidquid in seipso agatur, nihil eum fallit, semper sui potens, & cordis sui dominus omnes affectus, motusque suos moderatur, eosque facile sedat. *Idem.*

Ira ut plurimum injusta est.

Nemo, Sanctus Augustinus ait, iram suam putat injustam; attamen nullus animi affectus hoc est injustior. Illa ut plurimum in principio suo injusta est; sæpe enim nugæ, verbum temere prolatum, imaginario, levis suspicio, actio innocens in improbum detorta sensum, hominem extra se rapit, & nonnumquam ad fanda, infandaque omnia propellit. Injusta est in eo, quo operatur, modo; numquid malo medetur malum gravius, vel dicam melius, malorum omnium gravissimum, videlicet peccatum? Levis, ac sæpe frustra creditus error, realissimo, ac sæpe etiam gravissimo crimine castigatur? Malum, quod ultione persequi studes, comparandumne est cum eo malo, quod tibimet infers studens ulcisci? Cum te ira corripi sinis; rationis, pacis, charitatis, & gratiæ jacturam facis. Ille contra quem irasceris, & quem tibi inimicum putas, potestne tantum tibi detrimentum afferre quantum tu tibi affers? Denique in effectibus suis injustissima ira est: quot mala, quot scelera non parit? Iratus homo cum hac animi laborat ægritudine, ne verbum quidem profert, nihil cogitat, nihil audet, quod a scelere abhorreat, atque tunc etiam cum justè punire videtur, injustus est, ob eum modum quo id exequitur, & longè injustior ob insigne illud discrimen, quod ut plurimum inter injuriam patiendam, impositamque pœnam intercedit. *Idem.*

Remedia iræ efferenda.

Ira in quibusdam affectus est ardentis ingenii, fervidique temperamenti. Tunc non alia suppetit medicina, quàm seriò in id incumbere, ut hoc superes temperamentum, ejusque affectus subiges, atque mortifices; non oblitus virtutem non in eo positam esse, quod omni careas affectu, sed illos coercere, & vincere scias; pari se suo ingenio superati non solum non Christiani, sed nec hominis esse; rationem, & gratiam, non autem passionem Christiani ducem esse debere; in hoc sitam esse illam suiipsius abnegationem, vim illam, sine qua cœlum rapi non potest; devotionem omnem, quæ huc minime tendit, meram esse illusionem; Sanctos non ideo sanctos extitisse, quia affectibus vacui fuere, sed quia illos vicerunt; quandoquidem illi qui majori sanctitatis laude floruerunt, acerrimis obnoxii fuerunt affectibus, atque ea vi, quam sibi vehementissimam inferre debuerunt, ad sublimem adeo sanctitatis gradum pervenerunt. *Idem.*

Aliud iræ remedium.

Aliud affectui huic adeo vehementi, furentique remedium est; sibimetipsi legem irrogare, ne quid fiat, vel agatur, ubi quis seipsum hoc affectu agitatum cognoscit, quantumvis rationabili videatur; tunc præsertim cum acer est. Facilius est tacere, quàm sine acrimonia, ac furore loqui. Cum te intus agitari sentis, acre verbum temere elapsum cordis emotionem auget, eamque inflammat, non lenit; atque brevi ex acrimonia transitus fit in iram, ex ira in furorem. Tunc etiam cum teneri te putas facinus aliquod redarguere, pro virili vel ita cohibenda est, vel differenda correctio. Opus est, cor tranquillum habere, ut alienis cordibus moderari, eorumque infirmitatibus mederi possis. Affectus affectum non curat, sed exasperat; tui compos esto, ut aliis valeas dominari. *Idem.*

Ira sæpe a superbia proficiscitur.

Vanus homo, sibi semper omnia deberi, nec quod justum est unquam sibi rependi putat; minima quælibet contemptus species illum sui impotem facit, neque succenset, nisi quod ambitiosus est. Hac proculdubio de causa Dei Filius humilitatem lenitati conjungit, quia illa hujus est causa. Humilis semper lenis est, atque moderatus. Quemadmodum nihil sibi deberi censet, quidquid nimium sibi putat; atque seipsum contemnens jure ab aliis se contemni arbitratur; ideoque numquam credit se jure irasci, aut conqueri posse. Cum per humilitatem novissimum semper locum inquirat, neminem invenit, cum quo de loco sibi contendendum sit, ideoque nullam habet causam irascendi. *Idem.*

Procedit etiam ex amore boni alicujus, quod nobis ablatum videmus.

Ira etiam aliquando procedit ex immodico amore, quo bona quædam deperimus, unde accidit, ut ea nobis auferri pati nequeamus. Solus eorumdem amittendorum nos agitat metus, atque ad iram disponit, ubi nobis eorumdem jacturam imminere cognoscimus. Igitur si iræ mala cupimus evitare, desideria compescenda sunt, & affectiones moderandæ. Etenim sine impatientia, ac furore illius boni jacturam patimur, quod sine magna dilectione possidebamus. *Idem.*

In nosmetipsos irasci debemus.

Nostra non longiùs procedet ira, nisi illum impunem reliquerimus. Aliquam semper crimini parem pœnam infligamus, seu veniam petentes ab illis, in quos exarsimus, si pares fuerint, vel superiores; seu dura, odiosaque verba lenibus, & officiosis reparantes si fuerint inferiores, seu denique aliqua eleemosyna, aliave pœna nosmetipsos mulctantes. Nulla ira est, quæ his remediis resistere valeat, dummodo fideliter adhibeantur. *Idem.*

Suavitas zelum moderatur, & prohibet ne exardescat.

Suavitas zelum moderatur, ne in furorem erumpat, atque ne nimio ardore, amarus fiat, & indiscretus. Ita ipsas lenit redargutiones, ut nocens, nisi omnis sit sensus, & æquitatis expers, intelligat, sua odio haberi scelera, non se; & redarguentis in animo esse illum corrigere, non exasperare. Sin autem ulterius procedendum sit, ac pœna inferenda, lenitas efficit, ut cum dolore puniatur, & ut pœna semper sit ipso scelere minor; ita ut reus nisi se ipsum excæcare velit, fateri teneatur, pœnas sibi inflictas esse potius lenissimæ charitatis effectus, quam cæcæ, furoritisque iracundiæ. *Idem.*

Quomodo lenitas iram moderetur.

Lenitas non omnino evertit iram; hæc enim justa esse potest, & sæpe effectus est zeli, ac medicina malorum, quæ sunt castiganda; sed iram moderatur, & regit: efficit, ut neque facile, neque

que

que sæpe, & nonnisi ob gravissimas causas irascamur. Patitur lenitas, ut ira aliquando rationem ipsam tueatur, non autem ut illam prævertat, vel turbet: furores ejus, atque contumelias prohibet; jurgia, & probra proscribit. Si quando objurgationes permittit, non permittit tamen, ut lædant, easque zeli, & charitatis, non autem cupiditatis, odiique effectus esse jubet; Huncine modum in ira tua servas? Si minime servas, putasne errorem aliquem longe graviori crimine posse castigari? *Idem in considerationibus. Tomo 3.*

Quinam sint magis in iram proni.

Qui commodam vitam ducunt, & mundi hujus voluptatibus, atque delitiis perfruuntur, iræ obnoxii sunt; quodcumque ipsorum requiem irritat, illis non ferendum videtur. Tunc tantum abest quod nascentis iræ motus coerceant, ut immo sese eidem temere tradant, eorumque mens tamquam in otii, & voluptatis sinu semisopita nullum exerit conatum, ut primis furoribus resistat. Quæ enim probabilitatis species est, quod anima delitiis dedita iram suam moderetur, idque faciat, quod generosissimi spiritus vix facere possunt! Sibimet tot rationibus satisfacere volant, quot varia objecta possunt amare; sed cum hæ voluptates quæ plurimæ sunt, nequeant simul eodem temporis momento inveniri, statim ac earum ordinem aliquis casus perturbat, illorum erumpit ira, & gravissima mala producit. Nunc servus tamquam inofficiosus, fatuusque accusatur, nunc artifex tamquam incommodus, & importunus ejicitur: modò in accolam irascimur, modò in consanguineum aut alienum sexcenta evomimus probra. Hujusmodi ingenia ferventia, ubi aliquid sibi adversatur, incalescunt; contemptus aliquis, irrisio, oculi nictus, omnino illos irritant, ac sui impotes faciunt. *Ex morali Dictionario. 1. Sermone de Ira.*

Obstinata Ira est omnium periculosissima.

Licet cæca exhibeatur ira, sæpe nimis est ingeniosa, atque tantum luminis habet, quantum satis est, ut fiat pertinacior. Cum motus primi citra voluntatem accidant, venia sunt digni; sed cum animo reputamus crimen, & in eo permanemus; cum vel superare, vel saltem æquare studemus injuriam acceptam, jam consummata nequitia est. Hæ mutæ iræ latent aliquandiu, ut inopinatò erumpant, atque eò tutiùs ulciscantur, quò diutius ulciscendi occasionem operiri potuere; & hæc una ex illis rationibus est, propter quas monet Spiritus Sanctus, ne sinamus solem super iram nostram occumbere. Cum sol interdiu nubes non dissipat, hæ noctu percrebrescunt, ac densiores fiunt, ut edant tonitrua, atque procellas, quæ obvium quodvis prosternant. Cum quin animum advertamus furoribus nostris moderandis, ratione, & affectu abutimur, ut illos augeamus, quæ mala non pariunt, quænam in familiis dissidia, quasnam inter accolas secessiones, quænam inter summos, & imos, divites inter, & pauperes odia producunt? *Idem.*

Effectus Iræ.

Si diligenter attenderis, invenies iram in civili corpore idem efficere, quod febris in corpore naturali. Febris humores agitat, & inflammat; effervescit sanguis, attolluntur pulsus, palpitat cor, totusque corporis habitus perturbatur; imago apertissima eorum, quæ in civili societate ira producit. Inflammat animos, agitat cor, totum corpus politicum turbat; ea subvertens, quæ rectissimum ordinem servant, ea perturbans, quæ sunt pacatiora, ea separans, quæ conjunctiora sunt, & quæ sunt solidiora prosternens. *Idem sermone secundo.*

Ingenium, ac natura non satis excusat.

At enim, me cohibere non valeo, dicet aliquis fervidum habens ingenium, ignitumque temperamentum. Fateor equidem, primos iræ motus in potestate vestra positos non esse; objectum, quod displicet contumeliosè dictum, aut factum vestram excitare bilem atque vos ne sentientes quidem ad iracundiam inflammare; sed vos etiam fateamini oportet, divina opem ferente gratia vobismet vim inferentes prohibere posse, ne præcipiti hac ira eò rapiamini, quò sæpe iracundia vestra ferri cognoscitis. Quoties scelus vestrum estis confessi? Quoties spopondistis futurum, ut iterum non laberemini; & nihilominus quoties promissi fidem perfregistis? At enim, hoc meum est temperamentum, opus esset, ut iterum efformarer. Verum hoc ipsum temperamentum toto nisu a vobis vincendum est; atque ex illius victoria salutis vestræ opus est incipiendum. *Idem.*

Beatitudo eorum, qui iram suam superabunt.

Beati mites, quoniam possidebunt terram, Salvator ait. In hac quoque vita beati eritis, quia cordis vestri terram possidebitis: hæc illa merces est, quam vobis in hac etiam vita Deus pollicetur. Quin injuriam propulseris injuria, & maledictum maledicto, fratrum vestrorum iræ concedite; recedite, silere, expectate, donec desævierit procella: id facietis, quod fecit Dominus, & ipse pro vobis faciet, quod nemo præter illum facturus esset, sub imperio gratiæ ferocissimum, atque indomitum alligans monstrum, vos efficiens vestrummet ipsorum dominos subacto affectuum omnium maxime ferventi, ac rebelli, & hanc vobis conferens voluptatem, quod ea in fide, qua imposita vobis a Religione officia adimpletis, summam percipietis; utilitatem in maxima animi tranquillitate, & pace qua perfruemini. *Idem.*

Quam metuenda sit ira.

Ira turbidus est affectus, præceps, & ardens; dicam melius, vitium est vehemens, furiosum, quod nescit, quid sit intra rationis, & justitiæ terminos se continere; qui character illud a reliquis vitiis secernit. Invidia delitescit; judicium temerarium secretò fit, avaritia sese proferre non audet; obtrectatio cavet, ne agnoscatur; sed ira quin hos servet modos cum scandalo atque insolentia sese jactat. Ubi Scriptura de ira verba facit, illam modò comparat tonitrui quocumque terrorem inferenti, modò incendiario ignem sylvæ, aut malleolos domui admoventi. *Idem.*

Iræ descriptio, vel character.

Ira, memoriam revocans injuriarum acceptarum, cupiditas vindictæ est, celer est bilis emotio; violenta, ac præceps cordis inflammatio, motus amaritudine plenus, impetus subitò omnes animæ facultates perturbans, eamque prorsus deformem efficiens: Ira hæc est odium justitiæ, virtutum pestis, vermis, qui spiritum rodit; aversio est ab omni amicitia; dolor, qui licet sensibilis, atque urens, tamen mixtam habet fallacem quamdam suavitatem, quæ in animi sui cupiditate explenda percipitur. Hanc iræ ideam nobis adstruit S. Joannes Climacus. *Idem.*

Alius hujus affectionis character.

Pater idem iram in hominis corde comparat tumori, ægram, ubi est, partem corrumpenti, atque ibi sordium congeriem relinquenti. Illa sensim in corde efformatur suspicionibus, relationibus improbis, officiisque nequam; sed cum erumpit, fonticulus est, quo sese peccatum exonerat, & cujus fluxus non ita facile potest prohiberi. Hæc non tantum ira est venia digna, quàm noxius furor. Non tantum est amaritudo prætervolans, quam pertinax injuriæ ulciscendæ libitu; non tam dolor est rationem prævertens, quam dura, & crudelis indignatio ad gravissima quæque mala festinans. *Idem.*

Quid passim iram excitet.

Nihil mihi præstantius videtur, quam velis, remisque iræ quamdam speciem effugere, cui hominum plerique patent; etenim nonnumquam eadem rapti ea mala efficiunt, quæ neque ipse insaniæ furor operatur. Qui compos est sui, numquam illam prodit, nisi quod gloriæ cupiditate teneatur, ea quippe nihil aliud est, quàm effectus sensibilitatis cordis sui, spiritus delicati, & justæ discretionis. Ira enim in homine spiritu carente brutalitas potius dicenda est, quàm ira. Et sanè quomodo ferri potest injuria ab eo, cui æqua mens est, quin cor illius moveatur, vel quomodo ferri potest sine ira, ab eo qui gloriæ flagrat cupiditate? Notandum est, superbos omnes in iracundiam maximè pronos esse, non ita verè magnanimum, quia nullus huic accidit casus, cui paratus non sit; etenim gravissimis etiam, quæ

con-

contingere possint eventibus, præsto est. *Ex libro cui titulus: Conferences de Mademoiselle Scudery. Collatione de ira.*

Ira facilè in furorem migrat.

Animadvertendum est, reliquos omnes affectus jucunda nobis immittere desideria, iram verò nonnisi ultionis cupiditatem excitare, quæ quidem numquam tranquilla est. Et sanè ira fervens passim in furorem migrat; ac unum illud intercedit discrimen, quod ira simplex celerius defervescit, quàm genitus ab illa furor; & asseri potest etiam iram semper crudelitati præcedere, licet hæc non semper illam subsequatur. Quamobrem nulla satis esse potest diligentia in eorum coercenda iracundia, qui possunt, quidquid volunt; cum enim dominatur in corde eorum, qui dominantur aliis, terribiles habere potest effectus. *Ibidem.*

Undenam oritur ira, & quinam illi magis obnoxii sint.

Idro crudelitatis sensus ira ciet, quod omnia auget objecta, quæ eamdem fovere possunt; mentem perturbat, excæcat judicium, omnium ætatum est, ex omnibus rebus oritur, sive sensu præditæ sint, sive careant eodem. Amor etiam, amicitia, odium, voluptates illam producunt, atque brutis quoque adhæret, quæ numquam iræ objectum esse deberent. Aleatores præsertim huic sunt obnoxii; plures enim simul concurrunt affectus; & hoc efficit ut aleæ, talique proficiantur a ludentibus, sexcentaque alia id genus fiant inutilia, & irridenda. Ægrotantes, quorum morbi nonnumquam rationem infirmant, ob nugas succenser, quarum ipsos bene valentes suppudet. Hæc etiam, absit verbo invidia, inexhaustus est jurgiorum fons, tantaque est ejus nequitia, ut nullum fere possit umquam bonum parere, mala verò sexcenta. Ut verbo me expediam; utilis esse potest ut aliorum quidem metum, non autem amorem nobismet conciliemus. Diffidentes, ac suspiciosi magis, quam cæteri huic patent affectui; tandem enim opus est ut ira ex ratione aliqua seu ficta, seu vera oboriatur; atque hoc malum est, quod, cum voluntas illam crescere patitur, longiùs semper procedit, quàm vellet ratio. *Ibidem.*

Ex ira odium.

Sæpe ira gignit odium, ideoque maximè periculosa est. Pater filios corripere citra iracundiam debet; domini, qui quotidie de iis conqueruntur, qui sibi inserviunt, semper famulos habent dicto suo minus patentes; qui iratus cum amico loquitur, ut de aliquo vitio redarguat, illum irritat, non corrigit. Ipsius etiam Religionis negotium iram inflammare non debet; templa quidem, & aræ cum zelo, ac vi, non autem cum ira sunt propugnandæ: Ita ut dici audacter possit; ex omnibus humanis imperfectionibus nullam esse, cui minus Religio faveat, vel quæ naturali ratione minus valeat excusari; quia non ex utilitate, neque ex voluptate ducit initium, & nos, ubi velimus omnino eidem possumus dominari. *Ibid.*

Iræ natura.

De ira idem est ac de pyrio pulvere, qui si ignem in aere vacuo corripiat, ignescit, effunditur, evanescit, quin officiat ulli; sed ubi in arcto, clausoque spatio inflammatur, vehementes gignit agitationes, & concussiones; omnia disrumpit, prosternitque, ut sibi aperiat aditum. Ita & ira, quæ in mundo nullo in discrimine habetur, funestos exitus habet. *Abbas Trappensis in explicatione Regularum S. Benedicti.*

Ira exigui animi indicium est.

Animi magni proprium est numquam irasci, numquam furere, numquam contumeliosis, aculeatisque vocibus uti. Pusillus animus iram nequit coercere, atque suiipsius compos non est; similis insectis, quæ tangi nequeunt, quin mordeant. Quidquid enim infirmum est se lædi putat, dum tangitur; & neque palpantem, blandeque contrectantem manum pati potest. *P. Noves in Meditationibus suis.*

Minæ iratorum.

Minæ in iratis propriè significant ultionis desiderium imposterum, & ulciscendi impotentiam impræsentiarum; edicunt enim, aliquando illud faciendum, quod modò fieri non potest; ideoque minimè decent Christianos homines, qui erga ipsos inimicos fovere debent sensus pacis, ac vota pro eorum conversione, ac salute. *Essais de Morale.*

Ira injurias amplificat.

An nescis, ubi fervet ira, minima quævis non ferenda videri, & quod minimè injurium est, in oculis nostris percrebrescere, atque gravissimam contumeliam videri? Quod jocum vocas, sæpe cædes peperit, integrasque urbes evertit. Quemadmodum cum aliquem amore prosequimur, maxima quælibet illius flagitia, levissima nobis videntur; ita cum aliquem odimus, levia fiunt intolerabilia; & quamvis vox aliqua temerè prolata exciderit, illam ex animo infenso proficisci putamus. Præcipit Sanctus Paulus, ne sol occidat super iram vestram; metuit enim ne si nox solum deprehenderit eum, qui se læsum putat, illius exasperet vulnera. Interdiu affectus iste distractionibus, & mundi commercio dissipatur; sed noctu, cum solus es, animo reputas injuriam, qua affectus fuisti, in anima tua vehementiores motus excitantur, & ira magis, magisque irritatur. Quod malum prævidens S. Paulus imperat, ut antequam sol occidat, resarciatur gratia, ne dæmon ex nocturna quiete occasionem arripiat iræ inflammandæ, oleique camino addendi. *Ex quadam S. Chrysostomi homilia.*

Ira brevi temporis intervallo plurimum parit malum.

Ægritudo hæc est adeo violenta, ut momento illum perdat, cui adhæret: atque hinc fit, ut ipsum furoris momentum, sit etiam lapsus ejusdem. Huic affectui hoc peculiare, atque terribile inest: diu vigere non potest; attamen eo temporis spatio quo viget, mala parit, ferme irreparabilia; si ejus duratio vim exæquaret, nemo eidem resistere posset. *Ex ignoto Auctore.*

De lenitate iræ opposita.

Nullus adeo ferox est animus, quem lenitas non molliat; adeo furens, quem minimè sedet. Vehementissima ira, Spiritu Sancto testante, miti, officiosoque verbo resistere nequit; quantumvis fortis sit zelus, plures tamen mansuetudo convertit. Quot corda, quæ zelo restiterant, lenitati paruerunt? Salvatoris quidem zelus Templi prophanatores deterruit, sed illos convertisse scriptum non est, eos punivit, non mutavit. E contra verò ostinatissimus quisque mansuetudinis ejusdem illecebra captus fuit. Publicani, Magdalenæ, victas illi dare manus debuere. Quomodo amari non potest, qui tantum abest, quod pro malo malum rependat, ut immo ne acrius quidem verbum proferat, qui ne veritatem ipsam nimio calore tueatur, qui mordicus jura sua non propugnat, qui mavult bona potiùs, quam lenitatem amittere, & qui nonnisi bonis officiis acceptis respondet injuriis? *P. Nepveu in Considerationibus.*

Mansuetudinis elogium.

Hæc virtus est vel continens, vel supponens virtutes alias; effusio est unctionis Spiritus Sancti in animam, apertissimum est plenitudinis JESU CHRISTI in cordibus nostris indicium. Nonnisi Christianus, immo perfectus Christianus virtutem hanc potest habere; neque potest aliquis verè Christianus esse, nisi illam possideat; non enim habet spiritum JESU CHRISTI. Impatientiæ, quibus passim corriperis, amaritudines, & fortasse impetus etiam iracundiæ nonne palam ostendunt te non esse verum fidelem, cum adeo parum imiteris eum, qui virtutis hujus se proposuit exemplum? *Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde. Idem.* Matth. 11.

Iræ vis.

Haud ille quidem exagerat, S. Basilius ait, qui iram torrenti comparat in perniciosissimo cursu nihil distinguenti, omnia indiscriminatim vastanti, subvertenti, atque domos, mapalia, ædes, hortos, arbores, hominesque rapienti. Omnia furentibus illius fluctibus cedunt; valla illum irritant, obices inflant; quod secum trahere nequit, illum spumas attollere, mugitusque edere facit, quasi contra suam infirmitatem, & eam vim, propter quam illam agnoscit, indignantem. Ad examen revocare nolo, quod Religio nobis sacrum, sanctumque proponit, ut iræ furorem describam. Ea sufficie

memi-

meminisse, quæ officia, & vitæ commercium considerate nos jubet, ætatem, meritum, virtutem, genus, beneficia. Efferatus sane ille est, qui horum omnium obliviscitur, eaque quodammodo cacæ ultionis cupiditati sacrificat. Vix in corde inflammatur ira, cum ibi extinguit considerationem, quæ habenda est, venerabilis senectutis, arctissimarum, sacerrissimarumque cognationum, & officiorum, quæ nobis sunt obeunda. Illius flamma promiscuè corripit, quidquid sibi occurrit in via. Sive ille fiat obvius, qui consummata prudentia reverentiam sibi conciliat, vel qui ingenio, scientia, doctrina magnam sibi nominis celebritatem comparavit; seu qui arctissimis affinitatis vinculis conjunctus est; liberalis benefactor, qui nihil prætermiserit, ut de nobis quam optime mereretur; ira eorum caracterem minime intuebitur, atque sanctissimas civilis societatis leges violabit. Satis per se patet actionum ejus indignitas; hanc tamen propiùs inspicere detrectat. *Liber inscriptus: Remarques sur divers sujets de Religion, & de Morale. Tomo 3.*

Iræ mala, & effectus.

Nosti (Auditor) quinam sint iræ effectus; sive enim illam tamquam Philosophus, seu tamquam Christianus intueatis, gravissima profectò mala producit. Ut unam rationem consulamus, ullusne fons est iniquitatum uberior? In affectus hujus furoribus modum servamus, atque intra æquitatis cancellos nosmet continemus? Licet hodierna quoque die reposcere fas esset oculum pro oculo, numquid ab irato esset reposcendus? Ira amplificat ea, de quibus apud inimicum nobis est conquerendum; ira efficit, ut ultra acceptam injuriam aliquid repetamus. In causa aliena æqui judicis estis. Quoties vidistis homines, contumeliis ad iracundiam provocatos injustas satisfactiones exquirere, & oblatis non acquiescere; vos sane injustam eorum cupiditatem damnastis. Hi tamen fortasse viri erant alioquin cordati; sed affectus illos injustos efficiebat. Cæterum si politicam quoque rationem expendamus, ira nos in mortalium omnium fabulam, ludibriumque traducit; nos æqualibus contemptibiles facit, atque communem omnium in nos conflat indignationem. Quo enim haberi potest in pretio homo furiosus, qui ob quaslibet causas in iras exardet, & quem nulla res potest compescere? Quanam in re utilis esse potest mortalibus? Proculdubio vestra non discrepat sententia, Auditores, ideoque vos ipsi eum eo rem habere nolle profitemini. *Sermo Manuscriptus.*

Cur jubeat Apostolus ante Solis occasum Iram extingui.

Sol non occidat super iracundiam vestram. Ad Ephes. 4. Ad funestos iræ effectus prævertendos, ac prohibendum ne illa mutetur in odium, opus est, inquit Apostolus, ut diei finis finem injiciat iracundiæ. Hoc quidem consilium centies fortasse audiistis, at unquamne sensum illius estis assecuti? Cur, Sanctus Chrysostomus inquit, iræ vestræ finem statuit Solis occasum? Cur vult, ne noctis umbra in animis vestris inveniat otium? Quia, Sanctus hic Doctor respondet, ægritudinum objecta in noctis requie catervatim sese menti nostræ negotiis expeditæ obtrudunt; & cum tunc temporis attentio aliis non sit curis distracta, ideæ longè sunt vividiores. Quàm grave malum igitur esset per id tempus repetere eas ultionis cogitationes, quæ in ipso iræ æstu mentem subierant! Eas iterum gustare, & fovere! Quàm horrenda imago inimici sese nobis exhiberet? Quam caliginem nocturnæ tenebræ illi offunderent? Spectro simillimum nonnisi cum horrore illum intueremur; & imaginario decepta non multò post cor ipsum falleret. *Idem.*

Ira habitualis, & noxia nullum habere jus potest ad Regnum Cœleste, ubi pax, & lenitas regnant.

Nonne justum est, iram, cum sit peccatum præ cæteris magis oppositum paci, & consensui, qui in Cœlis regnat, inde in æternum proscriptam esse, & iracundos homines, postquam in hoc mundo perturbarunt concordiæ suavitatem, sacrumque nodum, quo omnes simul Christiani sunt conjungendi, tandem separandos esse à magno hujusmodi corpore, cujus omnia membra connectit charitas, atque cum illis esse damnandos, qui in assiduo furore vivunt? Hinc sanè inferri merito potest homines, qui proni sunt in iracundiam, nisi omnibus nervis contendant hunc affectum subigere; longe a via salutis abesse. *Sermo Manuscriptus.*

Mansuetudinis victoria, ac trophæa.

Quid, amabo vos, Apostolos mundi Principes, universorumque Dominos fecit, nisi lenitas, & mansuetudo? Ite, ait illis Salvator mundi, mitto vos sicut innocuas oves in medio rapacium luporum. Omnis armaturæ loco illis agni mansuetudinem tradit; atque Sanctum Petrum in terris Vicarium suum constituturus nonne in hoc articulo illum scrutatur, illi simul & ovium suarum curam committens, & ejusdem charitatem explorans? Et sane Sanctus Antoninus affirmat, Sanctum Petrum indesinenter plorasse non tam ob scelus suum, quam propter memoriam mansuetudinis suavissimi Præceptoris sui. Extititne unquam cor magis benignum, quàm Sancti Pauli, qui furiosus fuerat persecutor, ira, ac rabie spumans contra dominicum gregem; sed postquam expertus est suavitatem misericordiæ Dei propter hominum amorem mortui, nonne statim factus est agnus? Magnus hic Apostolus numquam magis profecit, quam cum operatus est in spiritu lenitatis, & mansuetudinis, ut alios facere hortatur. Ejus suavitas majorem vim habuit, quàm potestas; & anathemata, quæ in peccatores ejaculatus est, numquam feliciorem effectum sortita sunt, quam cum illa in semetipsum convertit, videlicet quam cum mirabili charitatis excessu maluit esse anathema pro sævissimis inimicis, qui illi in mundo adversati fuerunt.

Tranquillus Principis animus, hominum cordibus tranquillitatem impertit; quicumque magnus esse cupit, & operari magna, cordi suo vim facere debet ut clementiæ legem suscipiat. Si se affectibus suis trahi sinat, si sanguinis fervore ac æstu se corripi patiatur; nihil unquam assequetur. Custos virtutum Angelus est mansuetudo: numquam enim ista permittit, ut suo muneri desint. *Ex Manuscripto sermone.*

Quædam S. Ambrosii monita de ira.

Primum est igitur, si fieri potest, ut motum tranquillitas usu quodam affectionis proposito in naturam vertatur. Deinde quoniam ita plerumque motus infixus est naturæ, ac moribus, ut evelli, atque evinci non queat si prævideri potuerit, ratione reprimatur. Aut si priùs occupatus fuerit animus ab indignatione, quam consilio prospici, ac provideri potuerit, ne occuparetur: meditare quomodo motum animi tui vincas, iracundiam temperes. Resiste iræ si potes: cede si non potes: quia scriptum est: *date locum iræ*..... Non mediocre est mitigare iracundiam: non inferius, quàm omninò non commoveri. Hoc nostrum est, naturæ illud. Illæ denique commotiones in pueris innoxiæ sunt, quæ plus habent gratiæ, quam amaritudinis. Et si citò pueri inter se moventur, facile sedantur, & majori suavitate in se recurrunt. Nesciunt se subdolè, artificioseque tractare. Nolite hos contemnere pueros, de quibus Dominus ait: *Nisi conversi fueritis & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in Regnum Cælorum.* Itaque, & ipse Dominus, hoc est Dei virtus sicut puer cum malediceretur non maledixit, cum percuteretur non repercussit..... Noli respondere irato ad iracundiam ejus, sive imprudenti ad imprudentiam ejus. Citò culpa culpam excutit. Si lapides teras, nonne ignis erumpit? *Ex l. 1. Officiorum S. Ambrosii cap. 21.*

De ira natura.

Ira turbidus est animæ motus, quo sese attollit contra causam mali, atque injuriæ, qua quis affectus est, non sine vehementi ultionis cupiditate. Ex affectus hujus natura facile judicari potest, nonnisi pessimos effectus inde existere posse. Dixere nonnulli, utilem esse, quia impiorum injusti-

justitiæ adversatur, æquitatem servat, & Dei gloriam tuetur. Sed tunc ira non est, sed constantia, fortitudo, zelus. Iræ impetus simul esse non potest cum justitiæ tranquillitate, & æqualitate; jam nostro excidimus jure, ubi ad illud tuendum ira incipimus uti, *Abbas de Breteville in tractatu de Forensi, & Ecclesiastica Eloquentia.*

Elogium suavitatis, ejus effectus, & bona. Pollicetur Dei Filius, eos, qui mites fuerint, possessuros terram, ut inter eos hanc constituat charitatem, quæ legis est plenitudo, & consummatio, cujus mansuetudo, quæ humanæ societatis est vinculum, est tamquam veluti effectus, ac nota præcipua: *Gluten animarum, societas fidelium*; Hæc efficit ut simul vivant, quin virtus illa prorsus divina labascat. Prævertit, ac sedat motus, qui sæpe in occasionibus injucundis acciderent; efficit, ut proximi infirmitates, atque imperfectiones tolerentur, & ii, qui inter claustra, sanctisque congregationibus vivunt, ibi pacatam vitam ducant, ejusque ordinem numquam perturbent, juxta illud Spiritus Sancti effatum, quo ultro, citroque alienas imbecillitates ferre jubemur: *Alter alterius onera portate. Abbas Trappensis in Moralibus Considerationibus in Evangelium S. Matthæi.*

JUDICIUM PARTICULARE

De nostrum singulis in ipso mortis nostræ momento habendum, & quidquid ad hoc pertinet argumentum.

MONITUM.



Emo unus inter Fideles est, qui scire non debeat, duos esse dies in Providentia statutis notatos, & quibus omnes homines coram Deo prodire debent rationem de actionibus suis reddituri, ac deinde supremi hujus Judicis sententiam subituri. Prior ille est, quo quisque ex hac egreditur vita; alter verò post seculorum finem, quo omnes simul homines ad terribile illud Tribunal procedent. Primum illud judicium particulare, alterum verò generale vocatur; de utroque duobus titulis a nobis seorsim agendum est, quemadmodum illa etiam inter se longo temporis distant intervallo.

Quod ad primum pertinet, infrequens auditur de suggestu sermo, & de eodem pauca in Asceticis libris inveniuntur; quapropter non ita facile nosmet inter ea continebimus, quæ illud a generali judicio distinguunt, quin aliquid attingamus eorum, quæ sunt utrique communia. Scriptura enim, Sanctorumque Patrum loci, exempla, timoris causa, atque utriusque judicii exitus ad alterutrum indiscriminatim possunt transferri. Attamen reor in hisce collectaneis meis satis, & abundè inventum iri ea, quæ utrique argumento sufficiant.

Animadvertendum dumtaxat est, quemadmodum particulare judicium propius imminet, ita hoc majorem in nos vim habere posse, & sin minus locus hic patet speciosis eloquentiæ amplificationibus, atque motibus adeo patheticis; vicissim non deesse aliquod magis pertimescendum, & quod nos magis moveat, quibus jam persuasum est, non ita multò post in hoc judicium esse prodeundum.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Sermonum hujus Argumenti Systemata.

I. 

N en judicio, quod de unoquoque post singulorum obitum instituendum est, tria possunt considerari: Vel si mavis, peccatores exhiberi possunt tribus in circumstantiis, quæ tunc concurrunt, & quæ mentem nostram valent permovere. 1. Peccator in jus vocatus, ut se in Dei sistat judicio: 2. Peccator in hoc judicio accusatus, ac de iis, quæ perpetravit sceleribus convictus, sine ulla excusatione, atque responsione. 3. Peccator in hoc eodem judicio damnatus decretoria, atque irrevocabili sententia.

Pars prima. Peccator in jus vocatus, ut se in Dei sistat judicio. 1. Formido, qua percellitur anima, quæ momento hoc se ab omnibus separatam videt; extra corporis sui carcerem, extra visibilem hunc mundum, extra temporis limites, extra seculi sodalitates; verbo, sola, quin secum ex hoc mundo aliquid avehat, præter actiones suas, quæ justa causa sunt ejusdem timoris. 2. Terror, quo tunc temporis corripitur similis illi, quo perculsus fuit Balthassar, ubi vidit manum in convivalis aulæ pariete scribentem suæ mortis sententiam, quin intelligeret, quid scriptio illa significaret; Faciei pallor, atque totius corporis tremor satis innuebat, omnia illi in adeo miro, & inexpectato eventu esse metuenda. 3. Judicari potest quos in peccatore tumultus tunc cieat noxia conscientia, illum in antecessum accusans, & damnans; præsertim ubi cogitat nullam amplius superesse viam flectendi judicis irati, coram quo sibi prodeundum est, ac illius per pœnitentiam exorandi tempus jam effluxisse, neque ullam reliquam esse rationem, qua illum sibi valeat delinire. 4. Ubi considerat quanti momenti sit negotium, de quo postremæ disceptationis judicium habendum est; videlicet de æterna felicitate, vel infelicitate, de cujus eventu plurimum illi pertimescendum est, qui saluti suæ nequaquam prospexerit. Frustra inducias, ac dilationem deprecabitur: *Inducias usque mane*; atque frustra illum pœnitebit, quod hac in re non satis curæ, atque sedulitatis impenderit.

Pars altera. Peccator in Dei judicio accusatus: anima enim a corpore sejuncta statim ad Judicis sui tribunal rapietur examen subitura; sed cujusnam Judicis? Sed quodnam examen? Ad trutinam revocabuntur 1. commissa peccata; 2. omissa bona; 3. bona eadem male peracta; 4. beneficia, quibus a Deo cumulatus fuit, & quibus abusus est; lumina, & gratiæ, quibus præventus fuit, & quæ ipse contempsit; sanctitas status, ad quem fuit evocatus; media tuta, & facilia, quibus salutem operari poterat, & quæ ipse neglexit. Ratio ex illo expetetur naturalium talentorum, quibus præditus fuit, & quomodo iisdem ad salutem fuerit usus; ratio bonorum fortunæ, & in quos usus eadem impenderit; ratio peccatorum, quorum

rum extiterit causa, vel quæ minimè prohibuerit: denique ad examen vocabitur modicum etiam illud boni, quod fecerit, ut illius defectus innotescant; verbo: singula diligenti trutina ponderabuntur: *Cuncta quæ fiunt, adducet Deus in judicium.* Eccl. 12. Deus huic animæ omnes ejusdem actiones, peccata ostendet omnia, non amplius secundum fallacem sensuum, affectuumque lucernam, sed secundum ipsius veritatis lumina. De illis judicabit tamquam Deus judex; illa non confuso, ac superficiali tantùm intuitu, sed distincta, omnibusque circumstantiis suis convestita videbit; ita ut victa sine ulla excusatione, ac defensione obmutescet, atque seipsam damnabit.

Pars tertia. Considerandus erit peccator in hoc judicio damnatus, irrevocabili sententia, quæ continet 1. Reprobationem rei, qui actus est intellectus, quo Dei Filius supremus ejusdem Judex cum omnes vitæ ipsius actiones districtissimo judicio appenderit in statera, judicabit illum beatitudine, gloria, & bono quovis indignum: 2. Infallibile judicium, nulli errori obnoxium, nec dolo, uti humana judicia sunt. 3. Judicium, & sententiam, propter quam Deus in æternum peccatorem derelinquit, eumque in dæmonum manus tradit &c. 4. Sententiam, quæ statim in arena adimplebitur, ita ut anima reprobata ipso statim suæ reprobationis momento infelicissimam videat æternitatem, quæ sese ob oculos ipsius explicabit, atque omnem simul, ut ita dicam, infernum patiatur, &c.

II. Post traditum discrimen, quod inter particulare, & generale intercedit judicium post sæculorum finem habendum, ostendendum est particulare quantumvis severum, rigidumque sit, in ipso statim mortis exitu esse instituendum.

1. Judex semper est præsens; etenim est Homo-Deus, qui quatenus Deus est ubique, & replet omnia, & quatenus homo omnia cognoscit; atque ostendendum est, ipsum in utraque qualitate teneri de hominibus habere judicium, omniumque actionum ab illis peractarum rationem exposcere. 2. Accusator non longè abest; dæmon videlicet, qui in Apocalypsi fratrum accusator vocatur, & qui interitum nostrum peroptans, nos de peccatis omnibus accusabit, quæ patraverimus, atque levissimis conjecturis innixus ficta etiam supponet; contra vigilantem hunc, infensumque actorem causa nobis erit peroranda. 3. Testis nostra erit conscientia; atque anima tunc a corpore sejuncta falli non poterit neque per ignorantiam, neque per oblivionem, ideoque sciens statum illum, in quo est erga Deum se ipsam judicabit, condemnabitque.

III. 1. Sæpe animo repetendum est illud judicium, quod in ipso mortis singulorum momento erit habendum: Fides, ratio, Ecclesiæ, Patrumque omnium auctoritas admonent non fore tempus hoc cogitandi in ipso mortis articulo, quo in jus erimus produturi. 2. Quomodo hoc animo repetendum sit; videlicet sese eidem præparando, conscientiæ suæ consulendo, prævertendo examen, atque judicium, quod fiet de nobis, nosmetipsos
1. ad Cor. 11. dijudicando. *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur*; & ut verbo me expediam, videndo, quid respondere poterimus Deo, quem nihil latebit, & qui nemini parcet.

IV. 1. Solus coram solo Deo apparebit peccator: Hæc prima erit pars. 2. Solus respondere debebit Deo, qui accusator erit, judex, & omnium testis actionum. *Essais de Sermons in Dominicali.*

V. Hoc nobis justum hujus judicii metum debet incutere; 1. quod judicem, actoremque habebimus Deum sapientissimum, quem ne minima quidem factorum latere potest circumstantia. 2. Deum irritatum, cujus gratias contempsimus, cujus beneficiis abusi sumus, & cui sævissimas nos intulisse contumelias scimus; sed qui tunc severissimam ex nobis exposcere ultionem & volet, & poterit.

De similitudine quæ intererit inter peculiare judicium, quod statim post mortem fiet, & generale post sæculorum finem habendum. VI.

1. Non deest ratio quædam similitudinis inter signa, quæ utrumque judicium præcedent. *Sol obscurabitur, luna non dabit lumen suum, virtutes Cælorum commovebuntur*, &c. quæ affabre applicari possunt, quemadmodum præstitit P. Delingendes. 2. Criminum discussio utrobique erit diligentissima, cum hoc tamen discrimine, quod si in particulari judicio salutari littera absoluti fuerimus, nihil nobis erit metuendum in generali. 3. In utroque eadem sententia feretur; vel ut melius dicam, illa, quæ in generali proferetur, non aliud erit, quam confirmatio illius, quæ lata fuerit in particulari.

Duo in nobis sunt, quæ necessariam habent relationem cum judicio Dei, fides videlicet, atque ratio. Quatenus Christiani habemus fidem, quatenus homines rationem. Fides est lumen supernaturale, quod a Deo in Baptismo recepimus; ratio verò est lumen naturale, quo in ipso vitæ hujus exordio donati sumus. Ex his autem duabus regulis, quæ omnem vitæ nostræ rationem regere debent, atque ex his duobus luminibus, duplicique hac cognitione Deus nos judicabit. VII.

1. Quatenus Christianos per fidem judicabit. 2. Quatenus homines per rationem. Judicii severitas innixa fidei Christiani. Judicii severitas innixa rationi hominis peccatoris. *Hoc unum est ex argumentis. P. Bourdaloue de generali judicio; quod tamen & particulari æquè convenit.*

1. Mortem terribilem efficit subsequens illam judicium, in quo nobis ratio erit reddenda omnium actionum nostrarum, ut debitam illis mercedem feramus, vel pœnam. 2. Judicium verò terribile efficitur examine præcedente. *Si justus vix salvabitur, impius, & peccator ubi parebunt?* VIII. 1. Pet. 4.

1. Insipientia plurimorum hominum de judicio Dei non cogitantium, nisi cum in illud sibi prodeundum est. 2. Timor, ac tremor eorum ante hoc Tribunal prodeuntium, quin antea rationes suas supputaverint, atque conscientiæ suæ consuluerint. 3. Eorum desperatio, cum se justè suppliciorum æternitati addictos intuebuntur; & in conclusione, quid faciendum sit ad hæc omnia evitanda. IX.

Pro concionis partitione desumi possunt tria verba, quæ olim divinitus ignota manus in aulæ pariete impii Balthassaris descripsit, dum ille in convivio, quod mortem illius præcessit, epularetur: *Numeratum est, appensum est, divisum est.* X. Daniel. 5.

1. *Numeratum est.* Omnia recensita, numerataque sunt; videlicet districta reddenda ratio erit eorum omnium, quæ diximus, fecimus, cogitavimus. 2. *Appensum est.* Singula ad pondus Sanctuarii, atque in statera judiciorum Dei ponderabuntur. 3. *Divisum est.* Hoc est; Malum quod in optimis actionibus nostris invenietur, separabitur; vel non a viventium tantummodo, verum etiam a beatorum, ipsiusque Dei societate separabimur, si nocentes inventi fuerimus. *Auctor Sermonum in omnia Ethica Christiana argumenta fusius argumentum hoc pertractavit in Dominicali, Sermone octavo post Pentecostem.*

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest, ad proposita Concionum systemata pertractanda.

Sanctus Augustinus, *l. 2. de anima, & ejus origine c. 4.* loquitur de particulari judicio, at paucis. Sancti Patres.

Idem in titulum Psalmi 147. docet magis metuendum esse malum conscientiæ nostræ statum, quam Judicem, a quo sumus judicandi.

S. Gregorius, *lib. 4. Moral.* plures adfert rationes, propter quas Sancti judicium Dei timuerunt.

Idem, *lib. 9. Moral.* docet nunc singulos semetipsos judicare debere, & coram Deo sese statuere sua peccata plorantes, ne aliquando damnentur, cum ad ejus tribunal rapientur.

Idem, *lib. 23. Moral.* hoc ipsum tradit.

Idem, *Homil. 9. in Evang.* explicat parabolam Talentorum, & docet, illos, qui a Deo plura acceperint, majorem quoque, in Dei judicio reddendam esse rationem.

Idem, *Homil. 39. in Evang. & lib. 24. Moral. c. 17. & 18.* de particulari judicio verba facit.

Sanctus Bernardus, *in Cant. Sermone 23.*

Dionysius Carthusianus, *in Operibus Min. Tomo primo.*

Asceticl. Granatensis in Duce Peccatorum cap. 7.

A Ponte in Duce cap. 6.

Idem in Meditationibus parte prima, Meditationem habet hujus argumenti in plura puncta divisam.

P. Novet Tomo 6. Meditationum, Recessu primo pro præparatione ad mortem, Mediatione secunda pro die decima, ostendit quam terribile sit hoc judicium propter decretoriam sententiam ibi ferendam.

P. Nepven Tomo 1. Considerationum Christianarum, & in Exercitiis.

Bessus in libro peculiari de quatuor novissimis.

Hortus Pastorum, *lect. 28. art. 1.* docet futurum particulare judicium, & quomodo instituendum.

Essais de Morale, Tomo 4.

Concionatores. P. Delingendes, *Feria 6. Domin. 4. in Quadrages.* Sermonem habet de animæ statu in hora mortis.

P. Grizel in adventu, cui titulus *Balthazar*, Serm. 14. & 15.

Par. Bourdalove in adventu primo de generali tantum judicio verba facit, sed concio hæc particulari etiam judicio æque convenit.

P. De la Rue Tomo 2. Sermonum sub nomine suo editorum peculiarem habet hujus argumenti sermonem; qui in compendium redactus invenitur etiam in Specimine sermonum pro Dominicis Dominica 8. post Pentecosten.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta in Dominicali Dominica octava post Pentecosten hujus Argumenti Sermonem instituit.

P. le Jeune Sacerdos Oratorii JESU argumentum hoc quatuor sermonibus pertractat: in primo ostendit, particulare judicium habendum esse, & quibus de criminibus ibi accusabimur; in altero de peccatis alienis, quæ nobis vitio vertentur; in tertio de excusationibus, quas afferent peccatores, & quæ nequaquam æqui, bonique fient; in quarto de reprobæ animæ damnatione.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Applicationes Scripturarum hujus Argumenti.

SI repentè interroget, quis respondebit ei? Jobi 9. *Quantus sum ego, ut respondeam ei, & loquar verbis meis cum eo?* Ibidem.

Opus hominis reddet ei, & juxta vias singulorum restituet eis. Jobi 34.

Appendat me in statera justa, & sciat Deus simplicitatem meam. Jobi 31.

Quid faciam cùm surrexerit ad judicandum Deus? Ibidem.

Non intres in judicium cum servo tuo. Psal. 142.

Ne projicias me a facie tua. Psal. 50.

Justitias judicabo. Psal. 74.

Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Psalm. 142.

Arguam te, & statuam contra faciem tuam. Psalm. 49.

Tu reddes unicuique juxta opera sua. Psal. 61.

Propter quid irritavit impius Deum? dixit enim in corde suo: Non requiret. Psal. 9.

Signasti quasi in sacculo delicta mea. Jobi 14.

Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni invenerunt me. Psal. 114.

Non proderunt divitiæ in die ultionis; justitia autem liberabit a morte. Prov. 11.

Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti. Jobi 9.

Pondus & statera judicia Domini sunt: & opera ejus omnes lapides sacculi. Prov. 16.

Respicit Dominus vias hominis, & omnes gressus ejus considerat. Prov. 5.

Omnis via viri recta sibi videtur: appendit autem corda Dominus. Prov. 21.

Qui inspector est cordis, ipse intelligit, redditque homini juxta opera sua. Prov. 24.

Cuncta, quæ fiunt, adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum, sive malum illud sit. Eccl. 12.

In cogitationibus impii interrogatio erit, sermonum autem illius auditio ad Deum veniet, ad correptionem iniquitatum illius. Sap. 1.

Virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur. Sap. 6.

Facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundùm vias suas. Eccli. 11.

In fine hominis denudatio operum illius. Ibid.

Opera omnis carnis coram illo, & non est quidquam absconditum ab oculis ejus. Eccli. 39.

Non dicas: A Deo abscondar, & ex summo quis mei memorabitur? Eccli. 16.

Non te justifices ante Deum, quoniam agnitor cordis ipse est. Eccli. 7.

Reddam eis secundùm opera eorum, & secundùm facta manuum suarum. Jerem. 25.

Ipse revelat profunda, & abscondita, & novit in tenebris constituta: & lux cum eo est. Daniel. 2.

Non est personarum acceptor Deus. Act. 10.

Unumquemque juxta vias suas judicabo. Ezechiel. 33.

Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. Matth. 24. & 25. & Marci 13.

Redde rationem villicationis tuæ. Luc. 16.

Scimus quoniam judicium Dei est secundùm veritatem. Ad Rom. 2.

Qui reddet unicuique secundùm opera sua. Ibid.

Unusquisque onus suum portabit. Ad Galat. 6.

Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii. Matth. 12.

Nihil mihi conscius sum; sed non in hoc justificatus sum. 1. ad Cor. 4.

Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. Ibid. 11.

Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium. Ad Hebr. 9.

Vivus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti; & pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis. Ad Hebr. 4.

Appensus es in statera, & inventus es minus habens. Daniel. 5.

Veteris, novique Testamenti Exempla.

NIhil video, quod æquiorem adstruere nobis possit ideam status peccatoris, cum ad Dei judicium vocatur, quam quod in Daniele Propheta legimus de impio Balthasar, cujus exitus infelix connotatus fuit tribus verbis, quæ idem Propheta interpretatus est. Dominus numeravit, appendit, separavit. *Et hæc est interpretatio sermonis. Numeravit Deus regnum tuum: appensus es in statera, & inventus es minus habens: divisum est regnum tuum.* Hæc tristis est, sed vera figura eorum, quæ in peccatoris accidunt in morte: donec vivimus, peccatorum nostrorum numerum ignoramus, (Exemplum Balthasar. — Daniel. 5.)

ramus, pondus eorum imminuimus eaque confundimus cum paucis operibus bonis, quæ facimus: sed in morte ostendit Dominus, se peccata nostra numerasse, virtutes nostras appendisse, & paleas a frumento separasse.

Quæ esset Jobi de hoc judicio sententia.

En quid senserit S. Job de particolari judicio, deque ratione in eodem a nobis Deo reddenda. Si Deus, ajebat ille, modò me judicaturus descenderet, mihique omnem vitæ meæ rationem ob oculos poneret, quid illi responderem? *Si repente interroget, quis respondebit ei?* (Job. 9.) Æque potens, ac sapiens est, quis ergo poterit ad Tribunal ejus fidenter accedere? *Sapiens corde est, & fortis robore: quantus sum ego, ut respondeam ei?* (Ibidem.) Licet etiam me irreprehensibilem putarem, non ideo tamen periculi expertem me crederem; oculi enim tui mei non sunt, atque ibi maculas detegis, ubi nihil est, quod minimè niteat: *Quid faciam cum surrexerit ad judicandum Deus?* (Ibid. 31.) Quid illi interroganti respondebo? *Et cum quæsierit quid respondebo illi?*

Sensus David in hac re.

David Rex, & Pater infelix de solio deturbatus a filio, & derelictus a populo se convertit ad Deum, eique eas exhibet angustias ad quas redactus est. Omnia me produnt, omnia meum quærunt interitum. Verum his rebus omnibus nequaquam, Domine, commovear, sanctus Rex ait; tu unicè me terres, oculos tuos expavesco. Averte illos a peccatis meis, & sufficit mihi. Detonet in caput meum sæva procella, qua obruor; irruant terrenæ omnes calamitates constans ero, atque pacatus, dummodo hoc mihi polliceri valeam te nequaquam subiturum esse cum me judicium; *scio enim, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* (Psal. 142.)

Nocentis animæ terror, cum proditura erit coram Deo expressus in metu Reginæ Esther cum ad Regem Assuerum accessit.

Quisnam exprimere posset metum, atque formidinem peccatorum, cum prodibunt coram læso Deo, cujus leges perfregerint? De hoc judicium ferre possumus ex terrore, quo repente perculsa fuit Esther Regina, cum Assuero se obtulit. Regina hæc, quæ in viri sui amore confidere poterat, videns faciem illius ira succensam, qua illam violaverat legem, qua mortalibus cujuscumque generis interdictum erat ad Regem solio insidentem suo, non vocatis, accedere: Infelix hæc, inquam, Regina iratum conspiciens Regem, cujus oculi iracundia suffusi malum aliquod portendebant subito pavore correpta defecit; quæ sese collegit, ubi a Rege benigniùs excepta, & promissionibus cumulata, audiit, legem, quam se putabat transgressam, pro ipsa non fuisse irrogatam. Quinam erit nocentis animæ terror, quæ sese offeret Deo, postquam toties, totque modis sacratissimas leges infregerit, & quæ adstabit ex illius ore damnationis suæ sententiam auditura?

Parabola œconomi qui apud herum accusatus fuerat quasi dissipasset bona sua, & ex quo ratio administrationis petita fuit.

Divitis parabola villicum habentis insimulatum, quod herilia bona dissipasset, adeo perspicua est, atque ita naturaliter de particulari judicio explicatur, ut Dei Filius eam de industria concinnasse videatur, ut nobis explicaret severitatem, qua ille tandem a nobis rationem eorum omnium, quæ in vita fecerimus, exposcet. Et sanè, quisnam statim non intelligit, Divitem hunc non alium esse quàm ipsum Deum, cujus omnia sunt; at quis simul non videt, villicum istum non alium esse quam Christianum, qui a Deo recipit, non id solum quod habet in ordine naturæ, verum etiam id, quod possidet in ordine gratiæ; œconomum sæpe ingratum, & infidelem tot bona miserè dissipantem, quibus præclare uti deberet: œconomum qui certo die ab æterno præstituto coràm Tribunali Divinæ justitiæ vocabitur, ibi de bona, vel mala administratione sua rationem redditurus. Quemadmodum funesta illa erit mortis nostræ dies, & hæc ratio repetetur in particulari judicio, quod illam excipiet; peccator non solum apparere debebit coram Domino, cujus bona dissipavit, verum etiam rationem reddere de usu, in quem illa convertit: *Redde rationem villicationis tuæ.* (Luc. 16.)

Similitudines, & exempla quædam ex Evangelio desumpta.

Nihil est, de quo sæpius, pluribusque modis in Evangelio nos Dominus admonuerit, quàm de incertitudine adventus Filii Hominis homines judicaturi. 1. Usus est ille furis exemplo, qui ad suffurandum concubia nocte clam accedit, cum mortales omnes alto demersi sunt somno. Apostoli Sanctus Petrus, Sanctus Paulus, & Sanctus Joannes, qui hoc ex Magistro didicerant, illud & ipsi quoque fidelibus proponunt: *Adveniet dies Domini, ut fur*, Petrus inquit; (2. Pet. c. 3.) Paulus verò hoc ipsum declarat, & ait, homines tunc perculsum iri velut mulierem partus doloribus laborantem, cum nondum puerperii tempus adesse arbitratur: (1. ad Thess. 5.) Joannes tandem in Apocalypsi ad Sardicensem loquens Episcopum, Dei verbis dicit illi: *Veniam ad te tamquam fur, & nescies qua hora veniam.*

Parabolæ hoc ipsum significantes.

Ut hujus periculi admoneremur, Salvator tres nobis in Sancto Matthæo reliquit parabolas. Prima est Patris cujusdam familias, qui rus se contulit, quin servis diceret, quo tempore esset reversurus, & qui reipsa hoc temporis reversus est, quo minus ab illis expectabatur, atque in eos animadvertit, quos officia sua minime obeuntes invenit. Altera est decem Virginum, quæ sese præparatunt, ut venienti sponso obviam procederent; quibus quid acciderit nemo unus ignorat. Tertia hominis est longum suscipientis iter, atque pecuniam domesticis suis distribuentis, ut eam in quæstum collocarent; qui domum reversus malè mulctavit eum, qui creditum sibi talentum humi defoderat.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic argumento.

Deus rationem ex peccatore de omnibus ejusdem actionibus repetet.

R*Edde rationem villicationis tuæ.* Luc. 16. Christianus es, te fides docet, omnia, quæ habes bona a Deo tibi collata fuisse, ut rationem de illis redderes; te non alium esse nisi eorum œconomum, & conductorem. Accede, videamus nunc, in quem usum converteris bona, quæ fortunæ vocantur, bona naturæ, & bona gratiæ; paulisper hæc res ad examen revocanda est; accede, videamus: *Redde rationem villicationis tuæ?* Quid audio de te? Quomodo abusus es fortunæ bonis, quæ Deus in manibus tuis collocavit? Nonne illa dissipasti, ut tuas cupiditates expleres, & vitiis tuis materiam suppeditares? *Redde rationem.* Nonne abusus es omnibus animæ tuæ facultatibus, omnibusque corporis tui sensibus? Heus tu! intellectus a Deo creatus, ut de Deo cogitares, nonne in reliqua omnia evagatus est? Ex decies centenis millibus cogitationibus Christianus iste ne unam quidem fovit, quæ recta ad Deum referretur. Cor istud creatum ut amaret Deum, Auctorem bonorum omnium, vel odit, vel nullo habuit in discrimine: *Redde rationem.* Neque solum ratio repetetur oculorum, sensuum, animæque facultatum, verum etiam vitæ Christianæ officiorum, bonorumque gratiæ, quæ quidem ratio magis terribilis erit. Heus tu, Christiane, quem ex fide, habitibus sanctis, supernaturalibusque donis fructum percepisti? Quomodo usus es Sacramentis? Horum omnium ex te ratio expetetur.

Peccator nullam inveniet excusationem.

Quid faciam cum surrexerit ad judicandum Deus? Job. 31. *Et cum quæsierit, quid respondebo illi?* Numquid causabor infirmitatem meam? Eheu! Nonne respondebit, se mihi gratiam contulisse, ut illi suppleret, viresque adjiceret? Prætexam mundi consuetudinem, & exempla? At nonne sciebam, nonne millies per ministros suos ille mihi testatus fuerat, se illa damnare, & eum, qui sequitur illa, jam esse judicatum? *Quid respondebo?* Talis erit peccatoris status adveniente judice. Ipse sui actor erit. Conscientia ipsum redarguet, atque in memoriam revocabit quoties vim passa fuerit ab illo, dum sese vitiis omnibus manciparet: *Quid*

faciam cum resurrexerit ad judicandum Deus. Quid faciam, & quid fiam? Hoc vobis jugiter dicendum, & cogitandum est, vobis, inquam, qui adeo pacatam vitam ducitis, & adeò tranquillè omnibus fallacibus mundi gaudiis perfruimini.

Nosmet in antecessum hac in vita judicare debemus, ut judicium Dei præveniamus.

Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. 1. *ad Cor. c.* 11. Docet Apostolus fore ut nequaquam judicemur, si nosmet diligenti judicio excusserimus. Hoc autem judicio, quod in nos ferre debemus, prævertere possumus quidquid severitatis erit in particulari judicio; & ideo in antecessum nobis ea facienda sunt, quæ tunc faciet Deus. Judicem habebimus Deum illuminatum, qui omnia cognoscet, Deum irritatum, qui omnia puniet; mutuemur nunc hujus illuminati judicis lumina, ut omnia peccata nostra agnoscamus, ac nosmet armemus jaculis iræ irritati hujus Dei, ut eadem peccata puniamus. Ad Tribunal Dei accedere volo, non tamquam reus judicandus, sed tamquam nocens a seipso judicatus, atque damnatus. O felix sententia, hic Pater addit, quam modo contra nosipsos pronuntiamus, quia adeo formidabilis judicis severitati nos subtrahit!

Bern. Serm. 55. in Cant.

Deus perspicaci cognitione secretissimas intentiones, & cogitationes scrutabitur.

Sermo Dei vivus, & efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti. Ad Hebr. 4. Dei cognitio (namque ex veterum Patrum sententia hoc significat nomen illud *sermo Dei*) Cognitio Dei, inquit Apostolus, viva est, & perspicax, atque ancipiti gladio penetrabilior pertingit usque ad divisionem animæ, & spiritus; atque intentiones, & cogitationes discernit. Facile intelligitur S. Paulus hoc in loco ad corporis anatomen alludere, atque sensibili hac imagine velle nobis adstruere ideam spiritualis hujus divisionis, quam in conscientiis nostris facturus est Deus. Si enim hæc attentius consideras; hic de ferro, & ense loquitur: *Omni gladio ancipiti*; de compagibus, ac separatione: *ad divisionem animæ, ac spiritus, compagum quoque, ac medullarum.* Quemadmodum autem cultro docta manus in qualibet corporis parte ita minimas etiam fibras novit sejungere, ut singulæ valeant distingui: Deus infinitæ sapientiæ suæ radiis, ut figurata Apostoli utar locutione, talem efficiet omnium facultatum animæ dissectionem, ut levissimos etiam ejusdem habitus proferat in apricum.

Nosmet ipsos in hac vita judicare debemus, & quomodo.

Spiritualis judicat omnia, & ipse a nemine judicatur. 1. *ad Corinth.* 2. Homo spiritualis judicat omnia, & judicatur a nemine. Judicabo, inquit S. Bernardus, bonum, & malum, quod in me est. In iis, quæ bene fecero, de me humilitatis tantùm sensus concipiam. Me inutilem servum existimabo, qui id tantum fecerit, quod sibi faciendum erat. Scrutabor vias, & affectus meos, ut qui visitare debet Jerusalem in lucernis, nihil in me inveniat, quod ad examen non vocaverit: neque enim bis judicabit in idipsum. Judicabo malum, quod feci, & lacrymis eluere conabor peccata mea, eaque jejuniis, omnibusque christianæ mortificationis laboribus expiare.

Plurima erunt, quibus in hoc judicio respondere non poterimus.

Vide in quantis te accusant. Marci 15. In particulari hoc judicio nobis dici poterunt verba quæ dicebantur Filio Dei, cum ad Judicem raptus jamjam erat damnandus: *Vide in quantis te accusant.* Nobis tunc ea dicebantur; JESUS enim tunc referebat personam peccatoris, ejusque speciem gerebat; sed nobis etiam dicentur, cum dæmones nos accusabunt, atque prolixa enarratione scelera nostra nobis objicient: *Vide in quantis te accusant.* Quid his reponere potes, dicetur nobis; quid respondes tot factis, totque invictis argumentis, quæ proferuntur in te; verbò tot criminibus, quæ tibi objiciuntur? Tu te expiare debes, & objecta diluere. Quid dices, quid respondebis, propriæ conscientiæ tuæ testimonio convictus?

PARAGRAPHUS IV.

Loci, ac Sententiæ Sanctorum Patrum hujus Argumenti.

VÆ etiam laudabili vitæ hominum, si remota misericordia discutias eam. Augustinus in Confess.

Stateram Dei non vides, omnis cogitatio tua in illam levatur. Idem, in Psal. 85.

Puto quia magna sit jam peccati pœna metum ac memoriam futuri abjecisse judicii. August. Serm. 120. de Temp.

Ascende tribunal mentis tuæ, esto tibi judex, & dic Deo tuo: Quoniam iniquitatem meam ego cognosco. Idem, in Psal. 49.

Siqua præsentis vitæ lætitia est, ita agenda est, ut nomquam amaritudo futuri judicii recedat à memoria. Hieron. sup. Matth.

Vitari terror judicis non nisi ante judicium potest; modò non cernitur, sed precibus placatur... Cùm verò in illo tremendo examine sederit, & videri potest, & placari non potest; quia facta pravorum quæ diu sustinuit tacitus, simul omnia reddet iratus. Gregor. lib. 14. Moral. cap. 34.

Cùm augentur dona, etiam rationes crescunt donorum. Idem, Hom. 9. in Evang.

Actus nostros ita præparemus, veluti reddituri imminenti judicii rationem. Cyprian. in Symb. exposit.

Beatus erit quisquis non sine memoria divini judicii omnia gesserit. S. Hilar. in Psal. 118.

Nihil est quod magis proficiat ad vitam honestam, quàm ut credamus eum judicem futurum, quem occulta non fallunt, indecora offendunt, & honesta delectant. Ambr. in Offic.

Si credimus venturum judicem, innocentes judici nos præparemus; judicem negat esse, & judicandum se satis diffidit, qui malè vivit. Chrysol. Serm. 59.

Si pro otioso verbo periculum est, quantò magis pro criminoso? Ambr. in Psal. 38.

Pendet per singulos dies nostrorum statera meritorum, atque exiguis vel boni operis, vel degeneris flagitii momentis huc atque illuc sæpe inclinatur. Idem, Epist. 44.

Satis delicatè nobiscum agitur, quando in potestate nostra datur, qualiter judicemur. S. Eligius, Homil. 8.

Volo vultui iræ judicatus præsentari, non judicandus: bonum judicium, quod me illi districto divinoque judicio subducit, & abscondit. Bernard. in Cant. Serm. 55.

Quid de peccatis erit, si injustitia inveniatur nostra justitia? Idem, in festo SS. omnium.

Time scrutinium judicis, time illum qui per Prophetam dicit: Scrutabor Jerusalem in lucernis. Idem, Serm. 55. in Cant.

Judicemur interim, Fratres, & terribilem illam expectationem studeamus præsenti declinare judicio. Idem, in Psal. Qui habitat.

Erit tunc non misericordiæ sed judicii tempus, nec ulla omninò credenda erga impios futura illic miseratio, ubi nulla speranda est correptio. Ibidem.

Convincet sine ulla temporis prolixitate conscientias. August. l. 20. de Civit. Dei.

Ille judex nec gratia prævenitur, nec misericordia jam flectitur, nec pecunia corrumpitur, nec satisfactione mitigatur. Idem, lib. 3. de Symbol. cap. 8.

Ipse erit judex causæ tuæ. Idem, lib. de decem chord. cap. 2.

In potestate nostra posuit Deus qualiter judicemur. Idem, Serm. 47. de Sanctis.

Quando Deus judex erit, alius testis, quam conscientia tua non erit; inter judicem justum, &

con-

conscientiam tuam, noli timere nisi causam tuam. Idem, in Psal. 37.

Animus sibi malè conscius dum sibi videtur nullam pœnam pati, credit quòd non judicet Deus; & sic auferuntur judicia Dei à facie ejus, cùm hæc ipsa sit magna damnatio. Idem, in Psal. 10.

Cognoscetur Dominus judicium faciens, qui nunc ignoratur misericordiam quærens. Bernard. de 12. Grad.

Sæpè justitia nostra ad examen divinæ justitiæ deducta, injustitia est, & sordet in districtione judicis, quod in æstimatione fulget operantis. Greg. l. 5. Moral. c. 6.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ fontibus ad hoc argumentum valeat hauriri.

Quid sit particulare judicium, & in quo differat a generali.

JUdicium, quod particulare vocatur, ad illius distinctionem, quod de mortalibus omnibus in fine sæculorum erit babendum, illud est, quod de singulis in ipso vitæ bujus exitu habebimr; de quo plerique Doctores tradunt intelligenda esse hæc

Ad Heb. 9.

Pauli verba: *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium.* Quia judicium hoc statim mortis momentum subsequitur, vel potius in ipso mortis momento peragitur, atque in eodem agitur de singulorum beatitudine, vel infelicitate, ita ut nihil in generali judicio metuendum supersit iis, qui semel in particulari fuerint absoluti. Discrimen verò, quod inter utrumque intercedet, boc est, quòd in secundo universis manifestabitur quidquid absolutum, vel damnatum fuerit in primo. Quod minimè prohibet Sanctus Chrysostomus ait, quominus vitæ nostræ finis nobis sit, quod sæculorum consummatio mortalibus omnibus, & primum hoc judicium plurimum habeat similitudinis cum altero, quandoquidem in utroque omnes actiones nostras singillatim districtoque examine judicabuntur; & idem judex utrique præerit, & sententia quæ semel vel salutaris, vel funesta prolata fuerit, eadem erit, irrevocabilis, atque æterna.

De fide est particulare judicium futurum.

Dubitare nefas est, utrum singuli in ipso mortis exitu judicandi sint, cum Florentina Synodus declaraverit eos, qui in mortali peccato moriuntur, eodem temporis momento præcipites in infernum deturbari, eos verò, qui in gratiæ statu decedunt, sed nondum protsus Divinæ satisfecerunt justitiæ, lustralibus flammis addici, fidei articulus est, licet Patres quidam, atque inter cæteros Tertullianus, crediderint, neminem salvari, vel reprobari, nisi post resurrectionem, atque vitæ, mortisve sententiam in extremo judicio proferendam.

Peccator hoc in judicio seipsum accusabit.

Talis erit status peccatoris coram Judice suo prodeuntis; ille se ipsum arguet; conscientia illius primus erit ejusdem accusator: illa in memoriam revocabit scelera omnia, quibus sese mancipavit. Num culpa mea est, tunc illi dicet, si contra naturæ, atque Religionis leges, te pauperum egestatibus inbumanum præbuisti? Culpa mea est si contra jus omne, & fas proximi tui existimationem, infelicem invidiæ, ultionisque tuæ victimam effecisti? Culpa mea est, si corpus hoc, cui tamdiu, ac tantopere blanditus es, cui nihil negasti, in omnes libidines, ganeasque traditum fuit, quæ eidem modò tot constant suppliciis? Nonne semper conatus es vocem meam suffocare, cum te redarguerem? Nonne te persecutus sum in ipsis etiam ludis, in societatibus, in voluptuariis cætibus, in comessationibus, atque spectaculis, funestissimis tuæ iniquitatis asylis?

Dæmon erit accusator noster in hoc judicio.

Dæmon, quem Sanctus Joannes *fratrum accusatorem*, appellat, in particulari judicio noster erit accusator. Hoc nomine in Apocalypsi vocatur, quia noctu, & interdiu illos coram Deo accusare non cessat: sed in extrema illa occasione majori cum furore, ac ira desæviet; accusabit nos omnium scelerum, in quæ nos ipse impulerit, atque levibus innixus suspicionibus conficta etiam crimina objiciet; seu quod illius cognitio, secretas cordis intentiones minimè assequetur, seu quod propter odium, atque nequitiam umbram pro ipsa rei veritate desumet. Nostra nunc interest, illi in corde aditum nunquam aperire, ut cum in hoc judicium nos accusaturus accesserit, nullum habeat crimen, quod verè nobis objiciat.

Districtum examen erit in judicio de omnibus operibus nostris habēdum.

Præ cæteris verò hoc in judicio considerandum est districtum illud examen, quod habiturus est judex de omnibus operibus nostris, & in quo duæ considerandæ sunt terribiles circumstantiæ. Altera hoc in sensu illud universale futurum, ita ut nobis reddenda sit ratio de iis omnibus, quæ fecerimus mala, quin inutiles cogitationes, otiosaque verba excipiantur, de iis omnibus, quæ bona facere neglexerimus, de tepore, quo usi fuerimus cœlestibus gratiis seu generalibus, seu particularibus, qualia sunt Sacramenta, sanctæ inspirationes &c. & demum de minimis quoque defectibus, qui sensim in bona opera nostra obrepserint. Ideo per Prophetam dicit Dominus: *Cum*

Psal. 74.

accepero tempus, ego justitias judicabo, severè eas etiam examinabo actiones, quæ sanctissimæ, atque religiosissimæ videntur.

Ostendet Deus justis ea omnia, quæ fecerunt, bona.

Addendum, quemadmodum redarguet Deus peccatores, de sceleribus, quæ patraverunt, ita justis ea patefacturum bona, quæ fecerunt. Illis ob oculos ponet pios eorum sermones, sensus, desideria. In eorum memoriam revocabit opera sancta, quæ ex eorum memoria exciderunt, vel quæ illis ambigua visa sunt. Cum gaudio magna intuebuntur merita, quæ plena divinæ voluntati obedientia, pœnitentia, precibus, jugibusque mortificationibus adepti fuerunt.

Deus huic judicio judex præerit.

Judex autem futurus est ipse Deus, qui actioni huic præerit quin sese ostendat, ita tamen ut præsens & a bonis, & a malis sentiatur, bis quidem gravissimum terrorem incutiens, eos verò pace, atque lætitia ineffabili replens. Cæterum cum sit sapientissimus, falli non poterit: cum sit optimus, nihil contra æquitatem poterit decernere; cum sit omnipotens, nemo illius non parere poterit imperio; cum supremus sit Judex, nullum erit tribunal, ad quod liceat provocare; omnia illius judicia erunt decretoria, & irrevocabilia.

Cum homo rationis sit particeps, rationem reddere debet Domino de actionibus suis.

Homo natus est rationis particeps, ideoque rationem reddere potest de actionibus suis: Non quæritur ex brutis animantibus ratio de motibus eorum, quia eorum nullam habent cognitionem; at homo rationem reddere potest de iis, quæ facit, & cogitat. Omnes judices sunt omnium actionum ejus, quas noverunt: conscientia intra illum aliud constituit pro secretis motibus tribunal; Deus verò super illius conscientiam, & super homines positus rationem expetit omnium actionum simul, & cogitationum, quia eas omnes cognoscit. Æquumne esset, ut conscientia, & proximus illud in nos haberent imperium, atque auctoritatem, eamque Deus, qui nos creavit, minimè haberet?

Homo quatenus liber subjectus est judicio Dei.

Homo liber est, & bonum a malo secernere potest; quæ res illum potiori jure divino Tribunali submittit. Non petitur ex pelago ratio tempestatum, quæ ibi desæviunt, quoniam illas excitat ventus abnormis, & exlex. At in homine principium est cognitionis, & libertatis, per quas electionis suæ rationem reddere potest: Æquum est, ut eam reddat, ac cuinam reddet, nisi Deo? Si homo sui dominus, atque a nullo pendens natus est, esto ille suimetipsius Judex: sin autem in Cœlo ens adest infinitum, a quo motum vitamque accepit, & quod leges illi irrogavit, æquitas postulat, ut Enti huic actionum omnium ratio reddatur. Quid? Servus domino, Filius Patri, subditus Regi rationem reddere debebunt, creatura verò Creatori, homo Deo minimè reddet?

Hac naturalis est sententia atque naturæ ipsius impressio nos aliquando esse judicandos.

Lex, pœna, & judex tria sunt, quæ separari non possunt. Deus legem tulit, ab illo, ac jussis illius pœna proficiscitur, opus est ergo, ipsum judicem esse. Denique homo natus est eum conscientia futurum judicium metuente; at undenam isti metus procedunt, nisi ex naturæ impressionibus, & ex hac idea in omnibus hominibus infusa, judicium habendum esse, ubi singuli actionum suarum rationem erunt reddituri? Impii nequicquam contendunt has ideas ex spiritus imbecillitate proficisci, & quò magis hic 10 dies perficitur, eo magis illas esse dissipandas. Sed prima principia, quæ hos conscientiæ motus efficiunt, generatum in populis omnibus inveniuntur, & hæ primæ impressiones semper justæ sunt; inde erui quidem possunt remotissimæ, fallacesque illationes, sed horum principiorum veritas in dubium revocari non potest.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, recentioribusque Concionatoribus loci hujus Argumenti.

Tempus, quo fit particulare judicium.

TEmpus, quo hoc fit particulare judicium, ipsum est mortis momentum; licet enim Deus peculiari justitiæ suæ dispositione palam, insignique animadversione damnata voluerit ante ipsam mortem scelestissimos quosdam peccatores, ut horum exemplum reliquos homines in officio contineret; non consuevit tamen quemquam judicare, nisi invisibili ratione, cum anima ex corpore egreditur; atque hoc momento lex omnis dirimitur: Judex audit actores, fert sententiam, eamque haud cunctanter exequitur. Hoc terribile momentum est, quod indesinenter mihi ob oculos versari debet, quia esse debet vel beatitudinis meæ, vel æternæ infelicitatis exordium. O fatale momentum, per quod ipsam ingredimur æternitatem! Tune possumus oblivisci, quin pereundi subeamus discrimen? Possumusne ejus reminisci, quin præ horrore fremamus? Cogitemus, fideles, momentum hoc, omniaque vitæ nostræ momenta ita bene impendamus, ut ne unius quidem jacturam faciamus; nullum enim est, quo vitam numquam desituram mereri non possimus. *P. a Ponte; Parte prima Meditationum de Fidei mysteriis.*

Anima sola in hoc judicium prodit rebus omnibus excita.

Anima, de qua judicium habendum est, sola in hoc prodit judicium, corpore suo denudata, ab omnibus visibilibus creaturis seposita, atque suis dumtaxat operibus comitata. Etenim quamvis paulo antequam de corpore egrediatur, circum ægrotantem frequens adsit consanguineorum, affinium, amicorum, Religiosorumque corona; nemo tamen eorum sequitur illam, nemo illam in altera vita protegere potest. Regis anima nequaquam majori habetur in pretio, quàm rustici; divitis, quam pauperis; docti, quàm rudis; dignitates enim, & opes fluxa sunt bona; & scientia licet permaneat, altera in vita minimè consideratur, ubi bonis tantum operibus merces defertur. *Idem.*

Deus in particulari judicio efficiet, ut peccatorū nostrorum gravitatem, qualis verè est, sentiamus.

Duplici, eoque gravissimo in errore versamur, qui quodammodo contra severitatem judicii de nobis ex hac egredientibus vita instituendi, nos modò confirmant, quod videlicet crimina quidem nostra minora, opera verò bona meliora pro re ipsa, nobis videntur. Timeamus judicium Dei, qui omnes a nobis tenebras expellens, nobis obtrudet videnda peccata, quæ numquam agnovimus, atque fallaces virtutes, quas sinceras, solidasque existimavimus, dissipabit. Et sanè qui nobis innocuus visus est jocus, tunc aculeata videbitur contumelia; quæ licita existimabatur necessitudo, noxius judicabitur amor; quæ honesta censebatur gloria, immodica agnoscetur ambitio; quæ rationabilis putabatur œconomia, sordida avaritia fuisse intelligetur; verbo, quod in oculis Dei culpa vacare creditum fuit, furoris, & ultionis ejus erit argumentum. *Abbas de Monmorel, Sermone in Evangelium Dominica prima Adventus.*

Ostendet ille opera bona, in quibus cōfidimus, culpa non carere.

Si proprius amor, qui unicè interiorem nobis pacem procurat, peccatorum nostrorum hinc quidem imminuit ideam, inde verò bonis operibus nostris illud tribuit pretium, quo mirum in modum in oculis nostris commendantur; hinc fit, quod ad eum terrorem dissipandum, qui requiem nostram perturbat, sufficit obiter tantùm inspicere preces, jejunia, eleemosynas, quas facere consuevimus, & hic bonorum operum acervus habetur tamquam tutissimum vallum, quod divinæ justitiæ objiciatur. Sed heu! perspicacissimus Judex in precibus nostris intuebitur distractiones, propter quas fructu caruerunt; in eleemosynis protsus ethnicam vanitatem dignoscet; in Sacramentis, quæ recipimus, sacrilegam deprehendet prophanationem; in jejuniis cum epularum excessum, easque cupediarum delicias, quæ sensibus nostris magis, quàm alia quælibet convivia blandiuntur, inveniet. Ita Deus, qui peniciores cordis recessus scrutabitur, nonnisi peccata loco assertarum virtutum inveniens in nos convertet, quod erat spei nostræ argumentum, nosque iis rebus obrutos inveniemus, quæ juxta conceptas animo ideas præsidio nobis erant futuræ. Nihil mihi conscius sum; ajebat Apostolus, sed non ideo justificatus sum; qui enim judicat me, Dominus est. *Idem.*

Ratio ex peccatore petetur gratiarum, quibus cumulatus fuit.

Peccator Judici rationem reddere debebit de usu gratiarum, quas divina ipsi contulit misericordia. Neque solum generalium gratiarum rationem reposcet, sed particularium etiam, quas unicuique nostrum contulit; ærumnarum omnium, quibus vita nostra agitatur, afflictionum, ægritudinum, quæ eveniunt, periculorum, contumeliarum, persecutionum, quæ nobis datæ fuerunt, tamquam salutis subsidia, ratio erit reddenda. Bona valetudo, mentis acumen, scientia, prona ad virtutem indoles, tot sunt talenta, quæ ipse nobis distribuit, & quæ quomodo a nobis in quæstu posita fuerint, reposcet: *Redde rationem villicationis tuæ.* *Luc. 16.* At nondum satis, non solum ratio reddenda erit de gratiis acceptis, verum etiam de peccatis, quæ alii patraverint; quidam propter se non damnabitur, qui propter alios damnabitur. Parentes rationem reddituri estis non de vobis, sed de filiis vestris: domini, & superiores pro domesticis vestris, & iis, qui curæ vestræ crediti fuerunt rationem reddetis. Neque solum de gratiis, & vitiis, verum etiam de ipsis piis operibus ratio erit reddenda. In hoc facile nosmetipsos fallimus; parum ad virtutem corrumpendam, & omne illius meritum auferendum requiritur, sufficit cupere, quod videamur viri boni coram hominibus, ut tales coram Deo esse cessemus, solum sufficit desiderium placendi moribus, ut Deo displiceamus. *P. Massillon Sermone de Extremo Judicio.*

Animam a corpore egredientem omnia destituunt.

Quid dices infelix terribili hoc momento: quid dices, cum oculos aperire cogeris, quos ad illud usque tempus clausos tenueris, atque licet invitus leges damnationis tuæ sententiam cui Deus manu propria subscripsit? Quam afferes excusationem? Quibus patronis uteris apud inexorabilem Judicem? Ubi amicum invenies, qui tibi ferat solatium? Cogita, eheu! sæpe cogita funestum Regis Balthasaris exemplum, & ex infortunato hoc Rege sciscitare, quid illi profuit ea Satraparum copia, quos regio excipiebat convivio; quodnam hausit solatium ex tot mulieribus atque pellicibus, quas alebat; quodnam sibi præstitere subsidium aurea, argenteaque vasa, exquisitissimæ dapes, delicatissima vina; quid ipsi profuere omnium Babylonis sapientum domi suæ convocatorum consilia. Omnia illum in necessitate deseruerunt, & quæ antea fuerat ipsi deliciarum, & superbiæ materia, facta deinceps est sollicitudinis, suique tormenti argumentum. *P. A Ponte in Duce spirituali c. 6. §. 6.*

Mam-

Tumultus, ac timor peccatoris ad Dei tribunal prodeuntis. Sophon. 1.

Maturatò incipiamus meditari, quæ in morte eventura ſunt; cogitemus laborem, quo torquebimur cum Deus plures incender lucernas, ut in ipſis etiam conſcientiæ noſtræ receſſibus videat, quidquid ibi deliteſcit; ut noſmet ibi videamus quales ſumus, atque ut tandem nobis & cordis noſtri corruptionem, & judiciorum ſuorum æquitatem oſtendat. Quam metuendum eſt ne tunc laboribus, terroribus, ſollicitudinibus, minus ipſa morte ferendis excruciemur! Peccator jamjam coram ſuo Judice proditurus ſolus ſcit, quid ſibi terribili eo momento ſit perſerendum. Attamen eorum quæ in anima fiunt, ſigna veluti quædam in ipſis etiam corporis motibus deprehenduntur. Balthaſar, e nonnullorum Doctorum ſententia, ſolus vidit manum in pariete ſcribentem ſuæ mortis ſententiam; at qui prope aderant, ex faciei pallore, ex totius corporis tremore, inſignibuſque clamoribus, in quos erumpebat, ipſum aliquid terribile conſpexiſſe judicarunt. Hoc ipſum ferme plurimis peccatoribus accidit. Illi profecto ſoli vident Deum contra ſe ipſos ſcribentem amaritudines; ſed ex violentis corporis convulſionibus apparet, quinam ſit animæ tumultus, ex judicii, ac proximæ ſuæ damnationis intuitu. *Idem.*

Scribis contra me amaritudines. Job. 13.

Conſcientia noſtra teſtis erit contra nos in hoc judicio.

Præcipuus accuſator noſtra erit conſcientia, ſola ſexcentis teſtibus æquivalens. Illa de noſtris conquerctur infidelitatibus. Cogitationes noſtræ, inquit Apoſtolus, noſmet accuſabunt, vel defendent. Quemadmodum ad pœnitentiæ tribunal quilibet tamquam reus accedit, ac fungitur accuſatoris, ac teſtis in ſe ipſum officio, ut voluntaria accuſatione criminum ſuorum veniam mereatur; ita dici poteſt in judicio iiſdem eſſe perfuncturus officiis; atque ad id compellendus eſſe non ut abſolvatur, ſed ut damnetur tamquam plurimorum ſcelerum reus, quæ confiteri neglexerit. *Idem in Meditationibus de Myſteriis fidei.*

Judicium hoc nobis ſemper eſt metuendũ quamvis ipſi nobis non immunes videamur. Job 9.

Quamvis etiam me omni culpa vacare putarem, ac ſcirem conſcientiam meam nive candidiorem eſſe, manuſque meas mundas, ac puras; proh Deus! non ideo me periculo immunem exiſtimarem, quippe oculi tui non ſunt ſimiles meis; ibi maculas detegis, ubi omnia niteſcere mihi videntur; nihil niſi nubes, & caliginem vides, ubi omnia micare puto; & veſtimenta mea, exteriores videlicet actiones meæ, licet decoræ videantur, coram te nihilominus ſordent, atque vileſcunt. *P. Girouſt. In Adventu; Sermone de extremo Judicio.*

Quomodo Deus aperiet quidquid abditum erit.

Deus infinitæ ſapientiæ ſuæ radiis, ut figurata Apoſtoli utar locutione, ita omnes animæ facultates diſſecabit, ut in lucem infirmiſſimos etiam habitus proferat: *Omnia nuda, & aperta ſunt oculis ejus.* Ibi luminis tui telum applicans, aperiet artes ſpiritus duplicis, diſſimulati, atque mendacis, tot ſimulationes, pravas adinventiones, nequitias. Ibi intuitu aperiens corruptum, depravatumque cor, quæ neſaria deteget myſteria, quas imagines, impuras cogitationes, improbos dolos! Quam invidiam! quod odium inveteratum! quam inanem ſuperbiam! quæ ambitioſa conſilia! quem mundi, & bonorum ejus amorem! Nihil erit adeo ſecretum, quod non agnoſcatur, & in apricum proferatur: *Omnia nuda, & aperta ſunt oculis ejus.* Ecce, Deus inquiet, inimicitiam illam adeo pertinacem, & quæ altè adeo radices jecerat, ut nulla umquam te convelli potuerit, & quæ cauſa fuit tot ſecretarum ultionum, ac tot ſeceſſionum, in quibus ſcandala non defuere. Ecce prophanum amorem illum, qui impudicum hunc hominem tamdiu poſſedit; hæc cæca, & carnalia deſideria, quibus ſe mancipavit, & quæ tot annos ſecutus eſt: brutales has voluptates, quibus in ipſo ætatis flore ſeſe penitus abdidit, & ex quibus in extrema ſenectute non potuit emergere: *Oculos habentes plenos adulterii, & inceſſabilis delicti.* Ecce linguam hanc felle, & amaritudine plenam, linguam veneno imbutam! quas obtrectationes, quas calumnias! quæ obſcæna verba modò palam prolata, modò nefariorum æquivocorum involucro comprehenſa! *Idem.*

2 Petr. c. 2.

Peccator confuſus nullam afferre poterit excuſationem.

Quo in ſtatu tunc eris, Auditor? Quam excuſationem proferes, quam cauſam prætexes? Nulla erit pro te, quippe Dei judicium erit omnium prætextuum tuorum annihilatio, omnia enim ibi ſine ulla diſſimulatione, & qualia reipſa erunt apparebunt. Quid dices, quid facies, cum te Dei lumine correptum videbis, ac ille ob oculos totum vitæ tuæ curſum veluti in tabula quadam depictum proponet? Ecce omnes ſenſus tuos, omnia verba, omnes actiones, quidquid cogitaſti, quidquid dixiſti, quidquid operatus es. Cætera modò pro te tranſierunt, hæc mundi gloria, hæ fallaces voluptates, hæc fluxa, fragiliaque bona interierunt: at tot peccata, quæ propter illa patraſti non interibunt. *Idem.*

Deus rerũ omnium, minimarum etiam rationem repoſcet.

In humana juſtitia quædam tantummodo quæruntur ſcelera, quæ ſocietatem perturbant, rectumque ordinem invertunt, cætera pœna carent. Sed ad Tribunal Dei rerum omnium unius etiam voculæ rationem reddam. Quid eſt verbum, & ſæpe etiam verbum, quod ideo ſolum malum eſt, quod otioſum? Attamen hoc verbum, Dei Filius ait, non negligetur, ac ejuſdem ratio petetur. Quid ergo futurum exiſtimandum eſt de fænore, ſimonia, furore, impudicitia, impietate? Nunc tempus eſt miſericordiæ, tunc verò tempus erit juſtitiæ. Quemadmodum autem in vita, donec regnat miſericordia, nullum adeo enorme peccatum eſt, cui dimittendo Deus præſto non ſit; poſt mortem, ubi ſemel juſtitiæ tempus advenerit, nulla adeo levis erit noxa, ex qua congruam ultionem non expetat. *Idem P. Girouſt.*

Ejuſdem argumenti continuatio.

Cum inter peccata Dei ſententia damnaverit, quidquid in illis capitale eſt, atque mortale; numquid ſatis erit? Vellem equidem, auditor, iterum, iterumque monendo hanc animo tuo cogitationem euſque imprimere, ut nulla umquam re poſſet deleri. Tot aliis tranſgreſſionibus minoris momenti non parcet. Tot negligentiæ, quæ a Deo communes ſunt, atque frequentes totidem erunt damnationis cauſæ. Hominum nequitia fons eſt inexhauſtus, & inexhauſti quoque ſunt divinæ juſtitiæ theſauri... Hac in re una tantum adhiberi poteſt præcautio; ut videlicet modò noſmetipſos diligenti excutiamus examine, ad Dei examen effugiendum, ut noſmetipſos judicemus; ut ad pœnitentiæ tribunal ea fateamur, quæ metuimus ne particularis judicii die nobis a Deo exprobrentur; ut ad pedes Miniſtrorum JESU CHRISTI noſmet abjiciamus; & ſine ulla diſſimulatione, ac verecundia loquamur, vel ſi quis pudor occurrit, illum ad breve tempus coram homine patiamur ad confuſionem longe majorem coram Deo evitandam. Non alia nobis ſupereſt ſpes; at ſpes hæc eſt certiſſima. *Idem.*

Ratio, & fides accuſabunt, atque damnabunt peccatorem in judicio Dei.

Ad hominem regendum ratio illi tradita fuit; hæc æternæ ſapientiæ particula, per quam Deo ſimiles ſumus. Verùm ſæpe accidit, ut corrupta natura omnibus rationis luminibus prævaleat. Quod ſi tunc ratio ad nos regendos minimè prodeſt, prodeſt tamen, ut funeſta pœnitentia noſmetipſos accuſet, & judicet; & hoc primum eſt teſtimonium, quod a conſcientia ſua in particulari judicio peccatori metuendum erit. Attamen quemadmodum ratio naturalis ſatis non erat, ut nos in via juſtitiæ, ſaluiſque deduceret, Deus illi, ut ita dicam, ſociam addidit fidem, quæ animaret, atque ſimul regeret divinis cognitionibus ſuis omnes actiones noſtras, eaſque ad ſuperiorem, atque ſupernaturalem ordinem elevaret. Sed quantum fides juſtificationi noſtræ conferre deberet per bona opera, quorum eſſe debet principium, tantum noſtræ conferet damnationi, ſi fuerit fides languida, & mortua, qualis fides eſt peccatorum; & hoc alterum eſt teſtimonium, quod contra nos proferet conſcientia; utrumque æquè ſenſibile, & invictum. *Idem.*

Tunc

Quam validum erit in nos conscientiæ testimonium in eo judicio.

Tunc auferetur velum, & phantasmata omnia evanescent: tunc extinctus affectus propter longinquitatem objectorum, quæ illum inflammaverant, relinquet animæ facultatem agendi imposterum per se ipsam, atque detegendi veritatem; tunc, inquam, ratio sua repetet jura, loquetur, & audietur; reparabit diuturnum, quod sibi impositum fuerat, silentium, & peccatori licet invito ostendet ea, quæ noluit videre, cum adhuc tempus erat videndi, & hic visus illi utilis esse poterat. Quam valida erit in vos, o Fideles, hæc accusatio! quam potens erit! Quis pro vobis perorare audebit; si vos ipsi contra vosmet loqui cogemini? quis vos defendere poterit, si vos ipsi vosmet primi damnabitis?... Annuntio vobis futurum aliquando tempus, quo conscientia vobis ob oculos totum vitæ vestræ cursum objiciet, *latissimam, & confusissimam*, ut S. Eucherii verbis utar, totius vitæ *historiam*, quo vos ipsi ex vobis rationem repetetis vitæ vestræ, & quem in usum rationem vestram impenderitis. *Idem*.

Fides æquè ac ratio peccatorem in hoc judicio accusabunt.

Non necesse erit Deum loqui; fides æque ac ratio satis apertè loquentur; & peccator non amplius solum quatenus homo, verum etiam quatenus fidelis contra se proferet sententiam; cum animæ suæ statum aperiens ibi duo adeo inter se pugnantia reperiet, qualia sunt, fides prorsus sancta, & vita prorsus flagitiosa. Quid credidi? Quid feci? Eramne Christianus? An minime eram? Si judicium ferendum est ex iis cognitionibus, quibus imbutus eram, Christianus; sin autem vitæ meæ ratio spectetur, nequaquam eram. Mundanus eram, usurpator, avarus, ambitiosus, impudicus, ganeo, exlex, improbus, impudens. Hæc omnia eram, ac Christianus non eram. Verum quid dico! heu! equidem eram. Peccatoris titulus mihi nequaquam abstulerat sanctum illum caracterem, quem in Baptismo receperam. Reprobi qualitas non efficit, ut ne nunc quidem illud abjiciam. *Idem P. Girouſt*.

Quædam peccata nunc nobis ignota, sunt, & in particulari tantum judicio agnoscentur.

Sexcenta sunt peccata, quæ nos modò fallunt; vel quia tempus illa ex memoria nostra delevit, vel quia perniciosa illusio eorum malitiam nobis abscondit. Sed in judicio, ubi conscientia (conscientia hæc adeo perspicax, & incorruptibilis, ubi eam loqui, & agere sinimus) sese libere explicare poterit, omnia in mentem revocabit, omnia deteget, omnia dicet. Quod anni quodammodo oblivione obruerunt, illa excitabit. Quod mundus decora specie palliaverit, hujus illa turpitudinem deteget. Quod fallaces corruptæ naturæ simulationes probaverint, illa reprobabit. Quod Confessariorum indulgentia, usus sæculi, impedimentum, ac turba negotiorum, & mens corde decepta imminuerit, vel procul a conspectu semoverit, ne videatur; illa restituet, aperiet, atque ita ostendet, ut singula etiam puncta palam appareant. Hæc dubia adeo facilè, ac benignè soluta, ipsa quoque vicissim resolvet, sed juxta regulas prorsus oppositas illis, quas ipsa sibi antea proposuerat. Scrupulos validis innixos argumentis, sed quamprimum suffocatos, resuscitabit, efficietque, ut omnes eorum sentiantur aculei. Ipsa erit testis maximè perspicax, & sciens, quemadmodum erit Judex magis severus, & inexorabilis. *Idem*.

Conscientia negare non poterit facta, quæ sibi objicientur.

Cum in humana justitia reus videt sibi severam quæstionem subeundam esse, statim illum formido percellit, atque tormentorum horror efficit, ut in antecessum millies illa patiatur. Attamen quia vel pereundum illi est, vel saluti suæ prospiciendum, amor vitæ facit, ut sese colligat, eamque constantiam induat, quam sævissimi cruciatus labefactare non possunt. Frustra sexcentis modis torquetur, laniatur, aduritur; semper loquendi, tacendique arbitrium penes eumdem est; & plurimi hac artu extremum vitarunt supplicium, quod illis intentatum erat, & quod merebantur. Verum Dei ordo, facti evidentia, conscientiæ stimuli, odium, quo peccator se ipsum persequetur, furor, desperatio, omnia illi sinceram iniquitatum ejus confessionem extorquebunt. *Idem*.

Funesta objecta, quæ sese offerunt animæ ex corpore egredienti.

Quam tristia objecta catervatim sese offerunt menti ad divini tribunalis conspectum, coram quo omnibus est prodeundum accedenti! Quàm horribilis novitas nosmet eo in statu videre, in quo numquam antea fuerimus! Quàm terribilis solitudo, ubi unus tantummodo Deus invenitur! & quam inevitabilis necessitas inter nos solos Deumque solum agendi? Potestisne, Fideles, justam concipere ideam, animoque comprehendere quid hoc sibi velit Deus solus, & anima sola? Consideratisne quod centies dixistis: Prodeundum erit coram Deo; Deo respondendum erit... Anima hoc momento a rebus omnibus separata est, & extra omnia; extra corporis sui carcerem, extra visibilem hunc mundum, extra temporis limites, extra sæculi sodalitates; fingine potest hac tristior solitudo? *In Collectione sermonum editorum sub nomine P. de la Rue; Tomo 2. Sermone pro feria sexta hebdomadæ quarta in Quadragesima.*

Quinam sit sensus animæ separatæ a corpore, & considerantis corpus suū in sepulcro.

Quinam erit animæ tumultus ad tristem corporis intuitum, quod olim tamquam idolum fuerat venerata! quid illi prodest tantum olim insumpsisse temporis, ut blandiretur huic corpori, cui se mancipavit! Jacet humi; hoccine tot sumptus merebatur? Hoc inquam corpus, cujus felicitatem in eo constituerat, si a mortalibus respiceretur, & haberetur in pretio. Quinam erit animæ tumultus, iterum dico, videntis hoc triste objectum aliis odiosum, ab aliis contemptum, omnibus horribile, & non ferendum! Quid proderunt animæ honores, quibus illi parentabitur, quid elogia, quibus in funebri pompa laudabitur, ubi insanissima assentatione minus dicetur id, quod fuit, quam quod esse debebat. Mortuus laudatur, illius desiderium excitatur; oh quot curæ miscere pereuntes. *Idem*.

In mortis momento homo ab omnibus separatur, & omnia pro illo pereunt.

Huic secessioni addamus alteram, quæ a mundo separatio dicenda est. Ex quo moritur homo, experitur in se ea omnia adimpleri prodigia, quæ in sæculorum fine eventura sunt, & quorum Spiritus Sanctus in Evangelio ad vivum imaginem exhibet; solis obscuritatem, lunæ pallorem, elementorum confusionem, mundi totius interitum. *Sol obscurabitur, luna non dabit lumen suum, stellæ cadent de Cælo*. Hæc omnia prodigia suos habent effectus in singulis hominibus, ubi animam exhalant; ex eo tempore Sol illis non lucet, sydera illis non micant; omnia cadunt, omnia dissipantur, omnia illis annihilantur; mundus coram illis evanescit quasi non esset amplius, & numquam antea fuerit. Ibi anima desertum invenit, desolatam regionem, *terram tenebrosam, & opertam mortis caligine*, ut loquitur Job. In terribili hac nocte omnes homines horribili trepidatione consternuntur..... Ita vanæ inter homines peribunt distinctiones, &c. *Idem*.

Matth. 24.

Job. 10.

In hoc judicio levissimorum quoque peccatorū ratio reddetur.

Istic ea tantum recensemus peccata, quæ gravia sunt, quæ æternam afferunt damnationem; quæ verò sunt levia, flocci putamus facienda. Deum, cum magnus sit in nugis hærere minime nolle existimamus, eumque infirmitatis nostræ misertu-rum credimus; dummodo in rebus magnis illi fideles fuerimus, citra periculum in minimis deficere posse, atque oscitanter agere arbitramur. Sed tunc de quolibet etiam otiosè prolato verbo rationem reddemus; nunc præcipuis tantummodo inhæremus officiis, cætera verò tamquam cogitatione nostra indigna censentur: at non ita erit in particulari judicio, ubi uni Deo respondere debebimus. Tunc nobis repræsentabit, quod olim dixit, inutilis etiam verbi reddendam esse rationem; Deum primi præcepti sui, quod nullius momenti videbatur, prævaricationem vertisse in causam damnationis totius generis humani, & ea, quæ ad tantum Dominum ullo modo referuntur; non esse spernenda. *Idem*.

Ratio reddetur de

Omissionis peccata modò ne considerantur quidem;

catis omissionis.

dem; quasi Dei Filius nequaquam dixerit, omnem arborem, quæ fructum non afferet, convellendam esse, & in ignem mittendam; quasi tepiditas, & negligentia non essent peccata; quasi tutò vivere possemus eo, in quo statu sumus, quin omnibus ejusdem officiis perfungeremur. Nobilitas innocens putatur, cum nulla vitia exercet; opes bene partæ creduntur, cum citra apertissimam injustitiam congestæ sunt; licitæ existimantur voluptates, cum nondum pudori fræna laxata sunt, denique in hoc perfectio statuitur, si nihil mali fiat, & se sanctum arbitratur, qui gravissimis sceleribus obnoxius non est. Attamen virtutes omissæ peccatis accensebuntur ..... Vulgò personalium tantummodo peccatorum rationem habes, quin aliena censeas, & ea, quibus vel per ignaviam, vel per scandala occasionem præbuisti. Atrocissimam illam obtrectationem compescere poteras, & eam tolerasti. Peccatores illos, qui fortasse ex correctione tua sese collegissent, corripere poteras, & neglexisti. *Numera*. At nondum satis; quin proximum tuum ædificares, illi fuisti lapis offensionis, & petra scandali. Peccator ille flagitiosa tua vita, tamquam occasione, & prætextu usus est, ut suam probaret; tu nocens, &c. *Numera*. *Idem*.

Multitudo peccatorū de quibus ratio erit reddenda.

Cum peccata in habitum transierunt, putas te jure eadem numerare non posse. Post viginti, triginta, & quadraginta annos, quibus inter flagitia volutaris, ita illis consuevisti, ut ne animum quidem illis adverras: quæ juramenta! quæ mendacia! quæ obtrectationes! quæ impudicitiæ! *Numera*; hæc enim omnia in ultionum thesauro asservantur. Ingens eorum jam crevit acervus, & multiplicatæ sunt iniquitates tuæ super capillos capitis tui. Easne vides coram te in ordinem digestas? Omnia numerata sunt, omnia in luce sua sunt. *Idem*.

Non prodeunt bona opera tot malis, vel defectibus mixta.

Neque confidere potes in nonnullis operibus bonis, si quæ fortasse fecisti; dicet enim Deus: *divide*. Exploremus assertas hasce virtutes, secernamus ea, quæ laude ab iis, quæ probro sunt digna: *Divide*. Quænam eorum fuere principia? quæ causæ? Nonne libido, necessitas, occasio, vanitas, hypocrisis, utilitas? Nonne ut laudes, ac reverentiam tibi conciliares? ut tutiùs, & callidiùs rebus tuis prospiceres? Numquid virtus est bonum esse, quia fert imo genium zelo succensum, quia furor suadet; humilem, quia vult ignavia; temperantem, quia hoc hortatur avaritia; mundi osorem, quia ejusdem te pertæsum est; patientem, quia imbecillitas cogit? Ubi hæc divisa fuerint, quid de bonis operibus tuis fiet? *Idem*.

Qui defectus in bonis operibus inveniuntur.

Quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ. Isaiæ 64. Quot ex bonis operibus, quibus tantopere confidimus, imperfecta sunt, atque defectibus scatent? Quot enim in precibus distractiones, quot in sacrificiis irreverentiæ, quæ in Sacramentorum usu tepiditas, quinam abusus verbi Dei in sermonibus illis, quibus vel per oblectationem, vel per curiositatem aures adhibentur, quæ vanitas in jejuniis, qui fastus in eleemosynis, quinam amor sui in operibus charitatis, quæ in pietate singularitas! Ita æque & ob omissa, & ob commissa, corruptus conscientiam suam commaculatam videbit & iis, quæ minimè fecerit, & iis quæ fecerit. *P. Aurelianensis, Sermone de Judicio*.

De plurimis accusabimur peccatis, quæ modo nos latent.

Nequaquam existimare debemus nos culpa vacare, atque irreprehensibiles esse, cum de re nulla reprehendimur. Quidam in hominum oculis est innocens, qui si seriò seipsum excusserit, plurimos in se agnoscet defectus, quos alii minimè viderint: quem verò voluntarii errores quibus imbutus erroneam sibi confinxit conscientiam, prohibent, ne in se ea agnoscat peccata, quæ in ipso nihilominus sunt, hic cogitare debet, Deum, quem nihil fallit, & qui secundum immutabilis veritatis principia judicat, se hujusmodi mendacii illusionibus nequaquam capi passurum. Omnes erronearum conscientiarum sinus scrutatus quot ille ibi inveniet peccata, quibus plurimi se immunes crediderant? Peccata ignorantiæ, peccata affectionis, peccata omissionis, peccata aliena, peccata, quæ illi bonis operibus suis adnumeraverant. Qui mundas ab alienis bonis se manus habere arbitrantur, inveniet fœnora: talia quidem hæc esse non crediderat; sed ambigendi occasio non deerat; cumque non satis luminum haberet, ut per se illa dignosceret, de iisdem erudiri neglexit. Hæc est ignorantia, sed ignorantia quæ a peccato minime excusat; eamque in suis peccatis inveniet. Mulier illa, quæ ob pudorem, virtutemque suam sibi plaudit, inveniet illa servitutis officia, quæ tanto ab hinc tempore viro illi permittit, qui non displicet eidem, & cui placere non refugit....... Passio efficit, ut modò hæc omnia tamquam culpæ suspicione carentia putet, vel saltem leves censeat defectus hos cum sceleribus eorum conferens, quorum vita impurissima est, omnibusque flagitiis abdita; sed tunc, cum passio illi deferbuerit, eique permiserit intueri hanc vivendi rationem perfectæ virtuti oppositam, cumque Deus illam ipsi, qualis verè est, ostenderit, intelliget, sed nimis serò, ad hoc ut scelus adsit satis esse si quis innocens minimè fuerit, *Idem*.

Deus in hoc Judicio, non solum nostra nobis ostendet peccata, sed omnem etiam eorum nequitiam.

Deus non solum nobis omnia peccata nostra ostendet, sed omnem etiam nequitiam eorum, omnesque pravos effectus, qui eadem subsecuti fuerunt, aperiet. Hoc autem iste perficiet per quamdam anatomen, & humani cordis dissectionem ancipiti gladio verbi, ut S. Pauli utar locutione, cordis ipsius fibras penetrantis. In anatome tria fiunt, interiores partes deteguntur, ab iis, quæ circumstant separantur, & illæ, a quibus pendent ostenduntur. Ita Deus in cordium examine secretissima deteget peccata. Separabit ab actionibus nostris inanes prætextus, quibus cooperiuntur, inanes excusationes, quibus colorantur, speciosa nomina, quibus dissimulantur, externas species, quibus involvuntur, ut liqueat usuram fuisse, quod consuetudinis nomine, & tamquam commercii necessitas excusabatur; ut innotescat simoniam fuisse, quod gratitudo appellabatur; & impudicitiam, quod innocens necessitudo vocabatur. Denique omnia objiciet mala, ex quibusdam peccatis profecta, vel ut melius dicam, in his peccatis ostendet funestas plurimorum, eorumque irreparabilium malorum origines . . . Ad hunc adspectum quomodo exprobrabuntur hæ humani generis pestes, quæ bella succendunt, discordias excitant, populos diripiunt, familias perturbant, opprimunt pauperes, obruunt infirmos, omnia favori deferunt, & legibus, ac justitiæ nullam vim nisi contra calamitosos relinquunt? *Idem*.

In ipso mortis momento videbimus Deum tamquam judicem nostrum.

Terræ judices, qui etiam durissimi, atque severissimi habentur, nos supplices audiunt antequam velut nocentes judicent; illorum voci, ac faciei assuescimus, antequam eorum sententias audiamus, at statim ac Deum videbimus, illum tamquam rei, æternæ mortis sententiam subituri, si rei fuerimus, intuebimur. O terribilem adspectum! O Domine, egressus sum ex manibus tuis, quin cognoscerem te; primos ætatis meæ annos transegi, quin rationis defectum viderem, me tibi vitam debere! Cum verò per rationis usum, & fidem agnovi te, tibi non parui, neque eam tibi detuli gloriam, quam jure expectabas a me; vitam duxi tamquam Ethnicus, & idololatra, quæ nunc mea sors erit in omnem æternitatem. *P. de la Rue Sermone de particulari judicio*.

Hoc in judicio deteget Deus quidquid mali fecerimus.

Lumen ex Judicis vultu refulgens efficiet, ut momento omnes iniquitates nostras intueamur; videbimus peccata, quæ in pueritia, adolescentia, provectiori ætate, ac senectute ipsa patravimus, ubi, ut plurimum peccatum nos potius relinquit, quàm nos peccatum relinquamus. Videbimus bona, quæ ob nefarias causas fecerimus, abusus Sacra-

cramentorum, irreverentias in Templis, atque eorum dierum prophanationem, qui divino cultui dicati fuerunt. Videbimus bonum, quod operari poteramus, & operati non fuimus, tot temporis jacturas, tot neglectas inspirationes, tot insanos sumptus in aleis, conviviis, luxu, voluptatibus, cum interim ferrea nobis erga pauperes essent præcordia. Videbimus malum, quod prohibere poteramus, & a quo avertimus. O Deus! qui tanta justitia scrutatis, atque cognoscis quidquid in cordis nostri latebris accidit, si mihi judex eligendus esset in meæ æternitatis negotio, non alium eligerem præter te; mihi enim persuasum est, me a te amari, tibique nihil antiquius esse, quàm salutem meam. Attamen quem in me timorem ciere debet hic amor, hæc patientia, qua tandiu me toleras? Heu! Quid faciam cum ad me judicandum accedes. *Quid faciam cum surrexerit ad judicandum Deus?* (Job. 31.) *P. Paulus Segneri, in libro cui titulus : Vera Sapientia.*

Certitudo Judicii de singulis hominibus particulariter instituendi.

Judicium hoc longè morte ipsa terribilius est, tunc enim anima sola coram Deo prodibit rationem redditura de actionibus suis, atque eam subitura sententiam, a qua ejusdem universa pendet æternitas. Si quis hujus judicii veritatem negaret, hic sane scripturas nequaquam legisse dicendus esset, sed præterea ad propriam conscientiam consulendam remittendus. Si enim Deum agnoscit, quomodo judicium negat? Fingi ne potest divinitatis idea, quæ justa non sit, quæ peccatum non puniat, quæ postquam homines efformaverit, eos sinat pro libidine contra suas leges, & auctoritatem, & contra gloriam suam operari, quin ullam ex ipsis factorum rationem deposcat? Hæc idea Dei justi, ac ultoris scelerum justis solatio est contra obtrectationes, fictas criminationes, atque calumnias. At hæc eadem idea terrorem incutere debet peccatoribus in secretissimis etiam ipsorum criminibus, illis intentans judicem, qui neque evitari, neque falli, neque corrumpi potest, tunc etiam cum hominum testimonio probantur, quibus os subleviße per hypocrisim arbitrantur. *Auctor Anonymus.*

Mors metuenda non est nisi propter particulare judicium, quod subsequitur illam.

Verum est, nos decipi, cum ideis mortis, necessitatis, solitudinis, desolationis, quæ in mortis imagine occurrunt, perterremur; sed nequaquam decipimur, cum metuimus judicium Dei, quod mortem subsequitur : certum est enim judicium hoc nonnisi terribile esse posse conscientiæ, quæ se pluribus obstrictam novit sceleribus : & quinam est, qui hoc in statu non inveniatur, licet parum præteritæ vitæ rationem animo reputet? Verum est, momentum illud videri terribile, ex quo patet, inde universam pendere æternitatem : sed profectò cor hominis se ipsum variis modis illudit. Putat, mortis momentum esse pretium æternæ vitæ; at minime videt, non illud dumtaxat momentum, sed totum vitæ spatium a Domino requiri : momentum hoc in se nihil habere, quod præ cæteris Deo magis acceptum sit, ac totam rem in eo verti, simpliciter, quod istud extremum est; ac tandem non hoc momentum, sed totum vitæ spatium in impœnitentia transactum a Dei justitia ad examen vocari. *Liber, qui inscribitur: Ars cognoscendi se ipsum, Tomo* 1.

Hominum plerique non cogitant sibi reddendā esse rationē Deo in particulari judicio.

Homo hic in tenebris adeo densis vivit, ut vix gravissima sua delicta cognoscat, immo illorum vulgò obliviscatur, prout ab ipso committuntur; sæpe etiam ad id alieno utitur ministerio, quasi majorem eorum congerere studeret acervum. Non desunt enim complures, qui præter peccata sua, alienis etiam onerantur, & qui sub se plurimos habent, suis, ut ita dicam, sumptibus peccantes, quia quæ ab his patrantur peccata, illis a divina justitia imputantur . . . Nisi experientia docti sciremus, quo pacto hominum plerique vivunt, & rationem unam consulentes divinare vellemus, quomodo vitæ suæ rationem instituant illi, qui certissima scientia norunt intra breve temporis spatium terribile judicium hoc sibi esse subeundum; nequaquam crederemus illos ad id fere numquam mentem advertere, hunc minimum esse, quod extimescant, ac nullam gerere curam, ut se se huic judicio disponant. Sola, quam de nobismet, ac de aliis habemus, experientia, fidem nobis potest adstruere, ut hujusmodi insanissimam cæcitatem credamus. *Essais de Morale. Tomo* 4.

In particulari judicio nihil celari, aut dissimulari poterit.

Si judicium istud est terribile, quia respicit homines, & id quod receperunt a Deo, longe terribilius est, quia ibi nihil poterit abscondi. Actiones nostræ ultrò sese proferent nos accusaturæ; ibi exutæ apparebunt iis omnibus fucis, quibus eas in hoc mundo contegere adnitimur, non aliis solum, sed nobis etiam metipsis : namque haud ægre pro vitili nobismet veram abscondimus causam, propter quam operamur, & credimus nos integerrimas ob rationes agere, cum nosmetipsos tantum inquirimus. Omnes isti fictitii colores evanescent, atque intentiones, quales in corde sunt, tales palam videbuntur. *Ibidem Tomo* 5.

Animæ nocentis status ante, & post particulare judicium.

O miseram peccatoris conditionem, qui tot peccatis onustus, tot inspirationibus rebellis, tot ingratitudinum reus, inter duplicem æternitatem, alteram quidem pœnæ, alteram verò præmii, Paradisum inter, & Infernum, incertus, anceps, stupore perculsus præstolatur Judicem, quem toties lacessivit, & sententiam, a qua provocare non poterit . . . Hoc nihilominus quamprimum eventurum est . . . . Lata sententia peccator dæmoni traditus ex eodem cubili, in quo mortuus est, præceps dabitur in Infernum. Quid autem tunc dicet infelix anima primum illuc inferens pedem, ac videns horribiles januas, quæ numquam aperientur, ut illinc exeat, audiens damnatorum, dæmonumque clamores, atque ad devorantes flammas, æternaque accedens incendia? *P. Paulus Segneri, in vera Sapientia.*

Quomodo anima a corpore separata coram Deo statuitur.

Anima a corpore separata statim rapietur ad Tribunal Judicis examen subitura; sed cujus Judicis! quod examen! Ostendet illi Deus peccata ipsius non amplius ad sensuum, affectuumque ejus lucernam, sed ad ipsius veritatis lumen, ipsaque de illis Judex, ut Deus, judicabit. Quæ mutatio! Videbit illa non amplius ignorantia sua obscurata, non affectu ullo dissimulata, non vanis prætextibus excusata, immo etiam decepta ratione probata; videbit illa intuitu non amplius confuso, sed distincto, atque particulari, omnibusque suis circumstantiis convestita. At quænam hæ sunt circumstantiæ? Magnitudo beneficiorum, quæ accepit a Deo, & quibus illa perperam usa est; Multitudo luminum, & gratiarum, quibus præoccupata fuit, & quæ ipsa contempsit; sanctitas status vel religiosi, vel Christiani, ad quem a Deo evocata fuit, & quem ipsa prophanavit; tutas, facilesque vias, quibus salutem suam consequi poterat, & quas ipsa neglexit; patientia, qua Deus illius pertulit peccata, & qua ipsa abusa est. *P. Nepveu Tomo* 1. *Considerationum Christianarum.*

Duo, quorum in justitia Dei erimus debitores.

Credebam (Deus) mihi non aliud in hoc judicio metuendum esse præter peccata mea, sed me miserum! Video dona, gratiasque tuas mihi magis adhuc esse metuendas, si enim a te nihil recepissem, nulla mihi ratio esset reddenda. Tibi Domine dicam cum servo nequam : *Patientiam habe in me.* Domine, patientiam habe, aliquantulum temporis mihi concede; non ita tamen audax ero, ut cum eodem dicam, me tempus postulare, ut quidquid debeo, tibi dissolvam. Etenim heu! justitiæ tuæ decem millia debens talenta, hoc est, immensis prægravatus debitis, quæ peccatis contraxi, bona fide me solvendo non esse fateor : ideoque peto, ut patientiam habeas in me, adhoc, ut tempus habeam flectendi iram tuam ad tuam clementiam confugiens. Fateor enim, & plurimo suffusus rubore fateor, non aliam mihi superesse spem nisi in mea quidem pœnitentia, in tua verò misericordia, neque aliud, quo æs con-

flatum

statum dissolvam, nisi satisfactiones Filii tui, & pretium sanguinis ejusdem, qui quidem valoris est infiniti. *Idem, Tomo 4.*

Nobis judicii severitatem cogitantibus a peccatis abstinendum est.

Quisnam adeo severum prospiciens judicium audeat lacessere Deum, si cogitaverit intra breve temporis spatium, & fortasse statim postquam peccatum admiserit, se in judicium vocatum iri ad rationem reddendam cogitationum omnium, verborum, atque factorum justissimo judici, qui nullam habet rationem generis, & dignitatis personarum, & severissimè omnes justitiæ leges observat; Judici potenti, qui facere potest quidquid vult; quin illi quispiam resistere possit; Judici supremo, coram quo mortales omnes, cujuscumque conditionis illi sint, apparebunt audituri aut vitæ, aut mortis æternæ sibi illatam sententiam prout bene, vel male fuerint operati. Qui hoc non terretur judicio, hic sane rationis usum amisisse dicendus esset. *Auctor Anonymus.*

Mortis nostræ momento videbimus earum rerum vanitatem, quæ prohibent, ne modo judicium hoc cogitemus.

Quod modò prohibet, ne nosmetipsos cognoscamus, & audiamus rationem loquentem, nosque de officiis nostris erudientem; intra quidem nos est affectuum nostrorum tumultus; extra verò objecta, quæ sensus nostros fallunt, videlicet mendacium, dolus, adulatio, quæ nos seducit, confusio, strepitus, mundi hujus fulgor, quo modò perstringimur, & dissipamur. At in ipso mortis articulo hæc omnia evanescent; nullus erit amplius pro nobis mundus, quia mundi hujus figura pro nobis jam erit elapsa: *Præterit figura hujus mundi.* Nullæ erunt amplius in nobis affectiones, quia mors illas extinxerit; nulli erunt circum nos adulatores, quia nullius intererit amplius nos perdere. Ab omnibus creaturis derelicti; soli erimus; atque tunc pro jucundis, utilibusque mendaciis, quæ nobis blandita fuerint, & quorum errorem numquam abjicere voluerimus, molestissimas discemus veritates, quas numquam noverimus, quia illas ignorare quæsivimus. Tunc graves, ac veros defectus videbimus, ubi mens nostra fictitias adesse virtutes opinabatur. Heu! quis stupor erit, ubi videbimus fortasse nos propter ea damnari, propter quæ plausu excipiebamur, atque celebrabamur encomiis. *P. Girouſt in Adventu Sermone de Judicio.*

Examen tunc habendum a Deo de omnibus cogitationibus, & actionibus nostris.

Deus secundum Apostoli sententiam, subtilissimus est, atque perspicacissimus cordis nostri Anatomicus: Omnes illius dissectiones peragere novit; omnes animæ sinus, latebrasque rimatur, ut occultissimos ejus motus discernat; hæc enim imago est, sub qua illum nobis Sanctus Paulus repræsentat: *Pertingens usque ad divisionem animæ, ac spiritus, compagum quoque, ac medullarum, & discretor cogitationum, & intentionum cordis.* (Ad Heb. 4.) Extricabit ille mixtionem hanc affectus, & rationis; alteram separabit ab altera; ex una parte rationem statuet, & affectum ex altera; distinguet intentiones, prætextus, species, & affectus, illusionem, & veritatem; & efficiet, ut ex hac discretione nos tandem aliquando, licet inviti, rationabiliter inferamus, in nobis nonnisi nequitiam, & improbitatem fuisse. Videte, inquiet ille, nobis suæ lucis radium affundens; videte, & cognoscite causam, quæ ad agendum hoc, & illo in negotio, hac & in illa occasione, vos impulit. Hic improba fuit invidia, cui veri zeli colorem allinere didicistis; ibi ultio fuit, cui veri zeli personam tribuistis; officiosi eratis, & in pauperes effusi, sed ut facilius fines vestros assequeremini: actiones vestræ cum optimo exemplo erant conjunctæ; sed proximum ædificantes vosmetipsos quærebatis, & nihil quærebatis præter vos. O Fideles! quot hypocritis repente personam avellet! Quot chimericæ, fucatæque virtutes, ex quibus majori suffundemur confusione, quàm ex vitiis ipsis, quæ bona fide fatebimur! Quot afferta merita, quæ omnem in hoc mundo referent mercedem, ac in altero æternam dumtaxat confusionem invenient! *Idem.*

Quomodo anima de corpore egressa terrore percellitur.

Quonam terrore anima ex corpore egressa percellitur, cum earum rerum, quibus occupata fuit, inutilitatem deprehendit? Post se in mundo relinquit quidquid ibi possidebat, bona, ædes, dignitates, famam; & in ea, quam ingreditur, regione, nihil nisi terribilem invenit paupertatem, nullum bonum opus, meritum nullum ante se. Agnoscit, sed nimis serò quàm indignum erat curis suis illud, cui vacavit; sola, attonita, stupefacta, quod omnia sibi elabuntur, quod figura hujus mundi, quem tantopere deperibat, præteriit, ac vacuas invenit manus suas, quo dolore non afficitur? & videns se Deo rationem esse redditurum, quo timore non expavescit? *P. Cheminais in sensibus pietatis.*

Metus, quo corripitur peccator ad Dei judicium accedens.

Quinam est metus, ac terror illius, qui se videt coram supremo hoc Judice, de suo statu in æternum disceptaturo? Videt numerum fere infinitum peccatorum, quæ patravit, quæ seorsim nequaquam gravia videbantur, sed quæ simul collecta montium instar videntur: hæc multitudo verborum, quæ inutiliter protulit; copia hæc distractionum, inaniumque cogitationum, quarum ne una quidem Dei fallit cognitionem, atque justitiam: videt actiones suas, quas meliores arbitrabatur, secundum Prophetæ verba, esse tamquam pannum menstruatæ; invenit copias dæmonum inimicium, crimina supponentium, ac de iis etiam, quæ numquam ab ipso patrata fuerunt, insimulantium: videt has flammas ignis, subterraneos abyssos, horrentes tenebras ad eos recipiendos, qui illuc præcipites dabuntur, præparatas. Hæc omnia objecta adeo terribilia sese ostendentia homini eo momento, quo animam efflaturus est, illius mentem percellunt, & nisi vita ejus status ipsius officiis responderit, illum formidine replent, perterrefaciunt &c. *Abbas Trappensis in Officiis Vitæ Monasticæ.*

Exprobratio a peccatore subeunda antequam in judicium accedat.

Tibi finge momentum illud, quo Pater familias dicturus est: *Jam non poteris villicare.* Ecce tempus illud, ac numerus annorum, quos tibi permiseram, ut testatam faceres fidem tuam, atque eam mereretis mercedem, quam præparavi electis meis, illa jam præterierunt, & effluxerunt. Non agitur ultra de doloribus, pœnitentia, desideriis, votis, promissionibus: redde rationem villicationis tuæ; si vita tua nequaquam frugi fuit, & Christiana; quomodo ferre poteris æquissimam Judicis exprobrationem, quod quadraginta, vel quinquaginta annorum spatio adeo parum sollicitus fueris, ut ne unam quidem æternitate dignam actionem fueris operatus? Nonne tu ipse hoc multo rubore suffusus confessus es, cum tibi paucas vitæ horas superesse nuntiatum fuit? Nunc tibi subeundum est Dei judicium; quod verò judicium? judicium districtissimum, ubi nihil judicis fallit vel cognitionem, vel ultionem; judicium severum, & irrevocabile; cujus effectus omnes æterni sunt, & ubi agitur de beatitudine, vel infelicitate numquam desitura. Ibi ratio reddenda est tot gratiarum, quæ perierunt, tot afflatuum, qui contempti fuerunt, tot Sacramentorum, quibus per summum nefas abusus es. *P. Girouſt sermone de bona morte.*

Peccatores in Dei judicio nullã invenient peccatorũ suorum excusationẽ.

Quam afferre poterit peccator excusationem in judicio Dei? Me consuetudo, pravaque pertraxerunt exempla, inquies; verum cum mundi consuetudo tuis obest negotiis, illinc adhæres? Quandonam temporalia negoria secundum impiorum consuetudinem dirigis? Dirigis autem, ubi de salute agitur æterna? Evangelium nonne vitæ tuæ norma erat? Ignorabasne præcepta, quæ in eo continentur? Ignorabas quid in illo præcipitur, quidve prohibetur? At enim peccare te coegit rerum tuarum necessitas, ut familiæ suæ consuleres, ut filiis prospiceres, ut dignitatem tuereris, verbo ut ex paupertate emergeres. Hoc dicis: sed quodnam majus tibi esse debet negotium, quàm salus tua? Nonne millies audiisti, quid prodest homi-

homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Sæpe honorem voluptati anteferendum censuisti; potiori igitur jure animam tuam terrenis negotiis anteferre debebas. Quod feci, addis, parum erat; nihil erat. Eheu! appende hoc nihilum in statera sanctuarii, & videbis aliquid esse magnum, quandoquidem offendit Deum. At peccatum momento dumtaxat peractum est, & pro momento voluptatis damnor! Hoc sciebas: nonne tuum erat ab illo abhorrere? Nonne hoc tibi dictum fuerat? Numquid per tè stetit quominus peccatum diutiùs permaneret? Nisi te Deus ex viventium numero deturbasset, nonne in peccatis perstitisses? Jam hoc decreveras; Videbat Deus voluntatem tuam, non ideo minus es nocens. Quid igitur reliquum est, quod te excuset? Quid? ignorantia tua? Heu! numquid omnes Evangelicas veritates ignorasti? Vel si illas ignorasti, numquid deerat, unde edocereris? &c. *Sermo manuscriptus pro feria sexta hebdomadæ quartæ in Quadragesima.*

Terribilis peccatorū multitudo, de quibus in particulari judicio ratio erit reddenda.

Quisnam varias vitæ suæ occupationes animo reputans affirmare potest, vel unum effluxisse diem, quo ipse Deo non displicuerit? Efficiamus acervum peccatorum, quæ nostris accidunt oculis, peccatorum, quæ aciem nostram fallunt; peccatorum, quæ scandalum afferunt mundo; peccatorum, quæ mundus probat, ac virtutum nomine appellat; peccatorum, quæ licet inviti damnare cogimur, peccatorum, quæ ideo excusamus, quia nosmet corrigere detrectamus. Coacervemus peccata juventutis, quæ animi ægritudinem secuta, non rationi, non officio, non religioni aures adhibet; peccata provectioris ætatis, quæ ratione utitur, ut consideratiùs, ac pertinacius deerret; peccata quæ committimus, quia quibusdam addicti sumus statibus, quorum obligationes, & officia perpendere abnuimus. Propriis aliena adjiciamus peccata, quorum ipsi rationem reddituri sumus, quia eorum inhibere cursum neglexi mus. Ponamus, quamvis peccatum extrinsecus non appareat, jam consummatum esse ex quo cor eodem infectum est: Ponamus secundò, peccare qui officiis suis non perfungitur æque ac qui re ipsa Dei legem infringit: Ponamus tertiò, complacendi studium, consuetudinem, humanos respectus inanes esse rationes, quæ non admittentur a Deo, a quo judicabimur. Eheu! quot peccata? Et nonne jure David orabat Deum, ne introiret in judicium cum servo suo, quia nullus viventium coram illo poterit justificari? *Lambert. In anno Evangelico Homil. 51.*

Deus ad examen non revocabit solū mala, quæ fecimus, sed bona etiam, quæ facere debebamus.

Deus non examinabit dumtaxat malum, quod a nobis factum fuerit, verum etiam bonum, quod malè fuerit factum, & bonum, quod facere poteramus, & minimè fecimus. Numquid modo præsto essemus reddendæ rationi de vita nostra? Ne una quidem in vita nostra occurrere deberet actio, quæ non referretur ad Deum; & fortasse vix in toto vitæ nostræ cursu, ne una quidem actio invenietur, quam unicè propter Deum operati fuerimus. Ut tunc tuti simus, expendamus nunc bona fide quomodo usi sumus adminiculis omnibus, quæ non defuere, ut status illius, quem amplexi fuimus, perfectionem assequeremur. Si in mundo viximus, quomodonam munere nostro perfuncti sumus? Si Ecclesiasticæ, Regularive militiæ nomen dedimus, quomodo statuum illorum munera obivimus? Heu! fortasse pridie illius diei advenit, qua de sortis meæ æternitate judicium ferendum est; fortasse pauci tantùm mihi dies vitæ supersunt, ac instat æternitas, qua me temporis adeo perperam impensi frustra pœniteat. Eheu si parum industrius servus reprobatur, eo quod humo ingesta creditum sibi talentum defodit; quid mihi sentiendum de inutilitate vitæ meæ, cum tot occasiones præclaras virtutis actiones edendi neglexerim? *Pat. Croiset Tomo 5. Recessus Spiritualis.*

Timor habendus de judicio, quod Deus de unoquoque nostrū sigillatim instituet.

Contremiscere debent fideles cogitantes sibi in particulari judicio rationem esse reddendam. Homo non sentiebat pondus debitorum suorum, contraxerat illa, atque ignorabat. Pacata fruebatur vita, quia deerat illi Dei lumen, quod verum ipsius statum eidem ostenderet; sed statim ac Deus illum ad suum tribunal accersit, fere infinita debita sua cognoscit, summoque terrore perculsus intelligit non aliam sibi spem superesse, præterquam quod in Domini sui misericordia, quem fletibus, lacrymisque flectere admititur. Hic ille status est, in quo se non semel fuisse Sanctus Bernardus testatur. Non moror, ait ille, justitiam hanc, quæ apparet, & quæ sæpe nosmetipsos decipit, neque judicium adeo falsum, quod de internis affectionibus nostris fecimus. Deum metuo; lumen illius extimesco: illud nihilominus cupio, ut ejus ope debitorum meorum infinitum intelligam numerum, donec me Deus patienter expectat, atque viam invenire possum eidem ex parte satisfaciendi. Maxima Dei erga me misericordia est, ut me judicet antequam de me judicium ferat eo die, quo judicia illius erunt sine misericordia: *Liber, qui inscribitur: Instructions Chretiennes, pro 21. post Pentecosten Dominica.*

Ratio a cujuslibet status hominibus Deo in hoc judicio reddenda.

Hoc eodem spiritu S. Chrysostomus, postquam dixit; fere incomprehensibile esse quot quisque peccata committat in omni statuum, ætatum, sensuumque genere, & quot sensim debita contrahat; quis comprehendere potest, ait, exempli gratia quot violentias, & scelera milites patrent? Quisnam eorum duritiem, superbiam, & avaritiam potest effugere? quis audet solum vocem attollere, ut conqueratur de injuriis horum hominum omni lenitate carentium, qui velut aquam bibunt iniquitatem, qui virtutem ne ex nomine quidem agnoscunt, vel qui illam agnoscunt, ut in ludibrium traducant? Quis dicere potest quot malorum rationem reddituri sint hoc in judicio togati homines, Magistratus, in quorum manibus tota sita est justitia, & qui sæpe in judiciis suis sunt injustissimi; qui vel utilitatem, vel odium, vel favorem in judiciis ferendis sequuntur; qui viduam, & pupillum negligunt, & infirmi, invalidique sunt in illos, a quibus vidua, & pupillus opprimuntur? Quis potest non conqueri de vulgi flagitiis? De hac multitudine iniquitatum Mercatorum, artificumque, qui mendacium in lucro ponunt, ac illud commodam ad locupletandam viam putant? Lucrum dumtaxat diligunt; terrena tantummodò sapiunt, invicem crudeles exercent invidias, ac se vicissim mutuis, atrocibusque obtrectationibus proscindunt. Quot injustitias divites patrant in domesticos suos, in ministros, bonorumque suorum conductores? Miseris fame pereuntibus intolerabilia onera imponunt; eosque novis quotidie exactionibus torquent. Tellus vel uberes fructus attulerit, vel nullos; nihil de consuetis vexationibus remittunt, & ne minimum quidem indulgent. Præsto sunt, ut illorum excidio carceres addant, & in eos barbarorum instar desæviunt. Attamen quinam ista considerat; immo quis non justitiæ prætextu hanc ipsam sævitiam colorat? Quis cogitat se de hujusmodi severitatibus Deo rationem esse redditurum? Sin autem in Templum fiat transitus, & ad examen revocentur illi, qui Deo sese magis parere profitentur, quot ibi detegentur scelera, quæ, qui nocentissimi sunt, vix agnoscunt? Quot ibi in Deum infidelitates committuntur? Quoties hic verborum indignitate lacessitur? Quot ibi scandala præbentur? Quot mala exempla infirmis traduntur? Ita si per omnes status, & conditiones percurramus, quis non contremiscat cogitans sibi prodeundum ad judicium Dei severam, districtamque omnium actionum suarum rationem reddituro? *Idem.*

Quid consilii capiendum cogitanti judicium post vitæ hujus finem habendum.

Anima judiciorum Dei terrore perculsa, ac seriò cogitans multitudinem scelerum suorum, toto corde amplectitur, quidquid conferre potest ad im-

manent

manem hanc scenam abjiciendam. Nulla est vitæ professio a Deo molesta in austerissimis etiam religionibus, quæ suavis eidem non videatur. Trepidatio, qua expavescet ante Deum judicem proditura non aliam nobis reliquam facit in tanto metu spem, quam ad Dei misericordiam confugere, ejusque justitiæ satisfacere. *Idem.*

Ut nos huic judicio præparemus, per pœnitentiam expiare debemus peccata.

Fateor equidem pœnitentiæ necessitatem naturæ molestam esse; verum enim verò in Religione inevitabilis est. Fideles, quandoquidem non alia suppetit ratio, qua nosmet adeo severo, terribilique judicio præparemus, in quo de nostra agitur æternitate, ullane cura nimia esse potest ad judicis iram leniendam, ne in statera ejus positi leves inveniamur, & ne malorum nostrorum pondus bonorum operum ponderi præpolleat? Quantumvis nefarii peccatores fueritis, vel siris, ne desperetis misericordiam in hac vita vos consequi posse; quandoquidem Judicem habetis illum ipsum Deum, qui venit, ut salvos faceret peccatores; sed eos peccatores, quos verè scelerum suorum pœniteat. Gravissima quælibet crimina JESU CHRISTI Sanguine, & contritionis fletibus expiata non solum non imputabuntur eorum auctoribus coram Deo, verum etiam causa fient gloriæ illorum, & meritorum, quibus illatam Judicis supremi Majestati contumeliam reparabunt. *Abbas du Jarry Sermone pro feria quarta cinerum.*

Terror animæ quæ ad Dei judicium raptatur scelera intuetur.

Quis terror, quæ formido, videre quodammodo ex imo conscientiæ sinu renasci innumerabilem scelerum multitudinem, quæ hactenus oblivione fuerant obruta! Heu! quot adolescentiæ peccata, quæ examen nostrum fefellerant, quot peccata gravia, quæ nullo in discrimine habita fuerant; quot etiam, de quibus confessi fuimus, & quorum propter contritionis defectum, veniam minimè obtinuimus! Hæc omnia sese offerunt animo nostro, cum coram Deo prodimus; & quinam tumultus, quæ trepidatio ad tot monstrorum iniquitatum conspectum? Bone Deus! quot omissiones in nostri status officiis, quot etiam pietatis actiones, quæ indigent pœnitentia, quot prophanata Sacramenta, quot defossa talenta, quot gratiæ neglectæ! Sanguinis JESU CHRISTI pretium vel contemptum, vel perditum: acerrimi stimuli, conscientiam exagitans, quos dolores, quem terrorem non excitabis! *P. Croiset Tomo secundo Recessuum.*

Ejusdem argumenti.

Animo concipite, si fieri potest, quinam sint horribiles animæ terrores sentientis, se via corpori hærere, atque post duo, vel tria momenta sibi prodeundum esse ante Tribunal Dei: Nullum infensiorem habet inimicum, propria conscientia; hæc illi, antequam expiret, omnia ejusdem facta repræsentat; hæc, ut ita dicam, judicium, sententiamque prævertit . . . Sentimus temporis finem adesse, atque jamjam in terribilis æternitatis limine videmur adstare: sortis incertitudo, calamitosæ æternitatis metus, rationes eamdem timendi animam in eum redigunt statum, qui præcox infernus potest appellari. *Idem.*

Status, in quo se videt anima antequam coram Deo appareat.

Misera hæc anima jamjam coram Deo, supremo Judice, quem a se toties contumelia affectum fuisse reminiscitur, proditura debitis se gravatam sentit, quibus persolvendis & vires, & tempus desunt. Posset illa quidem adhuc in meritis, & Sanguine Redemptoris invenire, unde divinæ satisfaceret justitiæ; verum eone in statu est, ut iisdem uti valeat? Perterrita, atque mirum in modum perturbata eamne spiritus præsentiam, & animi tranquillitatem habet, quæ est ad id necessaria? . . . Sed infelix animam efflat, statimque in judicium arripitur, sententia profertur, & adimpletur. Statim terribilem ingreditur æternitatem; statim se damnatam sentit, ac nimis intelligit severitatem pœnarum, quæ sibi sunt in æternum perferendæ. *Idem.*

In hoc judicio nulla est personarum acceptio merita solum spectantur.

Nulla habetur ratio ætatis, dignitatis, officii; ex omnibus titulis post mortem solum restat, atque consideratur Christiani nomen, & secundum illud judicium instituitur. Solemnes promissiones in Baptismo peractæ, arctæ obligationes in eodem contractæ, omnia Christianæ Legis præcepta, & Evangelica instituta sunt hujus judicii norma, & si anima hæc est in mortali peccato, licet hoc pravum tantummodo esset desiderium, & mala cogitatio, illa statim æternis ignibus adjudicatur. Quantumvis durum sit istud judicium, quantumvis terribilis sit ejus sententia; anima ipsa damnationis suæ sentit justitiam. Ibi excusationes nullum habent locum; nulla proferri potest imbecillitas, nulla pravi exempli noxa, nulla tentationis violentia; quilibet sentit culpam, atque injustitiam suam; & omnes isti prætextus, omnes ineptæ excusationes, quæ afferuntur in vita ad culpam declinandam, vel ad se ipsum fallendum tunc augent dolores, atque in nos iram, & indignationem nostram inflammant, Omnia igitur amissa sunt, tempus, salutis adminicula, infinitum Sanguinis, mortisque Redemptoris pretium, omnia pro me amissa sunt, & omnia in æternum amissa, quia Deum ipsum amitto.

Metuendus locus est, ne bona opera nostra talia non existimentur in judicio Dei illa petentis.

Quæcumque fecerimus, metuendum nobis semper est, ne in Dei judicio exprobremur, quod operati nequaquam fuerimus ea, quibus pro peccatis nostris satisfacere valeamus; quod sterilis sit pœnitentia nostra, & Christiani hominis munera nequaquam dignè perfuncti fuerimus: *Non invenio opera tua plena.* Quis scit utrum supremus Judex, postquam ad examen vocaverit, atque ad sanctuarii pondus appenderit omnes operationes nostras, in particulari judicio pronunciet, nobis ea deesse, quæ ad beatam in cœlo æternitatem promerendam requiruntur? *Inventus es minus habens.* Nobis metuendum est, ne optima etiam opera nostra indigna sint, quæ coram Deo appareant, qui ipsa sanctitas est; & ne omnis justitia nostra, si Deus illam cum suæ perfectione metiatur, nihil justitiæ habeat, secundum illud Sancti Gregorii: *Justitia nostra, justitiæ Dei comparata, injustitia est.* Sanctus hic Doctor ita loquitur, sciebat enim, nos plerumque iis etiam, quæ propter Deum facimus, tantum superbiæ, amorisque proprii immiscere, ut quantumvis bonæ in oculis hominum actiones videantur nostræ, metuendum semper sit, ne ab illo damnentur, qui cum sit veritas suprema, omnia, qualia sunt, intuetur. *De S. Martha Tomo 1. Tractatuum Asceticorum. Tractatu de peccatis venialibus.*

Apoc. 3.

Daniel. 5.

Verè semper nimis serò expectamus, ut nosmet præparemus rationi reddendæ Deo.

Quomodo se animus præparare potest ad examen adeo districtum inter tot occupationum tumultus, quæ vix momentum relinquunt, quo sibimetipsi suas cogitationes impendat? Numquid tempus aderit sese præparandi, cum jamjam imminebit hora persolvendi communia officia naturæ, cumque supremi judicis conspectus appropinquare sentietur? Si miles tunc solum præpararet arma, cum acie decertandum est; si publicanus tunc rationes suas supputaret, cum easdem Principi redditurus est. Si orator tunc solum causæ animum adverteret, cum coram judice causam peroraturus est, vestrane possent illi sententia conqueri, si tamquam dementes, atque audaces traducerentur? Et improbare possumus consilium illius, qui ut suæ saluti consulat, ad breve tempus in solitudinem secedit, ut nullo irretitus impedimento gravissimo huic operam navet negotio? *Liber, cui titulus: Colloquia Abbatis Joannis, & Presbyteri Eusebii Colloquio II.*

Homines damnabuntur non propter commissa tantum scelera, sed propter bona opera omissa.

Ad examen vocabitur non solum quidquid mali fecerit homo, sed etiam quidquid boni fecerit, & facere potuerit. Quamplurimi in Dei judicio condemnabuntur non propter peccata, quæ patrarunt, sed propter bona opera, quæ omiserunt. At enim si nihil fecerunt, quodnam ob scelus damnabuntur? Verum si nihil fecerunt, quodnam ob bonum præmio afficientur? Attamen nil medium

dium est. Præmiumne meretur, qui nibil fecit? At nonne magnum malum est nihil facere propter Deum, qui pro nobis tanta fecit, & pertulit? Nonne magnum malum est nihil facere, cum a Domino laborare jubeamur? Servus iners nonne est servus nequam? Creditisne illum vacare culpa, cum ad id conductus, ut famuletur, nihil faciat? Ideo in illum animadvertitis; ideoque & Deus vos in suo judicio damnabit. *Pat. Nepveu Tomo 1. Considerationum.*

Bonum, quod fecerimus ad examen revocabitur.

Neque solum in hoc judicio ea ponderabuntur, quæ bona ab homine omissa, verum etiam quæ facta, sed perperam facta fuerint: non enim satis est bonum facere: illud quoque bene faciendum est. Ut actio bona sit, nihil deesse debet vel in principio, vel in fine, vel in objecto, vel in circumstantiis illius. Quotusquisque ille est, in quo hæc omnia inveniantur? Quot actiones bonæ, justique ponderis videntur, quæ ubi ad sanctuarii pondus appendantur, leves esse reperientur? Una tantum circumstantia, una humana ratio, unica amoris proprii particula omnia corrumpere potest, & quod meriti materia est, in damnationis causam convertere, *Idem.*

Omnia vitæ nostræ peccata tunc nobis tamquam in speculo proponentur.

Eo momento, quod mortem subsequitur, peccator ante oculos suos omnes videt cogitationes, omnia verba, actiones omnes vitæ suæ adeo vivis, ac naturalibus coloribus expressas, ut illas non agnoscere nequeat. Non est cur veteres ideas revocet, longisque utatur sermonibus; anima enim a corpore separata, non utens ultra phantasmatis pro cognitionibus, sed habens eas tantùm imagines, quas illi imprimit Deus; repente, ac in ictu oculi, sed oculi perspicacissimi anima totum suum vitæ cursum videt, quæ sibi tamquam in tabula exhibetur. Nunc peccata nostra nonnisi confusè videmus; quapropter conscientia nostra libro comparatur, sed in se circum voluto, quales erant antiquorum libri, qui ideo volumina appellabantur, ubi litteræ, syllabæque aliæ aliis erant superimpositæ, & ubi nullus ordo, vel nexus inspiciebatur; sed cum explicabantur, tunc ibi legèbatur historia, vel alius aliquis sermo. Ita nunc peccata in conscientia nostra sunt tamquam in libro, & volumine in orbem circumacto complicatoque: illa summatim dumtaxat videmus, omnia confusa ibi sunt, nullumque ordinem habentia. Sed cum librum hunc aperiet Deus, tunc ibi omnem vitæ nostræ uno intuitu legemus historiam. *Auctor Sermonum in omnia Ethica Christiana argumenta.*

Peccator in particulari judicio ad examen vocatus.

En igitur peccator ad terribile divinæ justitiæ tribunal coram JESU CHRISTO supremo Judice, ut diligenti examine excutiatur. Aperiuntur ingentes rationum libri, ubi deinceps recensita sunt, quæcumque ille in vitæ suæ curriculo peccata commisit. Ibi tamquam in speculo deteguntur omnes juventutis errores, omnia vitæ flagitia; omnia ibi connotata sunt per annos, menses, hebdomadas, & horas. Ratio ex eodem petitur minimarum cogitationum, inutiliumque verborum; conscientia ipsius illum redarguit probris, aculeisque, ac mille testibus par. O terribile examen! Eheu! si inutilium quoque verborum ratio reddenda est, quid erit de tot obtrectationibus, juramentis, imprecationibus, obscænis vocibus, nefariis actionibus? *Ex spiritualibus colloquiis P. le Maitre.*

Ratio petetur ex peccatore malorum, quorum extiterit causa.

Redde rationem, Dominus inquiet, tot scandalorum, quæ peperisti; tot animarum, quas pravis exemplis perdidisti; tot peccatorum, quæ alii te sollicitante, ac auctore patrarunt; famulorum, filiorumque, qui interierunt culpa tua, eo quod illos erudire neglexisti. Opusne erat, ut dæmonis officio perfungereris perdens homines, quos sanguinis, vitæque meæ pretio redemeram? Hæc probra ego non timeam? Ullusne eorum qui meo regimini subsunt culpa mea interiit? Exempla mea ulline scandalum attulerunt? Heu! Nonne satis est me ipsum damnare, quin causa existam damnationis aliorum? O terribilis Judex quam metuenda mihi sunt judicia tua! *Idem.*

Peccator nullam invenies excusationē.

Peccator se accusatum videns, atque damnatum judicio Dei, se vellet excusare, verum statim in ipsum sua insurgit conscientia, eumque inexcusabilem esse demonstrat. 1. ex parte Dei, qui nullas illi gratias denegavit, eaque omnia illi consulit salutis suæ operandæ adminicula. 2. ex parte Dæmonis; si enim ab illo victus fuit, culpa sua victus fuit, cum Deus satis, superque gratiarum illi concesserit, quibus omnes superaret tentationes, si iisdem uti voluisset. 3. ex parte hominum, & occasionum peccati; illius quippe intererat periculosas evitare occasiones, pravasque effugere sodalitates. Igitur de se jam actum videt: hinc Dæmones conspicit obsidentes, inde Angelos recedentes. Super caput Judicem suspicit irritatum, & sub pedibus despicit Infernum accensum. Quidquid extra ipsum est, in illum insurgit, ac se intus crudelibus conscientiæ stimulis laniatum sentit. *Idem.*

In judicio rationem reddituri sumus de naturæ talentis, quibus donati fuimus.

Timeamus sortem ac penam servi nequam, qui terræ infoderat, atque inutile effecerat talentum, quod sibi creditum fuerat. Sed multò magis nobis metuendum est; quia non solum otiosa reliquimus bona, quæ divinitus accepimus; sed etiam iisdem abusi sumus, ut eorum auctorem lacesseremus, æternamque nobis conflaremus infelicitatem. Eheu! quid hac in re non exprobrabit aliquando nobis Deus cum ostendet nos tot bonis auctos, ut facilius salutem nostram operaremur, & immensos in Cœlo thesauros acquireremus, iisdem contra & Deum, & nosmet abusos fuisse; mentem nostram, quæ Deo, divinisque perfectionibus vacare poterat, nugis tantum vacasse; cumque iis bonis qualitatibus, quibus donati fueramus, immensos meritorum thesauros congerere possemus, iræ dumtaxat congregasse thesauros? Damnabimur tamquam servi inutiles, & nequam. Sed hanc damnationem evitabimus nunc talenta hæc impendentes ad majorem illius gloriam, a quo recepimus illa; atque ipse eodem merito nobis ad beatæ æternitatis acquisitionem adscribet. *Auctor Anonymus.*



JUDI-

JUDICIUM EXTREMUM, ET GENERALE;

Necnon quidquid ad hoc pertinet argumentum.

M O N I T U M.



Uemadmodum generale judicium aliquid habet commune cum particulari, de quo superiori egimus titulo; mirum esse non debet, si hoc in loco aliquid dictis occurrat simile circa Judicis qualitates, peccatorum examen, impiorum damnationem, & alia quædam, quæ in utroque judicio simili ratione sunt instituenda. Verum enimverò hæc a nobis alia ratione pertractabuntur; ne quæ allata sunt, iterum descripta videantur, nisi fortasse aliqua argumenti, vel partitionis repetitio evitari omnino nequiverit.

Ut autem propositio eligatur, atque efficiatur sermonis structura in argumento, quod adeo latè patet, atque se extendit, extremum hoc judicium spectari potest vel generatim, ostendendo illius necessitatem, terrorem, quem de eodem in hac vita debemus concipere, formidinem, quæ reprobatorum animabus incedet, cum ad supremi Judicis Tribunal prodibunt; effectus, quos cogitatio, & hujus judicii metus in fideli parere debent.

Quod si hoc judicium spectemus aliqua ex parte, quæ Auditorem magis afficiat; ea omnia, quæ magna illa die eventura sunt, ad aliquam ex his circumstantiis rediguntur; ad signa, quæ judicium præcedent, & quæ in Prophetis, atque Evangelio memorantur; ad personas, quæ in hoc judicium prodibunt; ad crimina, quæ contra peccatores proferentur; ad probationes, ac testes; ad iram, quæ Judicis facies flagrabit; ad sententiam contra reprobos ferendam, denique ad exitum judicii, videlicet ad latæ sententiæ executionem. Hoc tamen non prohibet, quominus haberi possit concio de judicio in justorum gratiam instituendo, ubi ostendatur lætitia, atque consolatio, qua tunc perfruentur; elogia, quibus ab ipso Judice celebrabuntur; gloria, quam recipient; corona, & præmia, quæ in Cœlo præstolantur, &c.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus Argumenti Structura.

I. 

Ro Concionis argumento, ac partitione desumi potest; 1. Extremi judicii necessitas, quæ primam constituet partem. 2. Modus, quo instituendum est, quæ erit altera; ut inde hæc inferatur conclusio; judicii cogitationem, & metum efficere debere, ut eam vivendi rationem sequamur, quæ spem nobis conferat, futurum ut lætum judicii hujus exitum consequamur.

Pars prior probari potest; 1. eadem ratione, propter quam unus est Deus. Hic enim Deus necessariò justus esse debet, ac scelera punire; quod nos inferre non possemus nisi generale habendum esset judicium; etenim improbissimi peccatores, & gravissima scelera, ut plurimum in hac vita neque puniuntur, neque agnoscuntur. Divinæ igitur interest justitiæ efficere, ut cognoscantur; quod in extremo judicio fiet, ubi omnia in apricum proferentur. 2. Ut Divinæ Providentiæ ratio erga bonos pariter, ac malos probetur. Illi exagitati fuerunt, & oppressi; hi vixerunt in pace, & beatam in hominum oculis vitam duxerunt; opus est ergo ut justificetur Deus, quod adeo inæquali agendi ratione usus fuerit, atque ideo auferat velamen, quo nunc illius de hominibus consilia teguntur. 3. Ut ex mortalibus omnibus extorqueat confessionem æquitatis judicii sui, atque sententiæ, quam contra reprobos proferet, ostendens in illorum manu fuisse positum beatam sibi in æternum sortem procurare.

Pars altera. Ostendendum est, judicium hoc longè alia ratione transigendum, quam inter homines fieri consueverit, 1. neque prolixis opus erit quæstionibus, vel perorationibus ut in humana accidit justitia; etenim in oculi ictu omnia peccata nostra apparebunt, testes recusari non poterunt, argumenta invicta erunt, atque constantia; conscientia nostra in nos testimonium feret, & creata omnia, quæ scelerum nostrorum testes extiterunt, in eo judicio contra nosipsos consurgent. Rei neque judicis integritatem corrompere poterunt, neque justam scelerum damnationem evitare, neque efficere quominus illicò adimpleatur sententia contra se lata, quemadmodum sæpe in humanis accidit judiciis.

II. Ostendi potest; 1. Quàm terribile futurum sit hoc judicium peccatoribus, qui flagitiosam vitam ducunt in oblivione, integraque salutis suæ negligentia. 2. Quanti solatii futurum sit justis, qui piè, sanctèque vixerint. Sermonis hujus initium ducendum est ex hypotiposi hujus judicii ex Evangelio petita, exhibenda sunt signa, quæ illud præcedent, ordo, & apparatus, qui illud concomitabitur, & exitus, qui eidem finem imponet; atque deinde ad propositum argumentum descensus fiet.

Pars prima. Rationes, quæ judicium hoc terribile efficient, sunt; 1. Ratio, qua districtam repetet rationem actionum omnium, nec vel ulla ipsum fallere possit. 2. Finis, quem in hac omnium conscientiarum manifestatione sibi proposuit, ostendendi videlicet quàm justè reprobi a se æterno damnabuntur supplicio. 3. Funestus, atque inevitabilis hujus judicii exitus, qui erit impiorum, propria conscientia ipsos redarguente, damnatio, ac desperatio, cum sese omni ope destitutos, atque ab omnibus derelictos intuebuntur.

Pars altera: hoc ipsum videlicet judicium impiis adeo terribile infinito justis solatio futurum. 1. Propter conscientiæ testimonium, illos contra omnia terroris objecta confirmantis; ita ut peccatoribus trepidantibus, illis nihil metuendum sit. 2. Quia virtutes, omniaque bona ipsorum opera, quæ hactenus abscondita fuerunt, publicabuntur, & coram omnibus hominibus laudibus decorabuntur. 3. Propter præmia, & coronas ipsorum meritis debitas.

III. Cum magna hæc novissimi judicii dies in scripturis dies Domini, & dies ultionum ejus vocetur, pro concionis argumento, ac partitione desumi possunt duæ qualitates, quas tunc Dei Filius

assumet, longè diversæ ab illis, quas in primo adventu suo accepit.

1. Pro Salvatoris titulo Judicis nomen induet; sed judex erit perspicacissimus, qui omnes cogitationes, officia, actiones, & omissiones ad examen vocabit; ac de illis juxta Evangelii regulas judicium feret. Judex severus, qui de rebus omnibus districtiori severitate judicabit. Judex integer, acer, inexorabilis. 2. Pro Mediatoris hominum titulo Vindicis terrorem assumet: atque de ultionis hujus severitate conjiciendum est ex magnitudine iræ ejus, & ex gravitate, ac fœditate tot scelerum; Deo dignam ultionem reposcer.

IV. Ecclesia, & Patres duplici nomine magnum hoc judicium appellant; universale, videlicet, & extremum judicium.

1. Universale, quia omnia ibi judicanda sunt. 2. Extremum, quia cum eidem particulare judicium præcesserit, post ipsum nullum judicium est subsecuturum. Sequamur ergo duplicem hanc senteniam, ultrò ex duplici hoc Pattum vocabulo profectam. Judicium est universale, ibi ergo de iis omnibus judicabitur, quæ ab hominibus judicata non fuere: Judicium est extremum; ibi ergo corrigetur quidquid ab hominibus male fuit judicatum. Hoc est concionis argumentum, quod constantissimo copiam terrorem potest incutere.

Punctum primum. Materia, circa quam versabitur in hoc universali Judicio acumen Dei, ea erunt omnia, quæ legitimorum tribunalium cognitionem fefellere, quæ ideo fuerunt constituta, ut vicibus ejusdem perfungerentur; videlicet tribunalis conscientiæ peccatoris. 2. Tribunalis humanæ justitiæ. 3. Tribunalis pœnitentiæ, & christianæ reconciliationis. Dominus ergo in lucem proferet, quidquid in triplici hoc tribunali tenebris fuerit involutum, & in hoc hujus judicii universitas sita est.

Punctum alterum. Cum ajo, judicium extremum fore exterorum judiciorum reformationem, non loquor de particulari judicio sub finem vitæ singulorum habendo: in utroque enim Deus idem sententiam laturus est. Hoc autem asserere in animo est nos in hac vita decretos fuisse triplici in re, de qua fallax tulimus judicium. 1. Quod spectat ad Deum, iniquum de illius providentia, justitia, & bonitate judicium tulimus: hoc ille reformabit. 2. Reformabit judicium, quod fecimus de proximo nostro in partem utramque, & hujus quidem virtutem, illius verò hypocrisim nobis aperiet. 3. Quod ad nosmetipsos attinet, efficiet ut verè id agnoscamus, quod sumus; atque omnia ea reformabit judicia, quæ de perfectionibus, ac virtutibus nostris nobis amor proprius suasit.

V. 1. Magna hæc dies pro Deo erit dies gloriæ; etenim palam majestatem, potentiam, sanctitatem, atque Justitiam suam manifestabit. 2. Hæc dies erit opprobrii peccatoribus, quia eorum nequitia, imbecillitas, infamia universo terrarum orbi manifestabuntur.

VI. Duo mihi videntur fallacem peccatorum tranquillitatem in terris efficere. Prima est, bonitas Dei erga peccatorem; altera est indulgentia peccatoris erga se. Ex altera parte considerat, se a Deo non puniri, ex altera se ipsum punire detrectat. Sed post elapsum vitæ hujus spatium rerum facies immutabitur, & quod fallacem peccatoris pacem gignebat, magna judicii die illius timorem, atque infelicitatem pariet.

1. Deus nullam amplius erga peccatores bonitatem habebit. 2. Peccator nullam amplius sibimetipsi habebit indulgentiam: itaque illa duo, quæ olim tranquillitatis ejusdem causa erant, fient illius desperatio; quia eodem tempore duos inveniet inexorabiles Judices, Deum, & semetipsum.

VII. 1. In terribili hoc judicio Christianus a seipso, hoc est a propria conscientia ipsum redarguente accusabitur. 2. Judicabitur a sanctis, quorum virtutes, bona opera, & exempla totidem fuere prototypi, quos sibi ad imitandum proponere debebat. 3. Damnabitur ab ipso JESU CHRISTO, qui ipsius Salvator fuit, atque Redemptor.

Duæ res, quæ Sancto Prophetæ metum injecerant, peccatoribus judicii die terrorem incutient: *Non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ; non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.* Prima est ira Dei, quæ quam terribilis futura sit palam est ostendendum; altera adspectus peccatorum nostrorum, quæ hanc iram succendent, & quæ efficere debent, ut ex hoc usque tempore gravissimos illius effectus metuamus. VIII. *Psal. 37.*

Duo mortalium genera terribilis hujus judicii cogitationem amittunt; primi illi sunt, qui illud non credunt; alteri verò, qui non metuunt illud, licet nullam de eodem dubitandi causam habeant: quapropter IX.

1. Periculosissima insania est hoc judicium non credere; atheus sit, oportet, qui huc usque procedit, ut neque Deum, neque Evangelium, neque Scripturas credat. 2. Funestissima stupiditas est illud non vereri, atque apertissimum argumentum est, non metuentem in eo iri aliquando damnatum.

Peccatores in Dei Filio Judicem æque perspicacem, & æquum invenient: Perspicacem quidem, quem nihil fallere poterit. 2. Æquum verò, qui nemini parcet. X.

1. Peccator ad Dei Tribunal damnabitur. 2. ad propriæ conscientiæ tribunal damnabitur. 3. Ad hominum tribunal damnabitur. *P. Girouſt in adventu.* XI.

Jo sola judicii persona inhærentes ostendere possumus quàm terribilis futurus sit peccatoribus supremi Judicis adspectus. XII.

1. Quia in Judicis hujus facie videbunt scelerum a se patratorum magnitudinem. 2. Quia ibi videbunt magnitudinem iræ, qua in ipsos ille flagrabit. *Biroat in Quadragesima.*

1. Quænam erit dispositio Dei peccatorem judicaturi. 2. Quænam peccatoris a Deo judicandi. *P. Massillon Sermone de Judicio.* XIII.

1. Severitas generalis judicii innixa fidei Christiani secundum illius legea, & placita judicandi. 2. Severitas ejusdem judicii innixa rationi hominis nequam, & peccatoris. *P. Bourdaloue in primo Adventu.* XIV.

1. Deus gloriæ suæ zelotes mundum judicabit se ipsum justificaturus; ideoque Dei Filius accedet cum signis suæ potestatis, atque cum majestate. 2. Deus sibi inservientibus fidelis Mundum judicabit, ut Electos justificet. *Idem in Adventu secundo.* XV.

Omnis potestas, sapientia, & virtus, quæ hominum in terris magnitudinem constituunt judicii die evanescent, & Deus unus magnus apparebit: *Exaltabitur Dominus solus in die illa.* 1. Deus unus potens apparebit: *Solus potens*, quia potestates omnes in ipsius potestate collectæ unum potentem conficient. 2. *Solus sapiens*, quia judicia omnia ad sapientiæ illius normam reformabuntur. 3. *Solus sanctus*, quia virtutes omnes juxta Sanctitatis ejusdem regulam æstimabuntur. *P. de la Rue, Sermone pro feria secunda post primam Quadragesimæ Dominicam.* XVI.

Tria judicium hoc terribile efficient. XVII.

1. Examen, quod mortalem mentibus omnibus terrorem injiciet. 2. Peccatorum omnium manifestatio, quæ peccatores intolerabili confusione suffundet. 3. Sententia, atque damnatio, quæ reprobos in æternam desperationem conjiciet. *Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta in Adventu.*

PARA-

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque, unde copia desumi potest ad proposita Concionum argumenta exornanda.

Sancti Patres. Sanctus Augustinus *lib.* 20. *de Civit.* fusius explicat quidquid de extremo Judicio Scriptura nos docet.

Idem, *in Psalm.* 49. eum nobis repræsentat statum, in quo sese Judex ostendet; & quid nobis modò faciendum sit, ad magna illa die iram illius evitandam.

Idem, *Serm.* 16. & 63. ostendit quam terribile futurum sit Judicis hujus tribunal.

Idem, *Tract.* 9. *in* 1. *Canonicam Joannis*, loquitur de metu, quem de illa die habere debemus, quin tamen abjiciamus confidentiam in Dei misericordia collocandam.

Idem, *Serm.* 38. *de Sanctis*, exponit rationes, propter quas Dei judicium vereri debemus, & quomodo magna illa dies nobis semper ob oculos mentis versari debeat.

Idem, *de vanitate sæculi c.* 3. loquitur de impiorum confusione in scelerum suorum manifestatione.

Idem, *Serm.* 67. *de Tempore*, & alibi passim de generali judicio verba facit.

Idem, vel Auctor Sermonum ad Fratres in Eremo Serm. 63. ostendit quam formidabile futurum sit istud judicium.

Sanctus Hieronymus *in Epistola ad amicum, quem instituit in Scientia divina*, docet quinam futurus sit mortalium omnium terror magna illa die accedente.

Idem, *l.* 1. *in cap.* 2. *Isaiæ*, loquitur de hujus judicii terrore omnibus mortalibus incutiendo; quod ipsum aliis verbis ait *libro* 6. *in capite* 13. *Isaiæ*.

Idem, lib. 8. in cap. 24. Isaiæ, verba facit de varia justorum, reproborumque sorte in hoc decretorio judicio.

Idem in cap. 7. Danielis explicat hujus Prophetæ visionem, & quid extrema illa die sit futurum describit.

Idem in cap. 2. & 3. Joelis hujus judicii descriptionem exornat.

Idem, *lib.* 2. *in cap.* 5. *Amos*, *in cap.* 1. *Sophon. & in cap.* 3. *Malachiæ*, magnæ illius diei apparatum describit.

Idem, *in Psalm.* 49. ostendit quonam in statu Judex apparebit, & quem in judicando ordinem servabit.

Sanctus Gregorius *Homil.* 11. *super Evang.* rationes adfert, propter quas hoc judicium timere debemus.

Idem, *l.* 17. *Moral.* ostendit quam terribile futurum sit hoc judicium.

Idem, *l.* 19. *Moral. c.* 16. docet quo magis extremi judicii dies differtur, eò magis terribilem, atque severam contra reprobos proferendam sententiam.

Sanctus Ambrosius, *lib.* 10. *in S. Luc.* describit signa secundi Adventus Domini.

Origenes *Homil.* 9. *in lib. Num.* ostendit, si judicium hoc reprobis formidabile futurum est, justis solatio futurum.

Idem, *libro* 3. *in Job*, docet Deum illa die conquisiturum quidquid omnibus temporibus factum fuerit.

Idem, *in Psalm.* 36. hæc Prophetæ verba explicans: *Educet quasi lumen justitiam suam*, ostendit omnes bonas actiones secretas, absconditasque justorum, judicii die esse manifestandas.

Idem, *l.* 2. *in cap.* 2. *Epist. ad Roman.* docet quidquid boni, vel mali a nobis fit, condi in thesauris Dei judicii die ad examen vocandum.

Sanctus Cyprianus *lib.* 4. *Epistol. Epist.* 6. de pluribus rebus ad extremum judicium spectantibus verba facit.

Sanctus Chrysostomus Serm. in secundum Filii Dei Adventum, & in hæc S. Pauli verba ex Epistola ad Romanos cap. 14. *Omnes stabimus ante tribunal Christi*, loquitur de ratione reddenda de omnibus actionibus nostris, & de metu, quem de extremo hoc judicio debemus concipere.

Idem, *Homil.* 22. *ad populum Antioch.* docet peccatorem tunc a creaturis omnibus esse deserendum.

Idem Serm. 77. in 24. caput S. Matthæi loquitur de signis, quæ Dei judicium præcedent; atque in exhortatione in caput sextum ejusdem Evangelii ostendit metuendum esse, ne nobis repente irruat extremum judicium, quod mundum universum nil tale opinantem opprimet.

Idem, *Homil.* 33. *in S. Joannem*, docet judicii diem non ita procul, ut cogitatur, abesse.

Idem, *Homil.* 5. *in cap.* 2. *Epist. S. Pauli ad Rom.* docet quænam futura sit confusio reproborum, cum scelera eorum coram omnibus hominibus manifestabuntur.

Idem, *Homil.* 38. *in S. Joan.* ostendit magni illius diei cogitationem jugiter nobis animo obversari debere.

Idem, *Homil.* 10. *in cap.* 5. *secunda Epist. ad Corinth.* disertè hæc explicat Apostoli verba: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi.*

Idem, *Homil.* 3. *in secundam ad Timotheum Epistolam*, docet quam severum futurum sit examen omnium actionum nostrarum tunc habendum, & quomodo nunc ad Dei misericordiam confugere debeamus.

Idem, *Homil.* 8. *in Epist. ad Thessalonicenses*, ostendit quænam futura sit justorum quidem lætitia, impiorum verò desperatio, cum alii in Cœlum evehentur, alii verò præcipites in Infernum dabuntur.

Idem, *Epist.* 5. *ad Theodorum lapsum*, describit qua cum majestate, naturæque totius stupore supremus hic Judex adveniet.

Sanctus Cyrillus *de Exitu animæ, & secundo adventu*.

Sanctus Bernardus *Serm.* 27. *in Cantica*, prolixum habet de extremo judicio Sermonem.

Idem, *Tractatu de interiore domo cap.* 38. docet quanam severitate accusabimur, judicabimur, atque damnabimur in judicio Dei, si nocentes fuerimus.

Sanctus Thomas, *Serm.* 1. *in Evang.* ubi loquitur de examine, & damnatione impiorum.

Sanctus Bonaventura, *Serm.* 4. *in Dominic.* 2. *Adventus*, ubi tradit, quomodo præoccupandum sit hujus judicii tempus, & quomodo nosmet eo in statu collocare debeamus, ubi illud nobis metuendum non sit.

Dionysius Carthusianus, *Serm.* 1. *in Evangelia*, ubi ostendit quàm terribile futurum sit hoc judicium ex signis, supremi Judicis qualitatibus, omnibusque circumstantiis, quæ huic intererunt judicio. Ascetici, aliique.

Granatensis parte secunda Operum Spiritualium Tractatu 4. loquitur de signis, quæ hoc judicium præcedent; de metu, quem inde concipere debemus, deque iis omnibus, quæ ad hoc pertinent argumentum.

Catechismus Concilii Tridentini in septimum articulum Symboli Apostolorum.

P. Salianus in libro *de Timore Dei*, & Guilelmus Stanihurstus *de* 4. *Novissimis*.

Drexelius.

P. Antonius a Sancto Martino a Porta ex Carmelitarum Familia in libro, cui titulus: *Les Condnites de la Grace*, parte postrema, & sub totius Operis finem fusdius hanc materiam pertractat.

Liber cui titulus; *Remarques sur divers sujets de Religion, & de morale*, Tractatum habet de extremo judicio.

P. Nepveu in Christianis animadversionibus in singulos Anni dies: Tomo 1. loquitur de Judicis majestate, potestate, & sanctitate. Tomo 2. ostendit quanta futura sit reproborum confusio in scelerum suorum manifestatione. Tomo 3. loquitur de sententia contra reprobos ferenda.

Par. Maucorps in sermonibus de incomparabilibus Dei perfectionibus, Sermone 13. de justitia Dei.

Ne unus quidem est Concionator, seu vetus ille sit, sive recens, qui in lucem, sermones ediderit de Adventu, vel Quadragesima, qui de extremo judicio sermonem minimè instituerit. Ex recentibus verò hi ferme illi sunt, qui meis manibus acciderunt.

Concionatores recentes.

P. Reina collegit quidquid hoc in argumento validius est, affectibusque ciendis accommodatius.

P. Delingendes septem edidit de extremo judicio sermones: in primo docet CHRISTUM JESUM futurum viventium, & mortuorum Judicem, atque omnia hominum facta esse manifestaturum: in altero de Judicis Majestate loquitur: in tertio de illius severitate; in quarto de ira contra reprobos; in quinto de separatione bonorum, atque malorum; in sexto de discussione, & examine scelerum omnium habendo: in septimo de sententia a supremo Judice proferenda.

P. Catilloo in Sermonibus in Dominicos, festosque Adventus dies.

Biroat tres habet de extremo judicio sermones; in quorum primo JESUM CHRISTUM nobis exhibet tamquam speculum, ubi criminum omnium deformitas, divinæque iræ magnitudo videbitur; in altero verba facit de confusione, quam detecta scelera offundunt, & dolore, qui ob Dei jacturam suborietur: tertio de separatione Dei post latam sententiam.

P. Texier hoc judicii argumentum duobus prosequitur sermonibus, altero quidem pro feria secunda post primam Quadragesimæ Dominicam, ubi de peccatorum omnium manifestatione loquitur, altero pro feria tertia subsequenti, ubi latius differit de metu, quo tunc reprobati trepidabunt.

P. Maimbourg sermone pro feria secunda post primam Quadragesimæ Dominicam, ubi ostendit, supremum mortalium omnium Judicem eò majori usurum severitate, quò majori hac in vita usus est misericordia.

Joly Tomo 1. Propositionum, ubi ostendit hoc judicium futurum terribile.

Lambert Tomo 1. Homiliarum in anni Evangelia pro prima Adventus Dominica, ubi docet hoc judicium tantum peccatoribus terribile futurum, quantum justis erit jucundum.

P. Cheminais Tomo 1. Sermonum peculiariter brevi oratione de judicio, & peccatorum manifestatione loquitur.

In Tomo 4. Operis, cui titulus; *Essais de morale*, satis prolixus habetur sermo de iis omnibus, quæ ad hoc pertinent argumentum.

Par. de la Colombiere Tomo tertio Sermone 53. & 54.

P. Masson Oratorii JESU Sacerdos in Adventu, sermone pro Dominica prima.

P. Aurelianensis Tomo 1. Sermone de pœnis peccati extremi judicii die.

P. Duneau in Adventu loquitur de triplici Adventu Filii Dei, & in Quadragesima de iis, quæ terrorem nobis debent injicere in hoc extremo judicio.

P. Massillon Sermone pro feria secunda post primam Quadragesimæ Dominicam.

P. de la Rue, in sermonibus sub ejus nomine editis pro eadem die.

Abbas de Monmorel Tomo 1. Homiliarum sermonem habet hujus argumenti.

Auctor Sermonum Christianorum Sermone pro prima Quadragesimæ Dominica.

De la Font in Propositionibus pro die prima.

P. Bourdalove in veris sermonibus, tres habet de extremo judicio, unum scilicet in utroque Adventu, quem habuit coram Rege, ac tertium pro feria secunda post primam Quadragesimæ Dominicam.

P. Giroust in Adventu.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta, unum habet pro Adventu, alterum pro Quadragesima, tertium in Dominicali.

Auctor Sermonum Moralium &c.

Qui collectanea edidere.

Granatensis in locis communibus.
Berchorius.
Labatha.
Lohner.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & Applicationes Scripturarum huic argumento.

SI acuero ut fulgur gladium meum, & arripuerit judicium manus mea, reddam ultionem hostibus meis, & his qui oderunt me retribuam; inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus devorabit carnes, de cruore occisorum. Deut. 32.

Gens absque consilio est, & sine prudentia, utinam saperent, & intelligerent, ac novissima providerent. Ibidem.

Deus, cujus iræ nemo resistere potest, & sub quo curvantur qui portant orbem. Jobi 9.

Revelabunt Cœli iniquitatem ejus, & terra consurget adversus eum. Jobi 20.

Verebar omnia opera mea, sciens quòd non parceres delinquenti. Jobi 9.

Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum, & pondus ejus ferre non potui. Jobi 31.

Quid faciam cùm surrexerit ad judicandum Deus? & cùm quæsierit, quid respondebo illi? Ibidem.

Numquid irritum facies judicium meum? & condemnabis me ut justificeris? Jobi 40.

Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus? Jobi 14.

Tu terribilis es, & quis resistet tibi? Psal. 75.

Quis novit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare? Psal. 89.

Ut faciant in eis judicium conscriptum: gloria hæc est omnibus Sanctis ejus. Psal. 149.

Armabit omnem creaturam ad ultionem inimicorum suorum. Sap. 5.

Quis stabit contra judicium tuum? aut quis in conspectu tuo veniet vindex iniquorum hominum? Sap. 12.

Exaltabitur autem Dominus solus in die illa. Isaiæ 2.

Introibunt in speluncas petrarum, & in voragines terræ à facie formidinis Domini, cùm surrexerit percutere terram. Ibid.

Ululate, quia propè est dies Domini: quasi vastitas a Domino veniet; propter hoc, omnes manus dissolventur, & omne cor hominis contabescet, & conteretur. Isaiæ 13.

Ecce dies Domini veniet, crudelis, & indignationis plenus, & iræ, furorisque ad ponendam terram in solitudinem, & peccatores ejus conterendos de ea. Ibidem.

Tacui semper, silui, patiens fui; sicut parturiens loquar; dissipabo, & absorbebo simul. If. 42.

Dominus ad judicium veniet cum senibus populi sui, & principibus ejus. Isaiæ 3.

Non intres in judicium cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Psalm. 142.

Judicium sedit, & libri aperti sunt. Dan. 7.

Aspiciebam, donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit; thronus ejus flamma ignis, fluvius igneus egrediebatur à facie ejus. Idem, ibidem.

Vidi

Vidi sub sole in loco judicii impietatem, & in loco justitiæ iniquitatem; & dixi in corde meo: justum & impium judicabit Deus. Eccl. 3.

Quis poterit cogitare diem adventus ejus, & quis stabit ad videndum eum? Malach. cap. 3.

Quia non profertur citò contra malos sententia, absque timore ullo filii hominum perpetrant mala. Eccl. 8.

Revelabo pudenda tua in facie tua, & ostendam gentibus nuditatem tuam. Nahum. cap. 3.

Quid facietis in die visitationis, & calamitatis de longè venientis? ad cujus confugietis auxilium? & ubi derelinquetis gloriam vestram? Isaiæ 10.

Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Josaphat, & disceptabo cum eis ibi super populo meo, & hæreditate mea Israel. Joelis cap. 3.

Dominum formidabunt adversarii ejus, & super ipsos in Cœlis tonabit. 1. Reg. cap. 2.

Juxta est dies Domini magnus, juxta est & velox nimis; vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis; dies iræ dies illa, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis. Sophon. 1.

Effundam super eos indignationem meam, omnem iram furoris mei: in igne enim zeli mei devorabitur omnis terra. Sophon. 3.

Ingredere in petram, & abscondere in fossa humo à facie timoris Domini, & à gloria majestatis ejus. Isaiæ 2.

Dico vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii. Matth. 12.

In consummatione sæculi exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum. Matth. 13.

Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione cùm sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim Tribus Israel. Matth. 19.

Statim post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de Cœlo, & virtutes Cœlorum commovebuntur. Matth. 24.

Tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus Cœli cum virtute multa, & majestate. Ibidem.

Tunc dicet Rex his, qui à dextris ejus erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Matth. 25.

Tunc dicet & his, qui à sinistris erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus. Ibid.

Separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis, & statuet oves quidem à dextris suis, hædos autem à sinistris. Ibid.

Dico vobis, amodo videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus Cœli. Matth. 26.

Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die, cùm judicabit Deus occulta hominum. Ad Rom. 2.

Secundum duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis justi judicii Dei. Ibid.

Vigilate itaque, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt, & stare ante Filium hominis. Luc. 21.

Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei; & procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem judicii. Joannis 5.

Dominus illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. 1. ad Cor. 4.

Omnes nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis; prout gessit, sive bonum, sive malum. 2. ad Corinth. 5.

Nulla est creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda & aperta sunt oculis ejus. Ad Hebr. cap. 4.

Si justus vix salvabitur, impius, & peccator ubi parebunt? 1. Petri, cap. 4.

De ore ejus gladius utraque parte acutus exibat. Apocal. 1.

Ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam. Matth. 25.

Ecce venit Dominus in Sanctis millibus suis facere judicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum. In Epist. Judæ.

Exempla è veteri, novoque Testamento desumpta.

Veritas extremi, & universalis judicii in naturali, scriptaque lege cognita, & revelata.

IN terribili hoc mysterio illud considerandum occurrit, quod veritas, severitas, omnesque circumstantiæ ad extremum hoc spectantes judicium cognitæ, ac revelatæ terribilibus explicitisque verbis æquè in veteri, ac in nova lege fuerunt, immo etiam in ipsa naturæ lege, ut hujus judicii metus quoddam veluti vallum exundanti scelerum colluvioni, universamque terram inundanti, objiceretur. Superest tantùm ut videamus quibus verbis usi fuerint Prophetæ hoc indicaturi, ut certò intelligamus ex omnibus fidei nostræ veritatibus hanc unam esse, de qua minus liceat ambigere.

Exemplum Balthasar.

Quinam fuit metus Regis Balthasar, cum in extremo convivio, quo Optimates excepit, vidit manum in aulæ pariete scribentem hæc verba, quæ Divinæ justitiæ latam in ipsum sententiam complectebantur: *Mane, Tecel, Phares?* Historia hæc quinto Danielis capite refertur, ejusque ultro sese offert applicatio.

S. Paulus veritatem hanc in Atheniensi Areopago prædicavit.

Sanctus Paulus Areopagum ingressus ex veritate hac totius Religionis fundamento sermonis sui duxit exordium; habendum videlicet extremum judicium, ad quod omnes homines aliquando sunt prodituri; *Eo quod statuit diem, in quo judicaturus est orbem in æquitate. Act. cap.* 17.

Dei Filius Apostolis præcepit, ut populis hanc prædicarent veritatem.

Sanctus Petrus in Actis Apostolorum cap. 10. testatur, Salvatorem antequam in Cœlum ascenderet, Apostolis suis præcepisse, ut ubique prædicarent, ipsum constitutum fuisse Judicem vivorum, atque mortuorum: *Præcepit nobis prædicare populo, quod ipse est, qui constitutus est Judex vivorum, & mortuorum.*

Cum Salvator, Discipulis suspicientibus, in cœlum ascendisset, duo Angeli apparuerunt in medio eorum, illis annuntiaturi, JESUM ipsum, quem ita viderant ascendentem, secundò eodem majestatis apparatu venturum. *Hic JESUS, qui assumptus est a vobis in Cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in Cœlum.* Act. 1.

Job quam metueret hoc terribile judicium. Job. c4.

Nihil melius ostendit terrorem, quo Sanctus vir Job captus erat, quam ferventissima vota, quibus terribili judicii die se in imis inferni latebris delitescere posse cupiebat: *Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus?* Quam enim protectionem præstolari poterat Job eo in loco, ubi pœnæ omnes, doloresque sæviunt, & debacchantur? Quod solatium, quam lenitatem ibi sperare poterat, ubi dæmon, qui illius domos evertit, qui omnia illius bona, & filios abstulit, sævissimum exercet imperium? Attamen Job adeo timet justi judicis faciem irritatam ea terribili die, ut malit ad deplorabile hoc perfugium se conferre, quàm videre Deum suum furore succensum, & ferre obtutus illius, quibus suos inimicos opprimit, & confodit.

Metus, quo correptus fuit Felix.

Sanctus Paulus ferreis vinctus catenis, & veluti nocens ad Felicis Judææ Præsidis tribunal pro-

Judex Præses audiens Paulum de extremo judicio loquentem,

ductus, nactus est, quomodo Judici suo terrorem incutiet simplici eorum prodigiorum enarratione, quæ eventura sunt illo die, quem Deus ad terræ judices judicandos sibi reservavit. Timor illum corripuit, inquit Scriptura: *Tremefactus est.* Pauli sermonem interrupit, eumque in aliam distulit diem: *Quod nunc attinet, vade; tempore autem opportuno accersam te.* Apostolus quidem loquebatur, ac in verbis suis Dei vim, spiritumque gerebat, sed loquebatur apud hominem impium; & impius iste licet Romana intumesceret superbia, ac Cæsarum auctoritate sustineretur, non satis virium habuit in corde, ut pacato animo ideam hujus judicii perferret.

Act. 24.

David Dei judicium metuebat,

David homo ille secundum cor Dei, qui postquam per fragilitatem tentatione fuerat superatus, admirabili sane ratione ex lapsu suo se recepit; David, qui, licet divino confirmatus oraculo peccata sua sibi dimissa esse noverat, animum appulit, ut austeræ pœnitentiæ exercitatione eadem indesinenter expiaret; tanto pavore perculsus est videns rationem sibi esse reddendam, ut numquam destiterit, quominus Deum precibus fatigaret, ne vellet ingredi in judicium cum servo suo, quia in eodem nemo potest justus inveniri; *Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*,

Psal. 142.

Regina Saba, & Ninivitæ,

Regina Saba in Judæos insurget, JESUS CHRISTUS inquit in Evangelio, eosque condemnabit quòd ipsa ex remotissimis terris accesserit auditura sapientissimi Salomonis oracula, illis audire contemnentibus hominis filium Salomone ipso sapientiorem, & qui in medio eorum versabatur. Ninivitæ quoque consurgent, eosque damnabunt, quia Jona prædicante pœnitentiam egerunt; cum illi pœnitentiam facere neglexerint postquam tot signa, ac miracula viderint ab eo peracta, qui Jona erat potentior. Comparatum istud judicium, & hæc damnatio ita est intelligenda; qui in numero reproborum censebuntur, interiori lumine se inexcusabiles esse cognoscent; quia alii bono earumdem, vel etiam minorum gratiarum usu, vel innocentiam servarunt, vel ex lapsu consurrexerunt. Et hæc est plurimorum doctissimorum virorum sententia, ne unum quidem reprobum futurum, cui non objiciat Deus aliquem justum, qui salutem suam fuerit operatus, non majora, & fortasse etiam minora salutis suæ habentem subsidia.

Pudor, & mœror, quo affecta fuit innocens Susanna licet falsò accusata.

Cum innocens Susannæ coram populo prodire debuit, ingentis facinoris, cujus nomine falso insimulabatur, personam gerens; gravissimus mœror cor ejus pervasit. Nesciebat illa, ubi oculos figeret; eo usque, quidquid circa ipsam aderat, mœrore, ac pudore illam suffundebat. *Angustiæ sunt mihi undique*, exclamabat illa; nescio quò circumferam oculos; omnes mei, me pudet omnium. Ferre non poterat conspectum populi, a quo flagitiosa habebatur, familiæ, qua se dedecore affectam sentiebat, viri, a quo tamquam sexus sui habebatur opprobrium; Verùm sanctissima fœmina oculos in Deum, atque in conscientiam suam convertere poterat, utrumque integritatis ipsius testem, qui eidem solatium poterant afferre. Sed extremo revelationis die reprobus hæc jure dicet; *Angustiæ sunt mihi undique*. Quocumque se vertat homines, versus Deum, aut versus seipsum, nihil videbit, quod eidem ruborem non offundat, eumque de patratis sceleribus non redarguat.

Applicationes Scripturarum huic Argumento.

Deus magna illa die suam causam assumet, ac seipsum ulciscetur.

E*Xurge Deus, judica causam tuam. Psalm. 73.* Ita David sancta sollicitudine urgebat Deum, ut causam ipse suam judicaret: *Exurge*. Hactenus fuisti *Deus fortis, & Deus patiens*, atque summa cum animi tranquillitate passus es, gloriam tuam in terris ab iis ipsis prodi, quos ejusdem patronos, vindicesque esse oportebat; & plerique patientiam quidem tuam incuriam, fortitudinem verò censuerunt infirmitatem; *Exurge*, & ostende, licet lento incedas gradu futurum aliquando tandem ut debitas ex illis pœnas reposcas. Hoc novissimo in judicio præstabit Deus; atque ideo fatalis illa dies mundi totius judicio destinata a Prophetis per antonomasiam *Dies Domini* dicitur; quia hæc illa dies est, qua Deus reliquarum rerum oblitus unicè pro sua gloria laborabit.

Quo in sensu Deus ipsam hominum justitiam sit judicaturus.

Cum accepero tempus, ego justitias judicabo. Psalm. 74. Cum accepero tempus, Deus, inquit, judicabo non solum mihi illatas injustitias, sed falsas etiam justitias, quæ mihi præstitæ fuerint, non crimina solum contra me patrata, sed falsas pœnitentias, quæ illa fuerint subsecutæ; non peccata solum, sed contritiones etiam in speciem tantùm concinnatas, inutilesque, sed imperfectas, impparesque satisfactiones. Quia tunc meum tempus advenerit, ipsa judicabo judicia; judicia fallacia, & erronea, quæ de seipso peccator effecerit, sibi blandiens, se excusans, atque facta sua probans. *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo.*

Dei unius est ulcisci.

Mihi vindicta. Ad Roman. 12. Mihi reservata ultio est, Dominus ait per Prophetam, Apostolumque suum; mihi, qui non solum moderari, verùm etiam illam sanctificare didici; non autem homini, qui peccat, dum ultionem exercere contendit. Et sanè dum ulciscitur homo, extra se ipsum rapitur, furit, suæ satisfacit iracundiæ, suam explet libidinem, & in ultione persequenda non modum, non æquitatem tuetur. Ut levem, qua affectus fuit, propulset injuriam, aliam infert, ac in ea sibi complacet. Ordo igitur postulat, ut ultio per alium exerceatur, ipse enim nimis cæcus, nimisque injustus est, ut suam ipse ultionem persequatur; sed, iterum dico, Dei est illius ultionem reposcere: *Mihi vindicta.* Sancta vindicta, quæ nostræ excessum corriget; adorabilis ultio, cujus objectum erit culpa: Veluti Deus, seipsum ulciscetur, quia absolutam, perfectamque ultionem reposcere nequit nisi per se; quia alius quicumque præter ipsum non nisi dimidiatam posset ultionem persequi; quia nullum est supra eumdem tribunal, nullusque Judex eodem vel perspicacior, vel æquior. Se ipsum ulciscetur, Sanctus Joannes Chrysostomus addit, quia illius tantùm est in ultionibus suis sanctum esse, atque irreprehensibilem.

Cur dies judicii dicatur dies Domini.

Juxta est dies Domini magnus. Sophon. 1. Fatalis dies, qui eos omnes, qui vixere, simul congregabit ad tribunal Dei judicandos, in Scripturis dies Domini appellatur. Hoc illi diei nomen præ cæteris bellè convenire videtur; non solum quia ea die suam ostendat gloriam, majestatem, potentiam, divinitatem; sed præterea nisi magna adesset oppositio inter sæculorum cursum, & finem, Prophetæ non ita frequenter uterentur vocabulo diei ad tempus indigitandum, quo supremus ille Judex de nostra æternitate sententiam laturus est. Cur autem extremus ille mundi hujus dies propriè dies erit, facilis patet ratio. Quemadmodum enim præsens hæc vita nox dicitur, quia tenebris abdita est, atque involuta; ita è contra in extremo judicio omnia evolventur, omnia sine errore, & dissimulatione cognoscentur; omnia, quæ magis secreta, atque invia sunt, in hominum omnium oculis detegentur, atque explicabuntur. Nullæ amplius erunt species fucatæ, nullæ fallaces ambages, nullæ, quæ in errorem inducant, simulationes. Auferetur velum, quod supra objecta omnia obtentum illa sensibus nostris abscondit. Illa dies erit, quæ, ut ita dicam, ab ipso Deo proficiscetur; dies, qua nulla fingi potest fulgentior; Deus enim sua effundet lumina in res omnes, & in spectatorum omnium animas; dies, quæ per se erit luci-

lucidissima, & diuturnæ, obscuræque nocti succedet.

Criminum nostrorum circumstantiæ, & secretæ illorum intentiones aperientur.

Videbitur opprobrium tuum. Isaiæ c. 47. In Dei lumine tamquam in fidelibus adversariis legentur omnes circumstantiæ, omnia illegitimæ cupiditatis flagitia; omnes secretæ fraudis versutiæ; circumstantiæ, quarum flagitiosos homines, qui gloriæ sibi vertunt scelera, æque ac scelerum ipsorum pudebit: hoc enim efficit ut tota hominis infirmitas, atque miseria scotiatur. Ibi afferta mendacium amicorum generositas, ibi iniquorum, qui se rectos gloriantur, probitas, sæculi sapientum moderatio, morales mortalium virtutes, qui animum fortitos bonum se putant, ad examen revocabuntur. Nemo poterit ultra speciosa dissimulatione fucum facere, actionum principium, earumque causa, & intentio æque ac actiones ipsæ patebunt. *Manifestabit consilia cordium.* (1. ad Cor. 4.) *P. Cheminais, Sermone de Judicio.*

Quanta erit peccatorum confusio.

Ostendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam. Nahum cap. 3. In omnium hominum oculis temet detectum videbis. In vita confusio numquam tanta est, infamia a paucis agonscitur; consanguineorum interest illam celare; eam christiana charitas tegit, & quantumvis apud alios nullo habearis in pretio, non deest tamen amicus aliquis, qui te æstimet, & alienum contemptum ulciscatur. Ibi omnes confusionis tuæ testes erunt: *Ostendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam.* Horribile spectaculum! Domini superbi, Judices iniqui, amici ficti, infideles conjuges, quosnam oculos tunc magis timebitis! O extremam confusionem sese ita detectos intueri! Tutissima inita fuerant consilia; secretissimi conquisiti fuerant loci, tempora maximè opportuna: nemini quidquam crediderant, immo neque Confessariis suis animum aperuerant. Putabant se numquam detectum iri; oblectabantur eorum fallere vigilantiam, qui eosdem propiùs intuebantur, sibique plaudebant iniquitatis, & prodiitionis suæ fructus percipientes. Verum tunc videbunt facta sua omnium oculis, non sine turpissimis circumstantiis exposita. *Idem.*

Confusio, qua peccator tunc suffūdetur erit æterna.

Confundentur vehementer, quia non intellexerunt opprobrium sempiternum. Jerem. cap. 20. Illa æterna erit confusio; in terris nulla eidem par invenitur. Quælibet ignominia deletur. Tempus scelera oblitterat; officiis illata damna reparantur. Qui in mundo existimationis jacturam fecerant, post aliquot annos videntur rursus in scænam prodire, caput attollere, & aliis in oblivionem earum rerum inducere, quarum ipsi libentissimè obliviscuntur. Sed tunc æterna erit infamia, & indelebilis macula nulla umquam arte eluenda. *Confundentur vehementer.* Confusio illa erit amara, irrisionibus, probrisque conjuncta; habebaris olim vir probus; nequaquam par censebaris facto, cujus pudendum esset, omnes tibi adhibebant fidem: illi etiam, qui vitæ ipsius periculo virtutem tuam ab infamia vindicatam certassent qualis re ipsa es, verè cognoscent. *Idem.*

Conscientiæ liber; quomodo ibi scripta sint nostra peccata.

Peccatum Juda scriptum est stylo ferreo in ungue adamantino. Jerem. 17. Scriptum est in corde peccatorum. Quid hæc sibi volunt, o Propheta? Quæ narras mysteria? Hic mea quidem sententia verus est horum verborum sensus. Cum peccamus, cum pravum aliquid conamur, vel criminosæ alicui cogitationi assentimur, conscientia nostra, quæ est veluti fidelis divinæ justitiæ amanuensis, statim hæc in anima nostra indelebilibus caracteribus scribit. Hi sunt insignes illi conscientiarum libri, quos apertos fuisse testantur Daniel, atque Joannes eo in judicio, cui ipsi in spiritu adstitere. *Judicium sedit, & libri aperti sunt.* (Apoc. 20.) Mortui (reprobi videlicet) secundum ea judicati sunt, quæ in his voluminibus descripta fuere: *Et judicati sunt mortui ex iis, quæ scripta erant in libris, secundum opera eorum.* Ne te decipias, peccator; putas hoc scelus cum ea voluptate, quæ illud concomitatur pertransire; hanc oblectationem cum vocis sono evanescere; secretas has cogitationes, & actiones tenebrarum in oblivione, & silentio permansuras; sed indelebilibus descripta sunt caracteribus, atque in tuo corde legentur. *Auctor Anonymus.*

Deus peccatorem convincet, atque ut ita dicam, cum illo causam aget.

Judicio contendam vobiscum, & cum filiis vestris disceptabo. Jerem. 2. In generali illo totius humani generis cœtu dignabitur Deus suam perorare causam, atque coram omnibus tamquam judicibus suam agendi rationem probare. In cœtu eodem aperientur libri, hoc est omnes retegentur conscientiæ; cum peccatore, ut ita dicam, disceptabit Deus, atque probationibus, & argumentis ita illum evincet, ut nihil reliquum faciat, quod reponere possit: Tu hoc fecisti, reminiscerisne loci, temporis, occasionis? Negarene potes crimen quod sine teste patrasti, & quod æternis obrutum in tenebris existimabas? Reminisceriſne? Illud negare auderes? *Cum filiis vestris disceptabo.*

Aperiet Deus singulorum merita, atque peccata.

Illuminabit abscondita tenebrarum, & tunc laus erit unicuique a Deo. 1. ad Cor. 4. Oculus ille, qui numquam quiescit, qui opacissimas quoque tenebras penetrat, & quidquid occultissimum est detegit, in medium proferet, quidquid contumeliosum silentium retinuerat, & confundet quidquid mendax adulatio probaverat; ex oblivionis sepulcro educet, quidquid temporis injuria tumulaverat, & ex honoris delubro eliminabit quidquid sæculi vanitas illuc invexerat. Velum auferet absditis omnibus veritatibus, simulatis virtutibus personam detrahet, & de singulis rebus pro earum judicans veritate, non specie, justè laudem, vel vituperationem, præmium, vel pœnam distribuet: *Et reddet unicuique secundum opera ejus.*

Nihil enim poterit peccatorem ab ira Dei.

Quis novit potestatem iræ tuæ? Psalm. 89. Quis ab ira ultoris Dei peccatorem poterit vindicare? Huicne iracundiæ objiciet creaturas, quibus abusus est, vel quæ fuerunt suorum criminum causæ? Vana subsidia! Inutilia contra irritati Dei omnipotentiam auxilia. Creaturæ coram illo evanescent, ac peccatorem omnibus ultionis divinæ jaculis expositum relinquent, vel potius ad Dei ipsius exequendam ultionem se armabunt. Montes, si illum judicii die contegere possetis contra supremi hujus judicis furorem, gravissimum pondus vestrum magis illi ferendum, quam ira Dei videretur. Eheu! quam terribile est in Dei viventis manus incidere!

A Deo judicii hujus timor petendus est.

Confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui. Psalm. 118. Configa, Domine, carnem meam timore terribilium judiciorum tuorum, altiùs animo meo imprime confusionem, quæ coram universis hominibus erit subeunda, cum ob oculos eorum meam ignominiam aperies, atque de tenebrarum caligine educes turpia peccata cum circumstantiis eorum, quæ summo pudore suffundunt. Egone, Domine, qui ægrè scelera mea commissa uni tantum homini, quem humana, divinaque jura omnia secretum servare jubent, ferre potero mundi totius conspectum, cui omnia crimina mea retegentur? Imprime nunc in antecessum animo meo hujus confusionis ideam, ut nihil unquam faciam, propter quod erubescere debeam coram te prodituros.

In extremo judicio quilibet apparebit, qualis erit, & nihil poterit dissimulari.

A facie Domini liquefacta est terra. Psalm. 74. Terra coram Deo liquescet tamquam nix coram sola. Sententia; quam Patres quidam his tribuunt verbis; mirum in modum huic quadrat argumento. Vidistine cum noctu in agros delapsa nix universam terræ faciem cooperuit? tunc omnia confusa sunt; omnibusque rebus uno tantum colore superaddito flos a spina nequaquam distinguitur; sterquilinium, & rosetum similiter albicant. Verum sol illuxit? Nix liquescit, flos videtur, sterquilinium tale apparet, quale est, omniaque objecta talia incipiunt videri qualia sunt. Hæc imago eorum est, quæ magna extremi judicii die accident. Nunc in terris, omnia, ut ita dicam,

sub nive latent; boni, & mali, ut ita loquar, eodem colore videntur imbuti; ipsæ etiam virtutes personatæ videntur, & si dicere fas est, nive involutæ. Nix super faciem illam, quæ modesta videtur, & non est, nix super Ecclesiasticum, qui virtutem profitetur, & ejus tantummodo speciem gerit; nix super cænobitam illum, qui sub mortificationis tegumento mundanam nonnumquam animam gerit. Sed ubi Sol justitiæ lucis suæ radium in omnes homines proferet, tunc nix ista liquescet; virtus tota in luce effulgebit, ac vitium fœditatem, ac deformitatem suam palam ostendet.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, ac Sententiæ Sanctorum Patrum hujus Argumenti.

Dies judicii nondum est, sed quia prædictus est, implebitur: an fieri potest, ut qui in tantis verax apparuit, in die judicii mendax sit? promissorum suorum nobis chirographum Christus fecit. Aug. Serm. 33. de Verb. Domini.

Quid ad te quando veniet? Sic vive quasi venturus sit, & non timebis, cùm venerit. Idem Serm. 14. de Ascens.

Convincet sine ulla temporis prolixitate conscientias. Idem, l. 20. de Civit. c. 26.

Ille judex nec gratia prævenitur, nec misericordia jam flectitur, nec pecunia corrumpitur, nec satisfactione mitigatur. Idem, lib. 3. de Symbol. cap. 8.

Ipse erit judex causæ tuæ, qui modò est testis vitæ tuæ. Idem, lib. de 10. chordis, c. 2.

In ea carne veniet judicaturus, in qua venit judicandus. Idem, l. 20. de Civit. c. 6.

Ego sum, dicit, & impios disjicit; quid judicaturus faciet, qui judicandus & hoc potuit? Quid regnaturus poterit, qui moriturus hoc potuit? Idem, tract. 112. in Joan.

Sedebit judex, qui stetit sub judice; damnabit veros reos, qui factus est falsus reus. Idem, Serm. 64. de Verb. Domini.

Tam terribile erit judicium, ut etiam ab Angelis timeatur. Idem, Serm. 130. de Tempore.

Tunc manifestus veniet inter justos judicaturus justè, qui occultè venerat judicandus ab injustis injustò. Idem, l. 20. de Civ. c. 27.

In potestate nostra posuit Deus, qualiter in die judicii judicemur. Idem, Serm. 47. de Sanctis.

Quod in primo adventu contulit, in secundo exacturus est. Idem, l. 50. Homil. Homil. 36.

Ecce hominem quem crucifixistis; ecce Deum & hominem in quem credere noluistis; videtis vulnera quæ inflixistis, agnoscitis latus quod pupugistis, quoniam propter vos, & per vos apertum est, nec tamen intrare voluistis. Idem, de Symb. l. 2. c. 8.

Oportebat ut taceret in passione, non taciturus in judicio; judicandus enim venerat, qui postea judicaturus veniret; & ideo cum magna potestate judicaturus, quia magna cum humilitate judicatus. Idem, in Psal. 37.

Quando Deus judex erit, alius testis quàm conscientia tua non erit; inter judicem justum, & conscientiam tuam, noli timere nisi causam tuam. Idem, in Psal. 37.

Animus sibi malè conscius, dum sibi videtur nullam pœnam pati, credit quod non judicet Deus, & sic auferuntur judicia Dei à facie ejus, cùm hæc ipsa sit summa damnatio. Idem, in Psal. 10.

Quoties diem illum considero, toto corpore contremisco; sive enim comedo, sive bibo, sive aliquid aliud facio, semper videtur illa tuba terribilis sonare in auribus meis: Surgite mortui, venite ad judicium. Hieron. in Matth.

Quem ultorem timetis, facite vobis debitorem. Ambrosius.

Etiam qui sancti sunt, præsentiam Dei absque formidine non videbunt. Hieron. contra Orig.

Hunc tanti pavoris judicem ante oculos ponite, hunc venturum timete; ut hunc, cùm venerit, non timidi, sed securi timeatis; timendus est ne timeatur. Gregor. Homil. 26. super illud Joann. Beati qui non viderunt & crediderunt.

Tunc judex exteriùs cernitur, sed accusator interiùs toleratur. Tunc omnis ante oculos culpa reducitur, ut mens super gehennæ incendia suo gravius igne crucietur. Idem, in expositione cap. 6. Jobi.

Quanta confusio tunc erit, quando & foris æternus judex cernitur, & intus ante oculos culpa versatur. Idem, lib. 24. Moral.

In districto illo examine, omnis argutio & correptio ira est, quia venia post correptionem non est. Idem, Homil. 10. in Ezech.

Si minima signa irati Dei vix ferimus, horrendum atque terribilem majestatis ejus adventum, qua virtute tolerabimus? Idem, 17. Moral. cap. 19.

Tantò districtiorem justitiam in judicio exiget, quantò longiorem ante judicium prorogavit. Idem, Homil. 11. in Ezech.

Hoc ipsum tempus, quod ad parcendum piè disposuit, districtiùs ad feriendum vertit. Idem, Hom. 11. in Ezechiel.

Si quis sit sensu præditus, is potiùs optabit sustinere gehennæ tormentum, quàm coram Deo adverso stare, & irato occurrere. Chrysost. Homil. 5. in Epist. ad Rom.

Paulus ait: Dominus propè est, nihil solliciti sitis; sed nobis contrarium est fortassis dicendum: Dominus propè est, solliciti sitis. Idem, Hom. 33. in Joannem.

Ille est, cui omne clausum panditur, cui omne occultum revelatur, cui omnia obscura clarescunt, cui silentium ipsum confitetur, & mens sine voce loquitur. Idem.

Exurge veritas, & quasi de patientia erumpe. Tertull. l. de veland. Virg. cap. 3.

Ille veniet ad judicandum nos, qui se judicio meminit addictum pro nobis. Euseb. Emiss. Homil. 1. de Symbol.

Qua fiducia stabit desertor ante ducem suum, vulneratus ante medicum suum, perditus ante pretium suum? Unde misericordiam petiturus est, primum de misericordiæ contemptu judicandus? Idem, Homil. 2.

Desiderabunt mortem, sed non invenient, qui vitam, dum inveniendi tempus fuit, desiderare noluerunt. Idem, Homil. de Pascha.

Puto quòd magna sit jam pœna peccati, metum atque memoriam futuri perdidisse judicii. Idem, Homil. de bono Latrone.

Quàm lugubre erit homini, Deum videre & perdere, & ante pretii sui perire conspectum. Idem, Homil. ad Monach.

In judicio, hinc erunt accusantia peccata, inde terrens justitia, subtus patens horridum chaos inferni, desuper iratus judex, intus urens conscientia, foris armatus mundus. S. Anselmus, Homil. de Misericord.

Cognoscetur Dominus justitiam faciens, qui nunc ignoratur misericordiam quærens. Bernardus de 12. Grad.

Sicut benignitas apparuit ultra omnem spem, similem expectare debemus judicii districtionem. Idem, Serm. 2. de Epiph.

Nullus de tanta numerositate spectantium molestior oculus suo cujusque, non est aspectus, sive in Cœlo, sive in terra, quem tenebrosa conscientia suffugere magis velit, minùs possit. Idem, lib. 1. de Considerat.

Ipse judex erit districtus accusator tuus. Idem, in tract. de interiore domo, c. 38.

Tot judicibus & populis adstabis, quot præcesserunt te in opere bono. Idem, ibid.

Tot arguentibus confunderis, quot tibi præbuerunt bene vivendi exemplum. Idem, ibid.

Latere

Latere erit impossibile, apparere erit intolerabile. Idem, ibid.

In tanto discrimine torquebit te tua conscientia, malè sibi conscia, cruciabunt cordis arcana. Idem, ibidem.

Cogente etiam conscientia, tu ipse eris accusator & judex tuos. Idem, ibid.

Quid facturus est, cum judicaturus venerit, qui una voce hostes suos perculit, etiam cùm judicandos venit? Quis ejus iram toleret, cujus & ipsa non potuit mansuetudo tolerari? Gregor. libr. 17. Moral.

Quid tam pavendum, quid tam plenum anxietatis, & vehementissimæ sollicitudinis excogitari potest, quàm judicandum adstare illi terribili tribunali, & incertam adhuc expectare sub tam districto judice sententiam? Bernard. Serm. 5. in Psal. Qui habitat.

Prius benedicti vocantur in regnum, quam maledicti dejiciantur in caminum ignis æterni, quo videlicet acriùs doleant videntes quod amiserunt. Idem, Serm. 8. in eundem Psal.

In offensa via Sanctorum, quasi in expansione librorum, videbunt mali bonum quod agere noluerunt. Aug. l. 1. de Civit. Dei.

Non alia venturus est forma (Christus) ut qui agnosci habet, à quibus & læsus est. Tertull. l. advers. Jud. c. 14.

Inter judicem justum & conscientiam tuam noli timere nisi causam tuam. Si malam causam non habueris, nullum accusatorem pertimesces, nullum falsum testem refelles; nullum verum requires. August. in Psal. 37.

Veniet terribilis, quia venit contemnibilis; demonstrabit potentiam, quia demonstravit patientiam. Idem, Serm. de Temp.

Singulis diebus, & horis oportet ante oculos nostros proponere Dei judicium. Chrysost. Homil. 4. in Genes.

Vox tuba terribilis, cui omnia obediunt elementa, quæ petras scindit, inferos aperit, portas æreas frangit, vincula mortuorum disrumpit. Gregor. in 1. ad Corinth.

Tunc plangent omnes Tribus terræ, videntes accusatorem suum, id est ipsam crucem, & in ipso arguente cognoscentes peccatum suum, serò & frustrà fatebuntur cæcitatem suam. August. Serm. 130. de Temp.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia fontibus ad hoc argumentum valeat hauriri.

Quid nobis credendum sit de extremo, & universali judicio.

EXtremum, vel generale Judicium illud est, quod Dei Filius gloria, & majestate circumdatus habiturus est in fine sæculorum de omnibus hominibus, qui a primis usque Mundi primordiis ad ejusdem interitum vixerint; in quo singulis reddenda erit ratio actionum omnium bonarum, atque malarum, præmium, pœnamve, pro ut meriti fuerint, relaturis. Judicium hoc in tribus consistet, totidem veluti partibus illius: videlicet in signis illud præcedentibus, in ordine ibi servando, hoc est discussione, examine, & manifestatione occultissimarum etiam actionum, ac tandem in decretoria sententia, quam proferet Judex, & quæ statim explebitur.

Judicis qualitates, quæ hoc judicium maximè terribile efficient.

Supremus Judex, cujus unius interest omnes homines judicare, tres habebit qualitates, quæ in Terræ judicibus non inveniuntur, & quæ illum reprobis maximè terribilem efficient; sed quæ nunc quoque efficere debent, ut sanctissimus quilibet in terris eum timeat. Qualitates hæ sunt, infinita scientia, quam nihil fallere potest; ideoque ea omnia, quæ in mundo acciderunt, ad unguem cognoscet; justitia, & æquitas inexorabilis, & quam nihil potest corrumpere; potestas pariter infinita ut latam semel sententiam statim, ac in aterna exequatur. Itaque extremum illud judicium accuratissimum erit, æquissimumque; sententia verò irrevocabilis.

Judex perfectam habebit cognitionem juris, & facti; quæ ad æque judicandū est necessaria.

Sanctus Augustinus *lib. 9. de Civit.* solidè hoc statuit principium, duo necessariò in æquo judicio requiri, juris videlicet cognitionem, & facti. Pro jure intellige veterem, novamque Legem, immo & ipsam naturæ legem omnium cordibus insculptam. Hoc est veluti jus Dei, ad cujus regulam judicabit. Pro facto intelligendæ sunt actiones omnes cum circumstantiis, tota denique hominum vita. Nihil horum Deum fugere potest: *Nonne hæc condita sunt apud me, & signata in thesauris meis?* (*Deut. 32.*) Juris cognitioni Sanctus Hieronymus addit legem conscientiæ nostræ secundum hæc Pauli verba: *Ostendunt opus legis scriptum in frontibus eorum.* (*Ad Rom. 5.*)

Deus unus in causa propria judex esse potest.

Nemo esse potest judex in causa Dei præter ipsum Deum. Et constat ratio; cum enim Deus neminem habere possit superiorem se, nequit ideo alium habere Judicem, quàm se in causa sua. Præterquamquod nemo præter illum agnoscit enormitatem peccati, & pœnam illi debitam, Dei læsi dignitatem, & satisfactionem eidem adhibendam; unus ille novit omnes improbitatis gradus in actione nefaria. Ad hæc ipse unus ab omni affectu, præjudicio, studio, & quidquid prohibere potest ne judicium perfectè æquum sit, est immunis: *Tu verò cum summa tranquillitate judicas.* (*Sap. 2.*) In hac vita, ut ita dicam, res suas in manibus Judicum terræ constituit, quibus ad id suæ potestatis, atque auctoritatis radium communicat; sed in extremo judicio, istius juris permissionem revocabit, quo uti, sicut oportebat, non potuerunt propter cognitionis, & satis amplæ potestatis defectum. Ille ipse causam suam aggredietur, utpote solus, qui illam rite noverit disceptare. *Exurge Deus, judica causam tuam.* (*Psal. 73.*)

Extremi judicii necessitas.

Quamvis ante judicium illud extremum quilibet certus sit bonæ, vel malæ æternitatis suæ, propter particulare judicium, quod in ipso mortis articulo subit; necesse nihilominus est, aliud institui universale judicium, ut singulis exploratum sit de aliorum statu, & fortuna; quæ ratio a S. Thoma adscitur. Alii Theologi plures adferunt, quarum præcipuæ sunt. 1. ut divinæ ratio Providentiæ tum erga justos, tum erga peccatores probetur. 2. ut aliorum quidem gloria, aliorum verò confusio accidentalis augeatur. 3. Ut quodammodo se purget ab injustis criminationibus hominum, quorum aliis scandalum adfert, tum nimia illius bonitas, aliis verò nimia erga se ipsos justitia &c. 4. Ut ostendat æquitatem sententiæ, quam proferet; ideoque omnes omnium cogitationes atque actiones manifestabit. (*In 4. Sent. dist. 47. q. 1. art. 1. in sol. 3. arg.*)

Justitia non minus Deo essentialis, quam bonitas.

Justitia Deo æquè essentialis est ac bonitas; immo justitia bonitati ejusdem ita est necessaria, ut sine eadem jam bonitas ultra non esset, atque in turpem degeneraret ignaviam, quæ omnia impune sineret. Debacchari flagitia, juxta illud Tertulliani effatum. *Justitia bonitatis est tutela, & quæ misericordia negotia procurat.* Hinc fit quod exhibere Deum dumtaxat misericordem, quin simul eumdem justum concipiamus, idem est ac illum ex dimidio tantum concipere secundum Patris hujus sententiam, vel non nisi imperfectam de ejusdem essentia ideam habere. Licet enim supremum hoc ens sit simplicissimum, atque sine ullo Theologorum dissensu justitia, & misericordia illius re ipsa unum, & idem sint; attamen intellectus noster illas distinguit ratione diversorum effectuum, quos gignunt, nosque Deum metuere debemus tamquam justum, & in eum tamquam infinitè bonum, & misericordem spectare, atque illinc inferre, quemadmodum ipse necessariò bonum amat, ita & necessariò malum odisse; atque hoc ab eodem, vel in præsenti, vel in altera vita puniendum esse; atque extremi judicii die bonos a malis separandos, ut aliis quidem præmia conferat, aliis verò æter-

Ad Rom. 2.

æternas pœnas infligat. *Ut reddat unicuique secundum opera ejus.*

Voluit Deus in naturæ, & scriptæ haberi extremi judicii cognitionem.

Deo, quemadmodum S. Chrysostomus animadvertit, satis fuit in lege naturæ, ac lege scripta obscuram tribuere fidem, atque cognitionem præcipuorum Religionis nostræ mysteriorum; at extremi judicii explicitam haberi voluit cognitionem; eadem quippe necessitas, quæ jubet, Deum a nobis primum rerum omnium auctorem agnosci, jubet etiam eumdem justum bonorum quidem operum remuneratorem, malorum verò ultorem haberi. In Evangelica verò lege nulla veritas est, de qua frequentius occurrat sermo, & de qua magis perspicuè, & explicitè verba fiant; quippe hæc jugiter mentibus nostris debet obversari, ut ad ejusdem cogitationem omnes instituamus actiones, quarum adeo districtam rationem in hoc judicio sumus reddituri.

Quomodo judicii die in illa peccata dignoscentur.

Peccatum quodlibet in anima peccantis aliquod vestigium, vel sordem aliquam relinquit, per quam putant Theologi diversæ speciei peccata cognoscenda esse, atque distinguenda. Hæc autem peccati vestigia: *Macula peccati* vocantur, & a Tertulliano *Stigmata delictorum* dicuntur, impressiones, ac notæ, quas peccata patrata relinquunt, nec non a S. Ambrosio cicatrices, aut profunda vulnera in conscientia nostra impressa nuncupantur: *Altè impressa quædam conscientia nostra ulcera delictorum.* Verum hæc opinio non est admodum probabilis, & in scholis, quod peccati macula dicitur non est aliquid physicum, sed est ipsum peccatum moraliter subsistens, donec quomodocumque retractetur, & dimittatur; quod hisce metaphoricis, maculæ, cicatricis, ulceris vocabulis indigitatur. Multò magis probabilis, atque communis est Theologorum sententia, Deum tunc in intellectus omnes interius quoddam lumen esse effusurum, quod non satis intelligere possumus, quo nobis præsentia efficiet quæcumque præterita fuerint, atque videnda præbebit, quæ nunc sunt invisibilia; eodem fere pacto, quo per revelationem suam præsentia spiritui Prophetarum efficit ea, quæ in sæculorum fine sunt eventura.

Quidquid in hoc accidet judicio sensibus ipsis patebit.

Rem satis probabilem Lessius, aliique nonnulli doctores tradunt, eamque plurimi Sancti Patres supponere videntur; Angelos videlicet in hoc judicio visum iri non sine mutuatis corporibus, ad supremi Judicis gloriam, & majestatem magis augendam; omnemque hujus judicii apparatum sensibilem futurum, ut in reproborum animos majorem terrorem incutiat; thronum Judicis, sententiam, quam proferet, bonorum, malorumque separationem, & reliqua.

Evidens argumentum extremi judicii veritatem confirmans.

Patres, atque Theologi affirmant, nullum manifestius esse futuri Judicii argumentum, quam rationem, qua Deus cum plerisque hominibus hoc in mundo se gerit. Videtur enim nullum jus exercere; murmurationes, atque blasphemias patitur; incredibilem habet patientiam erga malos, & quodammodo nullo se bonos in discrimine habere testatur; at justum est, inquiunt illi, ut indignarum hujusmodi suspicionum error a Deo detegatur. Gloriæ ipsius interest in omnium mortalium cœtu magnas afferre causas, propter quas ita operatus est; & efficere, ut omnes hujus, quæ videbatur, injustitiæ æquitatem intelligant, atque admirentur.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, recentioribusque Concionatoribus loci hujus Argumenti.

Cur extremi judicii dies Domini appelletur.

Fatalis illa dies Mundi totius judicio destinata a Prophetis antonomasticè: *Dies Domini* dicitur. Quare? Quia hæc illa dies erit, qua Deus ceterarum rerum oblitus pro propria tantum gloria operabitur. Reliqui dies, ut ita dicam, dies hominum vocari possunt, quia Deus nonnisi propter homines providentiam, potentiam, bonitatem, ac zelum habere videtur; sed illa die, magna illa die pro se tantum incipiet esse potentem, bonum, zelotem, ideoque illam diem suam futuram esse declarat: *Dies Domini.* Hæc hora vestra est, ajebat Dei Filius loquens ad Judæos, qui in ipsum conjuraverant, & ad illum capiendum accesserant: *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.* Ita o mortales, qui me auditis, hodie dicere possem, hi vestri sunt dies, & si vultis hi sunt læti, felicesque dies vestri; dies isti, quos in solatiis atque voluptatibus impenditis; dies quibus mundo inebriati inanibus dumtaxat gaudiis vosmet proluitis; dies, quibus in profunda earum rerum oblivione, quæ salutem vestram respiciunt, inania tantum, ambitiosaque consilia fovetis: *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.* Luc. 22. Sed expectate tristem illum diem, qui omnibus hisce diebus terminum est impositurus, quemadmodum vestrum tempus habetis, ita & Deus habebit suum; atque tempus Dei illud est, quod accipiet Deus vos judicaturus. *P. Bourdalove in Sermonibus recens editis, Sermone primo Adventus secundi.*

Illa die omnes mundi dignitates ad nihilum redigentur.

In hac vita viri nobiles (Deus ipse ita loquitur) sunt veluti Dii terræ. *Ego dixi: Dii estis.* Psal. 81. Et hi sunt, Sanctus Chrysostomus inquit, illi terræ Dii, qui quotidie prohibent, ne Cœli Deus, qualis est, agnoscatur. Suæ dignitatis fulgore excæcati illius obliviscuntur, cujus non aliud, quam imagines sunt; sibimet inhærentes, suisque tantum rebus occupari, numquam ad illum transferunt cogitationem, qui super ipsos dominatur. Sed in extremo judicio hæc terræ numina attrita impio palam ostendent, adesse Deum supra Deos hosce commentitios: *Excelsus super omnes Deos,* Ps. 46. videlicet Deum absolute Deum, unicè Deum, æterne Deum. *In illa die exaltabitur solus Deus;* Isaia 2. solus erit Deus magnus, & magnus apparebit. Quidquid non est Deus, exiguum erit, humile, repens, & tamquam atomus, aut nihilum coram hoc Ente supremo: *Tamquam nihilum ante te:* Ps. 38. hoc est, in illa die quælibet humana magnitudo abjicietur, fortunæ omnes destruentur, throni omnes evertentur, tituli omnes delebuntur, ordines omnes confundentur: Deus unus exaltabitur; Deus unus regnabit: *Exaltabitur solus Deus. Idem.*

Deus magna illa die revelabit conscientias, hoc est vitia, & occultissima scelera.

Quot in mundo scelesti homines honestorum virorum personam gerunt? Quot corrupti, ac iniquitate repleti cum probitatis fastu, atque ostentatione se proferunt? Quot versuti, callidique suam jactitant sinceritatem? Quot proditores, extrinsecus fidei, & amicitiæ speciem præseferunt? Quot impudici, nequissimarum mancipia libidinum morum puritatem, immo etiam severitatem affectant? Quot æquo solutiores fœminæ honestatis existimationem sibi vindicant, & quamvis turpi commercio irretitæ castitatis integerrimam laudem conquirunt? E contra verò quot justi falsò insimulati, damnatique? Quot Dei famuli per sæculi improbitatem probris, atque irrisionibus traducti? Quot homines bona fide devoti tamquam cupidi, hypocritæque habiti? Quot veræ virtutes in dubium accersitæ! Quot bonæ actiones censoria nota mulctatæ? Quot recta consilia in lævum sensum detorta? At hæc omnia, Sanctus Chrysostomus inquit, in Dei judicio revelabuntur; ita ut quilibet agnoscatur qualis est, videatur, qualis fuit, eumque teneat gradum, quod tenere debebit. Omnia conscientiæ secreta in apricum proferentur, & tunc, Apostolus inquit, unusquisque a Deo meritam laudem percipiet: *Et tunc laus erit unicuique a Deo. Idem.* 1. ad Cor. 4.

Auferetur hypocritis persona, & quales sunt, agnoscentur.

Spes hypocritæ peribit. Jobi 20. Hypocritæ spes erat futurum ut numquam intus, & in corde cognosceretur, ac in æternum mortalibus omnibus os subliniret; sed in extremo judicio hæc illius erit desperatio; quod se ipsum dissimulare non poterit, quod nullæ amplius erunt tenebræ, quibus se ipsum

sum contegat, quod licet invitus ablatum videbit suæ hypocrisis integumentum, suos dolos detectos ac se nationum omnium oculis expositum. Alii peccatores in mundo, quales erant, cogniti, hoc ipso quod cogniti fuerunt, jamjam ex parte judicati sunt, atque in antecessum partem subierunt illius confusionis, quam Dei judicium illis erat allaturum: sed hypocrita, cui abjicienda erit inanis gloriæ larva, qua semper se ipsum decoraverat; sed mulier, quæ semper tamquam pudica habita est, & cujus libidinosa commercia in lucem afferentur; sed Magistratus, qui semper celebratus fuit tamquam integritatis exemplum, & cujus injustitiæ in apricum proferentur; sed Ecclesiasticus, qui sanctitatis laude florebat, cui Deus impudicum vitæ genus exprobrabit; sed vir ille, qui honestatem præ ceteris jactitabat, cujus fraudes patebunt; sed amicus, cujus sinceritas in pretio habebatur; & cujus nefariæ proditiones detegentur; sed quicumque noverit artem fallendi, & quem tunc premet terribilis necessitas solemniter veritatem ipsam reparandi: hen, Christiani quam terribile, atque onerosum Dei hoc judicium invenient! *Idem P. Bourdalove.*

Vere virtus manifestata justis, atque prædestinatis judicium amplum, & desiderabile efficiet.

Extremum istud Judicium justis, atque prædestinatis non ferendum solum, verum etiam perjucundum, & desiderabile erit. Eorum quippe gloria, Sanctus Chrysostomus ait, erit eorum omnibus creaturis intelligendi vi præditis prodire: eorum gloria, immo etiam votorum omnium cumulus erit, ut aliquando tandem & actionum suarum rectitudo, & puritas intentionum agnoscatur; eorum gloria erit cognosci; quia hactenus ipsorum calamitas fuit ignorari. Hoc igitur, o fideles animæ, quæ licet tanta sit mundi hujus labes, atque corruptio, Deo in spiritu, & veritate servitis, hoc inquam in vita vobis robur, atque solatium debet afferre. Terribili hoc momento, quo conscientiarum liber aperietur, spes vestra supremi Judicis intuitu animata, ac jamjam replenda vos sustinebit, ac non sine uberrimo fructu injustas mundi persecutiones reparabit. Donec impius confusus, turbatus, prostratus demisso in terram capite incedet, quin oculos audeat attollere, vos sanctam præ vobis securitatem feretis. Quorsum autem? Quia dies vestræ justificationis advenerit. Nunc invidia, calumnia in vos venenata contorquent tela; sed tandem tacere cogetur invidia, vel saltem pro vobis loqui tenebitur: Calumnia mendacii insimulabitur, & veritas tota in luce fulgebit. Interim secreto perfruimini cordis vestri testimonio, quod omnibus mortalium elogiis præferre deberis. Dicite cum S. Paulo: Mea nihilum refere, quod judicium de me nunc homines ferant; quandoquidem ab uno Deo sum ju-
1. ad Cor. 4.
dicandus: *Qui autem judicat me, Dominus est*; vel cum Jeremia; Tibi Domine, qui renes scrutaris, & corda, omnesque animæ sinus, atque recessus rimaris, credidi causam meam; tu me ju-
Jerem. 11.
dicabis: *Tibi enim revelavi causam meam. Idem.*

Humilitas eorum, qui hanc virtutem exercuerint in judicio glorificabitur.

Veniet Dei Filius humilitatem in humilium persona glorificaturus: hunc ille electis suis honorem adhibebit. Humilitas, simplicitas justi, patientia in perferendis injuriis sine ulla vindictæ cupiditate, quam mundus spiritus infirmitatem, ingeniique pusillanimitatem vocat, a Deo coronabitur, ut omnes intelligant hanc veram esse vim, veram animi magnitudinem, veramque sapientiam. Tunc enim, scriptura inquit in admirabili eo loco, quem centies audistis, & quo centies fuistis commoti; tunc humiles corde fidenter insurgent in eos, a quibus contempti, atque lacessiti fuerunt:
Sap. 5.
Stabunt justi in magna constantia. Tunc sapientes sæculi, spiritus fortes non solum stupebunt, verum etiam animos despondebunt videntes eos homines, quos nullo habuerunt in pretio, in throno gloriæ collocari. Tunc turbati, atque extra se quodammodo rapti gementes clamabunt: *Hi sunt*
Ibidem.
quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperii; nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam. Ecce tamen ad gradum filiorum Dei evecti sunt, & portio eorum cum Sanctis est. Tunc, inquam, mundi superbia, licet invita, perhibente hoc testimonium humilitati electorum a Deo, palam videbitur effectus illius promissionis JESU CHRISTI, qua recepit futurum Luc. 14.
ut quicumque se ipsum humiliaret, exaltaretur. *Omnis, qui se humiliat, exaltabitur. Idem.*

Ejusdem argumenti.

In hac vita, non semper verum est, immo rarò verum est illum, qui se humiliat exaltari . . . Videntur plurimi, qui cum ut Deum quærerent, spiritu Religionis ducti, semel coram hominibus exinaniti, sepultique fuerunt, in obscuritate, & tenebris delitescere, ac emori. Quot animæ sanctæ, quarum vita abscondita est cum Deo, nullo habitæ fuerunt in pretio, licet heroica virtute sese à mundo sejunxerint, & separaverint? Propter hoc, Sanctus Chrysostomus inquit, in sæculorum fine habendum est, atque habebitur universale judicium. Quia Mundus meritum non defert honorem perfectis Christianis, qui propter Deum seipsos humiliant, atque ad nihilum redigunt; Deus, qui se fidelem esse gloriatur, illis honorem centuplo majorem deferet. Quia non desunt in terris sancti, quorum humilitas licet sincera neque in mundo explorata est, neque iis honoribus, quos meretur, excepta: si mundus æquus est judex; Deus mundi defectus supplebit, eamque exaltabit; verum cujusnam sumptibus? sumptibus sane, & probro mundi sectatorum, quorum ridicula vanitas, & insana ambitio damnata, & reprobata celebrabit eorum institutorum sanctitatem, quæ sapiens, humilisque Christianus fuerit amplexus: etenim simulac exaltabitur humilis, superbus humiliabitur, æternoque suffundetur opprobrio. *Qui se exaltat humiliabitur. Idem P. Bourdalove.*

Deus ex[illegible]tremi judicii die infirmos ulturus adveniet.

Dicamus etiam, Deum extremo judicii die venturum ad ulciscendos infirmos, quos potentia violentiæ conjuncta oppresserit. Modò enim existimatio fere semper victoriam tenet, eique lis adjudicatur. Fortissimus quisque, quidquid agat, jure semper agit, & quia aliis viribus præstat, credit se jure quodlibet aggredi posse. Quot persecutiones, & vexationes parit auctoritatis abusus? Quot pupillorum hæreditas post varias ambages litigatori, atque usurpatori cedit in prædam? Quot evertuntur familiæ, quia ratio a terribili adversario petita neminem invenit, qui sibi patrocinetur? Quot lites injuria intentatæ, at nihilominus majori suffragiorum copia victæ, quia sollicitationes, doli, & versutiæ prævaluerunt? Licet justitia, legesque adversentur, infirmior pars fere semper judicio victa decedit. Si qui sunt improbi Judices, hi contra pauperem, pro paupere numquam corrumpi se sinunt. Ex quo præ aliis infirmus es, infelici quadam necessitate omnia quidem tibi adversantur, nihil verò suffragatur. Verum, o Domine, infirmus in te reperiet, quidquid sibi terræ judices denegaverint; venies æquitate, zeloque plenus, atque pupilli causam suscipies, ut potens, & nobilis, qui suæ abusus fuerat potentia, & nobilitate, ultra jactare se desinat: *Judicare* Ps. 9.
pupillo, & humili, ut non apponat ultra magnificare se homo super terram. Hactenus semper victoriam retulit; hactenus secundo rerum cursu tumidus, quia nihil eidem adversabatur, habitus fuit fortissimus, doctissimus, atque præ ceteris justissimus, ideoque dignissimus qui honoribus exciperetur. Hactenus falsò gloriæ sibi vertit, suisque adscripsit meritis suam quoque impotentiam; tu verò, Domine, hunc illi errorem auferes, omnesque inanes ideas eripies. Quomodo autem? Quia infirmum de squalore educes, qui in te, Deus, patronum inveniet, & vindicem. *Idem.*

Cur magni judicii die crux apparebit.

Quia Crux JESU CHRISTI fuit omnium Fidei veritatum, omniumque religionis dogmatum quoddam veluti compendium; Crux hæc, hoc augustum, & venerabile Filii hominis signum corusca

luce

luce renidens apparebit futurum oorma judicii mei, ac mundi totius, quemadmodum esse cœpit, cum in Calvatio sublatum fuit. *Et tunc parebit signum filii hominis*. Crux ista mibi objicietur, & quidquid in me illius caracterem, & formam non exprimet, a Deo reptobabitur. Prob Deus! Verumne igitur est, te mihi in perniciem ipsum quoque salutis meæ instrumentum esse conversutum, & quidquid in me sanctius est, meam videlicet Religionem, & fidem, mibimetipsi adversaturam? Ita est, Fideles; hoc nobis metuendum est; hoc summo studio evitandum; hoc efficete debet ut in terribilis hujus judicii expectatione totis artubus contremiscamus. *Idem Sermone primo Adventus primi*.

Matth. 24.

Nos secũdũ Religionis nostræ veritates judicabimur.

Cum Fidei veritates consideremus earum tantummodo cortici inhærentes; vix earum effectua metuimus: Evangelica placita, quæ oobis prædicantur, arcta salutis via, pœnitentiæ necessitas, ioevitabilis mortificandæ carnis ejusque cum vitiis ipsius crucifigendæ obligatio; hæe omnia speciosa sunt vocabula, quæ cum reverentia audimus, quæ magnificè aliis nonnumquam venditamus, & quæ ipsi ne intelligimus quidem, cum ad praxim sunt revocanda. Sed cum JESUS CHRISTUS cum toto suæ majestatis fulgore, totoque suæ poteotiæ pondere adveniet nobis vividam magnarum harum vetitatum impressurus ideam; easque nostræ applicana vitæ, in omni ejusdem ratione, monstrosam ostendet oppositionem morum, & fidei; cum hæc omnia abnegationis sui ipsius, & mortificationis priocipia compatabit cum iniquitatibus, ultionibus, impudicitiis, deliciis, nostraque philaucia; tunc tandem intelligemus, quam horribile sit in Dei viventis manus incidere. *Idem*.

Discrimen inter Ethnicos, & Fideles judicii die.

Mentibus nostris sedulò infingenda hæc veritas est, cui fortasse, uti opus erat, numquam advertimus aoimum, videlicet in judicio Dei infinitum fote discrimen inter Ethnicum, qui Christianam legem ignoraverit, & Fidelem, qui cum illam cognosceret, iotrinsecus illam abdicaverit, ac Deum secundùm justitiæ suæ ordinem longè aliter in utrumque esse animadversurum. Liquet Ethnicus, cui JESU CHRISTI lex annunciata non fuerit, noo esse per legem hanc judicandum, & Deum, quamvis absolutus sit Dominus, cum eo naturalem hanc servaturum æquitatem, neque illum damnaturum per legem, quam eidem minimè ostenderit; quod explicitis verbis docet Apostolus: *Quicumque sine lege peccaverunt, sine lege peribunt*. At aliter sentiendum est de Christiano, qui JESU CHRISTI legem professus fuit, & qui postquam eamdem susceperat, jugum ejus excussit: quia cum post legem hanc acceptam peccaverit, per legem hanc perire debet, ejusque defectio primum erit crimen, quod in eumdem proferetur a Deo; non enim fas erat illi detrectare debitam huic legi obedientiam, postquam pet Baptismum se eidem subdiderat. Citra apostasiam postquam variis Christianæ pietatis actibus susceptum hoc munus confirmaverat, illud abjicere non poterat, neque anteriori hac abdicatione, de qua loquar, neque actionibus huic legi contrariis . . . Itaque impiùs ad Deum in judicium raptus tamquam profugus a religione, secundum religionis ejusdem placita judicandus est. *Idem*.

Ad Rom. 2.

Deus in hoc judicio damnabit Ethnicos eo quod contra rationis lumen egerint.

Qui non aliam habuere legem præter naturalem, ac lumen rationis, secundum hanc ipsam legem judicabuntur, & damnabuntur: atque tunc illis proferet Deus horribilem illam peccarorum congeriem, quæ Sanctus Paulus ad Romanos enumerat, & quæ illis Philosophis eaprobtar, qui ratione duce Deum quidem agnoverant, sed illum tamquam Deum non coluerant; abominabiles impudicitias, quas ipsa perhorrescit natura; diabolicas artes inveniendi semper recentes modos, quibus turpissimis satisfacerent cupiditatibus; insanam impudentiam, qua de bis sceleribus gloriabantur; gravissimas erga proximum injustitias, impotentiam, usurpationes, oppressiones, quibus vis, & auctoritas patrocinabantur; teterrimas proditiones, atque perfidias, quæ mundi artes vocantur; rabidas invidias, quæ (si dicere fas est) detestabilis ambitionis fermento foveotur; simultates, & odia, quæ a furore noo abstioent, obtrectationes usque ad atrocissimam calumniam; avaritias usque ad sævissimam crudelitatem; sumptus usque ad insanissimam prodigalitatem; ganeas usque ad gravissimam valetudinis perniciem; iræ motus usque ad spiritus perturbationem. Cum bæc omnia in Ethnici hominis vita inveniantur, secundum bæc Deus judicabit illum, quod contra legem oaturæ, lumenque rationis egerit. *Idem*.

Deus magni judicii die deteget quidquid occultissimè erit.

Deus ad providentiæ suæ justificationem illa die lucis deteget, quidquid impius in tenebris se occuluisse putabat. Ideo coram gentibus omnibus omnem revelabit peccatoris turpitudinem, omnemque ejusdem ignominiam; obscœna illa peccata, quorum pudere debuit peccatorem eadem patrantem, peccata, quorum si vel levis suspicio de se oborta fuisset; ille jam de se actum existimasset; peccata quæ neque amicorum suorum fidelissimo ausus fuisset confiteri; peccata, quæ illius nomini, atque existimationi officissent in mundo, & quorum exprobrationem ipsa morte sibi graviorem duxisset. Deus illa proferet in apricum: *Revelabo pudenda tua in facie tua, & ostendam gentibus nuditatem tuam*. Nequaquam, inquiet ille, nequaquam averti faciem meam a peccatis tuis; & licet illa perhorrescerem, tamen intuitus sum; & ne eorumdem oblivisceter, ea scripsi caracteribus numquam delendis in hoc vitæ, mortisque libro, quem hodie produco. Tot facta turpia, & infamia, tot secretæ fraudes, tot nefariæ perfidiæ, tot abominationes, atque flagitia, quibus coinquinata est vita tua; hæc omnia nunne quodammodo condita, signataque sunt in thesauris indignationis meæ? *Nonne condita sunt apud me, & signata in thesauris meis*? Hos autem iræ thesauros aperiet Dominus, cum mundum judicaturus adveniet. *Idem adventu secundo, Sermone de extremo Judicio*.

Nahum. 3.

Deut. 32.

Quid peccatori solatii nunc esse possit extremum judicium cogitanti.

Ecce peccatores, qui me loquentem auditis, quid vobis in judicio Dei magis erit pertimescendum; læsus Deus, qui sibimet satisfaciet; Deus contemptus, qui suam ulciscetur injuriam. Hoc terrorem justissimis etiam incussit. Cæterum magno animo estote; & quantumvis peccatores estis, consolamini, etenim quocumque in statu sitis, certissima adhuc vobis superest spes, videlicet pœnitentia. Amabilis pœnitentia, Sanctus Bernardus ajebat, qua Dei ipsius judicium prævertere possum! Ego verò dico, Fideles; felix pœnitentia, qua Deum ulcisci, Deum lenire, Deo satisfacere possum; ita ut cum ad me judicandum accedet, jam me sibi satisfecisse, me ultionem illius de me suscepisse cognoscat, neque ultra per se vindictam exposcere, ac sibimet satisfacere teneatur. Verum est, nos a Deo judicatum iri secundum judicium, quos nosipsi de nobis in ipsa pœnitentia tulerimus; ac nisi nobismet pepercerimus, nequaquam futurum esse, ut nobis ille parcat: *Sibi parcenti, ipse non parcit*, Sanctus Augustinus ait: Sed etiam ex regula prorsus opposita sequitur, nisi mihimetipsi pepercero, futurum ut mihi Dominus parcat; si austera fuerit mea pœnitentia, lene futurum judicium illius; denique si in me justitia usus fuero, illum in me sua gratia usurum. Quid autem amplius cupere possum? Eheu! Domine, indignus essem misericordia tua, si conditio hæc dura mihi videretur, vel potius nisi severissimum pœnitentiæ genus supremam vitæ meæ felicitatem putarem. *Idem*.

Judicium Dei in gratiam justorum, & prædestinatorum.

Hac in vita electi, quamvis electi a Deo, nulla re in mundo distinguuntur, neque in ipsis enitescit aliquid, quod insignem Providentiæ erga ipsus favorem indigitet. E contra verò prorsus opposita ratione, quæ quidem mira est, & quam

sibi

sibi tentationis, atque tumultus causam fuisse testatur, hac in vita electi, qui justi sunt, quin tales agnoscantur sæpe per mundi hujus nequitiam, male audiunt, & cum hypocritis permiscentur. Hac in vita Electi a Deo, qui sunt humiles, quin colantur, & in honore habeantur, sæpe irridentur, atque contemnuntur. In hac vita Electi, qui sunt pauperes, quin ullo recreentur solatio, sæpe repelluntur, & deseruntur. In hac vita Electi, qui ut plurimum sunt imbecilliores, quin protegantur, obruuntur, atque opprimuntur. At hæc omnia longè abhorrent ab ea prædilectione, qua Deus se illos prosecuturum recepit. Verum est, Sanctus Chrysostomus ait; sed hoc ipsum illud est, quod probat veritatem, certitudinem, absolutam, atque inevitabilem extremi judiciis necessitatem. Ad quid enim post sæculorum finem Dei Filius tamquam supremus Judex adveniet? Ut videlicet jus dicat Electis suis hisce quatuor in rebus. Veniet utique ulturus justos, veros videlicet justos, illos ab hypocritis separans, & efficiens, ut regnum hypocrisis cesset. Veniet ulturus humiles, humilitatem in illis glorificans, & confundens superbos qui eamdem contempserint. Veniet ulturus pauperes, qui propter divitum duritiem in miseria, & squalore elanguerint; quorum tamen gemitibus se affectum fuisse monstrabit. Veniet ulturus imbecilles, quos per summum nefas iniquitas, impotentia, & auctoritatis abusus oppresserit. *Idem*.

Deus nos judicabit secundum veritatem.

Deus mundi hujus legibus neglectis, secundum suas nos judicabit: nobis ostender veritatem, eamque prorsus nudam, veritatem cum tota amaritudine, totoque pondere ipsius, veritatem cum iis omnibus, quæ nobis majorem mœrorem, doloremque poterunt afferre. Terribilis adspectus, quo puniet molliriem hanc, vel dicam melius, turpem hanc imbecillitatem, qua eamdem audire non poteramus cum nostram mortificaret superbiam; artes, quibus illam eludere conabamur, cum nostram turbaret tranquillitatem; pertinaciam, qua illam ignorare adsectabamus statimac in ea aliqnid reperiretur, quod nobis molestum accideret. Adspectus, quo Deus crassos consundet errores, in quibus vitam traduximus, profundam nostrummetipsorum oblivionem, in qua mendacium, vel adulatio nos tenuit: *Existimasti iniquè, quod ero tui similis, arguam te, & statuam contra faciem tuam. Idem sermone pro feria secunda post primam Quadragesima Dominicam*. Ps. 49.

De justitia Dei sine misericordia contra reprobos in extremo judicio.

Hac in vita Deus justitiam simul, & misericordiam exercet: Misericordia semper justitiam præcedit, & justitia numquam sejuncta est a misericordia. Sæpe misericordia sola operatur; sed justitia nullam habet actionem, quæ, ut sacer Textus ait, misericordia non temperetur: *Cum iratus fueris, misericordia recordaberis*. In ipso iræ tuæ fervore, lenitatis tuæ tibi recordatio occurret, & videberis Deus esse misericordiarum, quia ipsa etiam ita tua sæpe peccatoribus maxima est misericordia. Ita nunc ille agere consuevit: sed in extremo judicio puram puram exercebit justitiam eadem ferme ratione, qua illam contra infestissimos inimicos exercemus. Cum de inimico agitur, nonnumquam æquitatem, sed æquitatem nulla bonitate leniram jactamus. Fides verò nos docet, nos similiter a Deo judicandos; & quod in nobis sævitia est, in Deo sanctitas erit; & gloria ejusdem erit *Judicium absque misericordia. Idem*.

Quod in extremo judicio magis terrere nos debet.

Sciendum est (auditores) extremum judicium adeo terribile nequaquam futurum propter ea, quæ primo statim auditu mentem nostram percellunt. Solem eclypsi laborare, ac tenebris tegi; cruentas maculas lunæ offundi; stellas de Cœlo decidere; terram ex ipsis usque divulsam fundamentis quati, montes horribili cum fragore collidi; pelagus exundare, atque ad nubes usque suos fluctus attollere; fulgura, & fulmina undequaque erumpere; ignem magnis turbinibus accensum in quatuor terrarum plagis quasi continens parere incendium; funebres audire clamores, confusosque hominum, brutorumque ululatus, hæc sanè terrorem in eorum etiam animos possunt incutere, qui imperterriti sunt: verum enimverò illos tantum, qui adhuc inter vivos degent, horribilis hujus spectaculi adspectus poterit perterrere. Vos probabiliter, & ego in eorum numero non recensebimur; & licet ita etiam per summam infelicitatem recenseremur, mea quidem sententia multò magis nobis trepidandum esset propter judicium, quàm propter signa, quæ illud sunt præcessura. Aliquid ulterius dicam: Judicis potentia, atque majestas nobis timenda non erit; immo neque severitas, & rigor ejusdem nobis metuendus. Quid ergo in judicio hoc formidemus? Dicenti, puto, vix adhibebitur fides, Salvatoris bonitas ipsa, & humanitas est pertimescenda; illius infinita lenitas, & misericordia; titulus, & qualitas Filii hominis, quem eidem tribuit Evangelium. Utique bonitas illa, quæ effecit ut ad nostras usque miserias descenderet; quæ illum impulit ut suam requiem, honorem, vitamque ipsam amori nostro posthaberet, quæ illum omnibus rebus exuit, ut nos locupletaret; hæc æquissimam nobis præbet trepidandi causam in judiciorum ejus timore. Hoc dicentem audite Bernardum: *Ut scires quanta districtio succedit, tanta illa mansuetudo prævenit. Ex manuscripto sermone*. Serm. 1. in Epiph.

Quantum misericors fuit Salvator, tantò inexorabilis erit.

Cum iratus fueris, misericordia recordaberis, inquit Habacuc Propheta. Scio equidem communem horum verborum sensum esse, Deum severissimis justitiæ suppliciis semper aliquod misericordiæ suæ immiscere vestigium; sed hæc alia est eorumdem verborum explicatio, quæ innuit, misericordia Dei nonnumquam ejusdem foveri justitiam, & huic novas suggeri causas indignationis; *Cum iratus fueris, misericordia recordaberis*. Habac. 3. Utique; inexorabilis hic Judex recordabitur; se amantissimum, & clementissimum fuisse Patrem. Rex hic in sua majestate adeo terribilis meminerit se fratrem nostrum, amicum, patronum, advocatum fuisse: repetet memoria quidquid pro nobis operatus, & passus est; videbit crucem suam, sua respiciet vulnera, omnia coram se jubebit afferri suæ Passionis instrumenta, omnia suæ patientiæ, & charitatis indicia; sed ut hoc intuitu seipsum magis ad furorem, & vindictam exacuat. Quemadmodum nullus umquam fuit amor major, integrior, liberalior, effusior eo, quo nos est prosecutus, ita neque ulla erit ira, indignatio, vindicta, quæ illius vindictam exæquet. *Sicut benignitas apparuit ultra omnem spem, ultra omnem expectationem, similem expectare debemus judicii districtionem. Idem*.

Extremum judicium metuendum est.

Quinam est sensus vester, auditores? Nonne verum est horribile esse incidere in manus ejus, qui Deus ultionum vult appellari? Adhucne post hæc dicemus illum bonum esse, & patiemur nos falli temeraria in misericordiis illius confidentia? Illumne semper offendemus sperantes futurum, ut nobis parcat? Quid nobis erit metuendum, nisi judicium Dei metuamus? Undenam oritur, infelix peccator, hæc tua in sceleribus pertinacia, atque securitas? Credisne te aliquando ad formidabile hoc tribunal esse rapiendum? Si credis, quomodo non contremiscis? Heu! sæpe Domino dicamus cum David: *Confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui*. Ps. 118. Ne nobismet adulemur. Prophetæ, atque Apostoli longè erant sanctissimi. Hilariones, Basilii, Antonii, Hieronymi pares saltem ac nos causas habebant sperandi se in prædestinatorum albo fuisse descriptos; attamen terribilis diei hujus memoria semper illis terrorem incutiebat. *Idem*.

Confessio, qua peccatores sua fatebuntur scelera postquam

Væ nobis, quia peccavimus, tunc dicent peccatores, postquam palam Deus illos de sceleribus eorum redarguerit, eaque toti humano generi cognoscenda præbuerit. Inviti quidem dicent, attamen

Deus illa extremo in judicio manifestaverit.

men dicent, *peccavimus*. Hoc dicet nobilis ille vir, qui leges omnes impunè aspernabatur; qui sua intumescens auctoritate, omnia sibi fas esse putabat, quia omnia poterat facere; qui tanto cum impetio reliquos homines sub pedibus suis conculcabat, & in illos tyrannicam dominationem exercebat, hoc agnoscet, & confitebitur. Mea abusus sum, inquiet, auctoritate; huic omnia posthabui æquitatem, innocentiam, Deum, ipsamque salutem. Pauperes, quos oppressi, & famuli, quos sub gravissimæ servitutis jugo continui, & quos etiam pacta mercede frustratus sum; Populi, provinciæ, quibus vastitatem attuli, vos ulciscetur abundè sententia, quam supremus Judex in me laturus est, at jam satis ulti estis eo adspectu, quo omnes video meas iniquitates: *Væ nobis, quia peccavimus*. Mulier hæc dicet; alios & meipsam fefelli. Pudicus oris habitus, inanis erat ostentatio. Quis unquam cogitasset, sub adeo egregia specie commercia adeo turpia latere, mores meos adeo nefarios esse, cum exterior facies bellè esset composita; me occasiones, & colloquia conquisivisse; ac nullum me in officio frænum continere potuisse statimac vulgi os, oculosque me fallere posse putabam? Quis, inquam, cogitasset? Hoc tamen verissimum est, & dissimulare non possum. *Væ nobis, quia peccavimus*. Hoc impius inquiet, hoc ultor, hoc maledicus, hoc improbus quisque: Noluimus Dei vocem audire, nostras tantùm ideas, studia, sensus, suspiciones, licentiam secuti fuimus, deliquimus. *Væ nobis, quia peccavimus. P. Giroust Sermone primo Adventus.*

Quænam erit reproborum cõfusio, metus, & reprobatio, cum Deus illos deteget eorumque abditissima scelera manifestabit.

O Dies ruboris, & confusionis, quo cordium secreta revelabuntur, & aperientur! Si peccatorum, quod tanta erra cœlo, & quod neque in ipso pœnitentiæ tribunali detegere volui, aliquibus tantum perspectum esset, atque exploratum, parum est dicere, erubescerem; me dolor occideret. Quid autem erit, cum in mortalium omnium oculis apparebit? O dies doloris, & pœnitentiæ, qua reprobus fiet suipsius accusator, ac sibimet suam irrogabit sententiam! Crudelis est desperatio contra seipsum in sua infelicitate converti, semet propriis manibus dilaniare, sibique mortis vulnus inferre, quod esset maximè propulsandum. O dies furoris, & indignationis, qua Dei justitia magnis fluctibus sese in peccatores effundet, qua super omnes brachium suum aggravabit, qua sine ulla acceptione judicabit; & sine ulla misericordia percutiet! Judicium necessarium, & inevitabile! Judicium æternum! Hoc, o Deus, me turbat, hoc me confundit. *Idem.*

Peccator nullam spem habebit in misericordia Dei.

At peccator seipsum accusabit, non ut gratiam obtineat. Si adhuc nuncupaverit vota, ut divinam effugiat justitiam; hoc ille præstabit montes invocans, & millies desiderans illorum opprimi lapsu: *Montes cadite super nos*; mortem desiderans non eam, qua anima separatur a corpore, sed omnimodam utriusque annihilationem: *Desiderabunt mori*. Vota inutilia! Quæ tandem spes ejus erit? Propria damnatus conscientia irrevocabilem sui judicis sententiam præstolabitur, ut sese malorum in omnium abyssum præcipitem stadat. *Ibunt in supplicium æternum. Idem.*

Luc. 23.

Apoc. 9.

Matth. 25.

Ethnici in nos insurgent extremi judicii die.

Non Ninivitæ solum contra nos magna illa judicii die insurgent; alii etiam Ethnici nostri judices erunt, sed Judices severi, quia eorum exemplum nullum nobis colorem, nullumque prætextum relinquet. Dicent illi, defuisse sibi ea lumina, quibus donati nos fuimus, & se nobis nihilominus fuisse sapientiores; se neque legem habuisse, neque Prophetas, neque miracula, neque exempla, neque Evangelium, neque Sacramenta, ac vitam magis frugi duxisse, quàm nos, qui tot gratiis cumulati fuimus, & qui per summum nefas iisdem sumus abusi. Quæ confusio hoc pacto ab infidelibus judicari, & condemnari! Ad quid ergo proderit nobis caracter Baptismi, nomenque Christiani quod gessimus? Hiccine erit, o Deus fructus Incarnationis, passionis, mortisque tuæ, tot miraculorum, & Sacramentorum, tot prædicationum, & exemplorum; posthæc nocentiores, nequioresque ipsis nominis tui inimicis videri? *P. Nouet in Meditationibus.*

Supremus hic Judex nec falli, neque corrumpi poterit ut judices terræ.

Supremus Judex longè dissimilis est a terræ hujus judicibus exteriorem potestatem habentibus; qui extimum quidem norunt corticem, sed intus medullam nequeunt inspicere. Infirmitates hominis illum in ipsum usque tribunal sequuntur, ubi majori opus est constantia; semperque seduci potest per illa omnia, quæ mentem illius perstringere, & corrumpere cor ejus possunt; atque jus in manibus judicum terræ, qui majori præ cæteris lumine pollent, magno semper est in discrimine, quia lumina eorum intra exiguos sanè fines continentur. Vobis autem res erit cum Deo, qui perspicacissimus est Judex, quem nihil fallere potest, & qui ad unguem callet omnes hominum dolos. Denique nihil ejus oculos avertere poterit a sceleribus vestris, & prohibere, ne omnem eorum persequatur enormitatem. *P. Massillon, Sermone de extremo Judicio.*

Peccata omnia die illa manifestabuntur.

Statim quidem peccator videbit detecta peccata omnia, quæ neque ipsius Confessarii auribus committere audebat. Illic detegentur affectus, qui tamdiu hominum oculos fefellerunt; ea crimina, quæ hominum cognitionem fugerunt, sed quæ aperta erunt in die illa; quia *Nihil est opertum, quod non revelabitur: & occultum quod non scietur*. Non erit tunc amplius tempus sub externa sapientiæ specie corruptum, & nefarium animum abscondendi; tamquam accommodatam pietatem id, quod irreligio mera est, venditandi; tamquam morum festivitatem, id quod mera licentia est, traducendi; & solatium, vel animi relaxationem vocandi quod fascinat sensus, animosque corrumpit. Nunc licet sol constitutus sit, ut nota fiant per illum quæcumque in universo terrarum orbe contingunt, possunt nihilominus pleræque actiones improbæ in tenebris contineri; & quot etiam quotidie fulgentibus ejusdem radiis subtrahuntur? Sed tunc omnia auferentur velamina, omnes tenebræ dissipabuntur, omnia in lucem afferentur, & in creaturarum omnium faciem proferentur. *Idem.*

Matth. 10.

Sententia, quã Judex in reprobos proferet, erit irrevocabilis.

Esto quidem, si sperare posset peccator, antiquari posse terribilem illam sententiam, quæ tunc contra se feretur; aliquod invenire posset solarium, sed ut illius infelicitati cumulus accedat, sententia hæc irrevocabilis erit, & ab hoc judicio provocari non poterit. Hoc discriminis intercedit inter Dei, hominumque judicia; infirmitates nostræ tantæ sunt, ut sæpe vel per negligentiam, vel per ignorantiam nequaquam intelligamus jus illud, cui innixi illas pronunciamus, & sæpe etiam usuvenit, ut latæ a nobis sententiæ reformandæ sint, & corrigendæ. Cæterum humanarum sententiarum inconstantia, atque varietas efficit, ut reus primo etiam damnatus judicio aliquod adhuc misericordiæ speret auxilium, & in alio Judice eam se nacturum putat indulgentiam, quam non invenit in alio. Verum Deus non aliam judiciorum suorum regulam agnoscens, nisi firmam, constantemque suam voluntatem, neque aliud testimonium, quam propria lumina, neque supra se aliquem habens, qui a se lata judicia reformare, vel corrigere valeat, quidquid in extremo proferet judicio, irrevocabile erit, & tamquam evitandum: *Non est, qui possit tuæ resistere voluntati*, ajebat olim pia Esther. Ideo nobis adnitendum est, ut satisfaciamus Judici, cujus sententia adeo terribilis futura est, & irrevocabilis sententia. *Idem.*

Esther 13.

Peccator in judicio Dei nullũ inveniet auxilium.

Præterquamquod peccator in extremo judicio omni excusatione carebit, omni etiam carebit auxilio. Sese ille quidem ad omnes, qui circumaderunt, convertet; sed curæ, conatusque omnes irriti erunt, & inutiles; quidquid prope illum erit, tantum aberit, quod eidem ferat opem, ut magis etiam eumdem sit oppressurum. Crux Salvatoris mei

huma-

humani generis saluti consecrata, tu qui facta es spes, & consolatio nostra, tu ipsa miserorum desperationem augebis. Urique; reminiscentur illi pretiosi Sanguinis, quo propter amorem eorum imbuta fuisti, & quæ prævaricationibus suis conculcarunt; omnia illis ingratitudinem, ignaviamque ipsorum exprobrabunt. Hæ divinæ manus affixæ cruci eorum fœnora, concussiones, & furta redarguent; hi pedes clavis confossi eorum gressus in malum, cursumque ad spectacula, prophanosque locos illis obtrudent; cruentum os obscænos eorum sermones objiciet; caput denique spinis coronatum eorum incredulitatem, atque mollitiem confundet; atque ita suum invenient supplicium in eo, quod suam efficere poterat felicitatem; ac desperationem in eo, quod solum erat legitimum spei suavissimæ objectum. *Idem.*

Reproborũ desperatio novissimi judicii die.

Quocumque se vertat peccator, nihil inveniet, quod non illi terrorem incutiat. Verum est, Scripturas asserere, illum nullam nactum opem in creaturis animatis, quæ circum eumdem aderunt, ad inanimatas sese conversurum, earumque auxilium imploraturum. Montes, clamabit ille, nos contegite, colles cadite super nos, atque gravissimo huic malo, quo premimur, nos auferte: *Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos; & collibus: Operite nos.* Denique mortem vocabit; at mors vocibus ejus obsurdescet. Quæ mutatio, Fideles! & hæc mutatio terribilis nonne ostendere debet omnem peccatoris in die illa calamitatem? Homo, qui mortem semper tamquam monstrum respexerat, cujus vel sola cogitatio terrorem ciet, extremi judicii die illam non timebit amplius; e contra concupiscet illam, invocabit, & tamquam bonorum omnium, quæ sibi accidere possint, maximum existimabit id, quod tamquam malorum omnium gravissimum semper esse putaverat. *Idem P. Massillon.*

Luc. 23.

Sententia a Judice in reprobos proferenda.
Matth. 25.

Angeli, homines, cœlum, atque terra contremiscite expectantes terribilem sententiam a Deo in reprobos proferendam: *Discedite maledicti in ignem æternum. Discedite*, nullus ultra pro vobis Deus est; *maledicti*, nulla vobis ultra spectanda felicitas est: *in ignem.* Jam decretum est supplicium vestium: *æternum*, nullum vobis reliquum esse unquam potest solatium. *Discedite a me*, quæ sententia! *maledicti*, quæ desolatio! *in ignem*, quod supplicium! *æternum*, quæ desperatio! *Discedite a me.* Proh Deus, non igitur amplius te peccator videbit! *Maledicti*; ille igitur semper erit tuæ indignationis objectum? *in ignem*; ecce jam suppliciorum omnium crudelissimo traditur! *æternum*, nihil ergo iram tuam lenire unquam poterit! *Idem.*

Quam terribilis erit judicii dies.

Heu! Dies iræ, & indignationis, quam horribilia nobis spectacula objicies, cum sole eclypsi laborante, syderibus luce carentibus, luna cruore suffusa, mari fluctuum suorum furore irritato, Cœlis susque deque subversis, unus tantum supererit homo in conspectu Judicis sui? *Quantus tremor est futurus*, hac de re canit Ecclesia! Ad tale spectaculum quis pavor erit, quis terror! Sed quanta pavoris accessio fiet, cum videbit peccator se ab inferis excitatum, ut omnes cogitationes, desideria, actiones, & excusationes suæ ad examen vocentur! *Mors stupebit, & natura*, ipsa quoque mors terrore perculsa obstupescet, nec sine fremitu accedere poterit ad Domini, Deique sui tribunal. *Juste Judex ultionis donum fac remissionis*: Novimus, Domine, te æquissimum esse Judicem, ac non pati quidquam impune abire, ubi de tua agitur gloria; sed hæc una consideratio misericordiæ tuæ aliquam adhuc spem nobis reliquam facit; ideoque speramus adhuc te nostri esse misertorum. *Ingemisco tamquam reus, culpa rubet vultus meus*: Scio me reum esse, ideoque ad pedes tuos provolutus lacrymas fundo; confusus sum, & facies propter scelera mea rubore suffunditur: sed quamquam per me nequeam obtinere misericordiam, spero adhuc tamen fore ut bonitas sua illam mihi elargiatur. *Idem.*

Si ritè, serioque cogitare vellemus horribiles hasce extremi judicii circumstantias, quid non efficeremus in hac vita, omnem illius horrorem evitaturi? In nobis situm est justarum ultionum cursum inhibere pœnitentia, & gemitibus nostris; contritio nostra potest adhuc utilis, & salutaris esse, donec in hac lacrymarum valle versamur; sed cum erimus coram Judice nostro ad terribile ejus Tribunal, extremam audituri sententiam, heu, nulla nobis spes erit reliqua? Maturatò igitur ea, quæ impendent, mala prævertere contendamus. *Idem.*

Quid consilii capiendum sit Christiano extremum cogitanti judicium.

Domine, ajebat David, *confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui.* Timeamus ergo, quandoquidem timendi tot nobis suppetunt argumenta. Hoc in mundo hominum judicia timemus, & veremur, ne forte male apud illos audiamus; at videamus, utrum magis metuendum sit judicium Dei, qui adeo potens est, adeoque in nos irritatus. *Idem.*

A Deo petendus est judiciorum ejus timor.
Psal. 118.

Propheta Nathan dixit David: *Tu fecisti abscondito: Ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, & in conspectu Solis.* Ecce, quid accidet, Auditores, die ultionum Domini: tu cupiditatis tuæ illecebras secutus es, quacumque ratione per fas, & nefas ditescere festinans, avaro dicet; *Tu fecisti abscondite.* Tu inania desideria tua injusta elatione pavisti, ambitioso dicet; tu tibimet plaudisti, & exigua merita ostentasti, tu nihil intentatum reliquisti, dolos omnes adhibuisti ut perderes inimicum, ut competitorem de ponte dejiceres eamdem, ac tu, ambientem dignitatem: *Tu fecisti absconditè*, dicet ambitioso; sed ego gentibus omnibus revelabo, quod æternæ oblivionis caligine obrutum iri putabas: *Ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, & in conspectu Solis. Idem.*

Revelabit Deus in facie mundi totius, quidquid in secreto fuerit patratum.
2. Reg. c. 12

Ergone fieri potest, ut Filii Dei præsentia hominibus terrorem incutiat? Quid? quod Martyribus rotas inter & eculeos solatio fuit, quod Sanctos Pœnitentes in desertis confirmavit; quod quotidie, cœnobitas in ipsorum austeritatibus recreat, nonne unica spes est JESUM CHRISTUM videndi? Nonne hoc unum illud objectum est, quod Beatorum felicitatem constituit? *Ostende faciem tuam, & salvi erimus?* Adorabilis JESU CHRISTI præsentia quo magis Sanctorum felicitatem, eo magis peccatorum infelicitatem constitues. *Quis stabit ad videndum eum?* Heu perterritus exclamat Propheta, quisnam ultoris Dei adspectum poterit sustinere? *Essais de Sermons.*

Salvatoris præsentia peccatoribus formidabilis.
Malac. 3.

Magna autem hac die, quam Scriptura diem iræ, atque ultionum Domini appellat, præ cæteris metuendum erit, quod Dei misericordia, & amor, quo Salvator homines prosecutus est, non solum erunt potissima causa, verum etiam justissima irarum, & ultionum ejus mensura. Etenim heu! quousque hæc evadet mensura! Tantum oderit, quantum amavit; ac quo usque illius erga peccatores amor processit? illos amavit plusquam bona sua, requiem suam, vitam denique suam, quandoquidem non dedignatus est hæc omnia amori ejusdem posthabere; poteratne longius amor ejusdem procedere? Huc usque procedet & odium. Quousque illius beneficia evaserunt, eo usque & ultio desæviet. Proh terribilem, sed justam mensuram! *P. Nepveu Tomo 4. Christianarum Considerationum.*

Dei Filius quo magis erga homines misericors fuit, eo magis severus erit in hoc judicio.

Non satis erat ergo amor Dei, Sanctus Augustinus ajebat, ut peccatum evitaremus? Oportuit erat ut ad deterrendos Fideles minæ gravissimæ adhiberentur? *Timor in adjutorium amoris excitandus fuit.* Saltem si metus id ageret, quod amori esset agendum, minus dolendum esset; illud verò maximè deflendum est, quod hodierna die eousque omne fere sensum amisimus, ut non timore magis, quam Dei amore moveamur, &

Judicii cogitatio efficere debet ut peccatũ evitemus.

quæ

quæ maximè terribilia sunt, nihil fere corda nostra permoveant; hoc tamen facere aggredior extremi judicii vobis proponens imaginem &c. *Essais de Sermons.*

Secundum Christianæ Religionis legem judicabimur.

Præter legem naturalem, quæ mihi cum infidelibus communis est, lex erit Christiana, secundum quam judicabor: Christiana lex adeo inviolabilis in veritatibus suis, adeo pura in morum disciplina, adeo severa, & sancta in præceptis; teporis & laxationis adeo inimica, affectibus meis, amorique proprio adeo contraria; pravo vivendi genere adeo coinquinata; lex hæc me judicabit; ad hujus adeo sanctæ Religionis trutinam totius vitæ meæ ratio appendetur. Frustra meipsum excusare conabor; illa sese totam oculis meis explicabit: ecce quid tibi faciendum erat; numquid fecisti? Ecce, quid pollicitus fueras, numquid præstitisti? Frustra ab illius provocabo judiciia; illa suprema erunt, & decretoria; ad illam me remittet Deus; neque secundum alia principia judicabor. *Joly Tomo 2. Propositionum.*

Deus in hoc judicio puniet, quod humana justitia vel ignoraverit, vel impune reliquerit.

Humana justitia Tribunal est a Deo ipso constitutum tamquam justitiæ suæ supplementum; omnis potestas a Deo est; hic illam communicat hominibus, ut hi primi sint vindices injuriarum ejus; Verùm bona fide fateamur; quàm lenta est hæc humana justitia, quàm ignava, & sæpe etiam quàm suæ studens utilitati, vel potius eorum, quæ aguntur, ignara? Modò imbecillis Magistratus ignavia virium vel probat, vel tolerat; modò cupiditas, aut favor illud vel dissimulant, vel imminuunt; sæpe oratorum facundia illud coloribus inficit; nonnumquam hypocrisia illud abscondit. Interim scelus abit impune, scelestusque triumphat; quamvis digito notetur ab hominibus; tamen tranquillè gaudet fructu sceleris sui, & æquè insultat & iis, quos per injustitiam miseros fecit, & Judicibus, quos delinitos argento fecit injustos. Vox tamen pauperis oppressi, innocentis lacessiti, viduæ desolatæ, pupilli ad mendicitatem redacti, sanguis Abel innocui homicida effusus dextera, direptæ Provinciæ, atque ab avido usurpatore vexatæ gemitus in Cœlum ascendunt. Verùm si per christianam charitatem modò non licet ultionem exposcere, vel si ita per summam tyrannidem premimur, ut ne conqueri quidem audeamus; tunc vox de justi Judicis solio dilapsa justitiam deposcet: *Judica illos Deus*. Ulciscere nos, Domine, eam redde nobis justitiam, quam in terris Judices nobis reddere detrectarunt: *Vindica sanguinem sanctorum tuorum, qui effusus est*. Vindica egenum hunc opificem, cui inauditis iniquitatibus substantia, & sanguis ereptus fuit. Vindica miseram viduam, in quam omne publicorum onerum pondus declinatur. Vindica puellam, quam barbari fratres de paterna hæreditate deturbarunt. Humanæ justitiæ perfugium hodierna die miseria omnibus ferme interclusum est; sed tunc omnibus ad justitiam Dei patebit; liber tunc omnibus erit aditus; omnium gemitus exaudientur, ac statim singulis perfecta reddetur justitia. *Sermo Manuscriptus.*

Psal. 5.

Quod in Cõfessione fateri puduit, omnibus in judicio aperietur.

Pœnitentiæ tribunal est tribunal juridicum a Domino constitutum, ut hominibus locus præberetur evitandi criminum suorum in extremo judicio damnationem. Eorum, quæ in secreto hoc judicio remissa fuere ne minimum quidem remanet vestigium; peccata omnia, quæ pœnitentia remisit, delentur, & in corde Dei, & in peccatoris conscientia; verum est dicere, propriè loquendo, extrema ea die nihil judicandum fore ea iia, quæ in hoc christianæ reconciliationis tribunali remissa fuere. Sed heu! quàm rarum est omnia ad illud afferre. Instituti mei ratio non postulat, ut hoc in loco invehar in eos, qui hoc Sacramentum polluunt; vel in eos, qui rationes quasdam commiscuntur ad leniendum adeo salubre judicium, quod ipsis nimis severum videtur. Uni tantum inhæreo considerationi, quæ ad meum pertinet argumentum, eos omnes; videlicet, qui hoc misericordiæ tribunal effugere conati sunt, extremi judicii die inventuros, sed longè magis terribili ratione, quod evitare voluerunt Dominici Magistri judicium subire detrectantes. Hoc autem in aliis quidem fuit pudor aperiendi cor suum; in aliis verò timor nimis severum Judicem inveniendi. At novissima illa die nihil peccatori turpius erit, quam conscientiæ suæ manifestatio, & revelatio eorum, quæ in sacro Confessionis judicio vel celata, vel dissimulata fuere; hæc enim corda, quæ malus pudor conclusit, tunc palam aperientur. Vir perleget in corde impudicæ conjugis turpia nequissimæ infidelitatis consilia. Mater in conscientia filiæ videbit novas artes, quibus est usa ad illius vigilantiam fallendam, & omnia ejusdem occulta commercia cognoscet. Amicus in amici infidelis corde videbit &c. Nonne præstitisset sincera confessione sua aperire peccata atque vero dolore eorum quoque vestigia delere, ne viderentur extremo die, alioquin tunc omnibus hominibus detegenda? Sed timor obstitit, ne nimis diligens minister occurreret. Sed heu! quinam tunc Judex invenietur? Sapientissimi Parisiensis Episcopi sententia est, quemadmodum Sacerdos in hac vita irritati Dei vice fungitur, *Pro Dei indignatione fungitur*, ita JESUM CHRISTUM in extremo adventu Sacerdotis locum tenere, & si hic nimia usus fuerit indulgentia, illum traditam ab hoc absolutionem antiquaturum esse, & abrogaturum. *Vice Sacerdotis fungitur. Idem.*

Dei Filius judicii die eadem forma apparebit, qua in terris visus est.

Cum Dei Filius super nubes ad homines judicandos descendet, sub eadem forma apparebit, qua homines illum in terris viderunt. Hæc circumstantia iræ ejusdem terrorem nobis debet incutere. Homo hic, qui male habitus fuit, conviciis, & contumeliis affectus, per summam indignitatem, furoremque crucifixus, agnoscetur ab illis, qui illum contumeliis, & verberibus affecerunt. Postquam fuit credulitatis eorum ludibrium, ecce illorum factus est Judex; quid ab illius ultione ipsis timendum non erit? De illius divinitate dubitare non poterunt, ideoque neque de ejusdem omnipotentia, & justitia dubitabunt. Quæ confusio! quæ desperatio! Illis subeundum esse judicium Dei, quem tamquam terræ vermem, tamquam scelestum misericordia, immo etiam luce indignissimum contempserunt. Messias hic, cujus nomen blasphemastis, doctrinam detestati estis, sanguinem effudistis, qui improbissimæ invidiæ vestræ, & irreconciliabilis odii objectum fuit; in quem crudelis iniquitas vestra desæviit, ultionem parat; jam ultionis tempus advenit. Olim adeo patiens, ut vestras ferret calumnias, atque tormenta, quibus illum damnastis, jamjam justam indignationem suam evomet. Olim adeo infirmus, ut militum, carnificumque non adversaretur insultibus, jamjam suas vires, suumque robur ostendet. Olim mutus, quin contumeliosis quæstionibus, nefariisque clamoribus responderet, illum audietis tamquam summum sortis vestræ arbitrum disserentem. Si patitur terror, ut oculos aperiatis, illum respicite: hic idem ille est JESUS CHRISTUS, quem inter latrones positum turpissimæ cruci affixistis; jam vos e sepulcretis eduxit, jam ad suum tribunal coegit: quam misericordiam sperare potestis a Judice, qui de hostium suorum fato disceptaturus est, & qui justitiæ thronum ascendit, qualis coram vestris Tribunalibus stetit? Quandoquidem agnosci vult a peccatoribus, a quibus indignissimè læsus fuit, illis proculdubio parcere non vult. Heu quot iniquitatum, dolorum, contumeliarum, crudelitatum ultio ab illo reposcenda est? *Liber cui titulus: Remarques sur divers sujets de Religion, & de morale. Ubi agit de extremo judicio in tomo tertio.*

Dei Filius in hoc judicio tam-

Dei Filius homines judicans tantum severus erit, quantum fuit lenis, cum ab hominibus judica-

tam severus erit, quantum misericors fuit in terra.

dicaretur; Tacuit ille, cum prodire debuit tamquam reus; quippe venerat, ut pateretur; loquetur, quando apparebit, ut Judex, quia veniet de æterna sorte nostra decreturus. Ejus erga inimicos justitia æquabit, ne quid terribilius dicam, inimicorum erga ipsum injustitiam. Quis sibi fingere potest scelus æquè atrox, ac Judæorum? Quis sibi fingere judicium æque terribile, ac JESU CHRISTI? Siluit ille coram persecutoribus suis, ut tamquam Dominus ad persecutores suos loqueretur; a Judicibus suis damnatus fuit, ut vicissim Judices suos condemnaret; a tortoribus probris, verberibusque affectus fuit, ut ipse quoque illos æterno damnaret supplicio. Hoc erat ejus consilium salvandi eos, rei formam accipiendo, os claudendo, cum dicteriis peteretur, & per crucis supplicium moriendo: illi interierunt: nocentium calamitas eorum iniquitati, & JESU CHRISTI severitas ejusdem par erit patientiæ. Iniquitas, & patientia longius procedere non poterant; usquequò Judicis severitas, & rei miseria procedent? *Idem.*

Interest extremum haberi judicium.

Ita proculdubio, interest judicium fieri, ut divinæ Providentiæ erga homines ratio probetur, atque explicetur mysterium hoc, quod tantum negotium facessebat Davidi, & quod plerique etiam fidelium non poterant intelligere. Mortales afflicti, qui summa cum follicitudine quæritis aliquando malorum vestrorum causam, & quibus stupor incedit, quod innocentia vestra vos minime tueatur ab adversis, quæ peccati dumtaxat pœna, ut videtur, esse deberent. Vobis extrema ea die ostendet Dominus, se neque scelus sine pœna, neque sine præmio virtutem relinquere, ostendet etiam satis amplum vos fidei vestræ fructum recepisse, cum nova subinde illius fecit pericula, & numquam severiùs in peccatores ipsum animadvertisse, quam cum illis suffragari visus est. Tunc o Deus universum mortale genus congregatum adorabilem tuam providentiam venerabitur; tunc prædestinati omnes illam laudibus celebrabunt, atque cum Davide clamabunt: *Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala.* O dies felices! quibus humiliati fuimus. Infelix prosperitas, cui tantopere invidimus. Quis cogitasset unquam te esse miserationis objectum; quis persuadere potuisset impiis, te esse omnium flagellorum eorumdem perniciosissimum? *P. de la Colombiere Sermone 55. hujus argumenti.*

Ps. 89.

Manifestabit tunc Deus omnes iniquitates.

Magno hoc in cætu aperientur libri, videlicet omnes conscientiæ detectæ; ita ut nemo ignorare poterit causas, propter quas Deus hos quidem absolvet, alios damnabit. Effundet ille super omnes homines lumen adeo vividum, atque penetrans, ut videnda omnibus pateant secretissima peccata, abditissima consilia, actiones, quæ tanta cura hominum cognitioni sublatæ fuerunt, ut in ipso etiam Pœnitentiæ Sacramento expressæ non fuerint. Radius hic in lucem proferet totam hypocritæ vitam, qui sub præclara specie animam adeo corruptam celavit; ac vetera revelabit crimina quorum memoriam tempus delevit. Exponet oculis consanguineorum, amicorum, inimicorum, bonorum, malorumque omne nefas, omnia iniquitatis mysteria; ostendet vota omnia, quæ ille concepit, omnes illius conatus, gesta omnia, tempus, locum, & omnes circumstantias, quæ turpissimæ habentur. Omne genus humanum fiet tamquam nequissimarum rerum testis; quilibet erit eodem in statu, in quo esse solet, qui ex improviso deprehenditur in scelere; qui cogitur, omnem haurire confusionem, quæ peccato debetur, quin aliquid valeat inficiari, quin ne verbum quidem audeat proferre, ut se ipsum purget, quin vel sperare possit veniam, vel facti infamiam evitare. *Idem.*

Deteget Deus peccatoribus fœditatem peccati, omnemque illius deformitatē aperiet.

Dominus, qui miseros opprimet infinita propemodum multitudine flagitiorum, quæ exprobrabit illis; Dominus, inquam, simul peccati fœditatem aperiet, improbitatem exaggerabit, ingratitudinem, nequitiam, pertinaciam, impotentiam peccatoris adeo vividis coloribus exhibebit, ut peccator sibimetipsi non ferendus erit, ut Sancti, qui se nonnisi levibus erratis, iisque dimissis, & per pœnitentiam deletis, obstrictos sentient, Sancti, inquam, præ metu totis artubus contremiscent, dubitabunt de judicio, quod sibi expectandum erit, & credent præclarè secum agi, nisi æternæ morti addicantur; quia videbunt errata sua licet levissima, longè alia esse, quàm existimabant. *Idem.*

Ita proculdubio, universali opus est judicio, quo hæc omnia judicia corrigantur, judicio quo reparetur honor tot innocentum, totque Sanctorum, qui per summum nefas calumniis appetiti fuerunt, quo præventiones omnes evertantur, quo error auferatur illis, quos falsus rumor fefellit, illis, quos invidia, aliique excæcarunt affectus, illis, qui externæ speciei crediderunt, qui bonos impiorum funiculo metiti sunt, qui ex uno de omnibus judicarunt; qui de aliis ex semetipsis judicium tulerunt. Verbo, judicio, quod in lucem proferat omnem veritatem, eaque reparet gravissima damna, quæ hodierna die parit obtrectatio, vitium, quod ubique grassatur, quod omnia corrumpit, & quin virtuti saltem parcat, in illam potissimum ferri videtur. *Idem.*

Universalis judicii necessitas.

Ipsi per se, Fideles, pseudo sapientes isti, & spiritus arrogantes, qui Dei opera redarguere ausi sunt, suaque consilia proponere circa divinæ Providentiæ rationem, hi sapientes, qui omnia se scire gloriantur, præter JESUM CRUCIFIXUM, summa hæc ingenia, quæ sibi per industriam fortunam ipsam subjecisse putant; Ipsi, inquam, per se errorem suum fatebuntur, atque tunc pallentes, confusi, perterriti, rubore suffusi, rabie, atque desperatione acti, clamare cogentur: *Ergo erravimus a via veritatis, & justitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis.* Ergo nosmetipsos fefellimus cum luminibus nostris; nos in primis principiis deerravimus, & tamquam pueros nos gessimus, ac insipientum more vitam traduximus. Quid per imprudentiam secuti sumus? Fatigati sumus in via iniquitatis, & per difficiles spinosasque vias ad interitum nostrum cucurrimus. Nullam veram voluptatem percepimus; omnis dignitas nostra tamquam umbra evanuit; ex tot bonis nihil nobis est reliquum præter crudelem recordationem longe deteriorem paupertate, quam tantopere horrebamus. *Idem.*

Mundi sapientes confundentur, & errores suos confitebuntur.

Sap. 5.

Salvator coram universo mortalium genere causam suam probabit, hominesque ipsos testes vocabit, per se non stetisse, quominus omnes homines salvi fierent: *Judicate*, dicet illis, *inter me, & vineam meam, quid potui facere, & non feci?* Aliquidne pro eorum salute facere potui, quod minimè fecerim? Pro vobis corpus assumpseram, inquiet reprobis; pro vobis illud immolari, & illud ipsum sacrilegiis vestris millies prophanastis. Sanguinem meum ad extremam usque guttam pro vobis effuderam, vos autem sceleribus vestris conculcastis illum; cor habebam, & hoc quoque transfossum fuit, ut amoris mei videretis effectum, simulque, ut vobis præberetur asylum; at vos ultro ab eodem procul recessistis, meque ex corde vestro ejecistis. *P. Nepveu Tomo 2. Christianarum Considerationum.*

Salvator quomodo reprobos exprobrabit.

Quam terribilis erit sententia a Deo salvatore profecta? Quam gravia erunt tela ex crucifixis manibus illis prodeuntia? Hæc non fulgura tantum erunt, sed fulmina ex fulgidissimis vulneribus egressa ad ingratos peccatores conterendos, qui toties sceleribus suis illa refricarunt. Quisnam sustinere poterit, inquit Propheta, adeo justæ indignationis effectus? *Idem.*

Quam terribilis erit sententia contra reprobos.

Eheu, Domine, confige carnes meas timore terribilium judiciorum tuorum; altius menti meæ imprime confusionem tunc coram omnibus hominibus subeundam, cum in oculis eorum meam deteges ignominiam cum iis circumstantiis, quæ maxime ruborem injicient. Eheu Domine; ego,

Judicium hoc quam metuendū sit nobis.

qui tam ægrè uni tantum homini, quem omnia divina, humanaque jura secretum servare jubent, cor meum aperio; ferrene potero mundi totius adspectum in me præsertim intenti? Imprime nunc in animo meo hujus confusionis ideam, ut nihil faciam, propter quod mihi sit aliquando erubescendum, coram te in judicium prodeunti. *Pat. Cheminais; In sensibus pietatis.*

Reproborũ terror, cum illis in Judiciũ erit prodeundum.

Quisnam terror reprobos invadet in Dei judicium prodituros? Iterate, immortales flammæ, vim vestram, atque solatium aliquod se nactos putabunt, si hoc supplicii augmentum efficere poterit, ut Judicis sui adspectum effugiant. Verum nequaquam: Videndus illis erit hic Judex, quem toties contempserunt, cujus minas adeo parum extimuerunt, cujus auctoritatem, atque potentiam tandiu flocci fecerunt. Thronus, ubi pro tribunali sedere debet, jam positus est; Angeli, qui mortuos in hoc formidabile judicium evocaturi sunt, illis jam buccinis clangunt, de quibus loquitur Sanctus Paulus: sepulcra ubicumque aperta sunt, cineres dispersi coalescunt, iterumque corpora efformantur, receptura animas, quarum domicilia fuere. Jam dies advenit: Proh quanta erit Sanctorum lætitia! Sed quantus eorum mœror, qui corruptam carnem induent, ut in hac ipsa videant Judicem suum, qui Salvator suus esse debebat, nisi irritum effecissent, quidquid pro illorum salute fuerat operatus. Tunc illi clamabunt: *Montes cadite super nos. P. Aurelianensis. Sermone hujus argumenti. Tomo 1.*

Impii judicium extremum vel minime credũt, vel imbecilla fide credunt.

Impii sese confirmant hac in vita contra ea omnia, quæ fides de extremo judicio illos docet. Plurimi id parum credunt; longe plures id rarò cogitant: quidam magnitudinis, qua circumsepti sunt, fulgore decepti, sui sensim obliviscuntur, & quoniam supra aliorum caput se vident elatos, vivunt, quasi nemini actionum suarum essent rationem reddituri; alii insana audacia furentes timorem omnem ejiciunt, illum imbecillitatem rati, atque gloriæ sibi vertentes, si eodem sint vacui. Hæc omnia ad supremi Judicis adspectum cessabunt. Reprobi olim illam habebant fidem, propter quam dæmones contremiscunt; tunc propriis oculis fidei hujus objectum intuebuntur; illius tantum ideam habebant, illam mox videbunt; eam nonnisi per effectus justitiæ, & potentiæ illius cognoscebant, tunc potentiam, & justitiam hanc in ipso fonte conspicient; iram illius non noverant, nisi ex flammis, quibus urebantur; illam in ipsius Judicis facie, immo etiam in corde videbunt. *Idem.*

Ad hoc tribunal provocatĩ erit ab omnibus judicis injustitiis, quæ in mũdo lata fuere.

Ad hoc tribunal supremum erit provocatio ab injustis omnibus sententiis, quæ ob inanes caussas, fictosque prætextus feruntur in mundo. Ibi jura diligentissimè ad examen vocabuntur, & merita ad unguem cognoscentur; ibi falsi Judices veri fient rei; ibi probabitur, quidquid temere damnatum fuit, atque damnabitur, quidquid fuit per ignaviam probatum; ibi sexcentæ aperientur artes nobis ignotæ; ibi fucatæ virtutes, a solidis, veræque perfectiones a fictitiis secernentur. Verbo; ibi laudibus excipientur illi, qui probris petiti fuerunt, probrisque cumulabuntur, qui excepti fuerunt encomiis. Injusti meritorum arbitri; ibi gloria, quam perperam distribuistis, vos in æternum destituet; ibi honor, quo malè adeo estis abusi, vobis in æternum probrum immutabitur; ibi de omnibus iniquis judiciis vestris judicabimini, & de contumeliosis suffragiis vestris pœnam referetis. Tunc mentis vestræ patebit infirmitas, quæ fictis se illudi meritis passa est; cordis vestri innotescet ignavia, quod inanibus pollicitatiunculis se falli & exiguis lucellis corrumpi permisit. Injusti gloriæ possessores; ibi eadem cum dedecore exuemini; ibi cum vestri nominis nota abditæ patebunt viæ, per quas ad honores obrepsistis, secretæ fraudes, quibus usi estis, injustitiæ, & infidelitates, quas commisistis; indigna, & abjecta officia ad quæ vos demisistis; fœda obsequia, turpiaque pacta, quæ amplexi estis; verbo omnia injusta consilia, quæ inivistis seu ut alios subornaretis, seu ut alios supplantaretis. *De la Volpilliere in Collectione Orationum Gallicæ Accademiæ Oblatarum anno 1675.*

Justi in hoc extremo judicio recipient gloriam quam meriti fuere.

Vos, quibus jure aliquo gloria debetur, ne animos despondeatis, si illam vestro cum detrimento aliis tam indignè distributam inspicitis; tempus aderit, quo illam multo cum fœnore recipietis. Deus, qui verus est illius arbiter, ac justissimus distributor, multò majorem vobis conferet partem, ea quam homines vobis auferre possunt: Omnia merita vestra descripta sunt in libro illius; omnes virtutes vestræ delineatæ sunt in mente ejus, omnes actiones vestræ, quæ laude sunt dignæ, sunt oculis ejusdem præsentes. Nihil facitis, quod illum fallat, & quò magis in bonorum operum exercitatione hominum adspectum fugitis, eò magis illius laudem meremini, eò digniores præmiis ejusdem vosmet præbetis, atque ille vobis immarcescibiles gloriæ coronas præparat. Nonne justum est acquiescere huic Providentiæ ordini cupientis merita vestra latere, ut majori cum luce detegantur, illa ad breve tempus in tenebris continere volentis, ut majori pompa in omnem æternitatem refulgeant, eaque levibus in hoc mundo probantis adversitatibus, ut in altero nobilius immortali gloria coronet? Qui superbè in terris vos despicebant, vel qui status sui amplitudine ita præ vobis enitebant, ut ne oculos quidem demittere dignarentur vos inspecturi, oculos, vocemque attollere cogentur, ut in statu adeo diverso vos intueantur, atque adeo mirabilem suspicientes mutationem exclament: Nos insipientes, arbitrabamur nostrum duntaxat honorem esse, atque decus, illos verò omni prorsus gloria carere; attamen ecce principes obtinent in aula cœlesti gradus, sunt amici Dei, hæredes regni, honore & gloria circumdati. *Idem.*

Metus omnium creaturarum hoc judicii die.

Cum terribilis tubarum clangor omnes homines de sepulcris excitaverit, eosque ex omnibus terrarum plagis in celeberrimam vallem coegerit, audituros quodnam futurum sit fatum suum in omnem æternitatem; nemo asserere potest quinam futurus sit terror, trepidatio, tremor, triste silentium attonitæ multitudinis, irrevocabilem sententiam præstolantis. Scriptura inquit futurum ut homines præ timore exarescant, potestates Cœli, & fundamenta terræ, hoc est sancti quoque, & Reges ita perturbentur, ut ubi fuerint, nesciant, omnes trepident, atque contremiscant illi etiam, quibus nulla erit caussa timendi: *Arescentibus hominibus præ timore, & expectatione &c. P. de la Colombiere Sermone secundo de extremo Judicio.* Luc. 21.

Confusio, quæ peccatorum manifestationem sequetur.

Si eo, quo loquor momento, secretum, ac turpe scelus cujuspiam eorum, qui adsunt, magna hac in concione evulgaretur, nonne verum est, huic homini optatius futurum, ut sub pedibus ejus hisceret terra? Nonne verum est, hoc unum sufficere posse, ut præ confusione moriatur? At hoc peccatum, quodcumque tandem illud sit, in judicio revelabitur iis omnibus, qui hic adsunt, & præterea universo mundo. Quid tunc efficiet hæc mulier, quæ in æternum damnari mavult, quam Confessario suam aperire imbecillitatem? quid de illa fiet terribili eo die? Tandem enim detegetur; omnes, quorum vel iram, vel judicium expavescit, pater, mater, frater, vir, accolæ, domestici, amici, inimici, omnes illius crimen intelligent, omnes actionis hujus circumstantiæ patebunt, & quidquid in eadem turpissimum erit, omnibus fiet exploratum.... Quænam erit mulieris hujus confusio, Sanctus Augustinus exclamat, videntis revelatam apud universum humanum genus turpitudinem suam, si nunc præ dolore decederet, aliquem videns sui sceleris testem? *Qualis erit illa confusio, cum continget pro peccatis suis in conspectu Dei, omniumque hominum erubescere, quis*

nec

nec unum quidem hominem se spectantem vult ferre. Idem.

Discrimen inter primum, alterumque adventum Filii Dei.

Nos docet fides eumdem JESUM CHRISTUM qui in medio sæculorum venit, ne homines salvos faceret, sub mundi finem rediturum, ut illos judicet; verùm docet quoque inter duplicem hunc adventum maximum interesse discrimen. Cum Scriptura de primo loquitur; hic puer est nobis datus, atque positus in præsepio; *Parvulus datus est nobis... Invenietis infantem pannis involutum*; sed in altero, dicit Evangelium, veniet nubibus insidens cum potestate magna, & majestate: *Videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna, & majestate.* Tunc primum nullo comite stipatus advenit; at cum redibit, mille Angelorum cohortibus circumdatus erit, atque omnibus copiis Dei exercituum erit circumseptus: *Et omnes Angeli cum eo.* In nativitate mutus est puer; in judicio rugiens est leo, cujus terribili voce cœlum, ac terra concutitur: *Dominus de Sion rugiet, & de Jerusalem dabit vocem suam, & movebuntur Cæli, & Terra;* Et Sanctus Joannes in Apocalypsi ait, fore ut nemo resistere valeat ejus iracundiæ, & indignationi, & iram hanc in furorem usque evasuram. *Idem.*

Matt. 25.

Joel. 3.

Discrimen inter hunc aliosque judices terræ.

Si oculos in Judice figimus, in eo deprehendimus qualitates, propter quas præ omnibus terræ judicibus maximè timendus est. His sæpe deest, vel lumen, ut verum a falso secernant, vel vis atque constantia, ut Principum conatibus adversentur; vel integritas, cum auro muneribusque corrumpi sinunt; at longè aliud est de Judice, ad cujus Tribunal in sæculorum fine erit prodeundum: quippe tres habet perfectiones tribus Judicum terræ defectibus oppositas, lumen, quod falli nequit, auctoritatem, quæ nequit flecti, integritatem quæ corrumpi, & vitiari non potest. Quis ergo non timeret, si cogitaret se ab eo judicandum, cujus cognitio ad nostras usque cogitationes, & secretissimas intentiones extenditur, cujus supremæ potestati nihil resistere potest; & cujus integritas neque precibus flecti, neque muneribus potest corrumpi? *De la Font Tomo 2. Propositionum.*

Cur judicii die solus crucis, & vulnerum salvatoris adspectus homines perterrebit.

Testantur Patres, si Dei Filius animæ cuipiam se offerret cum spinis, flagellis, cruce, & cruore suo, hoc satis superque futurum ut illa confusione, ac dolore obrueretur, quod adeo ingrata tantis beneficiis extiterit. Itaque docet Sanctus Matthæus, statim ac in sæculorum fine Crux in nube lucida apparuerit, undequaque audiendos esse gemitus, clamores, suspitia, ululatus, ab omnibus terræ nationibus sublatos. *Parebit signum Filii hominis in Cælo, & tunc plangent omnes tribus terra.* Cur hoc? quia videbunt, quousque Divinæ justitiæ severitas in Dei Filium evaserit; & quæ inde illos maneant supplicia. *Idem.*

Matth. 24.

Cogitatio quod scelera nostra aliquando in lucem sunt proferenda nos in officio debet continere.

Si nullum in altera vita expectandum esset judicium, fortasse speraret aliquis silentio, atque dissimulatione hominum existimationem se præripere posse, & peccati sui objecto oblectari. Veni, diceret impudicus infelici mulierculæ, meæ libidini indulge, nemo nos videt, quod infames illi senes olim Susannæ dixerunt, pergamus in agrum diceret aliquis ultionem anhelans, ut olim Abeli Cain; omnes sua scelera absconderent, atque dissimularent. Sed o juste viventium, atque mortuorum Judex! funesta hæc solatia hominibus abstulisti, & deteges hujusmodi hypocrisim severitate, ac rigore examinis in judicio novissimo habendi. Omnes tunc aperientur libri, & omnia coram Deo manifestabuntur: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi. Joly Tomo secundo Propositionum.*

2. ad Cor. 5.

Conscientiarum nostrarũ libri aperientur.

Daniel Propheta, Sanctusque Joannes dicunt, eo in judicio, cui in spiritu adfuerant, libros apertos fuisse: *Judicium sedit, & libri aperti sunt.* Quam admirabiles sunt hujusmodi libri! Quàm a nostris dissimiles! Jeremias inquit: *Peccatum Juda scriptum est stylo ferreo in ungue adamantino.* Quid hoc sibi vult, o Propheta? Quæ narras mysteria? Hic mea quidem sententia verus est horum verborum sensus. Cum peccamus, conscientia nostra, quæ est veluti fidelis Divinæ justitiæ Secretarius, statim hoc in commentariis suis describit, idque in anima nostra indelebilibus imprimit caracteribus. Ne te despicias, peccator; putabas patratum a te facinus una cum voluptate pertransiturum; atque de eodem non esse ultra sermonem habendum; putabas obtrectationem unà cum verbo, & sono vocis abituram, has secretas cogitationes, has noctis, & tenebrarum actiones, abditas hasce proditiones semper in latebris, oblivione, atque silentio permansuras. Verum ex Sancto Ambrosio disce, invisibilem adesse manum omnia peccata singillatim scribentem; vel potius peccata post se vestigia quædam, ac indelebiles notas relinquere, per quas sese prodit eorum turpitudo: *Habet culpa caracteres suos, & apices, quibus proditur.* Donec in vita hac sumus, imperfectè dumtaxat scripturam hanc legimus; namque ab eadem oculos detorquemus, ne ibi ea deprehendamus, quæ ignorare vellemus. Etenim hic sermo est aliis ignotus; notæ sunt, & ænigmata, quorum sensum nesciunt; sed illa die severitatis, & discussionis Dei Filius suum effundet lumen super tenebras, quæ nunc corda nostra contegunt, ac in lucem proferet secreta, atque abditissima mortalium consilia: *Illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium;* inquit Sanctus Paulus Apostolus. Omnes hunc legent chirographum, omnes horum ænigmatum sensum intelligent. Hæ notæ explicabuntur, & peccata, quæ antea non videbantur, accedente hujus solis fulgore, perspicuè dignoscentur. *Sermo Manuscriptus.*

Daniel. 7.

Apoc. 20.

Jerem. 17.

1. ad Cor. 4.

Ejusdem argumenti cõtinuatio.

Quid vobis proderunt artes, quibus utimini, ut fuco quodam injustitias vestras liniatis; hæ tenebræ, quas conquiritis, ut in vestris impudicitiis volutemini; hæ solitudines ubi a nemine videri putatis? Omnia in apricum, omnia in lucem proferentur; quod confessario vestro aperire non audetis, & quod vobismetipsis dicere, vos pudet; non solum Judex vobis ob oculos statuet, verum etiam omnibus hominibus videndum proponet. Quæ tunc erit confusio vestra, quis pudor! *De la Volpilliere, Sermone de Judicio.*

Conscientiæ nostræ aperientur.

Humanum cor, Auditores, & probè nostis, & Scriptura testatur, profundus est Oceanus, impenetrabiles habens voragines, & abyssos; abscondita habet monstra, quæ super aquarum faciem non videntur. Proh Deus! quot sunt in hoc pelago, quæ ignorantur! Sed extremo judicii die, cum cordium nostrorum secreta in lucem afferentur, crederetisne, Sanctus Joannes inquit, Oceanum hunc adeo profundum, atque impenetrabile factum iri tamquam mare vitreum simile crystallo? *In conspectu sedis tanquam mare vitreum simile crystallo.* Ecce quid erit cor hominis, mare crystallo simile; nihil ibi latebit, omnia videbuntur; & quidquid secretissimum erit in corde, uno tantum intuitu cognoscetur. *P. Texier Sermone de Judicio, pro feria secunda post primam Quadragesimæ Dominicam.*

Apoc. 4.

Dei bonitas efficere debet debet ut extremũ hoc judicium timeamus.

Quidnam efficere debet, ut hoc judicium timeamus? Si dixero, nobis terrorem incutere debere bonitatem, & benignitatem, quam Salvator in terris ostendit, ejusque misericordiam, & lenitatem, hunc titulum, & qualitatem Filii hominis, quam eidem tribuit Evangelium: *tunc videbunt Filium hominis*; credetis? Utique; bonitas illa, quæ ipsum ad nostras usque infirmitates, atque miserias demisit, quæ illum impulit, ut cum gloriæ suæ, propriæque vitæ detrimento nos amaret, quæ illum rebus omnibus exuit, ut nos locupletaret; hæc nobis justissimam præbet trepidandi rationem in judiciorum ejus timore. Hæc autem non mea est, sed Sancti Bernardi sententia: *Ut*

Matth. 24.

scires, quanta districtio succedit, tanta illa mansuetudo prævenit, ex magnitudine indulgentiæ magnitudinem ultionis attende. Sermo Manuscriptus.

Quid eo in judicio aperietur.

Lumen, quod tunc Dei Filius effundet, varietatem, mensuram, & scelerum omnium enormitatem ostendet. Malum omne, quod factum fuit; malum omne, quod fieri voluit, malum omne, quod ab aliis fieri passi sumus; bonum omne, quod factum non fuit; bonum omne, quod perperam factum fuit; omnes denique humani cordis sinus, & latebræ apparebunt, & nihil terribilis Judicis oculos fugiet. Cor hominis abyssus est, Sapiens ait; ibi nonnisi caligo, atque tenebræ sunt; sexcenti ibi recessus inveniuntur peccatorum perfugia; quilibet cordis hujus sinus vitii alicujus latibulum est; opus est, ut Deus ipse, qui olim primæ abyssi tenebras dissipavit, recentis quoque hujus abyssi tenebras dissipet: *Abyssum, & cor hominis investigavit.* Veniet dies, qua omnem hanc excutiet caliginem, omnes sinus hos explicabit, ac quidquid ibi latet, proferet in lucem. *In Collectionibus Abbatis de Breteville.*

Eccli. 42.

De scelerũ manifestatione.

Quantumvis omnes industriæ nervos homo contenderit, ut suam vitæ rationem in hominum oculis absconderet, Deus tamen semper ejusdem fuit testis; & hic Deus, qui ejusdem quoque Judex est, eam omnibus hominibus palam aperiet; omnesque, secretissimas etiam, intentiones, necnon levissimas circumstantias prolixa enumeratione, in qua nihil prætermittetur, manifestabit. Tunc agnoscentur falsi Christiani, qui seipsos nequaquam mortificant, nisi ut melius aliquam voluptatem percipiant, vel ut pœnam aliquam vitent. Tunc detegetur nefarii hominis perfidia, qui contra sanctissimas naturæ, atque conscientiæ leges, rei suæ optimos amicos, devinctissimos sibi consanguineos, & quidquid in terris sacratius est, posthabuit. Explicabuntur omnes ambages callidi hominis, qui externam humilitatis speciem mutuatur, ut se ipsum attollat, & evehat. Videbuntur perditiones, & abominationes, quæ homines fefellerunt, & quædam veluti fiet cordium omnium anatome: *Manifestabit consilia cordium*: & sub integumento fictæ generositatis mendacium amicorum, falsæ probitatis hypocritarum, simulatæ moderationis sapientum sæculi terra detegetur perfidia, detestabilis impietas, furor & ultio diabolica. Opprobrium, & confusio neque ipsa æternitate delenda. *Opprobrium sempiternum*, ait Propheta. *P. Dozenne in libro, cui titulus: Mundus a se ipso damnatus.*

1. ad Cor. 4.

Jerem. 23.

Nunc in nostra posituum est potestate extremi judicii confusionem evitare.

1. Cor. 11.

Quæcumque necessitas nos ad universale judicium compellat, nostrum tamen est efficere ne pro nobis judicium hoc fiat: *Si nosmetipsos dijudicaremus*, Sanctus Paulus ait, *non utique judicaremur*; videlicet si bona fide nosmet vellemus excutere secundum exigua illa, quæ nobis suppetunt lumina ac nosmet clanculum accusare, & pro scelerum nostrorum magnitudine, vel potius pro magnitudine contritionis nostræ in nosmetipsos animadvertere, hanc scelerum nostrorum manifestationem, hanc diligentissimam perquisitionem, qua Deus minimas etiam cogitationes nostras in lucem proferet, evitaremus; nosmet tueremur ab ita Judicis, qui nullam habebit rationem talentorum, vel qualitatis personarum, qui nihil ignorabit, & qui nemini ignoscet. *Pat. de la Colombiere Sermone primo de Judicio.*

Confusio, qua propter scelera nostra suffundemur.

Revelabo turpitudinem tuam, inquit Dominus, exuam te magnis hisce titulis, omnemque hanc inanem auferam speciem, ac in tua nuditate videberis. Ostendam universo terrarum orbi ignominiam tuam. Totum studium tuum in hoc positum fuit, ut videteris, quod non eras, & quod esse debebas; atque tuoe dolor tuus erit, videri qualis es, & qualem esse non debueras. Detegentur fraudes hominis illius, qui inanem ostentabat probitatem; turpia, & improba facta illius, qui se generosum esse jactitabat, obscænas illius fœminæ prostitutiones, quæ adeo pudica videbatur; mysteria iniquitatis illius, qui ex pietate sua lucrum quærebat. *P. Nepveu in libro Christianarum Considerationum Tomo 2.*

Confusio quæ hanc manifestationem sequetur.

Si turpe commercium mulieris, quæ pudica videtur, & quæ extrinsecus speciem virtutis gerit; si impudicitia, quam tanta celat arte, ut neque Confessario suo illam audeat fateri, eamque sibimetipsi abscondere velit, agnosceretur a viro, qui illam habet in pretio, ejusque virtutem plurimi facit, quinam esset rubor illius, quæ desperatio! Sed si hoc universæ innotesceret civitati, & quæ apud omnes constanti existimatione fruebatur, generalem subiret infamiam, fieretque scandalum, atque opprobrium ejus Provinciæ, cujus videbatur exemplum, licet illi exigua superesset boni nominis cura, tantum ne ferre dedecus posset? Quinam igitur erit judicii die pudor peccatoris, cum fiet totius mundi spectaculum, cum omnia scelera, omnia opera tenebrarum in totius Mundi facie revelabuntur; cum omnes hominum, omnesque Angelorum, & Dei ipsius oculi in illum conversi secretissimos conscientiæ illius sinus intuebuntur, ibique turpissima ejusdem crimina legent; cum sustinebit judicium, quod de ipso creata omnia ferent, atque se videbit non contemptus solum, verum etiam execrationis objectum? Illius, quem in pretio habemus contemptum ægertimè patimur, quomodo verò universale hoc opprobrium poterimus sustinere? *Idem.*

Hypocrisis, & simulatio locum non habebunt in extremo judicio.

Non deest quomodo coram hominibus, peccata nostra celemus, imminuamus, excusemus; & sæpe etiam ita illa dissimulamus, ut pro virtutibus habeantur. Ita coram Deo nocentes, innocentes sumus coram hominibus, quorum existimationem fallere contigit. Inanes species, callidæ dissimulationes, hypocritæ versutiæ nobis quidem fucum facere potestis, ea favente caligine, in qua istic versamur; sed magno revelationis die non ultra nos decipietis. Fides eadem, quæ docet nobis omnibus prodeundum esse ad supremi Judicis tribunal, ibi operum nostrorum vel præmium, vel pœnam recepturi, docet quoque hæc eadem opera in lucem esse proferenda, ut unusquisque agnoscatur qualis est in corde suo, & ne virtutis persona vitium abuti possit ad injustos honores aucupandos. Suspendite, mortales, judicia vestra, donec nonnisi ex malè tutis speciebus judicium ferre potestis, donec periculum adest, ne virtutem cum vitio confundentes illi injuriam inferatis, donec licet ingenii vestri acumine detegere possitis, quidquid vobis absconditur, plura tamen celamini, quam quæ aperire possitis. Adveniet tempus, quo sine temeritate, atque vosmet decipiendi periculo in abditissimis cordium recessibus scrutari poteritis non actiones solum, quas irrito labore detegere contenditis, verum etiam cogitationes, atque consilia, quæ vobis ab illo aperientur, cui nihil abditum est, nihil occultum. *P. Aurelianensis Sermone de Judicio.*

Consideratio hujus manifestationis peccatorum.

Aliquantisper terribili huic veritati vacate: Omnia peccata mea aliquando palam universo humano generi revelanda sunt: Quot scelera commisi, quæ neque amicorum meorum maxime necessario nota esse velim? Quot ea sunt, quæ ægrè protuli Confessario, a quo ignorabar, & qui divinis, humanisque legibus secretum servare jubebatur? Quot, quorum examen ego quoque perhorrui, & quæ dissimulare conatus sum? Quid erit, cum audiam turpia hæc facinora in totius mundi faciem pronunciari? Quid cum omnes intelligent me improbum, scelestumque fuisse, atque præclara probitatis specie adeo enormia scelera contexisse? Quid, cum omnes agnoscent me sacrilegum esse, atque hypocritam, qui pietatem simulavi, ut impune peccarem? Quid cum omnibus exploratum fiet flagitiosissimum vivendi genus, quod secutus sum; atque deprehendet unusquisque me

sub

sub mendacis verecundiæ integumento nequissima delicta celasse. *Idem.*

Crux, quæ in extremo judicio apparebit. *Matth. 24.*

Inde verò maxima doloris, ac pœnæ accessio fiet reprobis in extremo judicio, cùm signum illud intuebuntur, de quo loquitur JESUS CHRISTUS: *Tunc parebit signum Filii hominis.* Signum hoc juxta Patrum omnium interpretationem Crux est; venerabile nostræ salutis instrumentum, fons uberrimus, unde omnes effluxerunt gratiæ, quæ post primæ gratiæ jacturam, Adæ concessæ fuerunt. Crux hæc, quæ aliis quidem stultitia fuit, aliis verò scandalum, secundum Apostoli verba, tunc apparebit ut reprobos omnes confundat. Videbunt se peccatis suis Filium hominis offendisse. Heu! hùc sane transferri possunt Zachariæ Prophetæ verba, quæ apertius in Sancto Joanne Evangelista leguntur: *Videbunt, in quem transfixerunt*: cogentur oculos in illum figere, quem per inhumanissimum scelus Cruci affixerunt; videbunt crudelia vulnera, quæ eidem intulerunt; saltem gloriosa vulnerum vestigia, quæ adhuc remansere, intuebuntur. Sed Crucis adspectus tunc illis fatalis erit: Hæc sacra vulnera olim gratiarum fontes, non erunt amplius nisi testes contra illos producti, & sanguis quem illi effuderunt vehementiùs, quam sanguis Abel ultionem deposcet, eamque obtinebit. *Pat. Masson Presbyter Oratorii in Sermone Adventus.*

Zach. 12. Joan. 19.

Terror fratrum Joseph, cum hic sese illis aperuit.

Nihil in Bibliis aptius ad terrorem in anima incutiendum invenio, quàm quod Josephi fratribus accidit. Via ingressi fuerant in Ægyptum, cum tamquam exploratores habiti fuere, & tamquam fures in carcerem conjecti. Ad Judicis sui pedes rapti sese prosternunt in terram judicium suum præstolantes, atque ob oculos illud habentes supplicium, quod sibi fuerat intentatum. Illud verò maximum fuit terroris eorum incrementum, atque illos in hanc impulit mentem, ut nullam sibi spem superesse arbitrarentur, quod hæc audierunt verba: *Ego sum Joseph frater vester, quem vendidistis.* Quamquam Sanctus hic Patriarcha summa lenitate fratres alloqueretur, nihilominus testatur scriptura, illos tanto metu fuisse perculsos, ut sensuum usum amiserint: *Non poterant respondere fratres nimio terrore perterriti. Joly, Sermone de Judicio.*

Genes. 45.

Quanta futura sit Judicis ira.

Ira Dei numquam vel major erit, vel magis universalis, quam magna illa judicii die; Primum quidem illam succendent omnia omnium hominum scelera, quæque sæculorum omnium decursu patrata fuere, ita ut ad cumulum usque sit evasura. Torrenti similis erit, qui paulatim se extendit, atque sensim aquis recens accedentibus intumescens tandem ad eam crescit magnitudinem, ut intra fines suos se ipsum continere non valens, aggeres, & valla disrumpit. Cæterum coram se tamquam in generali theatro prodire videbit nocentes omnes, a quibus furor suus fuit irritatus; ita ut, eodem momento ea colliget omnia, quæ locorum, temporumque discrimine inter se erant divisa. Denique furorem ejus magis, magisque excitabit horum nocentium, qui resurrexerunt, intuitus. Ante id temporis in animas tantùm suam exercuerat justitiam; ipsa damnatorum corpora in sepulcretis contumulata illius iram evaserant; sed ubi conspiciet animas de Inferno, & corpora de Sepulcris prodeuntia, tunc in ejus corde sævissima orietur procella. *Biroat in Quadragesima Sermone de Judicio.*

Ejusdem argumenti continuatio.

Cùm hic Universorum Judex ad Tribunal rapiebatur judicandus, solo oculorum conjectu impiam militum manum, quæ ad ipsum capiendum accesserat, fudit, & evertit. Quid porrò faciet pro tribunali sedens, cum pro sudore sanguineo, quem tunc effudit, gloriæ jubar, furorisque fulgura emittet? Esther olim irritatam videns Assueri faciem inter ancillæ suæ brachia viribus deficiens cecidit. Heu! quid ergo reprobus faciet, qui in mundi angulo positus fuit, hunc extremi judicii apparatum contra se institui, procellam hanc in caput suum erupturam cognoscit, & videt se oculis irritati numinis designari tanquam totius severitatis objectum? *Idem.*

Confusio, quæ scelerum manifestationi excipiet.

O dies erubescentiæ, & confusionis, quo omnia cordium secreta revelabuntur, & in lucem afferentur! Si peccatum illud, quod tanta cura dissimulo, ut neque in ipso pœnitentiæ tribunali illud voluerim confiteri, ab aliquibus tantum agnosceretur, nimis parum est dicere, rubore suffunderer, animam efflarem. Quid erit, cum in mortalium omnium faciem proferetur? O dies doloris, & pœnitentiæ, quo reprobus fiet sui ipsius accusator, ac in se ipsum sententiam feret! Crudelis est desperatio in infelicitate sua in semet iram convertere, se ipsum propriis laniare manibus, & sibi mortale vulnus, quod propulsandum esset, inferre. O dies indignationis, atque furoris, quo Dei justitia magnis fluctibus sese in peccatores effundet, quo super illos aggravabit brachium suum, quo illos sine misericordia percutiet, *Pat. Giroust in Adventu, Sermone de Judicio.*

In hoc judicio nulla speranda erit misericordia.

Quid Domine? nihilne sperandum erit abs misericordia tua? Nihil, dicit Dominus, nulla pro vobis erit misericordia; illam funditus exhausistis. Quandiu vos illa est allocuta? Quoties vos vocavit? Quamdiu vos expectavit? Habebat illa terminum suum, & vos tandem ad fatalem hunc terminum pervenistis. Ecce nunc in justitiæ meæ manibus estis, numquam inde elapsuri. Opus est, hoc ubique audiri, & reprobum, quem dereliqui, non alio nuncupari nomine, quàm absque misericordia: *Voca nomen ejus absque misericordia.* Jam detonuit procella, jam contortum est fulmen, malum jam est immedicabile. Peccata vestra me hoc pacto adversum vos immutarunt, peccata iterata, multiplicata, accumulata. *Idem.*

Osee 1.

De peccatorum in extremo judicio manifestationem.

Sanctus Paulus Apostolus manifestationis vocabulo usus est, ut illud imperfectæ opponeret cognitioni. Et sanè quid sibi vult, manifestare? Hoc non solum est vitæ partem, historiæ frustum, distincta quædam vestigia cognoscere, sed omnem facti seriem enucleare; omnia perspicue, atque distinctè callere, ita ut judicaturum nihil fallere possit. Quid sibi vult, manifestare? Non videre solum, quod apparet, & reliqua incertis conjecturis divinare; sed adeo perspicuam facti cognitionem præbere, ut de eodem ambigi ulteriùs non possit. Igitur citra temerarii judicii metum certissimum ferri poterit judicium; immo judicium hoc non ferre non licebit, quia cognitio integra erit & evidens; non unius actionis tantum; sed totius vitæ, quæ ante oculos vestros explicabitur, exprobratio erit sustinenda. *P. Cheminais, Sermone de Judicio.*

Terror, qui nocentes die judicii corripiet.

Si homines coram hominibus contremiscunt? si audacissima quælibet superbia cedere debet; si tandem gravis alicujus Senatus majestas nos opprimit, atque faciei colorem immutat, ubi nosmet aliquo obstrictos scelere agnoscimus; quis erit metus, quis terror cum ad Dei tribunal accersiti prodire debebimus? Ad tribunal, inquam, Dei, quo adveniente Sol obscurabitur, Luna non dabit lumen suum, stellæ cadent de Cœlo, virtutes Cœlorum commovebuntur; terra contremiscet; mare fluctuum suorum agitatione horribilem excitabit fragorem, homines præ formidine exarescent impendentia sibi mala expectantes. Heu quid erit, coram terribili hoc Judice adstare, districtissimam cogitationum omnium verborum, atque actionum rationem reddituros? Possumus nunc quidem hominum justitiam effugere; at tunc Dei justitiam effugere non poterimus. Hic quidem nosmet abscondere, dissimulare, oblatum crimen negare, homines ad lenitatem flectere, delinire, corrumpere licet; verum nihil horum cum terribili Judice facere licebit. *Sermo Manuscriptus.*

Quæ res in hoc judicio nos perterrebunt.

Quàm terribilis erit hæc dies ultionibus Domini destinata? Quem terrorem nobis incutiet lux

illa, qua nos circumdatos intuebimur, negotia, quæ ibi transigentur, ratio, qua ad finem perducentur, actores, qui nos accusabunt, vitæ, vel mortis sententia ferenda! In hoc judicium nobis prodeundum erit, sed quomodo? sine ulla servorum caterva, sine subsidiis, sine patronis, sine ulla nota dignitatis. Quilibet solus erit, sibimet relictus, & quidquid hominum aderit, ad nos minime pertinebit. Reges illuc prodibunt quales erant in naturæ suæ infirmitatibus, omnibusque Regni ornamentis exuti. Victores illi, qui terras nominis sui terrore replebant, ibi in cæterorum turba erunt permixti; virtus una eo die habebitur in honore, hæc una celebrabitur; una laudibus excipietur. *Idem.*

Omnia die illo detegentur.

Negotia quæcumque ab ipsis terrarum primordiis contigerunt, ibi enucleabuntur; ibi Regum, Regnorumque jura aperientur; ibi politiæ omnis arcana detegentur, & videbitur finis, ad quem obscurissima eorum consilia referebantur; ibi invenientur chirographa, acceptilationes, testamenta, quæ vel suppressa, vel supposita fuere; ibi producentur syngraphæ, quæ in litibus subtractæ, vel omissæ, vel ementitæ fuerunt; ibi adulterati videbuntur codices, ibi eorum, qui propter potentium virorum favorem oppressi fuerunt, lis ad examen revocabitur, & sententia, quam favor, metus, indulgentia, avaritia extorserunt, ad trutinam appendetur. Pauperes sub injustitiæ pondere oppressi theatrum ascendetis, ubi probitas vestra coronabitur; atque extrema afficientur ignominia illi, quorum cupiditati mactati fuistis; ibi tandem cum fœnore ea vobis reddentur, quæ cum injustitia vobis prærepta fuerunt. *Idem.*

Exprobrationes quas Judex in reprobos jaculabitur.

Judicis adspectus reprobis æquè terribilis videbitur, ac Infernus. Tunc enim exprobrans illos vivido, acerrimoque vocis tono, ac oris habitu ad iracundiam composito dicet illis: Oculos vestros in meum corpus figite; in antecessum æternæ mortis sententiam in illo perlegite. *Videtis vulnera, quæ inflixistis*, illum ita loquentem Sanctus Augustinus inducit. Videtis Crucem hanc olim adeo turpem, modò verò præclarum triumphi mei trophæum? Vos me huic affixistis: *Ecce hominem, quem crucifixistis.* Videtis hoc latus? hoc vos confodistis: *Agnoscitis latus, quod pupugistis.* Hoc crudelibus manibus vestris aperuistis, neque tamen illuc ingredi voluistis. *Quoniam per vos apertum est, nec tamen intrare voluistis.* Videtis sanguinem ex omnibus corporis artubus emanantem, vos illum haufistis. Infelices cur bis omnibus nequaquam utimini, ut me deliniatis, atque ad misericordiam permoveatis? Quid ego ardentius facere optabam? quid vos mihi jucundius facere poteratis? Hæc idea, quæ JESU CHRISTO memoriam excitabit infinitæ ipsius erga homines largitatis, & quomodo hac illi fuerint abusi, nova erit ratio, quæ etiam atque etiam oleum camino addet, & justissimam illius iracundiam provocabit; & reprobi ferre minime valentes acerrimas ejusdem exprobrationes sub montium ruinis, & in ipsis inferorum flammis tumulari desiderabunt. *Idem.*

Supremus Judex omnia in terribili hoc judicio ad examé revocabit.

Peccatores, qui nunc peccata vestra latere putatis, Judex hic omnes cordis vestri recessus scrutabitur, illuc ultrices iræ suæ flammas illaturus; aperiet hæc dealbata hypocritarum sepulcra, ut in lucem ossa, atque putredinem illorum afferat; personam auferet fictæ pietati, ut illius turpitudinem, atque deformitatem ostendat; sine misericordia judicabit infelicem Judicem, qui divinæ in terris justitiæ minister, eadem abusus est, ut pauperem, cui patrocinari tenebatur, opprimeret; requiret in dextera, quæ tot injustas signavit sententias, sanguinem viduarum, & pupillorum, quos humanis respectibus, quibus sese mancipaverat, ille mactavit; enumerabit illi omnia squaloris, & luctus momenta, quibus in carcerum caligine calamitosos homines detinuit, quorum innocentia per ejusdem incuriam unà cum libertate fuit contumulata. In districto hoc examine, in quo justitias quoque ad trutinam revocabit, nobis fortasse tamquam abominationes coram se ostendet, ea quæ nos virtutis opera credideramus; tamquam tenebras fortasse id, quod in nobis lucem putaveramus; atque per omnes amoris proprii illusiones, quas modo ignoramus, nobis aperiet corruptas causas, quæ omnes speciosas virtutes nostras in ipsarum origine polluebant . . . Quò igitur ibo, aut ubi me abscondam in die iræ tuæ? quodnam contra te perfugium inveniam, ubi statues ante oculos tuos innumeras iniquitates meas, quæ tamquam aggesti fluctus supra caput meum attolluntur? *Abbas du Jurry in Sermone pro die Cinerum.*

Sententia a supremo Judice in reprobos proferenda.

Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus, Matth. 25. Quæ sors! quæ permansio! Quis sensus, quæ tunc erit cogitatio hominis reprobi a Deo maledicti, & qui sine provocatione adeo terribili supplicio se addictum videt? Quid? Infernus domus mea est in æternum! Non ero ultra particeps beneficiorum Domini? Nullum mihi ultra jus erit ad gloriam Beatorum! spes nulla? O Deus! quàm terribilia sunt judicia tua! sed ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus: proh quodnam rabiei, atque desperationis incrementum! Non propter me igitur ignes illi erant succensi; illis nonnisi per meum scelus addicor. Eheu! creatus eram propter longè diversum finem; propter Cœlum creatus eram &c. *P. Croiset Tomo secundo recessuum.*

Levis imago extremi judicii in expugnatione Jerosolymæ, & civium cæde per Antiochum peracta.

Nemo unus ignorat cædes, prophanationes, rapinas, & abominationes, quas olim Jerosolymæ fecit Antiochus; post captam urbem inventa fuisse octoginta millia Judæorum cæsa, quadraginta millia capta, totidemque in nundinis, publicisque plateis tamquam mancipia sub hasta vendita; Templum pollutum, aurea, argenteaque vasa, quorum usus erat in sacrificiis, direpta, & thesaurum, ubi mille & octingenta condita erant talenta, compilatum fuisse. Scriptura tamen memorans causam, propter quam sævissimam hanc internecionem, & hæc horribilia sacrilegia permisit Deus, hanc fuisse ait, quod ille populo suo erat subiratus; *Modicum fuerat iratus.* Si hæc levia sunt signa, & effectus, vel si dicere fas est, exiguæ divinæ indignationis scintillæ; quam terribilis erit desolatio, quæ magnum judicii diem præcedet, atque sequetur, cum totus ejusdem furor erit accensus? cum, ut Propheta loquitur, mittet ante se ignes, & fulmina, ut undequaque suos inimicos comburat, cum emittet fulgura sua in faciem terræ totius, quæ illa videns trepidabit, cum montes ad Salvatoris adventum, & coram Universorum Domino tamquam cera liquescent? *Liber cui titulus: Colloquia Abbatis Joannis, & Eusebii Presbyteri.*

Descriptio signorum, quæ judicii adventum præcedent, & in fine sæculorum contingent.

Ecclesia nos admonet, si in primo adventu Salvator erga nos charitate flagravit, in altero venturum super nubem ignis turbines inter, atque tonitrua, ut in nocentes, & eos, qui gratiis ejusdem fuerint ingrati, animadvertat. Tunc Sol obscurabitur; Luna ac sydera non lucebunt, tellus dehiscet præaltas abyssos suas ostensura, tremores, quibus illa quatietur, tanti erunt, ut non solum ædes firmiùs fundatas, & oppida ipsa subvertant, verùm etiam montes ipsos, ac rupes funditus convellant. Opera omnia, quæ hominum extulit superbia, quidquid eorum collegit avaritia, quidquid voluptatis eorum illecebra fuit, adeo valido igni conflagrabunt, ut ipsum mare, quod tunc inundationibus suis maxime debacchabitur, flammas extinguere nequeat. Cœlorum virtutes, Angeli, qui illos tanta vi, atque ordine movent, hoc commovebuntur spectaculo, atque irritati adversus peccantes, qui hucusque Dei furorem succenderunt, super illos non amplius flumina miseri-

cor-

cordiæ, sed flagella ultionis effundent. *P. Champigny Sermone de Judicio.*

Terroris objecta in extremo judicio.

Si vobis ob oculos statuere possemus hæc terribilia spectacula, Solem eclypsi laborantem, Lunam cruore suffusam, Stellas Cœlo divulsas, terram ab ipsis usque fundamentis concussam; mare furens, & fines suos prætergressum, elementa confusa, perturbatamque naturam; fortasse tunc in animabus vestris salutarem excitare possemus timorem, qui vos in statum adduceret prævertendi terribilem ultionum divinæ justitiæ diem, amarum diem, funestum, iræ, & indignationis plenissimum. *P. Cheminais Sermone de Judiciis Dei.*

Unum Dei judicium antonomasticè judicium potest vocari.

Unum Dei judicium antonomasticè judicium vocari potest eo modo quo Deus se eum esse dicit, qui est. Rationem hujus rei Sanctus Chrysostomus adfert, quia hoc unum Dei judicium perfectum est, cum alia quælibet judicia vel errore vitientur, vel favore corrumpantur, vel concutiantur ignavia, vel assentatione deliniantur. Ideo omnia hominum judicia aspernabatur Apostolus, etenim si rem pressius intelligere velimus, qui verè, valideque judicare possit unus est Deus. *Qui judicat me Dominus est*; quia unus ille requisitam ad id habet veritatem, & æquitatem; certissimam veritatem, propter quam falli, & corrumpi non potest; inexorabilem æquitatem, quæ nulla ratio potest dimoveri; & hoc propriè illud est, quod eam diem terribilem facit. *P. Bourdalove in primis Sermonibus, qui sub ejus nomine circumferuntur.*

1. ad Cor. 4.

In hoc judicio veritas agnoscetur, & confundetur hypocrisis.

Quemadmodum per hypocrisim intus æquè ac extra veritatem corrumpimus; hoc est quemadmodum meliori fide non sumus nobiscum, quam cum aliis, quippe non minus nosmetipsos erroribus nostris fallere gestimus, quam alios hypocrisi; Deus in judicio duo hæc insignia mala reparabit. Aperiet ille mentibus nostris veritatem, quam illis errores absconderant; atque aliorum oculis patefaciet secretum cordis, quod hypocrisis dissimulaverat. Nobismetipsis auferet fallacium idearum, quas concepimus, errorem, delebitque illas, quas nostra dissimulatio in mentibus aliorum impressit. Nobis invitis passionis, amorisque proprii nubes dissipabit, quæ nobismetipsis abscondunt, quod sumus, & quod meremur, atque in omnium hominum animos perspicuam, distinctamque infundet cognitionem ejus, quod verè fuimus. *Idem.*

Tunc palam errores nostros videbimus.

Sæpe in principiis deficimus, nobisque concinnamus conscientiam secundum libidinem nostram, juxta utilitatem, amoremque proprium officia nostra dirigentes, atque nugas existimantes id, quod coram Deo maximi momenti est, Dei legem ad studia nostra, non autem ad legem Dei studia ipsa detorquentes; verbo nihil noxium putantes, nisi quod tale ab hominibus esse censetur. Verùm adveniet dies, quo Deus errores omnes reformabit, & conscientias omnes perperam imbutas redarguet. Hoc autem tunc accidet, cum ille tempus acceperit, & justitias judicabit: *Ego justitias judicabo.* Ostendet ille nobis has conscientias erroribus præoccupatas, regulas, quas ipsi nobis proposuimus amoris proprii plenissimas; judicia, & justitias, quas fecimus adulatione, & corruptione refertas. Ille nobis in hac vita certissimas reliquerat regulas; nobisque regulæ nostræ cum illius erant comparandæ, sensus nostri placitis ejus & conscientiæ nostræ cum illius legibus conciliandæ: sed istud ille tunc faciet; omnes Ecclesiæ suæ regulas nostris affectibus, omnes fidei articulos sceleribus nostris, omnes etiam rationis præcepta nostris furoribus, atque flagitiis opponet, idque ut in nobis errores nostros corrigat. *Idem.*

Psal. 74.

Dei Filius qui modò noster mediator est, debet aliquando noster Judex esse.

Mirum est, quod Dei Filius, qui de Cœlo tamquam mediator descenderat, illuc tamquam Judex ascenderit; postquam hominum causam lacrymis, & sanguine peroraverit, tantam in hominibus ingratitudinem nactus sit, ut contra illos abierit in sensus Patris sui severitate plenissimos. JESUS CHRISTUS propterea tres obtinet inter se longè oppositas qualitates. Noster Patronus est, quia nostram peroravit causam; accusator noster est, quia objectum est injuriarum nostrarum; denique Judex noster est, quia sententiam nostram est prolaturus. *De la Volpilliere Sermone de Judicio.*

In hoc judicio aliis quidem sperandum est, aliis metuendum est.

Cogitatio futurum ut aliquando statuendi simus coram Judice infinitè misericordi justos quidem, & peccatores, qui pœnitentiam egerunt, replere debet pœnitentia; sed simul metus judiciorum Dei qui nullum scelus impune abire patietur, efficere debet, ut homines quocumque in statu sint, totis artubus contremiscant. Sperate peccatores; qui futurus est Judex vester, est vester Redemptor; verum etiam expavescite; qui vester Redemptor est, vester erit Judex. Quo ille, tempore misericordiæ suæ, fuit indulgentior, eo magis inexorabilis erit tempore ultionis suæ: omni irritatæ justitiæ suæ severitate puniet contemptum, abusum, prophanationem sanguinis pretiosi ex sacris pœnitentiæ rivulis emanantis ad emundandas animas peccati lepra fœdatas, rimabitur omnes cordium latebras illuc iræ suæ flammas ultrices illaturus; aperiet dealbata hypocritarum sepulchra, eorum ossa, ac putredinem in faciem universæ terræ prolaturus; personam auferet fictæ pietati, illius fœditatem, ac deformitatem ostensurus. . . . In districto illo examine, quo justitias etiam dijudicabit, nobis ostendet fortasse tamquam abominationes coram se eas, quas meritorias actiones existimabamus; ostendet id, quod in nobis lumen credebamus esse, non aliud fortasse quam tenebras fuisse, & quod conversionem dicimus non aliud esse, quam vitii mutationem; ostendet in ipsis amoris proprii illusionibus, quæ vix percipi possunt, corruptas morum causas, quibus in ipsa origine inficiebantur omnes virtutes, quæ adeo nobis speciosæ videbantur. *Abbas du Jarry, Sermone pro die Cinerum.*



JUDICIUM TEMERARIUM.

Falsa suspicio. Cogitatio aliena existimationi injuriosa.

M O N I T U M.



Oc temerarii Judicii argumentum singulare est, quamvis de suggestu passim pertractari consueverit. Vitium, ad quod præ cæteris hoc accedat, est obtrectatio, quia ut plurimum hujus est causa; verum cum hæc duo sint sejuncta peccata, licet alterum alteri facem præferat, utrumque a nobis seorsim pertractabitur.

Quod autem hoc in argumento potissimum animadvertendum occurrit, est 1. ut bene distinguatur rationabilis suspicio, quæ suboriri potest de moribus, actionibus, & consiliis hominis alicujus ex indiciis profecta palam nitentibus, a judicio, quod levibus innititur conjecturis, vel signis æquivocis, quæ in utramque partem explicari possunt, ubi ostendendum est semper æquius judicium esse ferendum. 2. Ut ostendatur facillimum esse, immo etiam vulgatissimum falli, cum ex rerum specie judicium fertur. 3. Ut omnis evitetur exageratio, & ne vitio vertatur alieno quæcumque nobis ingruat cogitatio aliena iniqua existimationi.

Quamvis hoc argumentum ad eos unicè spectet, qui alienarum actionum judices, censoresque esse volunt; nulla re prohibemur, quominus Auditores nostros excitemus, ne umquam occasionem aliis præbeant malè suspicandi, & ut equis, atque quadrigis evitent, quidquid justam præbere potest scandali causam; atque ut existimationis suæ curam gerant quàm solertissimam; quod etiam atque etiam Biblia commendant. Illos etiam denique hortari possumus, ut Salvatoris exemplum secuti æquo, magnoque animo ferant prava aliorum de se vitaque sua ratione judicia, quibus nullam præbuere occasionem.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus Argumenti Structura.

I. Joan. 16.



N Evangelium: *Arguet mundum de peccato, & de justitia, & de judicio.* Quamquam mundus a Spiritu Sancto de peccato, justitia, ac judicio sit redarguendus, in hoc unicè immoror, quod est temerarium judicium, cui mundus maximè obnoxius est, erga proximum suum, in quo tria hæc simul continentur, peccatum, injustitia, atque judicium. Et sanè hæc injustitia est, quam plurimi committere possunt; & quemadmodum peccata, quæ sunt contra justitiam, graviora sunt, eaque magis perhorrescimus, videor mihi in sola criminis hujus adeo familiaris injustitia collegisse, quidquid majoris momenti est in hoc argumento. Dico igitur temerarium judicium injustum esse 1. quia fit sine sufficienti facti, vel illius, de qua judicatur, personæ cognitione; 2. Sine legitima, recognitaque auctoritate, & potestate; 3. sine probitate, & integritate, quæ in Judice requiritur, ut æquum ferat judicium. Hæc est totius concionis partitio.

Punctum primum. Omne injustum judicium non semper est temerarium; fieri enim potest, ut, quæ committitur, injustitia cognoscatur, atque sanctissima quælibet jura ex libidine violentur; Sed omne judicium temerarium est injustum, quia temerarium non est nisi propter sufficientis cognitionis defectum. 2. Quia judicium fertur secundum faciem, externasque species, quæ ut plurimum vel mendaces sunt, vel æquivocæ; sed frequentiùs secundum opinionem, quam antea animo imbibimus. Nobis alicujus vitæ ratio ennarratur, atque minus æqua tribuitur idea morum, & probitatis ejusdem; post hanc narrationem cum ille apud nos male audire cœperit, quidquid facit, & dicit, suspicione minime caret, ac semper in deteriorem partem de eo judicamus. Sexcenta nobis nuntiata sunt vera, vel ficta de homine illo negotioso, mercatore, famulo, matrona: ideo negotiosum illum tamquam malæ fidei, versutumque hominem redarguimus; mercator hic nobis est dolosus, famulus infidelis; & si quid domi nostræ periit, vel amissum est, in illud statim nostra redit suspicio. Quid iniquius, quam ita ob leves causas de proximo suo ferre judicium? 3. Judicamus sine probatione, sine examine, quin aures adhibeantur illi, in quem redit criminatio; & Deus ipse noluit damnare cives Sodomorum, quin ad examen vocaret, quin quæstiones haberet, quin in ea loca descenderet, ut veritatem cognosceret, quamvis non aliis indigeret quæstionibus, cum illi omnia comperta sint, atque explorata: Nos verò incertis innixi narrationibus, labantibus præjudiciis, fallacibus præventionibus decretoriam afferemus sententiam? Quæ temeritas, quæ injustitia! 4. De ipsis etiam secretis cordium intentionibus judicamus; quæ gravissima est injustitia, optimasque proximi actiones in deteriorem partem detorquemus; illius existimationi in nostra officimus mente, eumque privamus eo jure, quod natura, & religione adeptus est, in quo charitatem cum justitia violamus, &c.

Punctum alterum. Judicium temerarium injustum est, quia illegitimum sine jure, & auctoritate. 1. Hæc manifesta est divinæ auctoritatis usurpatio; Deus enim explicitis verbis prohibuit, ne fratres nostros judicaremus, atque sibi uni reservavit judicium. Tribunal erigimus in medio nostri, ad quod mundus universus, nobiles, ignobiles, pauperes, divites, noxii æque & innoxii adducuntur; nosmetipsos alienarum actionum sine jurisdictione, & auctoritate arbitros constituimus, & quod magis criminosum est, facta, quæ omni culpa vacant, improbè in malum sensum torquemus. 2. Quia judices alii, quibus legitima auctoritas est, cancellis veluti quibusdam constrictam habent jurisdictionem, ultra quam sese extendere nequeunt; immo neque de casibus, atque negotiis quibusdam non judicant. Hinc oritur varietas tribunalium, quorum quædam de iis rebus inquirunt, de quibus alia agere nequeunt; sed qui proximi sui judex esse vult, hic de rebus omnibus judicat. 3. Ad injusta, atque illegitima hæc reformanda judicia, generale judicium habebitur, in quo Deus mortalium omnium oculis objiciet, quidquid fuerit occultius &c.

Punctum tertium. Si temerarium judicium injustum est propter defectum luminis, & cognitionis, & propterea propter legitimæ potestatis, & auctoritatis defectum; addendum est injustum quoque esse propter defectum probitatis, & integritatis,

tatis, quæ Judici est necessaria; quia nihil injustius est, quàm videre, censorem, & judicem fieri, qui iisdem criminibus obstrictus est, propter quæ alios condemnat; vel qui cum improbus sit, innocentes accusat, judicat, damnat. Hoc autem passim in temerariis judiciis occurrit. 1. Hi quippe importuni censores de aliis judicant secundum sui cordis affectiones, & secundum ea, quæ paribus in occasionibus ipsi facerent. Avarus alios sibi similes putat; libidinosus, versutus, &c. 2. Quia passim ex animi affectu, invidia, zelotypia, ultione, &c. judicium proficiscitur. 3. De aliis prout eos amamus, vel odimus judicamus &c.

II. 1. Christianus de nemioe unquam judicare potest; justitia, charitas, religio, & explicitum Salvatoris in Evangelio præceptum hujusmodi judicia prohibent, atque damnant. 2. Numquam fidem adhibere debet temerariis judiciis, quæ alii faciunt, de prosimo suo; quia plerumque iisdem laborant principiis, quibus nostra; & eædem rationes, quibus de aliis temere judicare prohibemur, prohibent etiam, ne in aliorum judicia temere prolata abeamus. 3. Omnis Christianus, quam diligentissimè cavere debet, ne ulli præbeat occasionem de se malè judicandi; hoc enim est præbere scandalum; & judicium, quod de eodem haberetur, non esset amplius temerarium.

III. Io judiciis temerariis peccatur: 1. contra prudentiam, quia judicatur secundum externas species, quæ ut plurimum dolosæ sunt, vel secundum ea, quæ nobis narrantur, & quæ quotidie fallacia esse deprehendimus. At his rebus nostrum superstruere judicium, nonne est nosipsos in periculum adducere, ne decipiamur, ideoque agamus contra prudentiæ regulas, quæ postulant, ut nihil prætermittamus curæ, atque laboris, ne fallamur? 2. Peccatur contra Chantarem, quæ petit, ut bonam de proximo opinionem foveamus, ut æqui, bonique faciamus actiones illius, cum palam improbæ non sunt, & ut in iis, quæ sunt ancipites, io æquiorem partem inclinemus. 3. Peccatur contra justitiam, legemque naturalem; eripitur proximo jus, quod habet ad nostram existimationem; usurpatur jus, quod ad judicantem non pertinet; ac denique alteri fit, quod oobis fieri nequaquam cuperemus.

IV. In temerario judicio considerare possumus 1. injuriam, quæ infertur Deo ab iis, qui de hominum iotentinnibus judicant, quod essentiale jus est divinitatis, quæ una cordium secreta cognoscit. 2. Injuriam, quæ proximo infertur, cui nostram auferimus existimationem, ad quam jus habet donec nihil improbè gesserit; ideoque judicium temerarium, atque contemptus qui illum subsequitur, manifesta est injustitia. Te reum putares, si obtrectatione tua effecisses, ut proximus tuus apud alios malè audiret: numquid innocens est, cum per temerarium judicium tuum efficis, ut male apud te audiat? 3. Temere judicaos sibimet infert injuriam, quia coram Deo sese gravis delicti nomine obstringit; & Deum hunc misericordiæ cogit, ut severè in ipsum animadvertat, &c.

V. Peccatum temerarium coosiderari potest, 1. io causis, quæ illud gignere consueverunt, videlicet invidia, superbia, præsertim verò improbitate, & morum corruptione: quia ut plurimum de aliis judicamus ex nobismetipsis, & qui alicui defectui, vel vitio obnoxius est, alios eodem inquinatos esse arbitratur. 2. in effectibus suis, qui insignem afferunt injuriam proximo, illi mentis nostræ existimationem eripiens, ad quam jus habet, & mox etiam affectum, & charitatem, quo eumdem complecti debemus; quia difficile est amare qui flocci penditur; & demum illius existimationi apud alios officimus, ubi nostras suspiciones, & latum a nobis judicium proferimus. 3. Considerari potest in propria nequitia, quatenus ex diametro opponitur charitati, quæ de nullo malè cogitat, & quæ e contra pro virili alienos defectus abscondit.

Cum mens, & cor in partem accedant judicii temerarii, quod de alienis actionibus fit, docendum est quomodo ex utraque parte peccetur. VI.

Primum quidem ex parte mentis. 1. Imprudentis quippe, ac temerarii est in re magni momenti judicium ferre ex levibus speciebus, fallacibusque conjecturis. 2. Superbi, & arrogantis est judicem fieri velle sine jure, & sine auctoritate. 3. Hoc est rationem ipsam, naturalemque lædere æquitatem.

Secundò ex parte cordis. 1. Hæc nota manifesta est improbi ingenii. 2. Nota est cordi corrupti, ac obnosii iisdem vitiis, quæ corripiuntur in aliis. 3. Nota est modicæ Charitatis erga proximum.

Tria secundum Div. Thomam necessaria sunt, ut bonum judicium fiat 1. Auctoritas; 2. Cognitio; 3. Integritas. Auctoritate opus est in Judicis persona; cognitione in mente; integritate in corde. Nisi adfuerit auctoritas, judicium nullum erit, atque chimericum; si defuerit cognitio, judicium fallax erit, & accusari poterit cæcitatis, atque erroris sine integritate judicium vitiosum erit, atque corruptum. At plerique judicant, atque condemnant alios 1. sine auctoritate; *Quis te constituit judicem?* 2. sine cognitione; quis enim secreta cordium præter Deum cognoscere potest? 3. sine integritate; judicant enim ex libidine, affectu, cupiditate. *Pat. Bourdalove in primis Sermonibus.* VII.

Temerè judicans tres habet caractetes christianæ oppositos charitati. VIII.

1. Caracterem habet levitatis, & festinarioois oppositum charitati patienti, & ab omoibus suspicionibus vacuæ. 2. Caracterem indiscretionis, atque duritiæ contra charitatem lenem, atque prudentem, aliena peccata silentio tegentem? 3. Caracterem improbitatis, atque arrogantiæ contra humilem charitatem, quæ ambitiosa non est, neque superbia intumescit. *Ex Sermonibus moralibus.*

1. Judicii temerarii natura: quid sit, & in quo consistat. 2. Improbitas judicii temerarii, quod injuriam infert & proximo, & Deo. 3. Causæ judicii temerarii, quæ sunt propensio in malum, curiositas alienarum actionum inquirendarum, cordis affectio, quæ efficit, ut de aliis ex semet ferat judicium. IX.

1. Putant, temere judicare de proximi vita peccatum esse leve, ac momenti nullius; ego verò peccati hujus enormitatem & in ipso, & in effectibus ejus osteodam. 2. Quærunt quid faciendum, ut evitetur; ego verò modum illius evitandi tradam. *Joly Tomo 3. Propositionum.* X.

1. Judicium temerarium est contra leges justitiæ. 2. contra leges charitatis. Alterius quidem jura omnia, alterius verò omnia infringit officia. *Ex Auctore sermonum in omnia Ethica Christiana argumenta. Tomo 3. Dominic.* XI.

Ubi de proximi actionibus agimus in judiciis, & decisionibus nostris cæci sumus. XII.

1. Quia de rerum substantia ex earum specie judicamus. 2. Quia ex actione illationes deducimus de intentionibus, quæ uni Deo sunt exploratæ. 3. Quia alienis innitimur narrationibus, quæ tres sunt rationes, quibus pleraque judicia nostra fiunt temeraria. *Ex P. Bourdalove.*

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest ad propositas Concionum structuras exornandas.

SAnctus Augustinus in Epistolam ad Romanos ostendit relinquendum esse Deo eorum actionum judicium, quæ utroque animo fieri possunt. Sancti Patres.

Idem in Epistola ad Clerum, populumque Hypponen-

ponensem docet gravissimam esse injustitiam de universa communitate ex vitio alicujus ex eadem judicium ferre.

Idem, *in Psalm.* 118. hæc explicans verba; *Amputa opprobrium meum quod suspicatus sum*, docet improbum esse de aliis judicate ex iis, quæ in nobis contingunt.

Idem, *in Psalm. eumd.* docet quænam sint illa judicia, quæ appellanda sunt temeraria, atque in rebus dubiis semper in æquiorem partem esse judicandum.

Idem, *Serm.* 202. *de Temp.* in hæc D. Matthæi verba: *Nolite judicare, & non judicabimini*; ostendit vituperari posse, quod palam peccatum est, at non posse damnari, quod anceps est, & bono consilio fieri potuit.

Idem, *in Psal.* 51. docet numquam malè judicandum esse de hominibus ex eorum muneribus, & actionibus, quæ extrinsecus patent, cum non sint palam scelestæ.

Idem, *l.* 2. *de Serm. Dom. in monte c.* 28. docet bifariam temere judicari; videlicet cum ignoratur, qua intentione quis quid agat, & cum latet, quisnam aliquando futurus sit ille, cujus vita hodierna die flagitiosa, & mala videtur.

Sanctus Gregorius, *l.* 5. *Moral. cap.* 27. & *l.* 14. *cap.* 12. ostendit de proximo malè judicari, quia non amatur, neque credimus nostro falli judicio, quia nosmetipsos nimis amamus.

Idem, *l.* 25. *cap.* 14. *eorumd. Moral.* aperit malum, quod committitur ab iis, qui malè judicant de superioribus suis, quibus subjecti sunt.

Idem, *Homil.* 4. *in Ezech.* temerarium judicium amori proprio, & defectui charitatis adscribit.

Sanctus Chrysostomus, *Homil.* 22. *in cap.* 18. *Genes.* in hæc verba: *Descendam, & videbo, utrum peccata opere compleverint*, docet, quam cauti esse debeamus in aliis judicandis, & quid præcavendum antequam actiones eorum damnemus.

Idem, *l.* 6. *de Sacerd.* de Præsulibus loquens, docet ipsis cavendum, ne præbeant occasionem aliis, malè de se judicandi.

Sanctus Gregorius Nazianzenus, *Orat. de seipso*, docet, judicia, quæ de vobis fiunt, negotium nobis facessere non debere, dummodo nullam illis occasionem præbeamus.

Sanctus Dorothæus, *Doctr.* 6. ostendit hujus criminis gravitatem ex verbis Salvatoris: *Ejice primum trabem de oculo tuo &c.*

Idem, *Doctr.* 16. censuras, injustosque aliorum censores iis comparat, qui stomachum habent cacochymum, & in pravum succum saluberrimos quoque cibos convertunt.

Sanctus Bernardus, *Serm.* 40. *in Cant.* docet proximum non esse levi de causa damnandum; sed actionem in se malam excusari posse, vel saltem excusari intentionem, & pro virili crimen imminui.

Sanctus Thomas, *in Epist. ad Roman. cap.* 2. docet, judicare proximum in iis, quæ nobis ignota sunt, esse in Dei auctoritatem manum inferre.

Sanctus Bonaventura 2. Tract. de interioris hominis reformatione cap. 2. eximia præbet ad hanc rem præcepta.

Ascetici, aliique. Sanctus Franciscus Salesius in Introductione ad vitam devotam cap. 28. docet, cur mala judicia, quæ de alienis actionibus fiunt, sint temeraria; ex quibus principiis oriantur, & quæ illis sint adhibenda remedia.

Alphonsus Rodriguez, Tract. 4. cap. 15. 16. 17. fusiùs loquitur de temerariorum judiciorum causis, atque remediis.

Pater Saint-Jure lib. 3. de cognitione, & amore Domini nostri sect. 7. hoc ipsum pertractat argumentum.

P. Suffren in anno Christiano parte prima *c.* 7. *sect.* 3. *punct.* 2.

In libro, qui inscribitur, *Essais de morale* Tomo 1. Tractatus 5. integer circa temerarium judicium versatur, ubi decem capitibus persequitur quidquid hoc respicit argumentum.

In libro, cui titulus, *Passiones JESU CHRISTI*, Passione 20. sermo est de falsis judiciis, quæ Judæi de Salvatoris actionibus fecerunt.

P. Nepveu Tomo 3. Christianarum Considerationum.

Liber, cui titulus: *Remarques sur divers sujets de Religion & de morale*, Tomo 3. hoc argumentum pertractat.

P. Croiset in Spiritualibus Considerationibus.

Drexellius, *in Amussi l.* 2. *c.* 7. *consectut.* 5.

Nicolaus Lancicius, *Opusc.* 19.

Liber, qui inscribitur: *Guerre aux vices pralio* 38.

Hortus Pastorum, *tract.* 4. *lect.* 15.

Molinier sermone pro feria tertia post quartam Quadragesimæ Dominicam. Concionatores.

P. Bourdalove in primis sermonibus sub ejus nomine editis sermone pro eadem feria.

Joly Tomo 3. Propositione pro decima post Pentecosten Dominica.

De la Volpilliere.

Sermones Christiani, sermone pro 18. post Pent. Dominica, ubi sermo est de spiritus humani nequitia, & in parte altera de judiciis temerariis.

Abbas de Monmorel Tomo 3. Homil. Evangelicarum. Homil. pro Dom. prima post Pent.

P. le Jeune Presbyter Oratorii.

P. Segneri Italus Concionator sermonem habet hujus argumenti in Quadragesima.

Sermonum specimina pro Quadragesima feria 3. post Dom. 4.

Eadem pro Dominicis Tomo 1. in Domin. 5. post Epiph.

Eadem Tomo 2. pro Dominica 10. post Pent. argumento 1.

In Dictionario morali Tomo 3. duo sunt deinceps sermones hujus argumenti, & plures considerationes.

In sermonibus moralibus non deest sermo hujus argumenti.

Granatensis in locis communibus.

Busæus in Panario.)
Summa Prædicantium.) Titulo, *Judicium Temerarium.* Qui collectanea ediderunt.
Labarha in Thesauro.)
Lohner in Bibl. manuali.)

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & Applicationes Scripturarum huic argumento.

Si verè justitiam loquimini, recta judicate filii hominum. Psalm. 57.

Mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum. Psalm. 61.

In via stultus ambulans, cum ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat. Eccl. 10.

Nolite judicare secundùm faciem, sed justum judicium judicate. Joan. 7.

Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras. Isaiæ 5.

Nolite judicare, ut non judicemini; in quo enim judicio judicaveritis, judicabimini. Matth. 7.

Quid vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? Matth. 7.

Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris? Matth. 9.

Nolite judicare, & non judicabimini; nolite condemnare, & non condemnabimini. Luc. 6.

Propter quod inexcusabilis es, o homo omnis, qui judicas; in quo enim judicas alterum, teipsum condemnas; eadem enim agis, quæ judicas. Ad Roman. 2.

Non ergo ampliùs invicem judicemus: sed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum. Ad Rom. 14.

Tu

Tu quis es, qui judicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit. Ibid.

Tu autem quid judicas fratrem tuum? aut tu quare spernis fratrem tuum? Ibid.

Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. 1. Ad Corinth. 4.

Mihi autem pro minimo est ut à vobis judicer, aut ab humano die. Ibid.

Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. 1. ad Cor. 11.

Quis hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? 1. ad Cor. 2.

Charitas non cogitat malum. Ibid. c. 13.

Facti estis judices cogitationum iniquarum, Jacobi 2.

Quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare? 1. ad Cor. 5.

Tu autem quis es, qui judicas proximum? Jac. 4.

Veteris, novique Testamenti Exempla.

Amici Job illum malis affectũ videntes iniquũ de illius virtute judiciũ tulere.

AMici Job magnum hunc virum in adeo afflicta fortuna videntes, postquam eumdem in florentissima fuerant intuiti, cum in tota vitæ ejusdem ratione nullam deprehendere potuissent injustitiam, nullumve crimen manifestum, quod tanto dignum videretur supplicio; temerè suspicati sunt, tot illa eidem ingruisse mala ob secretum aliquod scelus. Attamen hic vir erat eorum omnium, qui tunc in terris versabantur, sanctissimus, & cui, Dei ipsius judicio, nemo par inveniretur; eo usque, ut dæmoni ostensurus quàm sincera esset hujus hominis integritas, & fides, illi permiserit, ut hunc probaret bonorum, filiorum, & eorum, quæ eidem erant charissima, excidio, eumque ad extremam illam redigeret miseriam, in qua amici, qui illum convenerant, eum repererunt. Hæc autem omnia acciderunt non in scelerum pœnam, quemadmodum illi falsò judicarunt, sed in patientiæ ejusdem exercitationem, ut mox gloria cumularetur, sæculisqua omnibus in virtutis exemplar proponeretur.

Sauli semper suspecta fuit Davidis fides quãtumcũque hic de eodem bene meritus esset.

Superbia, atque diffidentia Saulis effecit, ut quantumcumque de eodem meritus fuisset bene David, ac præsto esset ut recentia veteribus merita adjiceret; ille numquam ex animo abolere posset injustam, quam imbiberat suspicionem; fidelem videlicet hunc subditum sibi coronam præripere velle. Sin autem scire fert animus, cuinam rei hæc inniteretur suscipio post tot fidei, virtutisque David pericula, qui Regni firmissimum erat columen, præsidiumque, & qui toties facto probaverat, sibi gloriam æque, ac personam Regis cordi esse; tantæ suspicionis causa fuit ridicula invidia. Sibi persuaserat Rex, Davidem sibi præferri, eumque majori honore, & plausu exceptum fuisse, cum inter plaudentium laudes, confusasque voces triumphans urbem ingrederetur; & ob hanc levissimam causam, quoad vixit, non destitit, quominus servorum suorum fidelissimum tamquam rebellem persequeretur; qua omnes illius actiones, incessus, submissiones, ipsaque merita in corde hac furenti percito invidia, nequaquam suspicione vacabant.

Quodnam falsũ fuisset de virtute Judith judicium, cum ad Holophernem proficisceretur; si ex rerum specie fuisset judicatum.

Quid, quæso, dixissent, Bethuliæ cives, si viduam adhuc ætate florentem vidissent lugubri posito indumento, naturali vultus sui formæ ea addere omnia, quæ ars excogitare posset, ad placendum; si vidissent illam crines unguento delibutos lapillis inspergere, ornatus ornatibus superaddere, ac mundum muliebrem adhibere, ut urbe egressa, atque hoc pacto exornata impudici Imperatoris tabernaculum ingrederetur, melioremque noctis partem ibi sola cum eodem traduceret? Proculdubio qui illam hæc facientem vidisset, assecutus nequaquam fuisset mentem illius, & causam, propter quam hoc facinus aggrederetur. E contra verò, qui ex externa rerum specie, quæ statim sese prodit, ferret judicium, nonne jure illam prostitutæ libidinis crimina accusari posse censeret? Nonne pudica mulier apud illum jacturam fecisset boni nominis, & gloriæ, quam sapienti vitæ suæ ratione fuerat adepta? Hoc nihilominus factum fuisset falsum judicium de generosa Judith sapientissima, atque castissima totius antiquitatis matrona; adeo verum est quod dicit Apostolus: *Nolite ante tempus judicare*; quia externa facti species fallax est, quemadmodum quotidiana docet experientia. 1. ad Cor. 4.

Castus, & innocens Joseph secundum facti speciem prave infidelitatis fuit reus.

Qui vidisset Josephum, servulum adolescentulum, mira oris forma decorum, ex impudicæ dominæ cubiculo aufugientem, quæ sibi stuprum illum inferre voluisse clamabat, atque in conatus nefarii testimonium afferri corruptoris sui pallium manu gestabat: Qui vidisset, inquam, adolescentulum hunc stupore, ac timore perculsum, illumne eo scelere absolvisset, quo ab infami muliere accusabatur, ut ab illa suum improbè tegeretur? Sed quicumque hoc judicasset, nonne deceptus fuisset, licet omnia præjudicia contra innocentem pugnarent? Præsumi debat, matronam nobilem, cujus maximè intererat pudicitiæ suæ quàm diligentissimam curam gerere, nequaquam facinus hoc adeo palam fuisse prodituram, nisi periculum hoc verè passa fuisset; neque ostensuram fuisse pallium, quod præseferebat, nisi exploratum, compertumque eidem fuisset ausum illius, quem accusabat, & quem insigni affectum supplicio cupiebat. Cæterum cum adolescens ille, ea pœna in domo dominaretur, omnemque ibi existimationem, atque potestatem haberet; non abhorrebat a fide illum insolentia elatum actumque libidine eo usque sui oblitum fuisse, ut tantum facinus auderet. Ita omnia præjudicia, omnisque facti species in illum pugnabant. At nihilominus domina hæc erat infamis, Josephum in tantum scelus pellicere conata fuerat; Joseph autem mori maluerat, quam Deum, & dominum suum lædere. Adeo verum est judicium præceps ut plurimum esse temerarium, nihilque ex simplici specie esse inferendum.

Alia quamplura temeraria judicia de viris bonis habita, & in Scripturis connarrata.

Maria soror Moysis de fratre suo malè judicavit, atque de illius agendi ratione obmurmuravit; Verùm Deus fidelis hujus ministri causam suscipiens, illam in temeritatis pœnam turpi lepra percussit. Summus Sacerdos Heli videns matrem Samuelis ferventi orationi vacantem, illam mero madidam censuit, eamque sensuum jacturam fecisse arbitratus est, quamquam labiorum motus, & corporis status, qui non placuerant Heli, ardentis essent devotionis effectus. Quod judicium latum non fuit contra innocentem Susannam secundum turpissimorum senum qui ejusdem pudicitiæ vim inferre studuerant, criminationem? Superbus Aman nonne respiciebat Mardochæum tamquam vita indignum, quia sibi non adhibebat honorem, ac reverentiam, quam cupiebat? Nonne perperam judicatum est de plerisque Prophetarum? & Reges Israel, nonne aliquot eorum persecuti sunt levibus suspicionibus ducti? Verbo, quemadmodum pauci fuere viri boni, de quibus homines oblocuti non fuerint; paucissimi æque fuerant, de quibus iniquissima, atque inanissima judicia prolata aliquando non fuerint.

Falsa, atque temeraria judicia, quæ Judæi fecere de persona, & actionibus Salvatoris.

Dicendum sanè est, improbitatem cordis Judæorum, ac præsertim Scribarum, & Pharisæorum in illis mentis lumen obscurasse, quæ semper æquum fert de bono judicium, nisi specie mali decipiatur, quæ sanè in Salvatoris moribus, & vita inveniri non poterat. Malè semper de illius persona verbis, & actionibus judicabant; signum manifestum veneni, quod in cordibus eorum latebat & quod paulatim suffocabat, quidquid naturalis rectitudinis in mentibus eorum remanebat. Qui æquius de hoc Deo-Homine sentiebant, eumdem tamquam sanctum Prophetam habebant; alii verò,

singuli

singuli pro libidine sua, ac peculiaribus affectionibus ferebant judicium. Si cum peccatoribus versabatur; licèt sancta semper illius esset conversatio, & non aliud, nisi salus eorum ab ipso quæreretur, habebatur tamquam ganeo, qui cum illis commessari, & compotari in deliciis haberet. Nonnulli doctrinam ejus novitatis redarguebant juxta corrupti mundi consuetudinem, qui novitatem appellat, quidquid antiquis erroribus, flagitiisque suis adversatur. Alii eum ingenti populi multitudine stipatum intuentes, tamquam seditiosum publicæque quietis perturbatorem insimulabant. Cum vulgò loquerentur de miraculo cæci nati, cui oculorum aciem fuerat elargitus, responderunt: *Nos scimus, quia hic homo peccator est.* Cum Paralytico post redditum omnium membrorum usum dixit, dimissa sunt tibi peccata tua, judicarunt, atque intra se dixerunt, ipsum protulisse blasphemiam: *dixerunt intra se, hic blasphemat.* Pharisæus, qui illum convivio exceperat, videns Magdalenam illius pedes deosculantem, illicò censuit, hunc nequaquam esse Prophetam, qualem plurimi existimabant, alioquin se ab impudica muliere passus non esset attingi. Denique eo usque injustitiæ, & improbitatis evaserunt, ut cum nitentia, & manifesta quæ ille operabatur, miracula negare non possent, hæc secretæ ejusdem cum dæmone necessitudini accepta referrent.

Joan. 9.

Matth. 9.

Dei Filius nobis exemplum præbuit æque ac consiliū nequaquā judicandi.

Mundi Salvator supremus Dominus noster, qui nobis virtutum omnium reliquit exempla, præsertim verò in iis omnibus, quæ ad Charitatem pertinent, pluribus in locis exemplum æquè ac præceptum nobis reliquit, ne proximum judicaremus; & quantumvis haberet jus homines judicandi, hoc tamen numquam uti voluit. Cum ad illum adducta fuit mulier in adulterio deprehensa, tantum abfuit quòd illam judicaret, & condemnaret, ut immo aliorum judicia improbaverit, atque corripuerit: qui primus, ait ille, vestrum sine peccato est, hic primum in illam lapidem mittat, ego verò, o mulier, si te nemo damnaverit, neque ipse te condemnabo. Cum Pharisæus temere judicavit de Magdalena, quam tamquam peccatricem putabat, Salvator hujus causam suscepit, ejusque virtutes laudibus exornavit; quod ipsum præstitit, cum Judas, aliique Apostoli in illam succensuere, eo quod super Domini caput pretiosi unguenti phialam effuderat. Cum Pharisæi damnarunt Apostolos, quia non ita crebrò, ut ipsi, jejunabant, & quia non abluebant manus antequam accumberent mensæ; vel quia esurientes die Sabbathi in agris aristas carperent, illos defendit, & corripuit eos, qui eo levia hæc de illis temere judicabant. Illud verò magis admirabile est, & a nobis singillatim animadvertendum, quòd Cruci suffixus ipsos quoque Judæos, a quibus adeo male habitus fuerat, & qui actu cruciatibus, quo afficiebatur, insultabant, excusare conatus est. Non poterat ille excusare Sacerdotum odium, Scribarum, & Pharisæorum invidiam, populi ingratitudinem, testium falsitatem, Pilati injustitiam, militum crudelitatem: hæc enim ita manifesta erant, ut excusari minimè possent. Illius charitati nihil supererat aliud, quàm solus cognitionis defectus, qui in ipsis erat de personæ suæ dignitate: quamobrem hanc affert Patri suo excusationem, & hac eadem utitur tamquam misserationis prætextu ad gratiam eorum obtinendam, eosque tutandos a pœna, quam meriti fuerant: *Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.*

Luc. 23.

Exemplum Pharisæi temere de Publicano judicantis.

Hoc in argumento Pharisæus Evangelicus proponendus est tamquam infame eorum omnium exemplar, qui temere de proximo judicant. Non noverat ille eor Publicani, quem damnabat, & conjecturis tantum innixus loquebatur. Illum nonnisi propter superbiam; atque nequitiam corripuit, atque vituperavit. Vera illi, vel falsa imputavit scelera eodem temporis momento, quo pectus ille suum percutiebat, atque in ima Templi parte substiterat Domini misericordiam imploraturus. Hi totidem sunt caracteres temerarii judicii, quod vulgò fit de illis, qui ob simplices conjecturas, affectu superbiæ, vel improbitatis, quæ in vituperante magis, quàm in vituperato patet, & quæ sæpe falsos defectus, & vitia imputat, condemnantur.

Saulū Christianos antea persequentis & mox Apostoli exemplum ostendit numquam temere judicandum, neque de gravissimorum peccatorū salute esse desperandum.

Quis unquam credidisset, Saulum ex primorum Fidelium sævissimo persecutore futurum esse aliquando magnum JESU CHRISTI Apostolum, patronum, & firmissimum Religionis columen, videns quo ardore, qua ira fideles persequebatur? Nequaquam erat temerarium judicium tunc credere hunc perniciosissimum esse Christiani nominis inimicum, & quemadmodum ille seipsum nominat, blasphemum, & persecutorem eorum, qui eum fatebantur, quem ipse deinde Gentibus annuntiavit, & cujus in terris omnibus extitit præco. Illud nequaquam erat temerarium judicium; sed præceps fuisset, eo quod secreta Dei de eodem ignorabantur judicia. Heu! quis scit, quinam aliquando futurus sit ille, qui habetur hodie tamquam blasphemus, & impius, atque omni scelerum, & impudicitiarum generi traditus? Quis scit, utrum ille, quem in reprobum sensum traditum credimus, jam non sit æque ac Sanctus Paulus conversus? Cumque Saulus hic a Deo tactus, & factus agnus, qui furens leo fuerat, Damascum redit, unde egressus erat, ut novam hanc Religionem exterminaret, quis non judicasset cum Anania, illum ingressum esse, ut exequeretur imperium, quo jubebatur vinctos adducere Jerosolymam quoscumque invenisset his factis initiatos, atque ut JESU CHRISTI nomen, cultumque deleret? Attamen ingressus erat, ut illum prædicaret, ut Judæos confunderet, ut Fidem statueret, propter quam deinde fuit crudelissimè vexatus.

Alia temeraria judicia quæ legimus in Evangelio.

Pharisæus Magdalenam publicam esse peccatricem arbitrabatur eodem tempore, quo cordis ejusdem contritio, & oculorum lacrymæ eidem peccatorum veniam promerebantur. Hoc sæpe faciunt complures Christiani judicantes, atque damnantes eos, qui se ipsis sunt innocentiores, Deoque gratiores.

Falsum judicium quod ulla in occasione tulit Judas de eadem Magdalena.

Judas videns eamdem Magdalenam super JESU CHRISTI caput unguenta non mediocris pretii effundentem, censuit illam agere perperam, eamque imprudentissimæ prodigalitatis nomine insimulavit; sed hujus avaritia quæstum facere cupiebat ex pecunia, quæ in ipsius manibus deponi potuisset, potius quam ea in re, quam improbabat, impenderetur.

Judicia temeraria, & injusta quæ de S. Joanne Baptista, & JESU CHRISTO facta fuerunt.

Sanctus Joannes Baptista vitam adeo duram austeramque vivebat, ut neque bibere, neque manducare videretur; verùm quid de illo nonnulli sentiebant? Hic, ajebant, dæmonium habet, alioquin quomodo in tanta abstinentia persistere posset? JESUS CHRISTUS verò extrinsecus communem agebat vitam bibens, & manducans quod sibi apponebatur; sed non ideo insanorum censorum notas effugiebat, quorum sensus intra se conciliari non possunt: dicunt enim, hunc validum esse compotatorem, Publicanorum, & Peccatorum amicum, a quibus convivio excipiebatur.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic argumento.

Dei jus invadit, qui de proximo seu male judicat.

QUare persequimini me sicut Deus? Jobi 19. Quemadmodum qui proximum suum judicat contra mandatum Dei, jura divinitatis sibi quodammodo vindicat, auferens Deo, quod illi proprium est, videlicet corda scrutari, ac de futuris judicare: ita qui ab alio se hoc pacto injustè judicatum videt, nonne dicere poterit quod olim Job amicis suis, qui in hoc vitium lapsi fuerunt: *Quare persequimini me sicut Deus?* cujus unius interest cordium nostrorum latebras scrutari, ac

de

de intentionibus nostris ferre judicium? Illud vobis vindicatis, quod vestrum non est; an nescitis Judicem nostrum esse JESUM CHRISTUM, nobisque universis ad illius prodeundum esse Tribunal? Hunc esse, a quo decretoriam sententiam recepturi sumus, hunc qui actiones nostras vel probaturus est, vel damnaturus, & a vobis fortasse illum damnari, cui Deus pepercit? *Quare persequimini me sicut Deus?*

Nobis jus non est judicandi proximum nostrum in que nullam habemus jurisdictionem.

Tu quis es, qui judicas alienum servum &c. Ad Rom. 14. Quis tu, quæso; quam habes auctoritatem, tu qui audes alieni servi facta ad examen revocare, & judicare? Quid tibi negotium facessit? *Domino suo stat, aut cadit.* Relinque hero curam servi illius; si benè egerit vel malè, quid ad te? Dominum suum habet & Judicem, vir, non tibi, redditurus est rationem eorum; quæ fecit, & a quo uno vel absolvendus est, vel damnandus: *Tu quid judicas fratrem tuum? aut tu quare spernis fratrem tuum?* ait idem Apostolus; fortasse omnibus inferni suppliciis eum dignum putas, cui Deus eminentem in Cœlo gloriam decrevit.

Quomodo judicandũ sit de publicis, & manifestis peccatoribus.

A fructibus eorum cognoscetis eos. Matth 7. Quod de publicis intelligendum est peccatoribus, qui palam vivendi licentiam affectant. De his enim, Evangelium jus nobis tribuit, non judicandi solùm; ubi enim factum per se patet, discussio, & judicium non habent locum, verùm etiam videndi, & cognoscendi illos secundum præsentem dispositionem esse inimicos Dei. In hoc etiam casu abstinendum est, ne quod ad futurum attinet; judicemus; nescimus enim quid aliquando futuri sint; & utrum Deus, qui ex Publicano Apostolum, & ex peccatrice pœnitentiæ exemplar effecit, insignes Sanctos facturus sit eos, quos nunc insignes novimus peccatores.

Fallaces stateræ quibus homines proximi facta appendunt.

Vani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris. Psal. 61. Dolosæ, mendacesque stateræ, quibus homines proximum suum appendunt, sunt eorum falsa judicia, quæ proferunt conjecturis, ac mendacissimis cognitionibus innixi. Aliquidne specie sola dolosius est? Quot sunt, quorum exterior agendi ratio plurimùm imperfectionis designat; & qui intus in anima solidam habent virtutem? Quot è contra vera vitia virtutum fuco, & specie tegunt? Cum itaque rem ita se habere nobis compertum, exploratumque sit, nonne est temere judicium ferre, palam sese in periculum objicere vitium pro virtute, & pro vitio virtutem sumendi, atque secundum adeo suspectas, dolosasque rationes judicandi? Nonne temeritas est non ferenda, de secretissimis intentionibus per æquivoca signa, & actiones, quæ ob varias causas fieri possunt, ferre judicium?

Apostolus S. Paulus palam cõmendat ne de quopiã temere judicetur.

Qui non manducat manducantem non judicet. Ad Rom. 14. Hoc sapiens est monitum, quod piis hominibus, ac palam pietatem profitentibus tradit; Id genus homines, quemadmodum innuere velle videtur Apostolus, facilius minus æquum ferunt judicium de illis, quos remissiorem putant vitam ducere, quia vita sua magis austera est; quin cogitent, Deum non ab omnibus eumdem perfectionis gradum exigere, & quin rationem habeant eorum, quibus singuli possunt indigere,

1. ad Cor. 2.

Spiritualis judicat omnia, Igitur *qui non manducat, manducantem non judicet*, dicit Apostolus; qui austeram, ac solitariam ducit vitam, non judicet, vel condemnet eos, qui magis sociabilem vivendi rationem sequuntur, & qui in hominum societate magis versantur, & illi quos vitæ ratio in mundi hujus commercio detinet, non improbent eos, qui in solitudine vivunt. Omnes hujusmodi devotiones, dummodo bene dirigantur, eximiæ sunt, & qui de illis malè judicant semper periculo se objiciunt injusta, ac temeraria judicia efficiendi. In nosmet convertamus hunc censuræ spiritum nobis ingenitum; defectus nostri satis amplam præbebunt ad illum exercendum materiam, quin alibi inquiratur. Hoc significat allatum S. Pauli consilium.

Charitas non cogitat malum. 1. *ad Cor.* 13. Ad auferendas suspiciones omnes levibus causis innixas, omniaque temeraria judicia, memoria repetenda est eximia qualitas illa, quam S. Paulus impertit charitati: *Charitas non cogitat malum.* Charitas in alienis actionibus nihil mali suspicatur; omnia in æquiorem partem interpretatur, oculos habet columbæ, hoc est puros, simplices, & innocentes, neque alios tribuere potest animæ Deo placere cupienti. His utamur oculis aliena facta inspecturi; assuescamus æquos habere sensus de alienis meritis; in pretio, si fieri potest, habeamus bonas aliorum qualitates; difficile enim est, nullas reperire, si benignis oculis intueamur. Quod si nihilominus gravibus quibusdam defectibus aliquis scatet; non ideo tamen illum honore excipere, ac revereri cessemus, non propter defectus, sed propter ea, quæ eidem bona insunt, quæ eo in judicio, & existimatione, quam de illius persona habere debemus, superare debent quidquid in ipso vitiosum, & imperfectum deprehenditur.

Charitas suadet ne perperam umquam de aliquo judicemus. 1. ad Cor. 13.

Justum judicium judicate. Joan. 7. Deus non prohibet absolutè, ne de proximo nostro judicemus, dummodo justum proferatur judicium: *Justum judicium judicate.* Sæpe enim cogimur eos cognoscere, cum quibus agimus; prudentia petit, ne omnibus nosmet credamus; & in hac bonorum, malorumque immixtione, in qua vivimus, Deus ipse præcipit, ut alios quidem fugiamus, cum aliis verò necessitudinem ineamus. Quomodo verò illos dignoscere possumus sine discretione? Hæc autem discretio, quomodo potest fieri sine judicio? Hæc omnia vera sunt; Verùm distinguendum est etiam sapiens, & prudens judicium a temerario, inter quæ facile patet discrimen. Prudenter judicamus, cum hoc nobis persuasum est ex certis factis, ex frequenti experientia, & ex bonorum, cordatorumque virorum judicio; sed temerarium efficimus judicium, cum levibus conjecturis, ineptisque suspicionibus nitimur.

Deus non vetat judicare, sed inique judicare.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, ac Sententia Sanctorum Patrum hujus Argumenti.

DE occultis alieni cordis temerè judicare, peccatum est; quid enim sit in corde videre non possumus. August. lib. de vera innocent. c. 21.

Malus homo judicat in alio quod sentit in seipso, Idem, in Epist.

Nonne iniquum est ut quis de alio judicare velit, & de se judicare nolit? Epist. 174.

Temerarium judicium plerumque nihil nocet ei, de quo temerè judicatur, ei autem qui temerè judicat, ipsa temeritas necesse est ut noceat, Idem, de Serm. Dom. in mont. l. 2. c. 29.

Curiosum genus hominum ad cognoscendam vitam alienam, desidiosum ad cognoscendam suam. Idem, l. 10. Confess.

Non se multùm delet errare charitas, cum benè credit etiam de malo. Idem.

Omnibus cavenda est suspitio, quæ est venenum amicitiæ. Idem, l. de Amicit. c. 24.

Non in quæcumque laudanda, vel vituperanda, temerè irruamus. Idem, lib. 22. contra Faustum, cap. 26.

In iis rebus, quæ possunt & bono animo fieri & malo, judicium Deo dimittamus; nec audeamus de alterius corde, quod non videmus, ferre sententiam. Idem, super Epistola ad Rom. Propos. 79.

Temerariis judiciis plena sunt omnia. De quo desperavimus, subitò convertitur, & fit optimus; de quo multum præsumpsimus, subitò deficit, & fit pessimus. Idem, Serm. de Pastoribus.

Ii ma-

Ii maximè temerè judicant, qui magis amant vituperare & damnare, quàm emendare & corrigere. Idem, l. 2. de Serm. Dom. in monte.

Ubi mihi animus hominis ignotus est & incertus, melius arbitror meliora sentire, quàm inexplorata culpare. Idem, lib. 1. de Origen. anim. cap. 2.

Maxima pars generis humani, indiscreto judicio, ad reprehendendum prona & parata esse probatur; cùm tamen non ita se velit ab aliis judicari, quomodo vult alios judicare. Idem, Serm. 302. de Temp.

Suarum actionum negligentes, fiunt aliorum procaci libertate censores. S. Prosper, l. 2. de Vita Contempl.

Teipsum respice, tu qui alios judicas, esto aliquando tui judex. S. Cyprianus.

Spernentes hominum judicia, nec laudibus eorum extollamur, nec obtrectationibus contristemur. Hieronym. in Isaiam, l. 1. c. 3.

Si unusquisque de proximo judicat, quid Deo reservamus? Idem.

Quanta laude dignus error etiam de malè factis benè judicare. S. Paulinus.

Charitas non cogitat malum, id est, ignoscit iis qui errant, existimans ea non esse facta malo animi proposito. Theodoret. in hunc locum Apost.

Cæcitate odii in judicium impingent. Tertull. in Apologetico.

Quid nobis injustius esse potest? Nolumus in nobis rectum agnoscere, & de aliis audemus usurpare judicium. Salvian. l. 3. de Gubern.

Sic alios judica, ut ipse ab eis judicari cupis. Isidorus.

Neque si oculis tuis peccantem videris, condemnes; nec illis credas, sæpiùs enim falluntur, & ipsi. Joann. Climac. Gradu 10.

Sua cæcus ad crimina, ad aliena errata perlucet. S. Chrysolog.

Necesse est eam formam in te redire judicii, quam in alium ipse decernendam putaveris. Ambr. in Psal. 118.

Vult fieri judex alienarum culparum, qui gravatur pondere suarum. Gregor. in Ezech.

Superbi tantò infensiùs de alienis judicant, quantò sua profundiùs ignorant. Idem, ibid.

Humanæ mentis proprium est, hoc sibi fieri suspicari, quod facit. Greg. l. 14. Moral.

Ad proferendam sententiam, nunquam præcipites esse debemus, ne temerè indiscussa judicemus; ne qualibet audita nos moveant, & ne passim dictis sine probatione credamus. Idem, l. 19. Moral.

Quantùm vos in bono profecistis, tantùm bona etiam in aliis sentitis. Idem, libr. 6. Epistolar. Epist. 24.

Sicut difficilè aliquem suspicatur malum, qui bonus est, sic difficilè aliquem suspicatur bonum, qui malus est. Chrysost. super Matth.

Cave alienæ conversationis esse aut curiosus explorator, aut temerarius judex. Bernardus super Cantic.

Excusa intentionem, si opus non potes; puta subreptionem, puta casum. Idem, ibid.

Judicare est impudens direptio divinæ dignitatis; condemnare autem, animæ propriæ interitus. Idem ib.

Cum vides aliquid quod tibi displicet, vide si hoc est in te, & abscinde; si verò vides aliquid quod tibi placet, vide si hoc est in te, & tene, & si non est, assume. Idem, in Document. 1.

Durum est, ut qui nescit tenere moderamina vitæ suæ, judex fiat alienæ. Gregor. in Eccli.

Duo sunt in quibus temerarium judicium cavere debemus; cùm incertum est quo animo quid factum sit, vel incertum est qualis futurus sit, qui nunc vel bonus, vel malus apparet. Aug. de Serm. Dom. in monte.

Occulta pestis (temerarium judicium) sed gravissima, quæ Deum fugat, & fraternam lacerat charitatem. S. Bonav. in stimulo amoris.

Qui seipsum priùs non judicat, quid in alio rectum judicet, ignorat. Gregorius lib. 14. Moral. cap. 13.

Judicet ille, qui non agat eadem, quæ in alio putaverit punienda, ne cùm de alio judicat, in se ferat sententiam. Ambr. super Psal. 118.

Si tam acri cura nostra examinaremus, quemadmodum aliena, sincera, integraque judicaremus sententia? Chrysost. Hom. 37. sup. Matth.

Leviora fac aliorum pondera, ne in eadem damnationis trutina actiones tuæ deprimantur, quando vita nostra tamquam in lance Dei judicio examinabitur. Gregor. Nyssenus, in eos qui judicant alios acerbè.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia penu hoc in argumento possit depromi.

Temerarii judicii definitio.

SAnctus Thomas, notæque melioris Theologi hac in re consentiunt, temere judicare esse pravum concipere judicium de proximi actione ex levibus tantum indiciis & propter causas, quæ neque satis validæ habentur, nec justæ. Qua in re animadvertendum est, Sanctum hunc Doctorem, & alios pro temerario judicio nequaquam intelligere simplices cogitationes, immo neque involuntarias suspiciones contra proximum, quæ mentem occupant, quin fere hoc illa sentiat; sed certum, firmumque judicium, quod animo fit deliberato, ac libera voluntate, & quod efficit, ut illius, de quo judicamus, existimationem, quam habebamus, amittamus.

2. 2. q. 60. ar. 3.

Utrum temerarium judicium lethalis sit noxa, in tantum venialis. Ibidem.

Ecce quid doceat Sanctus Thomas de qualitate peccati, quod committitur temere de proximo judicium ferendo. 1. Judicium conceptum levibus indiciis, quæ efficiunt ut de alicujus probitate judicemus, ita tamen ut minus determinatam de illius improbitate opinionem habeamus, peccatum est, sed veniale dumtaxat. 2. Sin autem judicium firmum, vel existimatio in animo nostro concepta de aliena improbitate levibus tantum indiciis, vel conjecturis insistit, in re non mediocris momenti mortale peccatum est, quatenus hoc judicium procedit a contemptu, quo proximum nostrum aspernamur.

Unde oritur in nobis temerarium judicium quod de aliis facimus.

Opinio, quam habemus, vel judicium, quod facimus de alienis vitiis ex triplici fonte oriri potest. Primus est nostra nequitia, propter quam facile judicamus alios nostri similes esse, vel saltem illos nobis nequaquam esse meliores. Alter est prava dispositio, in qua sumus erga alios, qualis est contemptus, odium, invidia, ira, vel aliqua affectio. Tertius est diuturna rerum experientia; quamobrem senes maximè suspicaces sunt, eo quod hominum improbitatem experientia docti didicerunt. Haud abs re puto etiam istic animadvertere tres esse suspicionis gradus, per quos ad judicium temerarium devenitur. Primo quidem incipimus dubitare de alicujus probitate levia tantum indicia nacti; sed opinio hæc nondum firma, & constans est, altero judicamus, proximum nefarium aliquod facinus perpetrasse, idque haud hæsitanter, sed cum certitudine, & firmitate; quin tamen illud damnare audeamus: Tertio tandem certum judicium ferimus de aliena improbitate levibus acti conjecturis, eumque mox judicio nostro damnamus.

Ambigua nequitiæ proximorum indicia semper in æquiorem partem sunt interpretanda. S. Th. ibid. art. 4.

Ambigua alienæ improbitatis indicia, semper, ut Sanctus Thomas docet, in æquiorem partem sunt explicanda; hoc enim supposito, quod probationes, quæ alium nequitiæ insimulant, nobis nequaquam persuadeant, semper æquivocæ remanent, vel cum satis solidæ nequaquam sint, ut facti veritas luce meridiana clarius probetur, illum damnare non possumus, quin eidem inferamus injuriam, eumque contemnamus, bonam ei denegantes opinionem, quam de illius persona ha-

bere

bere debemus, & quam a nobis exigere potest; cum justitia, & charitas hac in re velint ea, quæ dubia sunt in meliorem accipi partem.

Bifariam temere judicari potest.

Operæ pretium est, animadvertere judicium temerarium bifariam posse fieri; primum cum res pro qua proximus judicatur, atque damnatur incerta est quoad veritatem quæ neque certa, neque constans est, sed tantum quorumdam hominum, qui non satis fide sunt digni narrationibus innixa. Secundò cum materia, vel actio, propter quam ad aliquem damnandum procedimus, ex iis rebus est, quæ indifferentes habentur, & quas S. Augustinus bonum inter & malum medias appellat; sed quæ in hanc, illamve partem inclinant secundum spiritum, rationem, & intentionem agentis. Priori modo dubitatio est ex parte facti quod satis certum non est; posteriori verò dubitatio est ex parte juris; quod obscurum, & ambiguum est: in altero incertum est utrum actio contigerit, in altero verò, utrum actio mala fuerit; at neutrobique fas est eum proximi detrimento decretoriam ferre sententiam.

Aug. l. 2. de Serm. Dom. in monte.

Judicium falsum potest non esse temerarium.

Judicia quæ de persona, vel actionibus alicujus fiunt, cum validis insistunt rationibus, & quæ humanitus persuadent, temeraria non sunt, non enim innituntur conjecturis, quæ leves habeantur; sed possunt, absolutè loquendo, esse fallacia, falli enim possumus, & res aliter habere se potest. Itaque quodcumque judicium, quod veritati conforme non est, non semper est temerarium, & injustum; ac pro tali tunc solum habendum est, cum probationes, quibus incumbit, moralem non habent certitudinem. Illud tamen verum est, probationem quæ humanitus certa videtur, nonnumquam fallacem reperiri, ideoque eidem absolutè ita inhærendum non esse, ut illi plena certitudo tribuatur.

Nefas non est de manifestis rebus ferre judicium, sed abstinere melius est. *Matth. 7.*

Judicium quod de aliquo fit propter explorata, compertaque scelera, licitum esse potest; quippe Dei Filius in Evangelio nos docet rationem probos ab improbis dignoscendi ex operibus eorum, quæ videntur extrinsecus, quemadmodum de arboris qualitate ex fructibus ejusdem conjicimus. *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Nihilominus cum sapientis sit bene judicare, melius est abstinere a judiciis, & perfectius est pro virili excusare, & criminis gravitatem imminuere, & ubi hujusmodi occasiones adsint, uti cognitione, quam nobis permittit Evangelium, magis ne sequamur, & imitemur, quod damnabile judicamus, quàm ut de eodem absolutè feramus judicium; cum enim judicium fertur, semper imminet periculum, ne rem dubiam pro certa, obscuram pro manifesta sumamus, vel judicium feramus cum indignatione, contemptu, vel aliquo vindictæ motu, quod optimas quaslibet actiones vitiosas facit. Tunc igitur satis esse debet in iis etiam, quæ manifesta videntur, judicare, & damnare peccatum, Deo vero peccatoris judicium relinquere.

Quid faciendum cum justa subest causa diffidendi de aliquo.

Fieri potest, immo sæpe contingit, ut justa adsit occasio diffidendi de aliquo, & satis valida occurrant indicia, propter quæ merito aliqua de eodem nobis oboriatur suspicio: exempli gratia, aliquid a servo sublatum fuisse. Hujusmodi in occasionibus certum est, posse quemlibet sibi cavere, necessarias habere quæstiones, ut facti veritas constet: verum nihilominus judicium proferendum non est, quia non satis certi sumus de facto, neque imitandi sunt heri quidam, qui ob leves suspiciones palam affirmant, servos suos suffuratos fuisse, atque ita apertè judicant, ut maxima cum injustitia illos pacta mercede fraudent, quia satis certi sunt hanc se illis debere, at certi non sunt, rerum quod sibi deest, a servis fuerit sublatum. Hoc ipsum dicendum est de illis, qui actionibus alienis invigilare tenentur. Judicium suum debent suspendere; cum de re satis non constat; quod tamen obesse non debet, quominus ea, quæ fiunt diligentiùs inspiciant, quippe reddituri sunt Deo rationem totius mali, quod per negligentiam non prohibuerint.

Judicium temerariū per se malum est.

Judicium temerarium ex numero earum actionum est, quæ essentialiter malæ sunt, & quæ ob quasdam circumstantias excusari non possunt; quia directè opponitur æternæ justitiæ. Hoc tamen peccatum varios potest gradus admittere, & modò majus esse, modò minus pro objecti sui qualitate, & causis, ex quibus oritur, & effectibus, quos producit. Objecti qualitas illud auget, vel imminuit; etenim quò majoris momenti sunt res, eò cautiùs de illis est ferendum judicium; ideoque nocentior est, qui de illis temere judicat. Causæ, ex quibus oritur, illud plus, minusve magnum efficiunt, quia ignorantia, quæ illius comes est individua, plus, minusve nequam est pro varietate causarum, a quibus producitur, & quæ longe inter se possunt differre. Labimur nonnumquam simpliciter ob nimiam festinationem, quæ efficit, ut pro certo quod incertum est, sumamus. Nonnumquam obstinatus in sententia nostra animus prohibet, ne factum ad examen revocemus ea cura, quæ ad erroris veritatem dignoscendam esset necessaria. Sed vulgatissimus hujus ignorantiæ, quæ semper cum temerariis judiciis cohæret, fons est nequitia, & particulare odium, quo eos persequimur, de quibus hoc pacto judicamus.

Judicia temeraria sunt præventionum causa.

Temeraria judicia fontes sunt earum, quas dicimus, præventionum; vel potius præventiones non aliud sunt, quam temeraria judicia, quæ fiunt de spiritu, dispositione, vel intentionibus aliorum, quibus nos præoccupari sinimus; nam sicuti nullus inveniretur pictor, qui delineandam suscipere vellet alicujus imaginem secundum eam descriptionem, quæ obiter eidem traditur, nos e contra sæpe nobismet fingimus aliorum imagines secundum inconsideratos hominum sermones, vel secundum perfunctoriam actionem aliquam; & hac idea tamquam clavi utimur, ut omnem eorum vivendi rationem metiamur, & veluti norma quadam, ut cum illis agamus.

Temere judicat, qui de aliorum intentionibus judicat.

Nulla sunt judicia æquè palam temeraria, ac illa, quibus aliorum rationes, atque intentiones penetrare contendimus; præsertim verò cum aliquas illis appingimus, quas ipsi diffitentur; immo etiam affirmare possumus in hujusmodi judiciis nonnibil inesse Deo magis contumeliosum, quàm in aliis, quia ille peculiariter sibi reservatam voluit cognitionem secretorum cordis, quam neque dæmonibus, neque Angelis ipsis tribuit.

De judiciis quæ ex aliorum narratione feruntur.

Injustum profectò est absoluto judicio statuere aliquem nocentem esse, ex indiciis quibusdam, quæ certa non sunt; sed neque certè innocens judicari potest, cum in illum satis validæ pugnant conjecturæ, quæ nulla re diluuntur . . . Eorum autem, qui sinceri habentur, narrationes, tenent locum conjecturarum, necessariò igitur mentem tenent in ancipiti, quo in statu qui est, nequaquam prohibetur agere secundum hunc statum; quamvis minimè liceat hoc in statu absolutum ferre judicium.

Judicium temerariū suapte ingenio mortale peccatum est, & quid obest, ne tale sit.

Iis, quæ a nobis allata fuerunt, innixi principiis docent omnes Theologi, temerarium judicium esse mortale peccatum ex se, atque natura sua, non secus atque obtrectatio, cujus ut plurimum causa est, quid tamen (non secus ac ubi de reliquis mortalibus peccatis sermo) intelligendum est, cum de re magni momenti agatur, cum plena adest deliberatio, ac rationabilis causa, propter quam ita judicetur. Si enim temerarium judicium circa res minoris momenti versetur, veluti cum proximi existimatio non admodum gravi vulnere læditur, hujus nequitia judicii ad mortalem usque noxam nequaquam videtur procedere. Ad hæc opus est, ut homo sui sit compos, & quod agit, consideret; atque ut sit grave peccatum requiritur adhuc, quod indicia quibus hoc judicium innititur, levia sint, futilesque rationes. Ad hæc cum actio per se in neutram partem inclinat,

teme-

temerarium est inde malam eruere velle illationem, nisi plures simul circumstantiæ probabilissimam rationem efficiant.

In quo temerarii judicii nequitia consistat.

Temerarium judicium semper est injustum, non solum quod proximo aufert existimationem, quam de illo habemus, & ad quam jus habet, donec se eadem minimè præbuit indignum actionibus, quæ palam sunt malæ; verùm etiam 1. Quod hoc est judicare sine auctoritate, & sine legitima potestate, atque Dei ipsius jura invadere, quemadmodum Apostolus inquit. *Tu quis es, qui judicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit.* (*Ad Rom. 14.*) 2. sine necessitate, quia id genus judicia nemini debentur, & nemini jus est eadem exigendi. 3. sine cognitione; nemo enim proximi sui intentionem potest scrutari. 4. sine teste, atque sine persuasione, quia nemo est, qui certum testimonium perhibeat. 5. sine ordine contra omnes divinarum, humanarumque legum regulas, quæ numquam patiuntur, aliquem privata auctoritate contra proximum suum fieri judicem simul, & adversarium. Hoc denique est damnare sine justitia contra omne jus, & fas de illis, contra quos neque probationes, neque cognitiones habentur; quodque magis deplorandum est, & frequentius accidit, homines vitiis coinquinati seipsos alienorum defectuum judices severos constituunt.

Sola temerarii judicii notio peccati hujus enormitatem ostendit.

Notio, quam Sancti Patres, atque Theologi tradunt de temerario judicio, vel una ipsa per se satis hujus peccati enormitatem ostendit. Hoc judicium est, non simplex cogitatio, in quo animæ nimis religiosæ decipi possunt; judicium est non simplex suspicio, licèt suspicionem aliquando peccatum esse posse non negem. Judicium est temerè prolatum, quia cum sufficientes adsunt rationes, judicium temerarium non est, licet esse possit falsum. Hoc igitur judicium est sine causa, & sine ratione latum in proximi præjudicium, atque detrimentum, quod sufficit ut innotescat, quantopere charitati peccatum hoc opponatur.

Quinam præ cæteris magis expositi sint temerariis mortalium judiciis.

Ut melius agnoscantur, quinam sint temerariorum judiciorum rei, animadvertendum est triplicem esse hominum speciem, qui præ cæteris particularibus mortalium judiciis patent, propter hoc hominum studium, qui suopte ingenio feruntur, ut in malam partem ferant judicium. Primi sunt viri boni, quorum probitas, & virtus perspecta est; non enim desunt censores, qui virtutem hypocrisis nomine insimulant, & qui de eadem pro varia cordis sui affectione dijudicant. Alii sunt illi, quorum vitæ ratio nos fallit; eadem enim humani cordis improbitas præsumit in illis abdita semper latere vitia, quæ parum æque ac virtutes eorum agnoscuntur. Tertii illi sunt, quorum vitia, atque flagitiosum vivendi genus omnibus patent, & erga tres has hominum species, Judex supremus hoc nobis tribuit præceptum, quamdam veluti omnium judiciorum normam: *Justum judicium judicate.* (*Joan. 7.*) Non enim ait, omnino judicandum non esse, sed justum esse judicium judicandum.

Varii gradus judicii temerarii.

Ut plenam peccati hujus cognitionem habeamus, tres veluti gradus cum D. Thoma sunt distinguendi; primus est, de proximi virtute ambigere; alter de eadem malè suspicari; tertius judicare. Primus fit, cum visis hinc inde rationibus in ancipiti hæremus, quin in alterutram partem inclinemus. Suspicio paulò magis in partem lævam inclinat; cum videlicet proniores sumus ad malum credendum, quin illud tamen asseramus. Tertius gradus, perfectum videlicet judicium est, cum rem pro certa, atque indubitata affirmamus. Quamvis in singulis hisce gradibus aliquod malum minimè desit, plus tamen in altero est, quàm in primo; suspicio enim semper in malam partem inclinat; licet hæc suspicio nondum sit efformatum judicium. Tertius gradus adhuc est utroque nocentior, quia non est dubitatio, vel simplex suspicio, sed apertum judicium, in quo subsistimus, & quod in mente nostra est quædam veluti decretoria sententia, & irrevocabilis.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, recentioribusque Concionatoribus loci hujus Argumenti.

Quam iniquum sit temerarium de aliorum interiori parte judicium.

SI mortalium nemo proximi sui cor potest cognoscere; si ipsa etiam Ecclesia licet JESU CHRISTI numine afflata illius cognitionem non habet, & de eodem non judicat, quanam de causa contenditis hæc vobis lumina adesse, atque super hæc judiciorum, ac decisionum vestrarum certitudinem constituere? Quænam hæc est species judicii, ubi omnia occulta sunt, & nihil certum? ubi omnia ambigua sunt, & nihil manifestum? ubi omnia tenebris involuta sunt, & nihil luci expositum? Quænam judicii species, ubi qui judicatur, indicta causa damnatur, quin illi tempus sese excusandi præbeatur, quin ille de rei veritate inquiratur, quin ad examen vocentur, atque ponderentur rationes, quæ illum vel onerare possunt, vel absolvere? *Joly Tomo 3. Propositionum pro decima post Pentecostem Dominica.*

Judicium temerarium ut plurimum oritur ex inordinato aliquo affectu.

Horum temerariorum judiciorum injustitia in hoc præsertim apparet, quod sese illis immiscet affectus, qui prohibet, ne æquum judicium feratur. Quid efficit, ut Pharisæus adeo male loquatur? Superbia, bona, quam de se ipso habet, opinio, atque in commentitiis virtutibus suis confidentia. *In se confidebant tamquam justi, & aspernabantur cæteros.* Secretò sibimetipsi complacet, & quemadmodum naturæ, & fortunæ talenta divisa esse non possunt, minimè credit se melius superbiæ suæ satisfacere posse, quam si alios contemnat. Anima, quæ sine ægritudine, sine præoccupatione, sine amoris proprii motu loquitur, suos tantum respicit defectus; vel si sibimet persuadet, se nequaquam labi in aperta flagitia, in quæ nonnulli labuntur, videt etiam & nequaquam possidere tot perfectiones, quot in supremo gradu in aliis elucent. *Idem.*

Temerarium judicium est divini juris usurpatio.

Judicium quod fers de proximo tuo, aperta est divini juris usurpatio. Proximus tuus estne sub jurisdictione tua? & qua fronte superbia tua illum sententiæ, ac libidini tuæ submittere cupit? Illum judicas, verum quisnam tibi hanc contulit auctoritatem? Numquid Deus? *Domino suo stat, aut cadit.* (*Ad Rom. 14.*) Coram illo vel stat, vel cadit, coram illo redditurus est actionum suarum rationem, & Deus qui cordi habet jura sua, te in eorum partem vocare non vult; sed quod illius tibi negat justitia, hoc sibi tua superbia, tuusque affectus usurpant. *Idem.*

Temerarium judicium excipit charitatis jactura.

Ex pravo hoc studio temere de aliis judicandi, plures perniciosi effectus oriuntur; præsertim verò christianæ charitatis jactura. Ex quo nobis malè audit proximus, illum amare cessamus, Cassiodorus inquit; qui hac de causa suspiciones, & temeraria judicia *Amicitiæ venenum* appellat. Fratrem tuum intra te improbas? jam exuis amorem illum, quem bona existimatio de eodem concepta pepererat; cumque ille maxime gaudeat apud te æque ac apud alios bene audire, hinc conjice quantam eidem inferas contumeliam. *Idem.*

Judicium temerarium præ cæteris nequissimum & in sequiorem partem actiones bonas interpretari.

Hoc autem judicium coram Deo magis criminosum fit, cum de bonis aliorum actionibus perperam judicatur; exempli gratia si quis extrinsecus aliqua pietatis edit indicia, illum tamquam hypocritam conaris traducere. Quid fecerat Publicanus, ut adeo contumeliosam Pharisæi in se censuram converteret? Scriptura nullibi de illius concussionibus, aliisve criminibus verba facit. Sed quid actu faciebat quod tantam mereretur injuriam? Faciebat id, quod ipsi faciendum erat, ut vir bonus haberetur, vel ut veniam consequeretur, si anteacta vita flagitiosa fuisset. In ima Templi parte substiterat, nec oculos quidem in

Cœlum

Cœlum audebat attollere, pectus suum percutiebat, atque Dei misericordiam precibus fatigabat: *Deus propitius esto mihi peccatori*. Alius quilibet præter Pharisæum, cujus spiritus, & cor nequaquam fuisset corruptum, dixisset: hic bonus est homo, qui ductus patratorum criminum pœnitentia a Deo veniam deposcit. At superbus hic Pharisæus prorsus aliter judicat, eodem momento, quo Publicanus humilitate, dolore, aliisque religionis signis prorsus oppositos illi sensus debebat immittere. Quid ergo dixisset, si illum vidisset primas in templo sedes appetentem, vel si minus decoro habitu corporis illum stantem fuisset intuitus? Eum videt in humiliationis, & pœnitentiæ statu, in infimo Templi loco, illius audit gemitus, & suspiria, & tot licet præbeat conversionis indicia, illum tamquam improbum hominem reputat. *Idem*.

Salvatur uti noluit jure suo homines judicandi cum versaretur in terris. Joan. 3.

Dei Filius admonuit, se non venisse ut mundum judicaret, sed ut illum salvaret: *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum*. At si Dei Filius ita egit, num major aliqua nobis auctoritas adest? Et si ille cum a Patre omnem recepisset potestatem, quæ ad judicandum requiritur, hoc uti noluit; qua fronte justitiæ tempus prævertemus nos, qui omni jure sumus destituti? Qua fronte, inquam, prævertemus tempus illud, quod Deus ipse patienter se expectaturum profitetur, ut de hominum justitiis dijudicet? *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo. P. Bourdalove in primis sermonibus sub ejus nomine editis, Sermone pro feria tertia post quartam Quadragesimæ Dominicam*.

Psal. 74.

Nemini parcitur in judiciis temerariis quæ de statibus, & conditionibus omnibus fiunt.

Maximum, quod in temerario judicio occurrat malum, hoc est, quod videlicet reipublicæ ordinem, atque œconomiam subvertit; quod efficit, ut subditi non vereantur superiores suos, neque fratres fratrum suorum ullam habeant rationem; malum quod ubique regnat, licet ubique damnetur, atque puniatur. Neque ipsis Regibus diademate redimitis, neque infulatis Domini ministris parcitur. Nequicquam dicit Deus: *Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari*. Nequicquam prohibet, ne terrestibus hisce numinibus obtrectemus, & ne præceps, pravumque judicium de principibus populi efficiamus: *Diis non detrahes, & principibus populi non maledices*. Nequicquam hæc ille vetat; prurigo, quam habemus de rebus omnibus loquendi, omnia censuria nota perstringendi, efficit, ut nemini parcamus, & temere judicemus de re quacumque, quæ sese nobis offert; cumque Constantinus Imperator numquam judicare voluerit causam quorumdam Episcoporum, quos legitime damnare, ac vituperare poterat, testatus e contra se malle paludamento suo eorum peccata contegere; nos prorsus opposita ratione quoscumque nostris censuris submittimus, quamvis sexcentis in rebus ab illis superemur. *Idem*.

Psal. 104.

Exod. 2. 2.

Quodcumque accidat, quæcumque nobis adsit curiositas cognoscendi virtutes, vel defectus fratrum nostrorum; quamcumque proclivitatem in hæc judicia nobis corrupta tribuat natura, semper ad hoc JESU CHRISTI præceptum redeundum est: *Nolite judicare, ut non judicemini*. Ne eam vobis auctoritatem vindicetis, quæ vestra non est, ne vobis experiendi sint tristes effectus illius severi judicii, quod fiet in eos, qui sine jure, & sine misericordia judicaverint: *Nolite judicare, ut non judicemini. Idem*.

Matth. 7.

Defectus cognitionis efficit, ut judicia temeraria coram Deo culpa non vacent.

Hominum judicia temeraria sunt, ideoque a Deo reprobata; quorsum? Quia nullum certitudinis habent gradum, nullam solidam rationem, cui possint inniti; etenim ut Scripturæ verbis utar, filii hominum vani sunt, & mendaces in stateris suis, ut seipsos decipiant, & bonam amittant opinionem, quam habent de fratribus suis, atque ut mox alios quoque decipiant. Quid ergo requireretur, ut hæc judicia legitima fierent; hoc videlicet, quod de rebus ex earum essentia judicaremus, ne cortici tantum nequaquam hæreremus; ne ea tantùm spectaremus, quæ sunt manifesta, quin quæ manifesta non sunt, scrutaremur; atque ut cum aliis pro illis quidem bonam, pro nobis malam præ nobis ferremus opinionem. Hoc si ita esset, sanum judicium proferremus; sed in decisionibus nostris omnino cæci sumus. *Idem*.

De rebus ex earum specie judicandum non est.

Æquumne profert judicium, qui de rebus juxta earum species, & conjecturas judicat? Quot videmus, qui cum extrinsecus imperfectionibus scatere videantur, intus tamen frugi, bonique sunt? Quot videmus, qui sine dissimulatione, hypocrisi, & affectione agentes ea faciunt, quæ nobis mala videntur, & quæ tamen in oculis Dei laudabilia sunt, & cum virtute conjuncta? Hac de causa vetat Salvator ne secundum rerum speciem judicemus, sed ut rectum, æquumque judicium feramus. *Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate. Idem*.

Joan. 7.

Temerariũ judicium est judiciũ sine æquitate.

Mira sæculi corruptio! De aliis sine æquitate judicamus; de illis judicamus non secundum bonas eorum actiones, sed secundum eas, quæ nobis malæ videntur; de illis malè judicamus, quia rebus nostris non student; inde oriuntur suspiciones, inde obtrectationes, inde censuræ, inde aliorum quidem prælationes, aliorum verò repulsæ; sed eum, qui rei nostræ utilis est, hunc magni facimus, hunc diligimus, hunc in pretio habemus, & cum hæc utilitatis nostræ ratio nos excæcat, omnia simulamus; ac nobismet exhibemus universa longe aliter, ac sunt &c. *Idem*.

Judicium temerariũ omnia veneno inficit, efficitque, ut bonum pro malo sumatur.

Judicium temerarium omnia prævertit; frustra in homine virtutes nitent; si devotus est, hypocrita dicitur; si rei familiari intentus, & frugi, avarus vocatur; si quid pauperibus erogat, prodigus habetur; si dimittit injurias, ignavus, & iners appellatur; si Dei zelo succensus in eos invehitur, qui illius Templum polluunt; insanus, & furens creditur; si sincerus est, simplex putatur; si tegit, quod tacendum est, subdolus, improbus, dolosus, dissimulatus existimatur: adeo nihil effugit notam improborum censorum de rebus omnibus judicantium. *Idem*.

In Dei judicio reddenda nobis erit ratio de omnibus temerariis judiciis, quæ fecerimus.

Magnum secretum evitandi aliquando judicii Dei hoc est, numquam temere judicium proferre: *Nolite judicare, & non judicabimini*. Quid dicemus Deo de hac improbitate, qua adeo temere fratres nostros judicamus? Quid illi respondebimus, propter ambages illas, atque circuitus, quibus usi sumus, ut judicia nostra probaremus? Quid illi dicemus pro illis omnibus, quos fefellimus, & qui nostrum secuti exemplum & ipsi temere judicarunt? Quodnam jus nobis erat, ut hoc pacto judicaremus? Tunc igitur obstructum erit os meum, quin aliquid respondere valeam; & postquam alios judicavero, meipsum judicabo, & accusabo, quod in hanc insaniam ceciderim, ac talia judicia protulerim. *Idem*.

Mala, & crimina, quæ ex temerariis judiciis proficiscuntur.

In his temerariis judiciis quædam adsunt profunditates, quæ penetrari non possunt; ex abysso in abyssum fit lapsus; & ex hac in aliam. Ex temerariis judiciis proficiscuntur inimicitiæ, obtrectationes, jurgia, injustitiæ, cædes, aliaque quamplurima mala, quorum experientia nimis funesta est. Opus est ergo, ut qui de aliis judicat, in judiciis suis sit moderatus, & parcat proximo suo, ut sese iis rebus nequaquam immisceat, quæ ignorat; quia hoc temerarium judicium est sine jure, sine æquitate, sine cognitione; posthæc si nondum peccatum hoc perhorrescis, fateor me tuæ saluti metuere . . . Verus fidelis de nullo temere judicat, at scio non deesse quamplurimos, pietatem profitentes, qui hoc abutuntur nomine, & sub hoc caractere sese rebus immiscent omnibus, & de quibuscumque judicare volunt. *Idem*.

Quoddam judicium licitum est, quoddam vetitum.

Præcipit Dei Filius in Evangelio, ne secundum rerum speciem, sed secundum rei justitiam judicemus.

cemus, Adest ergo judicium quod permissum est, & alterum, quod vetitum est; quæ est Sanctus Hieronymi sententia dicentis, Salvatorem nequaquam prohibuisse, ne judicaremus; *His non prohibuit judicare, sed docuit.* Ambigi nequit, quominus eorum scelerum, quæ omnibus explorata sunt, judicia sint licita; sed temerarium judicium nobis interdictum est; judicium inanis curiositatis, quæ efficit, ut improbe in lucem afferamus actiones proximi, præsertim verò cum non diligimus illum, atque lævum de eis judicium feramus, quæ nihilominus in equiorem sensum possumus interpretari, declarantes aliquid malum esse, quamquam intentio, quæ nobis ignota est, illud efficere bonum potuerit; quod quidem maximi momenti peccatum est, quia ex diametro opponitur charitati, *quæ non cogitat malum.* E contra nihil magis consonum est Christianæ simplicitati, quæ tantopere commendatur, quam sese alienis non immiscere factis, & semper in æquiorem sensum explicare, quod videtur ambiguum. Amor proprius nos in propriis defectibus excæcat; sed Christiana charitas, Sanctus Bernardus ait, deberet nos excæcare ne proximi nostri defectus intueremur, ne possemus curiosiùs actiones illius perscrutari, & de illis parum æquum judicium ferre, *Abbas de Monmorel Tomo 3, Homil. Homilia de prima post Pentecost. Dominica.*

Comment. in Matth. l. 1. c. 7.

Ad Cor. 13.

Peccatores, quorum crimina cognita sunt, non sunt a nobis damnandi.

Talis est communis eorum injustitia, qui auctoritate propria sibimetipsis Tribunal constituunt, ubi nocentem tamquam venia indignum non in hac solum, verum etiam in altera vita condemnant. Ita Pharisæi Publicanos respiciebant tamquam perditos homines, de quorum salute jam actum arbitrabantur. Hanc autem damnationem Dominus prohibet. *Nolite condemnare*; non enim scire possumus quisnam futurus sit ille, qui supplicio dignus videtur, nec assequi, quo spiritu ille operetur. Qui vitam suam in sceleribus traduxit, animam exhalare potest in gratia JESU CHRISTI, quemadmodum qui hodie justus est, cras potest perverti. Talis est hominis fragilitas, talis Dei misericordia, talia incomprehensibilia ejus judicia, & non vestigandæ viæ ejus; Deo uni judicium, atque damnatio reservata sunt; nostrum non est, inquit Apostolus, judicare ante tempus, donec Dominus adveniat, qui abditissimas cordium cogitationes revelabit. *Idem.*

Sæpe in aliis damnamus ea, in quibus nosipsi peccamus.

Quænam est iniquitas nostra cum per insanissimam cæcitatem in aliis hoc ipsum corripimus, in quo nos etiam nocentes sumus? Dominus, qui absolutè statuere vult charitatem in corde discipulorum suorum, illis promittit, futurum ut minimè damnentur, nisi proximum suum condemnaverint. Verum illud quoque affirmare, & ipsi possumus, quod cum alios damnamus, tunc nosmetipsos ore proprio judicamus; atque Deum ipsum cogimus, ut contra nos eamdem ferat damnationis sententiam, quam ipsi in proximum tulimus, quemadmodum olim ad Romanos scribebat Apostolus. *Propter quod inexcusabilis es, o homo omnis, qui judicas. In quo enim judicas alterum, teipsum condemnas, eadem enim agis, quæ judicas. Idem.*

Luc. 19.

Idem Rom. 2.

Pro viribus peccatores excusare debemus.

Si Domini lex prohibet proximum damnare; si hoc ex nobis propria utilitas poscit, ne per eam damnationem, quam in alios ferimus, & ipsi damnemur, debemus etiam ex charitatis principio peccatores excusare, & quantum in nobis situm est, scelus eorum imminuere, quin tamen sinceritati, & veritati officiamus. Ita Sanctus Bernardus ait, si actionem probare non possumus, intentionem excusemus, vel noxiam in peccatis ignorantiam, vel oscitantiam, vel circumstantiam aliquam rejiciamus . . . Sin autem factum tale est, ut nullam admittere valeat excusationem; nobismetipsis dicamus: profectò vehemens, violentaque tentatio fuit; quid ipse facerem, si æquali certamine oppugnarer? *Idem.*

Si qui temere de aliis judicium ferunt, eam, quam sibi inferunt, injuriam cogitarent, eaque supplicia, quæ in suum caput detorquent, næ illi quidem cautiùs, parciùsque judicarent. Sive enim bonas aliorum actiones pressiùs judicent, seu malas sine misericordia condemnent; certi esse debent idem sibi imminere judicium. Verum si quod bonum est, malum judicant, audiant Apostoli judicium; *Tu quis es, qui judicas alienum servum?* Temetipsum damnas eo in judicio, quod fers in alium; eadem quippe facis, quæ judicas. *Liber cui titulus: Passiones Domini nostri.*

Quam sibi inferant injuriam, qui alios temere judicant.

Cum homo impatiens, exempli gratia, aliquem videt quidquam patienter ferentem, ex se ipso de illo fert judicium, & statuit hunc non patientiæ effectum esse, sed meram esse dissimulationem. Impius, ac tepidus hypocritam putat eum, qui Christianæ religionis precibus, atque officiis vacat; censet enim se nonnisi per hypocrisim tantumdem efficere posse. Nefarii homines odio, iræ, ignaviæ, superbiæ, simulationi, vel alii cuipiam flagitio, quod experiuntur in se, omnia accepta referunt opera bona, quæ viros bonos facere intuentur; mala enim judicia fere semper ex pravis studiis oriuntur, quæ in judicantis corde delitescunt. Hoc satis crebrò nos docet experientia. Idem bonum opus, quod alteri optimum præbet exemplum, alteri scandalum adfert. Jejunium, oratio, pia colloquia quotidie opposita patiuntur judicia, neque alia hujus rei causa est, nisi quod homines ita judicantes non sequuntur suæ mentis lumen, sed cordis sui dispositionem; quæ quo nequior est, eo iniquiora in proximum judicia feruntur. *Idem.*

Improbi de aliis ex se ipsis, & ex cordis sui pravitate judicant.

Quamvis judicari minimè debeat bonum, quod palam malum est; hoc enim judicium judicio Dei prorsus esset oppositum; certum nihilominus est ita cautè ferendum esse judicium, ut amor proprius, & cordis nostri corruptio in judicii partem non veniant, alter proximum judicantes, nosmetipsos damnabimus, ita enim ostendimus in nobis saltem adesse radicem mali ejus, quod in fratribus vituperamus, & nisi Deus gratiæ suæ nobis opem afferret, nos quoque in eadem lapsuros crimina, quorum reos ducimus quos damnamus, *Idem.*

De rebus manifestis caute judicandum.

Cum nosmet pronos agnoscimus in hoc de aliis temere judicandi vitium, sæpe cogitare debemus, nos iis esse nequiores, quos judicamus . . . Ita in nosmetipsos convertenda sunt omnia mala judicia, quæ nobis contra proximum suboriuntur; agnoscenda in nobis est corrupta radix, quæ illa producit; semper inquirendæ sunt aliorum excusandorum rationes; quas si minimè reperiremus, coram Deo fatendum est, nos illis esse deteriores, quia tot licet luminibus ab eodem illustremur, illi tamen resistimus; & si illi, quos adeo imperfectos judicamus, eadem lumina assequerentur, ad frugem ocyùs redirent. *Idem.*

In nosmet ipsos convertenda sunt mala judicia, quæ in alios ferimus.

Non desunt quidam, qui rebus in omnibus aliquid, quod objiciant inveniunt, & quibus nihil recte factum videtur. Suam tantum libidinem, suumque sequuntur ingenium, atque facile judicant, & damnant ea etiam, quæ ignorant. Secreta cordis eorum nequitia, ac spiritus contradictionis illos agit, ut ea vituperent, quæ ab omnibus celebrantur, atque censoria nota perstringant pietatem, humilitatem, & charitatem eorum, qui propter has virtutes commendantur eousque, ut semper aliquos in illis deprehendant defectus, quæ ipsorum dumtaxat oculis apparent. Affirmant, lumine veritatis prohiberi, ne communem sensum sequantur, eosque rationis compotes dumtaxat arbitrantur, qui in eorum abeunt sententias . . . Hæc improbitas nos semper excæcat; & prætérquamquod vulgò fallimur de aliis judicium ferentes, cum nulla re judicium ferre cogimur; in periculum adducimur nihil eorum videndi, quæ in nobis fiunt, cum oculi nostri aliò conversi sunt.

De spiritu contradictionis quo rebus omnibus aliquid objiciendum reperitur.

Unica

Unica ratio perniciosas hasce evitandi tenebras est, nusmet colligere ; ac nosmetipsos secundum veritatis regulas judicate, atque damnare, quin alios redarguere, & corrigere audeamus, donec aliquid in nobis redarguendum, & corrigendum adfuerit; ut hoc pactu Dei erga nos prævenientes judicia, illum eogamus nobiscum agere potius secundum misericordiæ suæ lenitatem, quam secundum severitatem justitiæ. *De Sancta Martha Presbyter. In asceticis tractatibus. Tomo 1. Tractatu de directione, & peccatis venialibus.*

Non levius peccatum est omnes aliorũ defectus probare quam omnes eorum bonas actiones perstringere.

Non desunt, qui contradicendi libidina, vel inordinatæ amicitiæ, vel salsæ miserationis motu, probant, vel excusant in statribus suis eos defectus, quos omnes in illis & vident, & damnant. Illos temerè landant, atque rationes comminiscuntur, quibus tueantur contra eos etiam, quibus jus est illos eorripiendi; quin cogitent rationum suarum potissimam, cæterarumque fontem propriam esse affectionem. Profectò quemadmodum periculum est, si dicas lumen non aliud esse, quam tenebras, non minus periculum est affirmare tanebras esse lumen. Nihil nos magis excæcare potest, quàm cupiditas probandi illus, qui cæcè operantur. Non procul absumus ab iis rebus efficiendis, quas laudamus in aliis; quas licet non faceremus, tamen in partem accedimus ejus mali, quod illis inest, cum eas probamus in aliis. *Idem.*

Quid faciendũ cũ proximi defectus sunt manifesti.

At enim quid faciendum est, cum proximi defectus, & vitia sunt manifesta? Deflendi sunt illi, in quibus adsunt; hæc verò æternu sunt obruenda silentio; nisi necesse sit de illis loqui, ut eisdem medicina afferatnr. Verum mementote, numquam a nobis damnari proximum nisi propter nosipsos; atque secreta amoris proprii affectione nos assurgere prout illum deprimimus. Hoc præstabat Evangelicus ille Pharisæus, qui se ipsum laudans, Publicanum verò contemnens in se JESU CHRISTI damnationem converrit: *Dico vobis, descendit hic justificatus in domum suam ab illo. Abbas Trappensis Tomo 4. Collationum, collatione pro die Sanctorum Ordinis.* Luc. 18.

Dei unius est judicare.

Dei unius est judicare, præsertim verò de hominum intentionibus. Hoc jus est essentiale divinitatis, & quod alienari non potest. Cor huminis sanctuarium est, quo præter Deum ingredi fas est nemini. Unus ergo ille motus hominis cognoscere potest; unus ille de ejus intentionibus judicara; & qui judicium hoc sibi vindicat, hic Dei jurisdictionem usurpat, hie Dei sibi arrogat auctoritatem. Deus unus secretos conscientiæ nostræ sinus scrutatur; quæ ibi transiguntur, ad Dei unius tribunal pertinent; homines nihil ibi introspicera possunt. Verum est in terris constitutum fuisse pœnitentiæ tribunal, ubi hominibus permissa est judicandi facultas, sed nonnisi Vices illius gerentes, atque secundum nocentis ipsius testimonium possunt proferre judicium. Peccator apud illos innocens est, statim ac se nocentem esse negat. Ad hæc ibi nequaquam sopremum obtinent jus; eorum quippe sententia ad Dei Tribunal provocatur. Heu! Domine, quam metuenda sunt judicia tua; quomodo alios judicare ausim, quandoquidem alios judicans memet toti judiciorum tuorum objicio severitati? *Pat. Nepueu Tomo 3. Considerationum Christianarum.*

Injuria, qua proximo infertur temerariis judiciis.

Qui temere judicat, non Deo solum, verum etiam proximo suo facit injuriam. Quodnam jus habet ille judicandi? quinam hoc illi contulir jus? Hoc nonnisi a Deo habere potest; at Deus hoc illi palam interdicit? Attentus, & perspicax in vel levibus, vel commentitiis proximi tui defectibus, cæcutis in tuis, qui veri sunt, & graves: *In quo judicas alterum*, inquir Apostolus, *te ipsum condemnas*; tu enim temere de alienis criminibus judicans nocentior illo es, quem condemnas. Proximus tuus jus habet ad existimationem suam donec nihil operatus est palam nefarium: ideoque temerarium judicium tuum, & contemptus, qui illud subsequitur, manifesta est injustitia. Te reum putares, si obtrectationibus tuis effecisses, ut frater apud alios existimationis suæ jacturam pateretur; & innocens es, cum temerario judicio, tuam illi aufers existimationem, ad quam nihil minus juris habet? *Idem.*

Quid nobis dicendum, & cogitandum sit aliquid palã scelestũ intuitis.

At enim, cum aliquem audio jurantem, blasphemias evomentem, iræ fræna laxantem, vi utentem, aliaque id genus audentem video, numquid temere judico, si hunc perperam agere censeo? Attendite, si vobis lubet; non possumus, neque debemus dicere hujusmodi actiones esterius malas non esse, ne illo percutiamur maledicto, quod Isaias Propheta jaculatur in eos, qui bonum vocant, quod malum est, & malum, quod bonum; verum quod ad interiorem animi partem spectat, quis affirmare potest, actionem illam verè esse malam? Nostin illius intentionem, a qua tamen actionis bonitas vel nequitia pendet? Numquid ille non potuit rapi impetu merè naturali? nonne fieri potest, ut primus motus adeo vehementer spiritum illius perturbaverit, ut mali, quod committebat, omnem illi eognitionem abstulerit? Quisnam scire potest, quid in hominis corde fiat, nisi spiritus, quo regitur, & animatur? Idcirco Dei Filius nos admonet, ne secundum faciem, externasque species, quæ mendaces sunt judicemus, sed ut certiores sumamus regulas, ut judicia nostra justa, & æqua sint. *Pater le Jeune. Presbyter Oratorii, Sermone hujus argumenti.*

Ejusdem Argumenti continuatio.

Verum esto exteriori pars quoque respondeat interior, & homo re ipsa peccatum illud commiserit, propter quod eumdem condemnas; numquid nosti quandiu restiterit antequam laberetur, & quoties e prælio victor discesserit antequam semel vinceretur? Neque illud scis, quanto dolore fuerit post facinus patratum affectus. *Idem.*

Inter omnia temeraria judicia illud est nequissimũ, quod aliorum intentionem accusat.

Nequissimum judieium est, ac improbitas non ferenda in deteriorem partem interpretari, quod bene factum est, & credere, quod christianæ charitatis actio sit injuria Deo illata. Si charitas in dubiis nos cogit in innocentiæ partem inclinare, potiùs quàm criminis, & malum ipsum excusare potius, quam damnare, quodnam peccatum est, cum actio sanctissima, laudibusque dignissima ad pravum aliquod consilium tegendum speciosus esse prætextus putatur? Si charitas eadem nos jubet intentionem excusare, cum actio ipsa excusati non potest; quam horribile peccatum est, quam diabolica improbitas intentionem accusase, cum actio accusari non possit? Hoc tamen in mundo accidit frequentissimè. Vides hominem pium crebrò sacris sese reficientem mysteriis, ac plurima alia bona opera efficientem, judicas, hæc omnia ab ipso fieri, ut hominis boni existimationem assequatur, hac dignitatem, quam petit, facile impetraturus. Nonne verum est, quod licet in alio sensu, dicit Sanctus Jacobus? *facti estis judices cogitationum iniquarum.* Quam iniquos vosmet judices esse ostenditis, quarum cogitationes injustissimæ sunt, & ab illis alienæ, quas non charitas solum, verum etiam justitia erga proximum vestrum a vobis requirit. *Idem.* Jacobi 2.

Qui temerè judicat, sæpe gravius peccat eo, qui judicatur. *In Apol. David. c. 4.*

Testatur Sanctus Ambrosius, in judicio de aliorum actionibus ferendo sæpe graviùs peccari quam ab eo, qui judicio damnatur; & hanc adfert rationem, si enim leges, quæ sapienter constitutæ sunt, præcipiunt ne in sententiis, quæ feruntur, pœna culpam excedat; quo potiori jure observandum est, ut alium judicaturus se ipsum inspiciat, ac sine assentatione ulla judicet; ne postquam ipse graviora peccata commiserit, levia in proximo damnet? Temerarium igitur judicium grave malum est, & gravius, quàm existimetur. *Idem.*

Prima temerarii judi-

Prima hujus peccati, quod generale est, origo

dicit origo est improba natura.

omnibus ferme communis est; quædam videlicet naturalis inclinatio, qua de proximi actionibus in malam potius, quàm bonam partem loqnimur; quædam est inordinata natura, quæ efficit, ut in deteriorem partem omnia sumantur. Diceres, Sanctus Augustinus ait, improbam animam pravis suspicionibus, quas de aliis concipit, saginari. De specula omnes scrutatur actiones, quæ fiunt, verba omnia, quæ proferuntur, non ut hæc probet, vel improbet, sed ut illa judicet, atque condemnet. Hanc autem pravam inclinationem singuli in nobis debemus confiteri, eamque pro virili convellere. *Idem.*

Passim de aliis secundu cordis nostri dispositionem judicamus.

Homo, Sanctus Augustinus inqnit, suapte natura suspicatur in aliis ea, quæ in se ipso experitur. Qui hoc unum quærit, ut alios decipiat, omnes intentos in id unum putat, ut illum fallant: ambitiosus qui nihil nisi propter vanitatem operatur, & in omnibus factis hominum gloriam inquirit, facile judicat alios quoque eadem ambitione teneri. Et quemadmodum cum per coloratam crystallum intuentibus, objecta omnia eodem imbuta colore videntur; ita qui nequam est, omnes sibi similes putat: omnia in sequiorem partem interpretatur, quia omnia per actiones, fines, atque intentiones suas prospicit, quæ pravæ sunt, atque corruptæ. Et sicuti qui benè valet, ac forti est temperamento in sanguinem, & succum eas, quibus vescitur, dapes convertit, licet deteriores illæ sint; qui verò stomaco laborat, optimas etiam escas in bilem, aliosque pravos humores immutat; ita qui bonam habet animam, virtutemque profitetur, omnia in bonum vertit, & in sensum æquiorem interpretatur. *Idem.*

Alia temerariorum judiciorũ, quæ de aliquo habentur, causa est privata simultas.

Venenata temerariorum judiciorum origo præoccupatio est, atque simultas, quæ cum aliquo habetur. Qui ita affectus est nihil bonum putat eorum, quæ fiunt ab iis, qui minimè amantur; sanctissimæ illorum actiones damnantur; omnia eorum facta redarguuntur, & licet miracula ab illis patrarentur, de illis diceretur, quod de JESU CHRISTI miraculis dicebatur, quasi dæmonis ipsius virtute dæmones ejiceret. Ut verbo me expediam, donec male affectus erit erga aliquem animus, quidquid hic facturus est, numquam æqui bonique fiet. E contra verò cum aliquem diligimus, quidquid facit, perplacet, ac tantum abest, quod actiones ejus in sequiorem partem convertantur, ut tunc etiam cum aliquid abnorme ab ipso peragitur, excusetur, & pro virili culpa illius imminuatur. Si teipsum diligenter inspexeris, agnoscis te aliis oculis facta illius intueri, quem amas, aliis res gestas ab eo, quocum tibi simultas est; atque experientia duce deprehendes, id quod in altero laudas, in altero non ferendum tibi videri. *Idem.*

Ejusdem argumenti.

Si proximum tamquam nosmetipsos diligeremus, si tamquam nosmetipsos inspiceremus, haud ita quidem nobis rationes ad eumdem excusandum deessent. Bone Deus! quam industrii sumus, ut nosmetipsos probemus, atque a nobis crimina avertamus! Quam bene defectus nostros dissimulare didicimus! Hoc ipsum proculdubio pro proximis nostris efficeremus, si quemadmodum divina lege jubemur, illos æque ac nosmetipsos diligeremus. *Idem.*

Hominum judicia non admodum nobis negotium facessere debent.

Deus, conscientia, mundus sunt actionum nostrarum judices, arbitrique. A Deo judicari totum est; hoc est decretorium judicium; a conscientia quemque sua judicari, aliquid est, sed judicari a mundo, fere nihil. Mundus in judiciis suis adeo mobilis est, ut hodie condemnet, quod cras est probaturus: atque illis rebus in omnibus placere velle, est temerarium esse, audacem, impium; homines ita facti sunt, ut perfectissima virtus illis nequaquam defectibus vacua videatur. Semper aliquid, quod objiciant inveniunt; modò illam nimis adfectatam esse dicunt, modò nimis naturalem putant; nunc illam avaritiæ insimulant, nunc hypocrisi velatam criminantur. Hæc honestorum hominum sors est ab ignavis, cupidisque animabus judicari, quibus nihil probatur nisi quod ab earum non abludit ingenio. *Auctor Actionum Christianarum Tomo 3.*

Nemo est qui aliorũ evitare valeat censuram.

Qui videbant Sanctum Joannem neque bibere, neque manducare, illum magum esse dicebant eum dæmonibus habentem commercia, & qui Dei Filium intuebantur communi sese vitæ accommodantem, ubique illum voluptatibus deditum esse, ferebant. Post hæc quis adeo sanctus est, qui virtute sua adeo pravis hominum ingeniis satisfacere se posse confidat? Quænam præsumptio est, hoc ipsum de seipso sentire? Quisnam ille est, cujus vitæ ratio ita sit frugi, & sancta, ut censoriam notam non extimescat; de illis etiam loquor, qui præ cæteris magis chordati sunt, magisque virtutibus prædiri? *Idem.*

Temeraria judicia sũt obtrectationis causa.

Sine temerariis judiciis nulla umqnam esset obtrectatio. Vim obtrectationis dæmonem superate, Sanctus Joannes Climacus inquit, ne judices unquam malè de proximi tui actionibus; peccatum numquam acceptum referas homini, qui patravit illud, sed dæmoni, qui illud suasit. Ne consideres fumum actionum fratris tui, secretum earum lumen pro viribus detege; si enim plurimi occurrunt nefarii peccatores externam virtutis speciem præseferentes; videntur etiam quamplures viri boni cum JESU CHRISTO, quin peccatores sint, imaginem peccati gerentes. *Idem.*

Fere semper fallitur qui levibus nixus conjecturis judicat.

Levibus innixi conjectutis de fratribus nostris jndicamus, quin vel ignorantiæ, vel affectuum, vel infirmitatis humanæ rationem habeamus. At enim, luce meridiana clarius est, homini illi prava inesse studia. Heus tu, qui nosti? numquid ille tibi suum cor aperuit? & licet ille tibi cor suum vel factis, vel verbis aperuisset, qui scis utrum vivendi rationem immutaverit? Pharisæus hoc ipsum de Publicano dicebat, & Pharisæus alter de Magdalena licet ad JESU CHRISTI pedes provoluta. Attamen Publicanus ille qui tamquam fur, & adulter traducebatur, nequaquam talis erat apud Dei Filium; & mulier, quæ peccatrix, & libidinosa habebatur, neminem ultra nisi Deum diligebat. Cur igitur ex simplici tantùm specie de fratribus nostris judicamus? Si eorum actionem excusare non possumus, saltem excusemus intentionem; si locus ultra non patet, vel actioni, vel intentioni proximi nostri excusandæ, illius infirmitatem ploremus; sed nostram quoque ploremus, quæ fortasse in graviora scelera nos egisset præcipites, nisi majores nobis, quam illi gratias divina contulisset misericordia. *Auctor Sermonum Christianoram; Sermone de mentis humana improbitate.*

Improbitas humani spiritus, qui vult omnes judicare, & a nemine judicari.

Hæc est humanæ mentis nequitia, nolle nequaquam judicari, & omnes judicare velle. Nemo vult ob sua vitia redargui, & adeo facile, ac temere proximo suo objicit vitia; quamobrem Tertullianus ait, duplici cæcitatis genere mentem humanam esse perculsam, altero quidem, quia quod est, minimè videt, altero verò, quia videt, quod non est: *Non videre, quæ sunt, videdere, quæ non sunt.* Alterum illud rejicit veritatem, eamque pati nequit; alterum verò ibi illam supponit, ubi non est. Hoc autem inde oritur, quia duæ res nobis veritatis cognitionem possunt auferre, vel nimia objectorum proximitas, vel eorum longinquitas nimia. Cum objecta nostros attingunt oculos, illa non videmus; cum nimis distant, illa similiter, nisi confusè, nequaquam videmus. Amoris proprii caracter est nosmet nobis admovere, & ab aliis quibuscumque rebus removere; hinc accidit qnod cum nullum sit spatium inter nos, & alios liberum, ut pariter de actionibus illorum judicemus, ac præsertim de eorum corde, quod

abdi-

abditum est, propius defectus nostros agnoscere nolumus, in aliis verò maximè volumus deprehendere: non videmus id quod est, & quod non est, videre arbitramur. *Idem.*

Temerariorum judiciorum effectus.

Non desunt temeraria quædam judicia, quorum effectus terribiles sunt: namque dissidia, odia humanam societatem perturbantia, & extinguentia charitatem, ut plurimum ex secretis quibusdam oriuntur verbis, quæ nobis elabuntur; hæc autem imprudentia verba ex temerariis proficiscuntur judiciis, quæ intrinsecus animo concipiuntur. Initium ducitur temere judicando; quod per se jam gravissimum malum est; deinde verò per effusionem quamdam nobis ingenitam temere loquimur, & hæc verba per aliorum ora feruntur; atque ut plurimum infelici progressu plurimorum mentes corrumpunt; itaut temerarium judicium fortasse prima sit aliquando causa damnationis multorum. Ad hæc animadvertendum est, nos passim intra simplicia judicia nequaquam subsistere; a cogitationibus mentis ad cordis motus fit transitus; odium, & contemptum in illos concipimus, quos leviter damnavimus; & hos eosdem sensus aliis etiam inspiramus; & hoc pacto in illis, & nobis charitatem, quæ vita est nostrarum animarum, extinguimus. *Essais de morale, Tomo 1. Tract. 5.*

Nefas est temere judicare de mortuis.

Credimus temeraria judicia erga viventes dumtaxat esse evitanda, eos verò, qui ad plures abiere, hominum patere judiciis; quia judicia hæc illis amplius nocere non possunt. Verùm sententia hæc æquè fallax est, ac rationes, quæ excogitantur, ut colore aliquo imbuatur. Judicium temerarium essentialiter malum est, quia est Dei veritati contrarium; quæ ratio in viventibus æquè ac mortuis locum habet. Ad hæc verum non est, nos ab illis penitus esse separatos; si commercium, quod istic inter nos habemus, eorum habita ratione, cessavit, nexus tamen, quem cum illis habemus, subsistit; ac tantum abest, quòd nobis majus sit jus eos damnandi, quia mortui sunt, ut immo multò sit minus; quia tempus mortis illud propriè est, quo Deus suum exercet judicium, & quo hominum judicia locum non habent. *Ibidem.*

Judicandū non est ex aliorum narrationibus.

Vulgò fides non est adhibenda narrationibus, quæ nobis obtruduntur, quia perpaucæ sunt ad unguem veræ, quemadmodum quotidiana doceremur experientia, si seriò animum vellemus advertere. Sæpe etiam cupiendum est, ne agere teneamur secundum hujusmodi fundamenta. Hujusmodi narrationibus minùs, quàm fieri potest, credendum est, ac animus semper paratus esse debet alacriter excipiendæ impressioni contrariæ, si quando auribus nostris acciderit aliquid, quod illas evertat. *Ibidem.*

Non interest hominis de proximo judicare.

Immites fratrum vestrorum censores, ex vobis intelligere vellem, quis vobis hanc judicandi potestatem contulerit? Numquid Deus? At ille hoc pluribus Scripturæ locis interdicit. Numquid Salvator Deus, & Homo? At vos monet ne secundum faciem judiceris. Numquid Sanctus Paulus, aut alius quilibet Apostolos? At ille ex vobis quærit quo jure audeatis alios judicare? Quis ergo tu es, ut effrænem hanc tibi vindices licentiam judicandi fratrem tuum, atque ad tribunal tuum alienum servum accersendi? *Tu quis es, qui judicas alienum servum?* Seu stet ille, seu cadat; seu in officio maneat, seu ab eodem recedat, Dominum suum habet, qui supremus est omnium hominum judex: *Domino suo stat, aut cadit.* Hujus est, & principum, quibus hic suam contulit auctoritatem, ea, quæ vel bona fecerit, vel mala, ad examen vocare; tu verò nullam in illum habes jurisdictionem. *Ex morali Dictionario, Sermone primo de temerario judicio.*

Ad Rom. 14.

Injuria, quæ proximo infertur temere judicando.

O deplorabilem humanæ conditionis sortem! O funestum effectum facilitatis, & proclivitatis, qua temere de aliis judicamus! Statim ac mens ipsa præoccupata est, ad cor virus pertransiit. Vulgò odimus, & amamus, quod odio, vel amore dignum censemus. Cum idea, quam de alio concepimus, eidem suffragatur, ad illum amandum, ac in pretio habendum rapimur; cum verò eidem officit, patens est via ad illum contemnendum, & odio prosequendum. Mens, & animus sibimet invicem virus propinant. Hinc oritur earum rerum contemptus, quæ proximum excusare possent, hinc sollicita illa perquisitio levissimarum circumstantiarum, quæ eidem adversantur; hinc improba illa industria, qua levissimas quaslibet conjecturas exaggeramus; fuga probationum, atque rationum, quæ illius apologiam possent contexere; hinc studium illud quo levissimos quoslibet defectus amplificamus, quibus ne animum quidem adverteremus, si oculus simplex, rectumque cor nobis inesset. Spiritus veneno inficit animum; animus cor ipsum corrumpit; & ab alterius cogitationibus ad motus alterius facilis transitus patet. *Idem.*

Qui sibimet attenti sunt alii judicandis non immorantur.

Qui conscientiam suam tegere student, haud ita facile temerariis implicantur judiciis. Quin suas cogitationes transmittant in proximorum actionibus, atque cogitationibus inquirendis, seipsos excutiunt, ut suæ vitæ rationem reforment, ac dirigant. Inertes animæ, & salutis suæ curam negligentes in aliarum examine detinentur; nisi illos excipere velimus, qui seu in re publica, seu in familia hoc facere tenentur, ut eo munere perfungantur, cujus meliorem partem alienorum morum vigilantia constituit. Hi quidem cum justitia, & charitate suum munus adimpleant, & postmodum in seipsos suas cogitationes, curasque convertant. *Idem.*

Cavendum est, ne præbeamus occasionē de nobis male judicandi.

Acquiescite, quantum vobis libet, secretis animi vestri dispositionibus; hæ fortasse Deo satisfacere possent, interiorem dumtaxat animum inspicienti: verum non cogitatis vobis rem cum hominibus esse, quibus difficiliùs, quàm Deo satisfacere potestis? si enim Deus eos intuetur defectus? qui vobis insunt, homines eos sibi fingere possunt, qui minimè adsunt. Eo tempore, quo actiones ipsæ omni culpa maxime vacuæ in suspicionem vocantur; putatisne benignas considerationes habitum iri, ut defectus vestri ab aliis excusentur; & cum sincerissimæ pietatis signa simulationis nomine redarguuntur, speratis futurum ut homines hisce improbitatis indiciis sese præbeant indulgentiores? Quomodo vultis affectam intentionum vestrarum puritatem per hanc exteriorem speciem, culpa minimè vacantem, interlucere? Opus esset profectò, ut quilibet in vestri gratiam ita esset affectus, uti vos erga ipsos estis, atque ut mortales omnes vestri amoris propriis oculis actiones vestras intuerentur. *Essais de sermons pour la Dominicale; Sermone pro secunda Adventus Dominica.*

Ejusdem argumenti cōtinuatio.

At enim numquid reddenda a me ratio est eorum, quæ alii de me temere judicant? Audaces, S. Augustinus ait, vestra vos fallit opinio: ex quo enim hanc vobis licentiam vindicatis, occasionem præbetis, ut de vobis parum æqua ferant judicia; & licet tutius esset, judicia inhibere, hæc tamen justa esse non cessant; etenim adeo validis innituntur conjecturis, ut voluntaria esse non possint. Verùm quantumvis judicia hæc, uti contenditis, essent temeraria, numquid omni culpa carere putatis, cum minimo conatu illa prævertere valeatis? Nonne hoc facere debetis? & scandalum, quod præbetis, nonne eo gravius est, quo graviora sunt crimina, quorum est causa? Esto; in vestra hac agendi ratione per imprudentiam, atque simplicitatem magis quam per nequitiam peccetis; imprudentia hæc, & simplicitas vos minimè excusant; vestra quippe interest seriò actiones vestras considerare. *Ibidem.*

Non judicandū ante tempus.

Ne judicetis ante tempus, S. Paulus ait; judicia vestra inhibere, donec veniat Dominus, qui

revelabit secreta tenebratum, & manifestabit consilia cordium. Donec minimè aufertur velum; ne videre conemur, quæ latent. Ecclesia, licet Dei spiritu illustrata jurisdictionem suam nequaquam extendit ad ea, quæ in cordium secreto fiunt; vos autem, qui non aliud estis, quam membrum fortasse etiam tabidum, corruptumque ejusdem Ecclesiæ, vobismet eam arrogatis auctoritatem, quam illa non habet. Prudentissimi etiam Confessarii licet ex confessionibus plurimum luminis hauriant, sæpe tamen hærent in ancipiti, neque de statu cordis pœnitentium judicare norunt; vos autem de re adeo difficili judicium ferre vultis ex conjecturis, quæ ut plurimum in vestra tantum imaginatione subsistunt, & quas sola improbitas vestra confirmat. *Ibidem pro Dominica 5. post Epiphaniam.*

De hominis conscientia judicari nō potest, neque cordiū secreta cognosci.

Ut æquius de interiori alicujus parte judicium ferretur, omnes illius animæ sinus exploratos, omnemque vitæ illius statum compertum habere necesse esset, atque omnem illius vivendi rationem cognoscere; sed cum nonnisi confusius, atque intra certos dumtaxat limites videatur, tutone ferri potest judicium? *Secretum meum mihi*; (*Isaie 24.*) ajebat Isaias Propheta. Nemo ita perspicax est, ut illud valeat perscrutari. Si de fratribus vestris judicare vultis, Sanctus Paulinus ajebat, vestris utimini cognitionibus, ut omnia in eorum gratiam convertatis, Voluntarios, & charitate refertos errores vobis concinnate, ut in ipsis etiam pravis actionibus aliquod innocentiæ vestigium deprehendatis. Ex cognitionum nostrarum fallacia, & luminum nostrorum mediocritatem fructum aliquem percipiamus in charitatis exercitium impendentes ignorantiam, quæ nobis veritatem abscondit. Quam digni laude essemus, si de fratribus nostris bene sentiremus tunc etiam, cum illi deficiunt! Quis enim eorum intentiones intelligere potest? Quis scit, utrum Deus eorum lapsus permittat, ut illos per pœnitentiam sanctificet? &c. *Ibidem pro decima post Pentecosten Dominica.*

De nullo judicandu ex ullius narratione.

Aliorum testimonium nequaquam solidum est fundamentum, ut de alicujus vitæ flagitiis feratur judicium; & constat ratio; eorum enim, quæ dicuntur pleraque vera non sunt, tunc verò præsertim cum proximi existimationem lacessunt. Aliqua semper animi ægritudo nos agit, ut cum de aliquo verba facimus, malum exaggeremus; & ubi animi ægritudo invenitur, ibi non deest cæcitas; atque ubi cæcitas adest, nulla ibi amplius cognitio est, ratio nulla. Si quis judicasset Jobum ex optimorum amicorum ejus testimonio, tunc cum jacebat in sterquilinio; nemo non improbum, scelestumque hominem judicasset. Si amicorum testimonium ita fallax est, quid erit eorum, qui vel non amant, vel etiam oderunt? Attamen facti species, & aliena fides duo sunt fundamenta, quibus hominum judicia innituntur. *Ibidem pro feria tertia hebdomada quarta in Quadragesima.*

Quando, & quibus in occasionibus temeraria committantur judicia.

Temere judicatur, quotiescumque in malam potius, quam bonam partem de iis, qui non agnoscuntur, judicatur. Quotiescumque de hominibus secundum transactæ vitæ flagitia, non autem secundum præsentem conversionis, & pœnitentiæ statum fertur judicium, Quotiescumque homines boni, atque latenter piam sanctamque vitam ducentes nequaquam meliores improbis, nefariisque hominibus existimantur. Quotiescumque ipsa cogitatione aliena vitia augentur, atque leves defectus tamquam gravia scelera habentur. Quotiescumque in deteriorem partem explicantur bonæ illorum actiones, qui in vitiis vixerunt, & per hypocrisim factæ ducuntur postquam illi, qui sese vitiis abdiderant, ad frugem reversi sunt. Temerarii censores eò severius de aliis judicant, quo magis statum, in quo ipsi sunt, ignorant. Sed adhuc nocentior est illorum temeritas, cum hypocrisis nomine redarguunt insignem bonorum pietatem, ut impii, ac temerarii Judæi illi, qui de mundi Salvatore eximia operante miracula dicebant: *Nos scimus, quia hic homo peccator est.* *Joan. 9.* Neque temeritas deest cum de iis etiam actionibus, quæ nefariæ videntur, judicatur; quippe actiones quædam esse possunt, atque re ipsa bonæ, sanctæque sunt, licet improbæ videantur. Hoc enim in mundo omnia ita permixta sunt, ut sæpe sancti pro scelestis, scelestique pro sanctis habeantur. *Liber, cui titulus: Bellum vitiis indictum. Tractatu hujus argumenti.*

Dei judicia nos cogūt, ut a temerariis judiciis abhorreamus.

Non minus Dei judicia imitari, quam eadem metuere debemus; cum enim in eos tantum sint terribilia, qui quod ipsa jubent, non faciunt; semper æqua sunt animabus eorum justitiam metuentibus, eorumque rationem imitantibus. Quamobrem prima ratio temeraria abjiciendi judicia est numquam de illis judicare, in quos nullam auctoritatem obtinemus, & cum judicium ferre non cogimur; Deus enim, licet supremus sit Dominus, nunquam sine auctoritate, judicat & necessitate. Nolite igitur judicare, inquir magnus ille viventium, & mortuorum Judex, & non judicabimini: hoc est, non condemnabimini eo quod malè judicaveritis. Ratio altera est, nosmetipsos dijudicare, ut in vitiorum nostrorum cognitione humiliemur, & corrigamur. Si enim ita nosmet judicaremus; Deo quod justum est redderemus, & quamdam illi satisfactionis speciem offerremus perjucundam. Sanctitatem, quam in suis judiciis exercet imitaremur & a justitia illius neque judicaremur, neque damnaremur. *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.* *1. ad Cor. 11.* Ratio tertia est, de infirmis in æquiorem partem semper judicare, quia in eorum lapsibus plus semper imbecillitatis est, qua excusentur, quam improbitatis, qua damnentur. Sæpe nostram cogitemus infelicitatem, ut excusemus alienam, alii enim aliquando tentantur, cum nos minimè tentamur, vel cum minori vi, quam illi tentamur: *Considerans te ipsum, ne & tu tenteris.* *Ad Gal. 6.* *Idem.*

Sæpe ratī damnare peccatores, damnamus justos.

Quis tibi permisit, ut ita fratres tuos condemnares? Quis tu, ut judicium feras in eos, in quos nullam habes auctoritatem? At peccatorem damnare te ratus nonne sæpe justum condemnas? Nonne Deus amicos Jobi redarguit illud damnantes, quasi pœnam, qua afficiebatur, fuisset meritus; & nonne illis ostendit hominem hunc ab illis tamquam sanctum habendum? Peccatrix Evangelica nonne sancta erat, cum superbus Pharisæus eamdem impudicitiæ accusaret? Paulus nonne pœnitentiam egerat, cum tamquam scelestus insimulabatur? Apostoli sanctitate pleni erant, cum legis Sacerdotes illos tamquam blasphemos traducebant. Mater Samuelis Deo vota nuncupabat, cum Heli eam tamquam ebriam increpuit. Quot sancti in Mundo habiti sunt veluti homines hypocritæ, ac pietatem simulantes, ut hominum existimationem sibi conciliarent, quibus tamen non alius erat animus, non mens alia, nisi Deo serviendi, eumque laudandi. Admodum igitur periculosum est ex externa specie judicium ferre, quia in hoc sæpe decipimur. *Ex Manuscripto Sermone.*

Alios facile eorumdē vitiorum nomine insimulamus, quibus nos sumus deditiores.

Omnes homines suopte ingenio ad malè de proximo suo judicandum feruntur, at non semper æque malè judicant de quolibet mortalium genere. Vitia, in quibus improbitas nostra magis entescit, vulgò sunt illa, de quibus alios corripimus. Avarus, qui novit sordidæ, injustæque cupiditatis artes, atque versutias, plures sibi finget causas, propter quas alium avaritiæ potiùs, quam impudicitiæ reum credat; quia ille hujusmodi in se suspiciones facile convertit, sibi videtur in aliis morum suorum imaginem intueri. Quantumvis parum aliquis hanc viam sequatur, & fortassa temere atque inconsultò eamdem fuerit ingressus; ille non hæret; in sequiorem partem omnes ejusdem

gressus

gressus convertit, parum sinceræ cupiditatis illum accusat; cur? Quia ille callidus omnes avaritiæ dolos & nectere, & solvere didicit. Qui voluptates, atque vitæ rationem æquo solutiorem amat, faciliùs avaro, injusta confinget judicia de eo, qui per animi levitatem vel minimam sibi inurbanitatem permiserit; atque semper voluptuosis vacans cogitationibus, & desideriis, nequaquam se a veritate aberrare putabit, alium ejusdem criminis reum suspicatus, quod numquam ab ejusdem animo avellitur. Ille in naturali hilaritate, in licentia quadam, quæ sine ulla improbitate fortasse obrepit, amorum primordia, & impudicæ necessitudinis motus se invenire putabit. *Liber, cui titulus Animadversiones in quædam Religionis, Ethicaque argumenta*, *Tomo* 3.

In generali judicio reformabuntur, & confundentur omnia temeraria judicia.

Inter cæteras rationes propter quas judicium universale habendum est, non postrema illa est, ut temeraria, & injusta judicia, quæ sæpe de bonis habentur, confundantur. Nulla in terris justitia est; illa in terris hospes est, Tertullianus ait, & postquam in Cœlum ascendit, nullum fere sui vestigium in mundo reliquit. Quilibet auctoritatem sibi vendicat temere de proximo suo judicandi; virtutes illius in suspicionem vocantur, ejus vivendi ratio redarguitur, damnatur; dedecore afficitur, & crudeli voluptate illius existimatione cujuslibet superbiæ, atque ultioni litatur. Omnia autem hæc prava judicia corrigenda sunt, atque coercenda, cumque scandalum gignant, & non mediocre virtuti afferant detrimentum, universali judicio reformabuntur, atque punientur. *Joly Tomo* 3. *Propositionum*.

In defectibus alienis perspicaces in propriis cæci sumus.

Spiritui idem accidit, quod oculo, Sanctus Basilius, inquit; hic omnia videt, se ipsum non videns. *Sua cæcus ad crimina, ad aliena errata perlucet.* Perspicacissimus in iis, quæ ad alios pertinent, in iis verò, quæ sua sunt, cæcus. Aliorum vel minimos defectus intuetur; gravissima etiam scelera sua non videt; detegit quidquid domi alienæ fit, nihil illius vel cognitionem fugit, vel censuram. In mente sua tribunal constituit, judicaturus, & damnaturus quidquid ab aliis fit, & cogitatur; at numquam ad se redit, ut se ipsum excutiat, ac prævio conscientiæ suæ examine terribile judicium prævertat, quod de omnibus actionibus suis faciendum est. *De la Volpilliere, Sermone hujus argumenti.*

Ultra alios fuis ægre nosmetipsos judicamus.

Rerum mira perturbatio! ultro alios judicamus, quod minime licet; quod verò jus, & fas est, ægerrimè nosmetipsos judicamus. Duplex malum non aliunde profectum quàm ex ingenio in alios quidem austerissimo, in nos verò indulgentissimo. Magna hæc austeritas efficit, ut alienam vivendi rationem scrutemur, eam damnaturi; magna hæc facit indulgentia, ut nostra dissimulemus vitia, ne illa corrigamus. Ingenium itaque immutemus, legi, quam nobis præscribit Evangelium, obtemperaturi. In nos eam exerceamus severitatem, qua in proximos utimur, ut nosmetipsos judicemus, atque damnemus; verùm simul in proximos eam exerceamus indulgentiam, qua in nos utimur; illius errata, excusemus, illius infirmitatum misereamur. *Idem*.

Ante tempus non est judicandū.

In judiciis nostris per quam cauti simus; quippe cognitiones nostræ intra exiguos fanè fines continentur, & parum certæ sunt. Tempus aderit, cum judicare licebit; quod tunc fiet, cum Deus cordium secreta revelaverit, abditissimosque eorum sinus mortalibus omnibus aperuerit. Cur tempus hoc prævertamus festinatis, temerariisque judiciis, ac nosmet in periculum objiciamus de nimia hac festinatione, quæ semper ex nequitia cordis proficiscitur, insimulandi? Ne judicemus igitur, ne aliquando & ipsi tamquam audaces, atque temerarii judicemur; ne nobis vindicemus quod Dei unius est. Ad veritatis lumen pertinet ferre judicia. *Essais de morale*, *Tomo* 3.

Homines pii facile

Occurrent vobis aliquando fortasse homines, qui virtutem profitentur, & qui furato zeli prætextu secretam tegentes superbiam se ipsos magistros, judices, censoresque constituunt. Pravum in semetipsis tribunal erigunt, ubi omnes aliorum actiones judicant, & vulgò damnant, quidquid a sensibus suis est abnorme; hoc est quidquid suo adversatur ingenio, suæque libidini, quasi penes ipsos aliorum esset arbitrium, ipsorumque judicium norma esset recti, ac juris. *Biroat*.

de aliis judicant.

Plurimi de aliis ex semetipsis judicant.

Non desunt qui tutò se judicium ferre posse arbitrentur de aliorum corde ex proprio; sexcentis in rebus hypocritæ, sexcentis in occasionibus assentatores, sexcentis in circumstantiis dolosi facile hos aliis sensus appingunt; ex corde suo quamdam veluti clavem concinnant, qua aliena reserent corda; & quoniam nonnihil cordis sui motus scrutati sunt, putant se alienos callere. Hæc temeritas, & error est. Quodlibet cor suos habet peculiares motus illi uni compertos Opifici, a quo facta fuere; ideoque Deus singulis hominibus singula corda distribuit: *Qui fingit singillatim corda eorum. Auctor Anonymus*.

Non præcepit nobis Deus ut alios judicaremus.

Deus nequaquam judices vos constituit, ut aliena peccata vel damnaretis, vel puniretis. Nequaquam vobis ille præcepit, ut diligenti examine omnem vitæ alienæ rationem inquireretis; sed hoc præcepit, ut vosmetipsos, non autem ut fratres vestros judicaretis. Si nosmetipsos dijudicaverimus, Sanctus Paulus ait, non judicabimur. Vos confunditis, & perturbatis ordinem, quem servari Dominus jubet; peccata vestra gravia, vel levia pro nihilo habetis, minima verò aliorum errata censoria severitate notatis. Cesset aliquando tantum hoc mali; in corde nostro constituamus tribunal; simus nostri accusatores, judices, ac testes; & propria crimina in nobismetipsis puniamus. *Idem*.

Temerariū judicium de hominibus, & eorum professione judicare.

Ob hanc rem Pharisæus Evangelicus iniquè judicavit: Publicanum videns, ejusque professionem considerans illum furem censuit. Hic homo publicas exigit pecunias; illas a populo ultra fas, & jus extorquet, ac nomine, & auctoritate Cæsaris nititur, ut sexcentas patret injustitias. O furem! Attamen assertus hic fur in Dei judicio, qui unus cordis latebras scrutari potest, laudibus celebratur, & hic Pharisæus eum suis eleemosynis, jejuniis, ac in decimis persolvendis diligentia, vituperatur. Post hæc ne judices in deteriorem partem de aliquo propter illius professionem; ne in universam Communitatem rejiciat privatorum quorumdam flagitia; ne utaris conjecturis, testimoniis, verisimilitudinibus, ut proximum tuum vituperes. *Joly Tomo* 3. *Proposit:*

Valentiniani Imperatoris exemplum.

Sanctus Ambrosius Valentiniani Imperatoris elogium contexens hoc illi vertit laudi quod numquam temere de proximo judicaverit, atque seriùs, quàm fieri potuerit pœnas sumpserit eorum delictorum, in quæ subditi lapsi fuerant. Erantne juvenes? Affectuum eorumdem furori, modicæ experientiæ, vivido ingenio acceptas eorum culpas referebat. Ætate provectiores erant? Sibi persuadebat eorum infirmitatem, atque caducitatem illis quoddam excusationis genus præbere; illos fortasse diu restitisse, ac tandem victos cessisse. Pollebant auctoritate? Auctoritatem hanc magnam putabat peccati illecebram, vehementemque tentationis speciem, ut perverterentur. Nullam habebant? dicebat, displicendi metum, vel aliis placendi studium illos in hæc mala impulisse. Denique intentionem semper ab actionibus pravis sejungebat, dicebatque, si quid in judiciis, quæ de aliis fierent metuendum erat, minus metuendum esse ne bonum crederetur, quod malum erat quàm ne malum, quod erat indifferens. *Idem*.

Temerariū judicium divina lege severè prohibetur.

Cum judicandi facilitas laqueus sit, in quem omnes fere mortales lapsuros facile vidit Deus, ita nullum peccati genus est, de quo ille apertiùs differuit. Prohibet JESUS CHRISTUS ne judi-

judicemus, ac profitetur de nobis eodem pacto judicandum esse, quo nos de fratribus nostris judicaverimus. *Nolite judicare, ut non judicemini, in quo enim judicio judicaveritis, judicabimini.* Et alibi: *Nolite judicare, & non judicabimini, nolite condemnare, & non condemnabimini.* Sanctus Jacobus hoc ipsum vetat, cum ait: *Qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem suum, detrahit legi, & judicat legem.* Quod si judicas legem, jam non es observator illius, sed ejusdem te Judicem facis. Poteſtne magis explicitis verbis os obstrui illis, qui proximum suum judicare contendunt, eisque majori vi, apertiusque interdici voluptas qua perfruuntur, cum judicant, vel cum colloquuntur de aliorum erroribus, seu veri illi sint, seu commentitii? *Abbas Trappensis Tomo 4. Collationum.*

Matth. 7.
Luc. 6.

Ad temeraria judicia evitanda imitanda ratio est, qua egit Deus in Sodomorum cives animadvertens. Genes. 18.

Ad temeraria, festinataque nimis evitanda judicia, Deus ipse imitandus est; qui licet falli non possit, atque cordium nostrorum latebras scrutetur, tamen in Scripturis loquitur, quasi debeat facti veritatem cognoscere, antequam ad illud damnandum procedat. Ita egit ille Sodomorum scelera puniturus: *Descendam, & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, an non est ita, ut sciam.* Quid? o Deus! licet nihil ignorare valeas, ita agis quasi primis cognitionibus tuis non satis fideres, & locos ipsos adire cupis, ut rei veritatem agnoscas: *Descendam, & videbo*; & seriò discutere vis facti circumstantias, quarum ne levissima quidem te fugit: Nos verò, quorum ratio levissima qualibet specie decipitur, & quam ad hæc affectus excæcat, præjudiciis nostris, atque præoccupationibus adhibebimus fidem? *Auctor recens.*

Qui charitatem, & humilitatē habet, hic malè de proximo non judicat.

Cum sincera hæc adest cordis humilitas, & hæc perfecta charitas, quam JESUS CHRISTUS esse vult quemdam veluti characterem, ex quo sui veri internoscantur Discipuli, & sine qua nulla virtus est; tunc propriis corrigendis imperfectionibus ita vacamus, ut ne cogitemus quidem de alienis; optimas quaslibet actiones nostras deficere agnoscimus, cæterosque nobis meliores putamus. Sexcentas nobis rationes suggerit charitas, ut id excusemus, quod rationabiliter approbare non possumus. Nostræ superbiæ, propriique cordis improbitati acceptas referimus minus æquas de proximis nostris cogitationes; temeritatis, atque injustitiæ nomine damnamus judicium, quod aliis parum utile sit, & quin in sequiorem partem interpretemur, ut olim Pharisæi, actiones, quæ oculis nostris nihil non laude dignum exhibent, ad bonam confugimus intentionem, Sanctus Bernardus ait, cum in facto ipso nihil boni invenitur. Ita agere, & cogitare debet quicumque JESU CHRISTI spiritu animatus est. Si vobis reddenda non est de alienis moribus ratio; in id unum incumbite, quod necessarium est ut ubique bene audiatis, ac bonum præbeatis exemplum, &c. *P. Croiset in Spiritualibus Considerationibus.*

Charitas generatim quidem vitium vituperare debet, quin de aliquo temere judicet.

Næ ille quidem vehementer erraret, qui charitatem putaret virtutem assentatricem, quæ ne aliquem læderet, omnia, ipsas etiam imperfectiones laudibus celebraret. Vitium vituperandum est, damnandum est; at christiana charitas præcipit, ut semper parcamus personæ, & misereamur peccatoris, dum peccatis non parcimus. Humani cordis nequitia efficere debet, ut numquam sensibus nostris fidamus in id tendentibus, ut temerè judicemus, vel aliorum vitam censoria nota perstringamus. Secreta, improbaque nescio qua voluptate perfundimur in aliis ea detegentes vitia, quibus nos carere opinamur. Hic præstantiæ gradus, quo proximum superare credimus, mirum in modum allicit cor, quod suopte ingenio tumidum est, & quemadmodum speciosus zeli, & pietatis prætextus sese vulgò hisce prælationis judiciis commiscet, improbam hanc voluptatem minime abjicimus, immo tranquillè fovemus. *Idem.*

Sæpe de melioribus sanctioribusque operationibus temere judicamus.

Qui Dei spiritu carent, vulgo in deteriorem partem accipiunt justissimas, optimasque actiones, quod in Sancti Lucæ Evangelio videmus, cum mulier peccatrix, quæ audierat JESUM apud Pharisæum ibi cœnaturum divertisse, illuc unguenti phialam attulit, ac retro stans illius pedes cœpit lacrymarum imbre rigare. Mulier hæc suam charitatem, & reverentiam testata est; sese ad Filii Dei pedes prostravit summo dolore acta, ac scelerum suorum pœnitentia ducta. Hos illi sensus Salvator immiserat; attamen Pharisæus iniquum de eadem profert judicium. Si homo iste, inquit, esset Propheta, sciret, illam, a qua attrectatur, mali nominis esse mulierem. Sed salvator, qui eamdem melius cognoverat, longe aliter eam judicat; hujus enim fœminæ iniquitatem lacrymarum effusus imber eluerat, & amoris, atque pœnitentiæ magnitudo deleverat: *Amando veritatem lavit lacrymis maculas criminis.* Hoc exemplum solatio semper illis futurum est qui in iis, quæ pro Dei cultu, & gloria operantur, falsa judicia, censuram, atque damnationem aliorum demerentur. *Abbas Trappensis in Moralibus Considerationibus in Sanctum Luca Evangelium.*

Temere de aliis judicare injustitia est.

Temerarium judicium est injustitia sævissimorum quoque Tyrannorum superans injustitiam; hoc enim est vim facere ei rei, quæ in hominibus maximè libera est, & a nullo pendens, videlicet eorum cogitationibus, consiliis, secretissimis quoque abditissimisque intentionibus; ideoque hoc est sibi illud vindicare jus, quod ad unum pertinet Deum qui quatenus supremus verus Dominus duo potissimum sibi reservavit, quæ nulli particulari auctoritati concedere voluit; Ultionem videlicet; *Mihi vindicta; & ego retribuam*; & judicium cordis alieni: *Quis es, qui judicas alienum servum? . . . . . . Dominus autem intuetur cor.* Hæc duo sunt veluti regni ipsius jura, quæ alienari non possunt, hæc duo signa sunt, quibus suprema ejus auctoritas a reliquis quibuscumque distinguitur. *Auctor Sermonum in omnia Ethica Christiana argumenta Tomo 3. Dominical.*

Ad Rom. 12.
Ad Rom. 14.
1. Reg. c. 16

Temerariū judicium nullos habet fines.

Reliqui Judices singuli suos habent cancellos, intra quos eorum auctoritas coercetur. Non judicant de rebus omnibus; sed de quibusdam tantummodo casibus, & negotiis; immo tunc etiam ab eorum sententiis licet provocare. Sed qui proximi sui judicem se constituit, sibi hanc arrogans auctoritatem, nullos fines illi præscribit; decretoriè de re qualibet judicat; definit, quid virtus sit, quid vitium, probat, vel damnat quodcumque sibi placet, quin aliam sequatur regulam, aliudve principium quam libidinem suam, quæ ipsi loco est quæstionum, probationum, ac testium. Ille solus Senatum componit, quemadmodum olim de vetere quodam Judice dicebatur, cum hoc tamen discrimine, quod insignis hujus Judicis prudentia tantam illi existimationem, tantamque conciliaverat auctoritatem, ut mortales omnes, in illius sententiam abirent, simulac de re quapiam sententiam protulerat; cum interim imprudentia, levitas, festinatio temere judicantis semper efficiat, ut iniquum hic ferat judicium propter defectum luminis, & cognitionis.

Discrimen inter judicium temerarium, & ea, quæ ab omnibus judicibus feruntur.

In judiciis, quæ inter homines transiguntur, Judices antequam nigrum theta ferant, nihil intentatum relinquunt; certas probationes exquirunt, testes postulant qui audiunt, & interrogant, atque ex nocentis ipsius ore extorquere conantur criminis confessionem, vel saltem indicia, quæ illum detegere valeant: at qui temere judicat, hos omnes ritus contemnit; levissimæ species, & conjecturæ gravissima eidem videntur argumenta. Æquivocis innixi circumstantiis judicant, quæ in utramque partem accipi possunt; incertis incum-

bunt

bunt testimoniis, quæ cum præjudicio absentis, qui causam suam perorare non potest, audiuntur. *Idem.*

Sine justa causa non licet aliis communicare conceptam de aliquo suspicionem.

Quamvis diffidentiæ, quæ ex aliorum narrationibus de proximi nostri moribus concipi potest, omnino interdictum non sit, quemadmodum antea dictum est; & illa inevitabilis sit, atque involuntaria; eam tamen aliis communicare non semper licet; pauci enim ibi consistunt, atque ad damnationem usque nequaquam procedunt; & longè pauciores sunt, qui abstinere possint, ne quod sibi commissum est, aliis vicissim communicent. Præterquam quod nocuæ hujusmodi impressiones non ita facilè reparantur; quod tamen præstare tenemur; ubi constat de eorum innocentia, quos in suspicionem adduximus; cum eorum multitudo, qui hujusmodi suspicionibus commoti fuere, in eas semper quamdam proclivitatem retineat, ac ultrò in sequiorem partem interpretetur actiones, quæ per se neutræ sunt, atque conceptui, quem animo imbiberat, obsecundet. Itaque magnis opus est causis ad hoc ut aliis suspiciones nostras communicemus, non secus ac rumores, atque enarrationes, quæ omnino certæ non sunt. *Auctor Anonymus.*

Sæpe male judicatur de piorum hominum vita.

Non desunt, qui sibi jus vindicent audacter judicandi de vita eorum, qui Deo famulari contendunt, atque de his tanta certitudine loquuntur, ac si cordis eorum sinus palam scrutarentur. Secretissimas eorum cogitationes interpretantur; eas, quas non habent, illis appingunt; ac sæpe volunt, ut quod divino afflati numine operantur, affectuum suorum agant impulsu. Itaque nulla virtus est, quæ temerarium hoc judicium possit evadere, nulla pietas quantumvis sublimis, quæ impune non corripiatur. *Abbas Trappensis in Moralibus considerationibus in Evangelium S. Matthæi.*

Quonam jure homines, quorum lumina adeo exigua sunt, ut reputari veluti tenebræ possint, & quorum tanta obscuritas est, ut nihil nisi summa cum incertitudine cognoscere dici queant, judicandi licentiam sibi arrogant; quandoquidem eorum judicia vel falsa sunt, vel incerta æquè ac cognitiones eorum. Propheta tuus, Domine, te lumen esse profitetur; teque obrestatur, ut tenebras ejus illumines, ut ex iis evadere tentationibus valeat, quibus impeti potest. Ipse suam agnoscit infirmitatem, cum nihilominus spiritu tuo repletus sit, neque agat nisi per eos motus, easque impressiones, quas in corde ejus immittis: *Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine: Deus meus illumina tenebras meas.* Ps. 17. Homo verò, qui sua regitur cupiditate, & cui sæpe animi ægritudo facem præfert, audacter de honore, spiritu, scientia, virtute, pietate, sapientia, consiliis, intentionibus, & secretissimis affectionibus ejus dijudicat, de quo nihil nisi ex vagis rumoribus, atque inanibus narrationibus nulla auctoritate suffultis accepit. *Idem.*

Qui temere de aliis judicant, vulgo etiã de illis male loquuntur.

Quidam de omnibus male judicant atque aliorum defectus corripiunt, charitatem prætexentes, qua ad salutaria illis præbenda monita ducuntur; cum interim nihil minus in corde gerant, quàm quod extrinsecus præ se ferunt. Hi sunt severi censores; non solum omnia in deteriorem partem detorquent, verum nihil prætermittunt, quod summa cum severitate non improbent. Ob levissimos defectus in clamores erumpunt, cum interim diffluant iniquitate; verum mirum esse non debent si trabem in oculo suo minime videant, quantumvis immodicæ sit magnitudinis; superbiæ enim, qua tument, proprium est, oculos hominum in alienis aperire defectibus, hos augere, atque multiplicare; cum interim eorumdem oculos claudat ne propriam infirmitatem agnoscant. Ita seu de aliis ex semetipsis judicent, eosque iisdem obnoxios defectibus censeant, quorum ipsi rei sunt, seu per ingenii sui improbitatem malè semper de aliis suspicentur; numquam de aliquo æquum judicium ferunt; atque intrinsecus cuilibet obtrectant, antequam extrinsecus illos improbent, ac de illis juxta conceptam animo opinionem loquantur. *Idem in Considerationibus in D. Lucam.*



JURA

JURAMENTUM,

Perjurium, Blasphemia, Imprecatio.

MONITUM.



Tiamsi hæ peccata inter se differant, & alia aliis graviora sint, illa tamen hoc in loco sociabimus, eorum exemplum secuti, qui de illis verba fecere; seu quod omnia sub eodem genere continentur tamquam varia juramentorum species, seu quod ab uno ad aliud facilis transitus patet. Quamobrem quidquid ad hoc pertinet argumentum sub eodem jurisjurandi titulo complectemur.

Animadvertendum est tamen hoc in loco non agi de illa jurisjurandi specie, quod fit spiritu Religionis, ac sensu reverentiæ erga Dei majestatem iis in occasionibus, quæ maximi habentur momenti, in quibus juramentum sæpe necessarium est ad veritatem, quæ asseritur confirmandam; tunc enim juramentum tantum abest a crimine, ut immo cultus sit, Deo adhibitus, & Sacramentum, quo Deus testis vocatur, post cujus testimonium, ut San-
Ad Heb. 6. *ctus Paulus ait, lis qualibet est derimenda:* Omnis controversiæ finis ad confirmationem est juramentum.

Hic igitur dumtaxat sermo est de juramento, quod lege Dei prohibetur, deque omnibus ejusdem speciebus, quæ sub eodem præcepto continentur; Non jurabis; *quamvis obiter, ac per transennam accidere possit sermo de jurejurando, quod permissum est ad argumenti elucidationem, atque ad eas auferendas dubitationes, quæ suboriri possent circa præceptum, quo cavet Dei Filius, ne omnino juretur; ubi satis esse debet concionatori explicare quomodo hoc intelligi debeat, omnesque industria suæ nervos contendere, ut horrorem cieat criminis vulgatissimi, quale est blasphemia, ac vanum juramentum.*

Denique si Concionator ut sese magis intelligibilem, ac popularem præbeat, explicare velit varias juramentorum, ac blasphemiarum species, quas impii ira furentes, madidique mero, immo etiam in communibus sermonibus evomunt, non ita facilè eas debet enuntiare, sed illis vocibus dumtaxat indigitare, quæ illarum cognitionem adstruant, ac omnem immittant horrorem, quem diabolicus hic sermo meretur.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ Concionum hujus Argumenti Systemata.

I. 

Ostquam affirmaveris in animo tibi non esse quamlibet juramenti speciem, & qualibet in occasione adhibitam condemnare, multòque minus veteres Patriarchas, sanctosque antiquæ, recentisque legis viros improbare; sed explicare solùm præceptum, quo prohibetur juramentum, easque conditiones ostendere, quæ requiruntur, ut liceat, & quid præcavendum sit, ne in vacuum juretur: dices conditiones hasce in quarto Jeremiæ Prophetæ capite contineri: *Jurabis in veritate, & in justitia, & judicio.* Sunt autem 1. veritas, 2. justitia, ne quis juret se aliquid injustum, vel alia qualiber lege vetitum facturum esse; 3. judicium, & prudentia ne Dei nomen polluatur, si in rebus futilibus, ac minimi momenti adhibeatur. Prima conditione Deus prohibet judicii falsitatem; altera omnem removet injustitiam, tertia denique levitatem condemnat, quæ tria Concionem partientur.

Pro prima conditione, quæ veritatem in juramento requirit; primum quod lex in juramento condemnet, est falsitas. Hujus rei afferenda sunt argumenta; eum videlicet, qui ita jurat, omnia Dei jura perstringere, vel illum in omnibus ejusdem perfectionibus lacessere; quia ipse suprema veritas est, suprema ratio, suprema æquitas. Illum autem rei falsæ testem vocare, idem est ac velle, ab illo mendacium probari; idem est ac tamquam calumniæ reum illum traducere, cum testis, ac sponsor accersitur eorum, quæ falsa esse scimus, & quæ vera esse affirmamus. Quæ autem Deo non infertur contumelia? Præterea pejerando læditur justitia, proximus enim hoc juris habet, ut veritas agnoscatur. Quantum in nobis est bona fides, atque sinceritas, quæ civilis societatis vinculum est, infringitur; lex naturalis prohibens mendacium violatur, idque potiori jure cum hoc per ea, quæ in Religione sacratissima habentur, probare contendimus; atque ita in perjurio blasphemia quoque, & sacrilegium nequaquam deesse videntur. Inde arripietur occasio ostendendi, quamplurimos Fideles sese hoc scelere obstringi quin ne animum quidem advertant; veluti Magistratus, Ministri, Ecclesiastici, Opifices cum promissi fidem non servant, & quod se facturos jurisjurandi fide interposita receperunt, non præstant.

Conditio altera, quam in juramento Deus exigit, est justitia: *Jurabis in veritate, & in justitia.* Hoc est, non satis est, rem, quæ asseritur veram esse, vel fidem præstari eorum, quæ promissa fuerunt: verùm etiam requiritur, ut quod te facturum polliceris, justum sit vel saltem nulli legi contrarium; Si enim vetat Deus, ne nomen suum usurpetur ad id jurandum, quod confictum est; multò magis vetat, ne usurpetur, ad id, quod est injustum. Tale fuit Herodis crimen, qui magno Joanni Baptistæ caput jussit amputari, ne suo deesset sacramento, quo Herodiadi, quidquid illa petiisset, se concessurum receperat: ubi planè ostendendum est, in hujusmodi occasionibus duplex plerumque peccatum committi, alterum quidem jurando nos facturos, quod injustum est, alterum verò fidem temere datam præstando. Exemplorum, & occasionum, in quibus injustum aliquid vel aliquid nullo pacto adimplendum facturos recipimus, materiam alteri huic parti exornandæ suppeditabit.

Tertia tandem conditio, quæ in juramento ad hoc, ut liceat, exquiritur, judicium est, & prudentia: *In veritate, & in justitia, & in judicio:* Videlicet ut pro rebus magni momenti, non autem futilibus, & nugatoriis fiat; Dei quippe nomen in hujusmodi rebus adhibere, idem est, ac illud polluere. Ubi ostendi potest; 1. contemptus Divinæ Majestatis, cum citra necessitatem juratur. 2. Indignitas consuetudinis, quæ in terris inolevit, omni conatu evellendæ: ubi referri possunt

sunt

sunt conditiones mortalium, qui huic vitio maximè patent. 3. Scandalum quod præbetur; & quam malè audiant, qui ita per habitum jurant. Concioni tandem finis imponendus est, docendo totis viribus cuique laborandum, ut in se pravum hunc habitum evertat; atque hujus rei faciendæ rationem tradendo.

II. Blasphemiam, ac juramentum. 1. esse meræ nequitiæ peccata, ex quibus auctori nullus fructus, nulla cedit utilitas. 2. Esse peccata enormia, peculiarem impietatis caracterem gerentia, quandoquidem recta Deum ipsum, & in ipsa persona lacessunt; ideoque magis explicitum, apertumque divinæ Majestatis contemptum complectuntur. 3. Peccata esse, in quæ Deus severissimè animadvertit, & quibus omnium minimè parcit.

III. Juramentum, atque blasphemia sunt. 1. criminum omnium impudentissima; sine verecundia, ac metu divinæ Majestatis, quæ passim, & qualibet in occasione in testimonium accersitur, perpetrantur. 2. Hæc sæpe gravissima sunt, ac præ ceteris sceleribus minus venia digna; Deus enim irascitur videns a miseris homunculis majestatem suam temere contemni; atque in Scripturis videmus, ex his severissimas semper pœnas fuisse desumptas. 3. Hæc vulgò in effectibus sunt perniciosissima propter scandalum quod afferunt, & quod latè sese effundit, atque communicat.

IV. Fieri quoque potest concionis partitio ex præcedentibus duabus composita, in juramento, vel blasphemia tres ostendendo circumstantias, quæ peccatum quidem gravius, peccatorem verò nocentiorem efficiunt.

1. Adfectata nequitia est; neque enim per infirmitatem, aut ignorantiam, vel ob speratam aliquam utilitatem, sed per insanam vanitatem, apertamque impietatem juratur; & si juras iratus; cur irasceris Deo? Hoc juramentum, hæc blasphemia malo, vel detrimento, quod inde percepisti, medetur? 2. Gravior, atque apertior supremæ Majestatis contemptus; qualis si Principi coram insultares, quin justam illius verecundiam metueres, vel qualis, si eidem illudere oblectareris, potestatem ejus irridens. 3. Defectus attentionis, vel cogitationis peccati hujus gravitatem non minuit, e contra habitus, qui jam inolevit, illius metum imminuit quidem, auget verò temeritatem, atque indicio est hoc facinus sæpe impune fuisse patratum, ita ut divinæ justitiæ minæ haud ultra negotium facessant.

V. In breviori sermone ostendi quoque potest; 1. Blasphemiæ, & juramenti turpitudo ex iis circumstantiis, quæ hæc peccata Deo, & mortalibus permolesta faciunt. 2. Mala visibilia, & invisibilia, quæ in blasphemos, atque pejerantes irruunt.

VI. Ut major blasphemiarum, atque juramentorum horror excitetur, ad examen vocandæ sunt causæ, ac aperiendi fontes, ex quibus proficiscuntur.

Prima causa est cordis corruptio, quemadmodum ipse ait JESUS CHRISTUS: *De corde exeunt cogitationes malæ, falsa testimonia,*
Matth. 15. *blasphemiæ*: Et alibi: *Ex abundantia cordis os*
Matth. 12. *loquitur*. Quæ enim esse debet hujus cordis corruptio, unde tot egrediuntur blasphemiæ, execrabilia juramenta, abominabiles imprecationes? Minimumne Religionis sensus subsistere potest in corde, ubi tot impia verba efformantur? Et si ex cordis abundantia loquitur lingua, quis dubitare poterit, utrum cor sit impietate repletum? &c.

Altera juramentorum, verborumque Deum, ac Religionem dedecorantium causa infelix est jurandi consuetudo, quæ in terris percrebuit, & habitus, quem plures contraxerunt; altera quippe fit, ut credatur mos hic esse imitandus, & hæc procacissima loquendi ratio, quam irreligiosi homines, affectant; altero verò, ut per contractum habitum ita assuescamus, ut opportunè, importunè in singula verba, & fere sine ulla consideratione juremus. Ostendendum est, horum utrumque oppositum esse Christianæ Religioni, ac sensibus pietatis, quos Christianus in corde fovere debet.

Tertia est peccati hujus impunitas propter defectum Magistratuum, qui oscitanter contendunt, ut divinæ, humanæque leges serventur. Verum, si qui pollent auctoritate suo desunt muneri hac in re; Deus, qui semper severissimas poposcit pœnas ex illis, qui blasphemias evomuere, gravissimos justitiæ suæ effectus exeret in eos, qui illas & proferunt, & patiuntur.

De Blasphemia dici potest, quod Sanctus Bernardus inquit de obtrectatione; quandoquidem ex Sancti Augustini sententia blasphemia est detractio, de Deo, sanctisque rebus facta: *Grande vitium detractio, grande peccatum detractio, grande crimen detractio*. VII.

1. Grande vitium est habitus, & consuetudo jurandi, & blasphemandi; grande peccatum est blasphemia, & prophanatio divini nominis, quod per juramentum sine ulla necessitate peractum perficitur. 3. Grande crimen est propter effectus, & ea, quæ consequuntur.

1. Injuria, qua juramentum, atque blasphemia Deum afficiunt, quem variis rationibus lacessunt. 2. Injuria, quam inferunt proximo propter scandalum, quod illi præbent; 3. Injuria, qua ipsi quoque illa proferentes afficiuntur; quia hæc illis Dei iram, & ultionem, bonorum omnium contemptum, ac multitudinem conflant peccatorum, quæ Deus puniet, & quæ sæpe in hac etiam vita severissimis punit suppliciis. VIII.

Si de solo juramento sermo instituendus sit, ostendi potest. 1. Enormitas juramenti, quod fit sine necessitate, vel veritate, atque perjurii, cum non præstatur fides eorum, quæ nos facturos recepimus. 2. Inanes prætextus, qui ad juramentum excusandum afferuntur, desumpti ex habitu, consuetudine, levitate, ostendendo, hæc omnia coram Deo nequaquam excusare. 3. Hujus peccati remedia, & rationes abjiciendi pravi habitus ubi semel inoleverit. IX.

Impietas, scandalum, & perjurium scelera sunt, quæ præ ceteris odit Deus, & quæ se perhorrescere idem in scripturis palam profitetur. Ostendendum est, hæc tria vulgò reperiri in adeo frequentibus juramentis, quæ a se flocci fieri tot Christiani testantur. X.

1. Impietas facile patet in Sanctissimi divini Nominis prophanatione, quod temere ac sine ulla causa, & necessitate profertur. 2. Scandalum, quod præbetur non minus liquet, & maxime perniciosum est. 3. Moraliter impossibile est ne crebro jurans aliquando pejeret, & ne jurejurando affirmet quod falsum est, qui rebus omnibus Dei nomen immiscere consuevit.

Qui jurant, atque Dei nomen blasphemant, in hac vita reprobis similes sunt, non alium in Inferno sermonem habentibus. XI.

1. Se Dei profitentur inimicos, quem apertè lacessunt. 2. Aliorum hominum inimicos, & vicissim fiunt eorum odii, & horroris objectum, 3. Inimicos suimetipsorum, propter mala, quæ sibi conflant. *Ex Dictionario Morali*.

1. Blasphemi per impietatem suam id præstant, quod olim rebelles Angeli in Cœlo. Deo bellum inferunt. 2. Per scandalum id agunt, quod primi parentes in terrestri Paradiso, in sceleris sui partem eos pertrahentes, a quibus audiuntur, 3. Per rabiem, furoremque suum id efficiunt quod reprobi in Inferno. *Essais de Sermons Tome secundo*. XII.

1. Qui blasphemare consueverunt, omnibus viribus adniti debent, ut pravum hunc habitum corrigant; furentes, scelesti, qui ex professo dejerant. 2. Qui illos jurare, vel blasphemare audiunt, XIII.

diunt, seipsos zelo armare debent, ut illos corripiant, ne se eorumdem scelerum nocentes præbeant. *Ex morali Dictionario.*

Pro Concionis argumento, ex partitione desumi quoque possunt hæc Sancti Augustini verba: *Falsa juratio exitiosa est, vera juratio periculosa, nulla juratio secura.* 1. Falsum juramentum, vel perjurium perniciosum est. 2. Verum semper est periculosum. 3. Tutius est numquam jurare.

XV. Divus Thomas de præcepto verba faciens, quo per Deum in vanum jurare prohibemur, docet vocem illam *in vanum* triplicem in Scripturis Sancti habere posse significationem: 1. *Vanum* nonnumquam idem esse ac *falsum*: quod vanum est, falsum est, veluti cum ait Propheta filios hominum

Ps. 4. allocutus: *Ut quid diligitis vanitatem?* videlicet errorem, & falsitatem. 2. Nonnumquam vox hæc *vanum*, *injustum* significat; vel uticum idem Propheta de homine proximum fallere cupiente ait:

Psal. 11. *Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum*, hoc est ea dixerunt, quæ erant injusta. 3. Nonnumquam quod *vanum* dicimus, leve est, ac nullius pretii, & hoc in sensu vocem hanc Sapiens usurpavit, cum ait hominem subjectum esse vanitati, hoc est, levitati, cum scienria Dei minime regitur. Cum igitur vetat Deus, ne in vanum juremus, non omnino omne prohibet juramentum, sed falsitatem, injustitiam, levitatem juramenti. Argumentum hoc non abludit a primo, sed partitionis hujus membra simul connectit.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest ad propositas Concionum structuras exornandas.

Sancti Patres. Sanctus Basilius, *Homil.* 3. *in Psalm.* 14. explicans hæc Regii Prophetæ verba: *Qui jurat proximo suo, & non decipit*, docet quando, & quomodo fas sit, vel nefas jurare.

Sanctus Chrysostomus in omnibus ferme Homiliis ad Populum Antiochenum, præsertim verò secunda, quinta, sexta, nona, decimaquinta, vigesima sexta, nunc ostendit periculum pejerandi, quod subeunt jurantes; nunc populum hortatur, ut pravum hunc habitum deferat; nunc ostendit quam inexcusabilis sit, qui jurat in vanum &c.

Idem *Homil. ad baptizandos*, docet quam cautè in ipsa necessitate jurandum sit, & quomodo habitus jurandi possit aboleri.

Idem in Acta Apostolorum Homil. 8. 9. & 10. docet quomodo, & unde jurandi usus fuerit invectus.

Idem *in cap.* 5. *S. Matthæi Exhortatione* 3. ostendit eos, qui jurare consueverunt, posse paulatim desuescere, ac minitatur Auditoribus se illis Ecclesiæ aditum interclusurum, nisi resipuerint.

Idem Ananiæ, & Saphiræ mortem enarrans docet, si Deus tanta severitate in illos ob simplex mendacium animadvertit, multo graviora pejerantibus reservari supplicia. Hoc invenies Homil. 12. in Acta.

Idem, *Homil.* 4. *ex* 16. *variis*, docet quam metuendum sit juramentum.

Sanctus Hieronymus l. 5. in 17. Caput Ezechielis ostendit fidem præstandam eorum, quæ vel ipsis inimicis promissa fuere.

Idem in caput 19. Job plurima dicit de juramento.

Origenes Homil. 2. in Psalm. 38. de eodem verba facit.

Sanctus Gregorius lib. 5. in libros Regum docet, quid faciendum, cum aliquid juramento fuerit promissum.

Sanctus Ephrem tom. 2. Operum suorum plurima habet de Juramento, ac blasphemia, & inter cætera ostendit, quam Deo injuriam hæc afferant.

Sanctus Augustinus *lib. de mendacio ad Consentium*, explicat quomodo intelligenda sint hæc Domini verba: *Ego autem dico vobis, non jurare omnino.* *Matth.* 5.

Idem l. 6. Quæstionum in Josue docet quanta religione servandum sit, quod interposita Sacramenti fide promissum est; quemadmodum Josue cum Gabaonitis egit.

Idem *l.* 1. *de Sermone Domini in monte*, hæc explicans verba: *Audistis, quia dictum est antiquis: Non perjurabis* &c. docet veram non pejerandi rationem esse non jurare. *Ibidem.*

Idem *l. de Civit. Dei cap.* 15. *& lib.* 3. *cap.* 20. Ethnicorum adfert exempla, qui fidei suæ, ac juramenti religiosissimi fuerunt observatores.

Idem hæc Sancti Jacobi explicans verba: *Ante omnia nolite jurare*, docet quam periculosum sit jurare, & quousque jurandi consuetudo processerit. *Jacob.* 5.

Idem, Sermone 2. de Sancti Joannis Baptistæ Decollatione docet quid faciendum sit, ubi aliquid injustum promissum fuerit, & quid sentiendum de eo, qui juramentum ab alio extorquet, quem prævidet pejeraturum.

Tridentini Concilii Catechismus in alterum mandatum perspicuè tradit quidquid hac in re scire oportet. Ita supplere potest fusiori enarrationi, & particularibus casibus, quos Casuistæ in hoc argumento proponunt. *Ascetici.*

Auctor Ethicæ Christianæ de hac re tribus in articulis loquitur, *lib.* 3. *sect.* 4. *art.* 2.

Liber, cui titulus: *Bellum vitiis*, prælio decimoquinto contra juramentum.

Drexellius in Tractatu, cui titulus: *Phaeton Orbis*, seu *de universis vitiis lingua cap.* 6. *de Blasphemia, & cap.* 28. *de lingua juramentis assueta.*

Molinier Sermone pro feria quarta post tertiam Quadragesimæ hebdomadam de blasphemia, & pravo loquitur juramento. *Concionatores.*

Dictionarium morale duos habet deinceps de Blasphemia Sermones cum pluribus moralibus hujus argumenti animadversionibus.

Auctor idem in Sermonibus Moralibus unum habet de blasphemia.

Auctor libri, cui titulus *Essais des Sermons sur la Dominicale*, Tomo 2. Sermonem habet contra blasphemos pro duodevigesima post Pentecostem Dominica.

Abbas de Breteville Tomo tertio libri, qui inscribitur *Essais* Sermonem habet de blasphemia, feria 4. hebdomadæ Passionis.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta Tomo 2. Argumentorum particularium, sermonem habet de blasphemia, & juramento, quæ simul conjungit.

P. le Jeune Presbyter Oratorii peculiarem habet hujus argumenti sermonem.

Ludovicus Granatensis in locis communibus, *Tit. Blasphemia.* *Qui collectanea ediderunt.*

Nicolaus Hanapus. *Tit. Blasphemia.*

Lohner, *Tit. Blasphemia, & Juramentum.*

Peraldus. *De Peccatis lingua.*

Raynerius de Pisis. *Tit. Juramentum.*

Labatha. *Tit. Juramentum.*

Berchorius.

Summa Prædicantium, & alii.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & Applicationes Bibliorum huic argumento.

Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Exod. 20.

Nec enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustrà. Ibidem.

Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moria-

riatur: lapidibus opprimet eum omnis multitudo, sive ille civis, sive peregrinus fuerit. Levit. 24.

Educ blasphemum extra castra, & ponant omnes qui audierunt, manus suas super caput ejus, & lapidet eum populus universus. Ibid.

Non perjurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui. Ibid. c. 19.

Qui audierit vocem jurantis, &c. nisi indicaverit, portabit iniquitatem suam. Ibid. c. 5.

Non usurpabis nomen Domini Dei tui frustrà: quia non erit impunitus qui super re vana nomen ejus assumpserit. Deut. 5.

Dominum Deum tuum timebis, & illi soli servies, ac per nomen illius jurabis. Ibid. c. 6.

Docuit iniquitas tua os tuum, & imitaris linguam blasphemantium. Jobi 15.

Addit super peccata sua blasphemiam. Idem, cap. 34.

Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo? 1. Reg. cap. 2.

Cui exprobrasti, & quem blasphemasti? contra quem exaltasti vocem tuam, & elevasti in excelsum oculos tuos? Contra Sanctum Israel. 4. Reg. cap. 19.

Quorum os maledictione plenum est. Psal. 13.

Posuerunt in Cœlum os suum, & lingua eorum transivit in terra: iniquitatem in excelso locuti sunt. Psal. 72.

Nolite loqui adversus Deum iniquitatem. Ps. 74.

Qui jurat proximo suo, & non decipit, habitabis in tabernaculo tuo. Psalm. 14.

Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto ejus?... Qui non juravit in dolo proximo suo. Psal. 23.

Jurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in illa. Eccli. 23.

Nominatio Dei non sit assidua in ore tuo. Ibid.

Vir multum jurans implebitur iniquitate, & non discedet à domo illius plaga. Ibid.

Et si in vacuum juraverit, non justificabitur: replebitur enim retributione domus illius. Ibid.

Jugiter tota die nomen meum blasphematur. Isaiæ 52.

Jurabis: Vivit Dominus in veritate, & in judicio, & in justitia. Jerem. 4.

Loquela multùm jurans horripilationem capiti statuet. Eccli. 27.

Maledictio veniet super domum jurantis mendaciter. Zachar. 5.

Audistis quia dictum est antiquis: Non perjurabis; reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis, non jurare omnino, neque per Cœlum, quia thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum est pedum ejus. Matth. 5.

Omne peccatum, & blasphemia remittetur hominibus; Spiritus autem blasphemia non remittetur. Matth. 12.

Qui blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non habebit remissionem in æternum. Marc. 3.

Homines per majorem sui jurant: & omnis controversia eorum finis, ad confirmationem, est juramentum. Ad Hebr. 6.

Ante omnia, fratres mei, nolite jurare, neque per Cœlum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum. Sit autem sermo vester: Est, est: Non, non: ut non sub judicio decidatis. Jacobi 5.

Exempla ex veteri, novoque Testamento desumpta.

In veteri lege blasphemi, populo separabantur.

IN Levitico præceperat Deus, ut blasphemi castris ejicerentur, & separarentur a populo, quod hodie cum excommunicatis fieri consuevit; atque juxta hoc exemplum in antiquis Canonibus Blasphemus in ipso Templi limine subsistere cogebatur, donec divina celebrarentur Mysteria, & post septem dies Dominicos Templo sese præsentare debebat nudatis pedibus, fune ad collum alligato ad populi totius conspectum; qui si hanc subire detrectaret Canonicam pœnam, ex Ecclesia ejiciebatur, ac post mortem in sterquilinium projiciebatur. . . . Neque vobis stupor incesserit, inquit glossa ordinaria; infelices isti jam Dei metum, & charitatem per peccatum amiserunt, ideoque a Fidelium communione sunt divellendi: negarunt Deum, igitur tradendi sunt dæmoni, quemadmodum se tradidisse Himenæum, & Alexandrum S. Paulus testatur. *Tradidi eos Sathanæ, ut discant non blasphemare.*

Sennacherib ob blasphemiam percussus.

Celeberrimum divinæ justitiæ in blasphemos exemplum est pœna Sennacherib Regis Assyriorum; quæ quarto Regum libro cap. 19. refertur. Postquam Rex ille in ditionem suam pleraque Judææ oppida redegisset, Jerosolymam obsidione vallavit, & Rabsaci copiarum suarum Imperatori mandavit, ut quocumque pretio urbe illa Judææ principe potiretur: qui oblatas ab Ezechia Rege pacis propositiones rejiciens, atque in ludibrium vertens confidentiam, quam cives obsessi testabantur se habere in veri Dei præsidio, urbisque natura, quæ circumundique montibus erat vallata, (quæ res hostibus difficillimum præbebat accessum) non sine irrisione gravissimis blasphemiis refertissima respondit, Hebræorum Deum montium quidem esse Deum, vallium verò non item. Blasphemia hæc illi stetit centum & octuagintaquinque mille militum clade, quos nocte una Angelus Dei occidione delevit; quæ res coegit Sennacherib, ejusque Imperatorem, ut sese in fugam converterent. At Divinæ ultioni satis non fuit tanti exercitus miserabile excidium: ipse quoque Sennacherib morti longè magis funestæ reservatus fuit; etenim in regnum suum reversus, atque in Templum Dei sui confugiens ejus opem imploraturus a propriis filiis jugulatus occubuit.

Alia de blasphemis sumpta supplicia.

Inutile esset fusiùs omnes persequi pœnas divinitus sumptas, quibus Scriptura repleta est, ut inde liqueat, Deum non pati, ut blasphemiæ abeant impunes. Satis est videre Pharaonem cum exercitu universo rubro mari submersum; Acham lapidibus obrutum; Core, Dathan, & Abiron viventes adhuc terra sub pedibus eorum dehiscente sepultos; Nicanorem in acie cæsum, caputque ejus, & brachia Jerosolymam in triumphum adducta ad Dei Israel, quem blasphemiis suis coinquinaverat, honorem reparandum; Holophernem, & Antiochum, quorum exitus, & cædes satis compertæ sunt. In unum Nabuchodonosor mitius actum est; quia cum sumptibus suis didicisset nequaquam impune Deum lædi, in universa ditione sua edictum pronuntiari jussit, quo minitabatur futurum ut quicumque ausus fuisset in Deum blasphemias evomere, statim morte afficeretur, domusque illius diruta solo æquaretur: *Lingua quæcumque locuta fuerit blasphemiam contra Deum, dispereat, & domus ejus vastetur.* Daniel. 3.

Perjurii punitio.

Sedeciæ exemplum palam ostendit Deum nihilo mitiùs in pejerantes animadvertere, ac ostendit necessitatem præstandi fidem earum rerum, quæ vel ipsis inimicis, interposita jurisjurandi fide, promissa fuerunt. Princeps hic non solum acie victus fuit, verùm etiam Babylonem avectus, & ferreis vinculis constrictus; immo illi etiam oculi effossi fuere imperante Nabuchodonosor, quia promissis non steterat, & jusjurandum violaverat; quamobrem Sanctus Hieronymus in 17. Ezechielis caput inquit, Nabuchodonosor ea in occasione fuisse ultionis divinæ instrumentum ad puniendum Sedeciæ perjurium. E contra videmus Josue noluisse delere Gabaonitas, licet populi Dei hostes, quia se illis nihil obfuturum juraverat: *Juravimus illis in nomine Domine Dei Israel.* Josue 9.

Adimplendum non est, quod injustè promissum est.

Quædam suppetunt etiam exempla, quibus docemur, ea, quæ juravimus, adimplenda non esse, ubi injusta sunt, & Divinæ legi adversentur. Præceperat Saul ne quis biberet, vel comederet, an-

tequam sumpsisset pœnar de hostibus suis, a quibus injoria fuetar affectus, pollicitus jurejurando se morti adjudicaturum, quicumque dicto non patuisset. Jonathas filius ejus, quin ad id adverteret animum, gustavit ex favo mellis, virga, quam manu tenebar, dum hostem persequeretur; & Saul, qui parum religiorè aliis in occasionibus fidem præstitit, in hac censuit, ne perjurus esser, filium suum esse occidendum; quod etiam facto probasset, nisi populus universus clamoribus obstitisset dicens justum non esse, ut ille periret, qui sot alios servarat. Rex iste patricidium patrasset, ne violaret juramentum, quod temere protulerat, & cui propterea non tenebatur. Neque minus temeratius fuit Jephre solemni jurejurando promittens Deo, quidquid vivens sibi de prælio reduci victorique occurreret, se victimam oblaturum; verùm gravior illius fuit noxa, cum promissionem, injustumque juramentum expleturus propriam filiam, quæ gratulatura victoriam, prima occurreret patri, offerens in sacrificium. David se gessit prudentiùs; cum enim jurasset iratus se domum Nabal igni, ferroque vastaturum, quin cuiquam parceret, injustam ulturus repulsam, quam ab eodem acceperat; postmodum aliud iniit consilium, ubi agnovit injustitiam, quam patrasset, si ejus juramenti fidem præstitisset, quod adimplere non tenebatur.

Quantopere Judæi perhorrescerent juramentum.

Judæi, licet Dei cultus, atque honor adeo parum illis negotium facesseret, blasphemiam tamen ita perhorrescebant, ut suas vestes discerperent in execrationis, ac detestationis indicium, si quæ umquam auribus eorum accideret. Quamobrem Caiphas cum in Dei viventis nomine Salvatorem fuisset obtestatus, ut palam fateretur, utrum Dei filius esset, ac Messias, quem natio universa tandiu votis omnibus concupierat; cumque Salvator propter Divini Nominis reverentiam respondere coactus, hunc se esse affirmasset: iniquus Judex indignationem, falsumque zelum suum melius aperire non potuit, quam scindens vestimenta sua, & veluti furiosus exclamans: *Blasphemavit*. Hic blasphemus est, vos testes estis; non aliis igitur opus est argumentis, ut judicetur; morte plectendus est.

Matt. 26.

Salvator sæpe blasphemiæ nomine accusatus fuit, & sæpe in illum blasphemiæ prolatæ fuerunt. *Matth.* 26. & *Marc.* 15.

Ex Evangelio quoque didicimus Judæos non solum accusasse Dei Filium hujus criminis, licet ipsa sanctitas esset, sed eos ipsos sæpe in illum blasphemias evomuisse dicentes modò illum dæmoniacum esse, modò dæmones ejicere in nomine Beelzebub, qui eorum princeps erat, & caput, modò illum maledictis petentes, veluti cum de cruce pendebat: *Vah qui destruis Templum Dei, & in triduo reædificas illud*, cur temet ipsum salvum non facis? Locus verò maximè insignis est correctio, & exprobratio, qua bonus Latro corripuit socium suum, qui contra Dei Filium blasphemabat, dicens illi cœli vindictam metuendam esse, cum eodem damnatus esset supplicio. Hoc verò nobis accidit justè, quia meritas luimus pœnas, sed ille, cui insultas, nihil mali operatus est. Itaque ex duobus latronibus supplicii, quo Dei Filius afficiebatur, sociis, alter quidem reprobatus fuit; alter verò meruit, ut primus omnium particeps fieret fructus Sanguinis, & mortis Domini.

Quo in sensu Dei Filius in Evangelio præcipiat, ne omnino juretur. *Matth.* 5.

Quod pertinet ad jusjurandum, attulimus jam Salvatoris hac in re doctrinam, qua Præceptum Moysis extenditur; si enim præcipit Moyses, ne in vanum juretur, Salvator saluberrimum hoc tradit consilium, ne omnino juretur: *Ego autem dico vobis, non jurare omnino*: non quod in maximi momenti occasionibus, quemadmodum antea dictum est, jurare prohibeat; sed, quemadmodum Sanctus Chrysostomus ait, ut appareat lege sua Christianos ad altiorem perfectionis gradum attolli, quam veteri attollerentur Judæi; & ut idem Pater addit, quia perjurii evitandi ratio optima est, nunquam omnino jurare.

Juramentum Herodis, & effectus illius.

In Herodis persona habemus exemplum juramenti temere facti, & per summam injustitiam sævissimamque crudelitatem expleti. Rex ille in convivio, ubi plane inter pocula ratio naufragium fecerat, interposita juramenti fide promiserat se filiæ Herodiadis concessurum quidquid illa petiisset, ipsum etiam Regni sui dimidium, eo quod venuste saltaverat, atque convivas omnes choreis, & saltationibus oblectatione refecerat. Saltatricis petitio mærorem attulit regi, qui se nimium spopondisse intellexit; sed quia se religiosum præbere voluit in fide præstanda, barbarum, & impium se probavit præcipiens ut afferretur in disco caput omnium hominum sanctissimi viri, Joannis Baptistæ, quem ipse quoque habebat in pretio.

Juramentum Judæorum de S. Pauli cæde.

In Actis Apostolorum legimus juramentum, quo Synagogæ Principes sese adegerunt, ut neque biberent, neque manducarent, nisi Paulum de medio sustulissent; quod effecissent procul dubio nisi Deus Apostoli sui curam suscepisset, eumque liberasset ex manibus illorum, qui falso legis suæ zelo erant correpti.

Blasphemia Antichristi carater.

In Apocalypsi explicitè memoratur inter cæteros Antichristi caracteres non postremus futurus, incessanter blasphemias evomere. *Datum est ei os loquens magna, & blasphemias . . .; Et aperuit os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen ejus, & tabernaculum ejus, & eos, qui in Cœlo habitant*. Apocal. c. 13.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic argumento.

S*I peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* 1. *Reg. c.* 2. Sacer textus innuit, longe difficilius esse obtinere veniam criminum immediate contra Deum patratorum, quam eorum, quæ in homines committuntur. Hujus autem numeri proculdubio sunt blasphemiæ, quæ totidem veluti sunt jacula in Deum ipsum contorta, ac tela, quæ barbari quidam populi in Cœlum ejaculantur, cum tonitru strepere audiunt, hoc pacto sagittas suas Cœlorum fulminibus, armaque sua eorum armis opponentes. *Quem blasphemasti?. contra quem exaltasti vocem tuam?* quærit Propheta. Hic ille est, o impie, quem lacessis, hic ille, in quem insurgis; hic, cui irascetis; & non vis hæc tela, quæ in Deum jaculatis, has blasphemias, hæc maledicta in tuum caput relabi? 4. *Reg.* 19.

Vere & tu ex illis es, nam & loquela tua manifestum te facit. Matth. 26. Vulgò, & facile agnoscitur cujas aliquis sit ex lingua, vocisque sono, & accentu; quo posito, Sanctus Chrysostomus animadvertit, judicari posse, quin procul a veritate aberretur, eos qui incessanter jurare, & blasphemare consueverunt, vel qui hanc inferorum, dæmonumque linguam loquuntur, esse ex numero, & patria eorum, quorum sermone utuntur; & paucas esse notas certiores, ex quibus colligi possit animam a Deo derelictam, & iniquitati mancipatam fuisse, quàm hæc juramenta, & blasphemias, quæ in habitum abiere, qui fere numquam exuitur.

Sepulchrum patens est guttur eorum. Psalm. 5. Theodoretus ait, hæc dici blasphemis, & iis, qui jurare consueverunt; quia quemadmodum ex aperto sepulcro nihil emanare potest præter tabum, & saniem; ita cordis corruptio ex blasphemantium ore emanat; seu quia hæc verba significant animam gratiæ mortuam, usquequaque corruptam, & jamjam in Inferno sepeliendam, ubi eamdem, qua in terris utebatur, loqui linguam perseverabit.

Lingua tua concinnabat dolos. Interpretes quidam verba hæc juramentis, atque blasphemiis applicant. Horrorem cient, cum crassiores sunt,

ac

ac in ore eorum, qui mero madent; at non desunt, qui licet cultiores sint, non ideo sunt minus nocentes. Ex illis sermonis sui ornamentum concinnant; eas cum venustate, & lepore quodam pronuntiant; quasdam excogitant illas effutiendi rationes, quasi impietatem ipsam condire vellent, eamque iis etiam gustandam præbere, qui eam maxime omnium perhorrescunt. Inda profecta sunt tot juramentorum genera, imprecationum, & blasphemiarum minus odiosis vocabulis abditarum. Ne expectetis (Auditores) illas a me istic referri; nemo rudis est, nemo hospes in hoc sermone, qui apud eos etiam usum obtinuit, qui honestissimi habentur. At bonorum lacrymas id promeretur, quod videlicet vident nomen Dei hoc pacto pollutum, atque nullo iracundiæ impetu in colloquiis, hilaribusque societatibus prophanatum, quasi nulla inveniri posset citra scelus, & impietatem oblectatio.

Sanctificetur Nomen tuum. Matth. 6. Hæc prima petitio est, qua Deum oramus, ut videlicet nomen ipsius sanctificetur. Non sine sapientissimo consilio Salvator petitionem hanc cæteris antepofuit, etenim, quemadmodum Doctores quidam animadvertunt, Dei Filius videns homines ad jurandum, atque Dei nomen blasphemiis suis dedecorandum pronos, ut abominabilem hanc consuetudinem altera prorsus opposita truderet, voluit primum orationis articulum, a Fidelibus quotidie recitandæ, hunc esse, quod adorabile Dei nomen benedictionibus, laudibusque celebraretur. At Christiani, qui jurare, & sanctum hoc nomen blasphemare consueverunt illudne sanctificant, & hoc munere rite persunguntur?

PARAGRAPHUS IV.

Loci, ac Sententia Sanctorum Patrum hujus Argumenti.

Nihil horribilius blasphemia, qua ponit in excelsum os suum; omne quippe peccatum levius est. Hieron. in c. 18. Isaiæ.

Mori possum, tacere non possum. Idem, l. 3. adversus Rufinum.

Blasphemia veniam non meretur. Idem, in Apolog.

Mentiri & jurare lingua tua prorsus ignoret, tantusque sit in te veri amor, ut quidquid dixeris juratum putes. Idem, ad Cælantiam, de institutione matris familias.

Sicut ad proprias injurias patientes esse debemus; ita si aliquem viderimus erga Deum oru sacrilego blasphemantem, illic tenere non debemus patientiam; sed sacrilego resistere, & os blasphemum veritatis responsione damnare. Idem.

Qui contemnit juramentum, illum despicit per quem juravit, illique facit injuriam, cujus nomine credidit adversarius. Idem, in Ezechiel. libr. 1. cap. 17.

Noli jurare, ne incipias pejerare. Ambr. in exhort. de Virg.

Blasphemia pejus nihil. Chryf. Hom. 1. ad Popul. Antioch.

Nemo est qui frequenter juret, qui aliquando non perjuret; sicut qui consuevit multa loqui, aliquando loquitur importuna. Idem, in Matthæi cap. 5.

Non est hoc peccato (nempe blasphemia) *deterius, sed neque par, nam in eo & accessio omnium malorum est, omnisque confusio, inexpiabile supplicium, & intolerabilis pœna.* Idem, Orat. 2. de fato & Provid.

Benè prohibetur homo jurare, ne consuetudine jurandi, quia homo falli potest, etiam in perjurium prolabatur. August. in Psal. 88.

Manifestum est homines jurare, aut cupiditate, aut delectatione peccandi. Idem, in Epistola ad Galatas.

Linguam ream non faciet nisi mens rea. Idem, Serm. 28. de verb. Apost.

Assiduitas jurandi, perjurii consuetudinem facit. Isidorus lib. 2. Sent.

Impii sunt qui jurare delectantur. Idem, ibid.

Veritas juramento non indiget. Idem, ibid.

Quacumque arte verborum quis juret, Deus tamen, qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit. Idem, de summo bono.

Qui ad jurationem provocavit, duas animas interficit, jurantis & provocantis. August. Serm. 4. in Decalog.

Juravit David temerè, sed non implevit jurationem majore pietate. Idem, Serm. de Decollat. S. Joan. Bapt.

Dico vobis non jurare omninò (ait Christus;) *ne scilicet jurando, ad facilitatem jurandi veniatur, de facilitate ad consuetudinem, de consuetudine ad perjurium decidatur.* Idem, libro contra mendacium.

Non minùs peccant qui blasphemant Christum regnantem in Cœlis, quàm qui crucifixerunt ambulantem in terris. Idem, super Matth.

Flagellatus est Christus flagellis Judæorum; sed non minus flagellatur blasphemiis falsorum Christianorum. Idem super Joan.

Vis longè esse à perjurio? jurare noli. Falsa juratio exitiosa est, vera juratio periculosa, nulla juratio secura. Idem, Serm. 28. de verb. Beati Jacobi.

Pejus est blasphemare, quam pejerare, quoniam pejerando, falsa rei adhibetur testis Deus, blasphemandu autem, (de ipso falsa dicuntur Deo.) Idem, l. contra mendacium, c. 19.

Ideò dictum est ne juremus, non quia verum jurare peccatum est; sed quia pejerare peccatum immane est, à quo nos longè esse voluit, qui omninò ne juremus admonuit. Idem, Epist. 154. ad Publicolam.

Jurare per execrationem est gravissimum jurisjurandi genus, cum homo dicit, si illud feci, illud patiar. Idem, in Psal. 7.

Homo, qui per consuetudinem jurandi, potest lingua in perjurium prolabi, benè prohibetur jurare; tantò enim longiùs erit à perjurio, quantò erit longè à jurando. Idem, Sermone de Decollat. Sancti Joan. Bapt.

Horrendum penitùs sacrilegium (blasphemia) *quod & ipsorum videtur excedere facinus, qui Domino majestatis manus sacrilegas injecerunt.* Bernardus Serm. 2. de Convers. S. Pauli.

Jurare opus non est iis, quibus omnis sermo in vero est. Hilarius, in Matth.

Prima semper irarum tela, maledicta sunt. Quidquid non possumus imbecilles, optamus irati, & in omni animorum indignantium motu, votis malis pro armis utimur. Salvian. l. 3. de Gubernat.

O inauditum facinus! authorem sui sceleris Deum facere volunt. Idem, lib. 4.

In comparatione omnium illi solus Deus vilis est. Idem, lib. 5.

Ex frequenti jurejurando perjurium nascitur; Philo Judæus.

Gregorius Nazianzenus, ut longiùs à juramento abesset, etiam voto se adstrinxit se non juraturum; quod laudabili constantia ad mortem usque servavit, In ejus vita.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia penu hoc in argumento depromi valeat.

Blasphemia est ratio loquendi da Deo contumeliosa, qua ille lacessitur. Hanc nobis notionem suppeditat Theologia: *Blasphemia est injuriosa in Deum locutio.* Sanctus Thomas ait, illam oppositam esse confessioni fidei; blasphemus Blasphemia definitio, natura, & species. 2. 2. q. 13. ar. 1.

enim Deo tribuit ea, quæ illum minime decent, ea verò, quæ illum decent, illi denegat. E contra fidei confessio Deo id tribuit solum, quod ejusdem proprium est, eique negat, quod eidem convenire non potest. Contra Sanctos etiam blasphematur; & quemadmodum injuria, qua afficiuntur recidit in Deum, qui in illis coli vult, hæc etiam blasphemia indirectè fidei adversatur. Blasphemiam verò tribus modis, qui illius varias species non ideo efficiunt, committi Sanctus Bonaventura testatur; videlicet si Deo tribuatur, quod illi convenire non potest; puta, ignorantia, nequitia, crudelitas, affectus aliquis, aut vitium: Si illi denegetur, quod ejusdem proprium est, veluti summa bonitas, summa potentia, providentia, & sapientia infinita: denique si creaturæ cuipiam ea tribuantur perfectiones, quæ Deo uni conveniunt.

Peccatum hoc dividitur in blasphemiam cordis, vel cogitationis; in Blaphemiam oris, cum verba Deo contumeliosa proferuntur, & in blasphemiam actionis, uti faciunt infideles, & hæretici, immo etiam mali Christiani, qui flagitioso vivendi genere, & sceleribus, quæ patrant, infidelibus, & Hæreticis suasionem tribuunt blasphemandi, videlicet cogitandi, vel dicendi, Lege quam sequimur, & Religione, quam profitemur, nos hoc vivendi genus doceri. Quamobrem Sanctus Augustinus ait paucos inveniri hodierna die, qui ore Dei nomen blasphemant, innumeros autem esse, qui illud vita, & factis blasphemant.

Tract. 27. in c. 6. Joan.

Gravitas peccati blasphemiæ.

Peccati hujus gravitas, atque enormitas desumenda est ex illius natura, quæ est Deum lacessere, eumque directè, & immediatè in ipsius persona afficere contumelia. Itaque hæc actio ex se mala est, & numquam fas esse potest qualibet in circumstantia; atque ut Theologi dicunt, non ideo mala est, quia prohibetur; sed ideo prohibetur, quia mala, quippe & rationi, & legi naturali adversatur; quod de juramento, & hominis cæde dici non potest, quæ aliquibus in occasionibus permittuntur. Immo docet Sanctus Thomas blasphemiam in genere suo consideratam esse peccatorum omnium maximum: seu quia quodvis aliud peccatum, si cum hoc conferatur, semper levius est; seu quia cum infidelitas, in quam labitur blasphemator per se sit gravissimum scelus, accedit odium Dei, exteriusque verbum, ad præstantiam, majestatem, potentiam, vel aliam quamlibet Dei perfectionem evertendam. Unde inferendum est blasphemantis intentionem deteriorem esse interficientis; quamvis si spectetur damnum ex facto proveniens, illud, quod cædem sequitur gravius sit, quàm quod ex blasphemia proficiscitur. Unde etiam sequitur, blasphemum gravius peccare, quàm pejerantem, qui licet Deum mendacii testem appellat, non credit tamen Deum esse posse mendacii auctorem, atque fautorem: ita ut si nulla est peccati levitas in perjurio ratione parvitatis materiæ; multo magis in blasphemia sit nulla.

q. 13. ar. 3.

Quid necesse sit ut vera committatur blasphemia.

Cum hoc peccatum sit peccatorum omnium enormissimum, opus est ad hoc, ut aliquis verè in hoc peccet, eum, qui blasphemiam profert, voluntatem habere determinatam certam injuriam afferendi Deo, vel saltem scire, illum affici injuria per ea, quæ a se proferuntur. Qui enim iratus verba quædam effutit eorum significationem nequaquam distinctè cognoscens; vel ad eorum significationem non advertit animum, licet Dei honorem offendant, propriè blasphemiam non committit, vel blasphemia hæc nonnisi veniale peccatum esse potest. At hoc dici nequit de quibusdam verbis palam significantibus, licet e trivio sint, & quorum sensus statim animo occurrit; ea quippe criminis excusari non possunt, licet cæca passione rapiatur illa pronuntians.

Abusi Scripturæ verbis in prophanis est species blasphemiæ.

Blasphemiæ quoque species committitur, cum Sacræ Scripturæ verba quæ summa cum reverentia excipienda sunt, in prophanos usus traducuntur; atque in ridiculis narratiunculis, dicteriis, aliisque id genus adhibentur; quod crimen est Tridentinæ Synodi præcepto severis suppliciis coercendum, uti sub finem Sessionis decimæquartæ legere est.

Quod spectat ad blasphemiam contra Spiritum Sanctum, quam Patres, atque Theologi aliter explicant, nostri non est argumenti. Sin autem hoc nomine intelligantur contumeliosa verba contra Spiritum Sanctum prolata, hæc sub aliis blasphemiæ speciebus continentur. Sin de meræ nequitiæ peccatis intelligantur, quæ sunt contra Dei bonitatem, quæ præsertim Spiritui Sancto tribuitur, vel de salutis desperatione, ac finali impœnitentia, quod unicum Sanctus Augustinus agnoscere videtur peccatum contra Spiritum Sanctum; de his præsentis instituti non est verba facere.

De juramento, quid sit, & quæ ejus definitio.

Quandoquidem jusjurandum cum blasphemia conjunximus propter rationes, quas supra retulimus; hæc ea sunt, quæ ex Theologiæ fontibus hoc in argumento haurienda videntur. Jurare, Sanctus Thomas inquit, est Deum testem vocare eorum, quæ dicuntur & affirmantur, secundum Sancti Augustini doctrinam; quippe juramentum institutum est ad eam rem confirmandam, quæ cum per se probari, confirmarique non possit, indiget probatione, quæ a productis testibus pendet. Cum autem frequens accidat, ut hominum testimonium satis non sit ad veritatis alicujus faciendam fidem, de qua posset dubitari; hominibus enim aliquid affirmantibus non rarò sinceritas deest; ita necessarium aliquando est ad infallibile testimonium confugere, quod Dei unius est. Hoc autem fit per jusjurandum, quod divinam veritatem testem appellat rei, quæ asseritur, ut hominum fidem, atque religionem certam faciat, atque confirmet.

q. 89. ar. 1.

Duæ sunt generatim juramenti species.

Juramentum assertorium vocatur, cum Deus testis accersitur ad confirmandam hoc juramento rem, quæ vel præsens est, vel futura. Si pro affirmanda re futura, quam vel stato tempore, vel cum sese obtulerit occasio nos facturos recipimus, utimur juramento, tunc dicitur promissorium, quatenus quod alicui promittimus, est de re futura, quæ bona esse debet, atque honesta, ut illam adimplere teneamur. Distat a voto, quod promissio est uni Deo facta.

Duo juramenti modi.

Duo quoque sunt jurandi modi; alter per simplicem attestationem, vel Divini nominis invocationem, veluti cum per sanctum nomen Dei juratur: alter per execrationem, cum caput nostrum vel personam diris, vel pœnis aliquot a Deo infligendis subjicimus, nisi veritatem dixerimus; exempli gratia, me perdat Deus, si mentior; Priori in casu Deus tamquam testis dumtaxat vocatur; in posteriori verò tamquam testis simul, & Judex.

Juramentum per se licitum est, & honestum.

Ex Scripturarum, Patrumque testimonio, nec non Patriarcharum, Apostolorum insigniorumque utriusque testamenti virorum exemplo; ac tandem ex Ecclesiæ, omniumque Doctorum consensu liquet, juramentum, si requisitas habeat conditiones, permissum esse, honestum, immo etiam actum Religionis; atque Anabaptistarum errorem fuisse, non licere unquam, quæcumque sese causa obtulisset, jurare, quippe perperam hæc JESU CHRISTI verba interpretabantur: *Dico autem vobis, non jurare omnino.* Quamquam lex illud solum juramentum prohibeat quod fit in vanum, quod falsum est, & quod sine ulla fit necessitate. Et certè constat noluisse Dei Filium his verbis generatim omnium juramentorum genera condemnare; quandoquidem ipse quoque, & Apostoli sæpius jurarunt: sed voluisse tantum fallacem Judæorum sententiam improbare opinantium, in juramento satis esse evitare mendacium, atque perjurium, ac sibi religioni nequaquam vertentium jurare, & sæpissimè alios ad jurandum compellere propter res levissimas, & quæ nullius momenti habebantur.

Matth. 5.

Quam-

Quomodo honoretur Deus per jusjurandū in iis, quæ magni momenti sunt.

Quamvis honoretur Deos, cum testis vocatur ad rem veram, magnique momenti probandam, hæc tamen ratio Dei nomen honorandi longè differt ab ea, qua fidenter opem illius imploramus; altera enim hæc ita bona, & utilis est, ut nihil utilius hominibus esse possit, quam in illa sese dies, noctesque exercere; cum e contra licet jusjurandum ex se bonum sit, frequens nihilominus usus neque boous est, neque laudabilia. Discriminis hujus ratio est, quod juramentum constitutum dumtaxat est tamquam contra humanam infirmitatem remedium ad ea, quæ dicimus confirmanda; quemadmodum ergo corpori utile non est remediis uti citra necessitatem, immo remediorum usus corpori perniciosus est; ita jurandum non est, nisi justa, & necessaria adsit causa, quæ nisi adsit, irreverentia est erga Deum, quemadmodum Sancti Augustinus, Chrysostomus, ac Thomas docent.

Conditiones, quæ in juramento quæruntur, ut liceat.

Justitia, judicium, & veritas liciti juramenti sunt conditiones secundum Jeremiam Prophetam, ex Sancti Hieronymi sententia; quia tria hæc requiruntur ad juramenti validitatem, & ut bonus sit usus ejusdem: etenim sine justitia esset illicitum; sine judicio temerarium, sine veritate, perjurium. Hæc explicitis verbis docet D. Thomas quæst. 89. art. 3. a. 2.

Quomodocumque, Deum testem vocare jurare est.

Animadvertendum est, jurare non aliud esse, quam Deum testem accersere, quomodocumque id fiat. Idem enim est dicere, *testis mibi sit Deus*, ac per Dei nomen jurare. Verum etiam jusjurandum est ad fidem faciendam sancta attestari Evangelia, Crucem, Sanctorum Reliquias, & similia. Hæc enim omnia per se nullam vim, auctoritatemve conferunt affirmatæ rei; sed Deus, cujus suprema Majestas in omnibus hisce rebus effulget. Et sanè qui per Evangelium jurant, idem præstant, ac si per ipsius Dei oomen jurarent, quia hujus veritas ibi continetur. Idem dicendum est, qui per sanctos jurant, qui Dei Templa sunt, qui crediderunt Evangelio; & qui Deum semper coluere. *Hæc est Catechismi Concilii Tridentini doctrina.*

Quomodo juramentū vim habeat, virtutemque obligandi.

En quid Sanctus Thomas artic. 7. quæst. 89. dicat de obligatione, quam juramenta nobis imponunt. 1. Juramentum, quod assertorium diximus, veritatem nos dicere cogit, alioquin perjuros, & calumniatores habendos. 2. Juramentum, quo aliquid nos daturos, facturosve recipimus, promissi fidem servare nos cogit, si res in potestate nostra sit posita. Tunc enim tenemur veram efficere promissionem nostram. 3. Juramentum, quo id promisimus, quod per nos adimpleri non potest, sed per alium, qui non pendet a oobis, obligandi vim habere non potest; sed juramentum hoc imprudens est, ideoque illicitum. 4. Jurameotum, quo id nos facturos pollicemur, quod fieri quidem a nobis potest eo, quo juramus tempore, sed quod deinceps eventu, vel occasione aliqua fit impossibile, ad id taotum nos compellit, ut pro virili promissi fidem exolvere contendamus. 5. Juramentum quo id promisimus, quod ex se malum est, vel id quod ei rei obicem statuit, quæ bona est, nulla ratione nos obligat. Alioquin duplex peccatum committeremus, alterum quidem jurantes nos facturos quod malum est, alterum hoc malum facientes. Sin autem quod jurejurando promittitur, majori cuipiam bono statuat obicem, veluti jurare de non ingrediendo in Religionem, peccatur jurando, non peccatur verò majus bonum faciendo, exempli gratia in Religionem ingrediendo. Hæc omnia ex D. Thoma desumpta sunt.

In quo juramentum consistat.

Qui non timet tantum patrare scelus, quantum est Deum testem vocare mendacii, Deum ipsum, quatenus primam veritatem lacessit, eique insignem adfert injuriam; qua in re animadvertendum est, non pejerare illum dumtaxat, qui tamquam verum affirmat, quod scit falsum esse; sed illum etiam, qui Sacramento affirmat id quod in se quidem verum est, sed quod falsum esse opinatur; mendacium quippe io hoc essentialiter positum est, ut aliquid contra proprium sensum, ac mentem dicatur.

In quo consistat promissorii juramenti perjurium.

Denique ille perjurii reus est, qui aliquid jurejurando pollicitus, animum habet promissi fidem non præstandi; vel qui cum aliquid interposita juramenti religione spoponderit, atque fidem persolvere possit, illam nullo pacto persolvit. Huic autem perjurio sese objiciunt, qui crebrò jurare consueverunt, quemadmodum Sanctus Augustinus, aliique nonnulli Sancti Patres testantur. Immo neque secundum eosdem Patres licet aliquem ad jurandum compellere, cum metuendi ratio subest, futurum ut ille jusjurandum infringat; hoc enim est plurimum conferre, ut ille perjurus fiat.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, recentioribusque Concionatoribus loci hujus Argumenti.

Indignum est tot Fideles audire juramenta, & blasphemias evomentes.

NOn desunt mortales adeo errorum tenebris obcœcati, ut quem Angeli glorificant, ei maledicere non vereantur. Neque enim lege semel lata deterrentur, quominus, Dei majestatem quotidie, imo singulis pene horis, ac momentis impudentissimè audeant imminuere. Quis enim non videat, omnia jurejurando affirmari, omnia imprecationibus, & execrationibus referta esse? usque adeo ut nemo fere vel vendat aliquid, vel emat, vel negotium aliquod gerat, qui non jurisjurandi religionem interponat; Deique sanctissimum nomen millies in re levissima, & inani temere non usurpet. *Ex Catechismo Tridentini Concilii de secundo Precepto cap. 3.*

De juramenti origine.

Docet Sanctus Chrysostomus non nascente, sed jam adulto mundo, cum mala longè, lateque propagata universum terrarum orbem occupassent, nihilque suo loco, & ordine consisteret, sed perturbata omnia, & permixta sursum, deorsumque magna rerum confusione ferrentur; & quod malorum omnium gravissimum est, mortales fere omnes in fœdam idolorum servitutem seipsos abjecissent, tum denique longo sanè intervallo jusjurandum in hominum consuetudinem irrepsisse. Nam cum in tanta hominum perfidia, & iniquitate, nemo facile ad credendum adduceretur, Deum testem invocabant. *Idem.*

Cur juramentum institutum est.

Propter humanam imbecillitatem jusjurandum institutum est, & revera a malo provenit, quandoquidem aut jurantis inconstantiam indicat, aut illius, cujus causa juramus, contumaciam, qui, ut credat, aliter adduci oon potest. Sed tamen jurandi necessitas excusationem habet; Et quidem, dum inquit Salvator, *Sit sermo vester, est, est, non, non*; hac loquendi formula satis declarat, se jurandi consuetudinem in colloquiis familiarium, & levium rerum prohibere. Quamobrem illud præcipuè a Domino admonemur, ne faciles nimium, & propensi ad jurandum simus; idque sedulò docendum erit, & fidelium auribus inculcandum. Infinita enim fere mala ex nimia jurandi consuetudine emanare, & sacrarum litterarum auctoritate, & sanctissimorum Patrum testimoniis comprobatur. In Ecclesiastico scriptum est: *Jurationi non assuescat os tuum: multi enim casus in illa.* Eccli. 23.
Item: *Vir multum jurans implebitur iniquitate, & non discedet a domo illius plaga. Idem.*

Dei minæ in eos, qui nomen ipsius in vanum assumunt.

Taota est hominum proclivitas ad hoc peccatum committendum, ut non satisfuerit legem ferre, nisi etiam minæ adderentur: *Neque enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra.* Ubi animadvertendum est nullum a Deo certum supplicium constitutum fuisse, sed tantùm universè minari, quicumque se hoc scelere adstrinxerit, oon impune laturum. Quapropter diversa supplicia, quibus quotidie affligimur, hujus peccati nos admonere debent.

bent. Hinc enim facile licet conjicere, homines ea re in maximas calamitates incidere, quod huic præcepto non obtemperent; quibus sibi propositis cautiores eos in posterum fore verisimile est..... Nam si omnis verbi otiosi in extremo judicio reddenda ratio est, quid de gravissimis sceleribus dicendum, quæ magnam divini Nominis despicientiam præseferunt? *Idem.*

Quibus in occasionibus jurare liceat.

Quamvis omnibus in negotiorum generibus dixisse sufficere debet, *est*, *est*, *non*, *non*; accidunt nihilominus peculiares quædam occasiones, & necessitates, in quibus dictis jusjurandum addere cogimur, tunc verò præsertim cum de eorum salute, ac utilitate agitur, quibus volumus persuadere; atque hic est communis Ecclesiæ consensus permittentis, ut jusjurandum adhibeatur non solum, uti Sanctus Paulus in Evangelii prædicatione consueverat, ut populos ad salutis veritates credendas compelleret; verum etiam in fœderibus pacis, quæ inter Principes iciuntur, & cum ad Magistratus, atque dignitates vel sæculares, vel Ecclesiasticas aggredimur, & cum in judicium producti interrogamur, atque interposita juramenti Religione Judices veritatem aperire nos jubent. Tunc non licet solum jurare, dictisque addere sacramentum; verum quædam adesse potest circumstanita, ubi peccaremus, si jurejurando aliquid affirmare detrectaremus; puta cum agitur de publica utilitate, & tranquillitate, vel de pace familiarum, quæ alioquio jugibus dissidiis discetperentur. *Ethica Christiana in Pater l. 3. sect. 4. art. 3.*

Quantum dedecoris afferat divino nomini blasphemia.

Quamvis Dei nomen violetur, & dedecore afficiatur perjurio; multo majori tamen blasphemia illud afficit contumelia. Et ratio constat, Sanctus Augustinus ait, quia perjurio quidem Deus rei falsæ testis vocatur; sed blasphemia de eodem Deo falsa dicit. Crimen hoc adeo est detestabile, ut Sapiens ne ex nomine quidem illud audeat nuncupare; sed satis putat sub verborum involucro illud innuere, cum ante de juramento locutus addit:

Eccli. 23.

Est & alia loquela contraria morti, non inveniatur in hæreditate Jacob. Illud verò ita perhorrescit scriptura, ut de eodem loquatur verbis procul oppositum significantibus, veluti enim illud appellat *loquelam morti contrariam*, hoc est æterna morte dignissimam. *Ibidem art. 4.*

De præcepto de non assumendo nomine Dei frustra.

Quodlibet jusjurandum citra necessitatem vetitum est, & Dei mandatum violat, quo nomen ipsius in vanum prohibemur assumere, qui illud dedecorat blasphemiis, impiis subsannationibus, juramentis in levi re frequentibus, vel habitualibus sacramentis, vel promissionibus futilibus, inutilibusque jurejurando confirmatis. Propter hoc præceptum, quodlibet juramentum, quævis imprecatio in vanum facta opponitur huic mandato, & reverentiæ, quæ Sanctissimo Dei nomini debetur.

Psal. 110.

Sanctum, & terribile nomen ejus. At quisnam e sæculo, quis mercator huic obtemperat legi? Qui proprio motu jurat, sine prudentia, sine judicio, & ex habitu in jugi pejerandi periculo versatur. Cum contra Dei jussum promittimus aliquid sinceritatis nostræ sponsorem assumentes vel Deum, vel divinum aliquid, id obligamus, quod nostrum non est, invito Domino, & inconsulto. Nobismetipsis imprecari in iis quæ ad Cœlum terramve pertinent, in rebus sanctis, quarum Deus usum nobis largitus est; hoc est de nobismetipsis, de Dei donis, ejusque creaturis disponere contra supremi Domini placitum, & voluntatem. Deus in Cœlo gloriam suam manifestat, tamquam in throno suo divinarum perfectionum suarum vestigia imprimit in iis, quæ in terra sunt, tamquam in pedaneo subsellio; ostendit regnum sanctitatis, & gratiæ suæ in Templo tamquam in loco sedis suæ, ac in domo sua: semper igitur nobis curæ sit Deum rebus in omnibus quærere, & colere, non autem illum in iisdem dedecorare. *Ibidem.*

Unde juramenti abusus proficiscatur.

Caveamus perquam diligenter ne ob levia temporalia commoda juramentum adhibeamus; hoc est abuti Religione, ac Deum pecuniæ submittere. Juramenti abusus proficiscitur vel ab illud exigentis diffidentia, vel ab illius, ex quo exigitur, nequitia, vel ab animi levitate, & irreverentia. Sapientia, probitas, & religio his malis omnibus medebuntur. Nihil Dei spiritui magis oppositum, ac JESU CHRISTI Doctrinæ contrarium, quam juramenta in Ecclesia efficere familiaria; hoc enim est, perjuriorum occasiones augere, infirmis, rudibusque laqueos tendere, atque nonnumquam Dei nomen, & veritatem impiorum commodo subjicere. *Ibidem.*

Quam indignum sit Dei nomen sine reverentia proferre.

Iterum de jurandi abstinentia vobis differemus, & rogabimus charitatem vestram, ut multo circa hanc rem studio utatur. Quomodo enim non absurdum, servum quidem non audere Dominum nominatim, & sine honoris præfatione appellare; Angelorum verò Dominum temere, & contemptim ubique jactare? Et si Evangelium quidem capere oporteat, manibus lotis & cum multa reverentia, & religione tremens, & timens sumis: Evangelii verò Dominum temere lingua passim versas? Vis discere, quomodo ipsum appellant supernæ virtutes, cum quanto honore, quanta consternatione, quanta admiratione? Videbam Dominum sedentem, inquit, in throno alto, & elevato, & Seraphim stabant circa ipsum, & clamabant alter ad alterum, & dicebant, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth: plena omnis terra gloria ejus. Vidisti cum quanto timore, quanto horrore nominant eum glorificantes, & laudantes? Tu verò in precibus quidem, & supplicationibus cum multo invocas ipsum torpore, quando horrescere oportebat, & vigilare, & sobrium esse; in jurando verò, cum nec omnino adducere admirabile nomen oportebat, varia quædam, & alia super alia connectis juramenta. Et qualis venia, quæ verò nobis erit excusatio, licet millies consuetudinem objiciamus?... Impossibile enim, impossibile inquam est, meditantes, & studentes, & opus hoc facientes unquam superari. *S. Chrysostomus Homil. 7. ad Populum Antiochenum.*

Blasphemos corripere, imo & punire tenemur.

Sed postquam de blasphemia a nobis verba nunc facta sunt, unam a vobis omnibus petere volo retributionem pro concione hac, atque sermone; ut in civitate blasphemantes mihi castigetis, & si quempiam in bivio, & foro Deum blasphemantem audieris, accede, increpa: & si verbera infligere oporteat, ne recuses; ipsius faciem alapa percute, contere os ipsius, percussione manum tuam sanctifica. Et si ulli accusaverint, & si in judicium traxerint, sequere; & si pœnas Judex pro tribunali repoposcerit, dic cum libertate, quod Angelorum Regem blasphemavit. Si enim Regem terræ blasphemantes puniri oportet, multò magis illum contumelia afficientes. Commune crimen est, publica injuria, cuique accusare volenti. Discant & Judæi, & Gentiles quod civitatis conservatores sunt Christiani, & curatores, & præsides, & Magistri, & idem discant dissoluti, & perversi, quod & Dei servos ipsos timere oportet. *Idem Homilia prima.*

Supplicia, quibus Deus pejerantes affecit.

Recordare mihi quomodo juramentum hoc urbem ingressum & domos, & templum, & mœnia ædificiaque splendida destruxit, & ruinam fecit civitatem, & neque sancta sanctorum, neque sacra vasa, nec aliud quicquam pœnam, & ultionem illam avertit, quia violatum fuerat juramentum. Et Civitas quidem tam miserabiliter solvebatur, Rex autem bis miserabiliora, & tristiora patiebatur; & sicut ædificia falx ista volans destruxit, sic & hunc fugientem absumpsit. Egressus enim est Rex, inquit, nocte de Civitate per viam portæ: & Chaldæi circumdederunt Civitatem & persecutus est exercitus Chaldæorum post Regem, & ceperunt eum, & comprehenderunt Regem, & duxerunt ipsum ad Regem Babylonis. Et locutus est Rex Babylonis cum Sedecia judicium, & occidit

filios

filios ipsius in oculis ejus, & oculos Sedeciæ excæcavit, & vinxit eum compedibus, & abduxit in Babylonem. Quid est, locutus est cum ipso judicium? ipsum rationes reperivit, rationem posuit cum ipso, & primum ipsius filios jugulavit, ut propriæ calamitatis spectator fieret. Et post tragediam illam miserabilem, tunc illum excæcavit. Qua de causa rursum hoc agitur? ut Magister barbaris abear, & illic habitantibus Judæis, ut cernentes eum excæcatum, discant quantum mali sit juramentum. *Idem Homil.* 19.

Blasphemantium scelus, qui hac in re dæmonibus similes sunt. Mortales, qui juramentis, atque blasphemiis assuevere, semper nomen dæmonis in ore gerunt, non loquuntur de alia re, nocentemque vitam suam efficiunt juge dæmonum, reproborumque exercitium. Impii isti in terris vivunt, uti dæmones in Inferno; se ipsos constituunt interpretes furoris dæmonum, & reproborum contra Deum, aliis sceleribus suis juramenta, blasphemiasque adjicientes: (Job. 34.) *Qui addunt super peccata sua blasphemiam.* Ideo hoc vitium damnatis ipsis efficit nocentiores; hi quippe nonnisi per impatientiam cruciatuum, & per desperationem jurant, atque blasphemant: (Apoc. 7.) *Blasphemaverunt Deum Cœli præ doloribus, & vulneribus suis;* sed hujus Mundi blasphemi, nonnisi per nequitiam, impiamque voluptatem, quam ex blasphemiis percipiunt, illas effutiunt: (In Epistol. ad Gal.) *Manifestum est illos jurare, aut cupiditate, aut delectatione jurandi,* quemadmodum loquitur Sanctus Augustinus, ita ut si excusari damnati possent, inde excusarentur quod blasphemias evomunt in Deum severum, atque inexorabilem, at impii non damnari non possunt, qui debacchantur in Deum bonum, & misericordem, qui illos tunc etiam patitur, cum ab illis injuriosius lacessitur. *Liber cui titulus*: Guerre aux vices: *prælio contra juramentum art.* 1.

Quinam rei sunt perjurii, & blasphemiæ. Quinam illi sunt qui coram Deo obstricti sunt adeo atrocibus sceleribus, qualia sunt juramenta, & blasphemiæ? Qui Dei nomen in vanum jurant, (Exod. 20.) videlicet temere, & sine ulla necessitate; *non enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra.* Qui dubitant de eo, quod interposita juramenti fide confirmant, quasi plenissimam ejus rei certitudinem essent assecuti. Qui scandalum præbent aliis per juramenta, quæ coram pluribus proferunt. Qui jurant, ut perspecta affirment mendacia, vel deliberato animo fallendi, ac promissi fidem nequaquam præstandi: quia eorum jurandi consuetudo transit in necessitatem sæpe committendi perjuria: (Isidor. lib. 2. Sent.) *Assiduitas jurandi perjurii consuetudinem facit.* Horum autem impietas adhuc nequior est, cum evomunt injurias, imprecationes, & maledicta in eos, quos tamquam iræ suæ objectum respiciunt, quin consanguineos, & propinquos excipiant: Eum improbè jurant, hoc est animo adimplendi malum, quod se facturos minitantur; quasi omnem sibi viam intercludere vellent palinodiam canendi, impio sese Sacramento obstringentes; eum denique in se efformare conantur detestabilem jurandi consuetudinem, quæ sermoni suo ornatum aliquem tribuat, quæ illis gratiam apud impios conciliet nefaria hac, & irridenda jurandi, pejerandique per fas, nefasque vanitate. *Idem.*

Ejusdem argumenti. Hoc in numero illi etiam recensendi sunt, qui filios suos, famulos, vel subditos jurare, & blasphemare patiuntur, quin in illos animadvertant; etenim seipsos eorum criminum sontes efficiunt, (Lev. 5.) quæ minimè puniunt. *Qui audierit vocem jurantis &c. nisi indicaverit, portabit iniquitatem suam.* Qui excogitant, vel ex aliis regionibus advehunt novos jurandi, vel blasphemandi modos; qui imitantur dæmones hos in humana carne viventes, nihilo minus nocentes sunt illis, quorum sequuntur exempla; & denique omnes impii, qui peculiariter JESU CHRISTI personam afficiunt contumelia, illum per caput, corpus, sanguinem, & mortem lacessentes. Ex his autem omnibus juramentorum, blasphemiarumque generibus liquet horum impiorum hominum vitam omnino similem esse vitæ dæmonum, & reproborum, quia in terris id agunt, quod miseri illi non nisi in inferis præstant. *Idem.*

In blasphemia non deest insolentia. Aliquid semper insolentiæ in blasphemia invenitur; hoc enim peccatum directè Deum ipsum offendit, & si aliorum pleraque, vel magis timida, vel arctioribus conclusa finibus illum directè dumtaxat lacessunt, hoc per diabolicam improbitatem eum in ipso petit solio, utque illum lædat aggreditur. (Job. 15.) *Tetendit adversus Deum manum suam, & contra omnipotentem roboratus est.* Hæ locutiones, quibus Spiritus Sanctus utitur blasphemi hypotiposim concinnaturus, admirabiles profectò sunt. Non ait illum, uti cæteros peccatores manum suam, ad creaturas extendere, illis perfruiturum; sed ait illum in Deum tendere, ut eumdem afficiat contumelia. Non dicit illum roborari, sive ut impunè suam exerceat impotentiam, uti latrones, ac fures, sive ut criminosis sese ingurgitet voluptatibus prævalidis corporis viribus, ut impudici, ac libidinosi: sed ait illum ideo viribus prævalere ut omnipotenti adversetur, ac improbè in illum insurgat. Horribilem impietatem! cum homo sese impudicitiis, atque libidini immergit; cum alius ultionis persequendæ rationem scrutatur; cum ille per fas, & nefas undequaque opes congerere studet; cum hic noxiis voluptatibus oblectatur, vellent omnes citra Dei offensam suis affectibus indulgere; utque conscientiæ suæ stimulos retundant, sibi persuadere volunt, illum sese his rebus non immiscere, & malum tantum non esse, quantum censetur. Sed blasphemus per impudentissimam insolentiam Deum petit; illum palam aggreditur, neque eum reveretur, neque ullam ejusdem habet rationem. *Liber, cui titulus: Essais de Sermons pour la Dominicale. Dominica* 18. *post Pentecostem.*

Blasphemiæ impietas. Neque vero semper per furorem, atque impatientiam blasphematur, sæpe etiam id consultò fit, ac per sacrilegam animi tranquillitatem; non semper, quia invitis elabuntur verba, sed semper quia Deo irati sumus, quem cum consiliis nostris contrarium inveniamus, blasphemiis ultionem reposcere quærimus; quod ego quidem enorme scelus, ac diabolicam voco impietatem. Aliquis exempli gratia in ludis, & aleis pecuniam amittit, vel negotium, a quo fortuna illius pendere videbatur, pessum ire videt; alius afficitur contumelia, vel ab inimico incommodatur, ita ut se in rerum omnium egestate squalere conspiciat, modò paupertate, & paupertatis ærumnis vexatur, modò litibus oppressus, & a creditoribus exagitatus, quid agit? Non valens, vel non audens adversus creaturas irasci, Creatorem petit; & quasi Deus blasphemiis ejus non afficeretur, vel potius quasi Deus luere deberet pœnam calamitatum, quibus ille premitur, eum odit, illius sapientiam vituperat, providentiam, justitiamque condemnat; in illum fel, rabiemque evomit suam; in illum suas contorquet imprecationes, & quam cuperet ex eo referre non valens vindictam, hac saltem crudeli frui vult voluptate eum maledictis petendi. *Ibidem.*

Blasphemia peccatum est meræ nequitiæ. Blasphemia peccatum est meræ nequitiæ; ad illam non cupiditate, non utilitate, non necessitate, non voluptate ferri possumus. Cum aliquis aliena suffuratur bona, mendacium profert, ut fallat, vel bonum aliquod invenit, vel sperat se inventurum: cum latro viatorem trucidat, argento potiri vult; sed qui blasphemat, quam ex scelere suo utilitatem percipiet? Num honorem quærit? Immo e contra, quicumque illum audiunt, horrent, & execrantur. Rem auget suam? num, quàm ante, ditior est? Nequaquam si pauper erat ante blasphemiam, post eamdem æque pauper est; ideoque nullo quæstu ad blasphemandum adigitur. Immo neque illum compellit necessitas.

Extre-

Extrema quidem pauperras plurima patrare jubet scelera. Qui plurimos habet filios, & alieno ære pressus est, quem creditor, & fames urgent, cui panis deest, quem comedat, & vestes, quibus tegatur, facile furtum exercet. Sed quæ necessitas hominem blasphemare cogit? Neque voluptas in blasphemia reperiri dicenda est; hoc enim monstrum est illum ipsum devorans, per quem nascitur, livore, ac pœna, qua illum excruciat. *Brevillo in specimine Sermonum. Sermone pro feria quarta post Passionis Dominicam.*

Peccatum est, quod nullo pacto potest excusari.

Nullus est peccator, qui non aliquam adferat excusationem, ut sua probet flagitia; ultionis cupidus sibi illatam prætexit injuriam; fur suæ paupertatis magnitudinem; libidinosus voluptatum illecebras, atque suavissimi objecti præsentiam. Scio equidem, te Deus, nequaquam aures præbiturum hujusmodi excusationibus, sed potius te peccatores confusione repleturum; verùm quoque scio te severius in blasphemos esse animadversurum, qui nullam afferre poterunt excusationem ad imminuendam nequitiæ, insaniæque suæ magnitudinem. *Idem.*

Ultio, quam repetit Deus ex blasphemantibus.

Non miror, si Deus semper insignem, terribilemque peccati hujus vindictam poposcit. Satis est sacras percurrere litteras, ut ibi funesta illius videantur exempla. Ibi enim videbitis ultra octuaginta hominum millia ab Angelo cæsa ad ulciscendam blasphemiam Ducis cujusdam Regis Sennacherib, ipsumque Sennacherib, quo auctore illud factum fuerat, a propriis filiis confossum: ibi videbitis impiam blasphemantium manum, qui viventes adhuc igni absumuntur, atque sceleratorum hominum multitudinem fœda cæde deleram; ibi sortem deplorabitis nefarii blasphemi, qui Deo jubente lapidibus obrutus fuit. *Educ*, ait Deus Moysi, *blasphemum extra castra, & ponant omnes, qui audierunt, manus suas super caput ejus, & lapidet eum populus universus.* Contremiscite hæc terribilia videntes supplicia, o blasphemi; homo hic qui a Deo tanta severitate punitus fuit, semel tantùm blasphemaverat. Eheu! quid vobis erit metuendum, qui in singula momenta sexcentas in Deum blasphemias evomitis! *Idem.* — *Levit. 24.*

Blasphemantium cum damnatis comparatio.

Damnati suimetipsorum carnifices sunt, atque Divina Justitia proprio ipsorum corde utitur ad illos torquendos. Hoc ipsum blasphemis accidit; in seipsis supplicium quod merentur, inveniunt, & cor eorum sævissimus fit carnifex ipsorum. Duæ res efficiunt interius damnatorum supplicium. Altera est quod in singula momenta infinita desideria concipiunt, quæ cum numquam expleantur, illos jugi exagitant desperatione. *Desiderium peccatorum peribit*; Altera verò est conscientia, quæ quidam est sævissimus vermis, qui eos rodit, & devorat. *Vermis eorum non moritur*. Hæc est imago cordis blasphemantium, hoc illos interiori conficit rabie, quod videlicet possidere nequeunt, quod cupiunt, & violenter cupiunt, quod nequeunt possidere. Exempli gratia, blasphemus ludit, & vincere desiderat, voti nequaquam fit compos; vehementer desiderat, & quo magis desiderat, minus obtinet, & quo minus obtinet, eo magis rabie disrumpitur: *Desiderium peccatorum peribit*. Ille victor abire cupit in judicio, sibique litem, quam perperam intulit, adjudicari; ardentia illius desideria sexcentas gignunt blasphemias; hæ blasphemiæ recentia fovent desideria adhuc vehementiora; atque desiderando, & sperando ille se in desperationis abyssum immergit: *Desiderium peccatorum peribit*. Hic mente repetite, quod proculdubio sæpe vidistis; nonne verum est, ubi blasphemus furere videtur, se ipsum discerpere, capillos ejus rigere, ac præ rabie spumosum os gerere? nonne verum est inquam; credi posse hominem nuper ex inferis egressum, in se ipso proprium scelus punientem? Exterior etiam blasphemi figura, Sapiens ait, magnum est furoris, quo intus agitur, indicium, rigent capilli capitis ejus, & solus intuitus horrorem ciet: *Loquela multum jurans horripilationem capiti statuet, & irreverentia ipsius obturatio aurium. Idem.* — *Ps. 111.* — *Marc. 9.*

De blasphemantibus nomen, mortem, & sanguinem JESU CHRISTI.

Miseri, & impii blasphematores! cogitatisne injuriam, quam nomini, & sanguini vestri Salvatoris infertis? mereturne plenum misericordiæ, ac salutis nomen a vobis blasphemiis proscindi? Recordamini sanguinem hunc, quem blasphematis, esse redemptionis vestræ pretium? ingrati, & infideles! potestisne mortem optare huic eidem Deo, qui pro vobis est mortuus: Eheu! quàm metuendum est, ne de salute vestra æque actum sit, ac de Judæorum, qui per blasphemias, quas in hunc eumdem Dominum evomuerunt, Dei maledictiones, mortalium omnium odia, æternamque reprobationem sibi conflarunt. Ne id permittas, o Deus! sed potius maxima tuarum misericordiarum erga illos utere, ut sceleris sui agnoscant magnitudinem, atque hoc ipsum os, quo te blasphemarunt, impendant, ut in hac vita, ac in altera quoque te laudibus æternis prosequantur. *Idem.*

Numquam licet Dei nomen blasphemare.

Juramenta quædam licita sunt, & sine peccato fiunt; at nulla blasphemia est citra gravissimum scelus. Jurari potest, dummodo cum veritate, justitia, judicioque fiat, sed quæcumque sese offerat occasio, numquam sine execrabili scelere nomen Dei licet blasphemare: nomen, coram quo omne genu flecti debet; nomen, ad cujus sonitum quidquid in Cœlo, terra, & inferis est, contremiscit; nomen nihilominus in quod blasphemi abominabiles evomunt suas execrationes. Utique; hoc ineffabile, hoc venerabile, hoc majestatis, gloriæque plenum nomen hodie sine ulla necessitate, ac reverentia profertur; & quod magis mirum est, nomen hoc non juramentis solum, innumerisque sacramentis proscinditur, verum etiam impiis blasphemiis proteritur, & dedecoratur. *Dictionarium morale sermone primo de blasphemia.*

Blasphematur contra Deum, a quo nonnisi bona recepimus.

Cum Sanctus Policarpus sævissimis torqueretur suppliciis, impiusque tyrannus illi dixisset, ipsum ex illis ereptum iri, se jubente, si contra Deum blasphemasset, cumque negasset, dicitur fidelis, & generosus martyr hæc illi reddidisse; toto vitæ meæ spatio nonnisi bonis a Deo cumulatus fui, cur illi maledicam? Octuaginta annorum spatio infinita propemodum mihi contulit beneficia, cur illum negem, ac nomen ejusdem blasphemem! Dignam insigni Martyre considerationem! quæ tamen a vobis repetenda esset, a vobis, inquam, qui horribili impietate in Deum exardescitis, qui tanta vos dilectione prosequitur; in Deum, qui posset ille quidem hodie illud dicere, quod olim Judæis lapidibus, silicibusque sævire cupientibus: *Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis?* Ingrati, inhumani, barbari cur mihi maledicitis? Num quia vos creavi, vos servavi, vos genui in Ecclesiæ meæ sinu, vos e tot malis servavi, ac tot beneficiis cumulavi? Numquid propter aliquod ex his beneficiis imprecationibus, atque contumeliis me ipsum proscinditis? *Idem.* — *Joan. 10.*

Æternæ blasphemantium pœnæ.

Extremæ blasphemantium pœnæ, & quæ proculdubio sunt præ cæteris maximè terribiles, æternæ sunt pœnæ Angeli apostatæ! propter hoc scelus vos præcipites de Cœlo in Infernum dati fuistis: & vos qui geritis bestiæ caracterem, propter hoc scelus iisdem suppliciis trademini. Ego ipse vidi, Sancti Joannes ait, ego vidi bestiam hanc de mari egredientem, septem habebat capita; & in capitibus istis descripta erant nomina blasphemiæ. Cum illi permissum fuit aperire guttur, non nisi blasphemiæ illinc prodiere; sed tandem in æternum projecta fuit in abyssum, & qui in illius partes concesserunt, conjecti sunt in stagnum sulphuris, & ignis. Hoc illud supplicium est, quod blasphemos manet. *Idem.* — *Apoc. 13.*

De sacra Salvatoris membra blasphemantibus.

Venerabilia Corporis Salvatoris nostri membra! Quibus tot, tantaque debemus, eheu! quam indignè

dignè ab hominibus mulctata estis! Augustum Hominis Dei caput spinis coronatum, JESU CHRISTI venter flagellis, verberibusque percussæ! pretiose Sanguis JESU, pro nostra redemptione effuse! divina mors JESU vitæ nostræ principium! opusne erat, ut hodie in nobis instauraretur dolor intuentibus vos sacrilegis, impiisque linguis dedecore affecta? Salvator adorabilis? quam magna est patientia, quæ hujusmodi tolerat impietates? Exterminatores Angeli, divinæ ultionis Ministri, desuntne vobis fulmina, quæ in nefaria capita contorqueatis? Impii! Vos patitur Deus; sed in altera vita vos longè gravioribus suppliciis reservat, quàm quæ in hac pateremini. Impii! vos patitur Deus; sed hodierna fortasse dies postrema dies est misericordiæ ipsius, postquam nisi serio vosmet convertitis, nulla vobis futura est pœnitentia. *Idem.*

Ira fons blasphemiarum.

Prima tela, quæ jaculetur ira, sunt maledicta, & imprecationes. Cum illis, qui nobis adversantur, tantum mali efficere nequeamus, quantum cuperemus, hac tristi saltem, crudelique voluptate perfruimur, quod omnia illis mala imprecamur; in illos exardescimus, illos contumeliis proscindimus, illos injuriosis dicteriis cumulamus; atque in iracundia nostra imprecationes, malaque desideria sunt arma, quibus statim fervens, sed infirmus invalidusque utitur affectus. Verum violentus, ac furens homo hic non subsistit. Per summam insolentiam in Deum ipsum insurgit, in illum maledicta furoris sui jacula exhaurit, & quasi ille futurus esset iræ suæ victima, hujusmodi imprecationibus contra creaturas in Creatoris contumeliam sua addit maledicta, atque blasphemias. Viden hunc militem, audin hunc sub mortali specie dæmonem? Sacrilegum os suum non aperit, nisi ut Deo maledicat, eumque abneget; huc tandem furor ejus redit. Judæis ipsis, ethnicisque nequior singulis momentis in horribiles erumpit blasphemias. Viden lusorem hunc? non satis est illi aleas discindere, tala in ignem conjicere, cum suas perdit opes; non satis est illi vel suum deflere infortunium, vel alienam insimulare versutiam, & calliditatem; Deum ipsum incusat, in illum suæ infelicitatis causam retorquet, cumque nullum possit illi detrimentum inferre, quod rabie illius ultionis cupida maximè vellet, divinitatem ejus proterit, eamque, ut ita dicam, suæ mactat iracundiæ. Audin causidicum judicio victum? herum in famulos, vel patrem in filios ita succensum? Audin execrationes, & blasphemias, quæ præ terrore horrorem injiciunt illis, qui earum vel testes sunt, vel infelices victimæ? Hæc prima sunt iræ ipsorum jacula; in hæc illorum furor statim erumpit: ***Prima irarum tela maledicta sunt. Idem.***

Zelus contra blasphemos ostendendus.

Ne erretis, Fideles. Audire blasphemiis Dei nomen lædi, & quiescere, nulloque affici motu, quasi Deo illata contumelia, ad nos minimè pertineret, hoc sane est alieni peccati fieri consortes. Vos ergo quibus zelus secundum scientiam inspirare debet acres sensus injuriarum, quibus divinum nomen afficitur, inultum patiemini Deum exercituum, ac Dominum virtutum, & æquo feretis animo, impiis blasphemiis sanctissimum nomen illius inquinari? Quinam sunt vestri de Deo sensus in tanta ignavia, & quos Dei de vobis sensus esse putatis? Quid, inquam, vos de Deo sentitis? Si enim Pater vester est, Dominus, Amicus, Rex vester; si qualitates hujusmodi in aliis divisæ in uno illo coalescunt, nonne multis de causis gloriam ejusdem tueri debetis? Potestisne citra crimen ferre, ut vobis audientibus, atque inspectantibus debita illi minimè adhibeatur reverentia? Quæ vestra esset cogitatio de filio, frigide audiente maledicta contra parentem suum prolata? de servo, qui non moveretur injuriis, quibus herus suus peteretur; de amico, qui contumelioso silentio sineret amico obtrectari? de subdito, qui Regis sui gloriam haud ægrè ferret imminui? Hic, utique diceretis, inhumanus est filius, infidelis famulus, non sincerus amicus, subditus indignus: omniumque mollem, turpemque ignaviam severissimis suppliciis coercendam esse existimaretis. *Idem.*

Quid cum blasphemis agendum.

Quid autem vobis hac in occasione faciendum sit, expediam. Si qui has proferunt blasphemias, supra vos sunt; eorum vicem dolete, atque a Deo illorum conversionem exposcite. Si vobis pares sunt, ab illis recedite, eorumque familiaritatem abdicate. Sin inferiores, eos corripite, ac severè in illos animadvertite. Parentes sine ulla miseratione punite filios, qui Dei nomen blasphemant. Domini, dominæque domibus vestris ejicite servos impios, & cavere ne, si illos passi fueritis, in caput vestrum Dei maledictiones detorqueatis. Sanctificate manus vestras actione adeo sancta, illos ea, quam tantum meretur crimen, severitate punientes. Denique quicumque estis, ne blasphemetis Dei nomen, neque coram vobis ab aliis blasphemari patiamini. *Idem.*

Perjurium, ac falsum jusjurandum omnem civilem vitam perturbant.

Contra veritatem pejerare, est veritatem prorsus evertere velle, ac uti posse hac similitudine mihi videor, in publica vita idem esse pejerantem, ac in vita civili falsa nota pecunias adulterantem. In civili vita pecunia ultro, citroque currit, & commercium facit; verum quid efficit, illam adulterans? Sequioris notæ aurum argentumque conflat, & dummodo Principis imago imprimatur, satis est, omnes hac moneta fallentur. Quid agit perjurus? Verborum suorum falsitatem divinæ veritatis imagine notat; & omnes illi adhibent fidem. Contractus ille actus, transactusque est; & quod falso juratum fuit, creditur. Interim publica res agitur; & cum falsum affirmanti non creditur; hic Dei ipsius veritate suum mendacium confirmat. *Ex Manuscripto Sermone.*

In re levi jurare, magnum est crimen.

At enim, numquid ideo grave scelus patravi? De re levi agebatur, cum contra veritatem jusjurandum adhibui, & me gravi culpa obstrictum teris? Meum istic non est de conscientiæ casibus disceptare, neque volo istic inferorum abyssum cuiquam aperire: Verùm memento, quò levior res est, pro qua juratur, eò gravius coram Deo crimen esse. In jurejurando longè aliter sentiendum est, ac in furto, ubi neminem gravi culpa damnabo, eo quod rem modico æstimaram pretio surripuerit, quia nimium levis est materia; sed in jurejurando quo levior est materia, eo gravior est noxa. Et ratio constat, quia cum parvi momenti materia est, a te magis Deum contemni ostendis: quia pro levi re, Dei nomen prophanas. Hæc est Sancti Chrysostomi argumentatio, *Idem.*

Non desunt occasiones quædam, in quibus facilis pater in perjurium lapsus, iis verò præsertim, qui publicos honores gerunt, nisi diligentiùs animum advertant. Exigitur enim coram Rege, vel superioribus Magistratibus juramentum, te in munere tuo obeundo justitiam servaturum; nullam a te concussionem, nullam injustitiam patratum iri; idque simul coram Deo profiteris; attamen te magistratum obtinente, quot injustitiæ patrantur? Non sulum toridem peccata committis, quæ ab injustitiis separari non possunt, verùm etiam toridem perjuria propter juramentum, quod violas. *Ex manuscripto Sermone.*

Cum jurandum est, magna opus est circumspectione.

Cum jurandum est; magna adesse necessitas debet; & de re prorsus necessaria agi opus est. Attamen quot in hujusmodi circumstantiis deficiunt? Jurant sine necessitate, ac per habitum pravum, quem contraxerunt; quatuor proferre verba non possunt, quin jurent; & hoc sermonis ornamentum putant. Esto quidem, vera dicant; & quænam est jurandi necessitas? quis illos cogit fidem suam pro re nullius pretii polluere? Juras, ut dicto fidem concilies? At si bonus es Christianus, & injurato habebunt fidem. Dicis te fecisse, vel facturum esse aliquid, atque, ut quod dicis confirmes,

firmes,

firmes, juras; quænam hic necessitas adest? Ad hæc pro rebus justis, & æquis jurandum est. Contra hanc circumstantiam peccant, qui aliquid se facturos jurant, quin quid hoc rei sit, sciant; ut Herodes, qui infami saltatrici se concessurum juravit quidquid illa peteret; & hoc illi promittens, implicite illud etiam se facturum recepit, quod nequissimum erat; verum tantùm abest, quod jusjurandum adimplere teneretur, ut immo illud non implere teneretur . . , Alii profitentur se illicita facturos: veluti injuriæ ultionem persecuturos, innocentem oppressuros; qui juramenta illi similia faciunt, quod olim Judæi, se videlicet Sanctum Paulum occisuros: *Devotione se devoverunt &c.* Juramentum cum sit actus Religionis non debet esse actus iniquitatis; *Juramentum non est vinculum iniquitatis*. Et hæc promissa, hæc juramenta nunquam adimplenda sunt; hoc enim est scelera sceleribus addere. *Idem*.

Act. 23.

De juramento generatim.

Hic funestissimus sermo est, qui vel in terra, vel in inferis haberi queat sermo. Nihilominus ex eo plurimi præcipuum orationis suæ ornatum constituunt; ac benedicendi artem se nactos putant, horribilem hanc loquendi rationem edocti. Ibi etiam commentitiam nescio quam generositatem inesse putant, neque strenuos se haberi posse putarent, nisi in singula, quæ proferunt verba, hujusmodi locutionem aliquam adderent, & nisi quidquid sacratius est crebrò in ore gererent. Omnia fere quæ dicunt sunt perjuria, & divini nominis prophanationes; illud enim in testimonium accersunt eorum omnium, quæ dicunt, futilia licet sint, atque falsa. *De la Volpilliere*.

Fidelium blasphemia per molesta.

Blasphemus ex D. Thomæ sententia, infidelis est; saltem alterius improbitas ab alterius improbitate non longè abludit; & dici etiam posses blasphemus, qui indigne id polluit, quod credit, infideli non credente deterior esse; ignorantia enim peccati nequitiam, & gravitatem imminuit; & contemptus, quo ab amicis excipimur, magis molestus est, quàm quo excipimur ab alienis, a quibus ignoramur; & Dei Filius de Fideli blasphemias evomente jure usurpare potest hæc Prophetæ verba: *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique; Tu verò homo unanimis, & notus meus, qui mecum dulces capiebas cibos*, filius Ecclesiæ meæ, per sanguinem meum regeneratus, spiritu meo adoptatus, ad mensam meam invitatus, corpore saginatus meo, post tot adeo insignia beneficia, post tot benedictiones, quibus cumulatus fuisti, tu inquam mihi maledicis, mea blasphemas, quibus nutritis, sacramenta; meis, qui te protegunt, Sanctis obtrectas; meum, qui te redemit, sanguinem conculcas; potestatem meam, quæ te incolumem servat, contemnis; bonitatem, & misericordiam, quæ te invitat, atque licet indignum adhuc præstolatur, aspernaris. *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique &c. Molinier Sermone pro feria 4. post tertiam Quadragesima Dominicam.*

Psal. 54.

Plurimi sunt, qui satis bene constituta existimatione perfruentes, ultrò jacturam faciunt ejus honestatis, quam suapte natura maximo habent in pretio. Quod dicunt, jurejurando affirmant, quasi non puderet ipsos se fide indignos fateri, quasi ægre non ferrent, sibi ab aliis fidem negari. Et sanè jurare, ne quis dubitet de veritate eorum, quæ dicimus, idem est ac fateri non deesse dubitandi causam, neque satis probitatis inesse nobis, ut fidem mereamur. Hoc in loco ad examen non revoco injuriam, quæ Deo fit, cum in rebus exiguis, abjectisque asseritur veritas vel per sanctum nomen ipsius, vel per creaturarum ejus testimonium; loquor solum de injuria, quam sibimetipsis inferunt, qui facile hanc sibi licentiam assumunt. Existimationis fidei suæ assertores adeo solliciti, ut noxiam accendant iram in eos si qui per diffidentiam eidem officere audeant; ipsi illam obscurant, atque evertunt turpi ejus infidelitatis, quam forsitan horrent, confessione. *Liber, qui inscribitur: Animadversiones in varia Religionis, Ethicaque argumenta.*

Qui jurant, id probaturi, quod dicunt, se fide indignos ostendunt.

FINIS.





